Tübingen
November 1966
Heiko A. Oberman

MINERVA GMBH · FRANKFURT AM MAIN

Unveränderter Nachdruck 1964

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/oncearchibishopc0000thom

THOMÆ

BRADWARDINI

ARCHIEPISCOPI OLIM
CANTVARIENSIS,

DE CAVSA DEI,

CONTRA PELAGIVM,
ET DE VIRTVTE CAVSARVM,
Ad ſuos MERTONENSES,

LIBRI TRES:

IVSSV REVERENDISS. *GEORGII ABBOT* Cantuarienſis Archiepiſcopi;

OPERA ET STVDIO D. HENRICI SAVILII, *Collegij Mertonenſis in Academia* OXONIENSI Cuſtodis,

Ex ſcriptis Codicibus nunc primum editi.

LONDINI,
EX OFFICINA NORTONIANA,
Apud IOANNEM BILLIVM.
M.DC.XVIII.

SERENISSIMO

ET

POTENTISSIMO PRINCIPI,

IACOBO,

DEI GRATIA MAGNAE BRITANNIAE, FRANCIAE ET HIBERNIAE REGI,

VERAE FIDEI ASSERTORI ET PROPVGNATORI, BONARVM LITERARVM FAVTORI OPTIMO, MAXIMO, INDVLGENTISSIMO:

HOC
THOMAE BRADVVARDINI, ARCHIEPISCOPI QVONDAM CANTVARIENSIS OPVS E SITV VINDICATVM,

HENRICVS SAVILIVS, MAIESTATI EIVS DEVOTISSIMVS, IN PERPETVI OBSEQVII MONVMENTVM D.D. CONSECRATQVE.

(*,*)

LECTORI.

LECTORI.

DE auctore mihi pauca præfari volenti occurrit primo loco Nomen, quod in veteribus libris nostris variè scribitur: Thomas de *Bradwardina* & de *Bredewardina*, quomodo constanter scribitur in Actis Publicis. Exteri homines fere omnes, deflexo nomine euphoniæ, vt puto, gratia, *Brauardinum* nominant: *Gerson* lib. 3. de vita spirituali *Bragwardinum*: Autor Catalogi Testium, & Gesnerus *Branduardinum*. Apud *Joannem Baconem* (siue *Baconthorpium*, vt alijs placet) super 4. Sentent. Distinct. 1. Quæst. 4. fol. 86. Editionis Venetæ 1527. *Bradinkardin* appellatur, flagitioso Typographi errore, non ipsius *Baconis*, qui cum fuerit ὁμόχρονος ϗ ὁμόσκηνος *Bradwardino* (ex eodem quippe alueari vterque profecti, Collegio scilicet *Mertonensi*) rectam nominis contubernalis sui scripturam ignorare non potuit. De loco Natiuitatis putabam aliquando apud Bradwardin castrum & vicum natum fuisse (situm est castrum illud, attestante doctissimo & diligentissimo Camdeno Nostro, ad ripam Vagæ fluminis aliquot supra Herefordiam milliarijs) sed me ab hac sententia non improbabili reuocârunt expressa verba ipsius Bradwardini lib. 3. cap. 22. pag 559. huius editionis, vbi non obscurè, vt mihi videtur, innuit se Cicestria oriundum. Verba sunt; *Per similem etiam rationem quicquid nunc scribo Oxoniæ, scriberet pater meus Cicestriæ, quia genuit me scribentem, imo auus, & proauus, &c.* Vt non multum aberrâsse videantur Balæus, & Antiquitatum Britannicarum Auctor, qui Hartfeldiæ natum asserunt in Diœcesi Cicestrensi, quibus auctoribus, aut quibus permoti argumentis, nescio. Apud me certè illa Aucto-

ris verba præponderabunt, dum aliquid certius ab alijs afferatur. Interim certe verisimile mihi est ipsius maiores apud castrum, vicumue *Bradwardin* natos, inde cognomentum sibi, posterisque etiam alio commigrantibus (quod apud nostrates frequentissimum) acquisiuisse: ac horum Bradwardinensium forte aliquem sic nouis sedibus in Cicestria defixum in filium suum Thomam hunc nostrum nomen illud iam tum obtinens ac gentilitium transfudisse. Quo anno natus sit, quemadmodum nihil pro certo asseuerauerim, (vt sunt magnorum sæpe virorum principia obscura, quorum sunt notissimi exitus) ita cum Procuratorem fuisse constet Vniuesitatis Oxoniensis, Anno 1325. circa annum Domini 1290. natum crediderim, medijs temporibus Regis *Edwardi Primi.* Post emensa puerilia studia admissus est in Collegium Mertonense Oxonij tempore *Edwardi Secundi,* vbi Procurator Vniuersitatis fuit, vt dixi; sic enim in Catalogo Cancellariorũ & Procuratorũ eiusdẽ Vniuersitatis scriptum reperi: An. 1325. *Willielmus de Alburwike Cancellarius Oxoniensis, & Richardus de Kamshall Commissarius eius; Procuratores Willielmus de Harington, & Thomas de Bradwardina.* In qua Vniuersitate, maturiore iam ætate, tempore, vt puto, *Roberti Trenge* Custodis, *ad tantum,* inquit Balæus in prima editione (quam totam putant quidam ex Lelando descriptam) *doctrinæ peruenit incrementum, vt supremæ facultatis magister, ac summus demum Cancellarius* (de quo mihi liceat bona cum Balęi & Lelandi venia ἐπέχειν) *constitueretur, in quo officio ita se gessit,* inquit, *vt ab omnibus magnam commeruerit laudem.* In hoc curriculo literario solidam ex Aristotelis & Platonis fontibus hausit Philosophiam, sed in artibus Mathematicis ac Theologia eius potissimùm eluxit industria; ac in Mathematicis quidem ita excelluit, vt parem illa ætas tulerit fortasse neminem. Testes sunt tabulæ Astronomicæ exquisitè descriptæ æquationum Planetarum, & coniunctionum ac oppositionum luminarium, quas penes me habeo magna cum diligentia manu exaratas volumine satis crasso. Testes libellus de proportionibus velocitatum; alius de Arithmetica speculatiua; alius de Geometria speculatiua (quem librum libr. 4. de tradendis disciplinis laudat Viues) omnes iam olim Parisijs excusi. In Theologia verò palmaris

est

eſt (nam plurimos alios conſcripſit in omni diſciplinarum genere, ſi credimus Balæo, mihi non tractatos) palmam facilè, inquam, obtinet liber iſte, quem iam ex manuſcriptis ſex edimus contra *Pelagianorum* perfidiam, hæreſim omnibus ſubinde ætatibus, vt experientia docet, in Eccleſia ſuccreſcentem; quem ex lectionibus Oxonienſibus magnam partem concinnatum, & contextum (vt ipſe in procemio docet) ad petitionem ſuorum Mertonenſium limauit, & edidit in lucem, cùm eſſet Cancellarius Londinenſis. Ἐπιγραφὴ eſt ea, quam præpoſui, in omnibus ferè, quos vidi, manuſcriptis; in libro tamen Collegij Noui
„ Oxon. titulus eſt; *Summa Doctoris profundi de cauſa Dei contra*
„ *Pelagianos, & de virtute cauſarum, virtute Dei cauſæ cauſarum.*
In Bibliotheca Vaticana ad eundem ferè modum; *Sum-*
„ *ma Doctoris Profundi Thomæ Bradwardini de cauſa Dei contra*
„ *Pelagianos, & de virtute Dei cauſæ cauſarum.* Fuit hic liber, ſtatim atque editus eſt, tanto omnium Doctorum exceptus applauſu, vt per omnes ferè Bibliothecas totius Europæ deſcriberetur. *Gerſon*, vt ad notum auctorẽ, ſępe remittit in libris de vita ſpirituali: *Gregorius Ariminenſis* ſuper 2. Sent. fol. 96. col. 3. & fol. 114. col. 2. & 3. vt taceam de *Pico Volaterano, Caſſandro, Auctore Catalogi Teſtium* (qui totam huius libri præfationem in ſuum transfudit ſyntagma) & ex recentioribus *Lutio, Perkinſio*, alijs, dum tamen adhuc in Bibliothecarũ ſitu, & puluere deliteſceret. Nam de Galfrido Chaucero illorum ferè temporum æquali, poetarum noſtrorum principe, acris iudicij, non lepidi tantum ingenij, viro, qui de Thoma hoc noſtrate non tacuit, nobis nefas ſit hic tacere. Is, cum eſſet Philoſophicis Theologicisq; haud mediocriter imbutus, ac haſce Cantuarienſis Archiepiſcopi lucubrationes iamtum recens emiſſas, vt videtur, peruoluiſſet, pro more ſuo iocis ſeria intertexens, in fabella quadã Cantuarienſi, arduam de Dei præſcientia, rerumque contingentia quæſtionẽ obiter attingit; ac Auguſtino Bradwardinum annumerat, ex ijs vnum ſcil. qui in difficili hac controuerſia exagitanda farinã vſque ad furfures (ſic enim familiariter, eleganterque ille noſter) excuſſerunt, hoc eſt veritatem in profundo demerſam elicuerũt. Ipſum, ſi placet, (placet autem antiqua Anglicana, etiam ſtyli, ſimplicitas) ſocco ſuo indutum in medium deducamus.

 But

In the Nuns Priests tale.

But what that God afore wote, must needs bee,	*Non euenire non potest, quicquid Deus*
After the opinion of certaine clerkis.	*Præsciuit; ita fert crebra Doctorum cohors.*
Witnesse of him that any clerke is,	*Hic literatum quemlibet testem voco*
That in Schoole is great altercation	*Quantis vtrinque fluctibus lis hæc Scholas*
In this matter, and great disputation,	*Triuit, teritque, penè inextricabili*
And hath been of an hundred thousand men.	*Ingenia nodo centies mille implicans.*
But I ne cannot boult it to the bren,	*Excutere nudos hæc adusque furfures*
As can the holy doctour S. Austin,	*(Quod ab Augustino præstitum, & Boethio,*
Or Boece, or the Bishop *Bradwardin.*	*Ac* BRADVVARDINO *Episcopo) non sum potis.*
Whether that Gods worthy foreweting	*Vtrumne me diuina præscientia*
Straineth me needly to doe a thing,	*Ad aliquid vnum, vt exequar, necessitet;*
(Needly clepe I simple necessite)	*(Necessitatem hic absolutam intelligo)*
Or if the free choice be granted me	*An mihi stet huius siue agendi seu minùs*
To doe the same thing, or do it nought,	*Electionis salua libertas, licet*
Though God forewot it or it was wrought.	*Præscierit ipsum hoc, antequam fieret, Deus.*
Or if his weting straineth neuer a dele	*An præscientis obliget necessitas*
But by necessite conditionele.	*Illa vna quam supposita conditio struit.*
I woll not haue to done of such matere.	*In tam profundum haud ego insiliam mare.*

Ad nostrum verò Bradwardinum vt redeamus; *Profundi* cognomen, siue à Papa impositum, vt est in antiquo registro * Mertonensi, siue communibus Doctorum per orbem Christianum suffragijs receptum, adeo de illo eualuit, vt non minus *Doctoris profundi* cognomine notus sit *Bradwardinus* quam *Doctoris Subtilis, Scotus*, aut *Doctoris Angelici, Aquinas.* Atque, vt huius libri genius Lectori melius innotescat, non abs re fuerit pauca præmonuisse: Primò *Thomam* nostrum, cum summus esset Mathematicus, vt ex præcedentibus appa-ret, etiam in Theologicis tractandis non recessisse ab arte. Itaque primus, quod sciam, & solus hanc viam tentauit in Theologicis, vt filo Mathematico Theologica contexeret, ponendo scilicet primo loco duas hypotheses, quasi principia, & ex ijs proxima quæque demonstrando, & corollaria deducendo, petitis etiam ex *Euclide* probationibus; deinceps ex hypothesibus, & prædemonstratis reliqua omnia perpetua serie ad finem vsque operis attexendo, quo fit vt conclusiones eius cuipiam fortasse nimis altè petitæ videantur. Quod si in lemmatibus, & propositionibus non semper ἀκρίβειαν illam Mathematicam potuit

** Bradwardin Doctor profundus nominabatur per Papã, & ita vsque nunc appellatur.*

tuit vſquequaque aſſequi, meminerit Lector non id Auctori imputandum, ſed ſubiectę, quam tractat, materię. Nam, vt rectiſsimè docet Philoſophus, πεπαιδευμένου γάρ ἐστιν ἐπὶ τοσοῦτον τἀκριβὲς ἐπιζητεῖν καθ᾽ ἕκαστον γένος, ἐφ᾽ ὅσον ἡ τοῦ πράγματος φύσις ἐπιδέχεται. παραπλήσιον γὰρ φαίνεται μαθηματικοῦ τε πιθανολογοῦντος ἀποδέχεσθαι, καὶ ῥητορικὸν ἀποδείξεις ἀπαιτεῖν. Aliud quoque eſt quod delicatas aures fortaſſe nonnihil offendat, librorum quorundam apocryphorum, aut plane νενοθευμένων, citatio; Qualia ſunt Ariſtotelis *Secreta Secretorum*, *Vacca* Platonis, *Ouidii libellus de Vetula*, *Hermetis* Pœmander, & aliæ id genus quiſquiliæ. Sed nimirum hoc magnis Noſtri *Bradwardini* virtutibus, ipſiſque adeo temporibus, vt erat illa ætas minimè omnium Critica, condonandum. Huc adde, quod librorum iſtorum fidem etiam ipſe non ſemel in dubium reuocet. Quod ſi cui tantum ab re ſua otij fuerit, vt loca ex Patribus paſsim citata inſpiciat, & ex fontibus emendet, lociſque ex Ariſtotele, & Platone deſumptis, vel adſcriptis græcis, vel appoſita alia tranſlatione paulo tolerabiliori lucem inferat, næ is *Bradwardino* Noſtro bonam, & vtilem nauauerit operam, magnam certè à ſtudioſis eius Lectoribus inierit gratiam. Sed ea res ijs, qui denuo hoc opus edituri ſunt, curę eſto; ſat mihi ſit, hac ingraueſcente ætate, qualem in ſcriptis codicibus reperimus *Bradwardinum*, talem fide optima poſteritati non inuidiſſe. Iam, vt ciuilem, publicamque eius vitam paucis attingam, poſt geſtum in Vniuerſitate Oxoniēſi Procuratoris munus, & (ſi *Balæo* credimus) ſummi Cancellarij ibidem magna cum laude adminiſtratam dignitatem, poſt profeſsionem Theologicam Oxonij per annos bene multos, adhæſit *Richardo de Bury*, Epiſcopo Dunelmenſi, viro illius ætatis facile doctiſsimo, & doctorum omnium Patrono ſingulari, &, quod ipſe de ſe in libello quodam à ſe edito, cui titulus *Philobiblos*, teſtatur, librorum vndique, prout illa ætas ferebat, corrogandorum inſano quodam amore impotenter abrepto. In huius itaque, vt dixi, familia vixit *Bradwardinus* per aliquod tempus, vnà cum alijs ſeptem ex ſodalitio ferè *Mertonenſi* profectis, maximi ingenij, maximæ doctrinæ viris: de qua re operęprecium erit verba Dunelmenſis hiſtoriæ audire non vna de cauſa memoratu digniſsima; *Plures ſemper Clericos habuit* (Richardus de Bury Epiſcopus Dunelmenſis

nelmensis) *in sua comitiua, de quibus fuit Thomas Bradwardin postea Cantuar. Episcopus, & Richardus Fitzrause postea Archiepiscopus Armachanus, Walterus Burly, Johannes Manduit, Robertus Holcot, Richardus Kilwington (alias Kilmington) omnes Doctores in Theologia: Richardus Bentworth postea Episcopus London, & Walterus Seagraue postea Episcopus Cicestrensis. Et quolibet die in mensa solitus erat habere lectionem, nisi forte per aduentum Magnatum impediretur; & post prandium singulis diebus disputationem cum clericis prænominatis, nisi maior causa impediret.* Factus est deinde *Bradwardinus* Noster Cancellarius London (quod fortasse ansam errori præbuit Balei) tantęque fuit integritatis, & innocentiæ, vt huic non sane opimo beneficio vix & ægrè Canonicatum Lincoln passus sit adiungi. Quo tempore non ob eruditionem solum, sed multo magis ob morum vitæque sanctimoniam à *Stratfordo* Archiepiscopo Cantuar. delectus est, vt regi *Edwardo Tertio* à sacris confessionibus esset; cui cum comes esset assiduus in bello Gallico, quod tantis duorum potentissimorum Regum opibus, tantis animis, tanta euentuum varietate gestum est, rebus plerunque ad Anglos inclinantibus, ita & Regis ferocientes victorijs spiritus temperauit, & militarem insolentiam compescuit, habitis sæpe coram exercitu concionibus ea prudentia, & verborum lenitate, vt non defuerint inter scriptores temporum illorum, qui insignes illas *Edwardi* victorias huius potius sanctitati, ac virtutibus acceptas ferendas existimarint, quam cuiusquam siue fortitudini, siue prudentiæ. Post *Stratfordi* mortem Monachi Cantuarienses *Thomam* nostrum postulârunt in Archiepiscopum: quę tamen postulatio frustra fuit, *Edwardo* Rege talem virum de suo comitatu dimittere recusante. Sed renuntiato *Johanne Uffordo*, eoque statim defuncto, cum Monachi *Bradwardinum* iterata electione postulassent, annuente Rege, Papaq;, summa omnium ordinum consensione, sine ambitu, ac nemine refragante, quod illis moribus rarum, Archiepiscopus declaratus, in Ecclesia Fratrum minorum *Auenione* sacratus est, vbi, cum mores Curiæ non satis nôsset, homo in Scholis ab ineunte ætate castrisque versatus, ab illis comptulis Aulæ asseclis, non

tamen

tamen ſine ſtomacho virorum grauium & modeſtorum, irriſus eſt, vt ἀγροικότερος. Poſt conſecrationem domum reuerſus, habuit temporalia ſibi reſtituta, & fecit Regi pro more fidelitatem, vt ex Actis conſtat 22. Auguſti anno 1349. Edw. 3. 23. nec multas poſtea ſeptimanas ſuperſtes moritur *Lambethæ* Octobri ſequente, non expletis inthronizationis cæremonijs, vir longiore vita dignisſimus, ſiue morum probitatem ſpectemus, ſiue erud tionem, vt in illo ſæculo, ſingularem.

PRÆ-

PRÆFATIO

THOMAE DE || BRADVVARDINA CANCELLARII LONDON,

|| de Bredewardina

IN TRES LIBROS DE CAVSA DEI CONTRA PELAGIVM, ET DE VIRTVTE CAVSARVM.

Magnorum & multorum petitionibus atque repetitionibus || cumulatis *incessanter sollicitor, vt quæ nuper de causa* Dei *contra Pelagium, & de virtute causarum, in castris scholasticis militando, voce transeunte deprompseram, scripturæ mancipem remanenti. Verum haud dubio, sicut Dei amici in causa Dei postulare me prouocant & confortant, ita & amici Pelagij, super numerum plures istis, me reuocant & deterrent. Ecce enim, (quod non nisi tactus dolore cordis intrinsecus refero) sicut olim contra vnicum Dei Prophetam octingenti & quinquaginta Prophetæ Baal, & similes sunt reperti, quibus & innumerabilis populus adhærebat; ita & hodie in hac causa; quot,* Domine, *hodie cum Pelagio, pro Libero Arbitrio, contra gratuitam gratiam tuam pugnant, & contra Paulum pugilem gratiæ spiritualem? Quot* || etiam *hodie gratuitam gratiam tuam fastidiunt, solumq́ Liberum Arbitrium ad salutem sufficere stomachantur? aut si* || gratiâ vtantur, *vel perfunctoriè necessariam eam simulant, ipsamq́ se iactant Liberi sui arbitrij viribus promereri, vt sic saltem nequaquam gratuita, sed vendita videatur? Quot etiam, Deus omnipotens, impotentes de sui*

|| stimulatus,
|| etenim
|| gratiam

potestate

potestate arbitrij præsumentes, tuæ cooperationis auxilium in operationibus suis recusant, dicendo cum impijs, recede à nobis? Quot insuper, Iob. 21. *Domine, sui libertatem arbitrij extollentes, tuam refugiunt seruitutem? Vel si te cooperari cum eis saltem labijs fateantur, cum illis superbis & odibilibus ciuibus tuis quondam, te super eos regnare diffugiunt; imò & superbiores Lucifero æqualitate tui nequaquam contenti, super te, Rex Regum, impudentissime gestiunt se regnare? Non enim verentur* || astruere *suam voluntatem in actione communi præire vt dominam, tuam subsequi vt ancillam; se præire vt Dominos, te subsequi sicut seruum; se velut Reges præcipere, te tanquam subditum obedire. Quinimò & voluntati suæ in contingenter futuris omnimodam tribuunt libertatem in tantum, vt etiam contra vocem Propheticam à tua subiectione exemptionem prætendant, & voluntatem tuam liberrimam, omnipotentissimam & immutabilissimam* || cum hæc aduenerint in præteritum velabantur *de summa arce libertatis antiquæ deijcere, & nouellæ necessitatis irreperabili seruituti subiicere moliuntur. O Domine Deus meus, non nisi gemebundus recogito, quot & quanti iudices* || seleges *Pelagianos, olim damnatos, & à totius Ecclesiæ finibus relegatos absoluere & reconciliare sollicitè machinantur! Quot turgidi aduocati pro eis vociferantur! Quot improbabiles procuratores partem eorum procurant! Quot insuper, Domine, argumenta artificialia non habentes, ad inartificialia se conuertunt, & vt partem Pelagianorum extollant saltem clamoribus, horribilibus probris, conuiciis, risu & gestu, partem tuam deprimere annituntur! Et quot & quàm innumerabiles eis fauent! Totus etenim pœne mundus post* Pelagium *abiit in errorem. Exurge igitur* Domine, *iudica causam tuam, & sustinentem te sustine, protege, robora, consolare. Scis enim quod nusquam virtute mea, sed tua confisus, tantillus aggredior tantam causam.*

Verum talia mihi supplicanti diutius & anxius deprecanti, ecce nuper in cuiusdam noctis silentio, postquam coram Domino *præcordia mea fudi, soporatus didici & inueni, quod ipse est qui post tempestatem facit tranquillum, & post lachrymationem exultationem infundit, ac omnibus inuocantibus eum veraciter prope adest. Videbar nempe mihi videre diurno lumine circumfuso, me multum supra terram in aera* || subleuari, *sicque ab Oriente versus partes occiduas ascendendo intrepidum proficisci: quodque* Pelagius *veniens ex aduerso, apprehensa*

sinistra

Margin notes: Iob. 21. — || assumere — Psal. 61. — || huc aduenerit in præcipitium relabatur — || eloges — Isa. 26. — Thob. 3. — || subleuatum

ſiniſtra mea conſertiſque digitis, tota me violentia ad terram detrahere conabatur; cui & proprij roboris accinctus fiducia plurimum reluctabar, taliſque lucta non mediocriter anxia diutius perdurauit: ſed & Pelagio continuè præualente, & me pœnè ad infima detrahente, ipſe in meipſo reſponſum deſperationis accepi: tota tamen virtute 2. Cor. 1. *renitens ad diuinum confugi auxilium toto corde, ſtatimque Pelagius ſoluta manu præceps detruditur, &* || fracta *ceruice corruit ſuper ter-* || præcedente *ram, clauſiſque oculis mortuus iacuit reſupinus. Ego autem ſuper terram remanſi in aere aſcendens & progrediens ſicut ante gratulando iucundius & mirando. Hinc ergo ſpiritu fortitudinis confortatus, ſpem hauſi, quod de ſuperbo Pelagio Principe Pelagianorum peſtifero (quare & de vniuerſo eius exercitu) Chriſti paruulus triumpharem: non autem ego, ſed gratia eius mecum; me tamen cum ea pro viribus laborante. Non enim mea eſt cauſa, nec meum eſt bellum; ſed Dei, Domini ſcientiarum, exercituum, & virtutum, ego autem [ſub ipſo] ſuſtineo partem eius. A quorum igitur vultibus, à quorum inſultibus, à quorum furoribus aut terroribus trepidabo, tanti Patroni protectione tutiſſima communitus? Quamobrem qui eſt Domini, iungatur mihi; imò non mihi, ſed ambo Domino coniungamur, ſtemus ſimul, quis contra nos? Scio enim quod vnus, cum quo eſt Dominus, mille aduerſarios perſequetur, & duo decem millia effugabunt.*

Porro, ſicut antiqui Pelagiani ventoſo nomine ſæcularium ſcientiarum inflati Conſiſtorium Theologicum contemnentes Philoſophicum flagitabant: ita & moderni. Audiui namque quoſdam aduocatos Pelagij, licet multum prouectos in ſacris apicibus, affirmantes Pelagium nuſquam potuiſſe conuinci per naturalem & || philoſophicam *ratio-* || phyſicam *nem; ſed vix arguebátur vtcunque per quaſdam auctoritates Theologicas ſatis nudas, maximè autem per auctoritatem Eccleſiæ, quæ Satrapis non placebat. Quapropter per rationes & auctoritates philoſophicas ipſos diſpoſui reformare. Et quia inſuper omnes Pelagiani communiter, tam veteres quàm recentes, Scripturas Canonicas & Catholicorum Doctorum, ad ſuæ peruerſitatis perniciem peruertere ſatagunt, ipſarum intelligentiam ſolidam elucidandam ſincerius arbitrabar. Et quia in immoderata multitudine venientes partem Dei conantur opprimere, & multa teſtium Dei turba ipſos reprimere ſtatuebam, ne & ipſe contra tot belluas videar ſingularis, præſertim in cauſa tam ancipiti & ſublimi. Et quis effecerit iſta paucis? Quot namque voluminibus*

 ſancti

Sancti Patres syluam Pelagianarum hæresium succiderunt. Et quot adhuc propagines venenosæ, de antiquis radicibus multiplicius pullulant & succrescunt? Sicut enim antiquitus, sic & modo. Primo namque horum Hæresiarcha Lucifero, nolente Deo subesse, sed coesse, per Michaelem deiecto, surrexit Caim, existimans peccatorem nequaquam iustificari gratis à Deo per gratiam gratis datam; sed per meritum antecedens; quo diuina vltione prostrato surrexit Nembrot, qui, Iosepho recitante, suadebat hominibus, vt nequaquam Deo ascriberent, quod ipsis fœlicitas eueniret; sed quod hæc eis virtute propria præberetur, & vt spem suam in propria virtute reponerent, non in Deo. Multitudo etiam prona erat, vt eius præceptionibus obedirent; obsequi Deo, graue seruitium reputantes. Sicque homines à Dei reuocauit timore, fecitque elatos, ad Dei iniuriam & contemptum atque ad tyrannidem adducebat. Cuius præsumptione sacrilega per Abraham Patriarcham retusa, surrexerunt illi vaniloqui & magniloqui arbitrantes labia & sermones sibi à se esse, quare & Deum habere dominum dedignantes. Horum & filij Sadducæi, teste Iosepho, affirmare videntur, quod bonum & malum hominum electioni proponitur, & vnumquemque ex voluntate propria sine Deo eligere hoc, vel illud. Quibus & per Prophetam correptis, surrexerunt quidam Hebræi, Græci, & Romani Christiani, qui dicerent se meritis suis fidei gratiam suscepisse, quibus & per Apostolum redargutis, surrexit Pelagius Brito, qui contra Dei gratiam, & eius auxilium superba bella commouit: Quo per patres Catholicos condemnato, Iulianus & Celestius eandem hæresim renouarunt; quæ & per Patres orthodoxos extincta, à Caßiano iterum suscitatur, quam & Prosper prosperè castigauit. Verum & circa idem tempus cœpit eadem hæresis in Britannia latißimè pullulare. Propter quam (venerabili Beda in Ecclesiastica Historia Gentis Anglorũ, & Henrico Huntindon in Historia Anglorum, narrantibus) Germanus Antisiodorensis, & Lupus Trecassensis Episcopi, licet dæmonibus sæuißimam tempestatem in mari concitantibus, Oceanum transfretarunt, ipsamq; argumentationibus nedũ vocalibus, verũetiã realibus, miraculis scil patulis, strenuè cõuulserũt. Sed ecce post paululũ, præcisæ iam hæresis virgulta pestifera denuo reuirescũt, sicut ijdẽ Chronographi cõscripserũt, quæ & idẽ Germanus & Seuerus || Treuerẽsis *Episc. in Britan. veniẽtes recidere denuo curauerũt. Adhuc ante et post volumina tẽporũ Scotiã reliquiis pestis huius infectã sedis Romanæ solertia, epistolis salutaribus expurgauit,*

Rom. 3.

Antiq. l. 1. cap. 3.

Ioseph. lib. Antiq. 1. c. 5.
Psal. 11.

Lib. de bello Iudaico 2.

Epist. ad Romanos.

Beda l. 1. c. 17.
Huntingd. l. 2. c. 6.

Beda l. 1. c. 21.
Hunt. l. 2. c. 7.
|| Turonensis

purgauit, eodem venerabili Beda teste. Horum & meminit S. Prosper, & licet hæc ficus fatua toties sit præcisa, toties eradicata, toties combusta, incinerata & vsque ad nihilum conculcata, quam late tamen & dense adhuc non desinit germinare, & sua vitulamina vitiosa, quanto subtilius solito, tanto periculosius propagare? Lib. 1. c. 19. In lib. prædicto c. 27.

Zelo igitur zelans pro causa Dei, sciens in flammam terribilem manum mitto, Non enim ignoro quomodo Pelagiani pestiferi animo æstuanti tumultuosis clamoribus oblatrabunt, & dentibus efferatis chartulam istam || lacerare *molientur: & hij præ cæteris solent liberius carpere aliena, qui nihil proprium ediderunt. Sed nonne, Josepho referente, propter hanc causam Chaldæi & Mesopotamitæ contra Abraham consurgebant? Nonne & antiqui veri Prophetæ, propter causam Dei à Pseudo-prophetis, quamplurima sunt perpessi? Nonne & quidam indocti, Paulum doctissimum insaniæ arguebant, eiusque præclaras Epistolas deprauabant? Nonne & Julianus alumnus Pelagij, gloriosissimo Augustino, imitatori Apostoli, & contra Pelagianos ingratos gratiæ strenuissimo defensori adhuc viuenti, quàm multis criminationibus* || obganniuit, *ac libros eius se ventilaturum, atque sententiarum suarum impietatẽ denudaturum & cõfossum iactauit? Nonne & alij Pelagii defensores in Galliis, Augustino de morte iam ad vitam translato, scripta eiusdem reprehendere præsumpserunt? Nonne & optimã Christi ac Patrum doctrinam sanctam facta & verba, multi multipliciter pessundabant? Et quis, aut qualis sum ego? Scio, quod non sum melior Patribus meis tantis, nec Domino meo maior. Verũtamen totis semper visceribus iustum desidero correptorem; non oleum peccatoris, qui misericorditer increpando, non personam, sed vitium* || persequatur; *non hominem, sed errorem. Hoc enim vellem, & puto me facere mihi ipsi, & aliis, Deo teste.*

|| lacessere
Antiq. l. 1.
Act. 26.
2. Petr. 3.
Contra Iul. l. 4. c. 18.
|| obgarriuit
3. Reg. 10.
Io. 13.
|| prosequ.

Amplius autem quicunque hanc vnam causam pertractare voluerit, necesse videtur, vt altius ordiendo, de cunctarum virtute causarum edisserat studiose: sed modulo meo pensato, admodum me deterret tam inaccessibilis rerum sublimitas, tam impenetrabilis rerum profunditas, tam impermeabilis rerum immensitas, & tam inextricabilis difficultas. Nonne apud Philosophos difficillimum reputatur, & ideo soli congruere sapienti, cognoscere causas rerum, quare & dicit Poeta;

Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas.

Indagare siquidẽ causas naturales entiũ & propinquas, difficultatẽ non modicã cõtinet & laborem: quãto magis totã vniuersitatẽ harũ causarũ,

Metaphys. l. 1. in Prolog.
Virgil. l. 2. Georg. in fin.

volatu

volatu mentis corruptela corporis aggrauatæ transcendere, & vsque ad impenetrabile penetrale causarum supernaturalium, altissimarum, inaccessibilium & inuisib.lium penetrare, ipsasque velut Nycticoracis oculo caligante perspicaciter intueri, ac alios similes similiter eleuare, ipsorumq; oculos depurare, vt & ipsi ipsas similiter contemplentur. Nonne & huic Theoriæ noscitur adiacere scrutinium de vniuersitate causarum, de vnica causa prima, de rerum productione, conseruatione & qualibet actione, de potentia, scientia, & voluntate diuina, de præscientia & prouidentia, de prædestinatione, electione, reprobatione & gratia, de fato, casu & fortuna, de libero arbitrio, merito & peccato, de necessitate seu contingentia futurorum, cum alijs ||anxietatibus dependentibus & emergentibus tot & tantis? || Hæc igitur theoria totius Logicæ, Physicæ, Astronomiæ, Ethicæ & Metaphysicæ seu diuinæ obsignatiora mysteria comprehendit; hic quoque omnium gentium & linguarum, graduum, sexuum, personarum disputatissimum est problema, à cuius ventilatione clamosa, nec etiam idiota se temperat, neque anus. Aduertat quæso vestra discretio quàm perfunctoriè omnes illi gloriosi Philosophi, tam laciuiosam hanc Musam, vix à limine salutarunt. Quare & ipsa Minerua, cuidam suo alumno de istis sollicite queritanti respondens; ad rem inquit, omnium maximam quæsitu me vocas, cui vix exhausti quicquam sit satis. Nonne & Prophetæ videntes clarissime horum quorundam excellentiam secretorum reuerberato intuitu, ipsa velut lippi & nescij, ac ideo queruli mirabãtur? An non ille, cui similis in terra non erat, vnum articulum paruulum diuinæ prouidentiæ non explicans, sed qureulose admirans, Sustinete, inquit, me, vt & ego loquar, & post mea, si videbitur, verba ridete. Nunquid contra hominem disputatio mea est, vt merito non debeam contristari? attendite me & obstupescite, & supponite digitum ori vestro, & ego quando recordatus fuero pertimesco, & concutit carnem meam tremor: quare ergo impij viuunt subleuati sunt confortatique diuitiis? Annon & ille secundum cor Dei inuentus, qui super omnes eum docentes, etiam super senes intelligere se gaudebat, zelans super prospera peccatorum, pedibus pœne motis effusisque gressibus concludebat, sine causa se iustificasse cor suum, & se inaniter castigasse, seque super hoc statim redarguens, quia sic Dei filios reprobaret, subiunxit, se existimasse cognoscere? sed hoc labor, donec Sanctuarium Dei intrans ibi intelligentiam consequatur. Annon & ille amabilis Dom. qui cunctos sapiẽtia præcedebat, quamplurimum

|| axiomatibus
|| Hoc igitur theorema.

Boetius de consol. Philosoph. lib. 4. prosa 6.

Iob 21.

quamplurimum queritur vniuersa iusto & impio æqualiter euenire, & hoc esse pessimum omnium asseuerat: immo quod iusti tanquam impij aduersitatibus quatiantur, & impij velut iusti prosperitatibus foueantur vanissimum iudicans, profitetur hominem etiam sapientem, nullam posse rationem attingere omnium operum diuinorum. An non & ille sanctificatus in vtero tam sublimis propheta, vt excelsus Domino vocaretur, mirabundus & querulus: Iustus, inquit, es Domine si disputem tecũ; veruntamen iusta loquar ad te, quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui præuaricantur, & iniquè agunt? Nonne & gloriosi Apostoli primitijs spiritus gloriantes, similia similiter mirabantur? Nonne ille vas electionis clarissimum, & secretarius Dei tantus, vt etiam in tertium cœlum raptus diuinorum fieret conscius arcanorum, quendam sinum huius abyssi scrutando, profunditate eius absorptus compellitur exclamare, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Nonne & ille Apostolici cœtus Princeps, Clauiger cœli, & Spiritu Sancto plenus affirmat Paulum secundum sapientiam sibi datam scripsisse Epistolas continẽtes quædã difficilia intellectu? Sed vbi, quæso, in totis illis Epistolis obstrusior difficultas, quam in materiæ huius fossis? Quot insuper & quam famosa studiorum gymnasia, quot & quã præclara Philosophorum ac Theologorum ingenia tantis retroactis temporibus, istud Chaos elaboratissimè ventilarunt, & quantũ effecerint, quantumq; posteris ventilandũ reliquerint, quis non videt? Plurima namq; ipsius contenta videntur nedũ non examinatissimè ventilata; verũ nec ad ventilabrũ triturata. Hic igitur Chaos Anaxagoræ infinitũ, hic inextricabilis Dædali Labyrinthus, hic Hydræ miraculũ mõstruosum: imo & monstruosior res quã Hydra. In ipsa nãq; vno capite amputato tria cõtinuò recreuerunt: hic autẽ & experientia & Pallade attestãte, vna dubitatione succisa innumerabiles aliæ renascuntur. Quis igitur tot & tam sinuosa rerum inuolucra breui volumine explicabit. Nonne & hic est locus, qui Lapsus Sapientiũ à sapientibus appellatur? Nonne & hic Charybdis & Scyllæ pericula cuilibet perhorrenda? Quot namq; Charybdim prætergredi cupientes, in Scyllam Laceram impegerunt? Et quot Scyllã vitare curantes in Charybdis voraginẽ inciderunt? Quis igitur præsũpserit se tutum per mediũ nauigare? sed scio quid faciã, illi me naui cõmittã, quæ perire non poterit, naui Petri. In ipsa namq; autor & magister vnicus noster Christus tutissimè residens, de ipsa legitur docuis-

Eccles. 8.
Ier. 22.
Rom. 11.
2. Pet. 3.
4. de Consol. Prosa sexta.
Auerr. sup. 12. Metaph. com. 41.

se mysticè nobis insinuans, quod apud ipsam Petri nauiculam, apud Romanam Ecclesiam, totius Christianæ doctrinæ autoritas & magisterium remaneret. Huius igitur tam authenticæ, tantæque magistræ iudicio me totum, meaq; omnia scripta, seu scribenda plenè subijcio, integreq; submitto; cuius & protectionem, vbi contra Dei inimicos pugnauero; correctionem, vbi errauero; approbationem, vbi rectè sensero, instantißimè postulo totis votis. Contra has quoque difficultates omnes & singulas, dulciter me confortat ille fortis adiutor, apud quem non est impoßibile neque difficile omne verbum. Scio namque, Domine Deus, scio, quod te sustinentes non despicis, non deseris, non relinquis; sed sustines, doces, foues, circundas, roboras & confirmas. Hac igitur fretus fiducia, sub inuictißimis signis tuis militaturus continuè accipio causam tuam.

Dignantibus autem opusculum istud inspicere, pro quotationibus textus Aristotelis, aduertendum, quod vbi Auerroes commentando exponit, quotatio sumitur secundum partitiones ipsius & particulas commentorum; alibi autem secundum diuisiones capitulorum apud alios consuetas.

CAPI-

CAPITVLA PRIMI LIBRI.

CAP. I.

PRimum præmittit duas ſuppoſitiones: quarum prima eſt, Deus eſt ſummè perfectus & ſummè bonus, in tantum quod nihil perfectius vel melius eſſe poteſt.

Secunda eſt, Nullus eſt proceſſus infinitus in entibus; ſed eſt in quolibet genere vnum primum.

COROLLARIVM.

I. Pars.

Habet Corollarium morale continens 40. partes, contra 40. errores, quarum prima eſt contra Protagoram dubitantem Deum eſſe.

II. *Contra Diagoram & inſipientem negantes Deum eſſe.*

III. *Contra dubitantes vel negantes Deum habere realiter, æquiualenter vel ſupereminenter omnem virtutem & quamlibet bonitatem, & vniuerſaliter quicquid melius eſt habere quàm non habere, omniuè modo omnimode bonum eſſe, & omnimodam bonitatem habere, quod melius eſt eſſe & habere, quam non eſſe, & non habere, ac omne vitium & malitiam non habere: & vniuerſaliter omne illud non habere, quod non habere eſt melius quam habere, aut aliquod habitum aliquo alio modo habere, quod non habere eſſet melius quam habere; aut quicquam fruſtra ſuperfluumuè habere: vel non ſemper eſſe ſummè felicem, beatum, actualem ſeu actum, ita quod nihil felicius, beatius, vel actualius eſſe poſſet.*

IIII. *Contra negantes Deum eſſe virtutis & bonitatis [cuiuſlibet] ſimpliciter infinitæ.*

V. *Contra dicentes Deum non plenè ſibi ſufficere, ſed alio indigere.*

VI. *Contra credentes Deum non neceſſario, ſed contingenter eſſe ſummè perfectum & Deum, ipſumq; eſſe mutabilem, iraſcibilem, placabilem, triſtabilem, lætabilem aut paſſibilem nouiter quacunque alia paſſione; opinantes quoque quod Deus ſit nomen accidentale & non eſſentiale ſimpliciter.*

VII. *Contra negantes Deum eſſe omnipotentem actiuè, & nullipotentem paſſiuè: id eſt, non poſſe ab alio quicquam pati.*

VIII. *Contra opinantes Deum non eſſe ſubſtantiam & potentiam rationalem, habentem intellectum & liberam voluntatem cognoſcentem actualiter & volentem; putantes quoque voluntatem diuinam non eſſe vniuerſaliter efficacem, id eſt, non impedibilem, non fruſtrabilem, non defectibilem vllo modo.*

IX. *Contra credentes Deum aliquid ignorare.*

X. *Contra fingentes Deum ex membris humanis, vel alijs ſeu quibuſcunque diuerſis componi, negantesque ipſum eſſe ſubſtantiam ſimpliciſſimam, impartibiliſſimam, nullam compoſitionem, partibilitatem, magnitudinemuè habentem, magnitudinem ſcilicet corporalem.*

XI. *Contra Zabios & ſapientes eorum Cœlum pro Deo colentes.*

XII. *Contra adoratores Solis vel Lunæ, Martis vel Iouis, cuiuſcunque ſigni cœleſtis, vel quorumcunq; ſignorum, & vniuerſaliter cuiuſlibet partis cœli.*

XIII. *Contra fabricantes ſibi Deos temporales, homines, animalia, arbores, ignem aut quamcunque rem talem.*

XIIII. *Contra nugatorios & nugaces, qui multitudinem oneroſam Deorum æqualium eiuſdem ſpeciei, ſeu naturæ adorant.*

XV. *Contra fingentes multos Deos æquales, natura ſeu ſpecie differentes.*

XVI *Contra ponentes confuſionem multorum Deorum inæqualis virtutis, & diſparis dignitatis, ſiue eiuſdem ſpeciei, ſiue diuerſæ.*

XVII. *Contra negantes Deum eſſe vnicum, & non plures, affirmanteſue eſſe poſsibile plures eſſe: negantesque neceſſe eſſe ſimpliciter eſſe vnicum & non plura, affirmanteſue eſſe poſsibile plura eſſe.*

XVIII. *Contra ponentes multa principia prima ſimpliciter contraria inuicem, quorum nullum reducatur ad aliud, nec omnia ad aliquod. Vnum illis commune: puta bonum & malum, ac conſe-*

quenter

quenter vlterius somniantes duos Deos huiusmodi siue plures.

XIX. *Contra Poetas mentientes Deum hominibus studiosis aut alijs inuidere.*

XX. *Contra fabricantes Deos inhonestos & turpes, comedentes, bibentes, mulieribus commiscentes, in rebus aut ludis inhonestis, turpibus, & Scenicis delectantes.*

XXI. *Contra Idololatras.*

XXII. *Contra Arrianos.*

XXIII. *Contra Donatistas.*

XXIIII. *Contra Sabellianos.*

XXV. *Contra non distinguentes, sed concedentes simpliciter Deum esse infinitæ virtutis & potentiæ infinitæ, etiam intensiue.*

XXVI. *Contra Pictores Dei ipsum varijs qualitatibus, attributis, habitibus vel actibus accidentalibus, & realiter diuersis ab eo, aut quibuslibet accidentibus accidenteue aliquo depingentes.*

XXVII. *Contra desperationem siue ex magnitudine, siue ex multitudine peccatorum.*

XXVIII. *Contra Cainitas credentes Deum nullum peccatorem ad gratiam reconciliationis admittere, nisi prius tantum vel amplius merendo satisfecerit, & satisfaciendo meruerit quantum deliquit.*

XXIX. *Contra Pelagianos seu Cainitas fingentes Deum nulli beneficium gratis dare; sed tantum pro suo merito præcedente.*

XXX. *Contra indoctos artis amandi, nescientes Deum esse propter seipsum amandum, & cætera propter Deum, omnesque actus humanos, ad ipsum propter se finaliter ordinandos, ipsumque esse super omnia diligendum: putantes quoque hominem, pro quantiscunque bonis lucrandis siue seruandis, aut quantiscunque malis pœnalibus habitis amouendis, siue non habitis præcauendis potentem ista non facere, non peccando debere saltem scienter quicquam etiam minimum facere, contra Deum, contra præceptionem, contra prohibitionem diuinam, ipsum vel leuissimè quomodolibet offendendo, contra conscientiæ regulam diuinitus institutam, vel quomodocunque quantumlibet minimum scienter peccare.*

XXXI. *Contra effranes dicentes omnia bonis & malis æqualiter euenire, malum aliquod impunitum, vel bonum aliquod irremuneratum manere: mentientesque Deum quenquam abundanter punire, scilicet vltra condignum vel etiam ad condignum, & parcè quempiam præmiare, scilicet citra condignum vel non vltra condignum; fingentes quoque diuinæ pietati & misericordæ infinitæ nusquam congruere punire quodcunque delictum; sed totum semper dimittere misericorditer impunitum.*

XXXII. *Contra Philosophos præsumentes se posse cognoscere Deum plenè, & eius quamlibet actionem; deridentes propterea Christianos credentes nonnulla de Deo, & de actionibus eius miris, de actionibus etiam creaturæ virtute diuina, quæ per viam rationis humanæ nesciunt demonstrare*

XXXIII. *Contra Philosophos negantes possibilitatem creationis, adnihilationis & recreationis.*

XXXIIII. *Contra Philosophos negantes possibilitatem creationis mundi.*

XXXV. *Contra Philosophos & hæreticos, negantes possibilitatem Conceptus & partus Virginis, dicentesque Christum nequaquam de sancta Maria semper Virgine natum esse.*

XXXVI. *Contra Epicureos & Sadduceos, dicentes spiritum nullum esse, immortalitatem quoque animæ rationalis irrationabiliter abnegantes: & contra Auerrois astruentem omnes homines vnicam animam rationalem habere.*

XXXVII. *Contra Philosophos negantes motum cœli & generationem hominum posse cessare, mortuos posse resurgere cum suis corporibus: bonos posse ad cœlos conscendere, & malos descendere ad inferna, & vtrosque posse sic viuere in æternum.*

XXXVIII. *Contra Philosophos & Hæreticos negantes meritum temporale posse rationabiliter præmiari præmio sempiterno, aut peccatum temporale posse iustè puniri pœna æterna.*

XXXIX. *Contra Philosophos & Hæreticos negantes resurrectionem mortuorum futuram ad vitam beatam vel miseram secundum differentiam meritorum: concedentesque ipsam esse futuram, siue statim post mortem, siue post spatium magni anni in corporibuss bestialibus, vel humanis, alienis vel proprijs ad vitam mundanam bestijs vel hominibus solitam temporalem, per consuetam periodum duraturam; credentesque vniuersaliter omnium mortuorum tam bonorum quàm malorum resurrectionem futuram ad vitam & beatitudinem sempiternam, & nullorum ad pœnam & miseriam sempiternam, putantes quoque bonos æternam beatitudinem possessuros, non tamen in Cœlo, malosque æternam miseriam habituros, non tamen in inferno: sed ambos in terra communiter permansuros: dicentes insuper corpora bonorum nequaquam ad meliorem, sinceriorem & cœlestiorem conditionem in futura beatitudine transformanda, aut immortalia tunc futura*

futura; sed in statu pristino remansura, corporaue malorum viuentia in æternis supplicijs æternaliter minime duratura; fingentes etiam impudenter fœlicitatem æternam bonorum futuram debere consistere in carnis voluptatibus consuetis, aut in aliquo alio seu quibuslibet alijs præter Deum.

XL. *Contra Aristotelem astruentem mundum non habuisse principium temporale, & non fuisse creatum, nec generationem hominum terminandam; neque mundum seu statum mundi præsentem vllo tempore finiendum. Contra Anaximandrum quoque Platonem, Anaxagoram, Empedoclem, & Maurorum vaniloquos circa idem.*

CAP. II.

Quod Deus est omnium aliorum necessarius conseruator: habet Corollarium habens tres partes.

COROLLARIVM.

I. *Quod nulla res creata sufficit aliam conseruare.*

II. *Est, quod necesse est Deum per se & immediatè seruare quamlibet creaturam.*

III. *Quod necesse est Deum seruare quamlibet creaturam immediatius quacunque causa creata.*

CAP. III.

Quod Deus est necessaria causa efficiens cuiuslibet rei factæ: habet Corollarium habens tres partes.

COROLLARIVM.

I. *Quod nulla res potest aliquid facere sine Deo.*

II. *Quod nulla res potest aliquid facere, nisi Deus per se & immediatè faciat illud idem.*

III. *Quod nulla res potest aliquid facere, nisi Deus faciat illud idem immediatius quolibet alio faciente.*

CAP. IV.

Quod qualibet creatura mouente, Deus necessariò commouet: habet Corollarium 4. partium.

COROLLARIVM.

I. *Quod nihil potest quicquam mouere sine Deo idem per se & propriè commouente.*

II. *Quod nihil potest quicquam mouere, sine Deo immediatè idem mouente.*

III. *Quod nihil potest quicquam mouere, sine Deo idem mouente immediatius alio motore quocunque.*

IV. *Quod nulla propositio tribuens quodcunque creatum cuicunque causæ secundæ est immediata simpliciter.*

CAP. V.

Quod Deus non est mutabilis vllo modo: habet Corollarium 5. partium.

COROLLARIVM.

I. *Quod Deus essentialiter & præsentialiter necessariò est vbique, nedum in mundo, & in eius partibus vniuersis.*

II. *Verum etiam extra mundum in situ seu vacuo imaginario infinito.*

III. *Vnde & immensus & incircumscriptus veraciter dici potest.*

IV. *Vnde & videtur patere responsio ad Gentilium & hæreticorum veteres quæstiones, Vbi est Deus tuus, &, Vbi Deus fuerat ante mundum?*

V. *Vnde & similiter clarè patet, quod vacuum à corpore potest esse, vacuum verò à Deo nequaquam.*

CAP. VI.

Quod Deus habet distinctam scientiam omnium. Habet Corollarium, Quod Deus habet distinctam scientiam omnium nedum præsentium, præteritorum & futurorum; verum & omnium possibilium & impossibilium, imaginabilium & cognoscibilium quouismodo, vnde & omnisciens, sicut & omnipotens veraciter dici potest.

CAP. VII.

Obijcit contra sextum, & soluit.

CAP. VIII.

Quod Deus habet volutionem & amorem communiter & specialiter ad quæcunque.

CAP. IX.

Quod voluntas diuina est causa efficiens cuiuslibet rei factæ, mouens seu motrix cuiuslibet motionis, ac vniuersaliter omnium amantissima genetrix, nutrix, & viuifica conseruatrix. Habet Corollarium, Quod omnia quæ facta fuerunt, facta fuerunt à voluntate diuina, & quæ facta erunt, facta erunt ab ea.

CAP.

CAP. X.

Quod voluntas diuina est vniuersaliter efficax, insuperabilis & necessaria in causando; non impedibilis nec frustrabilis vllo modo. Habet Corollarium, Quod ad Deum velle facere seu fieri quippiam per se, vel per aliud quodlibet quouismodo, necessariò sequitur illud fieri illo modo, nec modo nostro conando alias vires apponit, nec est in eo vltra intellectum dictantem & voluntatem consentientem alia virtus executiua ponenda; nec aliter se habet operans, quàm quiescens, & quod voluntas diuina est primum principium liberum.

CAP. XI.

Quod primum principium necessarium & verum incomplexum est Deus; & quod principium complexum primum simpliciter est de Deo: puta Deus est, Deus scit omnia, Deus vult omnia, vel aliquid simile.

CAP. XII.

Ostendit quale sit illud primum principium quia affirmatiuum, & quod sit illud quod Deus est, seu Deus est Deus.

CAP. XIII.

Ex istis quasi corollariè 12. partes infert.

I *Quod actus est simpliciter prior potentia.*
II *Quod esse est prius simpliciter quam non esse.*
III *Quod necessarium est prius possibili contradictionis.*
IV *Quod necessarium est prius impossibili.*
V *Quod pure necesse esse, seu pura necessitas, est prius simpliciter quolibet alio, ac radix prima, & fundamentum primarium omnium aliorum.*
VI *Quod principium primum complexum summe & pure necessarium est & firmum.*
VII *Quod necessarium nequaquam recte per possibile vel per impossibile definitur.*
VIII *Quod necesse esse, non potest simpliciter definiri.*
IX *Quod affirmatiua est prior qualibet negatiua, & quod qualibet negatiua vera reducitur ad aliam affirmatiuam priorem & causam veritatis illius.*
X *Quod prima causa cuiuslibet negationis vera est in Deo.*
XI *Quod Deus est prima causa cuiuscunque non esse.*
XII *Quod prima causa cuiuslibet impossibilitatis & repugnantiæ est in Deo.*

CAP. XIV.

Quod diuina voluntas est causa cuiuslibet futuri atque præteriti, quare ipsum est tale. Et habet Corollarium: Si Deus esse desineret, nihil esset præteritum nec futurum, verum nec falsum, possibile vel impossibile, necessarium vel contingens, nec etiam posset esse: ex quo & oppositum sequitur euidenter, viz. ipsum Deum, & sic aliquid præfuisse, esse & fore. O quam necessarium est hunc esse, quem tam impossibile est desinere vnquam esse, & quod Deum qualitercunque non esse, contradictionem necessariissime continet & importat: & quod necesse esse, videtur maxime proprium nomen Dei.

CAP. XV.

Quod res scitæ non sunt causæ diuinæ scientiæ.

CAP. XVI.

Contra quosdam dicentes quod res scitæ sunt causa sine qua non diuinæ scientiæ, sed non causa.

CAP. XVII.

Distinguit scita diuina, quia quædam præcedunt quodammodo eius scientiam, & quædam sequuntur: ostenditque hæc esse causam quoquo modo diuinæ scientiæ, illa nusquam. Et habet Corollarium, quod diuina scientia, quæ est notitia eius simplex, est vere causa cuiuslibet rei factæ, non solum causa sine qua non.

CAP. XVIII.

Distinguit diuinam scientiam in incomplexam quodammodo & complexam: distinguit similiter scibilia complexa in priora quodammodo & posteriora voluntate diuina: & ostendit quod priora sunt causa || quoquomodo *diuinæ scientiæ complexæ: posteriora vero nequaquam, sed quod Deus per voluntatem suam scit* || illa.

|| quodammodo
|| omnia

CAP. XIX.

Obijcit & respondet.

CAP.

CAP. XX.

Distinguit similiter voluta, in priora & posteriora voluntate diuina, & ostendit quod voluta posteriora, non sunt causa volutionis diuinæ, nec causa sine qua non ; & quod voluta priora sunt aliqua causa eius.

CAP. XXI.

Obijcit & respondet, distinguitque rationabile & iustum per prius voluntate diuina, per posterius & per mixtum.

CAP. XXII.

Quod Deus habet volutionem vel nolutionem actualem distinctam contra obiectum quodlibet voluntatis. Et habet Corollarium quod Deus vult omne verum, & non vult positiuè, seu respuit omne falsum. 2. Quod si Deus vult aliquod antecedens, vult quodlibet eius consequens, & non vult positiuè omne sibi repugnans. 3. Quod quorumlibet repugnantium vnius habet velle, alterius vero nolle. Quod ad Deum velle quodcunque consequitur ipsum nolle eius oppositum ; & è contra, quod ad Deum non velle quodcunque affirmatiue vel negatiue significatum, consequitur ipsum oppositum eius velle. Quod ad Deum non nolle quodcunque consequitur ipsum oppositum eius nolle. Quod ad Deum nolle positiuè quodcunque consequitur ipsum nolle idem etiam priuatiue, & similiter è conuerso quod quicquid qualitercunque est, Deus vult illud sic esse ; & quicquid qualitercunque non est, Deus non vult illud sic esse.

CAP. XXIII.

Quod tam scientia Dei quam eius voluntas immutabilis est omnino : Et habet Corollarium, quod Deus nullum nouiter diligit neque odit, nec magis aut minus vna vice quam alia, nec preces aut quæcunque merita bona, vel mala flectunt aut mutant voluntatem diuinam in minimo, huc vel illuc ; & quod omne saluandum, aut damnandum, præmiandum vel puniendum sub quocunque gradu voluit ab æterno saluari, vel damnari, præmiari similiter vel puniri sub eodem gradu præcise ; & hoc nedum voluntate conditionali, aut indeterminata, sed ita absoluta & determinata, sicut vult in præsenti vel finali iudicio, aut post volet.

CAP. XXIIII.

Obijcit contra immutabilitatem diuinæ scientiæ & respondet.

CAP. XXV.

Obijcit contra immutabilitatem diuinæ voluntatis & soluit.

CAP. XXVI.

Quod tota vniuersitas rerum est bona, & nulla res per se mala : Et habet Corollarium, quod bonum, & per se malum, seu bonitas & pura malitia non sunt contraria, sed opposita priuatiuè.

CAP. XXVII.

Quod omnia à prouidentia diuina eueniunt.

CAP. XXVIII.

De Fato.

CAP. XXIX.

De casu & fortuna.

CAP. XXX.

Quod res voluntariæ diuinæ prouidentiæ legibus gubernantur.

CAP. XXXI.

Quod actiones voluntariæ diuinæ prouidentiæ supponuntur.

CAP. XXXII.

Quod omnia proueniant à Dei prouidentia actualiter disponente, non solummodo permittente.

CAP. XXXIII.

Quod respectu cuiuscunque est Dei permissio, est & eius volutio actualis.

CAP. XXXIV.

Si, & quomodo, Deus vult, & non vult peccatum.

CAP. XXXV.

Contra Pelagium quod gratia gratis datur à Deo, non præcedentibus meritis comparatur : Et habet Corollarium, contra Cassianum mediantem, dicendo Deum dare quibusdam gratiam suam gratis absque merito præcedenti : quibusdam vero non nisi prius ipsam recipere mereantur ; quare & quod nullus seruus peccati mortalis potest proprijs tantum viribus liberari.

CAP. XXXVI.

Contra Procuratores Pelagij asserentes, quod etsi merita non sint causa collationis gratiæ principalis : sunt tamen causa sine qua non confertur.

CAP. XXXVII

Contra quosdam Pelagianos dicentes hominem posse ex se tantum debitè præparare ; quod si faciat, Deus dabit sibi gratiam suam gratis.

Capitula Primi Libri.

CAP. XXXVIII.

Contra quosdam Pelagianos dicentes, quod Deus præuenit hominem in gratiæ collatione pulsando, & homo ipsam acceptionem gratiæ aperiendo & consentiendo, ex se tamen pulsanti, & sic ipsam quodammodo promerendo.

CAP. XXXIX.

Contra quosdam putantes hominem ex se tantum posse mereri primam gratiam de congruo, non de condigno. Et habet Corollarium contra quosdam alios recentissimos Pelagij defensores; fingentes, quod licet homo nullo modo possit primam gratiam promereri, potest tamen ipsam proprijs tantum viribus impetrare.

CAP. XL.

Quod gratia quæ est habitus gratis datus à Deo vna cum voluntate humana est causa efficiens proprie cuiuslibet boni & meritorij actus sui.

CAP. XLI.

Quod gratia prius naturaliter, quam voluntas humana efficiat actus bonos. Et habet Corollarium quod tam Deus, quam gratia eius creata efficit proprie prius naturaliter quemlibet actum bonum creaturæ rationalis, quàm ipsa; & quod Auctores dicentes Deum facere opera nostra bona, non excludunt, sed includunt Dei gratiam eadem || similiter facientem, dicentesque gratiam Dei facere opera nostra bona, non excludunt, sed includunt Deum eadem similiter operantem.

||simpliciter

CAP. XLII.

Quod Deus prius naturaliter efficit quemlibet actum bonum voluntatis creatæ, quàm gratia. Et habet Corollarium, quod Deus, & Spiritus Sanctus, dicitur quoquo modo charitas, & gratia, qua chare & gratis nedum Deus diligit se & hominem, verum etiam qua homo similiter diligit Deum & proximum.

CAP. XLIII.

De pœnitentia salutari secundum opiniones diuersas, & de clauium potestate. Et habet Corollarium quod illud est prius secundum naturam, siue prius naturaliter alio, quod est causa illius quod aliquid à quo ad aliud tenet consequentia subsistendi, & non è contra est prius illo secundum naturam. Quare & quod non omne à quo non conuertitur consequentia subsistendi est prius secundum naturam, sed secundum superioritatem seu vniuersalitatem secundum consequentiam, siue secundum quemlibet alium talem modum, quod non quicquid est prius alio secundum naturam potest esse sine illo; nec etiam quicquid potest esse sine alio, & non è contra, est prius isto secundum naturam, sed secundum aliquem alium modum iam dictum: nisi fortassis prius secundum naturam dicatur æquiuoce tribus modis.

CAP. XLIV.

De Prædestinatione secundum quid nominis.

CAP. XLV.

Quod Prædestinatio realiter sit ponenda, quid sit, quot modis dicatur; quod non sit propter opera, sed secundum Dei gratuitam voluntatem. Et habet Corollarium quod nullus prædestinatur aut reprobatur propter opera quæ faceret si vlterius viueret; nec vllus saluatur propter opera vel damnatur.

CAP. XLVI.

Contra quosdam concedentes prædestinationem & reprobationem ad gloriam & ad pœnam: sed negantes has esse ad aliquos certos gradus. Et habet Corollarium quod omnes gradus gratiarum, meritorum, prosperitatum, aduersitatum, gloriæ siue penæ, in præsenti & in futuro similiter sunt prædestinati à Deo æternaliter & distincte.

CAP. XLVII.

Obijcit & respondet.

CAPI-

CAPITVLA SECVNDI LIBRI.

CAP. I.

QVod Liberum Arbitrium sit, & quid sit.

CAP. II.

De actu Liberi Arbitrij & eius obiecto. Et habet Corollarium quod non ideo dicitur Liberum Arbitrium, quia libere potest velle & nolle quodcunque, sed quia libere potest velle quodcunque obiectum suum volubile, & nolle quodcunque obiectum suum nolubile.

CAP. III.

Quod nulla causa inferior potest necessitare voluntatem creatam ad rationalem & liberum actum suum ad meritum propriè, vel peccatum. Et habet Corollarium, Quod voluntas creaturæ rationalis non est passiua tantummodo, sed actiua: & quod voluntas per causas secundas sufficientissimè dispsita ad agendum, potest vna vice non agere, & alias agere liberum actum suum: quare & quod bonis inæqualibus propositis voluntati: non necessariò volet maius: immò & proposito bono honesto, & malo inhonesto delectabili, tamen multum vel vtili, potest scienter bono illo neglecto eligere illud malum. Quare & quod cum recta ratione in intellectu, est error possibilis in affectu. Quod etiam appetitus irrationalis non necessitat hominem ad agendum; Quod corpora cœlestia non necessitant voluntatem; Quod Diabolus non necessitat voluntatem; & quod nulla tentatio necessitat voluntatem: Quod tamen purum malum voluntati ostensum ipsam necessitat ad non volendum & purum bonum ad non nolendum positiuè, id est, ad non odiendum ipsaué voluntas naturali necessitate necessariò hæc non potest, vbi etiam ostenditur consequenter quod fortè multum deceret, & plurimum expediret Theologis & perfectis catholicis Astrologiam & alias tales scientias non nescire.

CAP. IIII.

Quod Liberum Arbitrium tentatum, non potest proprijs viribus, sine Dei auxilio & eius gratia tentationem aliquam superare.

CAP. V.

Quod Liberum Arbitrium quantacunq; gratia creata suffultum sine alio Dei auxilio speciali non potest tentationem aliquam superare.

CAP. VI.

Quod illud Dei auxilium speciale, est voluntas eius inuicta.

CAP. VII.

Quod nullus non tentatus, solius Liberi Arbitrij viribus, sine gratia, vel cum gratia quantacunque creata absque alio Dei auxilio potest peccatum aliquod euitare. Et habet Corollarium, quod diuina voluntas, sicut tentatos à ruina conseruat: sic & non tentatos, tam à tentatione, quàm à peccato præseruat.

CAP. VIII.

De perseuerantia quid sit, & quod nullus viator quantacunque gratia creata subnixus, solius Liberi Arbitrij viribus, vel etiam cum adiutorio gratiæ possit perseuerare finaliter sine alio Dei auxilio speciali.

Et habet Corollarium, quod nullus viator solius Liberi Arbitrij vel gratiæ viribus aut amborum coniunctim sine alio Dei auxilio speciali potest perseuerare per aliquod tempus omnino.

CAP. IX.

Quod nec homo nec Angelus cum quantacunque gratia ante lapsum potuit perseuerare finaliter, vel ad tempus sine alio Dei auxilio speciali.

CAP. X.

Obijcit & respondet.

CAP. XI.

Quod perseuerantia non est aliquod donum Dei creatum à charitate & gratia realiter differens & distinctum.

Et habet Corollarium quod nomen Perseuerantiæ nullam rem absolutam essentialiter significat, sed accidentaliter & relatiuè, Charitatem videlicet siue iustitiam cum respectu futuræ permansionis continuè vsque in finem, & quod non improbabiliter posset dici perseuerantiam esse ipsam relationem huius.

CAP. XII.

Obijcit & respondet.

CAP. XIII.

Quod illud auxilium sine quo nullus perseuerat, & per quod quilibet perseuerat, est Spiritus Sanctus diuina bonitas & voluntas.

CAP. XIIII.

Quod Perseuerantia gratis detur à Deo, non meritis comparetur.

CAP. XV.

* bonorum *De Perseuerantia sempiterna de confirmatione videlicet * beatorum & causa ipsius, quod ipsa est æterna charitas Dei voluntas.*

CAP. XVI.

De Perseuerantia sempiterna, seu obstinatione malorum in malo, & causa ipsius.

CAP. XVII.

Quod nulla creatura rationalis potest confirmari vel obstinari immutabiliter per naturam.

Et habet Corollarium, quod nulla creatura rationalis est aut esse potest immutabilis, inuertibilis aut impeccabilis per naturam.

CAP. XVIII.

Contra quosdam dicentes actum Liberi Arbitrij nihil esse.

CAP. XIX.

Obijcit & respondet.

CAP. XX.

Quod cuiuslibet actus voluntatis creatæ, Deus est necessarius coeffector.

Et habet Corollarium, quod quicquid effecerit voluntas creata, necesse est vt & illud coefficiat increata, & quicquid operata fuerit voluntas angelica, vel humana, necesse est, vt & illud cooperetur diuina; & quod omnem actum voluntatis creatæ totum efficit voluntas creata, & totum similiter increata.

CAP. XXI.

Recitat sex falsas responsiones quarum prima dicit, quod ideo solum Deus dicitur facere omnẽ actum voluntatis creatæ quia facit omnem voluntatem creatam, quæ sola verè & propriè efficit suum actum: Secunda, quod Deus ideo dicitur facere actum bonum voluntatis creatæ, quia facit charitatem seu gratiam effectricem illius: Tertia, quod Deus conseruat voluntatem: Quarta, quod Deus facit obiectum & omnia mouentia voluntatem: Quinta, quod permittit: Sexta, quod Deus efficit propriè omnem actum bonum voluntatis, sed penitus nullum malum & corrigit ipsas generaliter & coniunctim.

CAP. XXII.

Specialiter corrigit primam harum.

CAP. XXIII.

Secundam.

CAP. XXIIII.

Tertiam.

CAP. XXV.

Quartam.

CAP. XXVI.

Quintam.

CAP. XXVII.

Sextam.

CAP. XXVIII.

Obijcit contra vigesimum & respondet.

CAP. XXIX.

Quod voluntas increata & creata, in coefficiendo actum voluntatis creatæ non sunt coæquales, nec coequauæ in ordine naturali.

CAP. XXX.

Quod in omni actione communi voluntatum increatæ & creatæ, increata creatam naturaliter antecedit.

Et

Et habet triplex porismata; vnum naturale, qd. est in omni causatione comuni Deo & causæ secundæ, Deum causare prius naturaliter quã causam 2am. aliud Theologicũ Deum videlicet conditionaliter nihil velle: 3am. Logicũ, nullam scilicet propositionem tribuentẽ quamcunq. causationẽ cuicunq. causæ inferiori & posteriori voluntate diuina, seu aliud quicquam positiuum inferius cuicunq. sub Deo esse de primo simpliciter, nisi fortaßis propositio dicatur de primo simpliciter ratione primitatis subiecti, non causæ, plurimæ tamen tales secundum quid & in certo genere sunt de primo.

CAP. XXXI.

Obijcit & respondet:

Et habet Corollarium notabile quod sacra Theologia pium & prudentem lectorem requirit.

CAP. XXXII.

Quod in omni non actione Deo & creaturæ communi prius naturaliter est, Deum ibi non agere, quã ipsam: idem, quia Deus certam actionem per creaturam non agit, ideo creatura illam non agit; & non è contra.

CAP. XXXIII.

Obijcit & respondet:

Et habet Corollarium nedum videlicet entia ad suum esse verũ; & non entia ad suum non esse Deo necessario indigere; Deum quoq. non solum super entia, sed & super non entia tenere dignißimè principatum.

CAP. XXXIIII.

Per præmissa allicit homines ad timorem & amorem, ad confidentiam, ad patientiam & humilitatem ad orationem, & ad gratias referendas:

Et habet Corollarium multiplex omnibus gratis gratum.

CAPITVLA TERTII LIBRI.

CAP. I.

QVod Deus potest necesitare quodammodo omnem voluntatem creatam ad liberum actum suum & ad liberam cessationem & vacationem ab actu:

Et habet Corollarium, quod aliqualis necesitas & libertas ac meritum, casusq. & fortuna inuicem non repugnant, de fati quoq. præscientiæ prædestinationis & gratiæ, cum Libero Arbitrio ac merito concordia generali.

CAP. II.

Quod Deus quodammodo necesitat quamlibet voluntatem creatam ad quemlibet liberum actum suum, & ad quamlibet liberam cessationem ac vacationem ab actu, & hoc necesitate naturaliter præcedente:

Et habet Corollarium, quod aliqualis necesitas antecedens & libertas ac mertum non repugnant; & quod nulla causa inferior, sed tantum superior, scilicet Dei voluntas est necesitas antecedens respectu sui effectus: & quod omnia quæ sunt, fiunt, & eueniunt de aliqua necesitate ipsam naturalituraliter præcedente.

CAP. III.

De contingente ad vtrumlibet secundum opiniones diuersas, & quod ipsum est.

CAP. IIII.

Quid sit contingens ad vtrumlibet:

Et habet Corollarium, quid sit libertas cõtradictionis, & quis sit actus liber libertate contradictionis.

CAP. V.

Quasi Corollarie ex præmissis 13. partes infert.

Prima est, quod propositiones de contingenti æqualiter conuertuntur per oppositas qualitates.

II. *Quod aliqua consequentia bona non est necessaria simpliciter, neq. vt nunc, sed contingens æqualiter.*

III. *Quod aliqua causa indeterminata, scilicet non prædeterminata ad agendum agit.*

IIII. *Quod omnis & solus actus liber libertate contradictionis est contingens æqualiter.*

Quod

V. *Quod omne & solum contingens æqualiter est actus liber libertate contradictionis.*
VI. *Quod contingentia ad vtrumlibet & necessitas non repugnant.*
VII. *Quod contingentia dicitur propriè respectu præsentis.*
VIII. *Quod libertas dicitur propriè respectu præsentis.*
IX. *Quod nullus actus creaturæ est simpliciter contingens æqualiter, sed tantum indeterminato genere, puta respectu causarum inferiorum.*
X. *Quod nullus actus creaturæ est liber simpliciter libertate contradictionis, sed secundum quid tantum, scilicet respectu causarum omnium secundarum.*
XI. *Quod solus actus voluntatis diuinæ ad extra, est simpliciter contingens æqualiter.*
XII. *Quod solus actus Voluntatis diuinæ ad extra est liber simpliciter libertate contradictionis.*
XIII. *Quod prima & summa libertas contradictionis, similis quoque contingentia ad vtrumlibet est in volũtate diuina; & qd. hæ sunt causæ similis libertatis & contingentiæ in alijs vniuersis.*

CAP. VI.

Obijcit & respondet.

CAP. VII.

Mouet quæstionem, nunquid aliquid sit in potestate voluntatis creatæ; & ponit vnam responsionem & corrigit.

CAP. VIII.

Recitat alias 6. responsiunculas & emendat.

CAP. IX.

Respondet.

CAP. X.

Distinguit de necessitate & libertate:
Et habet Corollariũ quod necessitas & libertas ac meritum non repugnant ad inuicẽ, vel repugnant.

CAP. XI.

Obijcit & respondet:
Et habet corollarium, qualis sit libertas in irrationabilibus creaturis, & quomodo differt & conuenit cum rationalium libertatte.

CAP. XII.

Incipit disputare illam famosissimam quæstionem, nunquid omnia quæ euenient, de necessitate euenient, & recitat opinionem Mathematicorum, seu Stoicorum dicentem, quod omnia quæ euenient, euenient de necessitate simpliciter absoluta.

CAP. XIII.

Tractat opinionem Ciceronis, dicentem Deum nescire futura.

CAP. XIIII.

Tractat opinionem dicentem, quod multa sunt futura in natura sua, sed non apud Deum.

CAP. XV.

Recitat quartam opinionem Sophistarum dicentium nihil esse futurum.

CAP. XVI.

Refellit quintam opinionem Megaricorum, negantium omnem potentiam ad futura.

CAP. XVII.

Corrigit sextam opinionem quorundam, putantium quod aliquid est futurum ad vtrumlibet vel non futurum in sensu composito, non diuiso.

CAP. XVIII.

Rectificat septimam opinionem dicentem, quod aliquid potest incipere esse futurum.

CAP. XIX.

Castigat octauam & nonam opiniones, credentes nulla inferioris mundi sub diuina prouidentia contineri, & quod nulla voluntaria seu libera per Dei prouidentiam disponantur.

CAP. XX.

Corrigit decimam opinionem quod Deus non habet volutionem, respectu alicuius effectus mundi inferioris, & vndecimam quod non vult aliquem effectum voluntarium, seu liberum.

CAP. XXI.

Refellit duodecimam opinionem, putantem quod nulla inferiora fiant à Deo, & decimam tertiam æstimantem, quod nulla voluntaria seu libera, immediatè & propriè fiant ab eo.

CAP. XXII.

Castigat decimam quartam opinionem, quod Deus non vult aliquid libere futurum absolutè; sed tantum conditionaliter, & decimam quintam, quod nulla mala, sed tantum bona sunt absolute prouisa, voluta, aut facta a Deo.

CAP. XXIII.

Arguit decimam sextam opinionē, ponentem quod Deus non vult actum liberum creaturæ voluntate antecedente; sed tantummodo consequente, & quod Deus cum creatura coefficit omne actum liberum creaturæ, sed posterius ordine naturali; & decimam septimam arbitrantem quod licet Deus semper de facto agat & præagat actum quemlibet creaturæ, est tamen absolutè possibile aliquam creaturam agere per se solam.

CAP. XXIIII.

Tractat decimam octauam opinionem, dicentem quod Deum velle & prauelle est in hominis potestate, & decimam nonam, quod est in hominis potestate facere aliquid, vnde sequitur Deum non velle, nec vnquam voluisse aut fore quod tamen nunc vult, & semper voluit ipsum fore, & vigesimam, quod quam primo voluntas diuina præuenit actum liberum voluntatis humanæ, tam primo potest humana in oppositum talis actus, & vigesimam primam, quod Deo volente hominem producere, a. actum futurum in.b. mensura, potest homo se prius ita disponere, quod Deus hoc tunc non velit, quare & quod tunc non habeat illum actum, & vigesimam secundam, quod voluntas diuina non est semper necessaria in agendo; sed defectibilis & frustrabilis aliqualiter, & vigesimam tertiam, quod voluntas diuina non est causa efficiens aliquorum, sed tantum consentiens intellectui diuino dictanti, & alia quædam virtus executiua & posterior in Deo, vel in causis secundis efficit res effectas, & vigesimam quartam, quod quanquam voluntas diuina coagat & præagat omnem actum voluntatis creatæ; hoc tamen facit tam debiliter influendo, quod nequaquam ipsam necessitat ad agendum.

CAP. XXV.

Tangit 25am. opinionem, fingentem Deum nō prouidere prædestinare velle, nec facere gradus actuum liberorū meritorum, aut etiam præmiorum, & 26am quod nullus actus est aliquid, & 27am. quod nullū non agere cessare, siue quiescere est à Deo, & 28am. quod res futuræ præscitæ, sunt præscientiæ Dei causa, & 29am. quod res futuræ præscitæ, sunt causa sine qua non diuinæ præsciētiæ, & 30am. quod Deus scit & præscit res secundū modum illarum, & 31am. Academicorū, qd. nullus potest rimari aut scire istud tā obstrusum naturæ miraculum, tā absconditū Dei arcanum, & 32am. qd. in omnibus rebus futuris, præsentibus atque præteritis, respectu scientiæ & voluntatis diuinæ, est semper contingentia ad vtrumlibet, & libertas, & nulla omnino necessitas.

CAP. XXVI.

Tractat opinionē 33am. famosiorem cæteris, quæ affirmat quod aliquid semper fuit futurum, & adhuc est futurū: non est tamen necessariū vllo modo illud vnquam fuisse, aut nunc esse futurum; & quod aliquid nunquam fuit futurum, nec nunc est futurum, & possibile possibilitate omni necessitate opposita est illud semper fuisse & nunc esse futurū, & de præscientia Dei correspondenter omnino de omni tamen præterito, vel præsenti dicit, qd. necesse est illud fuisse, & qd. necesse est Deum semper præsciuisse illud fuisse futurum, vel scire illud esse nunc præsens, quod etiam necesse est Deum scire illud esse præteritum, ac fuisse, & corripit eam super insufficientia responsionis, eò quòd non sufficienter difficultatem euacuat.

CAP. XXVII.

Respondet secundum sententiam Philosophorum & Theologorum, quod omnia futura euenient de quadam necessitate respectu causarum superiorum, non contraria, sed consentanea libertati.

CAP. XXVIII.

Recitat vnam glossam auctoritatum erroneam.

CAP. XXIX.

Obijcit & respondet.

CAP. XXX.

Arguit eam super falsitate hypothesis, per viam sumptam à necessitate & libertate voluntatis diuinæ, quæ semper necessario vniformis permanet, & æqualis.

CAP. XXXI.

Reuocat eandem per viam necessitatis & contingentiæ intellectus scientiæque diuinæ.

CAP. XXXII.

Reducit eandem per viam immutabilitatis voluntatis diuinæ.

CAP. XXXIII.

Mouet eandem per viam reuelationis in verbo, & ponit 6. responsiones concedentium reuelationum in verbo, & arguit grauiter contra illas.

CAP. XXXIIII.

Arguit specialiter contra primam.

CAP. XXXV.

Contra Secundam.

CAP.

CAP. XXXVI.
Contra tertiam.
CAP. XXXVII.
Contra quartam.
CAP. XXXVIII.
Contra quintam.
CAP. XXIX.
Contra sextam.
CAP. XL.
Corripit negantes reuelationem in verbo.
CAP. XLI.
Recitat diuersos modos secundum diuersos videndi in verbo, obijcitq; & soluit.
CAP. XLII.
Reducit adhuc opinionem trigesimam tertiam & eius hypothesim per viam reuelationis in proprio genere; & primo de Domino Iesu Christo, & recitat vnam responsionem dicentem, quod Christus potuit decipi, & refellit.
CAP. XLIII.
Tractat aliam responsionen
CAP. XLIIII.
Recitat tertiam responsionem.
CAP. XLV.
Ventilat quartam responsionem.
CAP. XLVI.
||primo *Contra eandem opinionem & hypothesim per viam reuelationis in* || proprio *genere, de puris creaturis scilicet Angelis.*
CAP. XLVII.
Contra eandem opinionem & hypothesim per eandem viam de puris hominibus.
CAP. XLVIII.
Recitat 4. Responsiones & corrigit.
CAP. XLIX.
Recitat duplicem opinionem, dicentem quod in futuris reuelatis est ordinata vel absoluta necessitas; in alijs verò nulla.
CAP. L.
Respondet secundum sententiã Philosophorum & Theologorum, quod Deus vult & scit necessariò, quicquid vult & scit necessitate sequente immutabilitatis, immobilitatis, stabilitatis, & ordinata non præcedente, & simpliciter absoluta, non naturali, violenta, aut inuita, non contraria, sed consentanea summæ & maximæ libertati:
Et habet Corollarium, qd. omnem actum volutionis & cognitionis diuinæ præsentem, necesse est necessitate sequente prædicta semper fuisse, & similiter semper fore; quare & quod omnia quæ præsentialiter sunt, fiunt, aut eueniunt, simili necessitate sunt, fiunt, & eueniunt in præsenti: & qd. omnia quæ euenient, simili necessitate euenient in futuro: immo & quod omnia quæ nunc fiunt, de aliqua necessitate præcedēte nunc fiunt; & quod omnia quæ eueniunt de aliqua necessitate præcedente euenient in futuro.
CAP. LI.
De æternitate:
Et hebet Corollarium, quod vnicum & idem est instans & immutabile penitus in tota æternitate, & quod tota æternitas non est multiplicior neq; maior suo instanti, nec instans æternitatis ipsa simplicius neq; minus, quare & quod idem est realiter æternitas & suũ instans: Amplius autem & quod his nequaquam obstantibus dicitur æternitas tota, magna, longa, etiam infinita, fuisse quoq; esse & fore, aliquid insuper in ipsa fuisse esse & fore; quamobrem & quod de Deo & actu eius intrinseco dicitur transumptiue fuit, est, & erit, de actionibus tamen eius extrinsecis propriè temporaliter dicitur fecit, & facit, & faciet.
CAP. LII.
Per viam æternitatis ostendit sententiam 50° prælibatam:
Et habet Corollarium 30. partium notandarum, obijcitq; & soluit.
CAP. LIII.
Contra promptulos accusatores, faciles iudices & præcipites damnatores; & ponit 36. capitula quæ sibi videntur erronea, implorans humiliter auctoritatem Ecclesiæ quatenus determinet veritatẽ.

THO-

THOMÆ DE BRADWARDINA
AD SVOS MERTONENSES,
EPISTOLA PRIOR.

Dilectis Fratribus & amicis, Custodi ac Scholaribus Aulæ de Merton in Oxon Spiritus Sanctus gratiam septiformen Aliquoties accidisse comperi, vt in rerum difficilium tractatione, aut insipientia relatoris auditorem corrumperet, aut temeritas auditoris relatorem infamaret. Quapropter æquè cauendũ mihi videtur, vt potissimum illic, vbi sine periculo aliud sentiri non potest, nec facile præsumamus asserere, nec aliena temerè dijudicare. Noui ego quanta, vt dicit B. Aug. somnia cor humanum pariat, atque eo iudicio quo in sui cognitione fallitur, cætera quoque quæ propter ipsum sunt, non rectè suspicatur. Quid enim hoc esse putàtis, quod de rerum veritate tam diuersa sentire solent homines? Nunquid non vna est veritas? Ecce, vt interim de Deo taceamus, quid est quod dialectica tot diuersas, & tam aduersas, ne dicam peruersas habet sententias. Nunquid non omnes nouerunt vnum id quod est, & amore fallendi diuersa finxerunt? Non sic ego puto, sed narrant quique somnia sua, & ea qua primum ipsi in se opinione decepti sunt, postmodum alios nescientes seducunt. Et sicut B. Iob amicis suis arrogantibus, & de se plusquam oportebat præsumentibus dicit, omnes iam non solum secum morituram, sed exortam quoq; à se sapientiam putant. Dignum ergo est vt id ipsum in nostra nos assertione veritatis, tot iam videmus esse diuersos. Quia enim de longe veritas videtur, iudicia parit, & tantum de ipsa potest quisq; quantum ipse est. In nobis quippe quod dierum cognitione percipimus, eo modo cordis intellectus de hijs quæ extra sunt ad veritatem iudicat, quo se interius animus in repræsentatione figurat. Vnde necesse est, vt dum mens interius prauè afficitur, intellectus quoq; in iudicio eorum quæ foris sunt decipiatur. Hæc ipsa est causa quæ etiam aliquando in

vnita-

vnitate ſenſuum, controuerſiã verborum generare ſolet: quæ tamen tunc veniale fit, cum pertinax non fuerit. Hanc igitur nos, qui Dei verbi tractatores & inquiſitores veritatis eſſe videmur, ſi inter nos forte, vt aſſolet, aliquando inuenimus, citius in id ipſum redeamus: ne ſi cœperimus noſtra dicta pertinaciter defendere, aliud putemur ſapuiſſe.

Illud quod de cauſa Dei contra Pelagium charitas veſtra à me quærere dignata eſt, iam pridem inter quoſdam ſapientes ventilatum fuiſſe didici: atque ex hijs quid ſenſerunt quibus magis credendum eſſe exiſtimamus tum alijs de ipſis, tum ipſis de ſe referentibus agnoui. Ego autem cum ſæpius hac materia pulſari ſoleam, talem me eſſe profiteor, qui nollem hinc aliquid ab omnibus vel tam curioſè ac ſuperſtitioſè inquiri, vel tam fidenter aſſeri. Vnde nunc quoq; gemina in hac re conſideratione coarctor, cum videam me & prudentiæ veſtrę debere ſilentium, & bonitati reſponſum. Inter hęc ipſa etiam rei difficultas occurrit, quę fortaſsis non poterit à me, ita vt decet compendioſe diſcuti, Cum ego ſi modum in dicendo tranſiero timeam ſuperſtitioſus videri; volo tamen & multo magis volo aliquando in parte inſcientiæ argui, quam charitatis contemptor videri; & verba incõpoſita habere, quam cor peruerſum. Valete ſemper in Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt via ducens à deuio, veritas firmans in promiſſo, & vita conformans in termino.

THO-

A

B

THOMAE BRADWARDINI

DE CAVSA DEI

LIBER I.

Cap. I.

C *Præmittit 2. suppositiones, quarum 1. est, Deus est summè perfectus & bonus, in tantum quod nihil perfectius, vel melius esse posset.*

2. Est, Nullus est processus infinitus in entibus, sed est in quolibet genere vnum primum.

D IN primis firmissimè supponatur, quod Deus est summè perfectus & bonus, in tantum, quod nihil perfectius vel melius esse posset. Hæc autem suppositio posset euidenter ostendi, ex magnitudine perfectionis & bonitatis ipsius, quæ est simpliciter infinita, sicut rationibus Philosophicis & Theologicis posset multipliciter demonstrari. Hanc etiam suppositionem testari videtur pater Philosophorum Hermogenes, siue Hermes, Mercurius triplex, Trismegistus triplex, in philosophia ter maximus, Rex Aegypti, Philosophus & Propheta, de Verbo æterno 34. dicens de Deo; Ipse totus est plenus atque perfectus: & infra 35. Ipse sanctus, & incorruptus, & sempiternus est, & si quid potest melius nuncupari: Deus enim summum bonum; quam & contestari videtur eius filius Aristot. in de Mundo 1 : .sic dicens: Potius æstimandum, quod & conueniens est & magis aptum Deo: & in alia translatione; Melius autem || *accipitur*, quod & melius est, & Deo maxime conueniens: Et 12. Met. 39. Deus est vnus, æternus, infinitæ ‖ acciderit
E nobilitatis. Et Boetius 3. de consolat. Philosoph. Prosa *10*. Deo nihil melius cogitari potest. Viginti quatuor etiam definitionum seu propositionum de Deo à 24. Philosophis editarum *5*. sic ait: Deus est quo nihil melius excogitari potest. Quibus etiam concordanter Anselmus Prosolog. 2. Credimus, inquit Deo, te esse aliquid quo nihil melius cogitari posit: Qui & Monologion *15*. Sicut, inquit, nefas est putare, quod substantia supremæ naturæ sit aliquid, quo melius sit aliquo modo non ipsum: sic necesse est, vt sit quicquid omnino melius est, quam non ipsum. Hoc etiam Richard. *1*. de Trinit. 20. sic testatur: Omnes quicquid optimum iudicant incunctanter Deo attribuunt. Et Augustinus 1. De doctr. Christian. *4* Omnes pro excellentia Dei certatim dimicant, nec quisquam inueniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes consentiunt Deum esse, quod cæteris rebus

bus omnibus anteponunt. Vnde & Propheta: Magnus, inquit, Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis, Psa. 144. A

Secundo supponatur ad præsens, quod nullus est processus infinitus in entibus, sed est in quolibet genere vnum primum. Hoc enim est alibi demonstratum, quod & ferè omnes Philosophi & verè omnes Theologi contestantur. Verùm ne tantas suppositiones, sine tantilla probatione improbabiliter supponere videar, ecce saltē breuis insinuatio vtriusque. Dicatur siquidem causa compendij *A* aliquid tam perfectum & bonum, quod nihil perfectius vel melius esse posset. Sumatur quoque possibile ad communem modum loquendi, vel si oporteat maxime absolutè, pro illo viz. quod per se & formaliter simpliciter contradictionem, seu repugnantiam non includit: Ex quo scilicet, posito & admisso pro possibili absolutè secundum speciem obligationum, quæ positio nominatur, nusquam in consequentia bona & formali simpliciter, sequitur impossibile absolutè, quod scilicet per se & formaliter simpliciter contradictionem includit. Omnis namque repugnantia contradictionem importat & parit. B Huiusmodi autem modus sumendi possibile & impossibile hinc fundatur, quia omne, vel est possibile, vel non possibile, quare & impossibile isto modo. Possibile igitur est *A*. esse, seu *A* potest esse, aut posset esse, quis non statim assentiat? Quisue hoc posito & admisso pro possibili absolutè, se non à contradictione defendat? Si autē possibile sit *A* esse aut si *A* potest, aut posset esse, *A* est, imo & necesse est *A* esse, & *A* est necesse esse, & hoc per se. Dicatur siquidem ad modum Philosophorum loquendi illud necesse esse, quod per se, & de se necessarium est esse. necessitate absoluta: quod scilicet non potuit, nec potest, nec poterit non ||opposité esse, & possibile esse || *opposito modo*, quod scilicet potuit, potest, aut poterit esse & non esse. Nam necesse esse perfectius est & melius, quam possibile esse, præsertim in bono perfecto & summè perfecto. Non enim posset recedi ab illo, nisi illud vel totaliter, vel partialiter irrecuperabiliter omittendo, quod nullus dubitat esse malum. Est quoque necesse esse in bono perfecto actus bonus perfectus completus in bono, & purus à potentialitate imperfecta C incompleta, & à corruptibilitate mala. Possibile vero esse priuationem huius actus puri, potentialitatem imperfectā, incompletam habilitatem ad malum, & corruptibilitatem importat. Nonne & esse forte & firmū, imò summè forte & firmū, præsertim in bono perfecto & summè perfecto, melius & perfectius iudicandum, quam esse debile & infirmum? quare & necesse esse, quàm possibile esse, quod & multis alijs rationibꝰ posset ostendi: sed cuius mens intrinsecùs non sentit? Cuius animus non consentit? Si quis autē ex abundanti testes desideret, ecce Arist. qui 9. Met. 13. & post diffuse dicit, & probat actum præcedere potentiā 3 modis; scilicet ratione, id est definitione; substantia, id est perfectione; & tempore, scilicet in indiuiduo generante: sed è contra in indiuiduo generato. Qui & infra 19. docens, quod in bonis actus est melior potētia, & in malis deterior, ita scribit: Melior & honorabilior studiosa potentia actus: necesse autem & in malis, finem & actum esse deteriorem potentia. Et supra 17. Sempiterna, inquit, priora substantia sunt corruptibilibus; est autem nihil potentia sempiternum. Ratio D vero hæc: omnis potentia similis contradictionis est, quod ergo possibile esse, contingit esse & non esse. Idem ergo possibile esse, & non esse; possibile vero non esse, contingit non esse, contingens autem non esse corruptibile est, aut simpliciter aut hoc ipsum quod dicitur contingere non esse. Nihil ergo incorruptibilium simpliciter, potentia ens simpliciter, nec eorum quæ ex necessitate sunt, & quidem ipsa prima. Nam si hoc non essent, nihil vtique essent: Vbi & videtur talem innuere rationem; Illud quod est per se, non dependens ab alio, prius natura, perfectiusq; est illo, quod non est per se, sed aliundè dependens: id quod est necesse esse est huiusmodi, respectu illius quod est possibile esse. Hunc & Auerroes sequitur in Cōment. quem & Auicenna secutus 1. Met. 6. dicit, quod necesse esse secundū se non habet causam, & quod est possibile esse, per se habet causam, & probat, quod necesse esse, non habet aliquid aliud sibi coæquale, nec aliquid prius eo: sed ipsum per se ipsum est primum omnium aliorum. Qui & infra octaui 6. dicit, quod necesse esse est perfectum, & plusquam perfectum. Si igitur *A* potest esse, potest esse *A*; quare & potest esse necesse esse, cum hoc sit perfectius & melius, quā possibile esse, potestq; esse necesse esse per se. Esse namq; bonū per se, est sufficientius, dignius, perfectius & melius, quam esse bonum per aliud, alio indigere, & ab alio dependere, sicut cuiuslibet animus iudicat, & memorati Philosophi contestantur. Et si potest esse necesse esse per se, est necesse esse: imò & necessariū est ipsum esse necesse esse (alias enim esset possibile esse) sed hoc est impossibile esse. Ponatur enim in esse; sicut est possibile, quod *A* sit necesse esse, & hoc per se, & sequitur quod nunquam potuit, potest, aut poterit non esse, cuius oppositū dicebatur. Quod etiam semel est possibile esse, semper est possibile esse; & quod semel est necesse esse per se, sēper est necesse esse. Quicquid enim semel per se & formaliter simpliciter

A pliciter nullam repugnantiam implicat, neque vnquam; & quicquid semel, & semper: Con-
secutio namque quæ semel est formalis simpliciter, semper sic fuit, & erit, quia est per se &
absolute necessaria; quare nunquam potest deficere consequendo. Et quæ aliquando non
est formalis simpliciter, nec vnquam fuit aut erit; quia si esset aliquando, esset & semper.
Cuius insuper animus concipit naturam de se possibilem verti in naturam de se necessariam,
vel è contra? Rursum paululum prælibandum, omne quod dicitur possibile, siue potens, per
aliquam potentiam hoc dicitur: & hoc vel per potentiam propriam, sicut res existens, habens
potentiam actiuam vel passiuam, vel per potentiam alienam; sicut non entia possibilia fore,
& effectus futuri dicuntur possibiles potentia actiuorum & passiuorum illorum, quia viz. hæc
possunt illos agere, illa pati. Quodlibet etiam quod dicitur possibile potentia alicuius passiui,
dicitur possibile potentia alicuius actiui: Quomodo namque potest possibile quicquam pa-
ti, quod nil potest agere? Aut quomodo potest effectus aliquis fieri, quem facere nihil potest?
B Et si quis quasi ad videndum solem facem requirit, sic ad istam veritatem per se notam testem
deposcat: Ecce Auerroes super 1. de Cœlo & Mundo comm. 124. qui dicit possibile non est
possibile, nisi in respectu agentis & patientis, & impossibile est imaginari aliquid esse pos-
sibile in respectu patientis, & impossibile in respectu agentis, quoniam continget, vt sit pati-
ens impossibile, & possibile impossibile. Omne ergo non ens, quod dicitur possibile siue po-
tens, sic dicitur per potentiam alicuius actiui. Si ergo *A* non est, & potest esse, per aliquam
potentiam potest esse, & non per potentiam propriam, cum nullam habeat; cum etiam nihil
omninò possit se facere & producere de non esse ad esse: Nam omne faciens aliquo modo
præcedit, saltem naturaliter, suum factum; sed nihil seipsum præcedit: cum insuper secun-
dum præmissa, omne non ens dictum possibile, sic dicatur per potentiam alicuius actiui, nec
A potest esse per potentiam alienam. Hoc enim secundum prius ostensa, esset per potentiam
alicuius actiui, quod posset facere *A*: sed nullum est tale, cum omne aliud ab *A* sit incompa-
C rabiliter minus *A* & impotens ipsum causare. Si etiam *A* causetur ab alio, non est *A* [Deus.]
Perfectius enim est esse per se sufficienter, omnino incausabiliter & independenter ab alio, &
summam & primam causam aliorum, quàm ab alio dependere, & alteri subijci vt effectus.
Non potest ergo *A* esse ab alio quouismodo, quod & posset ostendi per multas alias rationes.
Per nullam ergo potentiam potest *A* esse, cuius oppositum dicebatur Quare contradictionem
includit, *A* non esse, & posse esse; & verum est, & necessarium est *A* posse esse: falsum ergo
& impossibile est, *A* non esse. Quapropter verum & necessarium est *A* esse. Quamobrem
& verum est, & necessariū Deum esse: esse quoq; tam perfectum & bonum, quod nihil perfe-
ctius vel melius esse posset. Secunda vero suppositio sequitur ex hac prima: Sequitur enim ex
ipsa Deum esse primum & summum omnium entium; hoc vero notorio coassumpto,
quod esse primum & summum est perfectius & melius, quam esse posterius & inferius alio,
aut alteri coæquale. Si quis autem testem desideret, ecce Philosophus qui 2. de Cœlo &
D Mundo 34. testatur expresse, quod sursum est honorabilius & diuinius; quam deorsum: &
anterius, quam posterius. Qui & vna cum alijs Philosophis sæpè docet nusquam in eodem
genere plura principia coæqualia, & æquè prima simpliciter reperiri. Vnde & Apoc. 1. Ego
sum Α & Ω, principium & finis, primus & nouissimus.

Habet corollarium morale continens 40. *partes contra* 40. *errores; quarum prima est,* 1.
contra Protagoram dubitantem Deum esse.

EX hijs autem, quasi porismatice videntur multi multipliciter aberrantes pos-
se clarè reduci ad semitam veritatis, dum tamen ipsa dignetur pręcedere, si-
cut ductrix.
Ex hijs ergo certificetur Protagoras, qui sicut recitat Lactantius 1. Insti-
E tut. Diuinarum aduersus Gentes 1. Deos vocauit in dubium.

Contra Diagoram & insipientem negantes Deum esse. 2.

RESipiscat Diagoras, qui, sicut ibi similiter recitatur, postea Deos exclusit. Sapiat etiam ali-
quando insipiens, qui recitante Propheta, dixit insipide, Non est Deus.

Contra dubitantes vel negantes Deum habere realiter, æquiualenter, vel supereminenter 3.
omnem virtutem, & quamlibet bonitatem: & vniuersaliter quicquid melius est ha-

bere, quam non habere, omniue modo omnimode bonum esse, & omnimodam bonitatem habere, quod melius est esse & habere, quam non esse & non habere, ac omne vitium & malitiam non habere: & vniuersaliter omne illud non habere, quod non habere est melius quam habere, aut aliquod habitum aliquo alio modo habere, quod non habere esset melius quam habere, aut quicquam frustra superfluumue habere: vel non semper esse summè felicem, beatum, actualem seu actum, ita quod nihil felicius, beatius, vel actualius esse posset. A

PRoficiant Deum esse fatentes, sed dubitantes, vel negantes ipsum habere realiter, æquiualenter, vel supereminenter omnẽ virtutẽ & quamlibet bonitatem, & vniuersaliter quicquid est melius habere, quam non habere, omniuè modo omnimode bonum esse, & omnimodam bonitatem habere, quod melius est esse & habere, quam non esse, & non habere, ac omne B vitium & malitiam non habere: & vniuersaliter omne illud non habere, quod non habere est melius quã habere; aut aliquod habitum aliquo modo habere, quod non habere esset melius quàm habere: aut quicquam frustra superfluumue habere; vel non semper esse summè felicem, beatum, actualem, seu actum, ita quod nihil felicius, beatius vel actualius esse posset. Alias enim posset aliquid esse perfectius, melius, atque decentius, quam sit Deus, quod Suppositio prima vetat. Actualitas etiam summa Dei per hoc specialiter demonstratur, quod actus est melior & perfectior potentia, & præcipuè actus bonus potentia sua bona. Sicut ex ostensione primæ Suppositionis apparet. Et si aliqua potentia ponatur in Deo; illa de necessitate est bona, sicut docent priores particulæ huius partis. Nulla ergo potentialitas; sed summa actualitas est in Deo, sicut prima Suppositio clarè monstrat, quod & demonstratur similiter per proximam particulam huius partis. *Si* namque Deus sit summè beatus & felix, est summè actualis: Quis enim nesciat ista consistere non in habitu, sed in actu, quod & Philosophi manifestant. C

4. *Contra negantes Deum esse virtutis & bonitatis cuiuslibet simpliciter infinitæ.*

EXtendant se negantes Deum esse virtutis & bonitatis cuiuslibet simpliciter infinitæ. Si namque aliqua virtus eius aut bonitas esset tantum finita, posset augeri. Quare & Deo aliquid melius esse posset, quod Suppositio prima damnat. Hij etiam refelluntur clarissimè per proximam partem huius. Secundum hanc autem Dei virtutem & potentiam infinitam, & respectu ipsius iuxta prætacta superius de potentia existimo verum esse, quod Geometræ supponunt lineam rectam posse quantumlibet pertrahi in continuum & directum, & super centrum quodcumque spatium quantumlibet occupando circulum designare, vt patet primo Elementorum Euclidis: & Philosopi naturales mediũ posse quantumlibet subtiliari & simi- D lia: & vniuersaliter omne illud quod apud Logicos, seu quoslibet alios dicitur per se & absolutè possibile, quod scilicet per se contradictionem formaliter non includit, licet non sit possibile per naturam, per potentiam scilicet naturalem.

5 *Contra dicentes Deum non plenè sibi sufficere, sed alio indigere.*

APerientur dicentes Deum non plenè sibi sufficere; sed alio indigere. Hoc autem ex 2. partibus proximis, & ex prima Suppositione consequitur euidenter: Constat enim notoriè sufficientiam esse bonum. Quare & Philosophus in de Mundo 11. loquens de Deo, sic ait: Non eget artificio, aut alieno adminiculo, velut nostri Reges indigent cliẽtela propter impotentiam. Et 1. de Cœlo & Mundo 100. neque habet prauum nihil, neque indigens eorum, quæ ipsius bonorum vllo est. Quare & 24. Definitionum de Deo à totidem Philosophis editarum 11. dicit ita: Deus est semper existens, necessitate solus sibi abundanter sufficiens. E Quod & testatur Sadai vnum de nominibus Dei Hebraicis, quod, vt dicit Rabbi Mose de Duce dubiorum, siue neutrorum 61. Idem est quod sufficientia, eo quod non eget essentia alicuius entis, neque eget alio extra se ad firmitatem essentiæ suæ: sed sua essentia sufficit sibi. Ieronymus etiam in lingua Latina & Hebræa peritus ad Marcellam de 10. nominibus, quibus apud Hebræos Deus nominatur epistola 99. dicit, quod 10. horum nominum est Sadai, quod robustum & sufficientem ad omnia perpetranda accipere possumus.

6. *Contra credentes Deum non necessariò, sed contingenter esse summè perfectum & Deum, ipsumque esse mutabilem, irascibilem, placabilem, tristabilem, lætabilem aut passibilem*

A *sibilem nouiter quacunque alia passione; opinantes quoque quod Deus sit nomen accidentale, & non essentiale simpliciter.*

MVtentur credentes Deum non necessariò, sed contingenter esse summè perfectum & Deum, ipsumque esse mutabilem[nouiter]irascibilem, placabilem, tristabilem, lætabilem, atque passibilem, nouiter quacunque alia passione: opinantes quoque, quod Deus sit nomen accidentale, & non essentiale simpliciter. Quod autem Deus sit necessariò summè perfectus & Deus, ex prima Suppositione consequitur euidenter; cum perfectius & melius sit sic esse; quam contingenter, sicut patet ex præmissis in ostensione Suppositionis illius. Si insuper Deus non necessariò sit summè perfectus, & Deus, potest esse non talis: quod si ponatur reprobabitur & oppositum eius probabitur, sicut prima Suppositio probabatur. Quamobrem neque Deus est mutabilis quouismodo; quia non ad melius, cum sit summè bonus; nec ad B deterius, cum sit necessario summè bonus (sicut proximo demonstratur) neque ad æque bonum. Hoc enim superfluum videretur contra tertiam partem huius, nisi fortasis hoc faceret propter bonum proprium conseruandum, & tunc indigeret motu contra quintam partem, vel propter bonum creaturæ: & sic adhuc indigeret motu, nec ipse sibi sufficeret ad faciendum quod vellet. Si etiam Deus posset mutari ad bonum æquale, cur non ad minus? Si etiam Deus perdat temporaliter & adquirat aliquam bonitatem, non semper habet omnimodam bonitatem, præcipuè infinitam contra tertiam partem huius & quartam. Si insuper Deus esset mutabilis, esset potentialis, & non summè actualis, seu actus, contra vltimam particulam tertiæ partis huius. Ex his autem vlterius patenter infertur, quod Deus non est nomen accidentale, sed essentiale simpliciter: præsertim si imponatur ab illa summa perfectione & maxima bonitate: Alias enim Deus posset non esse Deus, atque mutari, contra 2. priores particulas huius partis.

C

Contra negantes Deum esse omnipotentem actiuè, & nullipotentem passiuè; id est, non posse ab alio quicquam pati. 7.

NEgentur, qui negant Deum esse omnipotentem actiuè, & nullipotentem pasiuè; id est, non posse ab alio quicquam pati. Quod enim sit omnipotens actiue tertia pars & quarta demonstrant: Constat enim quod potentia actiua est virtus quædam & bonum, nec potest pati ab alio; quia tunc esset mutabilis contra proximam, potestque eius impassibilitas, sicut & eius immutabilitas demonstrari.

Contra opinantes Deum non esse substantiam & potentiam rationalem, habentem intel- 8.
D *lectum & liberam voluntatem, cognoscentem actualiter & volentem: putantes quoque voluntatem diuinam non esse vniuersaliter efficacem, id est, non impedibilem, non frustrabilem, non defectibilem vllo modo.*

RAtiocinentur melius opinantes Deum non esse substantiam & potentiam rationalem, habentem intellectum & liberam voluntatem, cognoscentem actualiter & volentem; putantes quoque voluntatem diuinam non esse vniuersaliter efficacem, id est, non impedibilem, non frustrabilem, non defectibilem vllo modo. Patet namque ex prima Suppositione Deum esse, & esse substantiam, cum ipsa sit perfectior accidente, quare & substantiam atque potentiam rationalem; cum ipsa irrationali rationabiliter præferatur: quapropter & habentem intellectum & liberam voluntatem, quod & tertia pars ostendit; cognoscere quoque ac velle E actualiter, non tamen habitualiter, cum hoc sit perfectius, sicut & actus bonus potentia versus bonum. Voluntas quoque diuina est vniuersaliter efficax modo dicto. Hoc enim est perfectius, quàm quod esset impedibilis, frustrabilis, aut defectibilis vllo modo. Si etiam Deus quicquam vellet, & illud non haberet, nec fieret, non esset summè beatus & fœlix, sed miser, præsertim cum nihil velit, aut velle possit, nisi iustè per tertiam partem huius, quæ & beatificat ipsum summè. Quis enim nesciat fœlicitatem & beatitudinem esse bonum integrum & perfectum, beatiusque quoque esse, habere quodcunque iustè desideratum, seu volutum, quàm carere? Si namque propter vnius voluti non habitionem non esset quis minus beatus, nec propter non habitionem alterius, & eadem ratione adhuc vlterius, & sic deinceps, quare nec esset quis minus beatus, etsi omnibus & singulis volutis & desideratis careret. Sed cuius animus

mus ita sentit, nisi forsitan insensati? Quare & Philosophus 1. Ethic. 9. dicit fœlicitatem esse bonum per se sufficiens & perfectum. Boetius quoque 3. de consolat. Philosophiæ Prosa 2. dicit, quod beatitudo est bonum, quo quis adepto, nil vlterius desiderare queat, quod quidem est omnium summum bonorum, cunctaque bona intra se continens: cui si quid absforet, summum esse non posset, quoniam relinqueretur extrinsecus quod possit optari. Liquet ergo esse Beatitudinem statum bonorum omnium congregatione perfectum. Nonne etiam lætius, iucundius, & delectabilius est habere desiderata & voluta, quam ipsis inuitè carere? Quis hîc dissentit? cuius animus non sic sentit? in Beatitudine vero summa, summa lætitia, iucunditas & delectatio continetur. Deus autem est semper summè beatus per tertiam partem huius: quare nunquam aliquo voluto caret inuitè. Amplius autem quis nesciat optimè consequi; Si Deus potest hoc, & vult hoc, facit hoc, cum nihil deficiat requisitum, quod & Philosophia sæpe testatur? Quare & ex opposito, si Deus non facit hoc, & vult hoc, non potest hoc, aliquo possibili demonstrato: non est ergo omnipotens, sed impotens reputandus, contra 7. partem huius, quod & testatur 12. 24. Definitionum 24. Philosophorum de Deo, sic dicens: Deus est cuius voluntas est deificæ potentiæ.

9.

Contra credentes Deum aliquid ignorare.

IGnorentur credentes Deum aliquid ignorare. Tales autem videntur quidam Philosophi, & vulgares: apparet enim quibusdam, quod Aristoteles 12. Meta. 51. velit asserere Deum non cognoscere aliquid extra se; & quod Auerroes ibi in comment. 51. velit astruere Deum non cognoscere vilia, neque singularia, quibus & Auicenna 8. Metaphysicæ suæ 6. & Algazel. 3. Metaphysicæ suæ primo, sententia sexta consentire videntur. Cicero quoque de Diuinatione negat à Deo omnem præscientiam futurorum. De quorum similibus Iob. 22. recitatur hoc modo. Quid nouit Deus? & quasi per caliginem iudicat, nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & citra cardines cœli perambulat. Et Psalmo 72. Et dixerunt, quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso. Et infra Psa. 93. Et dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Sed hij omnes per tertiam partem & quartam faciliter corrigentur: Constat enim quod sapientia, scientia & discretio approbatiua, vel reprobatiua præclarissimæ sunt virtutes.

Item per partem proximam Deus cognoscit actualiter, & si aliquid cognoscit, maximè videtur quod seipsum cognoscat. Perfectius quoque videtur seipsum cognoscere, quam penitus ignorare. Quare secundum primam Suppositionem seipsum cognoscit. Quomodo etiam secundum tertiam partem huius est Deus summè beatus, si nullo modo sentiat, percipiat, aut sciat se esse beatum? Deus igitur seipsum cognoscit, & non imperfectè & diminutè propter secundam Suppositionem & tertiam partem & quartam. Cognoscit ergo se perfectè & summè perfectè, ita quod nihil perfectius posset cognoscere, vel cognosci. Cognoscit ergo se secundum suam essentiam, & secundum omnes suas conditiones, relationes & circumstantias vniuersas. Sed non est res aliqua qua Deus non sit prior, superior, melior atque perfectior, sicut Suppositio prima docet; cuius etiam Deus non sit causa, principium, & finis, sicut & Philosophi contestantur. Non est ergo res quam Deus non cognoscit propriè & distinctè; Hæc enim cognitio perfectior est confusa.

Item vel scit Deus quod est aliquid aliud præter ipsum, vel nescit: Si sciat & non confusè, cum scientia distincta actualior & perfectior sit cõfusa; distinctè ergo cognoscit aliquid extra ipsum, & qua ratione vnum & omnia per partem quartam præmissam: Si nesciat esse aliquid præter ipsum, hoc est mirabilius & absurdum; Posset enim tunc verisimiliter credere nihil esse penitus præter ipsum, quare & decipi turpiter & errare contra tertiam partem huius.

Item secundum præmissa Deus cognoscit perfectè seipsum; cognoscit ergo & se esse potentiæ infinitæ, omnipotentem & voluntatis vniuersaliter efficacis secundum quartam, septimam, & octauam partes præmissas. Scit ergo se posse facere, destruere & mouere aliquid extra ipsum. Quod si ponatur, tunc illud cognoscit; operatur enim non temerè sed scienter, & non nouit illud nouiter propter sextam partem: & quia prius sciuit se posse & velle sic facere, & ita se facturum: æternaliter ergo illud nouit, quare & quodlibet aliud simili ratione.

Item si Deus quædam vera nesciret, posset desiderare & velle scire illa; omnis enim rationalis natura naturaliter scire desiderat: quare & cum per partem proximam habeat voluntatem vniuersaliter efficacem, posset illa scire & non nouiter; quia tunc non semper esset actualissimus, scientissimus, perfectissimus, beatissimus, & immutabilis penitus contra tertiam partem & sextam: Necessariò ergo æternaliter omnia vera nouit.

Item

A Item quanquam aliquæ res ſunt viles, ſcientia tamen illarum eſt prætioſa & nobilis, ſicut teſtantur omnes Philoſophi naturales de animalibus, partibus, & de generatione animalium pertractantes; præſertim in eis qui per ſcientiam vilium non vileſcunt, vileſcereue non poſſunt. Deus autem teſte ſexta parte vilificari non poteſt: Ipſe ergo omnia perfectè & diſtinctè cognoſcit. Verum ſi quis ſubtilius conſiderare voluerit; inueniet, quod omnis natura, & res quælibet naturalis, & omnis eſſentia ſecundum illud quod eſt, bona eſt, & pulchra, ſicut & Philoſophi conteſtantur. Cur ergo non decet Deum bonum & pulchrum iſta cognoſcere? An fortè quia ſunt minus bona & pulchra quàm ipſe? Quomodo ergo [non] poteſt talia facere, & ſeruare, per eius omnipotentiam & efficaciſſimam voluntatem, ſecundum proximas partes huius? Quomodo etiam decet hominem, tam dignam naturam & nobilem cognoſcere viliora?

Item, quomodo poſſet Deus congruè remunerare ſuos cultores, & ſuos contemptores bo-
B nos & malos, ſi ipſorum merita ignoraret?

Item, cur fruſtra porrigimus preces [Domino] Deo, ſi illas audire non poſſit?

Amplius autem quis dubitat eſſe melius, ordinatius, atque decentius, vt Deus qui prima Suppoſitione probante (ſicut in oſtenſione ſecundæ Suppoſitionis apparet) præeſt Mundo & alijs vniuerſis, præſit omnibus ſapienter, poſsit, ſciat & velit expedire ſupplicationes ſibi porrectas, bonos præmiare, malos corrigere, vel punire? Alioquin minus hebetaretur ſtimulus ſpei & amoris, rumperetur lorum timoris & effrænaretur audacia delinquendi. Quare & totus ordo rerum humanarum tam ad Deum, quam ad proximum quaſſaretur. Si autem Ariſtoteles voluerit dicere, Deum non intelligere aliquid præter ipſum, quia quodlibet tale eſt vile, ſaltem reſpectu dignitatis diuinæ nihil eſt, ſicut ex præmiſſis apparet. Eadem etiam ratione nihil aliud poſſet facere aut mouere contra ſeptimam partem huius. Illud etiam quod Auerroes videtur arguere, Deum ſcilicet non habere ſcientiam particularium, & diſtin-
C ctam particularium & ſingularium, quia illa ſunt infinita, & non determinantur à ſcientia, non debet mouere; quia Deus eſt ſimpliciter infinitus & quælibet virtus eius, ſicut prima Suppoſitio & quarta pars demonſtrant; Imo Deus eſt magis infinitus quacunque multitudine infinita, quam ponit Auerroes particularium exiſtentium, cuiuſcunque ſpeciei fuerint, aut etiam omnium ſpecierum: quia quacunque tali multitudine infinita cuiuſlibet ſpeciei, eſt alia maior multitudo, viz. congregata ex illa, & alia ſimili alterius ſpeciei: tota etiam multitudine infinita omnium particularium exiſtentium poſſet aliqua maior eſſe; imò & dupla, tripla, quadrupla & deinceps ſimul, vel ſucceſsiue. Deus autem eſt tam magnus & infinitus, quod nihil maius aut infinitius eſſe poſſit, ſicut prima Suppoſitio & quarta pars oſtendunt, quare & correſpondenter quælibet virtus eius. Scientiuitas ergo Dei & eius capacitas nulla multitudine finita, neque infinita ſingularium exiſtentium vnius ſpeciei, vel pariter omnium ſatiatur: ſed vnamquamque earum etiam totam multitudinem, ſi ponatur, ex omnibus congregatam excedit
D quodammodo infinitè. Quod inſuper aliqui argumentantur; ſi Deus cognoſceret ſingularia, cum illa ſint mutabilia, & eius cognitio ſimiliter eſſet mutabilis; verum eſſet, ſi illa cognoſceret ſicut homo, alterabiliter paſsibiliterque ab eis: ſed non ſic illa cognoſcit propter ſextam & ſeptimam partes huius; imò materialiter & actiuè, ac ſi oculus fixus per extramiſsionem videret partes fluminis ſuccedentes.

Contra fingentes Deum ex membris humanis, vel alijs, ſeu quibuſcunque diuerſis componi, neganteſque ipſum eſse ſubſtantiam ſimplicisſimam, impartibiliſsimam, nullam compoſitionem, partibilitatem, magnitudinemue habentem, magnitudinem ſcilicet corporalem. 10.

E RESipiſcant compoſitores Dei, fingentes ipſum ex membris humanis, vel alijs, ſeu quibuſcunq; diuerſis componi: Sciant quoq; Deum eſſe ſubſtantiam ſimplicisſimam, impartibiliſsimam, nullam compoſitionem, partibilitatem, magnitudinem habentem, magnitudinem ſcilicet corporalem. Si namq; compoſitio talis eſſet in Deo, non repugnaret partibus diſtrahi, & ab inuicem ſeparari, quare nec toti mutari, minui, vel corrumpi, quod præmiſſa corrumpunt. Quomodo inſuper eſſet Deus ſummè perfectus, ſiue ſufficiens & beatus, ſicut præmiſſa teſtantur, ſi neceſſariò dependeret ab alijs, & alijs neceſſarijs indigeret? Actualius etiam atq; potentius videtur ex ſe, & per ſe ſufficienter exiſtere, quam alieno fulcimento & adminiculo ſupportari. Deus autem eſt ſummè actualis & potens, ita quod nihil actualius & potentius eſſe poſſet, ſicut prima Suppoſitio, & alia priora demonſtrant. Si etiam Deus componeretur ex partibus, quælibet pars componens, vel ſaltem forma partes illas perficiens, vniens, & coniungens

iungens esset naturaliter, prior Deo, contra primam Suppositionem, sicut in ostensione secundæ Suppositionis apparet. Ad hæc autem, vel Deus componitur ex partibus homogeneis tantum, vel etiam heteromogeneis: Si tantum homogeneis, animalia & cœlum perfectiùs componuntur contra primam Suppositionem, & tertiam partem hujus: Si ex heteromogeneis partibus componatur, illæ sunt dissimilis officij, disparis dignitatis, & non æquè perfectæ: quare & aliqua earum non est summè & infinitè perfecta contra quartam partem præmissam [hujus.] A

Amplius autem si Deus ex partibus componatur; vel aliqua earum est infinitæ perfectionis simpliciter omniquaq; vel nulla: Si aliqua, ipsa esset Deus, sicut Suppositio prima monstrat; esset quoq; superfluum, quod Deus plures partes haberet, cum illa sola sufficeret ad quæcunq; contra tertiam partem hujus: Si nulla, offenditur quarta pars hujus. Ad idem tunc quælibet pars posset esse perfectior, & sic Deus, quod Suppositio prima damnat. Præterea partes Dei vel sunt finitæ, vel infinitæ in numero: Si finitæ, totus Deus est perfectionis finitæ B contra primam Suppositionem & quartam partem. Si infinitæ, idem sequetur, quia quælibet istarum, cum sit tantum finitæ perfectionis, posset augeri: quare & similiter Deus totus. Infinitatem quoque || *huius* 2ª. Suppositio excludit, & tota simul natura, ac cuiuslbet animus ipsam refugit & abhorret: altera particula huius partis consequitur ex priori & ex prima Suppositione cum tertia parte & quarta.

|| huiusmodi

11. *Contra Zabios, & sapientes eorum cœlum pro Deo colentes.*

ERubescant Zabij & sapientes eorum cœlum pro Deo colentes. Ipsi namque teste Auerroe super 1. Met. comment. 41. credentes cœlum esse æternum, æstimabant ipsum ex se esse motionis æternæ, nec oportere ponere principium aliquod nobilius ipso, quare &, vt videtur, ipsum pro Deo colebant: sed isti per proximam corrigentur. Cœlum insuper est C virtutis & potentiæ, * finitæ, est quoque mutabile, alterabile, illuminabile, & obscurabile: Deficiunt quoque cœlo multæ perfectiones & bonitates possibiles; non est igitur Deus sicut præcedentia manifestant. Quare & Auerroes ibi præmisit: hoc quidem, scilicet inuenire primum mouens simpliciter est valde difficile & clausum, & ideo ille locus fuit lapsus sapientum.

* & cuiuslibet bonitatis.

12. *Contra adoratores Solis vel Lunæ, Martis vel Iouis, cuiuscunque signi cælestis, vel quorumcunque signorum, & vniuersaliter cuiuslibet partis cœli.*

CEssent adoratores Solis & Lunæ, Martis & Iouis, cuiuscunque signi cœlestis, vel quorumcunque signorum, & vniuersaliter cuiuslibet partis cœli propter rationem de toto cœlo præmissam. D

13. *Contra fabricantes sibi Deos temporales, homines, animalia, arbores, ignem, aut quamcunque rem talem.*

FEriantur qui Deos sibi fabricant *tales*, || homines, animalia, arbores, ignem, aut quamcunque rem talem. Tales fuerunt quidam Gentiles antiqui, qui homines quosdam viuos, quosdam vero mortuos, Deos sibi fecerunt, sicut quamplures historiæ contestantur. Vnde & Plato 2. Timæi.3 Sit, inquit, nostra credulitas comes assertioni priscorum virorum, quod Terræ Cœlique filij sunt Oceanus & Thetis, horum porrò Saturnus & Rhea & Phorcus. Saturni porrò & Rheæ proles Iupiter & Iuno, & cæteri qui sunt in ore hominum & mentibus, & de quorum fraternitate fama celebratur; atque ex his alij nati sunt, qui putantur Dij. Historiæ quoque Romanæ testantur, & recitat Aug. 4. de Ciuitate 27. E quod Scęuola doctissimus Pontifex Romanorum disputauit triplex genus Deorũ, Poeticum, Philosophicum, Principum, seu Ciuile, de quorum secundo sic dicit: Secundum non congruit ciuitatibus, quod habeat aliqua superuacua, aliqua etiam quæ obsit populis nosse. De superuacuis non magna est causa: Solet enim & à viris peritis dici; superflua non nocent. Quæ sunt autem illa, quæ prolata in multitudinem nocent? Hæc, inquit, non esse Deos Herculem, Esculapium, Castorem, Pollucem: Proditur enim à doctis, quod homines fuerint, & humana conditione defecerint. Tales fuerunt antiqui Babilonij, qui colebant Draconem, sicut Dan. 14. recitatur. Tales etiam fuerunt Aegyptij veteres Bouem pro numine adorantes. Vnde Solinus de Mirabilibus Mundi 7. agens de Aegypto & rebus eius, sic ait: Inter omnia

|| temporales

quæ

A quæ Aegyptus habet digna memoratu, præcipuè Bouem mirantur quem Apidem, seu Apim vocant, hunc ad instar colunt Numinis, insignem albæ notæ macula, quæ dextero lateri eius ingenita corniculantis Lunæ refert faciem. Statutum enim spatium est, quod vt affuerit, profundo sacri fontis immersus necatur, ne diem longius trahat, quam licebit. Mox alter, nec sine publico luctu requiritur, quem repertum centum Antistites Memphim persequuntur, vt incipiat ibi sacris initiatus sacer fieri. Delubra, quibus succedit aut incubat, mysticè Thalamos nominant, dat ***omnia*** || manifestantia de futuris, illud maxime, si de consulentis manu cibum capiat: denique aduersatus Germanici Cæsaris dexteram prodidit ingruentia, nec multo post Cæsar extinctus est; pueri Apim aggregatim sequuntur, & repentè velut lymphatici ventura præcinunt. Bos illi ostenditur fœmina in anno semel, & ipsa non absque certis insignibus, quæ simul atq; inuenta esset oblata est, eadem die neci datur. Apis natalem Memphi celebrant iactu pateræ aureæ, quam proijciunt in vili statim gurgite: Hæc solennitas per septem dies || omina.

B agitur, quibus diebus cum Sacerdotibus quasdam crocodili inducias habent, nec attrectant lauantes. Verum octauo die, cæremonijs iam peractis, velut reddita sæuiendi licentia solitam resumunt atrocitatem. Hunc autem Apim Papias in Elementario suo, & Isidorus 6. Etym. 44. dicunt fuisse Taurum Aegypti Serapi consecratum, cuius & imaginem affirmant Iudæos de Aegypto profectos sibi in eremo fabricasse. Sunt etiam quidam recentiores, qui teste Marco de Venetijs 3. de conditionibus, & consuetudinibus Orientalium regionum 25. In India Maiori in regno Var bouem adorant, dicentes bouem rem esse sanctissimam, neque boues occidunt, neque carnes eorum ob reuerentiam comedunt: Cum autem moriuntur boues, adipe eorum domos suas perungunt, & infra eiusdem 28. dicit quod in prouincia Maabar, scilicet in maiori India, cum hij qui bouem adorant ad bella procedunt, quilibet secum defert de pilis bouis syluestris. Credunt enim Bouem syluestrem tantæ sanctitatis esse, quod quicunque super se de pilis suis || ***portauerit*** in omni periculo tutus erit. Tales fuerunt & illi || habuerit,

C Indi, qui || ***vt*** apparet ex epistola Alexandri ad Aristotelem de situ Indiæ, & eius vastitate colebant arbores Solis & Lunæ, quæ de quibuscunque interrogatis, etiam tacita cogitatione sine pronuntiatione quacunque responsa viridica cunctis dabant, quibus & Sacerdos Indicus solenniter ministrabat; vbi & de interrogatione Alexandri & arborum responsione mirabili scribitur isto modo: Vidimus ab Occidente iubare fulgentibus Phœbi radijs percussa arborum cacumina, & Sacerdos ait, sursum, inquit, omnes intuemini, & de quibus rebus quisque consulturus est, occultè cogitet silentio, nemo palam pronunciet: Cum ego & amici, & commilitones accuratiùs sumus intuiti, ne inter nemorum densitatem, aliqua in morem hominum nos illuderet falsitas, mox interueniente nullo tali dolo, vsque ad cacumina ramosque prospeximus, stantibus nobis cominus diuina auribus occupauimus oracula. Cogitabam si deuicto orbe terrarum, in patriam triumphans ad Olympiadem matrem meam sororesque meas charissimas reuerti possem, cui subito Indico sermone tenuissimo respondit ar- || sicut

D bor. Inuicte bellis Alexander, vt consuluisti numen, vnus eris dominus orbis terrarum: sed viuus amplius in patriam non reuerteris, quoniam fata ita de capite tuo statuerunt. Tum ego oraculum cum ignorarem, interrogaui quale esset, Indicus interpretatur, quem ego partim muneribus, partim minis, vt quæcunque arbores dicerent, iudicare coegi. Quare cognitis omnibus, percussis flentibusque, qui mecum erant in comitatu palamque, sic moris erat, & aliud consulturus eram, & intraturus vespertino tempore. Sed nondum exorta erat Luna, cum rursus inuitati ad lucum iuxta sacras arbores constitissemus, mox solita consuetudine adoramus, tres fidelissimos induxeram mecum amicos, Perdicam, & Diconam, & Philotam: quia nullum metuebam vltra, nec in me quicquam erat metuendum, vbi neminem fas erat interfici. || ***Consului*** igitur, vbi moriturus essem, & tum ad primum Lunæ ortum percussa cornu splendoreque accepto, arbor Græcè respondit; Alexander, inquit, plenum iam finem ætatis habes: sed sequente anno mense Maio in Babilone morieris: à quo minimè spe- || consulo

E ras, decipieris. Et infra, intraui tertio consulturus ab eadem mihi sacratissima Solis arbore, cuius mortem de manu percussoris habeam præcauendam; quemue exitum mater mea, sororesque meæ habituræ sint. arbor Græcè dixit: Si mortis tuæ tibi insidiatorem prodidero, sublato eo facilè instantia fata mutabis, mihi quoque tres irascentur sorores, quod veridica oracula earum impensa prodiderim; scilicet Clotho, Lachesis & Atropos. Igitur ad annum & menses 8. in Babilone morieris, non ferro, vt suspicaris, sed veneno: Mater tua turpissimo, ac miserando quandoque exitu insepulta iacebit in via, præda auium ferarumque: Sorores tuæ felices dici erunt fato: tu etiam, etsi breue superest tempus, Dominus tamen orbis terrarum eris; nunc modò caue ne nos vlterius scisciteris, vnde excede terminos luci nostri: quæ omnia ita contigisse Iustinus & alij Historiographi contestantur.

Fuerunt

Fuerunt etiam multi qui ignem pro Deo colebant, eo quod vincere & conſumere alia vi- A
deatur. Hij autem omnes poſſunt vt proximi faciliter caſtigari: Deus enim, vt præmiſſa circa 1am. Suppoſitionem teſtantur, eſt neceſſe eſſe. Nulla ergo res temporalis, generabilis, corruptibiliſuè eſt Deus. Si etiam aliquis purus homo ſit Deus; vel homo eſt à ſe, vel ab alio. Si à ſe, cur non alius homo ſimiliter, cum ſit eiuſdem naturæ? aut cur non poteſt alius facere ſe Deum, ſicut & ille ſe fecit? Si ab alio, ille alius videtur potius eſſe Deus, & ille eſt de quo Suppoſitio 1a. canit. Quis etiam niſi irrationabilior beſtia, poſuerit beſtiam Deum ſuum, arborem, ignem, aut rem irrationalem quamcunque [rem] omnia vel alia neſcientem, voluntatem ineſficacem habentem, rem non omnipotentem, ſed debilem, indigentem, paſsibilem, interfectibilem, deſtructibilem etiam, & ſi ſtuduerit ſe ſaluare, contra 1am. Suppoſitionem & partes præmiſſas? O miſerabiliter miſerabilis, miſer homo, ſi tamen homo, cur non verecundaris naturam irrationalem naturaliter viliorem, ignobiliorem, imperfectiorem & tibi ſubiectam adorare & colere pro Domino Deo tuo? cuius etenim animus non præponit De- B
um ſuum ſibi ipſi, & omnibus alijs in ordine dignitatis, ſicut Suppoſitio 1a docet?

14. *Contra nugatorios & nugaces, qui multitudinem oneroſam deorum æqualium eiuſdem ſpeciei, ſeu naturæ adorant.*

REfrænentur nugatorij & nugaces, qui multitudinem oneroſam deorum æqualium eiuſdem ſpeciei ſeu naturæ adorant, quaſi eis minus ſufficiat vnus talis. Si namque Suppoſitio 1a ſit vera, ſufficit pleniſsimè vnus Deus. Nam vbi nequaquam ſufficeret, deficeret ſibi perfectio & bonitas aliqualis, quæ poſſet ei alteriue adeſſe, quod & tertia pars & ſeptima huius monſtrant. Cum ergo ipſe ſolus omniquaque ſufficiat, cur ſine cauſa ſuperfluè ponitur alius, allijue ponuntur, cum quilibet ſapiens Philoſophus vel alius; imò & ipſa natura hoc refugiat & deuitet. Et ſi quis teſtem requirat, ecce Philoſophus 3. de Cœlo & Mundo 39. qui C
dicit, non neceſſe facere elementa infinita: omnia enim hæc ſcilicet compoſita reddentur finitis exiſtentibus. Et infra 35. manifeſtum, quia multo melius finita facere principia, & hæc vt minima omnibus iiſdem futuris, quemadmodum dignificant & qui in diſciplinis: Cur ergo multos Deos æquales colendo, hunc vnum inſufficientem efficiunt? vel ſi hunc credunt ſufficere, cur in huius iniuriam & contemptum, amorem, honorem, & gloriam, debitos ipſi ſoli, ab ipſo vnico ſubtrahunt, alijſque impendunt? Qui etiam ita fingunt circa naturam diuinam, plurimum dæuiant & aberrant? Non enim eſt multiplicabilis, nec plurificabilis in multa indiuidua omnino ſimilis rationis, quæ ſubſtantialiter & ſolo numero differant, ſicut ſpecies naturales: imò nec poſſet eſſe aliud indiuiduum illius naturæ. Si enim poſſet,
|| Deus. poſſet eſſe ſummè perfectum & bonum: Quare & ſic eſſet || ſicut ſuperius probabatur, in concluſione primæ Suppoſitionis: & eadem ratione qua vnum aliud poſſet eſſe, poſſet eſſe & aliud, & aliud, & ſic ſuper numerum infinita: quare & actualiter ita eſſent, quod cu- D
iuſlibet animus renuit, & ſecunda Suppoſitio interdicit.

Item poſsibile eſt ſimpliciter abſolutè vnicum Deum eſſe. Quis non ſtatim conſentiat? Quis non hoc poſito & admiſſo, pro poſsibili abſolutè ab omni contradictione faciliter ſe defendat? & ſi ſit poſsibile vnicum Deum eſſe, illum viz. quem ſecundum præmiſſa neceſſe eſt eſſe, qui & ſit *A* neceſſe eſt ergo vnicum illum eſſe, & omnem alium Deum non eſſe. Sit enim *B*. alius quidam Deus, & ſecundum priora poſsibile eſt *B*. non eſſe Deum, quare & ſecundum ſextam partem non eſſe *B* ergo vel eſt impoſsibile eſſe vel poſsibile eſſe poſsibilitate contradictionis, quare & neceſſe eſt *B*. Deum non eſſe; ſicut præhabita in oſtenſione primæ ſuppoſitionis lucidè manifeſtant: vel breuius, omnem Deum neceſſe eſt eſſe Deum, ſicut prima Suppoſitio & ſexta pars demonſtrant: *B* non neceſſe eſt eſſe Deum; ſecundum præmiſſa, *B* ergo non eſt Deus. Multitudo quoque deorum æqualium ſi ponatur, nonne eſt aliquo modo perfectior vno Deo. Quare & nullus eorum eſt ſummè perfectus. Quamobrem E
neque Deus, ſicut Suppoſitio prima monſtrat. Iſte inſuper vnicus verus Deus continet totam eſſentiam & perfectionem poſsibilem ſuæ ſpeciei, ſiue naturæ, ſicut Suppoſitio prima probat. Non eſt ergo alius Deus talis: imò non eſſe poteſt, quia non ſimul cum iſto propter cauſam præmiſſam, nec poſt iſtum corruptum, ſeu iſto quomodocunque non ente, [nihil foret] ſicut Suppoſitio prima monſtrat. Hæc autem ratio, de quocunque alio indiuiduo cuiuſcunque alterius ſpeciei, ſiue in naturalibus, ſiue in artificialibus, ſiue in quibuſlibet alijs per ſe pa-
|| 93. tet. Si quis tamen teſtimonio gaudeat, ecce Philoſophus 1. de Cœlo & Mundo || 92. oſtendens non eſſe, nec poſſe eſſe plures Mundos, ſic ait: Neque vna neceſsitas plures eſſe Mundos, neque contingit factos eſſe plures, ſiquidem iſte ex tota eſt materia, quemadmodum eſt.

Sic

A Sic autem fortè quod dicitur, magis erit manifestum. Et sequitur 94. Si enim est simitas curuitas in naso aut carne, & est materia simitati caro: si ex omnibus vna fiat caro, & existat in hac simum, nihil vtique aliud, neque erit simum, neque contingit factum esse. Similiter autem etsi homini sunt materia carnes & ossa, si ex omni carne & omnibus ossibus homo fiat, & || *possibilibus* existentibus dissoluta esse, non vtique contingit esse alium hominem. Similiter autem & in alijs. Et sequitur 95. Cœlum autem est quid singularium, & eorum quæ ex materia: sed si non ex parte ipsius constat, sed ex omni, non vtique erit aliud, neque continget factos esse plures propter omnem materiam comprehensam esse. Super quod Auerroes Comment. 95. dicit, quod demonstrationes ad impossibile sunt de genere signorum: sed hæc demonstratio probans Mundum esse vnicum, est propter quid. Habet enim causam pro medio termino, & ideo dat nobis scientiam huius rei cum sua causa, & iste est perfectissimus modorum. Quis etiam dubitat quid sit dignius, honorabilius atque perfectius, esse per se summum & primum sine pari, quàm necessario parem habere, etiam etsi nollet? Deus ergo per primam Suppositionem parem non habet. Cur etiam non posset vnus deorum æqualium & numeraliter differentium, sicut Angeli vel homines, velle quod alius nollet, & è contra? Nulla enim videtur ratio, quare de potentia absoluta non sic posset, cum nullius eorum volutio ab altero pendeat, sicut nec ipse, nec sit idem numero, quod volutio alterius, sicut nec ipse idem quod alius. Quare & quilibet eorum posset quemlibet alium, & quoslibet alios impedire, & miserum, ac miseros facere, & è contra; quod prima Suppositio, tertia pars & octaua refellunt. Huius autem rei testes sunt pene omnes Philosophi Naturales, Diuini & Morales: Omnes namque Philosophi Naturales (paucis exceptis) ponunt vnicum primum motorem, qui secundum eos est Deus. Diuini similiter ponunt expressius vnicum primum ens, vnicam primam causam, vnicum summum Deum. Vnde & Arist. 12. Metaph. vltimo. Entia non volunt disponi malè, nec bonum pluralitas principatiuum. Vnus ergo Princeps,

|| imposs.

C quod & probat Auicenna 1. Metaph. 6. & 7. sicut superius tangebatur; & Algazel 2. Metaph. suæ 1°. Morales quoque Philosophi, de Politijs tractantes dicunt Monarchiam esse optimam politiam, præsertim si reperiatur vnus sufficienter idoneus, nec plures simul principari debere, nisi propter defectum vnius idonei vnicè principari. Hæc liber Ethicorum & Politicorum Arist. hæc Iura Ciuilia Gentium, hæc omnium ciuitatum, communitatum & Regnorum Legalia contestantur. Rem etiam Militarem, & negotia bellica pertractantes, vnicum semper esse ducem supremum asserunt optimum. Hoc autem totum in minori mundo, in minori communitate scilicet virium hominis (vnde & omnes aliæ communitates humanæ originaliter deriuantur) magis apparet. Sunt enim in homine collegialiter sociatæ vires exteriores, interiores, sensus, appetitus, voluntas, & ratio. Sed quis ignorat vnicam istarum debere naturaliter principari, & alias subseruire? Vnde & Philosophus in Secreto secretorum, Partis 3. Capitulo 8. Quando, inquit, creauit Deus altissimus hominem, constituit corpus suum ciuitatem quandam, & eius Intellectum Regem in ipsa: constituit ei 5. Baiulos,

D scilicet 5. Sensus præsentantes ei quæcunque. Sic ergo in maiori Mundo, etiam in Ciuitate mundi amplissima sentiendum. Sic enim dignissimè honorabilissimè & optimè conuenit ipsi Deo & alijs vniuersis: quare & per primam Suppositionem necesse est sic esse. Non est ergo possibile, quod sint Dij multi, æquales, eiusdem speciei, solo numero differentes. Amplius autem secundum multorum Philosophorum & Philosophicorum virorum concordem sententiam, si sint Dij multi vniuocè nullus eorum per se & primo est Deus: sed omnes per aliquam vnam naturam priorem ipsis communem & communiter inhærentem, quæ per se & primo est talis, & alij secundo per illam. Nullus ergo illorũ est Deus, quia non primum & per se primum; sed tantum illa vna natura communis, sicut prima Suppositio manifestat. Perfectius quoque est esse bonum per se & primo, quam per aliud & secundo, sicut nullus ignorat, & Philosophi attestantur. Non est ergo Deus qui per se & primo non est Deus, sicut

E prima Suppositio & tertia pars demonstrant. Quoniam insuper sunt hij Dij, qui non sunt actualissimi, purissimi, simplicissimi, & per se sufficientissimi, sed per aliud constituti, contra primam Suppositionem, & partes præmissas?

Contra fingentes multos Deos æquales, natura seu specie differentes. 15.

PAueant quoque fingentes multos Deos æquales, sed natura, seu specie differentes; quorum vnus præsit Orienti, alius Occidenti; vnus Austro, alius Boreæ; vnus frugibus, alius vitibus; vnus paci, alius saluti; vnus vni speciei, & alius alij præponatur. Hij quidem vt proximi, primæ Suppositionis virtute faciliter instruentur. Quis etiam non facilè videat, si sint Dij multi diuersi specie, vel natura, quodcunque istorum carere perfectione specifica & propria

pria alterius cuiuſcunque, quare & non eſſe ſummè perfectum, quin aliquid perfectius eſſe A
poſſet? Quamobrem conſequenter & nullum eorum eſſe Deum, ſicut prima Suppoſitio & tertia pars demonſtrant.

16. *Contra ponentes confuſionem multorum Deorum inæqualis virtutis & diſparis dignitatis, ſiue eiuſdem ſpeciei, ſiue diuerſæ.*

Confundantur ponentes confuſionẽ multorum Deorum inæqualis virtutis, & diſparis dignitatis; ſiue eiuſdem ſpeciei, ſiue diuerſæ. Tales autẽ fuerunt nonnulli antiqui, qui tamen ponentibus Deos pares & ſimpliciter æquè primos, in hoc melius poſuerunt, quod dixerunt, omnes præter vnum ſolum quem Iouem vocabant, illi vnico ſubijci, ſicut Principi ſiue patri. Vnde Philoſophus 1. Polit. 8. Bene, inquit, Homerus Iouem appellauit, dicens, Pater virorumque Deorum, Regem horum omnium patrem dicens, & ſupra eiuſdem 1. Deos, inquit, omnes dicunt regi. Hic etiam fuerat vetus error veterum Romanorum. Vnde Aug 4. de Ciuit. B
Dei 5. Quando autem poſſunt vno loco libri huius commemorari omnia nomina Deorum aut Dearum, quæ illi grandibus voluminibus vix comprehendere potuerunt, ſingulis rebus propria diſpertientes officia numinum: Et infra 6. ipſum Iouem Deorum omnium dearumque Regem eſſe volunt. Hunc Varro credit etiam ab hijs coli, qui vnum Deum ſolum ſine ſimulachro colunt, ſed alio nomine nuncupari: per quos (vt credo) intellexit Iudæos, vnde Ioſephus 12. Antiquit. Iudaicæ 2. refert, quod quidam Ariſtæus ſapiens dixit Ptolomæo Philadelpho Regi Aegypti: Cognoui Iudęos factorem omnium Deum colere, quem nos Zena, id eſt, Iouem nominamus. Philoſophus etiam in de Mundo, vltimo, oſtendens
|| Zima quod Deus cum ſit vnus, eſt tamen multinomius, dicit quod vocatur *Zeus* & Iupiter: quem & Hermes de verbo æterno 21. ſimiliter Iouem vocat. Plato quoque, teſte Ambroſio de bono mortis, Iouem, & Deum, & mentem totius dixit. Tartari etiam qui colunt magnum Deum & immortalem, Marco de Venetijs 1. de Conditionibus & conſuetudinibus Orientalium C
|| 5 Regionum || 58. referente, colunt etiam Deum quem vocant Natagay: quem Deum terræ putant gerere quoque curam ipſorum ac fructuum terræ, filiorum & gregum ipſorum, & hunc maxime reuerenter. Hij autem horribiliter deuiant. Non enim eſt Deus, qui non eſt ſummè perfectus, ſicut Suppoſitio prima monſtrat.

17. *Contra negantes Deum eſſe vnicum, & non plures, affirmanteſue eſſe poſſibile plures eſſe, neganteſque neceſſe eſſe ſimpliciter eſſe vnicum & non plura, affirmanteſue eſſe poſſibile plura eſſe.*

Reuereantur negantes Deum eſſe vnicum, & non plures, affirmanteſque eſſe poſſibile plures eſſe, negenteſque neceſſe eſſe ſimpliciter eſſe vnicum & non plura, affirmanteſue eſſe poſſibile plura eſſe. Tales autem fuerunt multi Philoſophi & famoſi. Nam ſicut recitat D
Aug. 8. de Ciuit. Dei 12. Plotinus, Iamblicus, Porphyrius, Apuleius & Platonici cæteri, ac etiam ipſe Plato ſacra eſſe facienda dijs plurimis putauerunt. Sed hij omnes dignentur agnoſcere, quod nec ſunt, nec eſſe poſſunt dij plures æquales vel inæquales, eiuſdem ſpeciei vel diuerſæ, ſicut partes priores lucidè manifeſtant. Quod autem vnum ſit, neceſſe eſſe ſimpliciter puta Deus, prima Suppoſitio clarè monſtrat, & quod ſit vnicum, & non plura, oſtendit prima particula huius partis. Nihil eſt enim neceſſe eſſe ſimpliciter, niſi Deus. Deus enim non habet aliquam cauſam, à qua dependeat in eſſendo, ſicut prima Suppoſitio & quinta pars probant, nec habet aliquam partem ſicut decima pars oſtendit. Quodlibet ergo aliud à ſeipſo poſſet poſſibiliter abſolutè Deus deſtruere & manere: Poſſet enim velle illud non eſſe; quare & iuxta partem octauam facere illud non eſſe, quod & pars ſeptima per omnipotentiam Dei monſtrat: præſertim cum quodlibet aliud à Deo, ſit minus eo, quia non ſummè perfectum, ſicut prima Suppoſitio loquebatur: imo & improportionaliter & infinitè quodam- E
modo minus eo, quia infinitè quodammodo diſtans à ſumma perfectione prædicta. Adhuc autem quis dubitat, eſſe poſſibile abſolutè eſſe vnicum neceſſe eſſe ſimpliciter, puta Deum! Quis non ſtatim conſentiat? Quis non hoc poſito & admiſſo pro poſſibili abſolutè, ab omni
* neceſſe eſſe repugnantia ſe faciliter defendet? Quodlibet ergo aliud a Deo, poteſt non eſſe * ſimpliciter. Quare & quodlibet aliud non eſt neceſſe eſſe ſimpliciter, ſicut ex oſtenſione primæ Suppoſitionis poteſt euidenter oſtendi. Amplius autem ſi non ſit aliquod neceſſe eſſe ſimpliciter præter Deum, nec poteſt eſſe aliquod aliud præter eum, ſicut oſtenſio primæ Suppoſitionis perſpicuè demonſtrauit, quod & ſi falſigraphus ponat eſſe, deſtruetur continuo per præmiſſa. Iſtud quoque teſtatur Auicenna 1. Metaphyſicæ ſuæ 6. & 7. & Algazel. 2. Metaphyſ. ſuæ 1.

Contra

A *Contra ponentes multa principia prima simpliciter contraria inuicem, quorum nullum reducatur ad aliud, nec omnia ad aliquod vnum illis commune; puta bonum & malum, ac consequenter vlterius somniantes duos Deos huiusmodi, siue plures.* 18

Verecundentur inuerecundè ponentes multa principia prima simpliciter contraria inuicem, quorum nullum reducatur ad aliud, nec omnia ad aliquod vnum illis commune: puta bonum & malum, ac consequenter vlterius somniantes duos Deos huiusmodi, siue plures. Huius autem erroris videtur Empedocles esse pater: videns enim nedum bona fieri, sed & mala, posuit vnum principium bonum, à quo bona cuncta procederent: aliud verò malum à quo procederent cuncta mala: quæ etiam amorem seu amicitiam, & litem seu odium aliquoties nominauit. Vnde Philosophus 1. Metaph. Capitulo 10. Quoniam, inquit, contraria bonis inesse videbantur, & non solum ordinatio & bonum, sed inordinatio & turpe; & plura mala melioribus, & praua bonis: Sic alius aliquis Amorem induxit & Litem, singula singulorum causam istorum. Si quis enim assequatur & accipiat ad intellectum, & non ad quem balbutit dictus Empedocles, inueniet Amorem quidem causam esse || *bonorum*, Litem verò malorum. Quare si quis dixerit quodammodo primum dicere Empedoclem bonum & malum principia, forsam benè dicet: si bonorum omnium ei bonum est causa, & malorum malum. Hunc & secutus Pythagoras duas alastogias, systichias, coëlementationes, seu coordinationes, 10. viz. principiorum ex vna parte, & 10. ex altera dicitur posuisse, sicut breuiter tangitur 12. Metaph. || 37. vbi in nona Translatione habetur coelementatio, in Translatione verò quam Auerroes exponit alastogia: quod verbum Alexander & Auerroes similiter breuiter ad intellectum prædictum exponunt. Eustratius verò super illud Philosophi 1. Ethicorum 7. Probabilius autem videntur Pythagorici dicere de ipso, ponentes in bonorum coordinatione vnum comment. 56. plenius hoc exponens, sic ait: Duas systichias, id est, coordinationes Pythagorici exposuerunt, quæ sequendo ipsum Eustratium sic possunt describi:

[Margin: B; || agatorum; || 39.; C]

1.	*Terminus.*	*Infinitum.*
2.	*Perfectum.*	*Superfluum.*
3.	*Vnum.*	*Multitudo.*
4.	*Dextrum.*	*Sinistrum.*
5.	*Masculus.*	*Fœmina.*
6.	*Rectum.*	*Curuum.*
7.	*Lumen.*	*Tenebra.*
8.	*Tetragonus.*	*Altera parte longius.*
9.	*Quiescens.*	*Motum.*
10.	*Bonum.*	*Malum.*

D

Sequendo verò Alexandrum, videtur quod descriptio deberet transponi, collocando viz. Bonum & malum in alastogiarum capitibus velut summa, aliaque sub ipsis: ita quod vna diceretur alastogia boni; altera verò mali, quod & conuenientius mihi videtur, licet textus quem exponit Auerroes dicat, quod intellecta per se & substantia prima sunt alastogia vltima: Hoc enim intelligo ascendendo. Videtur quoque Alexander dicere, quod hi Pythagorici ordinarunt primum sub genere quod est bonum; vltimum verò in malo, quod si sit verum oportet tollere alia duo quæ ponit Eustratius, & loco eorum ponere ista duo. Ipsemet verò Philosophus 1. Metaph. 12. tam in ordinatis quàm in ordine discrepat ab vtroque. Ait enim: Alij 10. dicunt principia esse, secundum coelementationem dictam, Finitum, infinitum; Par, impar; Vnum, plura; Dextrum, sinistrum; Masculum, fœminam; Quiescens, motum; Rectum, curuum; Lucem, tenebras; Bonum, malum; Quadrangulare, longius altera parte. Puto autem quod Philosophus non multum ponderauit, quia nec multum oportuit, horum ordinem isto loco. Causa verò Pythagoræ (sicut ibi recitatur) fuit, quia denarius est perfectus, eo quod omnium comprehendit numerorum naturam. Quare & posuit 10. Sphæras cœlestes, quamobrem & fortassis voluit ponere 10. Deos. Hanc autem causam Pythagoræ, secutus Architas Pythagoricus, sicut recitat Boetius 2. Arithmet. 41. ante Aristotalem 10. prædicamenta constituit hac famosa. Hijs autem quidam alij succedentes motiuo Empedoclis prius tacto decepti, dixerunt, vt recitat Auerroes super 12. Metaphys. comment. 52. Duos Deos esse: quorum vnus causat bona, alius verò mala. Huius autem erroris inuentor, potiusue sectator, fuit Manes Maniacus, & innanis pater Manichæorum. Videtur

[Margin: E]

tur tamen rationabilius ex præmiſsis, quod ipſe & ſui Empedoclini, ſeu Pythagorici ſint vocandi. De iſto autem mane in Eccleſiaſtica Hiſtoria lib. 7. cap. 28. ſcilicet penultimo ſcribitur iſto modo: Manes quidam ſecundum nomen ſuum inſaniens, etiam inſtinctu dæmonis agitatus, inuiſam hæreſim docet, vbi & multa ſcribuntur de eo. B, etiam Aug. de Hæreſibus 46. De iſto Mane & Manichæis hæreſique illorum pertractat, & alijs libris multis contra eos aliquemue eorum conſcriptis. Iſidorus quoque 8. Etymol. 9. & recitatur in Canone cauſa 24. Quæſtione vltima, Capitulo vltimo. Vbi & multi hæretici cum eorum hæreſibus recitantur, cuius & ſecta peruerſa, in aliquibus partibus licet paucis etiam vſque hodie perſeuerat. Hij autem omnes dupliciter deuiant, quare & ſunt dupliciter reducendi. 1. quia aſſerunt multos Deos, contra proximo iam oſtenſa. 2. quia aſtruunt Deum malum: Nam quomodo poſſet eſſe aliquis Deus malus prima Suppoſitione & tertia parte huius conſtantiſsime reclamante? Motiuum quoque iſtorum nullum debet mouere, nam quælibet res exiſtens, quatenus exiſtens bona eſt, & nulla mala ſimpliciter, ſicut inuicta ratio manifeſtat, & B
poſteriores, profundiores ac famoſiores Philoſophi atque Doctores Catholici conteſtantur; quare nec inconueniens aliquod, ſi à Deo bono procedat. Quod autem de numero denario arguunt, non valet denarium nec minutum, nec enim perſuaſionis Rhetoricæ vim attingit.

19 *Contra Poetas mentientes Deum hominibus ſtudioſis aut alijs inuidere.*

PVniantur Poetæ, mentientes Deum hominibus ſtudioſis vel alijs inuidere: Tales fuerunt quidam antiqui, Philoſopho 1. Metaph. in Prologo recitante; ſed hij, ſcilicet vt proximi, refellentur, cum inuidere ſit malum, quos & breuiter ibi refellit Philoſophus, allegans Prouerbium, Multa mentiuntur Poetæ.

20 *Contra fabricantes deos inhoneſtos & turpes, comedentes, bibentes, mulieribus commiſcentes, in rebus aut ludis inhoneſtis, turpibus & ſcenicis delectantes.* C

HOneſtentur qui ſibi Deos fabricant inhoneſtos & turpes, comedentes & bibentes, mulieribus commiſcentes, in rebus aut ludis inhoneſtis turpibus & ſcenicis delectantes, & omnes qui ſibi huiuſmodi Deas fingunt. Tales autem fuerunt antiqui Babylonij, qui Beel Deum ſuum comedere putarunt & bibere, ſicut Dan. 14. recitatur. Tales etiam fuerunt antiqui Romani & Græci, qui Deos ſuos comedere & fornicari credebant, & in rebus ac geſticulationibus talibus delectari; quare & eis Ludos Scenicos dedicarunt; ſicut ex eorum hiſtorijs ſatis conſtat. Tales videntur & Tartari, de quibus Marcus de Venetijs 1. de Condit. & Conſuetud. Oriental. Regionum 58. dicit, quod quilibet Tartarus habet in domo ſua idolum Natigay Dei eorum prædicti, & idola vxoris ſuæ, & filij; & quando vadunt ad prandium, vel ad cœnam, prius cum pinguedine carnium coctarum ora iſtorum Deorum ſuorum perungunt, partem quoque brodij extra domum effundunt, vt ſic dij iſti recipiant partem ſuam. De talibus autem dijs ſicut recitat Aug. 8. de Ciuit. Dei. 13. opinabantur Gentiles, quod ſicut Dij boni & honeſti ſacris honoribus ſunt placandi, vt iuuent; ſic & dij mali & inhoneſti ne lædant; quare & rebus ſuis diuinis Ludos Scenicos adiunxerunt. De talibus quoque Dijs & Ludis ac picturis eorum loquens Philoſophus 7. Polit. vltimo, ita ſcribit: D

ὅλως μὲν οὖν αἰσχρολογίαν &c. p. 338. f

Totaliter quidem turpiloquium ex Ciuitate, ſicut aliquid aliud, oportet Legiſlatorem exterminare: ex dicere enim de facili quodcunque turpium, fit & ipſum facere prope. [Curandum] maximè quidem ergo ex iuuenibus, quatenus, neque dicant, neque audiant nihil tale. Si quis autem apparuit aliquid dicens aut agens, [aliquod] vetatum, liberum quidem, nondum autem dignificatum de mentione in conuiuijs, dehoneſtationibus punire & verberibus; ſeniorem autem ætate hac in honorationibus illiberalibus vtilitatis gratia: Quoniam autem dicere aliquid talium exterminamus manifeſtum, quia & videre, aut picturas, aut ſermones inhoneſtos. Cura quidem igitur eſt Principibus nihil neque ſculpturam, neque picturam eſſe talium actionum, niſi apud aliquos deos tales, quibus & laſciuiam attribuit lex. Adhuc autem dimittit lex eos qui habent ætatem amplius prouectam, & pro ipſis & pueris cultu honorare deos: Iuniores autem neque Iamborum, neque Comœdiæ ſpectatores ponendum, antequam ætatem accipiant in qua exiſtet communicare iam dementatione, & ab ebrietate, & ab eo quod fit à talibus nocumento omnes impaſsibiles faciet diſciplina. Nunc quidem igitur in tranſcurſu horum fecimus ſermonem: poſterius autem inſiſtentes oportet determinare magis, ſiue non oportet. Primo, ſiue non oportet dubitantes, & qualiter oportet: ſecundum præſens autem tempus meminimus tanquam neceſſariò; fortè autem non bene dicebant E

A bant quod tale Theodorus Tragœdiæ gesticulator; Nulli enim vnquam permisit aut se inducere, neque vilium hypocritarum tanquam appropriatis Theatris primis auditibus: accidit autem idem hoc & ad hominum collocutiones, & ad eas quæ rerum: omnia enim amamus, prima magis; propter quod oportet iuuenibus facere omnia extranea quæ praua: maximè autem quæcunque ipsorum habent infectionem aut inhæsionem. Quid etiam Plato de Ludis Scenicis huiusmodi dijs exhibitis sentiat, audi; Aug. vbi prius narrante, quod etiam Poetas ipsos, qui tam indigna deorum maiestate atque bonitate carmina composuerunt, censet de ciuitate pellendos: Cui & concordat Scæuola doctissimus Pontifex Romanorum, sicut gesta eorum testantur, & recitat Aug. 4. de Ciuit. Dei. 27. distincto triplici genere deorum, scilicet Poetico, Philosophico, & Ciuili: Primum dicit esse nugatorium, eo quod multa de dijs fingant indigna; quia viz. deos sic deformant, vt nec bonis hominibus comparentur, cum alium faciunt furari alium adulterare: sic item aliquid aliud turpiter atque ineptè dicere,
B ac facere tres inter se deas certasse de præmio pulchritudinis, victas duas à Venere Troiam euertisse; Iouem ipsum conuerti in Bouem, aut Cygnum, vt cum aliqua concumbat; Deam homini nubere; Saturnum filios deuorare. Nihil denique posse confingi miraculorum atque vitiorum, quod non ibi reperiatur, atque ab deorum natura longè absit. Verum sicut priores, ad bonitatem deorum, seu Dei; ita istos ad honestatem prima Suppositio, & tertia pars adducit. Nonne honestas magna virtus & bonitas reputanda?

Item si Deus comedat, vel hoc est propter necessitatem, aut propter voluptatem: Non propter necessitatem, sicut prima Suppositio, quinta pars, sexta & septima clarè docent; tunc etiam posset corrumpi, quod corrumpitur per præmissa. Si propter voluptatem, quomodo non est intemperatus, aut incontinens reputandus? contra tertiam partem huius: Deus etiam sufficit plenissimè sibiipsi ad plenissimam voluptatem, lætitiam, gaudium, beatitudinem, & fœlicitatem perfectam, sicut quinta & tertia partes demonstrant. Omnis quoque vicissim
C comedendo delectans vicissim mutatur, & habet os & alia membra, ad actum huiusmodi requisita: Deus autem nequaquam, sicut sexta & decima partes ostendunt.

Similiter etiam potest ostendi Deum non contingere mulierem, præsertim cum Deus sit necesse esse, & inimitabilis, non egens hærede, neque auxilio alicuius, sicut præmissa testantur. Si etiam Deus ita generaret, ex fœmina, siue dea; quid dignius quam Deum alium generaret? sicque essent dij multi contra 17. partem huius. Si etiam aliqua dea ponatur, videtur quod sit aliquo modo Deus, cum Deus sit nomen essentiale per sextam partem huius. Quare & erunt dij multi & disparis dignitatis; videtur namque quod dea sit imperfectioris conditionis quam Deus; contra 16 & 17 partes huius. Quomodo insuper talis dea honorabitur tanquam Deus, cum sit imperfectioris conditionis? quare & non summè perfecta: quapropter nec Deus, sicut prima Suppositio manifestat.

D *Contra Idololatras.* 21.

PRoijciant Idololatræ idola sua cuncta, masculina, fœminina, vel neutra, humanæ, bestialis, alteriusue figuræ. Talia siquidem idola multi antiqui Gentiles antiquitùs coluerunt; nonnulli etiam vsque hodie in partibus orientis huiusmodi idola colere perhibentur: Sed quodlibet idolum, si sit alicuius perfectionis, potentiæ, & virtutis, est tantum finitæ, & posset esse maioris; Deus autem nequaquam, sicut suppositio prima docet. Idolum etiam est factibile, & corruptibile: Deus verò necesse esse, sicut eadem suppositio manifestat. Idolum insuper indiget supportante, & pluribus alijs, & est mutabile, potentia irrationalis, compositum ex diuersis: Deus autem nequaquam, sicut quinta, sexta, octaua, & decima partes docent. Nonne etiam homo, bestia, arbor, cœlum, Sol, & Luna, est perfectioris naturæ quàm idolum, metallum, quodcunque lignum, lapis vel lutum? & tamen nullum istorum est Deus,
E sicut 13. 12. & 11. partes monstrant: quare nec aliquod idolum esse potest. Omnes quoque Idololatræ ponunt multitudinem idolorum, quare & deorum, contra 17. partem huius. Idola insuper ponuntur habere sexum & membra diuersa, quod potest refelli per præmissa in ostensione proximæ partis huius. Faciunt quoque Idololatræ idola sua de nobiliori, & ignobiliori, perfectiori, & imperfectiori materia: sed prima Suppositione probante, Deus esse non potest, quo aliquid perfectius reperitur. Idolum quoque factum de nobiliori materia; puta de auro, posset habere maiorem materiam, & forsitan puriorem, plures gemmas, & lapides meliores, quare & melius esse posset: Deus autem nequaquam. Hîc fortassis Idololatræ respondebunt, dicentes, illud materiale idolum, non per se materialiter esse Deum; sed cum fuerit modo debito carminatum, dedicatum, & consecratum, recipere quandam virtu-

tem,& ſic fieri deum, & eſſe. Sed hij poſſunt redargui ſicut prius; quoniam ſi ſit ita, ille deus A
eſt nouus, & non eſt neceſſe eſſe mutabilis, paſsibilis, deſtructibilis,indigens, compoſitus, plurificabilis, ſi locis diuerſis conſecratio talis fiat: Deus autem nequaquam, ſicut præhabita manifeſtant. Illa inſuper virtus quam recipit idolum conſecratum, vel eſt Deus, vel non; ſi eſt Deus, & compoſitum ex idolo materiali, & illa virtute eſt Deus; quare vel ſunt dij multi, vel idem Deus pars ſui ipſius. Ad idem, ſi illa virtus eſt Deus,vel eſt ille Deus, de quo prima Suppoſitio loquitur, vel alius: Si ille, cur non compendioſiùs colitur ſine idolo conſecrato? præſertim cùm non indigeat idolo, cùm etiam idolum dicatur formula ad imaginem, & ſimilitudinem alterius rei formata: Deus autem incorporeus eſt omninò; quare, nec propriè poteſt habere aliquam formulam, aut ſimilitudinem corporalem decima parte teſte. Ille inſuper verus Deus, per nullam incantationem, aut carminationem ad idolum trahi poteſt, cùm ſit immutabilis, impaſsibiliſque omninò. Si alius, ſunt dij multi, contra 17. partem huius. Si virtus illa non ſit Deus,nec idolum materiale eſt Deus,quomodo ergo ex duobus non dijs B
fit Deus? Illa quoque virtus, ſi non ſit Deus, eſt tamen finita,& poſsit eſſe maior, & ſimiliter idolum materiale;quare & totum pariter congregatum: Deus autem nequaquam,prima Suppoſitione,& quarta parte vetante. Item, ſi homo facit ſibi Deum, vel hoc facit virtute propria, vel virtute alterius: Si virtute propria,videtur quòd ipſe ſit dignior Deo ſuo,ſicut quodlibet faciens ſuo facto: Si virtute alterius, vel alterius Dei, vel non Dei: ſi alterius Dei, ergo non ſufficit ille Deus, eruntque dij multi: Si non Dei, quomodo poteſt non Deus, facere vnum Deum? & minus maius, & tam maius? Item, ſi homo faciat ſibi Deum, Deus ille magis tenetur homini, quàm econtra: ſicut filius patri ſuo, & factum factori.

Aliter forſitan reſpondetur, quòd idolum materiale poſt conſecrationem huiuſmodi ritè factam, totum tranſſubſtantiatur, conuertiturque in Deum: Sed quomodo poteſt res corporalis in rem incorporalem immediatè conuerti; Deus enim eſt incorporalis, impartibiliſque omninò decima parte teſte. Hæc quoque conuerſio poteſt multis modis refelli, ſecundum C
data ab eis: Videtur enim cuilibet ſenſui, omni experimento teſtante, quod ibi ſit idem idolum materiale quod prius; Quare, ſi aliqua conuerſio ibi fiat, magis videtur Deum conuerti in idolum, quàm econtra. Ille inſuper Deus in quem conuertitur idolum, vel eſt nouus, vel æternus: Non nouus, prima Suppoſitione vetante: Si æternus, vel eſt ille Deus, de quo prima Suppoſitio loquitur, vel alius,&c. ſicut contra reſponſionem priorem. Et ſi adhuc dixeris conſequenter, quòd Deus moratur in cœlis, nec aduertit quæ circa nos aguntur in terris, nec auxilium nobis præſtat, niſi per huiuſmodi conſecrationem deſcendat in formam idoli ad habitandum nobiſcum: facis Deum mutabilem contra ſextam; nec aduertis, quòd Deus ſemper ſcit omnia per nonam partem, & quod habet voluntatem vniuerſaliter efficacem per octauam. Nonne ergo, etsi Deus habitet in ſummo cœli cacumine, videt omnia quæ geruntur in terra, omnem neceſsitatem tuam, omnem petitionem tuam oris, & cordis? Nonne etiam ſi velit quod iuueris in terra, & habeas petitionem quamcunque efficaciſſime, D
ſtatim fiet? Et nonne tantò libentius petitiones tuas exaudiet, quantò honorabilius & melius ſentis de ipſo? Et nonne honorabilius & melius eſt, quòd ipſe exiſtens in cœlo, ſciat & poſſit iuuare te in terra, quam quod nec hoc ſciat, nec poſſit, niſi relicto cœlo deſcendat ad terram? Sic ergo ſenti de Deo, præſertim cum prima Suppoſitio, & partes præmiſſæ infallibiliter hoc demonſtrant. Præterea idolo conſecrato, vel Deus accedit voluntariè, vel neceſſariò & inuite: Si voluntarie, cognoſcit in cœlo conſecrationem factam tali tempore, & tali loco in terra; Cur ergo non ſimiliter alia vniuerſa? Quòd autem neceſſario, inuitus & coactus per conſecrationem huiuſmodi deſcendat de cœlo, quis dixerit, prima Suppoſitione, parte tertia & ſeptima conſtantiſſime reclamante?

Amplius autem quis faciet conuerſionem huiuſmodi? Si homo, virtute propria, aut verborum ſuorum, cur non poteſt facilius facere omnem conuerſionem minorem cuiuſlibet ſcilicet rei materialis, in quamlibet aliam? Si Deus hanc faciat, cum in omni factione & motione faciens & mouens ſint ſimul cum facto & moto, Deus fuit ibi ſimul cum idolo iam conuerſo, & prius natura quam conuerſio illa fiebat; ad habendum ergo Deum ibi præſentem, non oportuit fieri conuerſionem huiuſmodi. E

Adhuc autem Hermes triplex Triſmegiſtus in libro ſuo de Verbo æterno factor, cultor, & defenſor idolorum, dicit idola & ſtatuas eſſe aliquos deos: non tamen Deum ſummum; ſed ipſi ſubiectos, ipſoque minores, quos & dicit ab hominibus effici, & hanc eſſe hominum maximam poteſtatem, ipſoſque ex animabus corporibuſque componi: & quia homines non poſſunt animas facere, euocant animas Dæmonum, Angelorũ, vel hominũ, & ipſas imaginibus ſacris induunt, ſicut 25.40.& ſequentibus clarè patet. Vnde & 40. omnium, inquit, mirabilium

A bilium vincit admirationem, quod homo diuinam potuit inuenire naturam, eamque efficere. Quoniam ergo proaui nostri multum errabant circa Deorum rationem increduli, & non aduertentes ad cultum religionemque diuinam, inuenerunt artem qua deos efficerent; cui inuentæ adiunxerunt virtutem de mundi natura conuenientem, eamque miscentes, quoniam animas facere non poterant, euocantes animas Dæmonum, vel Angelorum, eas indiderunt imaginibus sanctis, diuinisque mysterijs, per quas idola & benefaciendi & malè vires habere potuissent. Et infra eodem 40. idem ostendit de animabus humanis, & supra 25. loquens Asclepio statuas contemnenti. O, inquit, Asclepi, videsne quatenus tu ipse diffidas statuas animatas sensu & spiritu plenas, tantaque facientes & talia, statuasque futurorum præscias, & vates multa prædicentes, imbecillitates hominibus facientes, easque curantes. Sed si Trismegistus loquatur de Deo, seu dijs vniuoce, per 16. & 17. partes huius faciliter corrigetur. Si autem loquatur æquiuocè, non est nimis curandum: cognitis namque rebus inane videtur circa B nomina nimium altercari.

Verum de religione quam plurimum est curandum, cum ergo Trismegisti ille Deus vnus, de quo prima Suppositio loquitur, sit summè sciens, summè bonus, summè pius & clemens, summè largus & potens, sit etiam vtique præsens, sicut eadem Suppositio, & partes sequentes demonstrant, & tu ipse in eodem libro tuo diuersis locis fateris, cur deos alios, aut deum alium tibi fingis? Cur non potest tibi sufficere iste vnus? præsertim cum iste Deus in qualibet bonitate excedat quemlibet alium, & quoslibet alios infinite, sicut tertia pars & quarta euidenter ostendunt. Cur ergo ipsum minus sufficientem existimas, aut minus propitium supplicanti? Cur etiam in eius præiudicium & contemptum, dijs alijs manufactis honorem diuinitatis impendis, ab alijsque impendi procuras. Cur etiam insuper Dæmonibus, Spiritibus reprobis & malignis, inimicis veri Dei & amicorum suorum, idola consecras, cultum præstas, veri Dei cultui derogando. Nonne Bel, Astaroth, & cætera nomina idolorum sunt C nomina Dæmonum & Spirituum malignorum, sicut Libri Necromantici de officio Spirituum & alij manifestant? Quid, quæso, differt consecratio idoli, à consecratione magica Capitis Veneris, aut Saturni. Imo tale caput debitè consecratum, multum diuinius idolo videretur. Caput namque huiusmodi plurimi Spiritus incolere perhibentur: idolum verò vnus. Sed quis nesciat caput taliter consecratum, seu potius execratum, Deum non esse, nec diuino honore colendum. Cur etiam Latriam cuicunque creaturæ impendis cultum, scilicet debitum soli Deo, non enim te latet Trismegiste Pater Philosophorum (vt puto) quod Deus est causa finalis cuiuslibet creaturæ, sicut etiam per primam Suppositionem cum secunda facilè suadetur. Nulla ergo creatura propter se finaliter est amanda, honoranda, nec colenda: sed finaliter propter Deum, vt sic ipse in ea finaliter & principaliter honoretur.

Respondebis fortassis, dicendo, quod sic & non aliter istos Deos honoras, cultumque Duliæ non Latriæ eis præbes. Sed cur quæso, Diabolum inimicum Dei & omnium amicorum D suorum, Angelorum & hominum sic adoras? Nunquam enim audiui de idolo nomine alicuius sancti Angeli dedicato; sed tantum nomini Bel, Astaroth, aut similium, quos omnes Dæmones & reprobos spiritus esse constat.

Et si adhuc dixeris aliquem Sanctum Angelum inhabitare aliquod idolum consecratum, quomodo quæso, ad consecrationem tuam ingreditur idolum, voluntarie an coacte? Voluntarie non videtur. Quomodo namque S. Angelus & beatus, societatem gloriosissimam Angelorum, & gloriosissimum cœlum gratis relinqueret, & ad carcerem idoli tenebrosum descenderet, & solitarius ibi maneret? Si etiam voluntarie accedit ad idolum, posset non accedere; quare & post totam consecrationem huiusmodi rite factam posset idolum non esse Deus; sed tantum materia quæ præcesit: sicque vos non Deum, sed tantum illam materiam coleretis, quod & vos (vt puto) negatis. Si insuper voluntarie veniat, voluntarie ibi moratur, potestque voluntarie recedere quandocunque, & sic vos delusi adorabitis vnum truncum. E Neque ad consecrationem tuam coactus ingreditur & inuitus. Sic enim Angelus beatus in cœlo, efficeretur miser in terra. Quomodo etiam vires tuæ, fortissimi Angeli vires excedunt, aut prudentia tua suam? Quomodo etiam vires carminum, aromatum, & herbarum transcendunt terminos naturales, in summum cœli conscendunt, Angelosque depellunt, includunt, incarcerant, & insolubiliter ipsos ligant?

Si insuper huiusmodi consecratio potest vnum Angelum cœlestem inuitum de cœlo detrahere, cur non vnum alium, & adhuc alium, & alios vniuersos, & ita totum cœlum ab Angelis vacuare? Nonne etiam eadem hora, qua tu in loco tuo aliquem Angelum euocas, posset & alius alibi eundem similiter euocare, ad quem ergo vestrum veniret? certe ad neutrum, sicque eritis ambo delusi, & adorabitis purum lapidem siue lignum.

Adhuc autem, si quis idolo tuo in loco tuo nomine cuiuspiam Angeli consecrato, euocet eundem Angelum ad aliud idolum alibi, per consecrationem, carminationem, herbas, gemmas, thura, aromata, & omnia huiusmodi fortiora, nonne idolum tuum relinquet, aliudque adibit? Præterea, consecratione tua cessante, & te vnà cum alijs dormiente, quid Angelũ inuitum ibi perpetuò detineret? effectus enim continuatus, causam continuantem requirit. Quod autem aliqua vis characterum, herbarum, aromatum, aut gemmarum, haberet tantum dominium super tam potentem, & nobilem creaturam, esset omninò dissonum rationi, & contrarium ordini naturali. Quomodo etiam non est contrarium ordini naturali, quod homo inferior præsit superioribus Angelis imperando, mittendo, & sicut voluerit, compellendo? magis enim deceret è contra, sicut videmus in qualibet politia, in quacunque familia, in omni domo congruè ordinata. A

Dices forsitan, Trismegiste, sicut in libro tuo quandoque videris innuere, quod homo est perfectior & superior Angelo in ordine naturali, cur ergo creaturæ tibi subiectæ te subijcis, & ipsam pro Deo tuo honoras & colis? magis enim deceret è contra. B

De animabus quoque humanis bonis & sanctis similiter arguendum, præsertim cum te autore, recedentes a corpore cœlum scandant.

Amplius autem si efficis tibi Deum, videtur quod quoquomodo maior, digniorque sis ipso, sicut faciens facto suo; & quod Deus tuus, si sit gratus, magis tenetur te diligere, honorare, & colere, quàm tu ipsum: magis enim fecisti pro eo. Esse namque ipsi dedisti sicut & pater: imò amplius quàm pater filio suo dedit, cuius & esse continuè in nutu arbitrij tui pendet. Potes enim per aliquid contrarium consecrationi priori ipsum resoluere, ipsumue per ignem, malleum aut securim redigere in puluerem, & in nihilum. Nec ratio tua Hermes alicui rationali debet concludere animali: scis enim benè, sicut & Necromantici, & alij benè sciunt, quod Dæmones, reprobi & maligni sunt præscij futurorum, & multa mirabilia etiam in corporibus hominum operantur: non tamen sunt dij colendi ab hominibus; sed cauendi tanquam inimici ipsorum pestiferi, & callidi seductores. C

Quidam verò subtilius respondentes, & ad veram religionem propinquius accedentes, dicunt, quòd Deus verus, etsi sit vnus, & incorporalis, & simplex, habet tamen multas virtutes, quas, & per quas, seipsum ostendit, effectus plurimos corporales & sensibiles faciendo, à quibus & correspondenter multis nominibus appellatur. Vnde Philosophus in De mundo vltimo dicit, quòd Deus cùm sit vnus, est tamen multinomius secundum multitudinẽ illorum quæ innouat, & quorum est causa, & quod vocatur Iupiter, & alijs multis nominibus. Ostendebatur quoque superiùs per testimonia alia, quòd Deus Iupiter appellatur. Quare & Albricius London, De origine deorum, siue in Poëtastro suo in Prologo, dicit Deum vocari Vitunetum, quia vitam præstat; Sentinum, quia sensum: vocaturque Iupiter in æthere, Iuno in aëre, Diana in terra, & diuerso sexu, pro quo & allegat hos versus Valerij Soriani:

Iupiter Omnipotens rerum Regumque repertor,
Progenitor genitrixq́ Deûm, Deus vnus & idem. D

Quare & isti responsales dicunt vlterius, quòd ipsi fabricant idolum tantummodo Deo vero, etsi multum dissimile & indignum; similiori tamen modo, & digniori, quo sciunt & possunt. Multa etiam idola fabricare se dicunt vnico Deo vero, propter multitudinem nominum, effectuum, & virtutum illius; sicque idola ista colunt, non propter ipsa idola vllo modo; sed vt per ipsum vnicum Deum verum, & multiplicem eius virtutem multipliciter venerentur: Et hæc videtur responsio sapientium veterum Romanorum. Sed vtinam omnes idolorum cultores sic saperent, sic sentirent. Verùm ad quid, rogo, oportet tot nomina imponere vni Deo? tot & tam varia idola fabricare? cùm posset compendiosius, breuius, leuius, & vtilius, vnico nomine proprio dici Deus, & similiter etiam sine idolo adorari: Ipso namque sub isto nomine adorato, coadorantur necessariò omnes eius virtutes; non enim realiter differunt hæ ab eo, sicut quinta & decima partes docent, & responsio confitetur. Qui autem Dei virtutes non nisi singillatim, & per singula idola adorare voluerit, nunquam singulas adorabit: imò necesse est, vt plures incomparabiliter non adoret, quam vnquam adoret, cùm Deus habeat infinitas virtutes, sicut tertia pars demonstrat: ipse verò tantum finitas & paucas possit distinctè cognoscere, & tantum finita idola fabricare. E

Nonne etiam compendiosius vtiliusque apparet, quod in quacunque necessitate habeas vnum certum refugium sufficientissimum omniquaque, sicut est Deus, quinta parte, septima, octaua, & nona testantibus, ad quod promptè semper supplicando recurras? quam quòd secundum doctrinam Varronis, in infirmitate ad Esculapium, in bello ad Martem, in mari ad Neptunum, pro vino ad Liberum, pro aqua ad Nymphas, & ita in singulis necessitatibus

A bus ad singulos Deos, nominaue Deorum, seu Dei recurras? potes enim in multas necessitates incidere, vnde nescias ad aliquem proprium Deum refugere deprecando, nisi fortassis volueris fingere tibi aliquem nouum Deum, & ipsi idolum nouum fabricare: sed priusquam hoc feceris, forte peribis. Sufficiat igitur tibi semper, vbique, in omnibus sufficientissimus, & omnipotentissimus, & clementissimus, vnicus verus Deus, & vnicum nomen eius, relicta multitudine idolorum.

Caueat quoque sibi, quicunque subtilis & doctus, dum virtutes Dei multas & varias prædicat, dum ipsum variè nominat, & varia idola fabricat, licet ipse sanè intelligat, quod hę virtutes in Deo nequaquam realiter differant; sed sint idem, & Deus realiter tantum vnus & simplex; ne forte rudes simplices & indoctos faciat credere, quod hæ virtutes realiter differant; quod etiam sint dij multi realiter differentes secundum multitudinem nominum, & differentias idolorum.

B

Contra Arrianos. 22

Conuertantur aridi Arriani, non minimam partem Asiæ auertentes, qui teste Aug. de Hæresibus 49. & Isidoro 8. Etymol. 11. & in Canone vbi prius Personarum Diuinarum substantiam separant, ipsasque inæquales, & non coæternas coaffirmant: sed Filium creaturam temporalem patris, & Spiritum S. creaturam Filij temporalem: quoniam si sic esset, esset & pluralitas inæqualitasque Deorum contra præmissa, & contra primæ Suppositionis edictum.

Quomodo etiam Deus esset, qui æternus & necesse esse non esset, sicut Suppositio prima monstrat, & præcedentia docuerunt?

Contra Donatistas. 23

C

Reuertantur Donatistæ, totam fere Aphricam abducentes, similes & dissimiles Arrianis, dicentes diuinas Personas esse eiusdem substantiæ, sed magnitudinis inæqualis: quia Filium minorem Patre, & Spiritum Sanctum vtroque, sicut nonnullæ Historiæ, & Aug. de Hæresibus 69. & Epistola 32. ad Bonifacium contestantur. Sed hij dignentur agnoscere, quod Deus esse non potest, qui non est summè perfectus, sicut Suppositio 1ª. docet.

Contra Sabellianos. 24

Reuereantur Sabelliani ponentes in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto vnitatem & identitatem essentiæ & personæ. Deum enim necesse est esse, & necesse est esse Deum, sicut Suppositio 1ª. monstrat, sicut superius est ostensum: sed tale quid impossibile est esse; vel si quo-
D modolibet posset esse, Deus esse non posset. Si enim idem sit Pater & Filius; vel hoc est respectu suiipsius, vel respectu alterius: Non respectu suiipsius; nulla enim res seipsam gignit, efficit, aut producit (hoc enim contradictionem includit) || *iudice* animo cuiuscunque, || teste quod & præcedentia manifestant: Si respectu alterius, Deus ergo Filius est ab alio à se, alio inquam personaliter & essentialiter. Illud ergo sic aliud, vel est Deus, vel non: Si est Deus, sunt dij multi, contra prius ostensa: Si non est Deus, Deus gignitur, & est à non Deo; cuius oppositum Suppositio 1ª. monstrat, sicut præcedentia declarabant. Nec potest quis pro Sabellio respondere, dicendo Deum non simul esse Patrem & Filium & Spiritum Sanctum; sed successiuè cum voluerit, sigillatim nunc hunc, tunc illum, alias verò istum. Nam quando est filius, necesse est eum esse filium alicuius Patris, siue parentis; hæc enim ad inuicem necessario referuntur, sicut nullius animus permittitur ignorare. Sed nec potest esse filius sui, nec alterius, sicut superius est ostensum, hypothesi eius stante: esset quoque Deus
E mutabilis contra sextam partem præmissam.

Contra non distinguentes, sed concedentes simpliciter Deum esse infinitæ virtutis & potentiæ infinitæ, etiam intensiuè. 25

Distinguant & separent purum à vili, & verum intellectum à falso, qui dicunt Deum esse infinitæ virtutis, & potentiæ infinitæ. De infinitate siquidem secundum durationem tantummodo, vel secundum extensionem, seu secundum alios modos improprios, quos tangit Philosophus 3. Phys. nullus videtur velle debere intelligi tale dictum, sed secundum intensionem

intenſionem ſolummodo, quod & ſecundum infinitatem huiuſmodi poteſt habere duplicem A
intellectum: Vnum proprium, ſcilicet quod Deus propriè ſit intenſus, eiuſque virtus & potentia infinitè, quaſi lux quædam remiſſa intenderetur, donec eſſet infinitè intenſa; vel quod ab initio eſſet infinitè intenſa, ſicut caliditas, & qualitates aliæ naturales ſub certis gradibus ſunt intenſæ: Sed ſic Deus non eſt intenſiuè propriè infinitus, nec aliqua virtus eius. Quicquid enim propriè eſt intenſum, irrepugnanter poſſet remitti. Poſſet ergo Deus & virtus eius remitti, & eſſe imperfectior quam ſit modo, quam potentiam cum eius actu, pars quarta & Suppoſitio prima vetant.

Si etiam Deus propriè eſſet intenſus, eſſet irrepugnanter poſsibile aliquod eſſe ſuppoſitum remiſsius eiuſdem ſpeciei, ſeu naturæ: & cum Deus ſit nomen eſſentiale, quia aliter Deus poſſet non eſſe Deus, illud Suppoſitum remiſsius poſitum eſſet Deus, quare & ſecundum quartam partem eſſet ſummè perfectum, quapropter & ſummè intenſum. Prius inſuper erat oſtenſum non eſſe poſsibile eſſe multos deos inæquales eiuſdem ſpeciei ſiue naturæ: Cur etiam B
non poſſet Deus remiſsior intendi ad ſummum, & ad æqualitatem intenſioris, cum ſit eiuſdem naturæ: ſicque poſſent eſſe dij multi æquales, eiuſdem ſpeciei, ſolo numero differentes: eſſet quoque Deus mutabilis, quod erat ſuperius reprobatum.

Hoc idem poſſet & aliter multipliciter demonſtrari, ſed iſta puto debere ſufficere amatori cuilibet veritatis. Eſt ergo Deus non intenſus propriè, nec remiſſus, non intenſibilis, nec remiſsibilis; ſed indiuiſibiliſsimæ, immutabiliſsimæ, ſtabiliſsimæ, ſimpliciſsimæque naturæ: Eſt tamen verè, licet impropriè quodammodo infinitæ virtutis, infinitæ fortitudinis, infinitę potentiæ intenſiuè; quod poteſt intelligi 3. modis. Primo reſpectu aliarum potentiarum actiuarum, ſcilicet æquiualenter, & etiam præualenter: Nam quantamcunque actionem ſeu effectum poteſt iſta potentia actiua, puta caliditas & dupla huius & quadrupla, & ita deinceps, poteſt Deus propria potentia, ſine auxilio cuiuſcunque, inſuper & maiorem: imò & ſi poſſet eſſe caliditas infinita intenſiue & agere tantum, ſimiliter poſſet Deus. Secundo, quantum ad C
ſpeciem actionis: Poteſt enim Deus propria potentia de nihilo aliquid facere & creare, quod nulla alia potentia quantumlibet magna poteſt. Tertio quantum ad menſuram actionis extrinſecæ ſeu effectus: Omnem enim effectum, quem alia cauſa facit in aliquo tempore, poſſet Deus facere in minori tempore quantumlibet & minore, imò etiam in inſtanti: Poteſt quoque Deus in aliquam operationem extrinſecam ſeu effectum, & maiorem in duplo, in quadruplo, & ita deinceps quantumlibet ſine fine. Non eſt ergo aliquod maximum quod poteſt, nec minimum quod non poteſt, quare veraciter dici poteſt potentiæ infinitæ. Nam ſecundum Philoſophum 1. de Cœlo & Mundo 116. & per Auerroem in Comment. Potentia actiua definitur & terminatur per maximum, in quod poteſt, vel ſecundum ſubtilius forſitan intuentes, per minimum, in quod non poteſt.

26 *Contra pictores Dei, ipſum varijs qualitatibus, attributis, habitibus, vel actibus accidentalibus accidenteuè aliquo depingentes.* D

DEſiſtant pictores Dei, ipſum varijs qualitatibus, attributis, habitibus vel actibus accidentalibus & realiter diuerſis ab eo, aut quibuſlibet accidentibus, accidenteue aliquo depingentes: Tales etenim qualitates & accidentia talia nō eſſent infinitè intenſa propter præmiſſa; neque finitè, propter quartam partem præmiſſam. Illa quoque accidentia vel eſſent infinita numero, vel finita: non infinita, melius eſt enim perfici per finita & paucioribus indigere, quam pluribus. Hoc ergo Suppoſitio prima non ſinit, nec ſecunda permittit: nec poſſunt poni finita, quia tunc plura numero plus valerent. Sic quoque Deus non eſſet ſummè perfectus, nec haberet omnem potentiam & virtutem, quod tamen Suppoſitio prima monſtrat.

Amplius autem quod Deus nullis accidentibus diſponatur; imò nec aliquo accidente, attentis prioribus clarè patet: Si namque accidentibus aliquibus, aut accidenti alicui ſubiaceret, E
non eſſet actus puriſsimus, nec maxime actualis contra tertiam partem huius.

Rurſum ſi Deus habeat aliquod accidens, vel illud eſt ſuperfluum, vel neceſſarium, aut vtile: non ſuperfluum, propter tertiam partem huius; neque neceſſarium, vel vtile, propter 5am.

Adhuc autem cum accidens poſsit adeſſe & abeſſe ſubiecto manente, ſi Deus per aliquod accidens diſponatur, eſt mutabilis contra ſextam partem præmiſſam.

27 *Contra deſperationem ſiue ex magnitudine, ſiue ex multitudine peccatorum.*

REſpirent Cainitæ atque Iudaici, ex quantacunque magnitudine, vel multitudine ſcelerum deſperantes. Cainitæ dicuntur à Cain, qui propter iniquitatis ſuæ magnitudinem de

A venia desperauit: Maior, inquit, est iniquitas mea, quam vt veniam merear, Gen. 4.

Iudaici a Iudæis dicuntur, qui propter multitudinem peccatorum suorum desperant: Pertinaciter namque credunt, & mihi ipsi pauco tempore euoluto constanter dixerunt, quod si quis quarta vice peccauerit, non est ei possibilis venia, nec pœnitentiæ medicina, quod intelligendum est de eodem genere peccati, & de eo qui aliquando lapsus est in peccatum, & per misericordiam Dei, & pœnitentiam resurrexit; qui & post pœnitentiam recidiuans secundo est lapsus, & secundo similiter resurrexit, qui & adhuc recidiuando tertio labitur, tertio quoq; resurgit; qui secundum ipsos, si quarto labitur, resurgere non valebit, sed omnis ei adimitur spes salutis. Hæc autem eorum opinio videtur eis fundari, Amos 1. vbi Dominus dicit ita; Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non conuertam eum: & ita de tribus sceleribus & quatuor, Gazæ, Tyri, Edom, Ammon, Moab, Iuda & Israel consequenter. Et quærenti mihi à quodam perito Iudæo, si contingat quenquam inter eos quarto peccare, quid faceret:
B respondit, Quod quicquid libuerit, sicut certissimè Diabolo traditus & damnatus, & tandem fortassis, in aliquo nemore aut deserto vagabitur errabundus, & aliqua se misera morte perdet.

Sed tam hos, quàm illos prima Suppositio arguit, & reducit ad spem misericordiæ, veniæ & salutis. Si namque Deus est summè bonus, ita quod nihil melius esse posset: est & summè misericors, ita quod nihil misericordius possit esse, aut etiam cogitari. Est & simili modo summè pius & clemens, summè diues & potens, summè liberalis, summè largus, summè magnificus, & bonitatibus omnibus summè bonus, & supra quam intelligi valeat summè plenus, sicut tertia & quarta partes ostendunt: Quis enim vel leuiter hæsitat misericordiam, pietatem, clementiam, potentiam, liberalitatem, largitatem, magnificentiam, & cætera talia esse præclarissimas bonitates; Peccatum autem hominis quantumcunque magnum, finitum est, & paruum. Posset enim augeri, possetque esse peccatum aliud maius illo, imo est quasi || *punctus* nihilum, & inane respectu diuinæ misericordiæ, pietatis & clementiæ infinitissimè infinitæ, sicut quodcunque finitum, respectu cuiuslibet infiniti. Cur ergo tanta misericordia & pietas, tanta clementia & potestas, non possit tantillum peccatum superare, tollere, & purgare? Cur tanta liberalitas, & tanta largitas, & tam magna magnificentia non possit debitum tantillum dimittere filio prodigo pœnitenti, humiliter supplicanti, & vnde redderet non habenti? Cur non tantillam eius indigentiam plenissimè releuare, imo & vltra hæc aliqua magna munera ei dare? præsertim cùm ex dimissionibus, & largitionibus talibus, ipsius diuitiæ, & copiæ infinitæ nulla inopia minuantur, nihil ei decrescat: sed quodammodo magis accrescat vnum inæstimabile iocale, vna clarissima margarita, vna prætiocissima anima, vna dignissima creatura, & per illam aliæ forsan multæ. Cùm etiam per hoc ciues eius domestici & amici magno gaudio gratulentur, & magis eum laudent, glorificent, & adorent.

|| penitus.

C

Nonne potentius est posse hæc facere, quàm non posse? & nonne misericordius, & clementius, liberalius, & magnificentius est potentem sic facere misero, indigenti, veraciter pœnitenti, desistere proponenti, & humiliter supplicanti; quam auertere faciem, obstruere aurem, cor, incompassibiliter obdurare, & fontem innumerabilis misericordiæ miseris præparatum misericorditer obturare? Nonne ergo posse sic facere, atque sic facere conuenientissimè conuenit bono Deo, ac decentissimè eum decet, sicut Suppositio prima monstrat. Qui etiam dixerit vsque ad tantum, aut tantum, potest Deus peccatum dimittere, abluere, & purgare, & vltra non potest; nonne bonitati, diuinæ potentiæ, & misericordiæ infinitæ simpliciter omniquaque finem præstituit, limitem & mensuram? & ipsam quasi sub modio comprimit & coarctat? Quicunque ergo quantacunque magna magnitudine peccati depressus securè pœniteat, indubitanter accedat, certam spem hauriat misericordiæ, veniæ, & salutis. Quare & quicunque quantalibet multa multitudine peccatorum transfixus confidenter redeat ad spem vitæ. Quodlibet namque peccatorum suorum finitum est & paruum: quare & tota
E multitudo similiter suorum omnium peccatorum, præsertim cùm omnia illa, vt dicunt, sint quatuor, vel saltem finito & breui numero compræhensa: possetque tota illa multitudo adhuc peccando vlterius [in numero] adaugeri, possetque in malitia augmentari, & in duplo, & in centuplo, & quantum volueris maior esse, si viz: quælibet vnitas quodlibet peccatorum simplicium esset auctum, & proportionaliter augmentatum: potestque esse multitudo alia peccatorum maior numero, & in malitia multipliciter maior illa. Hæc ergo multitudo finita est & paruula, quasi nihil respectu diuinæ misericordiæ, & potentiæ, pietatis, & clementiæ, largitatis, & magnificentiæ infinitissimè infinitæ supra omnem numerum & mensuram, sicut prima Suppositio cum tertia & quarta partibus clarè monstrant, & cætera sicut supra.

D

Quis insuper audeat dicere, ad tantum, aut tantum numerum potest Deus peccata dimittere,

tere, & manum pietatis extendere, & non vltra: Bonitas namque, potentia, ſapientia, miſericordia, & cæteræ Dei virtutes, ſicut ſunt infinitæ, ſimpliciter intenſiuè, ſic etiam innumeroſè, ſicut prima Suppoſitio, cum tertia & quarta partibus manifeſtant. Vos etiam ſpecialiter conuenio, ô Iudæi: Nonne aliquo committente ſemel aliquam leuem gulam, ſuperbiam, aut aliquod leue peccatum, & ſtatim per pœnitentiam reſurgente, & ſic 2° & 3°. & adhuc 4°. ex praua conſuetudine & humana fragilitate peccante; nonnne, inquam, poſſet quis committere prima vice vnum grande peccatum, puta horribiliſſimam blaſphemiam, crudeliſſimum homicidium, turpiſſimum inceſtum, aliudue peccatum æque ponderans, vel præponderans huic quarto peccato, hijs quatuorue peccatis, & de illo quantumlibet graui & magno miſericordiam conſequi, & veniam impetrare, ſicut præhabita docuerunt, quod & bene facitis concedendo. Cur ergo non de illo quarto peccato huic æquali, vel forte minori omnibus circumſtantijs ponderatis? A

Si inſuper alicuius Patris aut Domini eſſet vnus Filius, ſiue ſeruus totus timoroſus, proponeretque vitare offenſam Patris aut Domini, quantum poſſet, & ad hoc multipliciter laboraret: ex ignorantia tamen aut fragilitate humana, ſemel offendit Patrem aut Dominum, & ſtatim cum lachrymis & omni ſatisfactione poſſibili reconciliationem diligenter quærit & accipit, & ſic ſecundò & tertiò conſequenter; qui & ſimiliter quartò peccat, & ſimili modo vel deuotiori, ſi poteſt, reconciliationem requirit, cum firmo propoſito nunquam amplius delinquendi; & hoc totum, non timore pœnæ; ſed amore iuſtitiæ, non timore ſeruili; ſed amore deuotiſſimo filiali; eſſetque eiuſdem Patris aut Domini alius filius, ſiue ſeruus totus ſuperbus, contumax & rebellis, qui in contemptum Patris ſui aut Domini proponeret ſemper peccare, nunquam pœnitere, nunquam ſatisfacere, nec vnquam reconciliationem aliquam impetrare, & ita viuat ſceleritatiſſimè multis annis, ſemper pro viribus ſcelera ſceleribus cumulando: nonne ille habilior & diſpoſitior eſt quam iſte, ad miſericordiam conſequendam, & ad reconciliationem plenariam impetrandam? Alias etenim occaſio nimia præberetur, vt homines velut porci peccatis ſuis iacerent vſque ad veſperam vitæ ſuæ, & tunc tandem quando vlterius peccare non poſſent, ſemel & ſimul de peccatis omnibus pœniterent, quantumlibet tepidè, vel remiſsè: Sed quis quæſo ſic ſapit, niſi qui deſipit & inſanit? B C

Tu quoque Iudæe, nonne vnquam quartò dimiſiſti filio tuo, aut ſeruo extraneo delinquenti, humiliter & veraciter pœnitenti; puto quod quinto, ſexto, & ſeptimo, immò & ſeptuageties ſepties ſi oportuit & deinceps. Et ſi tu non feciſti, ſcio quod ego feci, & multi alij ſæpius ſic fecerunt: Et nonne & Deus ſummè bonus eſt ita miſericors, ſicut miſer peccator? immò incomparabiliter longè miſericordior ſuper omnem numerum & menſuram, ſicut 1ª. Suppoſitio clariſſime manifeſtat. Quicunq; ergo quantalibet multa multitudine peccatorum grauatus, ſecurè pœniteat, peccare deſiſtat; & ſpem certam accipiat gratię, vitę & gloriæ conſequendę. Motiuum autem Iudęorum ſi intelligatur ad literam non facit pro eis. Veritas enim eſt quod Dominus quoſdam peccatores de plurimis peccatis quandoque conuertit: quoſdam autem de paucis, etiam de vno actuali aut originali tantummodo aliquoties non conuertit. Si autem moraliter exponatur, etiam non facit pro eis: Nam moraliter exponendo, primum peccatum poteſt intelligi malum illecebroſè, & voluntariè cogitare: Secundum malo conſentire: Tertium opere adimplere: Vel primum eſt velle malum facere: Secundum quærere opportunitatem faciendi: Tertium nacta opportunitate, opere conſummare: Quartum verò peccatum eſt, ita finaliter permanere ſine pœnitentia aut correctione in vita præſenti, à quo peccato Dominus non conuertit in vita præſenti, quia tunc ſic non finaliter permaneret, nec etiam poſt hanc vitam: Confitentur enim Iudæi, quod ſi ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem; in quocunque loco ceciderit ibi erit, Eccl. 11. D

28 *Contra Cainitas credentes Deum nullum peccatorem ad gratiam reconciliationis admittere, niſi prius tantum vel amplius merendo ſatisfecerit, & ſatisfaciendo meruerit quantum deliquit.* E

CAueant Cainitæ credentes, & ideo forſitan deſperantes, Deum nullum peccatorem ad gratiam reconciliationis admittere; niſi prius tantum vel amplius merendo ſatisfecerit, & ſatisfaciendo meruerit quantum deliquit. Nonne hoc intendebat Cain, cum dixit, Maior eſt iniquitas mea quàm vt veniam merear: quaſi diceret; Si iniquitas mea eſſet minor & parua, poſſem ſatisfaciendo proportionaliter veniam promereri: ſed ſi ſic eſſet, qui ſemper peccauit grauiſſimè multis annis, vſque ad ſenectam aut ſenium, deberet neceſſariò deſperare: Non enim poteſt tantum ſatisfacere & mereri, quantum deliquit, contra proximò præoſtenſa.

Qomodo

A Quomodo insuper esset Deus summè misericors ita quod nihil misericordius esse posset, sicut prima Suppositio & præmissa testantur, si nulli offensam, aut debitum peccati dimitteret, nisi plena satisfactione præmissa? Non est hoc opus misericordiæ, sed iustitiæ & rigoris: imò non sic facere impietas atque crudelitas videretur: Nonne etiam homo bonus & misericors quandoque remittit iniuriam supplicanti sine satisfactione plenaria præcedenti? quanto magis Deus, qui prima Suppositione docente, incomparabiliter melior & misericordior demonstratur.

Contra Pelagianos seu Cainitas fingentes Deum nulli beneficium gratis dare, sed tantùm pro suo merito præcedente. 29.

Palleant Pelagiani, imò potiùs Cainitæ, filij & sectatores Cain, fingentes Deum nulli beneficium gratis dare; sed tantum pro merito præcedente. Nonne innuit satis Cain, quod venia B nulli datur, nisi meruerit illam prius? quare & quod neque gratia est venia, seu quâ fit venia peccatorum. Pelagiani verò, filij & sectatores Cain, quod pater eorum dixit implicite, dicunt explicite; gratiam scilicet, secundum merita nostra dari: Et si gratia non gratis detur, quid aliud gratis datur? Nonne ideo apud Hesiodum, Homerum, Chrysippum, & alios veteres Græcorum Poetas, tres Gratię, Iouis filiæ, sorores, manibus implexis ridentes, iuuenes, virgines, veste soluta atque perlucida describuntur? Et vt de cæteris taceam, quare virgines, & veste soluta, nisi vt gratias beneficiorum gratuitas, nullum prætium intercedens prostituat, aut corrumpat? in quibus & secundum Senecam 1. de Benef. 3. nihil esse alligati decet nec ascripti. Non & ideo Philosophus 2. Rhet. suæ 11. definiens gratiam, sit, inquit, Gratia secundum quam dicitur, habens gratiam subuenire indigenti, non pro aliquo, neque vt aliquid sibi subuenienti, sed vt illi aliquid. Hic igitur Cain maledictus est auctor & pater pestifer Pelagianorum pestilentium in hac parte: O generatio quàm peruersa, & filij infideles. C Sed nonne si Suppositione prima docente, Deus est summè bonus, ita quod nihil melius esse posset; & est summè liberalis, ita quod nihil liberalius esse posset, aut etiam cogitari? Et nonne liberalius est dare quam vendere? gratis dare, quàm pro aliquo merito veluti quodam præmio præcedenti, aut etiam subsequenti? Nonne homo liberalis multa sic donat; cur ergo non Deus liberalior infinitè?

Contra indoctos artis amandi, nescientes Deum esse propter seipsum amandum, & cætera propter Deum, omnesque actus humanos ad ipsum propter se finaliter ordinandos, ipsumque esse super omnia diligendum, putantes quoque hominem pro quantiscunque bonis lucrandis siue seruandis, aut quantiscunque malis pœnalibus habitis amouendis, siue non habitis præcauendis potentem ista non facere, non peccando debere saltem scienter quicquam etiam minimum facere contra Deum, contra præceptionem, contra prohibitionem diuinam, ipsum vel leuissimè quomodolibet offendendo contra conscientiæ regulam diuinitùs institutam, vel quomodocunque quantumlibet minimum scienter peccare. 30.

D

Si quis in hoc artem populo non nouit amandi,
Hic legat, & lecto carmine, doctus amet.

Sciat ergo omnis homo Deum esse propter seipsum amandum, & cætera propter Deum, omnesque actus humanos ad ipsum propter seipsum finaliter ordinandos, quare & Deum esse super omnia diligendum. Quapropter & nullum hominem pro quantiscunque bonis lucrandis, siue seruandis, aut quantiscunque malis pœnalibus habitis amouendis, siue non habitis E præcauendis, dum tamen posset ista non facere non peccando, debere saltem scienter quicquam etiam minimum facere contra Deum, contra præceptionem aut prohibitionem diuinam, contra conscientiæ regulam diuinitus institutam, vel quomodocunque quantumlibet minimum scienter peccare, ipsum vel leuissimè quomodolibet offendendo. Constat siquidem tantum bonum quantum est Deus, esse amandum, & non propter aliud, ordine congruo, naturali: non enim ad aliud naturaliter ordinatur. Quoniam secundum ordinem naturalem, vilius ordinatur ad dignius, & minus perfectum ad magis perfectum, & minus bonum ad maius: quodlibet autem citra Deum, est minus perfectum & bonum, quàm ipse, sicut Suppositio prima monstrat.

Item, dignius, perfectius & melius est esse amandum propter se, quam propter aliud, sicut ex

ex præmiſsis apparet, nec aliquis dubitat. Cum ergo Deus ſit amandus, eſt propter ſe amandus, ſicut prima Suppoſitio, & tertia pars oſtendunt. A

Item, ſi Deus eſſet amandus propter aliud, ſecundum ordinem rectum amandi, illud eſſet magis amandum: finis enim magis amatur, quàm id quod eſt ad finem; & id quod propter ſe amatur, quàm illud quod ſolummodo propter aliud, ſicut cuiuſlibet animus experitur, teſtis quoque eſt Philoſophus 1. Poſter.2. Semper, inquiens, propter quod vnumquodque, illud magis eſt; vt propter quod amamus, illud amicum magis eſt: ſed quod bonum magis amandum, ſummo & maximo bono Deo?

Item inter amanda, hoc quidem ſecundum ordinem dignum amandi eſt propter illud amandum, & illud propter aliud aliquid, & deinceps, & ſic non eſt infinitus proceſſus, ſicut ſecunda Suppoſitio manifeſtat, ſicuti & cuiuſlibet animus ſibi dicit. Eſt ergo aliquid quod propter ſeipſum finaliter eſt amandum, & alia propter illud, & quid dignius tale, quam Deus.

|| naturaliū Item ſecundum hæc eadem, aliquis eſt finis omnium entium|| *naturalis*: finis autem ſecundum ordinem naturalem eſt perfectior, dignior, melior hijs quæ ſunt ad finem, & propter ſeipſum amandus, & alia propter ipſum, ſicut & hic præmiſſa, & Philoſophi conteſtantur. Sed quid eſt perfectius, dignius & melius omnibus entibus naturalibus, niſi Deus? Ipſe ergo eſt finis omnium naturalis, & propter ſeipſum amandus, & alia propter ipſum. Secunda particula ſequitur ex hac prima, & ex præhabitis circa primam. Tertia particula ſequitur ex ſecunda, & ex præhabitis circa primam: Conſtat enim hominem, cum ſit rationalis creatura, rationabiliter debere omnes actus ſuos ad finem aliquem ordinare: quilibet autem finis intentus ab homine, ſi non ſit vltimus, debet rationabiliter ordinari ad finem vlteriorem & vltimum qui eſt Deus. Quarta particula conſequitur euidenter ex prima & ſecunda particulis huius partis. Quinta particula videtur ſequi ex quarta. B

Item bonæ perſonæ & magnæ cauenda eſt offenſa, & melioris ac maioris perſonæ magis; quantum ergo cauenda eſt offenſa perſonæ diuinæ, qua melior & maior eſſe non poſſet, ſicut Suppoſitio prima docet; certe tantum, quod pro nulla re debet ſcienter committi. C

Item dicat falſigraphus, ſi audeat, oppoſitam partem huius, quenquam ſcilicet debere ſecundum exigentiam rationis, pro aliquo bono captando, aut aliquo malo vitando, quod poteſt non facere ſine peccato, offendere Deum ſcienter, qui & ponatur ſic Deum offendere faciendo *A* factum: vel ergo omnibus ponderatis *A* eſt recte factum omnino, vel peccatum, vel actus indifferens, ſiue neuter. Si recte factum, non offendit Deum, qui per primam Suppoſitionem, & tertiam partem rectiſsimus, iuſtiſsimus, & rationabiliſsimus comprobatur. Quomodo ergo offenditur, ſi quis in quocunque caſu poſitus, rectiſsime, & rationabiliſsime, quia ſecundum exigentiam rationis rectiſsime operatur: etiam ſicut ipſemet Deus conſuleret & dictaret. Quale inſuper quæſo factum Deo placebit, ſi factum rectiſsimum ipſi diſpliceat & offendat: imo magis videtur quod ſi contemneret iſtam rectiſsimam rationem & ſententiam ipſam Dei, non ſic faciendo, offendere Deum: ſicque ex vtraque parte huius biuij contradictorij, quicquid faceret, de neceſsitate Deum offenderet, quod diuinæ non congruit pietati, clementiæ, iuſtitiæ, bonitati. D

Ad hæc autem ſi *A* ſit recte factum, eſt meritorium, quare & ſecundum primam Suppoſitionem, & tertiam partem huius nequaquam puniendum à Deo, ſed potius præmiandum. Qui enim ſecundum tres partes præmiſſas quibuſdam non rectè ſed & male agentibus, quandoque dat bona, quomodo rectè agentibus reddet mala; vel bona non reddet? & quomodo præmiabit *A* factum, quod ipſum offendit, quod ei diſplicet, & quod odit. Præterea vel Deus iuſte offenditur & iraſcitur pro *A*, vel iniuſtè: Si iuſte, *A* eſt iniuſtum: Si iniuſte, Deus eſt iniuſtus contra primam Suppoſitionem & tertiam partem huius. Si autem dicatur *A* eſſe peccatum, non deberet fieri, nec fit ſecundum exigentiam rationis. Quare ſi faciens *A*, omnibus ponderatis, faciat per omnia ſicut debet, & ſecundum dictamen rectiſsimæ rationis, etiam ſicut Deus ipſe conſuleret & dictaret, non peccat. Quid eſt enim peccatum, niſi quædam obliquitas à rectitudine practicæ rationis? Præterea patet cuilibet, & teſtatur Philoſophus 3. Top. quod neceſſaria ſunt magis eligenda non neceſſarijs, etiamſi illa fuerint meliora: Non peccare autem contra Deum, & vniuerſaliter non peccare, ſaltem ſcienter, eſt neceſſarium cuilibet creaturæ rationali; quia de ſubſtantia ſuæ regulæ naturalis, rationis viz. ſiuè ſynderesis ipſi naturaliter || *inditæ*, & diuinitus inſtitutæ ad ipſam in omnibus regulandum. Alia autem quæ ſine peccato poſſunt dimitti, nequaquam ipſi neceſſaria iudicanda. Nec poteſt quis dicere, quod *A*. ſit actus indifferens, ſiue neuter, tunc enim non offenderet mitem Deum. Cur etiam tunc ipſum offenderet, potiùs quam placaret. Si etiam *A*. fiat vt debet omnino ſecundum falſigraphum, cur actus indifferens reputandus, & potius rectè factum? E

|| inſitæ.

Contra

A *Contra effrænes dicentes omnia bonis & malis æqualiter euenire, malum aliquod impunitum, vel bonum aliquod irremuneratum manere; mentientesque Deum quenquam abundanter punire, scilicet vltra condignum, vel etiam ad condignum, & parcè quempiam præmiare, scilicet citra condignum vel non vltra condignum; fingentes quoque diuinæ pietati, & misericordiæ infinitæ nusquam congruere punire quodcunque delictum, sed totum semper dimittere misericorditer impunitum.* 31.

REfrænentur effrænes, dicentes omnia bonis & malis æqualiter euenire, malum aliquod impunitum, vel bonum aliquod irremuneratum manere: mentientesque Deum quenquam abundanter punire, scilicet vltra condignum, vel etiam ad condignum, & parcè quempiam præmiare, scilicet citra condignum, vel non vltra condignum: fingentes quoque diuinæ
B pietati & misericordiæ infinitæ nusquam congruere punire quodcunque delictum; sed totum semper dimittere misericorditer impunitum. Isti sunt multùm rudes & grossi, bona & mala naturæ, siue Fortunæ palpabilia tantummodo perpendentes. Nonne secundum proximam partem huius, malis scienter peccantibus, & Deum offendentibus quantumlibet minimum, statim inseparabiliter euenit tantum malum, peccatum tam malum, quod pro quantiscunque bonis lucrandis, siue seruandis, aut quantiscunque malis pœnalibus habitis amouendis, siue non habitis præcauendis illud admittere non deberent? Bonis verò è contra diuinæ præceptioni quotiescunque sicut tenentur scienter parentibus, statim inseparabiliter euenit tantum bonum, tam nobile meritum, & tam incomparabiliter prætiosum, quod pro quantiscunque bonis non lucrandis, siue non seruandis: aut quantiscunque malis pœnalibus non tollendis, seu non cauendis, illud prætermittendo negligere non deberent, per proximò nunc præmissa de malis; quia tunc scienter diuinam iussionem contemnerent & peccarent. Etsi meritum
C ex necessitate seruientis Deo sit tam prætiosum, tam magnum, tam bonum, quo modo meritum seruientis ex libertate spontanea nullum erit? O rudis anima & indocta, quæ bona & mala terrena & carnalia, minima & pœnè nulla faciliter respicit, & hæc moralia & spiritualia maxima non perpendit.

Nullus insuper iustus homo discretus & potens, permittit suis seruitoribus aut subiectis bonis & malis omnia || *æqualiter* euenire: sed differenter, secundum differentias meritorum, || similiter.
melioribus prouidens meliora. Deus autem est quolibet homine iustior, discretior, & potentior infinitè, sicut prima Suppositio, & partes sequentes ostendunt. Vnde & euidenter apparet, quod nullum malum remanet impunitum. Quantum namque malum omnem scienter peccantem statim inseparabiliter sequitur, patet ex tricesima & ostensione primæ particulæ huius partis.

Nonne etiam omnis peccans eo ipso fit malus & culpabilis, vel peior & culpabilior, amittitque pristinam libertatem, innocentiam, & immunitatem quam prius habuit, respectu illius
D peccati, fit Deo dissimilior, remotiorque ab eo? Et nonne hoc est pœna, & pœna quàm magna? & vnde hoc nisi à prima iustitia, à primo retributore omnium, qui est Deus, sicut Suppositiones ostendunt. Ex || *quibus* & simili modo patet, quod Deus nullum bonum irre- || quo.
muneratum manere permittit. Absit enim quod Deus esset pronior ad puniendum peccantes, quàm ad præmiandum merentes. Hoc enim potius videretur crudelitatis, impietatis, & immisericordiæ, quam summæ bonitatis, pietatis, & misericordiæ, contra 1am Suppositionē, 3am partem & 4am. Deus autem nullum malum impunitum relinquit, sicut proximò docebatur.

Quantum etiam bonum inseparabiliter statim consequitur, omnem ex necessitate Deo debitè seruientem, præcedentia manifestant. Quomodo ergo nullum bonum consequitur Deo liberaliter seruientem? Nonne insuper quicunque benè, meritoriè & laudabiliter operatur, eo ipso est melior & laudabilior, quàm si nullatenus mereretur? Et nonne hæc inseparabilis
E remuneratio, meriti pulchra merces? & vnde talis remuneratio, talis merces, nisi à prima iustitia, primo retributore omnium, qui est Deus? sicut Suppositiones demonstrant.

Quomodo etiam deceret summè iustum, liberalem, potentem, & abundantem, indefectibilium thesaurorum amatores, & operarios suos, secundum doctrinam tricessimæ irremuneratos relinquere, abijcere vacuos, & facere ipsos æquales alijs vanis ipsum nequaquam amantibus, nec quicquam operantibus propter ipsum.

Nec Deus punit quempiam abundanter vltra condignum; hoc enim est iniustum, impium, immisericors, & crudele: Deus autem nequaquam per tertiam partem huius, nec etiam ad condignum. Hoc enim videtur seueritatis, immisericordiæ, & rigoris, quæ longè absunt à Deo, imo & virtutes oppositæ plenissimè sunt in eo, per tertiam partem, & quartam.

 Nonne

Nonne etiam pro quacunque offensa saltem scienter in Deum commissa, posset iustè rependi quantacunque pœna actualis damni & sensus etiam adnihilatio offendentis, pro quantacunque namque tali pœna seu etiam adnihilatione vitanda non deberet committi, 30ª. huius teste. Deus autem offensoribus suis finitam pœnam & paruam infligit, quare & posset iustè infligere quantumlibet grauiorem: remittit ergo misericorditer cuilibet offensori suo punito pœnam majorem incomparabiliter, quam infligit. Nec decet Deum parce quempiam præmiare citra condignum: hoc enim vel est impotentiæ, vel iniustitiæ, illiberalitatis, parcitatis, tenacitatis, & auaritiæ, quæ longe sunt à Deo: immò & virtutes oppositæ plenariè sunt in eo per tertiam quartam & septimam partes huius. Vel planius forsitan isto modo: Deus vel vult reddere merentibus ad condignum & non potest, & tunc est impotens contra septimam: vel potest, sed non vult, & tunc est iniustus, illiberalis & parcus, contra tertiam partem huius. A

Neque decet Deum præmiare quempiam ad condignum tantummodo, & non vltra. Præmiare namque operarium ad condignum, est iustitiæ & necessitatis, non gratiæ aut liberalitatis. Ipse autem est superexcellentissimè generosus, & superabundantissimè liberalis, per primam Suppositionem, tertiam partem & quartam, nec per quantamcunque largitionem magnificam suæ copiæ minuentur. Non enim poterunt minui quouismodo per septimam & octauam. B

Deus etiam secundum proximam particulam huius partis, quibuscunque immeritis inimicis & offensoribus suis malis, quam magna beneficia gratis donat, ipsos non modicum citra condignum misericorditer puniendo, pœnam quamplurimam remittendo. Quomodo ergo decet, vt suis amatoribus & seruitoribus secundum doctrinam 30. nullam gratiam faciat, nihil gratuitè tribuat, nihil liberaliter largiatur; sed vix parce simplex debitum eis reddat.

Nonne etiam homo liberalis & potens operarios suos quandoque vltra condignum remunerat? Deus autem est quolibet homine liberalior, & potentior infinitè per tertiam partem & quartam. Neque pietati diuinæ & misericordiæ infinitæ repugnat punire peccantes: Non enim hoc facit tantum ex odio aut zelo vindictæ: Hoc enim suam maximam bonitatem, pietatem & misericordiam nusquam decet; sed zelo correptionis, castigationis, emendationis & glorificationis puniti si velit: alioquin aliorum per ipsum, semper autem propter bonum, propter decorem & * ordinem vniuersi. Est enim tam bonus & pulcher, tam purus à malo & turpi, quod nihil finaliter potest intendere nisi bonum & pulchrum, sicut prima Suppositio & tertia pars ostendunt. C

* propter

Nonne etiam quam misericors & pius est Deus, tam iustus & sapiens comprobatur, prima Suppositione, tertia parte & quarta testantibus? Sed quomodo decet summè sapientem & iustum, peccantes non peccantibus, & non peccantes peccantibus per omnia coæquare?

Nonne etiam ex superioribus clarè patet, omnem peccantem statim inseperabiliter eo ipso ex necessitate iustitiæ indispensabilis iustè puniri, & vnde hoc, nisi à 1°. iusto dispositore cunctorum, à 1ª. iustitia, à primaria veritate? Hoc ergo necessariò est à Deo, sicut Suppositiones ostendunt. D

Quis etiam nesciat in omni recta politia duo requiri, quibus ciues retrahantur à vitijs, & ad virtutum studia prouehantur. Timorem videlicet & amorem, timorem pœnarum peccantibus, & amorem præmiorum merentibus? Cur ergo non decet Deum institutorem atque rectorem magnæ politiæ mundanæ, similia ex similibus causis statuere suis subditis vniuersis? Nonne multos videmus spreto terrore pœnarum peccantibus statutarum, effrænes discurrere ad illecebras peccatorum. Quantò magis hoc facerent, si nulla esset pœna peccantibus comminata? Quod & plurimi alij similiter facerent, qui nunc solo timore pœnarum se abstinent à peccatis.

E

32 *Contra Philosophos præsumentes se posse cognoscere Deum plenè & eius quamlibet actionem; deridentes propterea Christianos credentes nonnulla de Deo, & de actionibus eius miris, de actionibus etiam creaturæ virtute diuina, quæ per viam rationis humanæ nesciunt demonstrare.*

REprimantur Philosophi præsumentes se posse cognoscere Deum plene, & eius quamlibet actionem, cessentque deridere & contemnere Christianos, credentes nonnulla de Deo, & de actionibus eius miris, de actionibus etiam creaturæ virtute diuina, quæ per viam rationis

A nis humanæ nesciunt demonstrare. Nonne anima tua paruula & finita? Deus autem supra mensurã magnus, & omnifariam infinitus; Infinitus inquam, quodammodo numerosè & extensiuè propter infinitatem omnimodam virtutum & bonitatum quas habet, sicut tertia pars ostendit, infinitus etiam quodammodo intensiue, sicut quarta pars dicit. Quomodo ergo potes capere eum plene? discutere eum plene? cognoscere eum plene? Imò erubesce Philosophe, & scientia superbiens, dedignare tam paruum Deum habere, vt tu paruus, per paruam mentem tuam totum ipsum scruteris, omnia eius secreta rimeris, capias & cognoscas plenarie ipsum totum. Deus namque sicut est infinitæ entitatis, ita & infinitæ veritatis & cognoscibilitatis; quare à nullo finito per virtutem suam finitam plenè cognoscitur: Sed tantummodo à se ipso, per seipsum, per virtutem suam propriam infinitam, nisi fortassis accommodet homini oculum suum, & virtutem suam cognoscitiuam infinitam, totum videlicet semetipsum, vt sic per ipsum totum Deum, possit quoquo modo cognoscere totum Deum.

B Adhuc quæso Philosophe, dic mihi quid plenè cognoscis? puto non audere te dicere quod paruulam vel minimam creaturam. Scio quod non perfectè cognoscis minimum atomum in Sole, nec minimum puluerem terræ, neque minimam guttam aquæ. In omni namque corpusculo infinitæ figuræ lineares, superficiales, & corporales diuersæ numero, quantitate, qualitate & specie continentur. Quare etiam correspondenter conclusiones Geometricæ infinitæ, etiam sese ordinabiliter consequentes, ita quod posterior sciri non potest, nisi per priorem. In omni quoque corpusculo infinitæ species numerorum, & infinitæ conclusiones Arithmeticæ continentur, etiam ordinatè ad inuicem se habentes. Harum autem conclusionum infinitarum demonstratiuè scibilium quot scis quæso Philosophe? Puto quod finitas & paucas. Do tibi plures Philosophos quotcunque volueris, etiam infinitos, omnes summo ingenio præditos, summo studio deditos, per quantumlibet tempus, etiam per mille millia annorum, C circa istas conclusiones Geometricas aut Arithmeticas in scibilitate dispositas secundum ordinem supra dictum. Vos ergo omnes pariter Philosophi infiniti, quot scitis de istis conclusionibus infinitis? finitas proculdubio, finitas & paucas: quare & remanent infinitæ, quarum propter sui difficultatem & vestri exilitatem, nullus vestrum per se aliquam scire potest, nec omnes pariter scire possunt. Nonne ergo quilibet vestrum, & tota pariter omnium multitudo magis nescit quam scit de rebus, & de scibilitate corpusculi cuiuscunque? Si ergo minimum non potes plene cognoscere, quin imò necessario infinitè magis ipsum nescis, quàm cognoscis; Quomodo maximum cognoscere plenè potes? Noli præsumere, agnosce te hominem & humiliter confitere, te magis infinitè nescire Deum, quam scire.

Nonne etiam, vt videtur per Suppositionem secundam, & secundum Philosophicam disciplinam: Si aliquid sit difficile ad plenariè cognoscendum, & aliquid magis difficile, & aliquid adhuc magis, & ita deinceps, aliquid est summè difficile, & quid nisi Deus? In creatu-D ris namque, sicut in conclusionibus Mathematicis ordinatis, posterior semper est difficilior præcedente, nec aliqua difficillima, sicut nec vltima reperitur. Quid ergo difficillimum cognitu, nisi Deus? quod & eius immensitas, atq; infinitas maxima numerosè quodammodo ac extensiue & intensiue per primam Suppositionem tertiam partem & quartam testata lucidè manifestant. In quacunque autem serie infinita conclusionum huiusmodi infinitæ sunt, quarum nulla propter sui difficultatem ab aliquo Philosopho, aliquibúsue Philosophis demonstratiue propriè sciri potest. Quomodo ergo Deus difficilior cognitu infinitè quacunq; illarum, & omnibus illis simul, qui & scit omnes illas perfectè, & alias ac alias infinities infinitas, sicut pars nona demonstrat, plenariè sciri potest. Sapiat ergo sobriè quicunque Philosophus & istam veritatem pro maxima Philosophia agnoscat, nihil citra Deum posse cognoscere plenè Deum nisi fortè per eum. Si mihi non credit, credat professionis suæ hominibus viginti quatuor Philosophis, qui totidem definitiones de Deo concorditer statuerunt, E quarum 16ª ita canit. Deus est quem voces non significant, nec intellectus intelligunt propter dissimilitudinem: & 21ª Deus inquit, est tenebra in anima post omnem lucem derelicta, & 23ª Deus est qui sola ignorantia mente cognoscitur. Vnde & Hermes de verbo æterno 35. Sensus, inquit, summi Dei sola veritas est, cuius veritatis in mundo nec quidem extrema linea vmbra dignoscitur? Quare & Plato in 2° Prologo Timæi, sic ait: Opificem genitoremque vniuersitatis tam inuenire difficile est, quam inuentum impossibile est dignè profari. Si ergo Philosophus incomparabiliter infinitè magis nesciat Deum quam sciat, quomodo operationem eius quamlibet plenè sciet? Si namque sit incomprehensibilis in essendo, cur non similiter in agendo? cum actio quodammodo proportionetur agenti. Dic mihi, quæso Philosophe, nonne es tu finiti & parui ingenij? finitæ & paruæ scientiæ sicut præmissa testantur?

ſtantur? Deus autem eſt infiniti, & infinitæ ſimpliciter omniquaque, ſicut 1ª. Suppoſitio A
tertia, quarta, ac nona partes oſtendunt. Quam faciliter ergo poteſt excogitare aliquid mira-
bile faciendum, & modum aliquem mirabilem faciendi, ad cuius comprænhenſionem plena-
riam ingenioſitas tua aſcendere non valebit? Et cum per eandem Suppoſitionem, tertiam
partem & ſeptimam Deus ſit æqualis potentiæ ad quodlibet, quomodolibet faciendum, ſicut
ad excogitandum illud vt fiat, aut ſic fiat, quam faciliter poteſt facere aliquod opus mirabile,
ſecundum modũ aliquem mirabilem faciendi, ad cuius plenam indaginem, ingenium tuum
extendere ſe non poſſit? Immò & operationem rei paruulæ naturalis, cognoſcere plenè non
potes. Nonne paruula ignis ſcintilla illuminando & calefaciendo, cauſat infinitos circulos
luminoſos, & Sphæras ſe inuicem continentes, & inuicem ſe ſecantes, infinitas quoque Py-
ramides luminoſas, Pyramides viſuales, ſecundum qualitates & differentias infinitas, infini-
tas quoque lineas radioſas, & radios viſuales incidentes, reflexos, & refractos, ſi medium ſit
deforme, habenteſque alias proprietates præclaras, & differentias infinitas, in quibus (ſicut & B
ſecundum præmiſſa) infinitæ concluſiones Geometricæ & Arithmeticæ continentur; ſic &
perſpectiuæ aliæ infinitæ; & quis has omnes poteſt plenè cognoſcere?

Nunquid etiam plenè noſti actionem magnetis in ferrum, & multas huiuſmodi actiones,
ſecretas naturæ proprietates, & modos huiuſmodi actionum?

Amplius autem quam rem, aut quam actionem naturalem certè & perfectè cognoſcis? In
illa namque quam melius te putas cognoſcere, alius tibi Philoſophus contradicet, & quam-
plures alij, tibi vni. Immò & tu ipſe forſitan hodiernus, tibi ipſi contradicis heſterno, aut
tibi hodierno craſtinus contradices: vel ſi fortè multi tibi contemporanei opinioni tuæ con-
ſentiant; trãſeat illa periodus, veniat alia; & tot fortaſſis vel plures, tam ingenioſi & ſtudioſi, vel
magis, tuam ſententiam per aliquam probabilem rationem Sophiſticam fortè, vel veram, quę
tibi non patuit, reprobabunt; mirantes te tam turpiter deliraſſe, & tam aperta, tamque faci-
lia ignoraſſe: Nonne proceſſus temporis hæc demonſtrat? Cui ergo ſententiæ certitudinali- C
ter adhærebo?

Nonne etſi duo vel tres Philoſophi tibi æquales, vel maiores ſentirent contrarium tuæ
ſententiæ, minus firmiter adhæreres, etſi adhuc plures, adhuc & minus? Quare
& videtur ſi quam multi ſeu omnes Philoſophi & vulgares concorditer ſentirent con-
teſtanter oppoſitum, tu etiam ipſo conſentires, & à priore ſententia reſilires. Quid
ergo Philoſophia huiuſmodi naturalis, niſi fides firmata ex defectu rationis apparentis con-
trariæ fortioris, ex defectu multitudinis teſtium oppoſitum conteſtantis, qui defectus reduci-
tur ad priorem? Quid ergo in talibus niſi fides, nec vlla ſincera ſcientiæ certitudo? Quod &
quædam ſecta Philoſophorum non parua, ſcilicet Academicorum, minus ſuperbè, & magis
ſobrie ſapientium planè ſentit. Dicunt enim non contingere quicquam ſcire, quod intelli-
gendum videtur in materijs dubijs, vbi probabilis contradictio reperitur.

Nonne etiam Philoſophi, ſecundum conſuetudinem audiendi & recipiendi à pueritia hæc, D
vel illa, & ſecundum profeſſionem Sectæ, quam tenent; puta Academicæ, Peripateticæ, Sto-
icæ & ſimilium, quamplurima gratis dicunt ſine violentia rationis, ſicut Philoſophorum
omnes libri lucidè manifeſtant? Quod etiam ex iſto clare perpenditur, quod quælibet harum
Sectarum, probabiliter ſuſtinet ſententiam alteri diſplicentem, ſicut & quilibet ſciens, poteſt
probabiliter ſuſtinere abſque contradictione euidenti, per indeclinabilem violentiam ratio-
nis, in materijs probabiliter dubijs, ſatis multis, & forſitan vniuerſis.

Quare & Philoſophus in Prædicamentis, agens de hijs quæ ſunt ad aliquid; fortaſſe, in-
quit, difficile ſit de huiuſmodi rebus confidenter declarare, niſi ſæpius pertractata: Dubitare
autem de ſingulis non erit inutile. Quid igitur in Philoſophicis talibus niſi fides? Quare &
Plato 2. Tim. 3. Diuinarum, inquit, poteſtatum, quæ Dæmones nuncupantur, præſtare ra-
tionem maius eſt opus, quàm ferre valeat hominis ingenium. Ergo compendium ex cre-
dulitate ſumamus. Credamus ergo hijs qui apud Seculum prius, vbi & Calcidius ſentit E
idem Vnde & Hermes de verbo æterno 35. Contingit, inquit, hominibus, vt quaſi per
caliginem, quæ in cælo ſunt videamus, quantum poſſibile eſt per conditionem humani ſen-
ſus: Hæc autem intentio pro videndis tantis anguſtiſſima eſt, nobis latiſſima, cum viderit fe-
licitate conſcientiæ.

Ariſtoteles etiam 2. Metaph. 1. De veritate, inquit, theoria, ſic quidem difficilis eſt; ſic
verò facilis. Signum autem eſt, neque dignè nullum adipiſci ipſam poſſe, nec omnes exortes
eſſe: Et infra; Sicut, inquit, Nicticorarum oculi ad lucem diei ſe habent; ſic & animæ no-
ſtræ intellectus ad ea quæ ſunt omnium naturæ manifeſtiſſima. Qui etiam 6. Ethic. 9. Opor-
tet, inquit, attendere expertorum, & ſeniorum, & prudentium, indemonſtrabilibus enuntia-
tiationibus

A tionibus & opinionibus, non minus demonstrationum. Et 1. Elench. 2. Oportet eum qui discit, credere. Et 2. de Coelo 34. dicit; Quòd videre oportet qualiter habens & credendo prius humano modo, aut firmius: & supra 1. eiusdem 22. Accidit, inquit, hoc sufficienter, vt ad humanam dicere fidem. Ecce quomodo isti Philosophi, in suis Philosophicis fidem fideliter profitentur? Et si Philosophi hoc faciant in materia naturali, cur non patiuntur Christianos similiter facere in morali? In ipsa namque secundum Philosophum sufficit minor suasio, & minor requiritur certitudo.

Erras quoque non parum Philosophe, credendo te posse demonstratiuè probare omnem operationem diuinam: Nam secundum partem octauam, Deus est potentia rationalis, liberæ voluntatis. Non est ergo ratio demonstratiua voluntatem suam naturaliter antecedens, quæ ipsum ad singula facienda, vel non facienda compellat: Sed sicut tu potes multa liberè facere & dimittere; sic & Deus: Quorum si hoc voluerit facere, illud dimittere rationabile est sic
B esse, quia iustum est sic esse, per tertiam partem huius: rationabile, inquam, ratione concomitante & sequente voluntatem diuinam, non naturaliter præcedente. Nec potes obuiare, dicendo Deum debere semper facere melius posibilium, & hanc rationem necessariam ipsius præcedere voluntatem, & ipsam in suis agendis necessariò regulare. Deus enim non potest facere melius, scilicet optimum quod potest facere. Si enim posit, ponatur quod & sit *A.* vel ergo *A.* est Deus, vel non: Si est Deus, est aliquis Deus factus, & nouus, & dij multi, contra primam Suppositionem, & 17. partem huius: Si non est Deus, est minus perfectum & bonum, quàm Deus; & non indiuisibiliter, sed diuisibiliter per latitudinem infinitam, sicut facilè est Philosopho demonstrare. Cùm ergo per quartam & septimam partes huius, Deus sit potentiæ infinitæ, & plenè omnipotens, potest facere aliquid melius & melius, & melius sine fine.

Quis etiam dubitat Deum posse facere res meliores quàm sint? Non enim impeditur ex defectu scientiæ propter primam Suppositionem, & quartam partem; nec ex defectu poten-
C tiæ propter eandem Suppositionem tertiam, quartam, & septimam partes huius. Secundum hoc etiam, Deus non esset potentia rationalis & libera, vel saltem non summè libera in agendo, contra primam Suppositionem, octauam partem, & quartam. Secundum hanc quoque sententiam, cùm omnia eueniant à prouidentia, & voluntate diuina, sicut Philosophi confitentur, omnia semper euenirent, sicut & Deus semper cuncta vellet, & faceret de necesitate simpliciter absoluta, contra primam Suppositionem, & tertiam partem huius, cùm alius modus faciendi sit perfectior, quod & Philosophi ipsi negant. Videris quoque Philosophe in verbis proprijs laqueari; nonne dicendo Deum necessariò facere melius, id est, optimum posibilium fieri, innuis alia esse posibilia fieri, & Deum posse facere alia?

Si etiam Deus semper faciat melius; cùm melius sit legem bonam & veram diuinitùs dari hominibus, quàm non dari: Deus dedit hominibus talem legem, & quam legem, si non le-
D gem sanctisimam Christianam?

Verum cùm secundum præmissa Deus non posit plenè cognosci ab homine, per scrutinium naturale; imò infinitè magis nesciatur necessariò, quàm sciatur, & multiplex operatio eius posibilis saltem similiter: Cur non posset Deus, si vellet, aliqua suiipsius secreta, & etiam operationum suarum, quando voluerit, quibus voluerit, & quo modo voluerit reuelare per Angelos, per Prophetas, aut etiam per seipsum? Nonne tu potes secreta cordis tui, & actionum tuarum, alijs qui ea inuestigare non possunt, per teipsum, aut alios reuelare? Cessent ergo Philosophi contemnere Christianos credentes quædam eis diuinitùs reuelata de Deo, & de eius operibus quæ nesciunt demonstrare, dum tamen sciant ea à demonstrationibus vestris contradictorijs defensare. Nonne debet cuilibet Christiano, imò & prophano pro demonstratione sufficere, Deus dicit? Ipse enim errare & mentiri non potest, per primam Suppositionem, & tertiam partem huius. Huiusmodi autem sunt Articuli fidei Christianæ.

E Scio Philosophe, & confidenter me scire affirmo, quod non est Articulus aliquis magnus, vel paruus, de substantia fidei Christianæ, quam Deus non prius multis temporibus ante fidei huius exordium, per Prophetas solennes, velut per quosdam prænuntios reuelauit; sicut euidenter ostendunt Libri authentici Noui & Veteris Testamenti. Non enim est Articulus fidei Christianæ, qui etiam Philosopho iudice non corrupto, non sophistico, non proteruo; sed indifferente, solido, sobrio, & veritatis amico, efficaciter posit fundari in Veteri Testamento, in veteribus Prophetijs, sicut & constat antiquitùs veraciter contigisse. Tradentibus namque Historijs, Constantinus Imperator Romanorum, per Syluestrem Papam, ad fidem Christi Romæ conuersus, & ab Helena regina matre sua, relictis idolis, in Deum Iudæorum credente, & tunc in Iudæa agente grauiter increpatus, eò quòd in Christum hominem cruci-

 fixum,

fixum, potius quam in Deum Iudæorum credere maluisset: Rogauit Reginam, quatenus secum adduceret Magistros sapientissimos Iudæorum, disputaturos cum Doctoribus Christianorum: Quæ veniens secum adduxit 140 viros doctissimos Iudæorum, ex quibus 12. præclarissimi sunt electi; Abiathar, Ionas, Godolias, Annan, Doeth, Cusi, Beniamin, Aroel, Iubal, Thara, Silion & Zambri, duobusque Philosophis Gentilibus sapientissimis Cratone & Zenophilo, de consensu partium, Iudicibus constitutis, Imperatore & Regina assidentibus, & magna multitudine Christianorum, Iudæorum atque Gentilium circumstante, ad disputationis negotium properatur: vndecim quoque Magistris Iudæorum prædictis, opponentibus singillatim, & impugnantibus fidem Christi, Syluester respondens, singulos singillatim ex Scripturis eorum proprijs conuincebat, decernentibus Iudicibus supradictis: 12^{us} verò nolens per argumentum vocale arguere; sed reale miraculum magicum faciens, vero miraculo superatur. Quapropter, Regina, Iudices, & cæteri infideles qui aderant, ad fidem Christi pariter sunt conuersi. A B

Nec potest quis dicere, Christianos in suæ fidei firmamentum Vetus Testamentum, & libros Prophetales huiusmodi veteres nouiter confinxisse, quasi fidem ipsorum futuram antiquitus prædixissent. Constat enim de initio fidei Christianæ, constat de Historijs Gentium multum præcedentibus, fidem nostram testantibus euidenter de Patriarchis, Prophetis, & rebus veteris Testamenti. Ecce & testis famosus Ptolomæus 2. scilicet Philadelphus, Rex Aegypti, qui sicut Historiæ Græcorum & Iudæorum testantur, testatur & Iosephus 1. Antiquit. Iudaic. in Prologo & plenius 12. lib. 2. Fecit sibi transferri in Alexandria per 72. Hebræos totum vetus Testamentum de Hebræo in Græcum, annis quam plurimis ante Christum.

Nonne etiam Iudæi, inimici capitales fidei Christianæ, ab Abraham & Moyse instituti, per quam plurima tempora ante fidei nostræ principium vsque hodiè perseuerant, totum Vetus Testamentum, & libros huius Prophetales habentes, & in lingua ipsorum Hebraica, aut vicina, ab antiquis Patribus & Prophetis, antiquis temporibus editos & conscriptos concorditer attestantes? C

Etsi quæsieris, cur ergo ipsi non credunt in omnibus fidem Christi? dico, quod multi eorum, & qui melius intellexerunt Legem & Prophetas ipsorum, certissimè crediderunt, Christo firmissimè adhæserunt, Euangelia conscripserunt, Epistolas proprias addiderunt, Nouum Testamentum in Veteri fundauerunt, fidem Christi constantissimè tenuerunt, & feruentissimè prædicarunt, etiam vsque ad martyrium consummatum, sicut Apostoli & Euangelistæ Iudæi conuersi testantur. Vnde & Iosephus Iudæus Hierosolymita, & Sacerdos ex Sacerdotibus, qui citò post Dominicam Passionem illas famosas scripsit Historias, adhuc in Iudaismo persistens, sicut patet 1. de Bello Iudaico in Prologo, & infra lib. 3. & 20. Antiquit. Iud. vltimo 18° Antiquit. eiusdem 8. sic ait: Fuit autem ijsdem temporibus Iesus sapiens vir (si tamen virum eum nominare fas est) erat enim mirabilium operum effector & Doctor omnium eorum, qui libenter quæ vera sunt audiunt; Et multos quidem Iudæorum, multos etiam ex Gentibus sibi adiunxit: Christus hic erat: hunc accusatione primorum nostræ Gentis virorum, cum Pilatus in crucem agendum esse decreuisset, non deseruerunt hij qui ab initio eum dilexerunt. Apparuit enim eis tertio die, iterum viuens, secundum quod diuinitus inspirati Prophetæ, vel hæc, vel alia de eo innumera miracula futura esse prædixerant: Sed & in hodiernum diem à Christianorum qui ab ipso nuncupati sunt, & nomen perseuerat & genus. D

Multi quoque eorum adhuc sæpius conuertuntur: multi autem propter superbiam & malitiam voluntatis non credunt, vel nolunt se credere confiteri, nisi fortassis mortis articulo imminente: Multi non credunt, seu non conuertuntur expressè propter quandam consuetudinem pessimam in quibusdam partibus obseruatam, secundum quam omnia bona Iudæi conuersi, suo Domino confiscantur.

Multi quoque propter ignorantiam Legis & Prophetarum, & pro defectu sanæ doctrinæ non credunt; præsertim cum propter odium fidei Christianæ in oppositis principijs, & in alio intellectu Legis & Prophetarum, quamuis nimis extraneo & plurimum violento; ac etiam expositionibus antiquorum & solenniorum Doctorum suorum contrario, ab ipsis cunabulis instruantur. Non enim latet nos Philosophos, quantam vim habeat consuetudo à pueritia introducta. E

In eisdem etiam libris Propheticis continetur, quod Iudæi in pœnam peccatorum suorum, in tantam cæcitatem mentis inciderunt, quod etiam clarissima non viderunt; quapropter & quod non conuerterentur ad fidem Christi communiter, ante vesperam, & nouissimos dies mundi, quod etiam oculi Gentilium illuminarentur & conuerterentur ad Christum:

Moyses

A Moyses namque omnibus bonis promissis populo Iudæorum, dum tamen mandatis Dominicis obedirent, subiunxit: Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias & facias omnia mandata eius, venient super te omnes maledictiones istæ; & multis maledictionibus recitatis, adiecit: Percutiat te Dominus amentia & cœcitate, ac furore mentis, & palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas. Isaias quoque præco Christi & fidei Christianæ clarissimus; immo Dominus per Isaiam sic ait: Vade & dices populo huic; audite audientes me, & nolite intelligere, & videte visionem, & nolite cognoscere, excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum. Qui & iterum in persona populi sui loquens more Prophetico de Messia, Quasi, inquit, absconditus est vultus eius & despectus, vnde nec reputauimus eum: putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum.

B Nonne & Angelus Danieli, sic ait: Tu autem Daniel claude Sermones, & signa Librum, vsque ad tempus statutum, cum completa fuerit dispersio manus populi sancti, & complebuntur vniuersa hæc: Et ego audiui, & non intellexi, & dixi, Domine mi, quid erit post hæc? & ait, Vade Daniel quia clausi sunt signatique Sermones vsque ad tempus præfinitum; eligentur & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi, & impiè agent impij, neque intelligent omnes impij, porrò docti intelligent. Cui & adhuc concorditer Isaias, Obstupescite & admiramini, fluctuate & vacillate, inebriamini & non à vino mouemini, et non ab ebrietate, quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, Prophetas & Principes vestros qui vident visiones, operiet; et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti literas, dicent lege istum, & respondebit, non possum, signatus est enim: & dixit Dominus: Eo quod appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longè est à me, & timuerunt me mandato hominum

C & doctrinis, ideo ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo. Peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur; & audient in die illa surdi verba Libri, & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt, Hæc dicit Dominus, non modo confundetur Iacob, nec modo vultus eius erubescet: sed cum viderit filios suos opera manuum mearum in medio sui sanctificantes nomen meum, & sanctificabunt semen Iacob, & Deum Israel prædicabunt, & scient errantes spiritu intellectum, ministratores discent legem.

Hæc autem & multa similia de Iudæorum auersione, & Gentilium conuersione in Libris Propheticis continentur, qui etiam perhibent, quod & ipsi finaliter ad Dominum conuertentur. Moyses namque prophetatis populo Iudaico multis malis, propter peccata sua futura subiunxit: Nouissimo autem tempore reuerteris ad Dominum Deum tuum, & audies vocem eius. De quibus & Dauid; Conuertentur, inquit, ad vesperam: quibus & concordat

D Ieremias; In nouissimis diebus intelligetis consilium eius; & iterum; In nouissimo dierum intelligetis ea. In tempore illo dicit Dominus, ero Deus vniuersis cognationibus Israel, & ipsi erunt mihi in populum, quibus & consonanter Osee: Dies multos expectabis me, sed & ego expectabo te, quia dies multos sedebunt filij Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Teraphim; & post hæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum, & Dauid Regem suum, & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius in nouissimo dierum Dauid, inquit, Regem suum, id est Messiam; de ipso namque promittebatur diuinitus Dauid Regi, quod de semine eius descenderet, & regeret regnum eius, quare & Messias frequenter nomine ipsius Dauid in libris Propheticis figuratur.

Fuerat insuper prophetatum Iudæis, quod propter peccatum suum committendum in Christum, destrueretur Ciuitas eorum famosa Ierusalem, & nobile templum eius, quod ipsi irrecuperabiliter perderent terram suam, & dispergerentur per terras extraneas, miseri, vagi

E & profugi, circumquaque, quod & paucis annis post fidei nostræ principium, fuit efficaciter adimpletum, & vsque hodie perseuerat per annos viz. mille 200. immo penè 300. quod & ipsimet Iudæi concorditer attestantur: quod totum ideo fortassis est factum, vt tu & multi alij, per ipsos & libros ipsorum omni suspicione carentes, pro nobis contra ipsos, verum non fictum testimonium perhibentes, conuertamini & confirmemini in hac fide.

Nec potest quis fingere illos Prophetas fuisse fictores & pseudo prophetas. Quomodo namque videtur credibile, quod qui tantum auersabantur omnimoda vitia, coluerunt & docuerunt omnes virtutes clam & palam, & hæc tam constanter fecerunt, vt etiam martyrium sustinerent, quod qui tot & tanta miracula in vita & in morte fecerunt, fecitue Dominus per illos, seu pro eis, essent fictores? Quomodo etiam in hijs solis quæ ad nos pertinent sunt fictores

ctores, cùm in omnibus alijs præteritis quæ dixerunt, tam de gente & terra ipsorum, quàm A alijs, puta de Babylonijs, & Regibus Babylonis, ac ipsamet ciuitate, de Aegyptijs Regibus, & terra ipsorum, de Persis & Medis, & Cyro Rege nominatim; de Græcis, de Romanis, & alijs Prophetæ verissimi comprobentur, sicut rerum exitus demonstrauit, sicut plurima Chronica satis authentica & famæ celebris manifestant? Quomodo etiamsi fuissent fictores, finxissent filijs suis & ciuibus tanta mala; nobis autem qui nondum nati sumus tanta bona? Quomodo etiam sunt fictores, cùm in præteritis omnibus, quæ ad gentem suam pertinent, quæ etiam ad Religionem Christi pertinent, inueniantur verissimi prædictores, sicut exitus rerum probat, sicut superius tangebatur? Quis etiam dubitat Deum posse illuminare & inspirare sic hominem, vt reddat eum Prophetam? Nonne prima Suppositio, nona pars & septima euidenter hoc probant? Cur ergo non decet Deum summè prouidum, & cuncta sua prouidentia moderantem, sicut prima Suppositio, & partes sequentes ostendunt, & Philosophi confitentur sic facere? imo decet. Decet igitur quod Propheta sit Dei Secretarius, hominum B consiliarius, Dei & hominum mediator, diuinam hominibus nuncians voluntatem, in hijs præsertim quæ cultum Dei & Religionem concernunt.

Omnes quoque magni Philosophi quorum scripta respexi, concedunt Prophetias, & veros Prophetas fuisse. Vnde & Arist. Secreti secretorum, vltimæ partis primo, dicit; Quòd Prophetæ probati sunt purissimi intellectus, & veræ visionis, quod & vult Auerroes super de Somno & Vigilia exponendo, vbi & allegat Socratem ad hoc idem. Auicenna quoque 4. de Anima. 4. & 10. Metaphys. 1.2. & 3. concedit Prophetas; quod & similiter Algazel 5. Physicæ suæ 6.7. & vltimo satis planè. Ptolomæus insuper Albumazar, Haly, & Astrologi cæteri Prophetas pariter & Prophetias confitentur.

Amplius autem omnes vera somnia concedentes, vera indicia futurorum, præteritorum & præsentium habent, & consequenter Prophetarum & Prophetiarum concedere veritatem: veritatem autem Somniorum concedunt omnes Philosophi & vulgares. Aristoteles siqui- C dem in De Somno & Vigilia, vera somnia, vera rerum indicia, & vera præsagia futurorum verè concedit. Vbi & Auerroes; Istarum, inquit, comprehensionum quædam dicuntur Somnia & * Diuinationes, & quædam Prophetiæ; & quidam homines negant illa, & dicunt ea accidere casu: sed negare ea, est negare sensata, & maximè negare somnia: nullus enim homo est, qui non vidit Somnium quod enunciauit sibi aliquid futurum, & cùm homo experimentauerit hoc multoties, videbit, quòd hoc non accidit casu, sed essentialiter & illæ aliæ comprehensiones scilicet Philosophiæ; licèt non sint visæ, scilicet ita communiter, tamē sunt valdè famosæ; & res quæ sunt famosæ apud omnes sunt necessariæ aut secundū totum, aut secum partem. Imposibile enim est vt famosum sit falsum secundum totum, & sermo de istis omnibus idem est, & ideo sermo de quidditate Somnij sufficiet, quia causæ eorum non differunt nisi secundum magis & minus, sed tantum differunt secundum nomina & modum.

* quædam

Postea verò dicit, quod interpretator est ille, cui largitur intellectus intentiones corpora- D les, cui assimilantur in somno intentiones spirituales. Interpretantis autem conditionem allegat ab Aristotele, ita dicens, & oportet interpretantem, sicut dicit Aristoteles, vt semper sit cogitans, & mundus non declinans ad mores bruti animalis. Algazel quoque 5. Physicæ suæ 3. determinat de interpretatione & præsagio Somniorum: Auicenna similiter 4. de Anima 2. concedit vera Somnia futurorum prænuncia.

Adhuc autem & causam Prophetiæ, sicut & Somniorum verorum Philosophi inquirentes, dicunt concorditer, Quod est Deus, & quod ipse illuminat & inspirat Prophetas aliquoties vigilantes, & aliquoties dormientes, & quod hoc est ex sollicitudine & cura diuina circa homines, vt sic possint cauere nociua, & vtilia adipisci. Vnde Philosophus in Secreto Secretorum partis vltimæ 1. scribit; Si quis quærat causam Prophetarum, qui probati sunt in hoc mundo purissimi intellectus, & veræ visionis cum miraculis iuuatiuis, prouenit ex abstractione animæ à desiderijs, & concupiscentijs, & nociuis, cùm fuerit dominans super corpus, & E virtus flammea existens in corde non desinat. Hæc autem virtus flammea secundum eum est intellectus agens, intellectum possibilem illuminans, non comburens. Et supra partis secundæ primo; Deus excelsus & gloriosus ordinauit modum & remedium ad temperantiam humorum, & conseruantiam sanitatis, & ad plurima alia adquirenda, & reuelauit ea sanctis Prophetis, seruis suis, & iustis Prophetis suis, & quibusdam alijs, quos præelegit, & illustrauit spiritu diuinæ sapientiæ, & dotauit eos dotibus scientiæ: Scilicet ab istis sequentes viri Philosophiæ principatum, & originem habuerunt Indi & Perses, Græci & Latini, ab istis hauserunt & scripserunt Artium & Scientiarum principia & secreta; quia in Scripturis ipsorum nihil falsum, nihil reprobum inuenitur, sed à sapientibus approbatum. Et infra 26. dicit; Quòd

A Quòd Enoch nouit hoc secretum, quod dicitur gloria inestimabilis, & thesaurus Philosophorum per visionem.

Auicenna quoque & Algazel locis superius allegatis, dicunt similiter Prophetam esse à Deo per inspirationem, & illuminationem diuinam, & hoc ex prouidentia & gubernatione ipsius. Vnde & Auicenna 10. Metaph. 3. dicit quod Propheta est ex Deo, & ex missione eius, & quod in sapientia Dei necessarium est ipsum mitti, & quicquid constituit, non est nisi illud quod apud Deum fuit vt constitueretur.

Ptolomæus insuper propositione prima Centilogij sui dicit, quod aliqui propter vim animæ in eis dominantem, licet non habeant multam scientiam artis astrorum, habent ex meliori parte cognitionem futurorum, & sunt propinquiores veritati, quam Astrologus. Super quod dicit ibi Haly in Comment. quod duplex est via cognoscendi res futuras: vna, vt aspiciat quis motum & opera stellarum, & libros huiusmodi antiquorum, iunctis experientijs quas pro-

B bauit: & alia via est, quando quis per diuinam gratiam, & inspirationem habuerit scientiam futurorum. Multi enim sunt qui dant vera iudicia de futuris, quorum nec significationes, nec rationes inuenimus in operatore, siue in opere, siue in operato; sed quod dicunt ex eorum cordibus manat, & ex hijs multos vidimus, & hæc via cum pura fuerit, à Philosophis vocatur diuina: & ideo dicit Ptolomæus, quod quidam eorum qui sunt sub circulo Lunæ, habent huius Artis scientiam per doctrinam: alij verò per inspirationem diuinam. Quapropter & Socrates recitante Auerroe super de somno & vigilia, ratiocinando hominibus Athenarum sic ait: O homines, ego non dico quod vestra scientia illa diuina sit falsa; sed ego dico, quod ego sum faciens scientiam humanam.

Amplius autem quicunq; concedunt vera somnia esse à Deo, concedunt similiter prophetias: sed omnes prædicti Philosophi fatentur concorditer vera somnia esse à Deo, sicut libri eorum locis prætactis indicant euidenter. Quare & Auerroes super de somno & vigilia dicit, quod ea-

C dem est causa somniorũ || *diuinatiuorum* & Prophetię, sicut superius recitatur; vbi & recitat opinionem vulgarẽ sic scribens: Vulgus dicit, quod somnia sunt ab Angelis, & diuinationes à Dæmonibus, & Prophetię à Deo, aut cum medio, aut sine medio. Sed ipsemet ostẽdit diffuse, quod vera causa verorum Somniorum & Prophetiæ est Deus, qui veré scit omnia futura huiusmodi, & est omnium vera causa: vnde & dicit, quod intellectus in actu, cuius esse declaratũ est in libro de Anima, scilicet intellectus agens, qui dat & agit primas propositiones, scilicet prima principia complexa, dat similiter cognitionem in Somno, & addit, sed differunt, quia in cognitionibus vniuersalibus dat principia vniuersalia facientia cognitionem illius quod erat ignotum. Hic autem in Somno dat cognitionem rei ignotæ sine medio, & iste modus dationis largæ est valdé nobilis, & attribuitur principio nobiliori, scilicet principio voluntatis: imo est à re diuina & ex perfecta sollicitudine circa homines; & quia Prophetia intrat hunc modum dationis, attribuitur Deo & rebus diuinis, scilicet Angelis: Et infra dicit, quod Somnia sunt

D propter sollicitudinem Dei circa homines, vt sciat res futuras vtiles & nocentes, vt sit paratus contra illas: & ideo fuit sustentata hæc virtus cum hac enuntiatione nobili, & comprehensione spirituali; & ideo dicitur quod est || *vna* pars || Prophetiæ & hoc manifestum est in somnio Pharaonis, de quo interrogauit Ioseph.

|| diuinationum. || vera. || Philosophiæ.

Ex hijs omnibus apparet euidenter, quam intrepidè, quam securè, quam constanter, quam firmiter sit credendum veris Prophetis: nihil enim Prophetant hominibus, nisi quod viderant & didicerant priùs apud Deum; ipsis ergo sicut Deo est credendum, ipse est enim qui loquitur per Prophetas, sicut præhabita suaserunt.

Nonnè & discipuli Doctoribus, Philosophi minores maioribus, & posteriores prioribus nedum Philosophis, verum & non Philosophis fidem sæpius adhibent, etiam vbi simpliciter asserunt ita esse, vbi nec euidens argumentum, nec exilis quidem suasio suffragatur, sicut superius tangebatur. Quod & adhuc recitare & confirmare non piget Plato, siquidem

E 2. Tim. 3. Locuturus de Angelis, & dijs posterioribus, seu secundis, sic ait: Inuisibilium diuinarum potestatum, quæ Dæmones nuncupantur, prestare rationem maius est opus, quam ferre valeat hominis ingenium: Ergo compendium ex credulitate sumatur: Credamus ergo hijs qui apud seculum prius, cum ipsi cognationem propinquitatemque diuini generis præferrent è natura maiorum Deorum atque aliorum, deque genituris singulorum æterna monumenta in libris posteritati relinquerunt: Certè Deorum filijs aut nepotibus non credi satis irreligiosum, quamuis incongruis sed necessarijs argumentis dicant, tum quia de domesticis rebus pronunciant, credendum esse meritò puto: sit ergo nostra quoque credulitas comes assertioni || priscorum virorum. Vbi & Calcidius exponendo Platonem scribit de Pythagora dictum esse, ipsum dicere, propterea que quæri vltra non oportere: ergo inquit,

|| pristinorum.

quit, neque probationes semper adhibendæ, nec persuadens assertio hijs quæ dicuntur à pris- A
cis diuina quadam sapientia præditis.

Aristoteles etiam 1. Elench. 2. oportet, inquit, eum qui discit credere: & 2. de Cœlo & Mundo 2. oportet bene persuasibilem seipsum exhibere antiquis, & maximè Patrum nostrorum veros credere esse Sermones: Vbi Translatio quam habet Auerroes: Oportet, inquit, nos credere Sermones antiquorum, vetustissimorum, verissimorum, & maximè quia sunt parentes nostri. Si ergo auctoribus talibus, neque demonstrantibus, neque suadentibus, sed asserentibus simpliciter ita esse, in materia Philosophica sit credendum; quanto magis præclarissimis & famosissimis toti orbi Prophetis diuinitùs inspiratis, diuinitusque edoctis, sicut præcedentia docuerunt? Sed quos reputabimus veros Prophetas, quibus dignè & certè credamus in omnibus, si non illos præclaros per totum orbem celebriter diffamatos? Illos, inquam, antiquos de Veteri Testamento, de Lege veteri Iudæorum, qui in omnibus dictis suis, de rebus præteritis tam varijs & tam multis verissimi comprobantur. Cur ergo in paucis arti- B
culis fidei Christianæ nequaquam eis rationabiliter est credendum? Et si prophetias alterius alterius gentis requiris, ecce Sybilla famosissima Prophetissa inter Gentiles, cuius fama nec Philosophos latuit, nec Poetas, quæ in libro suo expositorio visionis seu somnij quod 100. viri ex Senatu Romanorum viderunt singuli vna nocte, viz. 9. Soles multipliciter varios & diuersos: per 9. Soles 9. futuris generationibus intellectis, expeditoque de expositione trini Solis, subiungit de quarto. Quartus Sol quarta generatio est, erunt homines quod verum est abnegantes & in diebus illis exurget mulier de stirpe Hebræorum nomine Maria, habens sponsum nomine Ioseph, & procreabitur ex ea sine commixtione viri de Spiritu Sancto filius Dei nomine Iesus; & ipsa erit virgo ante partum, & virgo post partum, qui vero ex ea nascetur, erit verus Deus & verus homo sicut omnes Prophetæ prædicauerunt, & adimplebit legem Hebræorum, & adiunget sua propria in simul, & permanebit regnum eius in secula seculorum. Nascente autem eo exercitus Angelorum à dextris & à sinistris erunt, dicentes; Glo- C
ria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Veniet namque super eum vox dicens; Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Et sequitur; Erant ibi ex Sacerdotibus Hebræorum, qui audientes hæc verba, indignati dixerunt ad eam; Ista terribilia sunt verba, sileat hæc Regina. Et subditur; Respondens Sybilla dixit eis: O Iudæi, necesse est ista fieri, sed vos non credetis in eum. Dixeruntque, Nos non credimus, quia Verbum & Testamentum dedit Deus patribus nostris, & non auferet manum suam à nobis. Respondit eis iterum: Deus cœli generaturus est sibi filium, vt scriptum est, qui similis erit Patri suo, & postea vt infans per ætates crescet, & insurgent Reges in eum, & Principes terræ. In diebus illis erit Cæsari Augusto celebre nomen, & regnabit in Roma, & subijciet omnem terram sibi. Non multi vel non pauci, non tres, neque duo sunt dij; sed vnus Deus solus & immensus, qui fecit Cœlum, Solem, Stellas & Lunam, frugiferamq; Terram, & vndosum Mare: Qui autem illum honorant, æternam vitam hæreditabunt, perpetuumque ipsi hæreditabunt Paradisum D
simul amænissimum hortum. Mortuorum verò resurrectio erit, & claudorum cursus velocissimus erit, surdi audient, & cæci videbunt, loquentur non loquentes, & de panibus quinque & duobus piscibus marinis, multa millia hominum saturabuntur, & colligent reliquias fragmentorum & duodecim cophinos exinde replebunt: in spem populorum veritatem docebit, ventos compescet verbo, maréque furens sedabit, pedibus mare calcans, ambulansque super vndas, infirmitatem hominibus soluet, surgere faciet & mortuos, repellens multos dolores, & de pane vno seu vino, saturatio erit || viuorum. Sed cum hæc omnia fuerint perfecta quæ dixi, in ipso resoluetur omnis lex, & in manus impiorum postea veniet: Post hæc conuenient Sacerdotes Hebræorum contra Iesum, quia multa signa faciet, & comprehendunt eum: dabunt autem Deo alapas iniectis manibus, & impuro ore in ipsum spuent venenatos sputos; dabit vero ad verbera similiter sanctum dorsum, & colaphos accipiens, tacebit, ne quis agnoscat quod verbum, vel vnde venit. Inferis loquetur, & corona spinea coronabitur, ad cibum autem fel, & ad sitim ei acetum dabunt, & suspendent eum in ligno & occident; ipsa enim insipiens tuum Deum non intellexisti ludentem mortalium sensibus, sed spinis corona E
sti & horridum fel miscuisti. Templi verò velum scindetur medium, & medio die nox erit tenebrosa in tribus horis; vel secundum aliam literam, dies erit tenebrosus per tres horas, & sortē mortis sumet tribus diebus somno suscepto, & tunc ab inferis regressus ad lucem veniet, primus resurrectionis principium mortalibus ostendet, quia die tertia resurget, & ostendet se discipulis suis, & ipsis videntibus ascendet in cœlum, & regni eius non erit finis: dicent me insanam & mendacem Sybillam: cum autem facta fuerint, tunc demum reminiscentur mei, & nullus postea me dicet insanam, sed Dei Magam: Hæc aut Sybilla scripsit omnia ista Græcè,

|| al. Virorū.

A Græcè, quæ & prophetato de processu mundi, ex tunc vsque ad finem: in fine prophetiæ suæ protulit quosdam versus in Græco, quorum literæ capitales, has quinque dictiones Græcas efficiunt; ΙΗΣΟΥ͂Σ ΧΡΙΣΤΟ`Σ ΘΕΟΥ͂ ΥἹΟΣ ΣΩΤΗ'Ρ: quę sonant Latinè, IESVS CHRISTVS DEI FILIVS, SALVATOR. Versus autem in Latinum translati secundum sententiam, & ferè secundum correspondentes literas capitales sunt isti versus Sybillæ.

1. *Iudicij signum, tellus sudore madescit;*
2. *E Cœlo Rex adueniet, per sæcla futurus.*
3. *Scilicet in carne præsens vt iudicet orbem.*
4. *Vnde Deum cernent, incredulus atque fidelis,*
5. *Celsum cum Sanctis, æui iam termino in ipso.*
B 6. *Sic animæ cum carne aderunt, quas iudicat ipse.*
7. *Cum iacet incultus densis in vepribus orbis,*
8. *Reijciunt simulachra viri, cunctam quoq; Gazam:*
9. *Exuret terras ignis, pontumque polumque.*
10. *Inquirens tetri portas confringet Auerni.*
11. *Sanctorum sed enim cunctæ lux libera carni,*
12. *Tradetur, fontes æterna flamma cremabit*
13. *Occultos actus retegens; tunc quisque loquetur*
14. *Secreta, atque Deus reserabit pectora luci*
15. *Tunc erit & luctus, stridebunt dentibus omnes*
C 16 *Eripitur solis iubar, & chorus interit astris;*
17. *Voluetur cœlum, lunaris splendor abibit.*
18. *Deijciet colles, valles extollet ab imo,*
19. *Non erit in rebus hominum sublime vel altum.*
20. *Aequantur campis montes, & cærula ponti,*
21. *Omnia cessabunt, tellus confracta peribit*
22. *Sic pariter fontes torrentur fluminaque igni,*
23. *Et tuba tunc sonitum tristem dimittet ab alto.*
24. *Orbe gemens facinus miserum, variosque labores*
25. *Tartareumque Chaos monstrabit terra dehiscens,*
D 26. *Et coram hoc Domino Reges sistentur ad vnum,*
27. *Recidet è cœlo ignisque sulphureus amnis.*

Defectus autem correspondentiæ in Capitalibus literis posset faciliter corrigi, si quis vellet. Et sequitur post hos versus. Tunc iudicabit Deus secundum vniuscuiusq; opus, & ibunt impij in gehennam ignis æterni; iusti autem præmium vitæ æternæ recipient: & erit cœlum nouum, & terra noua, & mare iam nouum erit, & regnabit Dominus cum Sanctis, & ipsi regnabunt cum illo in sæculorum sæcula, Amen.

Ecce & alia Sybilla Prophetissa Gentilis. Decem namque Sybillæ Prophetissæ testantibus Chronicis fuisse leguntur. Ecce, inquam, alia Sybilla, quæ circa Christi aduentum Octauiano Augusto, & primo vocato Augusto, Rege Romanorum imperante toti mundo, secundum Prophetiam alterius Sybillæ præmissam, & hoc pacificè per annos 12. sine bellis, sicut & E Prophetæ alij prædixerunt, ipsam consulenti, si deberet permittere se adorari pro Deo, sicut obtulerunt ei Romani, præmisso ieiunio triduano respondit secundum Prophetiam alterius Sybillæ præmissam, statimque apertum est cœlum, & splendor nimius irruit super eum, qui & vidit in cœlo Virginem quandam pulcherrimam stantem super quoddam altare, & puerum in brachijs suis tenentem. Audiuit quoque vocem dicentem; Hæc ara Filij Dei est; qui multum admirans, & super terram proiectus, adorans, retulit Senatoribus visionem, quam & ipsi nimium mirabantur, in cuius visionis dignam memoriam Romæ, in loco vbi Imperatori apparuit, constructa est quædam Ecclesia S. Mariæ, quæ dicitur Ara cœli.

Nonne hæc omnia testimonium reddunt Christo? Ecce Balaam alienigena, qui similiter testimonium dixit Christo. Ecce & ille olim mortuus & sepultus, cuius sepulchrum in Constantinopoli

ſtantinopoli anno primo Conſtantini Imperatoris, cum matre ſua Irene caſu erat effoſſum, A
per Scripturam in lamina aurea ſecum iacente, ſic ait: Chriſtus naſcetur ex Virgine Maria, & credo in eum. Sub Conſtantino & Irene Imperatoribus; O Sol, iterum me videbis. Si credas dictum huius ſecundum, ſicut & rei euentus illud veriſsimum demonſtrauit, cur non & primum? cùm & ſicut videtur in confirmatione illius primi, addidit hoc ſecundum?

Ecce adhuc aliud huiuſmodi teſtimonium admirandum: Tempore ſiquidem Ferrandi Regis Caſtellæ in Toleto Hiſpaniæ, quidam Iudæus comminuendo vnam rupem pro vinea amplianda, in medio lapidis inuenit concauitatem vnam, nullam penitus diuiſionem habentem neque ſciſſuram, & in concauitate illa reperit vnum librum quaſi lignea folia habentem, qui Liber tribus linguis ſcriptus; viz. Hebraicè Græcè & Latinè, tantū de litera habebat quantum vnum Pſalterium, & loquebatur de triplici mundo ab Adam vſque ad Chriſtum, proprietates hominum cuiuſcunque mundi exprimendo, & principium tertij mundi poſuit in Chriſto, ſic dicens: In tertio mundo filius Dei naſcetur ex virgine Maria, & pro ſalute hominum B
patietur. In eodem quoque Libro ſimiliter ſcriptum erat, quod tempore || *Ferrandi* Regis Caſtellæ debuit inueniri, qui & tunc veraciter eſt inuentus in teſtimonium alterius veritatis. Ecce teſtes teſtificantes Chriſtum futurum, ecce & teſtes teſtificantes ipſum præſentem. Ioannes Baptiſta in vtero matris ſuæ, & poſtea in ætate virili: Ecce Symeon Iuſtus, ſenex; Ecce & Anna annoſa, omnes ſanctiſſimi, & pollentes ſpiritu prophetiæ: Ecce & 3. Magi Orientales, præclari, qui doctrina Balaam prædicti inſtructi, ſtella Duce mirabili, Chriſto nato munera detulerunt. Quis Chriſtianus hos tantos teſtes corrupit, || ſubornauit & docuit, vt Chriſto noſtro teſtimonia talia perhiberent, quando nec nomen Chriſti, aut Chriſtiani innotuit cuicunque? Hæc autem ſtella fortaſſis fuit Cometes ille viſus Romanis & Octauiano Auguſto, quo imperante natus eſt Chriſtus, de quo Plinius 2. Naturalis Hiſtoriæ ita ſcribit: Cometes in vno totius Orbis loco colitur in Templo Romæ, admodum fauſtus Diuo Auguſto iudicatus ab ipſo, qui incipiente eo || *apperuit* ludos, quos faciebat Veneri Genitrici, C
non multum poſt obitum Patris Cæſaris, in Collegio ab eo inſtituto. Namque hijs verbis || *proditus* ipſis ludorum meorum diebus, Sidus Crinitum per ſeptem dies in regione Cœli, ſub Septentrionibus eſt conſpectum: id oriebatur circa vndecimam horam diei, clarumque & omnibus terris conſpicuum fuit. Eo ſidere ſignari vulgus credidit Cæſaris animam, inter Deorum immortalium numina receptam, quo nomine id || *inſignium* Simulachro capitis eius quod mox in foro conſecrauimus, adiectum eſt: Hæc ille in publicum interiore gaudio ſibi illuminatum, ſeque in eo naſci interpretatus eſt, & vt verum fateamur, ſalutare; || *idem* terris fuit. Verum Calcidius de ſtella iſta præclara, clarius multum ſcribens, ſuper 2. Tim. Platonis, tractando de Stellis rarò apparentibus, nunciantibus morbos & mortem ſubiungit: Eſt quoque alia ſanctior & venerabilior hiſtoria, quæ perhibet ortu ſtellæ cuiuſdam non morbos morteſque denunciatos; ſed deſcenſum Dei venerabilis ad humanæ conuerſationis rerum mortalium gratiam: quam ſtellam, cum nocturno itinere ſuſpexiſſent || *Chaldæorum profecto* ſapientes viri, et in conſideratione rerum cæleſtium ſatis exercitati, quæſiſſe dicuntur D
recentem ortum Dei, repertaque illa Maieſtate || *paruuli* veneratos eſſe & vota tanto Deo conuenientia nuncupaſſe.

|| Ferdinandi.

|| ſubarrauit

|| apparauit

|| prædictis

|| ſigni, & inſigni.

|| id

|| Chaldæa profecti.

|| puerili

Ouidium de Vetula, & Albumazar loquentes de Chriſto, tranſilio hîc ſcienter. Nonne & Chriſtum atteſtari videntur caſus Templi Pacis, & ſtatuæ Romuli in hora Natiuitatis Chriſti de virgine glorioſa? de quibus erat prædictum, quod non caderent, donec virgo pareret. Nonne & ipſum teſtatur caſus omnium Idolorum Ægypti, ad eius introitum in Ægyptum? Nonne & ipſum ſolemniter atteſtantur Angeli multi cœleſtes, in ipſa hora Natiuitatis ſuæ annunciando gaudium magnum Paſtoribus, quia natus tunc fuit Saluator Chriſtus Dominus in Ciuitate Dauid, laudandoque Deum, & dicendo Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis?

Nonne & ipſum teſtatur illa apparitio glorioſa die Epiphaniæ quo fuerat baptizatus? E
Nonne & ipſum atteſtari videtur eclipſis illa Solis, qua Chriſto in carne paſſo, in medio menſis lunaris, circa plenilunium conſuetum, ab hora ſexta vſque ad nonam Sol fuerat obſcuratus. Sed aliquis forſitan cogitabit hanc obſcurationem fuiſſe quodammodo caſualem, per interpoſitionem alicuius nubis denſæ tunc temporis occurrentis: Sed ſi ita fuiſſet non eſt veriſimile, vllo modo, tot & tantos Hiſtoriographos, puta Mathæum, Marcum, & Lucam, in libris fundamentalibus fidei Chriſtianæ, concorditer hoc conſcripſiſſe; præſertim quia tunc illa nubes fuiſſet multum denſa, magna & lata: immo benè maior & latior, quam tota terra in meridie obumbrata. Quis enim Philoſophus ignorat Solem eſſe maiorem terra? quare & lineas ductas ab extremitatibus totius terræ, ſeu cuiuſlibet partis terræ, ad contingentiam Solis

A lis in punctis oppositis recedendo à terra continuè plus distare. Quamobrẽ & nullam nubem excludere totam illam incidentiam luminis, nisi fuerit latior tota terra, & qualibet parte terræ totaliter obumbrata. Quis quicquam horum ignorat, qui Astronomiæ, Geometriæ, & Perspectiuæ vel limen perspexit? Sed sicut Euangelistæ testantur Christo patiente ab hora sexta tenebræ factæ sunt per vniuersam terram vsque ad nonam, quod fortassis de vniuersa terra Iudææ debet intelligi. Oportuit ergo nubem illam fuisse densissimam & latissimam, & ab omnibus benè perceptam. Quid ergo notabile & memorabile scripsissent nostri Euangelistæ & Historiographi hæc scribendo? Quare & Lucas diligentissimus inquisitor & scriptor, causam alijs superaddens; Obscuratus, inquit, est Sol. An putandum similiter casuale, quod tunc etiam velum Templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum? quod terra mota est, quod petræ scissæ sunt, quod monumenta aperta sunt, quod || *multorum* Sanctorum || multa.
corpora surrexerunt, sicut eædem Historiæ contestantur? Non sic autem, non sic putabant
B inimici eius, Centurio & qui cum eo erant: sed hijs visis dicebant, verè Filius Dei erat iste, sicut non tacent Historiæ supradictæ.

Fuit igitur hæc Eclipsis huius luminaris, cœlestis, supernaturalis, insinuans aliquid circa cœli & naturæ autorem. Quare & Dionysius Areopagita Philosophus adhuc Gentilis, hæc videns: Aut, inquit, Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissoluetur; & quia credidit mundi machinam duraturam, credidit Deum pati: quare & Aram erexit intitulatam, Ignoto Deo. Quapropter & Paulo Christum Deum ignotum Atheniensibus & Philosophis prædicante, recepit Dionysius fidem Christi. Modum autem huius Eclipsis scribit idem Dionysius ad Polycarpum summum Sacerdotem Epistola septima, vbi contra Apollophanem Sophistam ista negantem, sic ait: Dic ipsi quid dicis de defectu facto in Cruce Saluatoris: ambo enim apud Heliopolim tunc præsentes & coastantes inopinabiliter Lunam Soli incidentem videbamus, non enim erat conuentus, tempus, & rursus ipsam à nona hora vsque ad vesperam,
C ad Solis Diametrum supernaturaliter restitutam. Rememora autem & quiddam aliud ipsi: nouit enim quod Eclipsim ipsam ex Oriente vidimus inchoatam, & vsque ad Solarem terminum venientem, postea egredientem, & rursum non ex eodem & defectum & repurgationem, sed ex contrario secundum Diametrum factam. Talia eius sunt temporis supernaturalia, & soli Christo qui est omnium causa possibilia, qui facit magna & mirabilia, quorum non est numerus. Hoc dicit sibi, & si possibile est, Apollophanes reprehende, & contra me tunc compræsentem tibi, & simul inspicientem, & simul indicantem, & simul admirantem si quid & diuinationem. Tunc nescio vnde Apollophanes incepit, & ad me: sicut quæ fuerit conferens dixit: Hæ, O bone Dionysi, sunt mutationes diuinarum rerum, tanta sicut in Epistola sunt à nobis dicta: tui autem erit sufficienter, & deficientia adimplere, & adducere perfectè Deo virum sapientem in multis existentem, & forsitan non dedignaturum mansuetè dicere super sapientem religionis nostræ veritatem.

D Si quis autem diligenter consideret, videbit multa miracula in istá Eclipsi; quod Luna tam velociter ab opposito ad oppositum mouebatur, quod in medio mensis Lunaris fiebat Eclipsis Solaris, quod Eclipsis Solis incipiebatur ex parte orientali Solis: quod pars Solis primò eclipsata, fuit vltimò repurgata; & quæ vltimò eclipsata, primò purgata: quod habuit tantam moram, scilicet, per tres horas: quod Luna tam velociter redijt vndè venit: quod venit per Orientem, vel redijt contra proprium motum suum, siue proprius motus eius sit ab Occidente in Orientem velocior motu Solis, siue sub deficiendo è contra. Hæc omnia esse contra naturam, nullus ignorat, qui in huiusmodi vel modicum fuerit eruditus. Quis ergo hæc potuit facere, nisi ille qui olim Iosue pugnante contra quinque Reges, quos Dominus delere decreuit, atque orante, fecit Solem stare & Lunam: Solem in medio cœli, vt non festinaret occumbere spatio vnius diei, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis prædictis. Quis hæc potuit facere, nisi ille, qui tempore Isaiæ Prophetæ Dominum inuocantis, & Ezechiæ Regis
E Iudææ, fecit Solem reuerti, donec vmbra in Horologio 10. lineis, & totidem gradibus correspondenter rediret, sicut sacratissimæ Historiæ, & per orbem famosissimæ clarè produnt? Hoc autem signum, referente Dionysio vbi prius, Babylonios conuenienter in stuporem mouit, & sine pugna Ezechiæ subiecit, sicut cuidam æquali Deo, & homines excedenti, quod & maximè Persarum sacerdotalibus effertur memorijs. Crede ergo Apollophanes nostris Historijs, præsertim Euangelicis, apud nos tam authenticis, tam famosis, maximè vbi Historiam nudam tradunt. Si enim tu non credideris Historijs Gentis nostræ, quomodo credam ego Historijs Gentis vestræ? aut quomodo credet quicunque cuicunque Historiæ Gentis non suæ? aut etiam Gentis suæ, quam oculis suis non viderit adimpletam? Sed absit ab hominibus hoc venenum: hoc enim redderet homines incredibiles, illegales, insociabiles, inhumanos,

incommunicabiles, inciuiles, & omnia penè humanitatis fœdera dissiparet. Quis enim nouit A de qua terra, aut patria, de qua gente aut parentela descendit; per quem, & à quo patria & parentela sua, & ipse tot bona suscepit, nisi per Historias & testimonia seniorum? Et si in hac parte Historijs gentis nostræ non credis, nec credis Historijs Iudæorum, Babyloniorum, Persarum, Græcorum, imò nec Dionysio & Polycarpo viris præclaris, qui illam Eclipsim simul præsentialiter inspexerunt, quis ergo tibi credet? Cur ergo non credis Historijs referentibus illud esse præteritum, quod Sybilla, & antiqui Prophetæ prædixerunt à diu esse futurum, Prophetia Sybillæ satis expressa superius recitatur.

Nonne & hoc est, quod Amos Propheta prædixit: Erit, inquiens, in die illa dicit Dominus, occidet Sol in Meridie; & tenebrescere faciam terram in die luminis: & loquitur ibi ad literam, de finali exterminatione Iudæorum, sicut litera præcedens & sequens euidenter ostendit, quæ citò post mortem Christi prædicato Euangelio inter Gentes, etiam apud Romanos per Titum & Vespasianum erat plenariè consummata, quæ & vsque hodiè perseuerat. Quibus omnibus & alij antiqui Prophetæ multa similia prædixerunt. Sed absit quod quisquam B ita intelligat de Eclipsi luminarium naturali: quomodo namque videtur credibile tantos Prophetas Eclipsim naturalem & consuetam, pro aliquo signo magno spiritu Prophetico prædixisse, quam vnus puer certissimè sciret prædicere cum eius circumstantijs vniuersis per scientiam naturalem?

Argutia autem tua, Apollophanes Sophista, vix sophistica dici meretur, vix enim apparentia tenui coloratur: peccat verò mortaliter in materia & in forma: in forma quidem, quomodo namque tenet locus ab autoritate negatiuè? Auctor non dicit, ergo non verum. Quomodo ergo consequitur, nullus Græcorum, aut Barbarorum considerantium talia istud scripsit, ergo ita non fuit, præsertim cùm considerantes talia, nunquam viderunt vel audierunt quicquam tale accidere, in medio mensis Lunaris: sciebantque quod nec tunc posset contingere per naturam. Quare etsi huiusmodi tenebræ tunc fiebant, non considerabant, saltem diligenter, putantes illas accidere ex obiectu alicuius nubis condensæ, vt fieri sæpè solet. C

Posses quoque contra alia signa cœlestia memorata superius, similiter cauillare. Verum transcende, quæso, modicum statum Sophistæ, & disce Eclipsim Solis etiam vniuersalem, nequaquam vbique & omnibus apparere, sicut Eclipsis Lunæ apparet, & hoc est propter diuersitatem aspectus, sicut non Sophistica, sed Philosophica, scilicet Mathematica, Theoremata clarè monstrant, quare & posset Eclipsis Solis in aliqua terra contingere, etsi ipsi in Græcia non viderent etiam claro die.

In materia quoque peccas, dicendo nullum Græcorum Eclipsim illam vidisse, aut de ipsa mentionem fecisse, sicut præhabita manifestant. Nonne etiam resurrectio Christi à morte, attestatio Angelorum, ascensio eius in cœlum multis videntibus, attestatio Angelorum, missio Spiritus Sancti promissi, cum inspiratione Discipulorum rudium, laicorum, tam mirabili, tam efficaci, tam valida, vt statim linguis omnium loquerentur, intelligerentque Scripturas, D testimonium perhibent Iesu Christo?

Nonne & alia miracula eius omnimoda tantum excedentia vires naturæ, quæ & quanta testantur Historiæ nostræ authenticæ & famosæ faciunt fidem certam. Solent enim Philosophi ab effectibus sensatis & notis, ad causas ignotas procedere inquirendo. Fuerunt autem apud Christum multi miraculosi effectus, & apud Christianos in eiusdem nomine, vsque hodie perseuerant: puta conuersio subita aquæ in vinum, saturatio quinque millium hominum ex quinque panibus, & duobus piscibus, relictis duodecim cophinis fragmentorum: mundatio subita leprosorum, illuminatio subita cæcorum, consolidatio subita paralyticorum; &, vt plurima breuibus comprehendam, quorumcunque languorum curatio subita & perfecta; imo & subita, & vera resuscitatio veraciter mortuorum, sicut quamplures Historiæ satis authenticæ concorditer attestantur, sicut & antiqui Prophetæ, & Sybillæ de ipso antiquitùs prædixerunt, quod & inimici nostri Iudæi, & Iosephus contestantur. Horum ergo effectuum O Philosophe, dic tu causam, nonne sicut effectus isti vires totius naturæ creatæ transcendunt, sic & causa ipsorum? E

Scio autem quod à proteruis Sophistis qui volunt videri Philosophi, ad hæc & huiusmodi multipliciter respondetur. Quidam namque irreligiosi omnia miracula negare simpliciter non verentur. Sed isti sicut Apollophanes superius corrigentur: Inciuile namque & inhumanum est, omnes Historias Christianorum, & etiam Iudæorum simpliciter abnegare. Quicunque etiam negas miracula, habes consequenter negare omnem possibilitatem miracula faciendi; reputas quoque te posse plenè cognoscere omnem operationem diuinam, contra priorem particulam huius partis, & contra 7am & 8am partes præmissas.

Quicunque

A Quicunque etiam negas miracula Christiana, veni & vide ad oculum, adhuc istis temporibus in locis Sanctorum per vices miracula gloriosa. Veni in Angliam ad Regem Anglorum præsentem, duc tecum Christianum quemcunque habentem morbum Regium quantumcunque inueteratum, profundatum, & turpem, & oratione fusa, manu imposita, ac benedictione, sub signo crucis data, ipsũ curabit in nomine Iesu Christi. Hoc enim facit continuè, & fecit sæpissimè viris & mulieribus immundissimis, & cateruatim ad eum ruentibus in Anglia, in Alemannia, & in Francia circumquaque, sicut facta quotidiana, sicut qui curati sunt, sicut qui interfuerunt & viderunt, sicut populi nationum & fama quam celebris certissimè contestantur. Quod & omnes Reges Christiani Anglorum solent diuinitus facere & Francorum, sicut Libri Antiquitatum, & fama Regnorum concors testantur: Vnde & morbus Regius nomen sumpsit. Vade in Hiberniam, intra Purgatorium S. Patricii, & experiêris miraculum multipliciter admirandum, quod & nonnulli certissimè sunt experti.

B Amplius autem, si Historiis Christianorum de miraculis apud ipsos factis non credis, crede Historiis Philosophorum, Poetarum, Chronographorum, Gentilium, & illorum qui nunquam receperant fidem Christi, & ipsis etiam Christianis de miraculis factis apud exteras nationes. Ecce Aristoteles famosus Philosophus in de Mundo 12. referens vnum magnum mirabile: Fuit, inquit, dudum versus occasum terræmotus, qui euertit plurimas ciuitates, atque cum imbribus maximis rabieque ventorum, in quibusdam locis mare conuertit in aridam, aridamque in mare; factaque sunt tanta incendia, vt omnia conflagrarent. Nam ignis erumpens de terra quasi ruptis Aetnæ carceribus, ferebatur in modum fluminis super terram, vbi & fidelium genus numen præcipuè honorauit, vbi & dum quidam iuuenes, parentes & senes baiulantes in humeris fuissent à rheumate compræhensi, appropinquaretque eis terribiliter flumen, ignis diuisum est flumen incendij quoque: hoc quidem huc; hoc autem illuc se diuertit, ac iuuenes cum suis parentibus conseruauit illæsos. Quod etiam expressiùs

C testatur Solinus de Mirabilibus Mundi lib. 2. vbi agit de Sicilia, ita dicens: Inter Catinam & Syracusas certamen est de illustrium Fratrum memoria, quorum nomina sibi diuersæ partes adoptant. Si Catinenses audiamus Anapius fuit & || *Amphinomus*, si quod malunt Syracusæ Emantiam putabimus & || *Critonem*. Catinensis tamen regio causam dedit facto, in quam cum se incendia Aetnæ protulissent, iuuenes duo sublatos parentes euexerunt inter flammas ignibus illæsi. Horum memoriam ita posteritas munerata est, vt Sepulchri locus nominaretur Campus piorum. Idemque infra eodem narrat, quod ibi, scilicet in Sicilia est Vulcanius Collis, vbi 2. mirabilia demonstrantur. Sacrificantibus namque construentibus sarmenta viridia super Aras, nec igne apposito probatur si Deus adest placatus per hoc, quod ligna concipiunt ignem sponte, & nullo inflagrante halitu à numine attenduntur. Vbi & post sacrificium consummatum, epulantibus alludit flamma, quæ flexuosis excessibus vagabunda, quem contigerit non adurit.

|| Amphionius

|| Cratonem

D Simile huic testatur Plinius 7. Naturalis Historiæ, sub hijs verbis: Haud procul vrbe Roma, in Faliscorum agro, familiæ sunt paucæ quæ vocantur Hirpiæ, quæ Sacrificio annuo quod fit ad montem Sorastem. Apollini super ambustam ligni struem ambulantes non aduruntur, & ob id perpetuo Senatus consulto, militiæ omniumque aliorum munerum vacationem habent.

Refert quoque Aristoteles in Secreto Secretorum Part. tertiæ cap. 14. quomodo Mago Orientali Deum orante, Iudæus qui mulam eius sibi accommodatam adduxerat, eiectus est de ipsa & prostratus confracta tibia, & similiter collo læso. Et idem infra eodem part. vlt. cap. 1. approbat miracula Prophetarum itruatiua; & supra eodem part. 3. cap. 1. allegat Hermogenem hæc verba. Pater noster Hermogenes, qui triplex in Philosophia optimè Philosophando dixit; veritas ita se habet, & non est dubium, quin inferiora superioribus, & superiora inferioribus respondent: operator miraculorum vnus & solus Deus est, à quo descen-

E dit omnis operatio mirabilis.

Auicenna quoque 10. Metaph. concedit || *miracula*, & similiter 4. de Anima 4. licet ibi erroneas causas fingat: Et similiter Algazel. 5 Philosophiæ suæ 5. miracula confitetur. Albumazar etiam de coniunctionibus Tract. 1. differentia. 3. determinat de miraculis solennium Prophetarum licet sicut & Auicenna, in causis eorum aberret. Item Iosephus 2. Antiquit. vltimo, referens transitum Israel per medium maris rubri, in argumentum fidei hæc subiungit. Nullus verò discredat verbi miraculum, si antiquis hominibus & malitia priuatis, via salutis, licet per mare, sit facta, siue voluntate Dei, siue sponte reuelata, dum & eis qui cum Alexandro Rege Macedoniæ fuerunt olim & antiquitus resistentibus Pamphylicum mare diuisum sit, & cum aliud non esset iter, transitum præbuit eis, volente Deo per eum de-

|| mirabilia

ſtruere Perſarum principatum, & hoc confitentur omnes qui Actus Alexandri, conſcripſerunt. A

Hiſtoria quoque Scholaſtica, vbi actum eſt de Heſter recitat à Ioſepho memorato, quod Alexandro magno orante Deum Iſrael, vt intra montes Caſpios includeret 10. Tribus, prærupta montium acceſſerunt ad inuicem & locum immeabilem perfecerunt. Refert quoque Valerius Maximus lib. 8. 1. quod Virgo quædam veſtalis de corruptione ſuſpecta, in argumentum ſuæ integritatis illæſę, oratione Deæ Veſtæ præmiſſa, cribrum plenum aqua de Tyberi in eius Templum integerrimè deferebat. Ouidius de faſtis lib. 4. agens de feſto Cyboles quod nonis Aprilis veteres celebrabant, quam matrem Deorum & Virginem putarunt, quæ & Berecinthia, Idea, Peſsimica, Phrygia, Dea virgo, & cæleſtis virgo fuerat nominata, vt partim patet ibi per Ouidium partim per Aug. 1. de Ciuit. Dei 29. & 2¹. 5°. 26. & 10. 16. & per multos alios Hiſtorias & poëmata pertractantes deſcripto itinerario, quo ipſa à Phrygia verſus Romam, per multa maria ad oſtium Tiberis eſt delata, refert vnum magnum miraculum & ſtupendum: Carina namque (vt dicit) limo Tiberis iam æſtu nimio deſiccati inſidente tam firmiter, vt nullo ingenio, nec vllis viribus amoueri valeret: Claudia Quinta Virgo, ſuper violatione communiter defamata, accedens ad Deam, ſupplici prece fuſa in purgationem publicam ſuæ famæ, nauem cum zona, ſeu fune, leui conamine, quò voluit prætrahebat, & quia metra iuuant animos aliquorum, paucos verſus Ouidij repeto, qui ſic ait. B

Verſus Ouidij.

Hoſtia contigerat, qua ſe Tiberinus in altum
Diuidit, & campo liberiore natat?
Omnis eques, iuxtaque ſimul cum plebe ſenatus
Obuius ad Thuſci fluminis ora venit.
Procedunt pariter matres, natiq; viriq; C
Quæq; colunt ſanctos virginitate focos.
Sedula fune viri contorto brachia laxant,
Vix ſubit aduerſas hoſpita nauis aquas
Sicca diu fuerat tellus, ſitis vſſerat herbas,
Sedit limoſo preſſa carina ſolo.
Quiſquis adeſt, operi pluſquam ꝑ parte laborat,
Adiuuat & fortes voce ſonante manus.
Illa velut medio ſtabilis ſedet Inſula Ponto,
Attoniti monſtro ſtantque pauentque viri.
Claudia quinta genus lauſo referebat ab alto,
Nec facies impar nobilitate fuit.
Caſta quidem eſt, ſed non ſic credita, rumor iniquus D
Læſerat, & falſi criminis acta rea eſt.
Cultus & ornatus variè prodiſſe capillos
Obfuit, ad rigidos promtaque lingua ſonos.
Conſcia mens veri fama mendacia riſit,
Sed nos in vitium credula turba ſumus.
Hæc vbi caſtarum proceſſit ab agmine matrum,
Et manibus puram fluminis hauſit aquam,
Ter caput irrorat, ter tollit in æthere palmas,
Quicunque aſpiciunt, mente carere putant,
Submiſſoque genu vultus in imagine Diuæ
Figit, & hos egit crine iacente ſonos.
Supplicis alma tuæ genitrix fœcunda Deorum,
Accipe ſub certa conditione preces.
Caſta negor, ſi tu damnas, meruiſſe fatebor, E
Morte luam pœnas, iudice victa Dea.
Quod ſi crimen abeſt, tu noſtræ pignora vitæ
Re dabis, & caſtas caſta ſequere manus.
Dixit & exiguo funem conamine traxit:
Mira, ſed in ſcena teſtificata loquor:
Mota Dea eſt, ſequiturque ducem, laudatque ſequendo.
Index lætitiæ fertur ad aſtra ſonus.

Sed

A Sed ne indictis suspectis Poëtarum tantummodo videar me fundare: Ecce Titus Liuius qui lib. 9. de 2. Bello Punico hoc testatur. Ecce Solinus de mirabilibus Mundi parte vlt. qui sic dicit: Nauis à Phrygia gerula sacrorum dum sequitur vittas castitatis contulit Claudiæ principatum pudicitiæ, & ecce similiter Aug. qui primo de Ciu. Dei 16. tam istud, quam præcedens, cum quibusdam alijs recitat & concedit. Idemque Solinus supra, eiusdem primi secundo sic scribit: Sacellum Herculis in Boario foro est, in quo argumenta & conuiuij & Maiestatis ipsius remanent: Nam diuinitus neque muscis illo neque canibus ingressus est: etenim cum viscerationem sacrificij libaret, magnum Deum dicitur imprecatus: clauam vero in aditu reliquisse, cuius olfactum refugiunt canes, id vsque nunc durat.

Referunt quoque Historiæ Tartarorum, & commemorat Haitonus in lib. intitulato, Flos historiarum terræ orientis, Part. 3. de Chamguis 1° Cham, 1° Imperatore, seu Rege Tartarorum, vnum stupendum miraculum in hæc verba: Postquam Chamguiscam omnes terras & prouincias, quæ citra montem Belian erant, suo imperio subiugauit, & illa posedit quietè & pacificè, quadam nocte in Somnis vidit aliam visionem: vidit enim iterum militem album, qui dixit ad eum; Chamguiscam, voluntas Dei immortalis est, quòd tu transeas montem Belian versus Occidentem, & occupabis terras & regna, ibique dominaberis gentibus quas subijcies tuo imperio; & vt certus sis, quod ea quæ tibi dico, sunt ex parte immortalis Dei; Surge & vade ad montem Belian cum tota Gente tua, ad locum vbi mare iungitur cum eodem, ibique descendes, & versus Orientem cum nouem genuflexionibus nouies immortalem Deum adorabis, & ipse qui est Omnipotens tibi viam ostendet per quam poteris pertransire. Chamguiscam verò visa visione, gaudenter surrexit, nec in aliquo dubitauit: nam prima visio quam viderat de alijs certitudinem sibi dabat. Festinanter quoque suos vniuersaliter congregauit, & præcepit quòd sequerentur eum, cum vxoribus & filijs suis, & omnibus quæ habebant. Perrexit itaque quousque peruenerunt ad locum, vbi mare magnum & profundum montibus adhærebat; nec erat ibi aliquis transitus, siue via: Continuo verò Chamguiscam, sicut præceptum fuerat ab immortali Deo, de equo descendit: illud idem omnes facientes vniuersaliter versus Orientem flexis genibus nouies adorauerunt, ab omnipotenti & immortali Deo misericordiam & gratiam implorantes, vt transitum & viam eis ostenderet abeundi. Steterunt in orationibus suis nocte illa, & manè surgentes, viderunt quòd mare per 9. pedes à monte retrocesserat, & eis dimiserat viam latam. Stupefacti fuerunt omnes mirabiliter hoc videntes, & immortali Deo vnanimiter gratias referentes deuotissimè, per viam quam viderant, transierunt.

Quis ergo nisi nimis duræ ceruicis, & Patrum impius verberator, solus tot, & tantis testibus contradicet? Et si istis Historijs fidem accommodes, cur non Historijs Hebræorum & Christianorum famosioribus multum valdè? Quare & alij humanè magis agentes, concedunt miracula Christiana, sed in assignatione causæ discordant. Alij namque assignant causam non veram; alij autem veram. Assignantes autem causam non veram, multipliciter variantur. Aliqui namq; Medici dicunt bonitatem, & proprietatem complexionis optimæ temperatæ, quam vocant temperatam ad iustitiam in Christo, fuisse causam effectiuam sanitatis in corporibus alijs, & quorumcunque miraculorum quæ fecit. Sed isti faciliter sanabuntur: Nam etsi possint vtcunque faciliter coloratè assignare hanc causam aliquorum miraculorum Christi, puta sanitatum paucarum quas fecit tangendo: aliorum tamen non possunt Christus enim multos sanauit non tangendo, imò nec domum intrando, sed in magna distantia, vbi pro infirmis rogabatur, consentiendo. Nôrunt autem Philosophi & Medici, quod in omni actione & motione reali, & spirituali, mouens & motum sunt simul: testis est ille magnus Philosophus Aristoteles 7. Phys. 9. & 2. de Anima 74. Illa quoque complexio, & tota eius proprietas fuit tantum finitæ virtutis, quare & mundando leprosum, solidando paralyticum, & cæteras infirmitates sanando, requireret certum tempus, certam alterationem & motum, secundum proportionem illius potentiæ sanatiuæ, ad resistentiam infirmitatis sanandæ, & vbi esset resistentior, & maior infirmitas, ibi requireretur necessariò maius tempus, sicut & Philosophi & Medici benè nôrunt, essetque necessariò aliquod medium inter infirmitatem & sanitatem perfectam, quod Medici solent conualescentiam appellare: Christus autem subitò & perfectè, sicut non sine causa superius recitaui, infirmos quos voluit, sanos fecit.

Rursum, secundum hæc eadem, si sic fuisset, tanta potuit fuisse infirmitas, tam incurabilis, tam mortalis, quod virtus complexionis Christi non potuisset illam sanasse. Legitur tamen morbos grauissimos & || *antiquatissimos* curauisse, nec in aliquo defecisse: Quomodo etiam morbum quemcunque quantumcunque mortalem non posset curare, qui etiam mortuos suscitauit?

|| antiquissimos

Si insuper talis & tanta complexio potuit facere tanta miracula, posset & quælibet minor A complexio facere miracula proportionaliter minora, in proportionale passibile, sicut tam Philosophi, quam medici contestantur. Quæ etiam virtus complexionalis posset quatriduanum mortuum iam fœtidum, non tangendo; sed solo verbo, ad vitam perfectam subito reuocare, aquam in vinum mutare, panes & pisces tam vehementer multiplicare, super aquas ambulare, sicut hæc omnia fecit Christus? Quæ Complexio Christo pendente in cruce fecit terram moueri, monumenta aperiri, corpora Sanctorum resurgere; immò & Solem eclipsari modo prædicto? Quæ complexio potuit à morte resurgere, in Cœlum ascendere, Spiritum Sanctum demittere, & tam efficaciter Apostolos inspirare? Nunquid omnes Christiani per quos fiunt miracula, illius tantummodæ & non magis omnimodæ complexionis existant? Immò per viros & mulieres, per senes & iuuenes, per viuos & mortuos, miracula multa fiunt. Nunquid etiam Moyses, antiqui Prophetæ, & omnes facientes miracula, istius Complexionis fuerunt? Quæ etiam Complexio mare siccaret, siccatum teneret, montes B transferret, faceret Solem stare atque redire?

Constat quoque Complexionem esse potentiam irrationalem, quare & secundum Philosophos, ad alterum oppositorum tantum valere: potentiam verò factiuam miraculorum ad vtrumque, secundum quod exigunt miracula facienda. Nonne etiam Complexio est potentia irrationalis, quare & secundum Philosophos, non agit ex electione & liberè; sed de necessitate naturæ; sicut ignis calefacit. Quapropter & Complexio Christi, semper & necessariò præsente passibili, fecisset quodcunque miraculum, quod facere potuisset. Legimus tamen ipsum, & etiam alios fecisse miracula sua sponte & ex libera voluntate.

Quid etiam oporteret Deum orare pro miraculosis effectibus, si non faceret ibi quicquam, cum etiam sufficiat Complexio naturalis? Sancti tamen per quos fiunt miracula Deum orant, quod esset omnino superfluum, nisi ipse miracula operaretur.

Si etiam aliqua creatura potest miracula facere, potest & Deus, sicut Suppositio 1ª. mon- C strat. Cur ergo non facit, quando suppliciter exoratur? Immò magis decet Deum sic facere, & nos credere ita esse: Quare & Pater Philosophorum Hermogenes dicit, quod operator miraculorum vnus & solus est Deus, cui & Aristoteles Secreto Secretorum suorum consentit, sicut erat superius recitatum; qui etiam supra eiusdem Part. 1. 22. ostendens quid valeat præcognitio futurorum, puta hyemis nimis frigidæ, æstatis nimis calidæ, annorum famis & indigentiæ: Confert, inquit, multum futura præscire, quia melius declinare possunt homines, quando ventura præcognoscunt. Nam & destinatorem excelsum tunc precibus implorare debent, quod per suam clementiam ab eis futura mala auertat, & aliter ordinet. Non enim ita prædestinauit, quod in aliquo suæ potentiæ derogaret. Possunt siquidem homines diuinam clementiam deprecari orationibus, deuotionibus, precibus, ieiunijs, seruitijs, sacrificijs, eleemosynis, & multis alijs bonis, de commissis veniam implorantes, de reatibus pœnitentes, & verissimè tunc Deus omnipotens auertet ab eis quod trepidant & formidant. D Cui etiam concorditer Auicenna 10. Metaph. sua 1°. dicit, quod quia primus verus nouit hoc totum, ideo ab eo incipit esse omnis eius quod fit, & propter has causas prosunt hominibus orationes & sacrificia, & præcipue Litaniæ pro pluuia, & alia huiusmodi; oportetque vt timeas reddere malum pro malo, & studeas reddere bonum pro bono. Cuius rei certitudo faciet te refugere malum. Sed certitudo huius rei est euidentia miraculorum eius, vbi & loquens de dispositione & vtilitate membrorum animalium, & plantarum, sic ait: Non est ibi causa naturalis vllo modo; sed principium eius est ex cura diuina, sicut & illa pendent ex cura; quantò magis ergo in miraculis similiter sentiendum? & addidit; scias etiam quod plus appropinquat vulgus & tenet & dicit; verum est, nec refugiunt hoc nisi illi, qui volunt videri Philosophi, eò quòd ignorant causas & occasiones istorum.

Astrologi autem puta Albumazar vbi prius, & alij alibi videntes corpus terrestre minus sufficere ad miracula facienda, ascendunt ad cœleste, dicentes diuersas coniunctiones & virtu- E tes Corporum cœlestium in signis diuersis miracula diuersa causare: Verum Astrologi sicut Medici corrigentur. Corpus quoque Cœleste, aut quæcunque Cœlestis coniunctio, si faciat miraculum hic in terra, cum non posit immediatè hoc facere, requirit aliquod medium per quod hoc faciat: hoc autem non est tantum ignis aut aer; sed aliquis magnus homo, in aliqua tali magna coniunctione conceptus, natus, aut præsignatus per illam: videmus enim quod non solus aer operatur miraculum, sed aliquis magnus homo, aliquis sanctus homo, quod & isti Astrologi confitentur, quod & videtur Aristot. dicere in Secreto Secretorum vlt. Part. 1. Sed si sic esset, talis homo operaretur miracula virtute suæ complexionis sicut responsio prior dixit.

Quomodo

A Quomodo insuper conuenit coniunctioni & virtuti cœlesti, virtutem cœlestem infringere, motus luminarium cœlestium immutare, facere Solem & Lunam stare, redire, & Solem eclipsari per Lunam in medio mensis lunaris modo prædicto?

Quomodo insuper virtus cœlestis corporis luminosa faciat aliquam patriam in terra solitam illuminari de die, & obtenebrari de nocte, sicut & regio circa eam, perpetua caligine tenebrosam? Haytonus siquidem in libro suo intitulato, Flos historiarum terræ Orientis Part.1.cap.10.agens de regno Georgiæ, scribit ita. In regno isto Georgiæ apparet quoddam stupendum mirabile & multipliciter monstruosum, quod dicere non auderem, neque credidissem relatione || *cuiusquam*, nisi prius proprijs oculis aspexissem: sed quia ibi personaliter fui, & fide vidi etiam occulata, dico quod in illis partibus est quædam prouincia Hanissen, quæ in circuitu benè occupat tres dietas, & tantum quantum extenditur illa prouincia per totum quadam caliginosa & tenebrosa caligine locus ille taliter offuscatur, quod nullus est qui
B possit aspicere quicquam, nec est aliquis qui audeat ingredi illam terram, quoniam ad redeundum tramitem ignorat. Habitatores illius regionis asserunt se sæpius audiuisse voces hominum vociferantium, cantus Galli, hinnitus equorum, & per meatum cuisdam fluminis quod de loco illo egreditur, apparent signa certa, quod sit gentium habitatio in eodem. Verum est quod legendo inuenitur in Historijs Regni Armeniæ & Georgiæ, quoniã fuit quidam pessimus Imperator & dominator Persarum, qui nuncupatur nomine Sanoreus; idola colebat iste, & persequebatur crudelissimè Christianos. Quadam verò die præcepit, quod omnes habitatores Asiæ venirent, & sua idola adorarent, & quicunque edictis imperialibus contrairet, pœnam incendij pateretur: vnde accidit, quod quidam Christiani fideles, Martyrium potiùs elegerunt, quidam idola adorarunt, quidam ad montes fugerunt: Quidam verò boni Christiani tunc temporis, in quadam planicie habitabant, quæ Mogan vulgariter appellatur, & cum nollent aliquo modo idolis immolare, cogitarunt de fuga, & dum ad
C partes Græcię crederent se transferre, ille pessimus iniquitatis filius, Imperator cum suo exercitu infœlicissimo obuiauit, dum fugerent, Christianis, in illâ viz. prouincia Hanissen superius nominata: Cumque iussu Imperatoris, deberent Christiani frustratim omnes vniuersaliter detruncari, clamauerunt ad Dominum Iesum Christum, & continuo illa tenebrositas perfidorum lumina offuscauit, & Christiani pergentes recto tramite euaserunt: iniqui vero in illa tenebrositatis valle vsque nunc resident, & residere debent, vsque ad finem seculi, vt ab omnibus creditur & narratur.

|| cuiuscunque.

Qualiter etiam virtus cœli Ecclesiam aut columnam sine fundamento stantem, quasi super flabilem aërem multis temporibus immobilem sustentaret? Marcus siquidem de Venetijs, qui multis annis orientales Regiones personaliter circuiuit, & quæ ibi vidit & didicit, memoriæ fideliter commendauit, in lib. intitulato, De Conditionibus & Consuetudinibus Orientalium Regionum, lib.1.39. scribit in hæc verba: Samurcham nobilis ciuitas est & magna in
D Regione illa quæ tributaria est Nepoti Magni Kaan, vbi simul habitant Christiani, & qui Mahometum adorant, qui se Sarracenos vocant. In hac ciuitate tale hijs temporibus factum est miraculum Christi virtute: Quidam frater Magni Kaan, qui dicebatur Cygatay, qui huic præerat Regioni, inductus à Christianis & doctus, baptisma suscepit: tunc Christiani Principis fauorem habentes, ædificauerunt Basilicam magnam in vrbe Samarcham in honore B. Io. Baptistæ. Tali autem ingenio fuit per Architectos Ecclesia fabricata, vt tota celsitudo Basilicæ, super vnam columnam marmoream firmaretur, quæ columna in medio eius erat: Acceperunt autem dum fieret opus quendam Sarracenorum lapidem, de quo basim formauerunt sub columna prædicta: Sarraceni verò qui Christianos oderant, de sublato eis lapide doluerunt; sed Cyngatin Principem metuentes, ausi contradicere non fuerunt: Factum est autem vt moreretur Princeps, cuius filius in Regno, sed non in fide successit; Sarraceni autem impetrauerunt ab ipso, vt Christiani suum eis lapidem restituere cogerentur.
E Offerentibus verò Christianis illis prætium pro lapide magnum, renuerunt Sarraceni prætium, volentes vt sublato lapide Ecclesia destrueretur cadente columna. Cumque Christianis nullum pro hac re esset remedium, B. Io. Baptistam, lachrymosis precibus inuocare coeperunt. Adueniente igitur die quando lapis de sub columna remouendus fuerat, & à Sarracenis per consequens ruina totius tecti Ecclesiæ sperabatur, nutu diuino columna adeo à Basi subleuata est, vt per palmorum 3. spacium eleuata, sustentaretur in aere, & sic absque humani adminiculi fulcimento, vsque hodiè perseuerat.

Adhuc autem, quomodo posset virtus cœlestis longis temporibus, omni anno, certo die, mare siccare, per 7. dies siccatum tenere, paruulum in medijs fluctibus derelictum post annum peractum incolumem exhibere. Quem celebris enim historia longè ac latè diffamat, quomodo

quomodo B. Clemens prædicans fidem Christi, à principe infideli proijciebatur in mare cum A
anchora circa collum, ne forte à Christianis inuentus pro Martyre haberetur: orantibusque Cornelio & Phœbo eius discipulis, mare per tria milliaria se retraxit, qui cum magna multitudine Christianorum per siccum intrantes, inuenerunt habitaculum ad modum marmorei Templi paratum, & ibi in quadam arca corpus eius decenter compositum, & anchoram iuxta eum: in cuius etiam passione mare ad 3. milliaria per 7. dies, ariuis quamplurimis se retraxit, præbens venientibus siccum iter, donec ob furiam barbarorum Romam vbi præfuerat est delatus, vbi & in Ecclesia, quæ ab ipso vocatur S. Clementis, solemniter veneratur.

Quomodo etiam durante miraculo recitato, quædam mulier filium suum paruulum illuc adduxit, & in fine solemnitatis, irruentibus aquis maris, præ nimia festinatione ibi reliquit, reuolutoq; anno, cum multitudine Christianorum reuertens, inuênit puerum dormientem: qui excitatus & totus incolumis, putauit se tantum vnius noctis suauiter dormiuisse spatio. Multa quidem & alia pœne innumera miracula gloriosa cateruatim se offerunt Historias re- B
uoluenti, quæ per solam virtutem cœlestium corporum nequeunt vel sophisticè colorari.

Dicat mihi quæso Astrologus, quę tam potens & miraculosa coniunctio in factione miraculorum priorum nouiter contingebat? Nonne motus, coniunctiones, paruæ, magnæ, maiores & maximæ, oppositiones omnes, aspectus, proprietates & virtutes cœlestes, sunt notæ fidelibus, sicut infidelibus Astrologis, seu Astrologiæ Sophistis, qui propter paucitatem gnarorum in ista scientia, fingunt se multa scire quæ nesciunt, & multas non causas vt causas, vt sic irreprehensibiliter super cæteros se extollant. Si inquam, tu doctus Astrologus scias assignare causam cœlestem. Miraculorum quorumlibet, dic mihi quæso, quod & quale miraculum, quandò, & vbi continget, quandò incipiet, quantum durabit? Sed noli mihi quæso illudere, dicendo, quod in Gadibus Herculis aut in profundo Oceani, post 100. annos, aut quod post terminum vitæ meæ, miraculum tale erit, ne forsitan videatis per fugam sophisticam declinare. Vel dic mihi quando & vbi fiebat miraculum hoc vel illud, vel adhuc C
mihi dic, infra quod tempus futurum in certo loco miraculum nullum fiet, vel miraculum tale non fiet; aut infra quod tempus præteritum in certo loco nullum fiebat miraculum, vel tale non fiebat miraculum? Vel si mihi nescias dicere, dicam tibi: quod enim, quale, quando, & vbi Deus voluerit aut voluit, fiet miraculum, aut fiebat; & similiter negatiuè voluntatis autem diuinæ, cùm per 8^am^ partem & 4^am^ sit summè & maximè libera, non possum causam antecedentem necessariam assignare, sicut superius monstrabatur. Hoc autem euidenter apparet, eò quòd miracula ista contingunt fusa prece ad Deum, quod omninò videretur superfluum, friuolum & inane, si cœlum hæc faceret, & non Deus, sicut superius est argutum.

Alij autem videntes nullum corpus posse sufficere ad miracula facienda, ponunt spiritum causam horum: & hij vlterius variantur. Aliqui namque putant, quod spiritus hominis anima rationalis humana sit sufficiens causa horum; non autem quilibet anima quocunq; modo diposita: sed sicut dicit Aristoteles in secreto secretorum vltimæ part. 1. Cum anima fue- D
rit superans corpus & dominans & ei prępondérans, facit Prophetã cum miraculis iuuatiuis. Hæc autem responsio potest corrigi vt priores. Præterea si anima ex sola tali dispositione habituali facit miracula, semper & necessario facit quæcunque miracula potest, quam diu est ita disposita sicut & agens irrationale. Sicut si anima ex sola specie ignis in ipsa combureret, semper combureret, quamdiu illam speciem haberet, dormiendo, vigilando & aliud quodlibet faciendo, approximato passibili & impedimento remoto. Quare & Auicenna sequens & supplens Aristotelem in hac parte, 4° de Anima 4. dicit, quod anima cum fuerit nobilis,
||Principis. constans, similis || *principijs*, tunc pro voluntate eius obedit ei, nedum corpus proprium; sed & corpora extrinseca, & materia quæ est in mundo, ita vt sanet infirmos, debilitet prauos, permutet elementa, contingat pluuia, sterilitas & obsorbitio à terra, quemadmodum opus occuli fascinantis est in corpore alieno: vbi & videtur innuere animam facere talia opera, ex fortitudine & firmitate formæ rei sibi impressæ & imaginationis de illa, cuius & imaginariæ E
fictioni consentit Algazel 5. Phys. suæ 5. & quidam alij modernorum. Sed huius imaginationis imago faciliter confringetur, & ad nihilum redigetur, per quæ responsiones priores. Talis etenim anima volens sanare quenquam distantem, si per hoc ipsum sanaret, hoc esset per aliquam actionem expansam ad ipsum per totum medium interceptum: Norunt enim Philosophi, & medici non ignorant nihil agere in extremum nisi agendo in medium, etsi non semper similem actionem. Quare etsi in illo medio quotcunque infirmi alij ponerentur, saltem infirmitate simili detenti, omnes similiter sanarentur.

Illa insuper anima, volitio, & imaginatio est tantum finitæ virtutis; Possit ergo esse tanta distantia inter illam & ægrum, vel in parua distantia medium ita indispositum per densitatem

tem

A tem aut aliam qualitatem, quod ipsum sanare non possit: possent quoq; esse tot ægri in aliquo magno exercitu, & comitatu, aut conuentu, quod si vellet omnes sanare, nullum sanaret: aut tot inimici in aliquo exercitu, quod volendo omnes debilitare vel occidere, neminem læderet: sed nunquid sic Christus? Nonne qui ex paucis panibus & piscibus tot millia hominum satiauit tanta copia fragmentorum relicta, potuisset (si voluisset, & oportuisset) plura & plura millia satiasse, panesque & pisces amplius & amplius multiplicasse, & ad maiorem distantiam & maiorem, quare & de alijs miraculis similiter sentiendum.

Talis insuper anima qualitercunque volens atque imaginans, cùm sit tantum finitæ virtutis, requirit certum tempus & alterationem successiuam secundum resistentiam patientis, possetque infirmitas esse tanta, & resistentiam tantam habere, quod eam sanare non posset, quorum vtrumque est falsum de Christo, sicut superius est argutum.

Si etiam tam potens anima per tam fortem volutionem & imaginationem potest facere B tanta miracula, cur non quælibet anima per proportionalem volutionem & imaginationem, potest proportionalia miracula operari? Quomodo etiam potest anima volendo aut imaginando mortuos suscitare, & animas à Cœlo vel Inferno ad corpora reuocare? multò autem facilius posset præseruare quenquam à morte, & reddere corpus proprium immortale; imò & omnes homines, & omnes bestias immortales. Cuius etiam quæso imaginatio inclusit tantum exercitum, & tantam patriam tenebris, sicut superius tangebatur? Non imaginatio Christianorum, ipsi enim non videntur tunc imaginati fuisse de huiusmodi tenebris, sed de fuga; nec imaginatio persecutorum, ipsi enim (vt videtur) non imaginabantur se comprehendi tali caligine, sed persequi Christianos, illa quoque tenebrositas continuè perseuerat: habet ergo causam continuam. Sed quis tali imaginationi vacat continuè? quis sic imaginando continuè perseuerat? Cuius imaginatio sustentauerit columnam prædictam base subtracta? Non Sarracenorum, (ipsi enim potius imaginabantur Ecclesiam ruituram) nec Christiano-C rum, ipsi enim (vt videtur) potius sperauerunt aliquam vindictam Sarracenis diuinitus inferendam, vel basim columnæ ibi diuinitùs retinendam, quàm vnum tale inopinatum miraculum à sæculis inauditum, cuius etiam imaginatio tam continua perseuerat, vt tantis temporibus columnam sustentet, continuè etiam dormientibus Christianis? Refert quoq; Marcus de Venetijs 1. de Condit. Orien. Regionum 18. in hunc modū: In illis regionibus, scilicet inter Thaurisium & Baldachum, mons est qui olim de loco suo ad locum alium translatus est virtute diuina. Volebant enim Sarraceni Christi Euangelium vanum ostendere, pro eo quod Dominus ait, si habueritis fidem vt granum sinapis, dicetis huic monti, Transi hinc, & transibit; & nihil impossibile erit vobis. Dixerunt enim Christianis qui sub eorum dominio in illis partibus habitabant, aut in Christi nomine montem illum transferte, aut omnes ad Machometum conuertimini, aut omnes peribitis gladio. Tunc deuotus quidam hic Christianos confortans oratione fusa fideliter ad Dominum Iesum Christum, vidente multitudine populo-D rum, montem transtulit ad designatum locum, propter quod multi ex Sarracenis ad Christum conuersi sunt. Sed cuius imaginatio (quæso) tam fortis, vt transferat vnum montem? O Auicenna magnanime, animam magnam habens, transfer per imaginationem tuam istum monticulum, aut minimam glebam eius, & dabo tibi montem aureum possidendum. Nonne etiam imaginationes tot Sarracenorum contrariæ detinuissent potius ibi montem? Imo potius reputandum hæc, & alia huiusmodi miracula facta fuisse per Christum & Deum, qui vt iuuaret, fuit suppliciter exoratus. Cuius etiam imaginatio Saulum Iudæum tam peritum in lege, tam feruentem in lege, tam vehementem persecutorem fidei Christianæ, tam inopinabiliter, tam potenter, tam mirabiliter conuertebat, tanta de ipso veraciter prædicebat, in fide Christiana tam perfectè, tam subitò imbuebat, vt etiam confunderet Iudæos incredulos & Græcos, sapientissimos etiam Philosophos ad fidem Christianam conuerteret?

Cuius imaginatio circa corpora Sanctorum Christianorum mortuorum omnimoda mi-E racula operatur? sicut Historiæ nostræ certissimè contestantur, sicut & de S. Clemente superius recitatur, sicut & Marcus de Venetijs 3. de Condit. Oriental. Regionum 27. recitat, quomodo circa corpus S. Thomæ Apostoli in Maabar, id est, in maiore India, in quadam ciuitate sepultum, multa miracula etiam istis temporibus crebro fiunt. Quare & ipsi Sarraceni illarum partium ipsum quàmplurimum reuerentur, dicuntque ipsum magnum fuisse Prophetam, & vocant eum Anar nan, id est, sanctum hominem. Cuius, inquam, imaginatio ista facit, non imaginatio corporis mortui, nullus nescit, si imaginatio animarum quæ illa corpora animârunt, animæ illæ sunt potentes, sanctæ, nobiles, & beatæ. Quis ergo dubitauerit credere, vt credebant? Si imaginatio viuorum colentium illos Sanctos, cur non alibi imaginando similiter acciperent quod optarent? Cur (quæso) inaniter porrigunt eis preces? cur credunt fal-

laciter

laciter se iuuari per eos, aut per Deum propter eorum merita Deo chara? A

Nonne etiam inter miracula S. Thomæ Cantuar. Archiepiscopi recitatur, quomodo quædam Domina lasciuiæ causa, desiderans oculos pulchriores, accedens ad tumbam Sancti & hoc orans, statim fuit pœnitus excæcata? nonne eius imaginatio in oppositum ferebatur? Cuius insuper hominis volutio aut imaginatio fecit cœlestia miracula supradicta?

Amplius autem si anima talis potest miracula facere, potest & Deus, sicut 1ª. Suppositio & partes sequentes lucidè manifestant; & nedum est potens & summè potens miracula facere: verum etiam summè clemens, pius, & propitius magnificus, liberalis, sicut 1ª. Suppositio & 3ª. Pars demonstrant. Nonne ergo decentius credibiliusque videtur, quod cum dilectores sui modo præmisso 30ª. Parte huius, in necessitatibus suis magnis, excedentibus vires suas ipsum suppliciter deprecantur, ipse eis miraculosè succurrat, præsertim cum hoc eis videat expedire, quam quod immisericorditer se auertat, ipsos abijciat & repellat & perire permittat?

Nonne Hermogenes, siue Hermas Pater vester, & vos ipsi Aristoteles & Auicenna istud B superius affirmastis, Deum videlicet esse miraculorum factorem? Quomodo ergo nunc causam aliam somniatis? Nec te latet, vt æstimo, Auicenna, quod licet oculus fascinantis posset mirabiliter operari in corpore alieno, nequaquam tamen oportet, quod illa anima posset miracula huiusmodi operari. Non enim vis dicere, quod quilibet, cuiuscunque complexionis possit taliter fascinare; sed quidam habentes complexionem infectam, & quandam complexionalem malitiam venenosam, quam per os & oculos, loquendo & videndo, euaporant & emittunt subtiliter, aut alterando inficiunt medium & sic lædunt. Quare nec hoc faciunt in omni distantia, sed propinqua, sicut & oculus menstruatæ inficit speculum, & Basiliscus interfecit viua visa: miracula verò nequaquam proprietatem complexionis sequuntur, sicut superius est ostensum. Cur igitur Auicenna astruis aliquid tam mirandum, per tam debilem rationem? & quare Aristoteles sine aliqua ratione; cur etiam contra sententiam vestram priorem, nunc ponitis aliam causam miraculorum quam Deum? An forte verisimiliter respon- C detur pro vobis dicendo, dicta vestra diligenter inspecta, nullam causam effectiuam miraculorum aliam assignare: Dictum siquidem Aristot. videtur posse intelligi de causa dispositiua ad prophetiam & miracula; non propriè effectiua. Apparet enim secundum sententiam Aristotelis in de bona Fortuna, & de somno & vigilia prophetiam & vera somnia præsagia futurorum esse à Deo, & non esse homini à seipso; quod & testatur Auicenna 4. de Anima & 5. ac 10. Met. & Algazel 5. Phys. suæ, & Auerroes super de Somno & Vigilia manifestè; vbi etiam dicit, quod interpretatio somniorum est vna species prophetiæ, quod & dicit esse manifestum in somnio Pharaonis de quo interrogauit Ioseph, & addit & operatur interpretem sicut dicit Arist. vt semper sit cogitans & mundus, non declinans ad mores bruti animalis: Dictum etiam Auicennæ potest similiter fortassis intelligi & exponi. Fatentur etenim Christiani quod hominibus sanctæ vitæ gratanter illabitur spiritus prophetiæ, & quod Deus libenter pro talibus miracula operatur. Vel forsitan Auicenna, cum dicit animam quamlibet si- D milem principijs posse miracula operari, intelligit quod hoc potest virtute horum principiorum, quæ secundum eum sunt Deus & Angeli: seu quod ista Principia hoc possunt & volunt quandoque per eam seu propter eam, propter similitudinem, scilicet sanctitatis & voluntatis huius animæ & ipsorum.

Sed hic quæso, audi benigne, magne Philosophe, maxime Arabum Auiconna: Nonne cum dicis quod anima similis principijs ita potest, innuis quod dissimilis hæc non potest? Cum ergo Christus & perfecti Christiani hoc potuerunt, & possunt, sicut præmissa testantur, consequitur euidenter ipsos habuisse & habere animas similes principijs supradictis. Machometus autem vester teste teipso 9. Metaphys. tuæ vltimo, non potuit miracula facere ipsomet teste, in quodam libro legis vestræ, vbi petentibus ab eo miracula, sic respondit non missus sum cum hoc. Cæteri etiam Sarraceni, quanquam sint Monachi, & vitam ducant arctissimam, & secundum traditiones Machometi sanctissimam, non possunt miracula facere; con- E stat planè: Nec enim decet, quod discipulus sit super magistrum, aut seruus domino suo maior. Nonne ergo Machometus, & omnes eius discipuli Sarraceni & Tartari habent animas dissimiles principijs memoratis? Cur ergo non efficimini Christiani, vt sic possitis istis principijs pleniùs simulari?

Respondebunt forsitan Arist. & Auicenna ad præmissa dicentes, se non negare sed affirmare Deum facere quædam miracula, & etiam animam talem quædam. Sed tunc, quæso, distinguatis rationabiliter & doceatis distinguere inter illa. Nonne etiam sit ita, maiora & gloriosiora miracula Deo dignissimè tribuentur? Sed quæ maiora aut gloriosiora miracula, quam præcursorum & prænunciorum Christi, veterum scilicet Prophetarum & quam miracula Christia-

A Christiana, sicut ex hic præmissis & historijs nostris certissimis planè constat? Est ergo Deus qui facit illa gloriosa miracula Christiana in attestationem fidei Christianæ. Iudæi autem & eorum Philosophi inimici Christi & fidei Christianæ dicunt Christum fecisse miracula, non vera, sed ficta, per artem Magicam, & per potentiam spirituum malignorum. Quidam etiam Magici in approbationem artis suæ infamis dicunt Christum vsum fuisse quibusdam magisterijs ibi scriptis, sicut patet in libro qui dicitur Vacca Platonis. Sed quomodo non aduertitis vos Iudæi Manichæos, qui respuunt Moysem & Prophetas, dicentes Deum malum, principem scilicet tenebrarum, auctorem totius veteris Testamenti, posse vobis similiter respondere de omnibus miraculis Moysi & omnium Prophetarum? Quomodo vos ostendetis ergo veritatem miraculorum vestrorum contra ipsos, & ego contra vos ostendam veritatem miraculorum nostrorum.

Dicetis fortassis, vos habere Scripturam authenticam, quæ miracula Moysi attestatur: B & ego dico confidenter, nos habere Scripturam multo magis authenticam, quæ Christi miracula attestatur. Quis enim scripsit libros illos & miracula Moysi? nonne ipsemet? nonne solus? nonne & miracula nusquam prius per alios priores Prophetas prædicta? Christus autem non scripsit miracula propria, nec aliquis vnicus illa scripsit, sed 4. magni Scribæ, & alij multi minores, non simul in loco vel tempore, quasi conspirantes & Christi miracula concorditer confingentes: Sed quidam in Iudæa, quidam in Italia, quidam in Achaia, & quidam in Asia, quidam in vna lingua, & quidam in alia, quidam secundum vnum modum, & quidam secundum alium, Christi doctrinam, gesta & miracula, concordi sententia conscripserunt. Horum autem Scribarum & Protonotariorum Christi, testes sunt Apostoli, viri præclari, Christo continuè assistentes, in miraculis suis præsentes, & ipsa certissimè oculis suis videntes, & tam hij, quam illi natura Iudæi.

Nonne & Christi miracula fuerunt prænuntiata Propheticè tam per viros, quàm per Sy- C billam, & eadem ratio de miraculis Prophetarum: vel fortè dicetis conuersationem factam Moysi & Prophetarum vestrorum, euidenter ostendere ipsos maleficos non fuisse, quare & ipsorum miracula vera fuisse. Et quis vnquam sanctioris conuersationis, quam Christus, sicut nedum nostræ historiæ, sed & Gentilium contestantur? respicite facta eius, legite verba eius, attendite legem eius. Quid vnquam innocentius? quid sanctius? quid honestius valeat reperiri? nonne tandem ita * *conuersabatur*, sicut Prophetæ vestri & Sybilla de ipso propheticè prædixerunt? annon ita conuersabatur Christus, sicut siue Messias, quem vos ex peccatis secundum prædictiones Propheticas, conuersari deberet? * honeste

Obijcitis forsan ei, quod legem vestram peruertere nitebatur, sed male. Non enim legem vestram peruertit, sed exposuit & impleuit, sicut & erat diuinitus prophetatum. Amplius autem, cur non attenditis eandem calumniam posse similiter obijci vero Messiæ, quem vos secũdum prędictionem Proheticam Osee vestri, dies multos expectatis: sed cum asino adhuc futurum, cum fecerit miracula sua vera, quomodo ergo vos eius miracula defendetis, & ego veri D Christi nostri vera miracula defensabo.

Adhuc autem si Christus fuisset maleficus, falsus Propheta, & falsa miracula tantum fecisset, quomodo fuisset à tot, & tam solennibus testibus, tam concorditer prophetatus futurus, & etiam præsentialiter attestatus, & per vestrum Iosephum commendatus, sicut superius recitatur. Quomodo etiam est verisimile, si miracula Christi fuissent tantum ficta & diabolica arte facta, quod fuissent diuinitus prophetata, non reprobando, sed totaliter approbando? pręterea si Christus fuisset maleficus, pseudo-propheta, & legis subuersor, secundum legis vestrę præceptum debebat occidi, quare & ipsum occidere, nequaquam demeritorium aut punibile sed potius meritorium & præmiabile fuisse quis dubitat? sed vos propter eius abnegationem & occisionem, fuistis & estis puniti grauiter, & afflicti per occisionem vestri quamplurimam in terra vestra, per Imperatorem & exercitum Romanorum, citò post occisionem E Christi factam, per dissipationem ciuitatum vestrarum & templi, per vestram captiuationem & demigrationem de terra vestra perfectam, per vestram dispersionem, subiectionem & vilipensionem miserabilem circumquaque, sicut historiæ vestræ & nostræ testantur, & specialiter Iosephus vester in septem libris de Iudaico bello scriptis, in quo & personaliter ipse fuit, sicuti etiam indicat præsens dies. Sed quomodo Deus tam bonus, iustus, & clemens (sicut Suppositio 1ª. & 3ª. Pars ostendunt) vos tunc tam excessiue puniret incomparabiliter amplius, quam vllis temporibus retroactis, nisi pro aliquo grandi peccato, quolibet peccato vestro priori incomparabiliter grauiori, præsertim cum Deus vobis promiserit & dederit terram vestram perpetuo possidendam, quod etiam iuramento firmauit, si tamen, vel dum tamen

men seruaueritis legem eius, sicut libri vestri sæpisimè ac clarissimè attestantur? Quod ergo A tam grande peccatum tunc temporis commisistis, ratione cuius tantam miseriam incurristis, nisi illud peccatum in Christum? nonnè priùs adulteria turpisima commisistis, prophetas sanctisimos occidistis, Dominum reliquistis, & idola coluistis, & pro hijs, & istis similibus immisit vobis Deus nunc vnum Regem, nunc alium, nunc hos hostes, nunc illos qui vos affligerent multis modis, sed, incomparabiliter mitius & breuius quā in afflictione prædicta? Nonne maxima afflictio vestra prius, fuit captio Ciuitatis vestræ Ierusalem, Templi destructio vestri, captiuatio, transmigratio in Babylonē, & per 70. annos detentio vestra ibi? verùm transmigratio illa non fuit perfecta, quin multi in terra propria morabantur, non fuit multum diuturna, non fuit multum amara, quia adhuc in ipsa habuistis Prophetas vos diuinitus consolantes, & post 70. annos dimissi fuistis liberi, & reuersi ad propria, reædificastis Ciuitatem & Templum. Hæc autem vestra captiuatio & transmigratio, perfecta dissipatio Ciuitatis & Templi vestri perfecta est, multum diuturna, quia per annos pœne mille trecentos est, multum amara, quia nullum Prophetam toto isto tempore habuistis: Propter quod ergo tam excessiuum peccatum circa tempus illud commissum, patimini istam pœnam, omnes alias pœnas vestras tam incomparabiliter excedentem, nisi propter illud || *excedentissimum* peccatum vestrum, in Christum Sanctum Sanctorum, omnes alios Prophetas & Sanctos incomparabiliter excellentem? B

|| excellentissimum.

Hic fortassis dicêtis, hanc calamitatem vobis accidisse, propter necem iniustam S. Io. Baptistæ, aut Iacobi fratris Christi, quorum vterque apud vos sanctisimus habebatur: sed si vterque fuit sanctisimus, fuit & veracissimus & fidelissimus recta fide: Iohannes autem attestabatur solemniter Christum nostrum, & ad digitum demonstrauit: Iacobus verò fuit Discipulus & Apostolus Iesu Christi, qui & fidem Christi constantisimè tenuit, docuit, prædicauit, vsque ad Martyrium triumphatum, sicut Historiæ manifestant. Est ergo sanctisima & fidelisima fides Christi. Nec etiam Iudæi occidebant, aut occidere consulebant Io. Baptistam, sed Herodes Agrippa; quem & ideo dicunt Iudæi suum exercitum prodidisse, sicut Iosephus 18. Antiquit. Iudaicæ 12. planè refert, quod & Historiæ nostræ produnt. Neque Iudæi de communi consensu S. Iacobum occiderunt, aut eius occisionem placitam habuerunt; sed Iosepho 20. Antiquit. Iudaicæ 16. referente, quidam Ananus Pontifex Iudæorum, facto Concilio Iudicum, ipsum tradidit lapidandum: Quare & Ciues moderatissimi Iudæorum, & qui circa legis integritatem sollicitudinem habuerunt, grauiter hoc tulêre, miseruntq; ad Regem latenter, rogantes, vt præciperet ei ne perpetraret talia, cum neque prius rectè fecisset: Quapropter & Rex Agrippa, ipsum à Pontificatu quem tribus mensibus habuit, deponebat. Prius quoque Iudæi Prophetas sanctissimos occiderunt, nec ideò talem miseriam incurrerunt: immo etsi omnes Iudæi tunc temporis existentes, in mortem Ioannis & Iacobi vnanimiter consensissent, et ideò à terra sua expulsi fuissent, mortuis patribus homicidis, Deus eorū filios reduxisset, maximè si factum paternum nullatenus aprobassent, nec ratum est gratum concorditer habuissent, propter promissionem diuinam prætactam, etiam iuramento vallatam, quod viz. Iudæi & filij eorum post eos, terram illam possiderent perpetuo, ita tamen vel si tum eius legitima custodierint? Nonne istud in Lege vestra inuenitur expresse? Annon in Numeris legitur, quod Patribus vestris murmurantibus contra Moysem; immo potiùs contra Deum, & desperantibus se posse ingredi illam terram eis promissam, Dominus in pœnam peccati incredulitatis illorum, statuit populum in deserto per annos 40. donec omnes patres culpabiles essent morte consumpti, & tunc eorum filios innocentes, sicut promiserat, introduxit? Nonnè etiam post ingressum vestrum, in terram vestram, propter Idololatriam vestram per Nabuchodonosor in Babyloniam transmigrati, tantum per 70. annos captiui fuistis, post quos Patribus Idololatris mortuis, filij innocentes ad propria reuertentes, Ciuitatem & Templum diruta restruxerunt? Nonne Moyses verè præuidens, & prędicens, & testes inuocans Cœlum & Terram, quod si contra Dominum peccaretis, non longo tempore expectaret; sed citò deleret vos de Terra vestra, & in omnes Gentes dispergeret, remaneretisq; pauci in nationibus, subiungebat, cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, inuenies eum, si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ, postquam inuenerint te omnia quæ prædicta sunt, non dimittet te, neque obliuiscetur pacti in quo iurauit patribus tuis: Et iterum, cum ergò venerint super te omnes sermones isti, & ductus pœnitudine cordis tui in vniuersis Gentibus in quas disperserit te Dominus reuersus fueris ad eum, & obedieris ei & eius imperijs, reducet te Dominus de captiuitate tua, & rursum congregregabit te Dominus de cunctis populis in quos te ante disperserit, & introducet te in terram quam possiderunt Patres tui, reuertetur enim Dominus, vt gaudeat super te in omnibus bonis, sicut gauisus

A sus est in patribus tuis: si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris præcepta eius, & reuertaris ad Dominum Deum tuum. Cur ergo nunc hæc vestra calamitas incomparabiliter longè maior, grauior, & diuturnior supra modum omnibus retroactis, nisi propter aliquod peccatum, incomparabiliter longè maius, grauius, & diuturnius supra modum? Et quod est illud, nisi occisio, occisionis approbatio & negatio continua Iesu Christi? Si mihi non creditis, credite vestro Prophetarum clarissimo Danieli, qui Iosepho vestro teste 10. Antiquit. Iudaicæ vltimo, non solùm futura, sicut alij Prophetæ, prædixit, sed etiam tempus definiuit, quando hæc necesse sit adimpleri, sed nusquam tempus certius definiuit, quam vbi per numerum 70. hebdomadum congruè diuisarum, prædixit aduentum Sancti Sanctorum Christi, Ducis occisionem Christi, negationem vestri, & quod non foret eius populus qui eum fuerat negaturus; quod Ciuitatem vestram, scilicet Ierusalem, & Sanctuarium, id est, Templum dissiparet populus cum Duce venturo, & quod finis eius vastitas esse deberet, &
B desolatio non transitoria, sed statuta; quod hostia & sacrificium tunc deficeret, & quod abominatio desolationis foret in Templo; desolatio, inquam, non temporalis & breuis, sicut retroactis temporibus, sed vsque ad consummationem, & in finem stabiliter perseuerans. Nonne tempus illarum hebdomadum, secundum prædictionem & diuisionem Propheticam in aduentu Christi, in occisione Christi, in dissipatione Ciuitatis & Templi per populum Romanorum cum Duce clarissimè est impletum? scio quod sic Iudæi, scio quod sic, sicut per Historias Iudaicas & Gentiles potest perspicuè demonstrari.

Et quanquam aliquis Sophistarum vestrorum voluerit proteruire, subtrahendo vel addendo aliquid modicum temporibus regijs in Historijs designatis, & ideo cauillari Hebdomades illas Propheticas nequaquam tunc fuisse præcisè impletas, nullo tamen colore potest extendere illas hebdomades vsque ad præsens, per annos ferè mille trecentos. Nullæ namque Historiæ etiamsi trahantur inuitè hoc possunt vel tenuitèr colorare loquendo de Hebdomadibus dierum, scilicet & annorum, sicut Patres vestri, Prophetæ vestri, & Libri vestri hacte-
C nus sunt locuti. Si etiam hebdomades illæ nequaquam tunc fuerunt impletę, dicat mihi (quæso) aliquis peritus Iudæus, si adhuc sint impletæ, & quando, & monstret mihi Sanctum Sanctorum, & Christum, qui tunc venit, & cætera Prophetica superius memorata: vel si nondum sint impletæ, quando erunt impletæ? & fundet se in Lege, Prophetis, aut veris, non fictis Historijs coloratè, aut si hoc non potes, crede Iosepho, crede mihi scienti monstrare clarissimè per Legem, Prophetias antiquas, & veraces Historias prædictis temporibus ipsas fuisse plenariè adimpletas.

Nonne etiam Daniel verè prædixit dissipationem Ciuitatis & Sanctuarij vestri, per Ducem & populum Romanorum prædictam, hostiæ sacrificijque defectum & desolationem vestræ Ciuitatis & Templi statutam? nonne hoc indicat calamitas vestra præsens? nonne hoc indicat translatio ciuitatis & Templi de loco suo antiquo ad montē Caluariæ, locum viz. Domi-
D nicæ passionis Templi, in quam nunquam reædificandi loco suo antiquo, sicut videtur ex pręmisso testimonio Danielis, & Scripturæ vestræ testantur? Si ergo Daniel hæc verè prædixit, prædixit & verisimiliter tempus horum, hebdomades supradictas. Neque enim res istas tantum futuras prædixerat sed & tempus, verè ergo quando ista vobis acciderant, erant prædictæ hebdomades adimpletæ, quare & tunc veraciter venit Christus, cùm hæc omnia propheticè sint connexa. Si autem Daniel istam vestram tantam miseriam non prædixit, quis alius Prophetarum eam prædixit? Non est enim verisimile vllo modo, quòd Prophetæ vestri calamitates vestras improportionaliter minores, tam diligenter vobis prædicerent, & in scriptis relinquerent, & de ista incomparabiliter maxima penitus reticerent? Nonne vnus Prophetarum vestrorum sic ait? Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecit, quia non faciet Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas. Si insuper Daniel non prædixit hanc vestram tribulationem prædictam, remanet eius Prophetia
E nondum effectuata, quare adhuc expectatis reductionem in terram vestram, reædificationem Ciuitatis & Templi, & habitationem vestram ibi per aliqua tempora, & post hæc omnia* *illud* tantum dissidium imo magis iuxta vocem propheticam Danielis, absit à vobis tam horrenda calamitas, absit, absit, absit. Testantur quoque Doctores vestri in scriptis suis frequenter, Templum vestrum reædificari tertio non debere: Prophetæ autem qui videntur prophetare contrarium, Ierusalem scilicet atque Templum adhuc reædificanda, intelligunt de Ierusalem Ciuitate & Templo non terrestri, sed cœlesti; sicut Doctores vestri plurimi contestantur. Per hæc igitur & similia non improbabiliter suaderi videtur quod Iudæis sobrijs, & veritatis amicis debeat rationabiliter apparere gentem & terram ipsorum Ciuitatem & Templum fuisse, vt præmittitur desolata, propter non receptionem; imò abnegationem, blasphemiam & occisionem Messiæ & Christi: filios verò ipsorum, & filios filiorum, vsque in præsens, tam

* aliud

miſerabile excidium continuè ſuſtinere propter approbationem, & imitationem continuam A
ſcelerum paternorum. Approbant enim continuè necem Chriſti, nec ipſum credendo, amando, & colendo recipiunt: verum continuè odiunt, abnegant & blaſphemant. Quis igitur his attentis rationabiliter, aut veriſimiliter dixerit, Chriſtum noſtrum fuiſſe maleficum, pſeudochriſtum, & miracula eius ficta?

Adhuc autem quæſo, Iudæi, paululum auſcultetis. Nonne verus Meſsias, ſi nondum venit, ſed veniet, vt ſperatis, cum venerit & vera miracula fecerit non cognoſcetur, non recipietur: imò negabitur, patietur & occidetur à vobis? Nonne poſtea & propterea diſsipabitur terra veſtra, ciuitas, & ſanctuarium? & vos eijciemini & diſpergemini circumquaque ſicut Iſaias & Daniel cæterique Prophetæ, ac alij veſtri doctores clariſsimè prædixerunt? & tunc haud dubio in veſtri excuſationem & ipſius accuſationem, aliquam mendacem calumniam confingetis, dicentes ipſum eſſe maleficum, & miracula eius ficta. Quod enim vera miracula faciet nullatenus concedetis. Nonne Nobilis ille Propheta veſter in perſona veſtra loquens B
Meſsiæ, ſic ait: Cum feceris miracula, non ſuſtinebimus. Sufficiat igitur quæſo, vobis ſufficiat, quod hactenus aberraſtis, redite quæſo, redite, pœnitentiam agite, miracula Chriſti agnoſcite, & per ipſa ipſorum mirabilem effectorem.

Adhuc autem ex abundanti ecce Rabbi-Moſſe Ben Maymon, maximus Philoſophorum veſtrorum in libro quod de Iudicibus ſcripſit, ait: Ieſus Nazarenus viſus eſt eſſe Meſsias, & interfectus fuit per domum Iudicij, & ipſe fuit cauſa ſeu meruit, vt deſtrueretur Iſrael in gladio, & vt diſpergerentur reliquiæ ipſorum, & vt inferiorarentur. Pro auctoritate verò iſtius Rabby-Moſſe, quæſiui ſemel à quodam magno & famoſo Iudæo, nunquid ſcripta ſua haberentur authentica apud ipſos, qui percutiendo buccam ſuam reſpondit, quod quicquid Moyſes iſte dixit, fuit ita authenticum apud nos, ac ſi exiſſet de bucca Dei: & ſubiunxit; Inter primum Moyſem & iſtum, non ſurrexit tantus inter Iudæos.

Amplius autem ſi Chriſtus noſter fuiſſet vir maleficus, & non bonus, miſericors atque C
pius, hanc veſtram ſubuerſionem, & deſolationem præuidens & prædicens, ipſam nullatenus defleuiſſet, ſed magis riſiſſet: præſertim cum ſciuit certiſsimè & prædixit ſe eſſe crucifigendum à vobis, vos doctrinam ipſius nullatenus recepturos: qui tamen accedens & videns ciuitatem veſtram, prædicenſque ſubuerſionem ipſius ac filiorum ſuorum, ob cauſam præmiſſam, futuram, fleuit, compatiens ſuper illam, ſicut hæc omnia hiſtoriæ noſtræ certiſsimè atteſtantur. Item ſi Chriſtus noſter fuiſſet maleficus & pſeudopropheta, quomodo pro ſaluandis hominibus & Scripturis Prophetarum implendis ſuſtinuiſſet ſcienter & voluntariè talem mortem? quomodo etiam moriens pro ſuis occiſoribus exoraſſet? hæc tamen fecit, ſicut ex hiſtorijs authenticis clarè patet. Annon & Propheta veſter clariſsimus hæc prædixit?
Eſ.53. vbi loquens pleniſsimè de Meſsia futuro & paſſuro, ſic ait: Oblatus eſt quia ipſe voluit; & infra, cum ſceleratis reputatus eſt, & ipſe peccatum multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit. Si etiam Chriſtus noſter fuiſſet maleficus, pſeudopropheta, aduerſarius legis veſtrę, D
quomodo Sancti Prophetæ veſtri & alij, vel Sybilla paſsionem ipſius, modum & circumſtantias paſsionis tam ſollicitè prædixiſſent, ipſam deuotiùs venerando, & veſtram cæcitatem & crudelitatem, atque veſaniam deteſtando? Nonne Dauid Pſalmo 21. multum expreſsè & planè paſsionem, ipſius modum & circumſtantias ſic prædixit: & quod ibi non dixit Pſalmo 68. ſuppleuit. Nonne Iſaias alijque Prophetæ ipſam prædixerunt ſimiliter? Nonne Chriſtus noſter ſtatim moriturus, incepit lingua veſtra illum Pſalmum 21. dicens: Eli, Eli, Lammaſabachthani, euidenter inſinuans, illum Pſalmum fuiſſe prædictum & impletum de ipſo, qui & ſitiens accepto aceto dixit conſummatum fuiſſe, ſicut Hiſtoriæ noſtræ certiſsimè conteſtantur. Liber etiam, qui dicitur Teſtamentum 12. Patriarcharum, plurima & clariſsima teſtimonia perhibet Chriſto noſtro, ſi ſit verus non fictus. Et quare non poſſet eſſe verus, cum Sybilla prædicta, à gente veſtra Prophetica penitus aliena, tam clara teſtimonia dixerit Chriſto noſtro? Cur ergo illi 12. Patriarchæ, filij Iacob Patriarchæ clariſsimi, & Prophetæ, more paterno teſtando, nequaquam Meſsiæ teſtimonium perhiberent, ſi- E
cut & fecit pater eorum, dicendo; Non recedet virga, vel ſceptrum de Iuda, & Legum dator ſiue lator de inter pedes eius, ſiue de medio pedum eius, donec veniat Silo, id eſt Meſsias; ſicut antiqua gloſſa veſtra ibi exponit: quod & aliæ gloſſæ veſtræ alibi conteſtantur? Vnde
|| al. peribit. & Tranſlatio veſtra Chaldaica planè dicit non || *præteribit* opus, ſeu actio poteſtatis, ſeu dominationis Regiæ de domo Iudæ, & Scriba de filijs filiorum eius, vſque in ſæculum; vſque quo veniat Maſsilia, id eſt Meſsias, ſeu Chriſtus, quam Prophetiam, vna cum alijs partibus quæ ſequuntur, in Chriſto noſtro conſtat plenariè adimpletam. Quoniam ſicut Hiſtoriæ veſtræ teſtantur à tempore Moyſis ſemper fuerunt 71. Iudices ordinarij, ſiue Scribæ, habentes poteſtatem

A statem & iurisdictionem ordinariam, atque regiam, etiam sanguinis, & omnia iudicia exercendi, qui etiam post transmigrationem Babylonis, & ablationem coronæ & sceptri à tribu Iuda per Nabugodonosor Regem factam, quasi auctoritate ordinaria & potestate regia apud eos manente, iudicia huiusmodi exercebant, & hoc maximè in Ierusalem, vrbe Regia, & Metropoli regni Iuda, vsque ad Herodem & Christum, qui & non longè post, omnes pariter sunt destructi. Vel si ista prophetia in Mesia & Christo nostro impleta non fuerit, cum tam Sceptrum quam huiusmodi Iudices, & iurisdictio seu potestas, iamdiu à Iuda planè recessit; inueniatis vos alium Mesiam qui venit. Liber insuper supradictus, etsi fortè penes vos nusquam valeat inueniri, non ideò statim consequitur quod sit fictus, potuit enim fuisse, quod liber ille fuisset translatus in Græcum, sicut & alij libri vestri fuerunt, ante illud vestrum excidium maximum per Romanos, & in illo combustus penitus, vel destructus; vel etiam quod aliquis talis liber, inter alia spolia fuisset Romam delatus, & in Romanum translatus combu-
B stis alijs libris vestris huiusmodi vel destructis.

Amplius autem, si Christus fuisset maleficus, quomodo est verisimile quod omnia prædicta propheticè de Mesia, fuissent in ipso plenariè adimpleta? Si enim ita esset, Prophetæ vestri & Doctores tradidissent vobis doctrinam & notitiam diminutam, & nimis deceptoriam de Mesia, & certè quicquid respondendo finxeritis de multis quæ circa Christum nostrum acciderant, de tempore Aduentus & Passionis Mesiæ per Iacob & Danielem prædicto, sicut tangebatur superius, fingere non potestis. Amplius autem simul contra Philosophos Iudæorũ & maleficos supradictos, Si Christus fuisset maleficus, socius || *malignorum* spirituum || malorum. & amicus, & per ipsorum potentiam fecisset miracula, vsus fuisset aliquibus suffumigijs, annulis, instrumentis, characteribus, incantationibus, carminationibus, aut alijs talibus sicut alij Necromantici faciunt, & ars tradit, & diuersis ad diuersos effectus: quare & congruum tempus necessarium ei fuisset ad miracula facienda. Sed ipse semper pene fecit miracula di-
C uersa & varia, solo verbo, solo præcepto, imperio suo mero, & hoc subito sine mora, quandoque autem orauit Patrem cœlestem, dæmonem verò nunquam.

Si etiam Christus noster fuisset maleficus, videtur quod libentius & || *communius* fecisset || conuenientius. miracula nociua hominibus, sicut Necromantici & maligni spiritus faciunt, quam miracula iuuatiua, præsertim articulo passionis suæ instante: qui tamen omnes malè habentes sanauit, & in ipso tempore suæ passionis & articulo, cuiusdam sui tortoris auriculam amputatam per Petrum, increpato Petro tetigit & sanauit, sicut Historiæ nostræ docent. Quomodo etiamsi fuisset maleficus, tam sanctissimè decessisset, nullum verbum diabolicum aut profanum emittens, sed sanctissima verba semper? Quis etiam maleficus, malusue spiritus fecit omnia illa miracula, specialiter autem cœlestia, & resuscitationem sanctorum quæ in morte eius contigerant, sicut superiùs recitatur.

Adhuc autem, si Christus fuisset maleficus & Necromanticus, videtur quod propter se-
D ctam suam seruandam & latius ampliandam docuisset suos discipulos artem suam. Quicunque tamen totam doctrinam Christi respexerit diligenter, nusquam inueniet aliquod tale verbum, nusquam quicquam reperiet nisi purissimum cultum Dei, fidem, spem, & charitatem ad Deum, in omni necessitate orationem & recursum ad Deum cum oratione sanctissima ore suo dictata, Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, & cætera æquè sancta. Nihil ibi nisi integra charitas, omnimoda sanctitas & perfecta honestas, cuius etiam doctrinam docti eius discipuli imitantes, omnes maleficos cum artibus eorum maleficis tanquam venena pestifera & velut hæretica & fidei Christianæ contraria damnauerunt, quod & omnia Iura nostra Canonica & Ciuilia sanciunt & confirmant. Si etiam Christus per maleficia miracula fecit; Quomodo discipuli eius sancti, sancti viz. Christiani similia miracula operantur? sicut & Magister eorum promiserat eis Christus per solam inuocationem Dei, Christi, Mariæ, alteriusue sanctorum, absque inuocatione quacunque spirituum ma-
E lignorum, & sine quibuslibet alijs in huiusmodi artibus consuetis: immò & qui de talibus artibus nihil penitus didicerunt; sed ipsas artes cum suis artificibus pro viribus destruxerunt, & hoc nedum in vita præsenti; verum etiam sæpius post hanc vitam. Malefici autem & Necromantici inter Christianos non faciunt miracula, nec in vita, nec in morte, nec alij Christiani peruersi: sed tantum integri Christiani, coram Deo & homine irrepræhensibiliter conuersantes. Si autem quis dixerit, quod Dæmones faciunt gratis miracula pro huiusmodi Christianis, quomodo est verisimile, quod tantum honorarent suos præcipuos inimicos, qui ipsos, aras eorum, idola eorum, Templa eorum, & vniuersaliter omnem honorem & cultum eorum, vita, doctrina, facto & verbo, totis viribus destruunt, adnihilant, & confundunt. Nonne magis videtur, quod suos cultores sic po-

tius honorarent, vt sic ad culturam suam homines potiùs prouocarent, quam ad religionem Christianam tantam eis infestam, contrariam, inimicam? Nonne etiam Historiæ nostræ tradunt, quomodo Cyprianus, ab ipsa pueritia à suis parentibus Diabolo consecratus, Necromanticus maximus, beatam Iustinam Antiochenam virginem Christianam, pro se ipso, seu pro quodã Acladio concupiuit, & ipsam primò per vnum Dæmonem, secundò per alium fortiorem, & tertiò per principem Dæmonũ sollicitauit, multipliciter, etiam per septenniũ ad peccatum, nunc inuisibilter, nunc visibiliter, nunc speciẽ virginis, nunc speciem iuuenis assumendo, & in lectum virginis subintrando; ipsum quoq; Cyprianum, quandoq; in fœminam, quandoque in auem, & Acladium in passerem transformatum ad thalamum virginis deferendo, quos omnes signo Crucis se muniens superauit, & transformatos ad formam propriam reformauit? Quomodo etiam idem Dęmon videns se non posse proficere, in formam Iustinę conuersus, se obtulit Cypriano, vt sic saltem suam impotentiam palliaret, & Cypriano dicente benè venisti Iustina, statim ad prolationem nominis virginis euanuit instar fumi, quare & Cyprianus ad fidem Christi conuersus, tandem pro fide Christi, vnà cum Iustina Martyrium consummauit. Similia quoque leguntur, de Sancto Christi Apostolo Iacobo Zebedei, qui Hermogen & Philetum Necromanticos maximos omnia maleficia ipsorum euacuans, per miracula conuertebat. Si ergo virtute fidei Christianæ, omnia miracula, immò maleficia Dęmonum destruuntur, qua ratione putandum miracula Christana fieri Dęmonum potestate?

Amplius autem si Diabolus potest aliqua miracula facere, potest & Deus, sicut prima Suppositio, tertia & septima partes demonstrant, &c. sicut supra contra responsionem priorem. Nonne & veritatem miraculorum, Christianorum ostendunt preces Christianorum amantium Deum, secundum doctrinam tertiæ partis huius; quas in necessitatibus maximis, Deo non Dæmonijs, immo contra Dæmonia offerunt pro miraculoso auxilio impetrando? Quomodo namque Deus summè bonus & potens, summè pius & clemens, sicut prima Suppositio, & alia præcedentia manifestant, tales amatores suos ad ipsum in summis periculis fugientes, clamantes, orantes, repelleret, & Dæmonibus commendaret? Adhuc autem si Dæmones ita subueniant Christianis Christum & Deum orantibus in necessitatibus suis magnis, vel hoc faciunt voluntariè vel inuitè, sponte vel coacte: non videtur quod sponte, cum Christus & Christiani tanta fecerint & continuè faciant contra eos: si coacte, magna est virtus fidei Christianæ, cui subsunt Dæmones etiam & coacti, obediuntque inuiti, & deseruiunt renitentes. Non enim est potentia super terram quæ Dæmonibus comparetur, quare & magis videtur, quod Deus per omnipotentiam suam magnam cogat sic Dæmones, quando voluerit, vbi voluerit, & quomodo voluerit, vt cultoribus & seruitoribus suis deseruiant Christianis: præsertim cum boni Christiani in suis necessitatibus excessiuis nusquam vtantur aliquo magico documento, nusquam Diabolum, sed Deum suppliciter deprecenter, quantum ergo diligit Deus & approbat fidem Christi?

Obijcient tamen fortassis malefici, aliquisue pro eis, quod ipsi cogunt & violentant Dæmones ad aliqua facienda. Sed cur non possunt similiter cogere Angelos bonos Dei, cùm sint eiusdem naturæ, aut homines viatores bonos aut malos infirmioris naturæ? videtur insuper quod possit ostendi per Philosophicam & Theologicam rationem Liberum Arbitrium naturale substantiæ rationalis, non posse compelli seu cogi ad proprios actus suos per aliqua verba seu carmina, sigilla vel signa, aromata vel suffumigia, herbas vel characteres Cœlestes aut Terrestres, neq; per quascunque creaturas inanimatas, irrationales aut rationales, etiam quaslibet citra Deum. Hoc enim videtur naturali libertati Arbitrij repugnare: Quare & Dæmones à Magicis inuocati crebrò non veniunt, aliquando autem gratis accedunt ad seducendum animas infelices, seductasue amplius obfirmandum. Nonne etiam alias Dæmones tam malitiosi & callidi & potentes cogerent homines præcipuè peccatores ad omnia maleficia facienda? Amplius autem si Christus fuisset fictor, & fecisset miracula tantum ficta, cur tempore prædicationis & passionis suæ cessauerunt miracula vestra vera, nec hactenus renouantur, sicut & Historiæ vestræ tradunt. Ex Historijs namque vestris & nostris similiter potest patere quod Romani dissipabant Ciuitatem vestram & Templum secundum prædictionem Propheticam Danielis & Christi An. 42. post Passionem seu Ascentionem eius in Cœlum, igitur & Thalmud vestrum Babylonicum clarè dicit, 10. signa facta sunt in domo Sanctuarij: 1. Non abortiuit mulier propter nidorem carnium Sanctuarij, 2. Nec carnes Sanctuarij foetebant vnquam, 3. Non fuit vnquam musca visa in domo Carnificum, 4. Non contigit accidens Sacerdoti magno in die propitiationis, 5. Non est inuenta corruptio in garba siue in manipulo, neque in duobus panibus, nec in panibus propositionis: stantes per ordines & adorantes erant spatiosi, licet retracti à domo Propitiatorij per 11. vlnas, 6. Non nocuit Serpens neque Scorpio,

A Scorpio, in Ierusalem, 7 Nunquam dixit homo proximo suo angustus est noster locus manendi in Ierusalem, 8. Nunquam pluuiæ extinxerunt ignem lignorum præparationis, neque vicit ventus columniam fumi: licet omnes venti qui sunt in mundo flarent in eam non poterant eam deuiare: 9. Fragmenta vasorum fictilium absorbebantur à locis suis, 10. Cineres quoq; altaris interioris et Candelabri absorbebantur à loco suo. Omnia vera ista signa cessauerunt per 40. annos ante destructionem Templi, sicut dictum est; Signa non vidimus, non vltra Propheta, neque apud nos est sciens vsque quò. Alius quoque liber vester, qui dicitur Iona, testatur quod Magistri vestri tradiderunt quod 40. annis in quibus ministrauit Symeon iustus, sors nominis Domini ascendebat in dextra & 40. annis ante destructionem domus, id est Templi non ascendit sors in dextra, sed in sinistra. Lingua quoque splendoris, laua viz. rubricata suspensa in Templo conuertebatur in alborem, sed ex tunc nequaquam; linum etiam vespertinum prius semper ardebat, ex tunc non, sed extinguebatur quandoque. Ignis si-
B militer præparationis qui deberet ardere continuè in altari semper fuerat validus, & non fuit necesse vt supponerent || *multa* ligna, sed tantum duas ascellas propter mandatum appositionis lignorum: extunc verò & vltra quandoque erat validus & quandoque nequaquam, & tum non cessabant Sacerdotes ligna supponere tota die. In manipulum insuper siue garbam, & in duos panes facierum siue positionis seu propositionis immittebatur tanta benedictio, quod quantumlibet modicum contingeret Sacerdoti, comedebat & saturabatur, & adhuc superfuerunt reliquiæ; Ex tunc autem tanta maledictio est immissa, vt quicquid indè Sacerdotibus prouenitet, non valeret quantum vna faba. Quare & honesti retrahebant manus suas, & gulosi tolerabant. Adhuc autem quòd anno quo mortuus est Simeon Iustus, prædixit Iudæis se moriturum illo anno; quibus sciscitantibus vndè sciret, respondit, omni die quo intrabam, scilicet Sancta Sanctorum, assimilabatur mihi senex albis indutus qui mecum intrauit, & mecum exiuit: Hodie verò apparuit mihi senex vnus nigris indutus, qui mecum in-
C greisus est, sed non exiuit: posteà infirmatus est septem diebus & mortuus est, & ex tunc cessauerunt fratres eius Sacerdotes benedicere, scilicet in nomine Domini. Portæ quoque templi aperiebant se semper sponte, donec increpauit eas || *Rabban* Iohanan filius Zaqqai, & dixit Templum, Templum, cur destruis teipsum? scio enim de te, quòd finis tuus erit destructio: Super te namque prophetauit Zacharias, Aperi Libane portas tuas, & deuoret ignis Cedros tuos. Hæc eadem & Talmud vestrum Hierosolymitanum commemorans, omnibus inquit diebus quibus fuit Simeon Iustus existens, ascendit sors nominis Dei in dextra &c. sententialiter sicut supra, & sequitur, Quadraginta verò annis cùm nondum erat domus destructa extinguebatur lumen vespertinum, & lingua splendoris rubescebat vt sanguis, & sors nominis ascendebat in sinistra, & erant portę Templi aperientes se de nocte, & manicantes reperiebant eas apertas, dixitque Rabban Iohanan, Templum, Templum, quare obstupefacis nos? scimus quod finis tuus erit ad vastationem, & quòd super te prophetauit Zacharias, Aperi
D Libane portas, &c. & deuoret ignis Cedros tuas. Nec latet vos Iudæos neque alios debet latere, quomodò numerando, maiori numero, puta articulo quasi numero integro recitato soletis frequenter digitos, & numeros minores quasi minutias seu fractiones abijcere negligendo. Licet igitur libri vestri affirment quòd miracula vestra cessauerunt per 40. annos, ante destructionem domus seu Templi; potest tamen esse quòd per 42, annos, aut 43. 45. vel circiter anteà cessauerunt, tempore scilicet Baptismi, prædicationis miraculorum operationis, Passionis, aut Ascensionis Domini Iesu Christi, sicut potiùs reputo verum esse. Verum licet tunc temporis miracula vestra penitus defecerunt, prius tamen circiter annos centum deficere incæperunt; sicut & ante noctem profundam lux aliquantulum tenuatur, & ante cæcitatem perfectam visus aliqualiter obscuratur. Iosephus namque vester. 3. Antiquit. Iud. 8. tradit, quòd Deus omnipotens dereliquit scire legentibus siue ad sacra veniat, siue ad esse nolit; & subdit. Et hoc non solum Hebræis voluit esse manifestum, sed etiam peregrinis.
E Dum ergo sacrificijs Deus adesset, alter lapidum Sardonychum qui in dextro humero Pontificis portabatur, micabat; & ex eo ita splendor exiliebat, vt etiam procul positis apareret, cùm priùs hoc lapidi non inesset, & hoc itaque mirabile est, his tamen qui sapientiam, non abiectionē diuinorum operum nanciscuntur. Quod verò est mirabilius dicam. Per duodecim enim lapides, quos supra pectus Pontifex sutos in Essin, id est in rationale portat, victoriā pugnaturis Deus prænunciabat. Tantus enim splendor fulgebat in eis, cùm nondum exercitus moueretur, vt omni fieret multitudini manifestū eorum auxilijs adesse Deū. Vndè Gręci qui nostras solemnitates honorant, eò quod nihil in his contradicere valeant. Essin rationalem vocant. Cessauit itaq; & Essin & Sardonyx splendere annis || *ducentis* anteqā hęc ego conscriberem. Nec mirū, Veniente namq; Messia secundum Prophetiā Iacob tactam superiùs, aufe-

|| al. plura.

|| Rabbai

|| mille ducentis.

renda fuit à Iuda virga ſeu ſceptrum, & tota ordinaria Iudiciariaque poteſtas, quod non potuit aut non decuit ſubito fieri, ſed per bella ſuccedentia & potentiam veſtram deſtruentia ſucceſſiuè, vt & ſic lucerna veſtra extingueretur ſimiliter ſucceſsiuè, eò quod viam & ſemitas Meſsiæ venturi in proximo, ſicut ex prophetijs & traditionibus maiorum veſtrorum benè ſciuiſtis, aut ſcire debuiſtis, nequaquam debitè præparâſtis, ſicut eſt vobis prophetice imperatum. Quinimò & contra ipſum venientem vos ipſos inimicos, inſidiatores, contradictores, & oppugnatores impios præparâſtis, ſicut rei exitus indicauit, multiſque annis prioribus veſtra legitima neglexiſtis, mala multimoda exercentes, ſicut libri Machabæorum, quos Aſamonæi filios ſeu Aſamonæos vocatis, & libri Ioſephi de Antiquitate & bello Iudaico, vna cum alijs Hiſtorijs conteſtantur. Sed quare tempore Chriſti noſtri prædicto miracula veſtra penitus ceſſauerunt? Nonne quia vos eius glorioſa miracula deprauâſtis, ipſum Autorem miraculorum contempſiſtis, abnegaſtis, occidiſtis, diſcipulos quoque ſuos & totam eius doctrinam a veſtris finibus eieciſtis? Quid mirum ſi Autore miraculorum recedēte à vobis, & miracula pariter receſſerunt? imò & ex receſſu miraculorum à vobis, poteſt non improbabiliter argui receſſus Autoris eorum Domini Dei noſtri, qui teſte Propheta, facit miracula magna ſolus, ſicut & ſupra per teſtimonia Prophetica monſtrabatur: Quare & circa tempus illud audiebatur vox in templo veſtro dicentium, Migremus hinc, migremus ex his ſedibus; ſanctorum videlicet Angelorum. Nonne ergo tunc temporis Dominus & Deus exercituum cum Angelis ſuis ſanctis à vobis veſtriſque ſedibus demigrauit, & ad populum Gentium qui habitabat in tenebris tranſmigrauit, ipſoſque illuminans factus eſt Pater illorum, Pater futuri olim ſæculi, nunc præſentis. A Chriſto namque velut à Patre noſtro dicimur Chriſtiani, cuius præſentiam paternalem, & paternitatem præſentem apud nos lucidè indicant beneficia eius magnifica, miracula ſcilicet glorioſa, ſicut & olim apud vos eius præſentiam indicabant. Dicetis fortaſsis quòd Deus operatur pro vobis continuè vnum miraculum magnum inter inimicos veſtros, tanto vos tempore conſeruando, paſcendo, & neceſſaria miniſtrando. Sed iſtud magis videtur ad veſtram miſeriam, quàm ad veſtrum miraculum deputandum. Nam etſi ſit miraculum, in miſeriam tamen veſtram dignoſcitur redundare, in pœnam peccatorum veſtrorum, ſicut erat de vobis antiquitus prophetatum. * Moſes namque dixit, ſi patrantes malum coram Domino Deo veſtro eum ad iracundiam prouocetis, teſtes inuoco hodie Cœlum & terram, citò vos perituros eſſe de terra, quam tranſito Iordane poſſeſſuri eſtis. Delebit vos Dominus, atque diſperget in omnes gentes, & remanebitis pauci in nationibus, ad quas vos ducturus eſt Dominus; Non dimittet te, nec omnino delebit. Dauid quoque in perſona Meſsiæ & Chriſti tunc paſſuri à vobis ſic ait; Deus oſtendit mihi ſuper inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliuiſcantur populi mei, Diſperge illos in virtute tua & depone eos, &c. quæ & mendacia veſtra execranda adhuc continuata in Chriſtum, & pœnam veſtram indicant euidenter, & vſquequo hæc durabunt, donec ſciant quod Deus dominabitur, nedum Iacob, ſed & finium terræ totius, atque ad veſperam conuertantur. Nonne continuè viuitis in ſubiectione grauiſsima, & miſerabili ſeruitute, in miſeria & ærumna, in dolore multiplici & labore; quod miraculum ſiue mirum quod laborarij omniquaque ex laboribus ſuis viuant, dicente || Poeta

[Margin: A, B, C, D]
[Margin: * Deut. 4. — * Pſal. 58. — || Ouid. de faſtis.]

Omne ſolum forti Patria, eſt vt piſcibus æquor,
Vt volucri vacuum quicquid in orbe patet?

Nec ſunt Chriſtiani inimici veſtri cenſendi vt dicitis, ſed amici. Amore namque Chriſti qui ex vobis deſcendit, volunt, orant, & procurant pro viribus vobis bonum, imò bona maxima in præſenti, & ſimiliter in futuro, ſicuti ſibi ipſis. Quod igitur conſeruamini iſto modo, eſt in pœnam peccatorum veſtrorum, vt etiam per vos alij caſtigentur, ne inſuper lucerna & memoria ſanctorum Patrum veſtrorum penitus extinguatur. Dicit enim Moſes, non dimittet te, nec omnino delebit, neque obliuiſcetur pacti in quo iurauit Patribus tuis: & Dauid, Ne occidas eos, ne quando obliuiſcantur populi mei. Quod & non irrationabiliter fieri creditur, vt libri veſtri prophetici apud vos inimicos fidei Chriſtianæ manentes, fidem Chriſti fideliter atteſtentur, ſicut ſuperius tangebatur; Adhuc autem & propter eos qui ex vobis quotidie conuertuntur, amplius autem & propter reliquias Iſrael, quæ finaliter conuertentur. E

Alij autem, puta Saraceni & eorum Philoſophi fatentur miracula Chriſti noſtri, & veram cauſam miraculorum ſuorum, videlicet verum Deum, & veram eius potentiam & virtutem: ſed dicunt vlterius, Illa miracula non probare ipſum fuiſſe Deum, ſicut æſtimant Chriſtiani, ſed aliquem || *magnum* ſanctum || *magnum* Dei amicum, & || *magnum* Prophetam, ſicut Moſes & Mahometes fuerunt, & hæc eſt traditio Mahometi. Sed ſi Chriſtus fuit magnus ſanctus, magnus Dei amicus, & magnus Propheta, ſicut & Deus per tam euidentia miracula demonſtrauit,

[Margin: || Magiſtrũ — || Magiſtrũ — || Magiſtrũ]

A strauit, non fuit mendosus seductor, sed verax ductor & doctor. Non fuit ergo doctrina eius mendosa, sed vera: In eius autem doctrina habetur ipsum fuisse Deum: Fuit ergo veraciter Christus Deus. Hic respondebitis forsitan cum Manichæis hæreticis, secundum traditionem Mahometi dicentes totam doctrinam Christi fuisse veram; sed eius discipulos velut rudes ipsam malè intellexisse, & ex ignorantia aut ex malitia ipsam scribendo multipliciter corrupisse; in ipsa autem doctrina Christi nullatenus contineri ipsum fuisse Deum, sed forsitan in doctrina per discipulos eius corrupta. Sed hic quæso pacifice auscultetis. Nonne Autoritatem & Veritatem incorruptam Euangeliorum nostrorum sufficienter ostendunt contra responsionem proximam iam ||*præmissa*? Nonne rationabiliter potius credendum videtur, ||præmissã quod tot, tales, & tanti Christi discipuli, Apostoli, & Euangelistæ cum ipso continuè præsentialiter conuersantes, ipsius vitam & opera continuè præsentialiter intuentes, ipsiusque doctrinam continuè præsentialiter audientes, de istis concorditer conscripserunt, quàm quod Mahometes solus & absens, quia per sexcentos annos & amplius Christo posterior de his scripsit? Imò scriptura nostra de Christo, quam tot & tales scripserunt concorditer, & fide, vita, ac doctrina continuè testabantur, videtur multo magis authentica lege vestra, quam Mahometes solus vel aliquis discipulus eius solus, aut vxor eius aliqua sola scripsit. Adhuc autem fortassis dicetis, quod Mahometus fuit Propheta, quare & quod Christi doctrina fuit ei diuinitus reuelata. Verum quanquam fuisset Propheta, multa potuerunt fuisse, nequaquam sibi diuinitus reuelata. Nonne ergo magis credendum testibus concordibus præsentibus, videntibus, audientibus, palpantibus, quam Mahometo soli & absenti, de cuius prophetia non constat specialiter in hac parte? Cur etiam non credendum Christum docuisse se fuisse Deum; cum antiqui Prophetæ Iudeæ, & Sybilla ipsum fore Deum concorditer prophetabant, sicut ex prophetijs ipsorum potest perspicuè demonstrari? Quomodo ergo credam soli Mahometo, & istis multis clarissimisq; Prophetis non credam? Nec potest quis fingere nos Christianos finxisse huiusmodi Prophetias, sicut superius est ostensum. Adhuc autem si Mahometes fuit Propheta, ita fuerunt Christi discipuli facta eius scribentes, sicut historiæ nostræ docent. Nonne secundum Auicennam maximum Philosophorum vestrorũ 10. Metaph. suæ 2. Prophetia est donum spiritus sancti, & quam plene habuerunt discipuli Christi pariter congregati Spiritum Sanctum, seu donum huiusmodi Spiritus Sancti, quando die Pentecostes Spiritus Sanctus in specie ignis repleuit totam domum vbi erant sedentes, & ipsos omnes, in tantum vt cùm essent Hebræi, linguis omnium gentium subitò loquerentur? Nonne Petrus & Paulus, & alij Christi discipuli prophetabant? Nonne Ioannes Christi discipulus & Euangelista, decursum mundi à tempore Christi vsque ad finem mundi in sua Apocalypsi prophetando descripsit, vbi & de Mahometo vestro, & vestri per eum seductione, & Christianorum per vos impugnatione non tacuit? Nonne & multi alij Christiani multis temporibus clarissime prophetabant? Discipuli quoque Christi, Apostoli & Euangelistæ Euangelia nostra dictantes, scribentes, ipsaque vita, doctrina, facto, & verbo, etiam vsque ad martyrium & in ipso martyrio constantissimè attestantes, fecerunt, id est, Deus fecit pro eis multa miracula gloriosa tam in vita quàm post vitam eorum? Quare & secundum responsionem vestram præmissam ipsi fuerunt magni sancti, & magni Dei amici, imo maiores Mahometo vestro, pro quo Deus miracula nulla fecit, sicut superiùs tangebatur. Fuit ergo vita & doctrina eorum sancta & vera, quam Deus per miracula talia approbat & testatur. Præterea à tempore Christi vsque modo, semper inter Christianos miracula durauerunt, per Christianos seu pro Christianis, qui secundum istam doctrinam Christi quam habemus, vixerunt. Deus ergo approbat talem vitam pariter & doctrinam. Nonne primò sancti Martyres Christiani, viri & mulieres innumeri pro ista fide certantes, miraculis plurimis claruerunt? Nonne & postea Doctores Christiani contra Hæreticos pro fide quam tenemus, verbis & scriptis concorditer dimicantes, miraculis plurimis claruerunt? Nonne Confessores & Virgines secundum fidem istam viuentes, miraculis plurimis claruerunt, sicut historiæ plurimæ contestantur? Quomodo etiam videtur credibile si Christiani errarent communiter in credendo, præsertim cum diligant Deum secundum doctrinam proximæ partis huius, quod Deus non reuelaret veritatem alicui Christiano, pro quo facit alia miracula tot & tanta, sed tantum vni infideli, idololatræ Gentili, vestro scilicet Mahometo? Talis enim fuit priusquam Prophetiæ munus accepit, sicut libri vestri testantur. Sic enim reuelauit Christo nostro Iudæo, & per ipsum discipulis suis Iudæis, quando legem ipsorum voluit exponere spiritualiter & implere. Adhuc quæso aduertite diligenter modum faciendi miracula Christi & omnium aliorum. Nonne omnes alij, per quos seu pro quibus fiebant miracula, orabant ad Deum tacitè vel expressè pro miraculis faciendis, protestantes se non posse miracula facere propria potestate, & se Deum

Deum non esse; Christus autem creberrimè & pænè semper miracula faciens, sine orationis A suffragio illa fecit, imò & prætendebat se facere omnia propria autoritate, propria potestate, & sola sua propria voluntate, vt sic ostenderet se esse Deum, & Deus ab hominibus crederetur. Vnde & vt plurimum miracula faciendo, tantum voluntatem faciendi expressit, & statim fiebat miraculum quod volebat, vt sic euidenter ostenderet se habere voluntatem infrustrabilem, omnipotentem & generaliter efficacem, qualem nō habet aliqua creatura, cum sit tantum virtutis finitæ, sed solus Deus virtutis simpliciter infinitæ, sicut octaua pars docet. Dixit enim mortuis, paralyticis, alijsque infirmis, surge; Cæcis, respice; Manco, extende manum tuam; Leproso, volo, mundare; & multis petentibus multa, fiat, & statim fiebat miraculum quod volebat; Fuit ergo veraciter Christus Deus. Quomodo namque aliter Deus ipsum taliter approbasset? Quosdam autem infirmos curauit, quædam alia faciendo propter ministerium; quandoque autem orauit Deum Patrem pro miraculo faciendo, vt sic ostenderet quod virtute humanitatis assumptæ non potuit miracula facere, sed B tantum virtute diuina. Amplius autem Christus fuit maior Propheta & eminentior Mahometo; quare & vt videtur lex Christi lege Mahometi. Nonne ille est maior Propheta qui habet spiritum Prophetiæ, & virtutem miracula faciendi, quàm ille qui habet alterum horum tantum? Nonne Auicenna clarissimus Philosophorum vestrorum, 4. de Anima 4 dicit quod proprietas faciendi miracula pendet ex virtute desideratiua, quæ prouenit ex anima Prophetæ dignioris prophetiæ; & 10. Metaphys. suæ. 1. quod certitudo est ex euidentia miraculorum; Christus autem excellentissimè habuit ambo ista, sicut quamplures historiæ manifestant; Mahometus autem vester vix tenuiter, si tamen aliqualiter, vnum horum, donum videlicet Prophetiæ. Aliqua namque vera prædixit, sed pauca, aliqua verò falsa, sicut libri vestri & rerum exitus manifestant; sed miracula nulla fecit, sicut ipsemet in Scriptura vestra testatur. Annon & hoc idem supra, contra quartam responsionem per Autoritatem Auicennæ similiter est ostensum? Nonne etiam sanctior Propheta videtur, C qui sanctius mundum ingreditur, sanctius conuersatur in mundo, & sanctius exit mundum? Christus autem sanctius ingressus est mundum, quia per annuntiationem Angelicam conceptus de Spiritu Sancto, ex Sanctissima Virgine Maria, & natus, sicut liber legis vestræ multis locis testatur: Sanctius conuersatus est in mundo, sicut vita, doctrina, & miracula sua probant, nec vos negatis vt credo; sanctius egressus est mundum, sicut illa miracula maxima, quæ circa mortem eius acciderant, lucidè manifestant, resurrexit à morte, ascendit in cœlum, promisit & misit Spiritum Sanctum suis; fuit ergo excellentior Mahometo. Adhuc autem quia vos Philosophi Saraceni estis magni Astrologi, & omnia quæ geruntur inferius causis superioribus deputatis, vt secundum vestra principia vobis loquar; Aduertite quæso magnam coniunctionem Saturni & Iouis, quæ præcessit. & præsignificabat Prophetam vestrum & sectam cum omnibus circumstantijs ponderandis; respicite & coniunctionem magnam, imò maiorem & maximam, eorundem cum suis circumstantijs vniuersis, quæ paucis annis Christum præcessit, & fuit significatrix super Propheta nostro D futuro & secta: Hæc enim & vestri & nostri sciunt promptissime calculare, & considerate quæ debeat solennior, excellentior & dignior iudicari. Nonne coniunctio illa Christi? Quis Astrologus dubitat aut ignorat? Nonne ergo Propheta noster & secta nostra, Prophetam vestrum, & sectam similiter superant & excellunt? Nonne & Christus & religio Christiana habuit plurima clarissima testimonia ante, simul, & post, sicut præcedentia docuerunt, & continuata miracula adhuc docent? Vester autem & vestra, nulla, vel saltem non tot, non talia, neq; tanta. Adhuc autem lex ducens ad perfectionem & fœlicitatē animæ in præsenti & in futuro, melior videtur & dignior illâ, quæ ducit ad fœlicitatem seu voluptatem corporis in præsenti & similiter in futuro: Lex autem nostra ducit ad perfectionem & fœlicitatem animæ rationalis principaliter in præsenti & similiter in futuro; vestra autem ad fœlicitatem seu voluptatē corporis in præsenti, & etiam in futuro, sicut institutiones & promissiones legis nostræ & E vestræ testantur. Nonne & Auicenna maximis Philosophorū vestrorum. 9. Metaph. suæ vlt. Lex, inquit, nostra quā dedit Mahometus, ostēdit dispositionē fœlicitatis & miseriæ, quæ sunt secundū corpus; sed alia est promissio, quæ apprehenditur intellectu, & ratione demōstratiua, & hæc est fælicitas & miseria animarū, quæ probātur argumentationib', quāuis nostræ æstimationes debiles sint ad imaginandum eas nunc, propter causas quas ego ostendam. Sapientibus verò Theologis multò magis cupiditas fuit ad consequendam hanc fœlicitatē, quam fœlicitatē corporū, quæ quamuis daretur eis, non tamen attenderunt eam, nec appreciati sunt eam comparatione huius fœlicitatis, quæ est coniuncta primæ veritati, sicut ostendam de ea. Igitur faciam sciri dispositionem huius fœlicitatis & miseriæ, quæ est ei contraria; Corporalis autem

A autem fœlicitas iam assignata est in lege. Nonne & Galdiffa vester, & Soldanus, ac alij maiores vestri secundum traditionem legis vestræ credunt & prædicant, quod mortui vestri resuscitati ad vitam, comedent & bibent omnia delicata, puta lagana, mel, lac, caseum, & butyrum, & quod habebunt multas & pulchras vxores, quibus carnaliter misceantur? Sed quàm inhonestum hoc esset in fœlicitate futura, quàm carnale, quàm bestiale, quàm irrationale, quis honestus Philosophus facilè non perpendit? Ad quid enim ibi oportebit comedere? vel propter necessitatem, vel propter solam voluptatem? Si propter necessitatem, erunt ibi corpora hominum alterabilia ad infirmitates, orbitates, tristitias, & ad mortem, & ita forsitan alterata: hoc autem fœlicitati repugnat: Fœlicitas namque secundum omnes Philosophos vestros, & alios, est bonum, stabile, & perfectum. Si propter solam voluptatem, quis eos à gula, incontinentia, aut intemperantia, excusabit. Si etiam ibi carnaliter comedetis, nonne & carnaliter egeretis, & locum fœlicissimum turpiter polluetis, & abominationem, fœtorem B & tædium inuicem parietis? Adhuc autem si comedetis ibi & bibetis, nonne & postea dormietis, sicque à fœlicitate cessabitis, & miseriam incurretis. Docent enim Philosophi concordanter, quòd actus est perfectior potentiâ, & vsus habitu; quare & fœlicitas quæ est summum bonum humanum in actu & vsu, non in potentia habituuè consistit. Vnde & quidam Philosophorum præclarus recitat, 1. Eth. vlt. approbando dictum vulgare, Nihil differre secundum dimidium vitæ fœlices à miseris. Ad quid etiam ibi haberetis vxores, vel propter generationem, vel propter solam voluptatem? Non propter generationem: Hic enim tantùm non ibi est locus, tempus, & necessitas generandi, nec quisquam ibi indigebit hærede, cùm quilibet ibi semper vt creditis, immortaliter sit victurus. Adhuc autem vel semper ibi generabitis, vel cessabitis aliquando; si semper generabitis, producetis immoderatam & onerosam multitudinem filiorum, nec illa societas paradisi seu cœli vnquam erit perfecta, nec finaliter consummata: si aliquando generare cessabitis, cessabitis & à vestra fœlicitate, & æter- C nam miseriam incurretis. Filij quoque vestri ibi progeniti, vel generabunt ibi vlterius, vel nequaquam: si generabunt, erit ibi infinita & immoderata multiplicatio filiorum. Videtur quoque quòd filij, qui nunquam beatitudinem meruerunt, erunt ibi ita beati, sicut Patres eorum, qui ipsam hîc multipliciter meruerunt, cùm ibi non sit tempus, nec locus merendi: Si nullatenus generabunt, nunquam beatitudinem consequentur, sed miseri semper erunt. Nec habebitis ibi vxores propter solam voluptatem explendam, quis Philosophus dubitat? quis honestus ignorat? quis sanus hoc sperat, nisi porcus forsitan Epicuri? Item vel habebitis ibi concupiscentiam & appetitum venereorum ante actum venereorum, vel nequaquam: si habebitis, habebitis ibi tristitiam & dolorem ex dilatione, & carentia delectabilis concupiti. Dicit enim Philosophus, 3. Eth. 21. Intemperatus concupiscit delectabilia, propter quod & tristatur non adipiscens; cùm tristitia enim concupiscentia; qui & 12. Metaphys. ostendens Deum semper optimè se habere, 39. probat ipsum semper habere maximam delectationem seu vo- D luptatem, & hanc esse alicuius actus semper præsentialiter existentis, quia actus existens est per se & maximè delectabilis; spes verò de actu futuro, & memoria de actu præterito non per se, sed propter actum, & quatenus habent quasi præsentialiter ipsum actum. Super quod Auerroes vester; Spes, inquit, & rememoratio, quamuis sint voluptuosæ, tamen sunt de rebus non existentibus in actu, & sunt voluptuosa, quia sperans imaginatur ea esse comprehensa in actu, & similiter memorans, & innuit quòd comprehensio voluptuosa non est nisi illius quod est in actu, non in potentia, & quod desiderium præcedens comprehensionem magis videtur dolor quàm voluptas, quod & Auicenna vester, & omnes Philosophi & Medici contestantur, & frequens experientia manifestat; tristitia autem fœlicitati non conuenit, sed repugnat. Si verò concupiscentiam nequaquam habebitis, nec habebitis delectationem in opere vt videtur. Ad quid etiam oportebit non concupiscentes omnino actum huiusmodi exercere? Et si vos viri cum tot vxoribus plenis voluptatibus affluetis, & hæc fœlicitas vestra E erit, cur non & quælibet mulier multos viros habebit, vt sic suis plenis voluptatibus similiter satientur, aut ipsæ semper infœlices & miseræ permanebunt? Amplius autem vel semper continuè exercebitis actum carnis, vel cessabitis aliquando per vices: sed absit quòd vel leuiter cogitetis vos exercituros continuè talem actum; sic enim & porcis apud vos quoque immundis & illicitis ad vescendum, efficiemini turpiores. Neque etiam poteritis exercere continuè talem actum cum vna vxore, eò quòd habebitis ibi multas; neque cum multis; quomodo etiam poterunt multæ vxores viri vnius pro fœlicitate sua complenda, in tali actu continuè occupari, nisi cum viris diuersis adulterium committendo? Et si à tali actu aliquando cessabitis minuetur vestra fœlicitas vel cessabit, sicut præmissa testantur. Quis || *etiam* Philosophorum ignorat, fœlicitatem humanam tantummodò consistere in operatione per- || ergo

perfectißima hominis, & quis nesciat operationem perfectißimam hominis esse operationem secundum perfectißimam potentiam hominis, circa perfectißimum suum obiectum? & quis dubitat animam rationalem esse perfectiorem potentiam quacunque potentia corporali? Quare & certum cuilibet esse debet, quòd fœlicitas hominis in cognitione, in coniunctione, & fruitione perfectißima Dei consistit, sicut Hermes, Plato, Aristoteles, Auicenna, Algazel, Auerroes, & omnes Philosophi tam Sarraceni, quàm alij pariter contestantur. Nonne & delectatio corporalis & anima bestialis, præcipuè autem venereorum, quàm plurimum impedit operationem animæ rationalis spiritualem, & delectationem eius sinceram? quare & perfectæ fœlicitati repugnat: Dicit enim Aristoteles 7. Eth. 11. Impedimentum, ei quod est prudentem esse, delectationes, & quanto magis gaudet, puta ea quæ venereorum: Nullum enim vtique posse intelligere aliquid in ipsa. Cur etiam in tali delectatione carnali & bestiali humanam beatitudinem expectatis, & non in delectatione spirituali & rationali, perfectiori, permanentiori, quia continua, honestiori, puriori, meliori, atque maiori, præsertim cùm ambas simul non poßitis habere? repugnant enim ad inuicem & mutuò se expellunt, sicut superius proximo docebatur. Et quis Philosophus nesciat, quòd sicut potentiæ perfectioris, infatigabilioris, honestioris, sanctioris, & melioris circa conuenientißimum suum obiectum, sicut proportionalis operatio, sic & proportionalis delectatio rationabiliter debet esse; potentiam autem hominis perfectißimam, infatigabilißimam, quia immaterialem, & incorruptibilem, purißimam, honestißimam, sanctißimam, maximè Deiformem, & vniuersaliter optimam esse animam rationalem, quis negat? & proportionale eius obiectum quis dubitat esse Deum? Nullus ergo permittitur dubitare fœlicitatem delectabilissimam, & delectationem fœlicissimam expectandam in operatione animæ rationalis perfectißima, continuissima, sincerissima, & sanctißima circa Deum, sicut prædicti Philosophi, & plurimi alij Gentiles, Iudæi & Sarraceni vnanimiter contestantur, & quàm rationabiliter iuxta præmissa? Nonne secundum primam suppositionem, tertiam partem, & quartam, Deus est summè, copiosißimè, abundantißimè, & infinitißimè delectabilis, voluptuosus, deliciosus, dulcis, suauis, amabilis, gaudiosus, fœlix, & ‖*bonus?* Cur ergo secundum partem 7ᵃᵐ & 8ᵃᵐ non potest se talem suis cultoribus in futura beatitudine exhibere; & ipsos suis sinceris delicijs & semper continuis, sincerè & continuè æternaliter satiare, vt sic ipsemet eis fœlicitas delectabilißima & delectatio fœlicißima semper fiat? Nonne & hoc pulcherrimè congruit rationi? Annon secundum omnes Philosophos verè Philosophos, & secundum exigentiam rationis, homo debet omnia facere propter finem? & cùm non sit infinitus processus in finibus, sicut secunda suppositio & ipsi pariter contestantur, aliquis est omnium finium vltimatus, qui propter se quæritur, & alij propter ipsum: hic autem est beatitudo fœlicitasque finalis, & in quo quærenda ipsa fœlicitas nisi in Deo? & quid erit ista fœlicitas, nisi Deus? alioquin Deus propter aliud à se esset amandus finaliter, & à suis ‖*cultoribus* venerandus, contra omnes rectè Philosophantes, & contra 30. partem huius. Nonne & secundum 31. partem Deus amatoribus & seruitoribus suis non parcè sed abundanter retribuet, & vbi & quando nisi in fœlicitate futura? hi autem secundum doctrinam trigesimæ partis huius, super omnia nedum existentia, sed etiam poßibilia & imaginabilia citra Deum quantalibet, ipsum amant, & seruiunt ei hoc modo, quòd pro quantiscunque bonis delectabilibus capescendis, aut malis tristabilibus præcauendis, nusquam ipsum scienter offenderent vllo modo. Nonne ergo bonum maius ipsis retribuet, & delectationem maiorem? & quod bonum nisi seipsum? & quam delectationem, nisi suam propriam infinitam? & quis nesciat delectationem diuinam esse sanctißimam, sincerißimam, honestißimam, continuißimam, & abundantißimè infinitam, sicut prima Suppositio, tertia, quarta, & 20. partes docent. Hanc autem fœlicitatem delectabilißimam & delectationem fœlicißimam, & maximè Deiformem nos Christiani secundum legem nostram, Christi doctrinam, omnes concorditer expectamus. Nonne ergo lex nostra rationabilior, honestior, & sanctior est quàm vestra? Nonne & in Scriptura vestra habetur quòd sol oritur inter duo cornua diaboli: quare & quòd illi qui adorant ad Orientem, adorant diabolum? quòd Asinus, quando rudit, videt diabolum, & ideo tam horribilem sonum facit? quod Gallus quando cantat, videt Angelum, & ideò ita cantat? & multa similia quæ nullus Philosophus dubitat esse deliramenta inania & figmenta? Videtur quoq; contra ordinem naturalem quòd legi subtiliori, spiritualiori, & diuiniori, sicut est lex nostra, rudior, carnalior, bestialiorque succedat, sicuti est lex vestra. Naturalis enim processus videtur de rudi ad subtile, de carnali ad spirituale, de minùs perfecto ad magis perfectum? Nonne & excellentiam legis nostræ super vestram, ostendunt potentißima miracula pro nobis contra vos diuinitùs sæpè facta, sicut multiplicia chronica referunt, quorum & pauca superiùs recitantur?

Responde-

‖beatus.

‖amatoribus.

A Respondebitis forsitan & dicetis, quod etsi lex nostra esset melior, vestra tamen est bona & sufficiens ad salutem, sed si nostra sit bona est vera & recta; vestra autem mala falsa, atque erronea, repugnant enim in multis. Si etiam nostra sit melior, cur persequimini eam tantum? cur etiam non || *eligitis* meliorem? aut si non omnes velitis, cur non patimini volentes ex vobis ipsam eligere & tenere? sed si quis ex vobis ipsam elegerit, ipsum continuè trucidatis? Audite Auicennam maximum Philosophorum vestrorum. 10. Metaph. suæ vlt. docentem expressè, non debere esse aliam legem, nisi illam quæ descendit à Deo per Prophetam, cuius institutio optima est, & illam esse dilatandam per totum mundum, & si qui fuerint qui à lege discordant, priùs, inquit, corrigantur vt resipiscant, || *quod si facere* noluerint, occidantur. ||elegistis. ||etsi.

Ex tota igitur illa longa concertatione colligitur ratio talis breuis, Quicquid Deus reuelauit, & testabatur, est verum, sicut prima suppositio, & tertia pars demonstrant; Fidem Christianam Deus reuelauit, & testabatur sicut præcedentia manifestant; Fides ergo Christiana est vera. Scio quòd proterui & cauillosi proteruient cauillando, vel tacitè cogitantes B quòd præcedentia non demonstrant Deum reuelasse aut testatum fuisse hanc fidem. Et fateor, quod non est ibi demonstratio Mathematica ex principijs per se notis, sicut nec in Philosophia naturali, Metaphysicali, neque morali, sed qualem materia talis moralis permittit. Nonne bene dicit Philosophus ille magnus 1. Eth. 3. quòd benè dicetur sufficienter, si secundum subiectam materiam manifestetur? Certum enim non similiter in omnibus est quærendum: bona autem & iusta de quibus Ciuilis intendit, tantum habent differentiam & errorem vt videantur lege sola esse, naturâ verò non. Amabile igitur de talibus dicentes, grossè & figuraliter ostendere veritatem: Eodem vtique modo & recipere debitum vnumquodque dictorum, disciplinati enim est in tantum certitudinem inquirere secundum vnumquodque genus, in quantum natura rei recipit. Proximum enim videtur & Mathematicum persuadentem acceptare, & Rhetoricum demonstrationes expetere. Imò & Plato de rebus naturalibus locuturus in secundo Prologo in Timæum, sic ait, Prædico iam ô Socrates, si dum de C natura vniuersæ rei disputatur, minime inconcussas & inexplicabiles rationes afferre valuerim, ne miremini, quin potius intuere, si nihilo minus quam quiuis alius consentaneas assertiones afferam. Memento enim tam me qui loquor, quam vos qui iudicatis, homines fore, atque rebus ita sublimibus mediocrem explanationem magni cuiusdam esse onus laboris. Accedat igitur, (supplico, professor alterius fidei cuiuscunque, afferatque pro fide sua rationes quas potest; afferat & Christianus pro fide sua rationes præmissas, vel alias possibiles meliores, & has & illas, hinc inde iusto libramine ponderetis, & scio, & scio me scire, quòd vestræ inueniantur minus habentes. Plato.

Et si quis mihi resistendum putauerit arguendo miracula non posse fidem nostram probare, eò quòd inter Idololatras & Gentiles quandoque fiebant miracula, sicut superiùs recitatur, nisi fortassis fides infidelis eorum per sua miracula possit similiter approbari; Non improbabiliter forsitan respondendum, quòd ante tempus Circumcisionis & Legis, & similiter D tempore quo durarunt, fuerunt quidam etiam apud exteras nationes inter Idololatras & Gentiles, qui vel per reuelationem diuinam, vel per doctrinam humanam, vel indagationem, inuentionemque propriam, Deum veraciter cognouerunt, licet fortè tenuiter & velatè, & ipsum similiter coluerunt. Nonne quidam Gentiles Christum || *venturum* clarissimè prophetabant, sicut superius tangebatur? cur ergo non decebat Deum in Sanctis suis mirabilem, miracula pro talibus operari, vt sic ipsos in cognitione, & dilectione sua magis proueheret & firmaret, aliosque ad Religionem ipsorum attraheret imitandam? Tales siquidem videntur fuisse quidam Iusti & Prophetæ ante diluuium & post diluuium, ante Circumcisionem & Legem. Tempore verò Circumcisionis per Abraham institutæ, Iob rex Edom, quintus ab Abraham Patriarcha, qui post electionem Iacob ex Esau reprobato processit. Tempore quoque Legis datæ per Mosen, tales videntur Regina Austri, & viri Niniuitæ, sicut sacræ literæ, etiam Euangelistæ contestantur. Talis insuper videtur fuisse Nabuchodonosor rex clarissimus E Babilonis, & primus Monarcha Chaldæorum, post suam humiliationem, pœnitentiamque peractam; Darius quoque Rex Medorum, qui & à Chaldæis transtulit Monarchiam. Talis similiter videtur fuisse, lege adhuc durante, ille quoque Alexander nobilis Rex Græcorum, qui & à Medis abstulit Monarchiam; quod & euidenter testatur Cornelius Centurio, vir religiosus & Deo acceptus, nunquam Iudæus, nec dum Christianus effectus. Cur ergo de alijs personis similibus non similiter est credendum, licet historiæ diuinæ, vel aliæ de ipsis minimè faciant mentionem? Nonne Deus loquens per Prophetam de ciuitate sua & ciuibus, generaliter satis dicit? Memor ero Rahab & Babylonis scientium me; ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum, hi fuerunt illic: Nonne & eius Apostolus eandem generalitatem ||futurum.

tem expertus; In veritate, inquit, comperi, quoniam non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Vnde & Augustinus in libello suo De tempore Christianæ Religionis contra Porphyrium, & De Prædestinatione Sanctorum, ad Prosperum & Hilarium, 11. Ab initio, inquit, generis humani aliàs occultiùs, aliàs euidentiùs, nec prophetari destitit Christus, nec qui in eum crederent, defuerunt; & ab Adam ad Mosen, & in ipso populo Israel, quæ speciali quodam mysterio gens Prophetica fuit, & in alijs gentibus, antequam venisset in carne. Cùm enim nonnulli commemorantur in sanctis hebraicis libris ex tempore Abrahæ, nec de stirpe carnis eius, nec ex populo Israel, nec aduentitia societate in populo Israel, qui tamen huius sacramenti participes fuerunt; cur non credamus etiam in cæteris hac atque illa gentibus aliàs alios fuisse, quamuis eos commemoratos in eisdem autoritatibus non legamus? De iustis siquidem & Prophetis ante circumcisionem vel legem diuinitus institutam, multæ habentur Historiæ satis authenticæ, & famosæ. De Iob quoque habetur Historia celebris & vulgata, vnde & Augustinus 18. De ciuitate Dei, 48. Nec ipsos, inquit, Iudæos existimo audere contendere neminem pertinuisse ad Deum præter Israelitas, ex quo propago Israel esse cæpit, reprobato eius fratre maiore: Populus enim reuera qui Dei populus propriè diceretur, nullus alius fuit; homines autem quosdam non terrena sed cœlesti societate ad veros Israelitas supernæ ciues patriæ pertinentes etiam in alijs gentibus fuisse, negare non possunt: quia si negant, facillimè conuincuntur de sancto & mirabili viro Iob, qui nec indigena, nec Proselytus, id est, aduena populi Israel fuit, sed ex gente Idumæa genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus est, qui diuino sic laudatur eloquio, vt quod ad iustitiam pietatemque attinet, nullus ei homo suorum temporum coæquetur: quæ tempora eius quamuis non inueniamus in Chronicis, colligimus tamen ex libro eius, quem pro sui merito Israelitæ in autoritatem Canonicam receperunt, tertia generatione posteriorem fuisse quàm Israel: Diuinitùs autem prouisum fuisse non dubito, vt ex hoc vno sciremus etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad spiritualem Israelem, quod nemini concessum esse credendum est, nisi cui diuinitùs reuelatus est vnus Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Qui & de perfectione iustitiæ hominum, 32. dicit, Quòd iusti antiqui crediderunt in Christum, gratia eius adiuti, vt gaudentes eum prænoscerent, & quidam etiam prænuntiarent esse venturum, vt in illo populo Israel, sicut Moses, & Iesus Naue, & Samuel, & Dauid, & cæteri tales, vel extra ipsum populum, sicut Iob, vel ante ipsum populum sicut Abraham, sicut Noe, & quicunque alij sunt quos vel commemorat, vel tacet Scriptura diuina. De pœnitentia quoque Nabuchodonosor salutari & conuersione ad Deum per prædicationem Danielis, & diuinum flagellum docet Historia Danielis: Quare & Augustinus De Prædestinatione & gratia Dei, & est quintus inter eius Sermones 17. dicit; Quod Nabuchodonosor post innumeras impietates flagellatus pœnituit, & pœnitentiam meruit fructuosam, Pharaoh verò nequaquam: & quòd hi duo fines habuere diuersos, quod & recitatur in Canone, 23. quæstione quarta Nabuchodonosor. De Dario quoque videtur patere in historia Danielis. Nonne & de nobili Alexandro hoc rationabiliter æstimandum, præsertim quia in doctrina illius præclari Philosophi, & Magistri sui Aristotelis fuerat educatus, qui verum Deum esse, & omne summum bonum, primum efficiens, & primam formam, & vltimum finem omnium sciuit, & docuit euidenter, sicut libri sui Philosophici manifestant? Iosephus quoque 11. Antiquit. Iudaicæ vlt. recitat, quomodo cum Alexander post captam Gazam indignans, festinaret Ierusalem, Ioaddo principi Sacerdotum post supplicationem & immolationem Deo oblatas, ab ipso & populo dormienti. Deus præcepit vt confideret, sertisque ciuitatem ornaret, portasque protenus aperiret, & alios quidem cum veste alba, ipsum autem & reliquos Sacerdotes cum legitimis stolis iussit occurrere, nihil sæuum sperantes pati, Deo prouidente, quod & fecerunt. Et subdit, Phænices verò & Chaldæi Regem secuti putabant, quia quicquid potuisset furor imperialis permittere in ciuitatem, ipse committeret, & Principem Sacerdotum summis afficeret contumelijs, quod è diuerso contigit euenire. Nam Alexander prouidens multitudinem vestibus albis indutam, Antistites verò cum bysinis stolis, sed & Principem Sacerdotũ hiacynthina & aurea stola, super caput habentem cydarin, & superlaminam auream, in quo scriptum est Dei nomen, adijt solus, & numen adorauit, & Principem Sacerdotum primus veneratus est; omnibus verò Iudæis vna voce Alexandrum salutantibus, & circumstantibus Regibus Syriæ, & reliquis, hoc facientem stupuerunt, corruptamque Regis mentem putauerunt. Parmenius verò solus eum interrogauit, dicens; Cur eum omnibus adorantibus, ipse adorasset Principem Sacerdotum gentis Iudææ? Cui ille; Non hunc, inquit, adoraui, sed Deum cuius principatus sacerdotij factus est. Nam per somnium in huiusmodi eum habitu conspexi,

adhuc

A adhuc in Dio ciuitate Macedoniæ constitutus, dumque mecum cogitassem posse Asiam vincere, incitauit me, vt nequaquam negligerem, sed confidenter transirem: nam se perducturum meum dicebat exercitum, & Persarum traditurum potentiam; ideoque neminem alium in tali stola videns, cum hunc aduertissem habens visionis & probationis nocturnæ memoriam salutaui. Exinde arbitror diuino iuuamine me dilectum, Dariumque vicisse, virtutemque soluisse Persarũ. Propterea & omnia quę meo corde sperabantur, prouentura confido. Et postquã Parmenio locutus est, Principẽ Sacerdotum honorans, accurrentibus reliquis Sacerdotibus ad ciuitatem vsq; peruenit, & ad templũ ascendens sacrificauit Deo secundum Sacerdotis ostensionẽ; ipsi autẽ Principi Sacerdotũ, & reliquis Sacerdotibus munificẽter multa donauit. Posset quoque fortassis & quodammodo aliter, & quodammodo similiter responderi, dicendo quosdam idola adorantes ipsa propter se nullatenus adorasse, sed tantummodo propter Deum, diuinasque virtutes iuxta responsionem vltimam vigesimæ primæ partis, sicut & nos B imagines Christi, Dei, Trinitatis, Angelorum, & Sanctorum hominum adoramus. Quare & videtur quod Deus potuit ipsos tribulatos clamantes non incongruè exaudisse, ipsosque miraculosè si oportuit adiuuisse. Adhuc autem & quodammodo aliter, & quodammodo similiter forsitan dici posset, quosdam Idololatras cognouisse & coluisse veraciter summum Deum, sub nomine tamem & idolo Dei Iouis, sicut apparet ex præmissis circa decimamsextam partem huius, & nihilo minus præter ipsum alia quædam idola coluisse, sanctis Angelis, hominibus, vel dæmonibus dedicata, non tamen finaliter propter ipsamet idola, neque finaliter propter ipsa quorum fuerant idola, sed quia sunt creaturæ, & serui, & instrumenta Dei, voluntatem ipsius in prosperis & aduersis circa homines exequentes, vt sic in ipsis & per ipsa Deum finaliter adorarent, sicut & nos Deum propter se, & sanctos Angelos eius & homines, & ipsorum imagines adoramus finaliter propter Deum. Et licet fortasis in modo colendi Deum ex simplici ignorantia, non ex certa malitia errauerunt, diligentes tamen cum C præ omnibus secundum doctrinam trigesimæ partis huius, volentesque scire, & diligentiam debitam apponentes, quis cultus & modus colendi fuit Deo placitus & acceptus, paratique cultum illum & modum cognitum obseruare, ipsum interim secundum suam scientiam & conscientiã honorauerunt, Deus ista piè & discretè respiciens, ignorantiæ, & simplicitati eorum pepercit, sinceram vero dilectionem, sanctam intentionem & voluntatẽ beneuolam acceptauit: Hoc autem consonum videtur rationi. Non enim videtur quod iustissimus atque pijssimus, prima suppositione tertia parte, & quarta testantibus, plus requirat ab homine quàm accepit, & quàm sit in hominis potestate, imò quod illud acceptet, si intentione debita offeratur. Nonne etiam secundum sententiam Philosophorum communem & secundum iudicium cuiuslibet naturale, deliberate proponens dare aliquid, puta aurum, & adhibita diligentia requisita, deceptus loco illius dat aurichalcum, quod si sciret, nullatenus faceret, non aurichalcum sed aurum dare videtur, & liberalis merito reputatur, sicut etiam è contra. Di- D cit enim Philosophus. 4. Ethic. 2. Non in multitudine datorum quod liberale, sed in dantis habitu; & supra 3[i]. 4[o]. Existente autem inuoluntario quod vi & propter ignorantiam, voluntarium videbitur vtique esse, cuius principium in ipso sciente singularia in quibus est operatio; & infra, 6[i]. 10. Iusta dicimus operantes quosdam, nequaquam iustos esse, puta à legibus ordinata facientes vel nolentes, vel propter ignorantiam, vel propter alterum quid, & non propter ipsa quamuis operentur quidem quæ oportet & quæcunque oportet & studiosum; sed vt videtur, est qualiter habentem operari singula, velut sit bonus: dico autem puta propter electionem, & ipsorum gratia operatorum. Electionem quidem igitur rectam facit virtus, quæcunque autem illius gratia nata sunt fieri, non sunt virtutis, sed alterius potentiæ. Dicendum autem scientibus manifestius de ipsis. Est vtique quædam potentia quam vocant deinoteta, δεινότητα hæc autem est talis vt ad suppositam intentionem contendentia posset hæc operari & sortiri ipsis. Siquidem igitur intentio sit bona, laudabilis est; si autem praua, astutia. Nonne & vi- E detur Apostolum hoc sentire dicentem; Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium in die cum iudicabit Deus occulta hominum. Nonne & veritas ipsa dicit, Si oculus tuus fuerit simplex totum corpus tuum lucidum erit? Quare & Augustinus 2. de sermone Domini in monte 21. Oculum, inquit, hic accipere debemus ipsam intentionem qua facimus quicquid facimus. Quod si munda fuerit & recta, & illud aspiciens quod aspiciendum est, omnia opera nostra quæ secundum eam operamur, necesse est bona sint; omnia opera totum corpus appellauit, quia & Apostolus membra nostra dicit quædam opera quæ improbat & mortificanda præcipit, dicens;

F Mortifi-

Mortificate membra vestra quæ sunt supra terram, fornicationem, immunditiam, auaritiam, A
& cætera talia: Non ergo quid quisque faciat, sed quo animo faciat considerandum est. Qui & super titulum Psalmi. 31. Bonum, inquit, opus intentio facit, intentionem fides dirigit: Non valde attendas quid homo faciat, sed quid, cum facit, aspiciat; Qui & 83. quæstionũ 27. dicit quod mali, per quos agitur id quod ignorant, non iustitiæ quæ refertur ad Deum, sed maleuolentiæ suæ mercedem accipiunt: quemadmodum nec bonis imputatur, quod ipsis prodesse volentibus nocetur alicui, sed bono animo beneuolentiæ præmium tribuitur. Qui insuper in libello de inhonesta familiaritate mulierum sic scribit, Voluntas prona faciendi reputatur pro opere facti; quod & similiter videntur iura velle dicentia; Voluntate & proposito maleficia distinguenda. Nonne & Ambr. 1. de offic. Affectus, inquit, tuus operi tuo nomen imponit; & Hieron. in epistola ad Paulinum de omnibus diuinæ historiæ libris sic ait; Non quid inuenias, sed quid quæras consideramus. Quis enim potest rationabiliter dicere, quod voluntas sincera Domino famulandi secundũ doctrinam trigesimę, non est recta, & B
rationabiliter acceptanda, licet in modo famulandi surrepat error inuitus? Cur alias Seneca in sanctorũ Catalogo poneretur? Nonne B. Hier. de viris illustrib⁹ 12. & ponitur præfatio in ep. Senecæ, ita scribit: Lucius Annæus Seneca Cordubensis Photionis Stoici discipulus, & patruus Lucani Poëtæ, continentissimę fuit vitæ, quem non ponerem in Catalogo Sanctorum, nisi me illæ epistolæ prouocarent, quæ leguntur à plurimis Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum: In quibus cùm esset Neronis magister, & illius temporis potentissimus, optare se dicit eius esse loci apud suos, cuius sit Paulus apud Christianos. Hic ante biennium quàm Petrus & Paulus martyrio coronarentur, à Nerone interfectus est. Nonne & secundum Iura Canonica, propter hanc causam error in persona & in conditione dirimit matrimonium iam contractum? Nonne etiam hac de causa ignoranter accedens ad vxorem alienam, quam reputat esse suam, ab adulterio excusatur? Nonne scribitur isto modo, Error personæ & conditionis consensum coniugij non admittit? Si quis enim pacisceretur se venditurum agrum C
Marcello, & postea veniret Paulus dicens se esse Marcellum, & emeret agrum ab illo, nunquid cum Paulo conuenit iste de precio, aut dicendus est agrum sibi vendidisse? Item si quis promitteret se venditurum mihi aurum, & pro auro offerret mihi Aurichalcum, & ita me deciperet, nunquid dicerer consensisse in Aurichalcum? nunquid volui emere Aurichalcum? nec aliquando in illud consensi, quia consensus non nisi voluntatis est. Sicut igitur hic error materiæ excludit emptionis consensum, sic & in coniugio error personæ. Non enim consensit in hunc, sed in eum quem hunc esse putabat. Quod etiam error personæ nonnullos excuset auctoritate illa probatur, qua vxoris soror, vtroque inscio, sorore videlicet & marito in lectulum eius isse, & à viro sororis suæ cognita perhibetur: quæ tamen sine spe coniugij perpetuò permanere censeatur, ille tamen qui cognouit eam per ignorantiam excusatur. Aliter etiam hoc probatur: Diabolus nonnunquam in Angelum lucis se transformat, nec est periculosus error si tunc creditur esse bonus, cùm se bonum simulat. Si ergo tunc ab aliquo simplici quæreret, D
si suæ beatitudinis vellet esse particeps, & ille responderet se in eius consortium velle transire, nunquid dicendus est consensisse in consortium diabolicæ damnationis? annon potiùs in participationem claritatis æternæ? Item si quis hæreticorum nomine Augustini, vel Ambrosij vel Hieronymi, alicui Catholicorum seipsum offerret, atque ad suæ fidei mutationem prouocaret, si ille præberet consensum, in cuius fidei sententiam consensisse diceretur? non in hæreticorum sectam, sed in integritatem fidei Catholicæ, quam ille hæreticus se mentiebatur habere. Quæ ergo in persona decepta errore, non in hunc, sed in eum, quem ipse mentiebatur se esse, consensit, patet quòd eius coniux non fuerit. Hanc eandem sententiam cum eisdem exemplis & Doctores Theologici profitentur. Credo tamen constanter quod Deus pius & iustus, omni eum amanti præ omnibus, volentique efficaciter ipsum cultu & modo debitis venerari, & diligentiam debitam perseueranter adhibenti, reuelet quandoque religionem debitam & necessariam ad salutem, religionem videlicet Christianam implicitè vel expressè. Multi namque Iudæi atque Gentiles Christum venturum lucidè præuiderunt, & E
prophetice prædixerunt, sicut non paucæ testantur historiæ, & præcedentia tetigerunt. Quomodo namque Deus, qui prima Suppositione & partibus sequentibus, ac Philosophis multis testantibus, rebus etiam vilissimis inanimatis & bestijs prouidet, hominem sine prouidentia derelinquet? Et qui 27ª parte cum sequentibus ostensionibusque earum, ac historijs multis probantibus, hominibus nusquam Deum quærentibus, imò & contemnentibus quandoque prouidet gratiosè de necessarijs ad salutem, quomodo piè & perseueranter secundum suam scientiam & virtutem, ipsum quærentibus atque colentibus necessaria denegabit, faciem suam auertet, ipsos despiciet, abijciet, & repellet? Puto quoque veraciter quòd plurimi infideles,

nullam

4. sentent. dist. 30.

A nullam vel non debitam diligentiam adhibent ad inquirendum & cognoscendum debitum cultum Dei; imò & si ipsis negligentibus per inspirationem diuinam, rationem, aut prædicationem humanam gratuitò reueletur & euidenter appareat, quòd lex nostra sit melior lege sua, imò & quod lex nostra sit vera, ipsorum autem erronea, ex quadam pertinaci superbia indurati nolunt superba colla curuare, nolunt sectam antiquam relinquere, nolunt meliorem admittere, nolunt acquiescere veritati; sed & resistunt pro viribus, obgarriunt, contradicunt. Contuli enim nuper cum quodam Iudæo perito & multum famoso de conuersione sua ad fidem Christi, post alia rogans eum vt oraret Deum suum deuotè, quatenus illuminaret cor eius, & ostenderet ei veraciter, quæ lex esset melior & acceptior coram eo. Qui mihi respondit, quòd nunquam hoc faceret, quia hoc esset dubitare aliquo modo de lege suo, & aliqualiter hæsitare. Quæsiui, si voluit vt ego sic orarem pro eo Deum suum & meum communem, videlicet magnum Deum, & libenter orarem: qui statim

B respondit, quòd non, propter causam dubietatis prædictam. Tunc ego, tu non vis orare pro teipso, nec permittere, aut gratum habere quòd ego pro te orem, ora quæso pro me modo prædicto, vt sic saltem eius duritiam contumacem ad orationis beneficium prouocassem: qui peremptoriè renuens, Scio, inquit, quòd tu nunquam eris bonus Iudæus; atque subiunxit, & si tu velis dubitare de lege tua, ego nolo de mea. Amplius autem & aliter & veraciter dici potest, quòd quædam sunt miracula fantastica, delusoria, & Diabolica; quædam vera; Miracula delusoria fecerunt Magi Aegyptij Pharaonis, sicut in Exodo recitatur, & talia erant miracula inter Idololatras Infideles, & hæc est responsio Augustini. 10. de Ciuit. Dei 16. huiusmodi miracula pertractantis. Obijcies forsitan quòd eodem modo possunt dicere Infideles de miraculis Christianis; fateor, & dixerunt. Et si quæras, quomodo ergo possunt refelli; Respondeo, si hoc dicant vniuersaliter de omnibus Christianorum miraculis, possunt refelli vt prius; si particulariter, puta de aliquibus mirabilibus delusionibus apud

C aliquos Christianos fortaßis pro veris miraculis reputatis, nón sunt forsitan refellendi. Et si quæras vlterius quomodo possunt hæc discerni; respondeo quod probabiliter per circumstantias, & coniecturas probabiles concurrentes, per sanctitatem vitæ, per modum credendi, amandi, orandi, & impetrandi miraculum, & per modum miraculi impetrati, & cætera talia, quæ non est facile numerare; certitudinaliter autem per illuminationem & inspirationem diuinam, et per Spiritus Sancti donum, quod ab Apostolo discretio Spirituum nuncupatur. Hoc enim potest Deus facere, per septimam partem huius, & multum decet ipsum hoc facere Christianis ipsum amantibus & colentibus secundum doctrinam, 30. partis huius, et si non semper & generaliter omnibus Christianis; illis tamen quorum interest de miraculis iudicare, puta summis Sacerdotibus, & principibus Sacerdotum, quando neceßitas vel opportunitas hoc requirit, sicut in Canonizatione sancti cuiuspiam facienda. Nec mirum: In multis namque historijs inuenimus, quòd Deus multis principibus gentilibus multa se & principa-

D tus suos concernentia reuelauit, de Pharaone Rege Aegypti, Gen. 41. de Nabuchodonosor rege Babylonis, Dan. 2. & 4. de Balthasar successore ipsius, Dan 5. de Alexandro rege Græcorum, 11. Antiq Iudaicæ: vlt. sicut superius recitatur, de Chamgiuscan primo rege Tartarorum, in Historijs Tartarorum sicut superius tangebatur; de Agamemnone rege Græcorum & somnio quod de instituendo prælio viderat, & in Græcorum Concilio referebat, Scribit Homerus, quòd Nestor vir magnæ prudentiæ fidem relatis concilians respondebat, de statu publico credendum est regio somnio; Et recitat Macrobius super somnium Scipionis. Nonnè & Caiphas cum esset Pontifex Iudæorum licet malignus, Spiritu Dei tactus veraciter prophetauit? quanto ergo dignius decet Deum principi nostro summo, nostro summo Pontifici huiusmodi sui Spiritus munera impartiri? Adhuc autem Gentiles & eorum Philosophi forsitan respondebunt, dicentes, quòd etsi lex nostra sit bona, & melior alia lege positiua quacunque, sola tamen lex naturæ, naturalis videlicet rationis conscientiæ siue synderesis suf-

E ficit cuicunque ad ipsum in omnibus regulandum ad omnia facienda. Verùm si lex nostra sit bona, & optima, est & vera, & in ipsa continetur expressè, quòd qui non crediderit, sicut docet, damnabitur. Item si lex nostra sit bona & optima positiue, est & perfectior sola lege naturæ: continet enim totam perfectionem illius, & addit, insufficientias eius supplet, corrigitq; defectus. Cur ergo illam non eligitis & tenetis? Adhuc autem si sola lex naturæ sufficeret homini ad quæcunque, cur Deus, qui nihil agit frustrà prima suppositione, tertia parte & vobis ipsis testantibus aliam legem & alias leges dedit, antiquam & nouam, sicut præmissa testantur, præsertim cùm vtraque sit difficilior ad sciendum, & laboriosior ad implendum? Quis enim sapiens facit quicquam per plura, ad quod sufficiunt pauciora, sicut ratio naturalis & omnes Philosophi concorditer attestantur, & superius tangebatur? nisi fortaßis decen-

 tius

tius, vtilius, & melius fiat per plura. Quod si est verum de legibus positiuis, & specialiter A
Christiana, cur illam non accipitis & tenetis? Géntiles quoque Philosophi rationem naturalem rati se sequi, vmbra tenui & fallaci, ac mendaci imagine phantasticæ rationis frequenter seducti, irrationabiliter aberrabant; sicut verissima ratio, & ipsorum creberrima contradictio clarè docet. Quomodo ergo tam irregularis, tam enormata regula, & tam fallax sufficit homini ad ipsum in omnibus dirigendum? Nonne Deus qui prima Suppositione, tertia parte, & secunda Suppositione testantibus, sincera, summa, & prima veritas comprobatur, magis veritatem quàm falsitatem, verum quàm falsum obsequium, rectitudinem quàm errorem magis diligit, & acceptat, præsertim circa religionem & cultum diuinum? Nonne secundum, 30^{am} partem huius, solus Deus propter seipsum super omnia effectuosissimè est amandus, deuotissimeque colendus? quomodo ergo propter errorem irrationabilis rationis & seductæ conscientiæ nihil refert istum cultum vero Deo, vel Dæmonijs aut idolis exhibere? Nonne &
|| vestri. Gentiles Philosophi, || *veri* Philosophi idola reprobârunt, & vnum verum Deum colendum B
esse censuerunt: sed ad quem fructum si tantum valeat colere idolum sicut Deum? Cur insuper, quæso, Philosophi tam laboriosam diligentiam circa cognitionem veritatis impendunt, si falsitas & veritas æqualiter ponderent, æqualiter valeant, æqualem fructum parturiant quibuscunque, dum tamen secundum conscientias suas agant. Nonne & vbi error est peior & grauior, lex rectificans magis necessaria comprobatur; & quis ignoret errorem erga Deum, & circa cultum diuinum esse peiorem & grauiorem, quàm erga hominem, & circa politiam humanam? Et hic etiam per ipsos Gentiles Philosophos leges plurimæ statuuntur. Quomodo
|| aliqua. ergo non est lex || *alia* necessaria circa Deum & cultum diuinum? Quare & Arist. 7. Polit. 9. partes necessarias ciuitatis enumerans; Præcipuè, inquit, ea quæ circa diuinam curam, quam vocant Sacerdotium: cui & Plato, & alij Gentiles Philosophi consentiunt in hac parte. Si etiam sola ratio naturalis sufficiat homini ad omnia facienda, cur tot leges humanæ etiam ab ipsis Philosophis inaniter statuuntur? Nonne Plato scripsit de legibus multos libros? Aristo- C
teles de Ethica & Politica multos? Tullius de Repub. multos libros? & alij multi Gentiles Philosophi de materia simili multos libros? Adhuc autem Philosophi, audite me paululum patienter. Nonne sicut œconomus in paruula domo sua, sicut Princeps politicus in paruula ciuitate sua, sicut rex in paruulo regno suo potest statuere subditis suis leges; leges, inquam, positiuas, arbitrarias, & voluntarias, quas qui seruauerint præmientur, & qui non seruauerint aut contempserint præmijs careant, & debitas pœnas luant; sic & Deus summus œconomus in maxima domo sua, summus Princeps in suo maximo principatu, & summus Rex regum in maximo regno suo, cur ergo non possit statuere, vt quicunque legem Christianam seruauerint, accipiant gloriam sempiternam; & qui illam non seruauerint, sed contempserint, gloriâ careant, & æternam damnationem incurrant? posset vtique, quod & fecit, sicut præcedentia manifestant. Erratis quoque Philosophi originale peccatum, originalem ineptitudinem ad vitam futuram in omnibus hominibus non videntes. Nonne potuit Deus primo D
homini legem huiusmodi statuisse, vt si mandatis diuinis pareret in omnibus, haberet beatitudinem sempiternam; sin autem, tam ipse quàm successio sua tota priuationem beatitudinis & miseriam sempiternam, nisi ipse vel aliquis filiorum suorum satisfaceret competenter? Sic namque potest homo Princeps terrenus promittere, siue dare cuipiam ciuitatem. Qua lege statuta, si ille primus homo contra mandatum diuinum peccaret, nonne tota illa progenies reproba fieret, & ad vitam æternam initiabilis haberetur? sic autem factum fuisse, ex lege Christiana colligitur. Quicquid ergo feceritis, secundum vestrum ingenium naturale, nisi satisfeceritis, nihil facitis ad futuram gloriam capescendam, obstante lege prædicta. Dicetis fortassis, quòd facile est satisfacere Deo pro peccato: sed nonne satisfacere Deo pro peccato scienter in eum commisso, est reddere aliquid tantum vel maius pro quanto peccatum non debuit fuisse commissum, præsertim si districtè & rigorosè agatur cum peccante? Aliàs enim non plenè restituit Dei honorem contemptibiliter violatum, nec facit satis, sed minus vel nihil;
quare nec plenè placat offensum. Sed quis potest reddere Deo tantum, cum per 30. partem E
huius nullum peccatum deberet committi scienter in Deum, pro quantiscunque bonis seruandis siue lucrandis, aut quantiscunque malis pœnalibus habitis amouendis, siue non habitis præcauendis. Dicetis fortassis quòd peccator per impotentiam excusatur: Sed etsi forte per impotentiam excusetur à nouo continuè proprioque peccato, non reddendo quod debet, non tamen ab antiquo debito & peccato, nec redditur habilis ad beatitudinem sempiternam, lege prædicta vetante. Quid etiam diceret Philosophus, si Deus nullum hominem vellet habere consortem Angelorum in beatitudine sempiterna, & fœlicitate incomparabili, nisi similem Angelis, innocentem & virginem à peccato, & à talibus innocentibus & virginibus

gene-

A generatum, quantumcunque peccator satisfaceret pro peccato? Virgo namque culpabiliter deflorata, etsi satisfaciat quantumcunque, non redditur tamen virgo. Adhuc autem fortasiis dicetis, quod Deus potest omne peccatum sine aliqua satisfactione dimittere simpliciter peccatori; sed istud non obstat: Nam etsi hoc posset, non tamen hoc faciet secundum legem prædictam: Si etiam istud posset, posset dimittere peccatum simpliciter impunitum contra 31. partem. Non improbabiliter quoque videtur secundum Philosophicas rationes, quòd si homo sit modò peccator, & postea erit iustus, hoc fiet per aliquam mutationem, & non in Deo, propter sextam partem præmissam, nec in aliquo impertinenti, quia hoc impertinens videretur; quare in ipso homine peccatore: hæc autem mutatio, satisfactio pro peccato, aut non sine satisfactione esse videtur. Nonne & secundum omnes verè Philosophantes, omne malum, scilicet pura malitia & peccatum, non est res aliqua positiua, sed priuatio vel carentia rei bonæ, aut cuiuspiam bonitatis; Priuatio autem in subiecto apto plenè
B tolli non potest, nisi per plenam positionem habitus quem priuabat; Non enim potest ibi medium reperiri. Et si quæsieris, quis ergo potest aut potuit tantam satisfactionem pro peccato hominis exhibere; Dico quòd Christus simul Deus & homo sufficientissimus omniquaque, sicut prima suppositio cum sequentibus partibus clarè probat, sicut & lex Iudæorum prædixit, & lex Christianorum veracitèr profitetur. Quid ergo restat, nisi vt omnes efficiamini Christiani, vt huius satisfactionis participes fieri valeatis?

Contra Philosophos negantes possibilitatem creationis, adnihilationis & recreationis. 33.

REpudient Philosophi illam Meretriculam fatuam, quam sub specie sapientiæ palliatam diutius amauerunt, fallacitèr mentientem creationem, annihilationem, & recreationem non esse possibilem. Deus enim secundum primam suppositionem quintam partem & septimã est summè perfectus, sufficiens, potens, et efficax, in tantum quòd nihil perfectius, suf-
C ficientius, potentius, aut efficacius esse posset: Et nonnè perfectius, sufficientius, potentius, & efficacius reputandum, facere quippiam propria tantum virtute ex nihilo, quam ex materia præiacente necessario requisita? Item si Deus sit infinitè maioris potentiæ, & efficacæ, quam aliqua causa effectiua creata, cur non potest in effectum, in modumuè efficiendi proportionalitèr fortiorem atque maiorem secundum regulas Philosophicas naturales? cur ergo creare non potest? Amplius autem secundum octauam partem præmissam, Deus habet voluntatem vniuersalitèr efficacem; Quare etsi nulla vnquam fuisset materia, nec aliquid præter eum, & vellet quippiam aliud esse realitèr, statim esset. Adhuc autem secundum primam suppositionem & tertiam partem huius, quicquid essentiale & intrinsecum dignum Deo tribuitur, si possit sine contradictione teneri, teneri debet necessario, non negari; Et nonne posse creare tribuitur ita Deo, potestque facillimè ab omni contradictione defendi; est ergo creatio rerum possibilis; quare & annihilatio & recreatio pari modo, quarum & possibilitas
D potest similiter demonstrari. Annihilatio quoque specialitèr, creatione concessa, facilitèr suadetur: Absit enim quòd opus exile creatum esset potentius ad manendum, quam omnipotens opifex ad destruendum si vellet; quod & de re qualibet entitatis & virtutis finitæ, etsi creata non esset, posset similitèr demonstrari. Nonnè & secundum 17am partem huius, nihil aliud à Deo est necesse esse, sed possibile esse secundum contradictionem; quis ergo non facilitèr videat, Deum cùm sit necesse esse, & omnipotens simplicitèr omniquaque de sua potentia absoluta posse annihilare quodlibet aliud? Possibilitate verò creationis & annihilationis admissa, quis possibilitatem recreationis negabit? Appendant quæso Philosophi rationes præmissas, & rationes ipsorum contrarias iusta lance, & puto quòd rationes ipsorum inuenientur minus habentes; si tamen aliquas habeant rationes deponant rogo superbiam excæcantem, & homines errabiles humilitèr se agnoscant, (quod eorum contradictio frequens ad inuicem, imò & vnius eiusdem ad seipsum diuersis temporibus manifestat) nec verecunden-
E tur proficere, fortiorem semper & pulchriorem rationem præ alijs amplectendo, ne fortè alias tam re quam nomine Philosophi iuste priuentur, & friuophili nominentur. Aduertant oro suppliciter, quam valida ratio requireretur ad tantam famositatem reprobandam, quæ ab omni fide & secta, & ab omnibus penè hominibus approbatur, præsertim cùm tam fortibus rationibus fulciatur. Quare & Philosophus, 10. Eth. 2. redarguens negantes bonum esse quod omnia appetunt, quod, inquit, omnibus videtur, hoc esse aimus: Interimens autem hanc fidem non omnino credibiliora dicit. Auerroes quoque super de somno & vigilia, Res, inquit, quæ sunt famosæ apud omnes, sunt necessariæ aut secundum totum, aut secundum partem. Si autem Philosophi in hac parte nullam habeant rationem, cur irrationabiliter ita dicunt?

præsertim cùm Deum non posse creare, annihilare, & recreare non sit per se notum; imò A contrarium apud plurimos est famosum.

34 *Contra Philosophos negantes possibilitatem creationis mundi.*

FVgentur Philosophi affirmantes, quod Deus non potuit mundum creasse. Secundum proximam namque partem Deus potuit aliquam rem creasse, cur ergo non mundum, cum mundus sit entitatis & virtutis finitæ, Deus autem simpliciter infinitæ, sicut prima Suppositio, 3ª. pars & 4ª. demonstrant? Potest quoque Deus annihilare mundum, sicut per proximam partem & probationem ipsius, & per decimamseptimã partem patet: & ipsum similiter recreare per eandem proximam partem huius & ostensionem ipsius; quare & potuit ipsum creasse simili ratione. Potissimum etiam quod videtur obstare, est impossibilitas creationis ex nihilo, sed hoc non obstat, secundum proximam partem huius: Aliæ namque Philosopho- B rum argutiæ quam sint fragiles quis ignorat? Quod tamen vt euidentius cunctis appareat processus ille 8ⁱ. Physicorum paululum est rimandus; maxime quia sicut audiui, quidam fideles illo processu infidelium procedentes, vsque in infidelitatis voraginem processerunt. Videtur autem mihi Christi gratia Christiano, etsi non essem Christianus, nec alicuius legis sectator, sed amator veritatis tantummodo, etiam videretur, quod ille processus peccat mortaliter in materia & in forma. Constat autem Philosophis quod prius, & ante accipitur dupliciter ad propositum, scilicet secundum naturam & secundum tempus. Pono igitur contra te Aristoteles & Auerroes quod mundus incepit & motus in *A* instanti, & quod nullum fuit tempus, mutatio, neque successio temporalis, aut aliqua duratio vera mutabilis, aut partibilis, magna, vel parua ante illum primum motum qui sit *B*. Pono igitur consequenter quod nihil omnino præcessit *A* prioritate aliqua temporali, sicut nihil præcedit cœlum exterius prioritate vel superioritate locali, & quod hoc sit consequens, patet per teipsum 10. illius 8ⁱ. C dicentem; Prius & posterius quomodo erunt, tempore non existente, aut tempus, si non sit motus? & ex alia parte pono, quod Deus æternus, eiusque æterna sapientia ac voluntas præcessit *A* prioritate naturæ, sicut causa causatum. Cum ergo tu Aristoteles per totum illum processum supponis quod cuiuslibet rei factæ non esse præcedit necessario suum esse, & hoc loquendo de præcessione temporali, vt innuis 10. & tu Auerroes hoc idem dicis expresse in comment. decimooctauo quoque decimoquinto ac alijs hoc supponis; Ecce quam impudenter petis in principio, quod finaliter probare deberes, scilicet quod ante *A* & *B* fuit prioritas temporalis, quæ necessario, & vt tu ipse dicis, aliquem motum sequitur aut importat. Hic ergo peccas in forma probandi, & in materia similiter: Hæc enim tua suppositio repugnat veræ meæ positioni, quam primo ponebam. Et per idem potest faciliter responderi ad omnia talia quæ arguitis, & quæritis arguendo: Si Deus fecit mundum in *A* & *B* tunc incœpit, hoc fuit per aliquam nouam volutionem, quam tunc habuit & non prius, vel propter D aliquam nouam dispositionem in agente vel passo, aut aliquo alio modo, vel propter amotionem alicuius, quo non amoto, noluit operari, vel saltem propter præsentiam horæ vel instantis, qua vel quo semper ante disposuit facere tunc primo mundum & motum; & nullum istorum fuit sine mutatione; ergo ante *B* primam mutationem alia mutatio prior fuit. Ecce quomodo semper supponitis quod ante *A* fuit mutabilis & longa successio temporalis, quod deberetis probare; huius enim oppositum ponebam in primis. Cum etiam quæritis, vel quæratur pro vobis, quare Deus in *A* fecit mundum & non prius, ecce quomodo innuitis quod ante *A* fuit aliquid prius prioritate temporali quod non est verum: sed simile est ac si quæreretis, quare cœlum est terminatum in sua conuexitate, & non supra. Patet similiter quomodo non sequitur contra me illud quod magnum impossibile reputatis, scilicet quod à voluntate antiqua proueniat immediate actio noua; Voluntas enim Dei æterna quâ fecit mundum, non est antiquior mundo antiquitate seu proprietate temporis, sed naturæ: nec mundus ea no- E uior aut posterior tempore sed natura. Replicabitis forsitan hic dicentes, eadem ratione Deus non est antiquior mundo, & mundus incœpit esse, nec est æternus, ergo & Deus similiter: vel si Deus non incœpit, sed est æternus, & mundus similiter. Concedo vobis quod Deus non est antiquior mundo antiquitate temporis actualis; & vltra cum dicitis; ergo Deus incœpit esse, non sequitur. Et si dicatis, Incipere esse est nunc esse, & nunquam prius fuisse; Deus verò in *A* fuit & nunquam prius, hic dico si intendatis definire conuertibiliter incipere esse, per nunc esse, & nunquam prius fuisse; si intelligatis, per nunquam prius fuisse, actualiter, scilicet per nullum tempus actuale præcedens, non recte definitis. Imo incipere esse, est nunc esse, & nunquam prius fuisse habitualiter siue potentialiter scilicet, & si tempus prius

fuisset.

A fuisset, adhuc non fuisset in eo, & sic mundus incœpit in *A* quia licet ante fuisset tempus actuale, mundus non fuisset in eo; sicut anima Petri non fuit in tempore ante creationem illius, sic autem Deus non incœpit esse in *A*, quia quantumcunque tempus prius fuisset, Deus necessariò fuisset in illo: quod autem non priùs tempore fuit, hoc est quia tempus defuit sibi, non ipse tempori si fuisset. Et per idem patet ad aliam partem conclusionis vestræ, quæ est, quòd Deus non est æternus: æternum enim est, quod est sine incœptione, & desitione modo prædicto. Sicut enim immensitas Dei non est determinata aut restricta per hoc quod est actualiter tantum in quodam loco determinato, puta in mundo & non extra, secundum quorundam Philosophorum & vestram sententiam, quia necessariò coexisteret omniquaque quantocunque maiori si esset: sic nec eius æternitas breuitate temporis coarctatur. Si autem intelligatis æternum non sicut cæteri hominum, sed modo vestro, quod est per omne tempus actuale, potest concedi quòd mundus est æternus, sicut tu Aristoteles videris definire æternum, seu
B potiùs eius definitionem ab Antiquioribus allegare 1. de Cœlo 100. dicens, Hoc nomen æternum diuine enunciatum est ab Antiquis. Finis enim continens id quod vniuscuiusque tempus, cuius nihil est extra secundum naturam, æternum vniuscuiusque vocatum est. Secundum eandem autem rationem, & totius cœli finis, & omne tempus, & infinitatem continens perfectio, æternum à semper esse sumens denominationem. Possemque iuxta stultitiam tuam aliter tibi forsitan respondere, supponendo secundum Logicam tuam 1. peri Hermenias, quòd verbum consignificat tempus, & concedere tibi istam, Deus incœpit esse, scilicet esse in tempore vel in instanti, seu temporaliter, vel instantaneè, sicut incœpit esse Dominus temporis, & temporalium quorumcunque. In *A* enim Deus fuit instantaneè & non priùs: nec ex hoc sequitur, quòd Deus non sit æternus sed nouus, nec quod ipse mutetur sed ipsa, vt ex prioribus satis constat. Adhuc forsitan obuiabitis mihi, sophisticè arguere gestientes, quòd mundus sit omninò coæternus cum Deo, sicut loquebar, quia si Deus fecit mundum in aliquo instanti
C primo, potuit fecisse eum non in aliquo instanti primo, sed immediatè post instans, si aliquod instans præcessisset, sicut fecit motum & tempus immediatè post primum instans: & si sic fecisset mundum cum motu & tempore, mundus fuisset æternus. Nunquam enim incœpisset intrinsecè, nec extrinsecè: In nullo enim instanti primo fuisset, nec in aliquo instanti non fuisset immediatè post quòd fuisset; imò ante quodlibet instans fuisset, vt patet de singulis inductiuè, & nunc non est mundus minoris durationis quàm tunc fuisset: ergo nunc est æternus. Ad istud autem sophisticæ stultitiæ argumentum, non oporteret alias respondere, nisi propter consilium sapientis, ne talis stultus sophisticans sibi sapiens videatur. Tales enim secundum Apostolum dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Primò igitur vos proprio gladio castigabo: vos enim ponitis superficies corpora terminare. Ponatur ergo per omnipotentiam Dei, & secundum proximam partem huius, vel sicut vos ponitis similia, vel saltem ex talibus conditionaliter arguitis multis locis, quòd toto cœlo saluo eius conuexa superficies
D destruatur, vel arguatur conditionaliter more vestro. Si illa destrueretur saluo cœlo, ipsum esset simpliciter infinitum. Non enim terminaretur intrinsecè nec extrinsecè, quoniam ad nullam superficiem sicut constat. Vlterius tamen ex abundanti respondeo, & dico, quòd mundus non est æternus, sed incœpit esse & hoc extrinsecè, non actualiter; ita quod aliquod tempus vel instans actualiter ipsum immediatè præcessit, sed habitualiter, vt dictum est priùs; quia si fuisset tempus æternum, supposita ætate mundi in aliquo eius instanti necessariò incœpisset extrinsecè, & quòd sic actualiter non incœpit, non est propter antiquitatem mundi, sed propter defectum temporis præcedentis. Sed nec sic forsitan obgarrire cessabitis, sed dicetis; etsi ante mundum non fuit tempus verum, fuit saltem imaginarium, & procedunt argumenta de tempore tali ficto, sicut & de vero. Hic autem dico, sicut tu Aristoteles 4. Metaphys. tuæ probas, quòd res non sequuntur imaginationem aut æstimationem: Vnde quantumcunque quis imaginetur tempus ante mundum, non magis propter hoc fuit aliquod tem-
E pus ante, sicut propter nullam imaginationem cuiuscunque est aliquis locus, aut tempus extra cœlum, teste teipso, 1. de Cœlo 100. sic dicendo: Manifestum igitur quia neque locus, neque vacuum, neque tempus est exterius. Adhuc autem vt maiori verecundia vos confundam, sicque in agnitionem veritatis, ipsa ducente, reducam. Ponatur secundum vestram grossam imaginationem & rudem, quòd ante mundum fuisset æterna successio || *talis* vera vel ficta, dico tunc, quod in *A* instanti successionis illius Deus voluntariè produxit mundum, & quòd tunc incœpit *B* prima mutatio noua, seu primus motus nouus, quem nulla mutatio noua præcedebat, nisi fortè partes illius successionis æternæ per vos positæ: & cùm arguitis, ergo Deus tunc vel immediatè ante habuit aliquam nouam dispositionem, quam prius non habuit, qua mediante tunc produxit mundum & *B*. & non priùs; ergo illa fuit sibi acquisita per aliquam mutationem

|| temporalis.

mutationem nouam priorem: ergo ante *B* primam mutationem nouam fuit alia mutatio noua prior; dico, quòd ista ratio procedit de agente irrationali, non autem rationali, vt tu Aristoteles 9. Metaphys. 10. docuisti, vbi posita distinctione potentiarum per rationale & irrationale, & assignata vna differentia inter illas, alteram assignasti, scilicet quòd quando potentiæ irrationales actiuæ & passiuæ cum debitis dispositionibus approximantur ad inuicem, necesse est hanc quidem agere, illam pati; de potentijs autem rationalibus non est ita, quod & tu Auerroes ibi comment. 10. planissimè contestaris. Potest ergo agens rationale & voluntarium dispositissimum ad agendum, expectare per tempus & tempora, etiam per tempus æternum, & tandem nouiter agere sine mutatione aliqua præcedente: vestrum igitur profectum inter 8um Physicorum vbi hoc non vidistis, & 9. Metaphys. vbi hoc vidistis, & videndum alijs reuelastis, vestrumque defectum pristinum retractastis, laudo plurimum & commendo. Sed ne propter variationem auctoritas vestra suspecta forsitan videatur, hoc idem per rationem ostendam. Si enim non sic esset, nulla esset potentia libere contradictoriè ad agendum. Si namque sit alia, ponatur *A*. primus actus eius liber: Vel ergo positis omnibus necessariò præuijs & sufficientibus ad productionem *A*. producitur necessario *A*, vel non: Si sic, cùm omnia illa poni, non sit liberum, quia *A* est primus actus liber, & positis illis, necessariò ponetur *A*, nec *A* poni erit liberum, nec in potestate libera producentis. Item si posita causa actiua libera cum omnibus dispositionibus præuijs necessarijs & sufficientibus, necessariò sequatur effectũ produci, cum illam sic poni non sit in libera potestate ipsius, sed quodammodo necessarium; & in omni consequentia necessaria, si antecedens sit necessarium, & consequens erit similiter necessarium, non liberum, & contingens, nullus actus liberè producetur, nec potentia rationalis erit liberior irrationali. Nunquam enim producitur actus liber nisi à causa rationali disposita, vt dictum est. Si autem positis illis non necessario producitur *A*, ergo illa potentia libera stantibus omnibus illis semper vniformibus omni modo, potest liberè expectare per tempus, & tempora, & tandem nouiter producere *A* sine mutatione aliqua præcedente, quæ aliquid faciat circa ipsam. Prius enim erat sufficienter disposita ad producendum *A*, & nunc est omninò, sicut tunc; quare & nunc sufficienter potest producere *A*, & toto tempore medio potuit produxisse. Et si tu quæras, quare ergo producit nunc *A*, & non priùs; Respondent quidam quia vult, quorum responsionem non probo; quia sit *A*, primum velle liberum, tunc non producit *A*, quia vult, per idem velle, quia tunc idem velle præcederet naturaliter semetipsum; nec per aliud velle, quia tunc *A* non esset primum, & quia tunc reuerteretur eadem quæstio de illo alio velle, & sic procederet infinitè. Dico igitur quòd quærens quare &c. quærit causam; causa autem efficiens est illa potentia libera; quia igitur est actiua potentia rationalis & libera, liberè tunc producit; causa verò finalis est finis quem sibi præstituit in agendo. Scio tamen quod quæris causam, quam non poteris inuenire, scilicet qua posita determinatè & necessariò sequeretur, quod in potentijs actiuis rationalibus non est verum, quod tam Autoritas, quàm ratio docuerunt, quod tamen pro verissimo supponentes per totum illum processum 8i Physicorum claudicatis turpissimè à semitis veritatis. Quod & Auicenna 9. Metaphys. suæ 1. & Algazel 4. Metaphys. suæ 1. similiter supponentes in vestram sententiam inciderunt. In alio quoque videmini vobis certissimè demonstrare, & hoc vniuersaliter de omni virtute siue rationali, siue irrationali, sicut tu Auerroes 9. comment. asseris manifestè. Data namque prima mutatione arguitis, quòd hac prima alia fuit prior, te Auerroes argutiam Aristotelis sic formante, Motum & motor sunt in capitulo ad aliquid, & cùm in aliquo tempore hoc non mouet, & hoc non mouetur; & post, hoc mouerit, & illud mouetur, manifestum est quod inter ista, facta fuit relatio quæ non fuit ante, & omnis relatio sequitur transmutationem: Ergo necesse est vt ante transmutationem positam sit aliqua transmutatio in motore, & in moto, aut in vtroque, aut in extrinseco, verbi gratia quòd sit illic aliquod impedimentum quod || *aufertur*. [|| auferetur.] Sed ecce quam turpiter deliratis: cum enim supponitis quod omnis relatio sequitur motum aut mutationem priorem, vel intelligitis de sequela relationis, & prioritate mutationis temporali vel naturali: Si temporali, malè supponitis; relatio namque inter agens rationale & passum non necessario sequitur mutationem temporaliter præcedentem, sicut præcedentia docuerunt, sed quandoque cooritur temporaliter vel instantaneè, & consurgit cum prima eius actione, seu agere eius primo, licet naturaliter subsequatur: De sequela verò & prioritate naturali loquendo nec tenuis quidem apparentiæ colorem habetis. Habeo etiam specialiter aduersum te Auerroes, quod non requiritur necessariò aliqua cogitatio aut imaginatio de præsentia temporis, vel instantis, vt tu Comment. octauo & decimo quinto, videris supponere. Multa enim facimus, quando de præsentia temporis minimè cogitamus, nec instantia numeramus

A ramus vel si hoc contingat, multa facimus non propter præsentiam aut imaginationem huius aut illorum, sicut nec propter præsentiam simiæ, aut cæterorum impertinentium quorumcunque. Deus tamen qui nihil facit casualitèr quouismodo, sed per suam sapientiam infinitam suauitèr cuncta disponit, nunquam fecit, facit, aut faciet aliquid in aliquo tempore vel instanti, cum ab æterno disposuit illud tunc facere, ideoq; ab æterno disposuit facere mundum in *A* instanti, & fecit illum in *A* sine transmutatione aliqua præcedente, nisi fortè in illa succesione æterna, vel eius partibus, quā tu ponis. Et cùm tu dicis comment. 8° quod iste sermo est non intelligibilis, quia cùm voluntas voluerit facere aliquid in aliqua hora, necesse est vt in voluntate fiat aliqua concupiscentia in illa hora, quæ non fuit ante, & illa concupiscentia erit causa propinqua ad agendum in illa hora, & non ante, & causa huius concupiscentiæ est præsentia temporis, & præsentia temporis quæ non erat ante est transmutatio necessariò aut sequens transmutationem; concupiscentia igitur facta per præsentiam temporis est
B transmutatio extra transmutationem primam datam. Ante igitur transmutationem positam primam est alia transmutatio, & non potest homo sanus fugere hanc fidem æstimatione pœnitentiæ. Hic dico veracitèr quod etsi essem infirmus in fide, vel mortuus ab omni fide, nisi à fide rationis solius, videretur mihi quòd tu tam præsumptuose sophisticans, & tam notoriè impœnitenter peccans in materia, & in forma, pœnitentia maxima dignus esses. Peccas enim grauitèr, supponendo quòd Deus non posset facere aliquid certâ horâ, quod disposuit tunc facere, nisi tunc reciperet aliquam nouam dispositionem, mediante qua tunc ageret, quam priùs non haberet, quod est contra priùs ostensa. Peccas etiam mortalitèr contra verum immortale & necessarium, innuendo illo commento 8° & expressè supponendo comment. 15. quòd Deum intelligere seu imaginari tempus præsens est transmutatio sequens transmutationem, quasi alitèr ex parte sui intelligat aliquod tempus quando est futurum, & alitèr quando est præsens, cuius oppositum sexta pars ostendit; & tu ipse infrà eodem 8° & alibi, ac alij
C multi Philosophi sæpius testes estis, & quòd præsentia temporis sit causa mouens intellectum diuinum, & efficiens intellectionē temporis præsentis in eo contra 7^am^ partem huius, & contra teipsum super 12. Metaphys. comment. 51. planè. Erras similitèr innuendo, quòd Deus alitèr ex parte sui velit aliquod tempus, vel quidlibet aliud quando est futurum, & aliter quando est præsens, sicut & circa cognitionem diuinam errasti, quia tunc esset mutabilis contra sextam. Supponis insuper quòd præsentia temporis sit causa mouens voluntatem diuinam, & efficiens concupiscentiam seu volutionem in ea contra 7^am^ partem huius. Constat autem secundum priora, quod intellectus aut voluntas Dei non mouetur aut patitur ab aliquo posteriori, nec alitèr ex parte sui intrinsecè, sed similitèr omni modo intelligit & vult aliquod primò futurum, secundò præsens, tertiò præteritum; ideoque sicut ab æterno, æternis cognitione & volutione cognouit, & voluit creare mundum in *A*. sic & fecit per easdem cognitionem & volutionem præcise non mutatas omnino, sic quoq; in tempore facit quemlibet effectum
D immediatum quem facit. Et si Christianus Christianum testem desideret, ecce Augustinum, 12. de Ciuit. Dei 17. & 14. materiam hanc tractantem. Peccas quoq; non modicum in forma probandi, cum arguis quod ante primam transmutationem nouam datam, alia fuit prior, quia præsentia temporis quæ non erat, est transmutatio necessaria, vel sequens transmutationem; hoc enim non est contra me. Ponebam enim imprimis *B* primam transmutationem nouam, exceptis partibus illius succesionis imaginariæ fictæ æternę, quam te ponente admisi, si tamen illæ sint transmutationes nouellæ. Ne autem in hoc quod dixi superius, scilicet nullam successionem aut durationem partibilem temporalem præcessisse mundum, videar onerosus Catholicis, qui assueti sunt audire frequenter & dicere, quòd Deus præcessit mundum diù, æternaliter, vel etiam infinite, ostendam quod Catholicè debeat ita dici. Nam secundum veritatem Catholicam, nihil aliud à Deo fuerat ante mundum, & per sextam partem Deus est immutabilis omnino, nihil ergo mutabile, nec aliqua transmutabilitas fuit ante mundum;
E Quare nec aliqua succesio aut duratio temporalis, quę sine qualicunque mutatione nequit intelligi. Item in omni succesione aliud aduenit, aliudq; recedit: sed Deo, propter eius immutabilitatem omnimodam, nihil aduenit aut recedit. In Deo ergo nulla fuit succesio ante mūdum, nec in aliquo alio, cùm nihil aliud fuit ante. Item omnis talis succesio habet partes maiores & minores, priores & posteriores: Deus autem secundum, 10. & 26. partes, tales partes non habet; Nulla ergo talis succesio ante mundum fuit in Deo, nec in aliquo alio, cum nihil aliud fuit ante. Itemq; si sic fuisset, potuerunt ibi fuisse signate tales partes, vt hora, dies, mensis, & annus, sicut in tempore nunc currente, cum tamen nihil fuerat ante mundum, per cuius mensuram aut comparationem potuit fieri talis distinctio vel mensura. Nec potest quis dicere quòd hæc omnia, scilicet mutabilitas, aduentus & recessus, partibilitas secundum maius & minus,

minus, prius & posterius, ac mensurata distinctio fuerint in puro non ente, cùm in puro non ente nihil penitus possit esse, nisi forsitan purum non ens. Item omnis mutatio, aduentus, & recessus est necessariò alicuius actualiter mutati, aduenientis & recedentis. Quodlibet enim horum necessariò est in aliquo subiecto actualiter, sicut naturalis Philosophia docet per totum: sed nullum purum non ens est tale. Nec videtur quare talia magis poni deberent in vno non ente, quàm in alio; & non possunt poni in quolibet: quare in nullo. Item partibilitas, maioritas, & minoritas sunt proprietates quantitatis & quanti: sed non ens non est quantum. Item eadem ratione nunc esset talis temporalis succesio extra cœlum. Item non magis videtur, quòd talis quantitas succesiua fuerat ante mundum, quàm quantitas permanens: sed hæc ante mundum non fuit. Item si ante mundum fuit talis temporalis succesio, Deus potuit destruxisse illam ante creationem mundi. Quis ergo in tantum nouit sensum Domini, aut consiliarius eius fuit, vt sciat dicere, non destruxit? Quis etiam (quæso) potest probare necessariò sic fuisse, ex quo non necessariò ita fuit, sed potuit non sic fuisse? Item si talis temporalis succesio fuerat ante mundum, non oportuit creasse tempus cum mundo. Illa enim antiqua succesio suffecisset. Item si sic, videtur quòd adhuc duret cum tempore creato præsente, sicque duo tempora distincta totaliter coexistunt contra Philosophum, 4. Phys. expressè. Item sola æternitas fuerat ante mundum, sed in ea nulla est succesio temporalis, vt patet per Boetium, 5. De consolatione Philosophiæ prosa vlt. definientem sic eam; Aeternitas est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possesio; in cuius explanatione subsequenter adiungit; Illud iure perhibetur æternum cui neque futurum quicquam absit, nec præteritum fluxerit, vnde & subdit expressè quod ponebam inprimis, sic dicens; Neque Deus conditis rebus antiquior videri debet temporis quantitate, sed simplicis potius proprietate naturæ. Cui concordat Augustinus super illud Psalm. 101. Ne reuoces me in dimidio dierum meorum, in generatione generationum anni tui, & respondens, Qui non veniunt & transeunt, nec ideò veniunt vt non sint. Omnes enim dies in hoc tempore ideo veniunt vt non sint, omnis hora, omnis mensis, omnis annus, nihil horum stat antequam veniat, erit; cùm non venerit, non erit; Illi ergo anni tui æterni, anni tui qui non mutantur in generatione generationum, erunt: non enim aliud anni tui, & aliud ipse; sed anni Dei æternitas Dei est, æternitas Dei ipsa eius substantia est, quæ nihil habet mutabile, vbi nihil est præteritum, quasi iam non sit; nihil est futurum, quasi nondum sit. Non est ibi nisi est, non est ibi fuit & erit: quia & quod fuit iam non est, & quod erit nondum est: sed quicquid ibi est, non nisi est. Hæc æternitas vocauit nos, & erupit ex æternitate verbum; iam æternitas, iam verbum, & nondum tempus. Quare nondum tempus? quia factum est tempus, quoniam omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et infra super illud, Initio tu Domine terram fundasti; noui æternitatem tuam, qua præcedis omnia quæ fecisti. Idemque 1. Confess. 6. tractans illud eiusdem Psalmi; Anni tui non deficient, dicit, quòd anni Dei sunt hodiernus dies Dei, qui nunquam peragitur neque transit, sed anni nostri & dies transeunt per illum hodiernum Dei. Idem infra eodem, 12, 28. dicit; Quòd aliquid præcedit aliud æternitate, aliquid tempore, aliquid electione, & aliquid origine: æternitate sicut Deus omnia; tempore, sicut flos fructum; electione, sicut fructus florem; origine, sicut sonus cantum. Idem quoque 3. De libero arbitrio vlt. exponens illud Psalmi 83. Quoniam melior est dies vna in atrijs tuis super millia, dicit; Quòd mille dierum in temporis mutabilitate intelliguntur, vnius autem diei nomine incommutabilitas æternitatis vocatur. Hanc etiam totam positionem videtur Augustinus tenere, 12, de Ciuit. Dei 15. cùm sic dicit; Istæ dimensiones temporalium spaciorum, scilicet horæ & dies, menses & anni, quæ vsitatè ac propriè dicuntur tempora, manifestum est quòd à motu siderum cœperunt: vnde & Deus cum hæc instituerit, dixit; Et sint in signa & tempora, dies & annos. Vbi enim nulla creatura est cuius mutabilibus motibus tempora peraguntur, tempora omninò esse non possunt. Ideoque Angeli semper fuisse dicuntur, quia omni tempore fuerunt, sed non ideò Deo coæterni sunt, quoniam tempus quia mutabilitate transcurrit, æternitati immutabili non potest esse coæternum. Quapropter si Deus semper Dominus fuit, semper habuit creaturam suo dominatui seruientem, veruntamen non de seipso genitam, sed ab ipso de nihilo factam, nec ei coæternam; erat quippe ante illam, quamuis nullo tempore sine illa, non eam spacio transcurrente, sed manente perpetuitate præcedens. Non vult tamen istam sententiam affirmare, quod ideo faciendum putauit, vt legentes videant, à quibus quæstionum periculis se debeant temperare, nec ad omnia se idoneos arbitrari; quam doctrinam eius doctisimam cum omni reuerentia veneror & amplector. Sed hîc forsitan quis opponet quoniam Augustinus 12 de Ciuit. Dei. 12. innuit, quod ante creationem mundi fuerunt infinita retrò tempora, quibus Deus cessauit ab illa creatione,

& post-

A & postquæ nouiter mundum creauit. Dicitque ibidem, Quòd Dei à creatione cessatio retrorsus æterna tanta est, vt si ei conferatur quantalibet magna & ineffabilis numerositas temporum terminata, non debet videri tanta, quanta est gutta humoris breuissima oceano comparata. Istorum enim vnum est per exiguum, alterum verò incomparabiliter magnum, sed vtrumque finitum, illorum verò est alterum infinitum, scilicet illa cessatio Dei à retrò. Item per rationem, aliter Deus non potuit fecisse mundum prius quàm fecit, non enim fuerat quicquam prius. Dico ergo quòd hæc & multa similia quæ possent adduci, intelligunt quod ante mundum fuerant multi anni, non actualiter sed potentialiter, sicut extra cœlum sunt spacia, & milliaria infinita, quia Deus potuit fecisse mundū prius per quantalibet tēpora, & annos quotcunq; sicut potest facere extra cœlū spacia, & milliaria supra omnē numerum terminatū. Quare & ipsemet 1. de Gen. contra Manichæos. 3. Manichæis quærentibus, si in principio aliquo temporis fecit Deus cælum & terram, quid agebat antequam fecit cælum & terram, quid ei B subito placuit facere quod nunquam fecit per tempora æterna? ita respondet: his Respondemus Deum fecisse cælum & terram in principio temporis, sed in Christo, cum verbum esset apud Patrem, per quem facta sunt omnia; sed & sine principio temporis Deum fecisse cælum & terram credamus, debemus vtique intelligere quod ante principium temporis non erat tempus: Deus enim fecit & tempora, & ideo antequam faceret tempora, non erant tempora. Non enim possumus dicere fuisse aliquod tempus, quando Deus nondum aliquid fecerat. Quomodo ergo erat tempus quod Deus non fecerat, cum omnis temporis ipse sit fabricator, & si tempus cum cælo & terra esse cœpit, non potest inueniri tempus, quando Deus nondum fecit cælum & terram. Et cap. 4. immediate subiungit, cum autem dicitur, quid ei subito placuit, sic dicitur, quasi aliqua tempora transierint, quibus Deus nihil operatus est; Non ante transire poterat tempus, quod nondum fecerat Deus, quia non potest esse operator temporum, nisi qui est ante tempora. Ratio verò facta irrationabiliter argumentat, & C irrationabilem causam sumit. Licet enim ante mundum non fuit aliquid prius prioritate temporis, potuit tamen fuisse per creationem Dei, in quo potuisset mundum similiter prius creasse. Cætera autem argumenta vestra Aristoteles, & Auerroes pro æternitate mundi conficta, eo quod gradum apparentiæ & altercationis sophisticæ vix attingant, reputaui superfluum discutere studiose; imo & omnia argumenta vestra pro æternitate mundi loquentia, vix aliquo colore tenui ostentationis sophisticæ fallaciter offuscantur; vt sic ad disputationis scrutinium vix ingredi mereantur. Nonne tu Aristoteles, Magistri tui Platonis & cæterorum Philosophorum priorum doctrinas, & specialiter in hac parte impudenter contemnens procaciterque impugnans, secundum modum vestrum loquendi, verberator Patrum merito dici potes, sicut scripta eorum & tua luculenter ostendunt? Nonne & ideo Chalcidius super 2. Timæ: Platonis de te sic dicit, Hic suo quodam more, pleni perfectique dogmatis electo quid visum sit, cætera fastidiosa incuria negligit. Teipsum quoque contra teipsum in testem D citabo 2. Namque de cælo & mundo 80. Videntur inquis, vsque ad aliquid quærere, sed non vsque quidem vbi possibile dubitationis. Omnibus enim nobis hoc consuetum, non ad rem fieri quæstionem, sed ad contraria dicentem. Nonne & 1. Topicorum tuorum, innuens quæstionem de æternitate mundi esse problema neutrum, sic scribis: Sunt autem problemata, & de quibus sunt contrarij syllogysmi; dubitationem autem habent, vtrum sic se habent, vel non sic, eo quod in || *vtrumlibet* sunt rationes verisimiles, & de quibus rationem || vtrisque non habemus, cum sint magna, difficile arbitrantes esse, quare assignare, vt vtrum mundus æternus est vel non. Nam huiusmodi quæret aliquis: Quare & Galenus in quodam libro suo materiam istam tractans recitante Auerr. super 1. de Cælo & mundo comment. 22. dicit; quod nullus potest scire vtrum mundus sit æternus vel nouus, nec certitudinem aliquam de hoc habere; quare & tu ipse mortis debitum soluturus, scholaribus tuis astantibus, nequaquam vt prius ostentatione pomposa, garrula, et inani, sed sincera conscientia affirmasti, quod E in 8. primis libris tuis Physicis inueniuntur omnes viæ scientiæ, quibus homo potest comprehendere, & docere principia ad vias omnium methodorum, & scire rationes adductas, super eas quæ rationabiliter adhærent rebus disputabilibus, & quæ discohærent ab eis, non habentes rectam viam per quam aliquid veri sciri valeat, & huiusmodi rationes sunt vicinæ veritati, etsi veræ non sint, sunt tamen vtiles vt per eas ostendatur audacia loquentis in scientia sua ad debilitanda verba socij sui, & superanda verba vi suæ scientiæ, cum rationibus ordinatis & mirabilibus, eo quod socius non habeat potentiā resistendi, & hæc scientia est vtilis, sicut scorpio in theriaca, quæ licet sit toxicum, tamen si detur patienti, dolorem minuit, & præstat remedium; hæc autem in libro qui de morte eius scribitur 13. planissime recitantur.

Contra

35. *Contra Philosophos & Hæreticos negantes poßibilitatem conceptus & partus Virginis, dicentesque Christum nequaquam de sancta Maria semper Virgine natum esse.* A

PVrificent se Philosophi & Hæretici mente corrupti, poßibilitatem conceptus virginei denegantes, dicentesque Christum nequaquam de sancta Maria semper virgine natum esse. Nonne Deus omnipotens per septimam partem huius, habens voluntatem vniuersaliter efficacem secundum 8.am qui potest creare ex nihilo aliquid, imò & totum mundum annihilare & recreare si velit, hominemque creare ex nihilo secundum partes proximas præcedentes, potest & sine viri auxilio formare puerum in vtero virginali? Qui etiam secundum præmissa circa 32am partem huius, potest & facit omnimoda miracula, cur solum miraculum hoc non potest? In alijs quoque || *animalium speciebus* quorum fœminæ solent communiter ex societate maris concipere, aliquoties inuenitur, quòd sine mari concipiunt, & pariunt miris modis. Vnde Virgilius 3. Georg. sic scribit: B

|| animalibus.

Ante omnes furor est insignis equarum.
Illas ducit amor trans Gargara, transque sonantem
Ascanium, superant montes & flumina tranant,
Continuoque auidis vbi subdita flamma medullis
Vere magis, quia vere calor redit oßibus ille,
Ore omnes versæ in Zephyrum stant rupibus altis,
Exceptantque leues auras, & sæpè sine vllis
Coniugijs vento grauidæ, mirabile dictu.

Nec quisquam reputet istud mendacium & figmentum, quia à Virgilio Poëta conscriptum. In libro namque illo Georgicorum, magis videtur reputandus Philosophus quàm Poeta, sicut materia & processus euidenter ostendunt; Multi quoque Philosophi, & Doctores Catholici Poetas, etiam ipsum Virgilium in eodem libro solent sæpius allegare. Illum quoque locum Seruius commentator eius exponens, dicit quòd illæ equæ sunt de Hispania, & quòd fœtus illi à vento concepti sunt breuioris vitæ, quàm alij naturaliter propagati. Ecce & Plinius 8. Naturalis historiæ agens de naturis equarum; Constat, inquit, in Lusitania circa Vlysipponem oppidum & Tagum amnem, equas Fauonio flante obuersas animalem concipere spiritum, idque partum fieri, & gigni pernicißimum ita, sed triennium vita non excedere. Cui & concordanter Solinus de mirabilibus mundi 4. agens de Hispania & rebus eius, sic scribit; In Lusitania promontorium est Artabrum, alij Olysipponense dicunt. Hoc cœlum, terras & maria distinguit; Hispaniæ latus finit cœlum, & maria hoc modo diuidit, quod à circuitu eius incipiunt Oceanus Gallicus, & fons septentrionalis Oceano Atlantico & occasu terminatis: Ibi Oppidum Olysippone Vlyxe conditum, ibi Tagum ob arenas aureas cæteris amnibus prætulerunt. In proximis Olysipponis equæ lasciuiunt, mira fœcunditate; Nam aspirante Fauonij vento concipiunt, & sitientes viros aurarum spiritu maritantur. Et infra 10. tractans de Cappadocia & equis, sic ait: Edunt equæ & ventis conceptos, sed hi nunquam vltra triennium æuum trahunt. Ecce & Philosophus maior istis 5. de Animalibus 2. sic ait; Perdices, si secundum ventum steterint, femellæ à masculis prægnantes fiunt, frequenter autem & voce, si appetentes extiterint, & super volitantibus [ex] afflare masculum. Ecce hic triplex conceptus fœminæ sine mare, à vento voce, afflatu; quod & breuiter tangens Solinus 3. de mirabilibus mundi, vbi agit de tertio sinu Europæ, & perdicibus; Ipsas, inquit, libido sic agitat, vt si ventus à masculis flauerit, fiant prægnantes odore. Si igitur in alijs speciebus, fœmina virtute naturæ potest concipere sine mari, cur non in specie humana potest fœmina pura virgo sine mare concipere, virtute diuina omnes vires naturæ creatæ incomparabiliter excedente. Et si sit poßibile virtute diuina, fœminam sine viro viriliue semine posse concipere, quis inficiari præsumpserit Christum virtute diuina de sancta Maria semper Virgine permanente conceptum & natum fuisse, præsertim cùm præclara testimonia in ostensione 32. partis huius prætacta, & multa similia clarißimè hoc ostendunt? Nonne & cœli hanc Dei gloriam enarrabant, & hanc eius iustitiam populo nuntiabant, quando mota sunt cœlum & terra per coniunctionem vnam dignißimam, modicum priùs quàm Christus desideratus cunctis Gentibus aduenirèt? Qui enim extendit cœlum sicut pellem, & complicat sicut librum, in quo & sicut testantur Philosophi futura figuraliter describuntur, in quo & nihil inaniter est descriptum, sicuti nullus negat, ad quid aliud designandum descripsit in cœlo figuram & signum virginis gloriosæ puerum nutrientis? De hac siquidem virgine & puero eius

C (p. margin) D E

puro

A puro Albumazar doctrinam veterum Chaldæorum secutus, 6. maioris introductorij differentia prima, dicit quod in prima facie, prima scilicet tertia virginis, oritur puella quam vocamus Celchinus Dorastora, & est virgo pulchra, honesta, & munda, prolixi capilli, & pulchra facie, habens in manu sua duas spicas, & ipsa sedet super sedem stratam, & nutrit puerum, dans ei ad comedendum in loco qui vocatur Arabicè Ius, & vocant ipsum puerum quædam gentes Iesum, & oritur cum ea vir sedens super ipsam sedem. Quid hæc significant? quid prætendunt? Dixit enim Deus in creatione luminarium supernorum; Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem & noctem, & sint in signa: Illa quoque constellatio, signum virginis communiter appellatur. Signum relatiuè dicitur ad signatum; quid ergo significat istud signum? quid melius, quid aptius, quid conuenientius, quam quod vna pura virgo continuè manens virgo, puerum cælestem proferret, & lacte suo nutriret? Si namque fœmina, primo virgo, postea secundum cursum naturæ deuirginata, conciperet, pareret puerum,
B & nutriret; quale signum hoc esset, quid magnum, quid mirum, quid extraneum designaret? qua ratione signum talis signati tam gloriose collocaretur in cælo omnium oculis contemplandum, cum nihil insolitum figuraret? Quotidie namque fit ita, nec signum illud virgo rationabiliter vocaretur, sed potius mulier seu matrona. Non est ergo hoc signum huius signati, sed alterius supradicti. Quare & ille videntissimus Esaias; Dabit, inquit, Dominus ipse vobis signum, Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Immanuel, butyrum & mel comedet. Quale rogo signum esset, si virgo deuirginata conciperet? & quare diceretur, quod Dominus ipse daret signum, si non ipse supra cursum naturæ aliquid faceret? Sed vir & mulier secundum cursum naturæ filium procrearent; Vir autem sedens super sedem cum ea, nonne apte significat sponsum eius, quæ etsi perpetua virgo mansit, multas tamen ob causas honestas virum accepit, secundum prophetiam Sybillę in ostensione trigesimæ secundæ partis superius recitatam. Nec sine mysterio reputandum, quod signum virginis
C supradictum inter signa cœlestia ponitur sexto loco. Per hoc enim designat signatum suum futurum in sexta mundi ætate. Hic autem numerus est perfectus teste Boetio 1. Arithmeticæ 22. quare & hæc ætas perfecta temporis plenitudo: Qua propinquius veniente, facta est vna coniunctio maxima & incomparabiliter gloriosa Saturni & Iouis in principio Arietis, cum mutatione triplicitatis aqueæ ad igneam per 6. annos & paucos dies & horas ante Christi aduentum. Quod si quis velit præcise & demonstratiue habere, potest faciliter reuoluendo motus eorum, vel facilius per tabulam ad hanc & omnes coniunctiones huiusmodi nuper factam. Illi autem coniunctioni præfuit Mercurius Dominus virginis, quod signum tunc temporis ascendebat, per quæ omnia significabatur perspicue prædictum signatum signi virginis tunc futurum, cœlestem scilicet puerum de virgine nasciturum, qui foret maximus Prophetarum, & traderet nouam legem. Nec sub silentio penitus transeundum, quod Mercurius interpretatur illuminans occursum signi, & cuius signi magis, quam proprij signi sui? hoc au-
D tem est virgo, propter suas in eo plurimas dignitates, sicut omnes Astrologi contestantur. Interpretatur quoque Mercurius sermo, & dicitur medius currens, quod quid est aptius figura quam verbum Dei, media persona, Dei & hominum Mediator? Si quis autem testimonium *Ouidij illius De Vetula* ad autoritatem vel ad voluptatem acceptare voluerit in hac parte, ecce libro 3. de Vetula, loquens generaliter de huiusmodi magnis coniunctionibus, & specialiter de hac vna, sic scribit;

Vna quidem talis fœlici tempore nuper
Cæsaris Augusti fuit anno bis duodeno,
A regni nouitate sui, quæ significauit
Post annum sextum nasci debere Prophetam,
Absque maris coitu, de Virgine, cuius habetur
Typus, vbi plus Mercurij vis multiplicatur.
E *Cuius erit concors complexio prima futuræ*
Sectæ: Nam nusquam de signis sic dominatur
Mercurius sicut in signo Virginis: illic
Est eius domus, exaltatio, triplicitasque
Per totum signum, nec non & terminus eius
In primis septem gradibus, dictique Prophetæ
Typus habetur ibi, quamuis sub enigmate, namque
His in imaginibus quæ describuntur ab Indis,
Et Chaldæorum sapientibus & Babilonis
Dicitur ex veterum scriptis ascendere prima

A

Virginis in facie, prolixi Virgo capilli,
Munda quidem, magniq; animi, magniq; decoris
Pluris honestatis, & in ipsius manibus sunt
Spicæ suspensæ & vestimenta vetusta.
Sede sedet strata, puerum nutrit, puero Ius
Ad comedendum dans, puerum Iesum vocat istum, Gens quædam.
Hæc autem cæli pars ascendebat in hora,
Qua cum Saturno Iouis est coniunctio sancta,
Super significans sectamq; triplicitatem
Mutauere suam, nec non etiam propè punctum
Veris, vbi fieri coniunctio maxima posset
Principio signi, propior si fortè fuisset.
Tunc & erant anni Græcorum quinque trecenti B
Atque nouem menses, cum ter sex penè diebus:
Felix cui plenè coniunctio tanta pateret.

Et cætera multa de excellentia huius Prophetæ, & sectæ suæ, fidei, siue legis. Nec mirum si Deus humanitus nasciturus, more natiuitatis humanæ, quibusdam beatis præsagijs, & testimonijs gloriosis, è cœlo visibiliter omnibus voluit demonstrari, vt sic tam magnum, & admirandum effectum omnibus generaliter salutarem, magnum & admirandum indicium omnibus generaliter præmonstraret, sicut & Natiuitatem Christi mirabilem stella mirabilis indicauit, sicut ostensio 32. partis tangebat. Nec quia talis constellatio, aut talis coniunctio Christum præcessit, ideo Christus fuit de virgine nasciturus, aut legem daturus, sed potius è contra; hæc enim non erant causa istorum sed signum, nec ideo Dominus stellarum & temporum ipsis subijcitur, sed hæc sibi. Prima namque suppositione 8ª parte, & Philosophis ipsis testantibus, omnia simul cœlestia, & singula separatim statuta diuina inuiolabilitèr semper custodiunt, & eius in omnibus deseruiunt voluntati. C Nec debet quenquam mouere quòd hæc Virgo apud Chaldæos describitur vno modo superius recitato, & secundum Indos & alios aliter. Imagines enim cœlestes à varijs variè describuntur, secundum assumptionem vel abiectionem aliarum stellarum, vel secundum aliam & aliam ordinationem earundem stellarum, sicut libri ipsorum de imaginibus indicant manifestè. Quare & dicit Albumazar vbi supra, Quidam sapientum vnius regionis diuersi sunt ab alijs sapientibus alterius regionis, in creatione harum imaginum, & in figuris, atque esse earum, & inuenimus hoc tribus modis. In descriptione tamen Virginis prælibata Antiqui Babyloniorum, Persarum, & Aegyptiorum pariter concordabant, promittente ibidem Albumazar in hæc verba: Et primum incipiemus narrare imagines super quas concordauerunt Antiqui Persarum, & Babyloniorum, atque Aegyptiorum; post hæc narrabimus hoc in quo conuenerunt sapientes Indorum. Et prædicta descriptio Virginis est prima quam narrat, vbi & iuxta processum D promissum subiungit; Et secundum Indos oritur in hac facie puella Virgo habens super se linteum laneum, & vestimenta vetera in manu illius, & manus illius suspensæ, & ipsa est erecta in medio Mirceti, volens venire ad mansiones Patrum suorum, atque amicorum petere vestimenta & ornamenta. Secundum Ptolomæum verò 7. Almagesti 4. hæc Virgo describitur stans erecta atque alata, sed sicut ipsemet ibi testatur, in hoc discordat à prioribus, ponens longitudinem Virginis, quod ipsi latitudinem posuerunt. Aliàs enim, vt dicit, latitudo excederet longitudinem, quod non decet. Veruntamen licet in muliere stante hoc indecens videatur, in muliere tamen sedente super sedem stratam & puerum nutriente, non oportet hoc indecens reputari. Veritas tamen est, quod descriptionem Virginis secundum Babylonios, Persas, & Aegyptios supradictam non recitat nec emendat. Sed nonne quæso rationabilitèr præsumendum, quòd tot & tanti sapientes concordes istam virginem gloriosam aptius figurarent, quam solus Ptolomæus ab ijs alijsque discordans, maximè cum hanc figurationem eorum videatur penitus non vidisse? E Nulla tamen figurarum præmissarum à mysterio magno vacat. Vt autem ista Astrologica prælibata credibiliora cunctis appareant, de Inuentoribus, Autoribus, & Doctoribus Astrologiæ, Astronomiæ, & cæterarum huiusmodi artium paululum differendum. In his siquidem artibus plurimum claruerunt filij Seth, Enoch, Noe, Abraham, Solomon, & alij Sancti Patres, sicut quamplures Historiæ contestantur. Scribit namque Iosephus 1. Antiquit. Iudaicæ. 1. quòd Seth nutritus & perueniens ad ætatem, qua iam posset ea quæ bona sunt discernere, virtuti studuit, & cum fuisset vir egregius, imitatores sui filios dereliquit. Illi autem omnes cum boni fuissent orti, in eadem terra sine aliqua vexatione viuentes fælicissimè commorati sunt, nihilque eis vsque ad vitæ

terminum

A terminum crudele peruenit. Disciplinam verò rerum cœlestium & ornatum earum primitus inuenerunt, & ne dilaberentur ab hominibus, quæ ab ejs inuenta videbantur, aut antequam venirent ad cognitionem, deperirent, cum prædixisset Adam exterminationem rerum omnium, vnam ignis virtute, alteram verò aquarum vi ac multitudine fore venturam; duas facientes columnas, aliam quidem ex lateribus, aliam verò ex lapidibus ambabus quæ inuenerant, conscripserunt; vt etsi constructa lateribus exterminaretur ab imbribus, lapidea permanens præberet hominibus scripta cognoscere, simul & quia lateralem aliam posuissent, quæ cum lapidea permanet hactenus in terra Syriæ. Philosophus quoque in Secreto secretorum partis 2. primo, Deus inquit excelsus & gloriosus ordinauit modum & remedium ad temperantiam humorum, & ad conseruantiam sanitatis, & ad plurima alia acquirenda; & reuelauit ea sanctis Prophetis seruis suis, & iustis Prophetis suis, & quibusdam alijs quos præelegit, & illustrauit spiritu diuinæ sapientiæ; & dotauit eos dotibus scientiæ.
B Ab istis sequentes viri Philosophiæ principatum & originem habuerunt, Indi, & Perses, & Græci, & Latini ab istis hauserunt, & scripserunt artium & scientiarum principia, & secreta; quia in Scripturis ipsorum, nihil falsum, nihil reprobum inuenitur, sed à sapientibus approbatum. Et infra 26. Dignum est, inquit, Alexandro, vt scias magnam medicinam, quæ dicitur gloria inæstimabilis, quæ etiam vocatur thesaurus Philosophorum: Ego siquidem nunquam percepi nec veraciter noui, quis eam inuenerit. Quidam enim asserunt quòd Adam fuit eius iuuentor; Alij autem dicunt quòd Aesculapius & Hermogenes, Medicus, Hirfos, & Donastios, & Vatildos Hebræi, & Dioris, & Carans gloriosi Philosophi, qui sunt octo, quibus datum est nosse secreta scientiarum quæ latebant omnes homines. Isti sunt, qui inquisierunt, & disputauerunt de his, quæ sunt supra naturam, de Pleno, de Vacuo, de Finito, de Infinito, & concorditer conuenerunt in confectione istius Medicinæ inæstimabilis, quam diuiserunt in 8. partes. Quidam siquidem hoc affirmant, quòd Enoch nouit hoc secretum per visionem; Volunt enim dicere quòd iste Enoch fuit Magnus Hermogenes, quem
C Græci multum cõmendant, et laudant, & ei attribuunt omnem scientiã secretam & cœlestem. Quare & in Prologo in librum Hermetis Mercurij triplicis Trismegisti de Mundo & Cœlo, scribitur isto modo: Legimus in veteribus diuinorum historijs tres fuisse Philosophos, quorum primus Enoch, qui & Hermes, & alio nomine Mercurius dictus fuit: Secundus Noe, qui & similiter Hermes nuncupatus fuit: Tertius verò Hermes Mercurius triplex dictus fuit, quia & Rex, & Philosophus, & Propheta floruit. Hic enim post diluuium cum summa æquitate regnum Aegypti tenuit, & in liberalibus & in mechanicis artibus præualuit, & Astronomiam priùs elucidauit, virgam auream, librum latitudinis, & longitudinis, librum electionis & || Ezich super æquationem planetarum, & super Astrolabium, & alia multa opere luculento compleuit. Iosephus insuper 1. Antiquitat. Iudæor. 2. loquens de longitudine vitæ Noe, & aliorum Patrum illius temporis Antiquorum, Illi, inquit, cùm essent religiosi & ab ipso Deo facti, cumque eis pabula opportuniora ad maius tempus existerent præparata,
D tantorum annorum circulis vitæ viuebant: Deinde propter virtutes & gloriosas vtilitates, quas iugiter perscrutabantur, id est, Astrologiam & Geometriam, Deus eis ampliora viuendi spacia condonauit, quæ nunquam ediscere potuissent, nisi sexcentis viuerent annis; Per tot enim annorum curricula magnus annus impletur. In libello quoque de morte Aristotelis 9. refertur secundum sententiam Melonis discipuli Aristotelis, quam & Magister plurimum commendauit, quòd vsque ad aduentum Noe homines æstimantes Solem & Lunam alias quoque stellas ex seipsis moueri, quare & esse primos motores simpliciter atque Deos, ipsis tanquam dijs secundum varia idola seruierunt; de qualibus & vndecima pars tangebat; Noe autem fuit primus qui cognouit creatorem sphærarum, & quòd ipse est principium cuiuslibet motionis; & ipse habebat scientiam, & gradum altissimum harum rerum. Albumazar quoque 5. maioris Introductorij, differentia 11a dicit, Quòd in historijs veterum diuinorum reperitur, quòd Noe Propheta venerandus primus omnium Babyloniam post diluuium
E populauit, instituitq; Babylonios, seu Chaldæos; & omnes Chaldæi erant sapientes in numero astrorum, & scientia Iudiciorum, & confluebant ad Doctores eorum ab omnibus climatibus amore discendi; & secundum assertionem quorundam, Sem filius Noe docuit hos primam scientiam hanc astrorum. Hoc autem testimonium Albumazar & similia, ideo maiori fide dignum videtur, quia historias multas nouit, sicut ille liber Introductorius pluribus locis probat; Imò & ipsemet Historiographus vnus erat, dicente Haly super 1. quadripartiti Ptolomæi, Scimus quod Albumazar antequam Astronomiam legeret, erat vnus ex illis qui Chronicas faciebant, sicut reperimus in scriptis. Huic autem concorditer Ouidius ille de Vetula

|| Erich.

 libro

libro tertio De ſcientia iudicijſque aſtrorum, ſic ait: A

Hæc ſcripſit prior ille Propheta Noe venerandus,
Et docuit primogenitus Sem filius eius.

In libello quoque de morte Ariſtotelis 9. ſimiliter recitatur, quòd poſt Noe natus eſt Abraham, qui fuit ſapientior omnibus, & ad maximum gradum Prophetiæ peruenit; cognouitque quòd Sol, & Luna, & omnes ſtellæ habebant primum motorem, & ideo non eſt ſecutus viam Patris ſui, & generationis ſuæ, qui idola adorabant. Ipſe ſiquidem Abraham Ioſepho referente, 1. Antiquit. Iudaicæ 5. erat nimis intelligens in omnibus & ſapiens in his quæ audierat, & de quibuſlibet aliquid cogitaret: propterea & virtute prudentiæ maior alijs fuit, & opinationem quam de Deo cuncti tunc habebant, innouare & immutare præualuit. Primus itaque præſumpſit pronunciare Deum Creatorem vnum eſſe cunctorum; reliqua verò licèt ad fœlicitatem tendentia, per præceptum præbentis ſingula quæque dari, & non propria ſubſiſtere virtute confeſſus eſt. Hæc verò conijciebat per terræ paſsionem & maris, & ea quæ contingunt circa Solem & Lunam, & ex omnibus quæ circa cœlum ſemper eueniunt. Virtute enim eis præſente, & prouidentia ordinationis eorum cuncta diſponi docebat, quibus quicunque priuarentur, manifeſti fierent, quia neque ea quæ ad vtilitatem nobis neceſſaria ſunt, ſua poteſtate potuerunt poſsidere, quæ ſcilicet ſecundum iubentis fortitudinem miniſtrantur, cui bonum eſt ſolummodò honorem & actionem tribuere gratiarum. De iſto quoque nobili Abraham, Beroſus & || *Hecatæus* Hiſtoriographi Chaldæorum faciunt mentionem, dicente Ioſepho vbi prius. Meminit autem Patris noſtri Abraham Beroſus, non quidem nominans eum, ſed ita dicens; Poſt diluuium decima generatione, apud Chaldæos fuit quidam vir iuſtus & magnus, in cœleſtibus rebus expertus; || *Hecatæus* etiam ad memoriam eius plus aliquid fecit: Librum enim de eo conficiens dereliquit; Et infra eiſdem, Arithmeticam verò Aegyptijs contulit, & quæ de Aſtrologia ſunt, ipſe contradidit. Nam ante aduentum Abraham in Aegyptum, hæc Aegyptij penitus ignorabant. A Chaldæis enim hæc plantata naſcuntur in Aegypto: vnde etiam perueniſſe noſcuntur ad Græcos. Salomon quoque diuinitùs inſpiratus, vt patet 3. Reg. 3. & 2. Paral. 1. tantam ſapientiam, & intelligentiam, & ſcientiam recepit à Domino, vt nullus ante eum ſimilis ei fuerit, nec poſt eum. De quo 3. Reg. 3. ſcribitur; Dedit quoque Dominus ſapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & præcedebat ſapientia Salomonis, ſapientiam omnium orientalium & Aegyptiorum, & erat ſapientior cunctis hominibus. De quo & Ioſephus 8. Antiquit. Iudaicæ 2. dicit; Quòd Deus dedit ei intellectum & ſapientiam, qualem nullus alter hominum habuit, nec Regum, nec priuatorum, vt etiam homines antiquos præcelleret; & nec Aegyptijs qui ſapientia omnibus differre dicuntur comparatus modicum vel minus eſſet, cuius vtique multum nimis ſapientia præcedebat. Compoſuit autem libros quinque, & quatuor millia. Nullam namque naturam ignoratam, inexaminatamque præterijt, ſed de omnibus philoſophatus eſt, & diſciplinam proprietatemque earum eminenter expoſuit. Horum igitur Patrum diuinitùs illuminatorum doctrinis doctiſsimis poſteriores Philoſophi informati has glorioſas ſcientias conſcripſerunt, & quædam quodammodò alia non penitus aliena, quia ex primis illis fontibus deriuata || *ſuperaddiderunt* ſecundum quod ipſe Ariſtoteles ſuperius recitauit. Libros autem venerabilium Patrum horum, ſuperbia forſitan quorundam ſophiſticorum Philoſophorum, vt inuentorum gloriam furarentur, deſtruxit, tituloſue mutauit; aut nimia fortaſsis vetuſtas temporis aboleuit. Nonne & in libris noſtris ſacris, Prophetia ipſius Enoch ſeptimi ab Adam ſolenniter allegatur, cuius tamen ſcriptura minimè reperitur?

|| Lecateus.

|| forte legendum Lecateus.

|| ſimiliter addiderunt.

B C D

36. *Contra Epicureos & Sadducæos dicentes Spiritum nullum eſſe, immortalitatem quoque animæ rationalis irrationabiliter abnegantes: & contra Auerrois aſtruentem omnes homines vnicam animam rationalem habere.*

E

CVrentur Epicuræi & Sadducæi ſanentur dicentes Spiritum incorporeum nullum eſſe, immortalitatemque animæ rationalis irrationabiliter abnegantes, auertaturque Auerroes aſtruens omnes homines vnicam animam rationalem habere. Hi autem videntur fuiſſe illi Antiqui, aut imitatores eorum qui recitante Philoſopho locis diuerſis, tantum materialia & materiam, & ſenſibilia poſuerunt & ſenſum, negantes intellectum, vel ipſum eſſe corpus aut formam corporalem, quare & corruptibilem affirmantes, quapropter & ſummum bonum in voluptatibus corporis ſtatuentes, ſicut porcus in cœno, ita ſe in huiuſmodi voluptatibus volutabant. De Epicuro quem Philoſophi porcum nominauerunt, & de ſectatoribus eius porcinis

A cinis, libri Philosophici & Grammatici sæpius recordantur. Pro Sadducæis autem sciendum, quod Iosepus 2. de bello Iudaico. & 18. Antiquit. Iud. 3. dicit quod apud Iudæos 4. Philosophiæ, & Philosophorum species habebantur, Pharisæi, Sadducæi, Essæi, siue Essæni, & Iudaici à quodam principe suo Iuda, siue Libertatini, quia pro libertate certantes, qui & ideo 7. de bello Iudaico Sicarij nominantur. De quarum secunda 2. de bello Iudaico, Saducæi, inquit, illud est secunda collectio & 18. Antiquit. Iudaicæ 3. Sadducæi animas mortales existimant, simulque cum corpore interire: Porro & de Epicuræis & Sadducæis sacri nostri codices recordantur. De opinione vero Auerrois prædicta in expositione sua super 3. de Anima comment. 5. & alijs sequentibus satis constat. Sed quomodo nullus est spiritus incorporeus, cum secundum octauam partem & decimam Deus spiritus incorporeus comprobetur. Quid enim spiritus incorporeus nisi substantia rationalis incorporea est dicendus? Iste quoque spiritus omnipotentissimus habens voluntatem vniuersaliter efficacem secundum partem 7am. & 8am.
B cur secundum 33am. & 34am. partes non potest & potuit creare & creasse, & facere & fecisse alios spiritus sibi similes, sicut & alias naturas dissimiles, & hos quidem à corporibus absolutos, quos Angelos appellamus, illos vero corporibus cõiugatos quos animas rationales vocamus, & vtramq; speciem immortalẽ? Si ergo hoc totum sit possibile, cur negabitur ita esse, cum hoc magis conueniat diuinæ largitati, & omnifariæ bonitati, quam prima Suppositio & partes sequentes perspicue docuerũt? præsertim cum istud apud omnes magnos Philosophos, vere Philosophos, apud omnem fidem & sectam, & apud omnes pene homines sit famosum, maxime cum & istud rationibus muniatur, & vix vmbra rationis tenui impugnetur iuxta præmissa circa 32am. & 33am. partes huius. Quot & quam varia experimenta certissima multiplices spiritus esse probant? Nonne & artes Magicæ, licet malæ, spiritus esse docent, sicut & tangebatur superius circa trigesimamsecundam & vigesimamprimam partes.

Opiniunculam autem Auerrois quis nesciat esse vacuam, falsam, fatuam & confictam, nullam verisimilitudinem aut probabilitatem habentem? quare & circa ipsam minus sollicitè
C laborandum; ne tamen intactam omnino se iactet, videtur saltem perfunctoriè refellenda. Quis igitur attentis prioribus diligenter, non clare videat, Deum posse singulis hominibus singulas animas impartiri, hoc etiam magis Deo conuenit & naturæ; Cur enim Deus alijs imperfectioribus speciebus, quæ Deum non norunt, non diligunt, neque colunt, daret abundanter singulis singulas animas & formas proprias naturales; & hominibus multum nobilioribus, in natura Deum scientibus, diligentibus atque colentibus, omnibus simul parcissime tantum vnam? cur potius ita de hominibus, quam de vegetabilibus, de alijs animalibus, aut de corporibus cœlestibus ordinaret? quæ ratio, vel quæ causa, cum de similibus videatur similiter sentiendum? Adhuc autem secundum trigesimamprimam partem, Deus remunerabit omnem suum cultorem plenariè, & abundè, quod non facit in vita præsenti, vt constat; faciet igitur in futura; & nequaquam suos contemptores & cultores æqualiter; nec omnes suos
D cultores æqualiter, sicut nec æqualiter meruerunt; Habent ergo singuli homines singulas animas, quibus post mortem præmientur vel puniantur, vt conuenit, singillatim. Nonne & tu ipse super illud Philosophi 1. Eth. 16. de Felice, vt vere bonum & sapientem omnes existimamus, fortunas decenter ferre, sic dicis, vt dicitur de Iob, || *Cui* sit salus? Ad quid enim orares pro salute Iob defuncti, nisi sperares animam ipsius, & animas virtuosorum virorum post mortem saluandas, secundum suorum exigentiam meritorum? Amplius autem de remuneratione seu præmiatione hominum in præsenti; illud namque quo Deus præmiat virtuosos in vita præsenti, in anima potius quam in corpore est ponendum; sed si sit vna tantum anima omnium, quicquid de tali proemio, vel de pœna recipit vnus homo, recipiunt & alij vniuersi. Secundum hanc quoque sententiam insensatam, si vnus homo haberet in anima fœlicitatem perfectam, miseriamuè perfectam, haberent simul & omnes, essentque omnes simul perfecti & miseri: quare & nec fœlices, nec miseri, quæ nullus concesserit nisi miser.
E Quomodo insuper Deus sapiens, iustus, & potens sua maxima proemia tam improuidè dispẽsaret? Nonne Philosophus 1. Eth. 14. ita dicit, Si aliud aliquod Deorum est donum hominibus, rationabile & fœlicitatem Dei datum esse, & maximè humanorum, quanto optimum? Videtur autem & diuinissimorum esse. Virtutis enim proemiũ & finis optimum videtur & diuinũ quid & beatum. Et infra 18. Deos * beatificamus & fœlicitamus, & virorũ diuinissimos beatificam'. Super quod & tu Auerroes; Nos, inquis, referimus deificatos & electos hominum ad fœlicitatem; Et infra in fine illius primi, sic ais; Sint grates Deo donatori sapientiæ & largitori fœlicitatis. Adhuc autem si per omnipotentiam summam Dei omnes homines fœlices & miseri nullo superstite morerentur, anima rationali seruata, aut esset ipsa misera vel beata, cur potius talis quàm talis, nec simul posset esse misera & beata? Amplius autem secundum

|| tibi

* beatissimos

concordem Philoſophorum ſententiam, Naturam eſſe principium motus & quietis illius cuius eſt natura, & naturam quæ eſt forma, eſſe horum principium effectiuum; animam quoque rationalem eſſe naturam hominis & formam; quare & ipſam eſſe principium effectiuum omnium motuum & actuum humanorum, ipſamque eſſe finitæ virtutis quis dubitat? Quare & finitæ atque determinatæ potentiæ in agendo. Si ergo tunc moueat localiter corpus hominis vnius quantum poteſt, & ſecundum vltimum ſuæ potentiæ, quomodo poteſt ſimul mouere ſimiliter aliud tale corpus alterius hominis, velocitate æquali, & tertium corpus, & quartum, & ita deinceps vltra omnem terminum & menſuram, immò & corpora infinita, ſi ponerentur homines infiniti? Quomodo adhuc poſſet aliquis motor finitus mouere per ſe diuerſa mota totaliter ſeparata, & penitùs inconnexa? Nonne Ariſtoteles Deus tuus, & tu cultor eius, 12. Metaphyſ. ſuæ, ex numero motuum cœleſtium arguitis numerum intelligentiarum mouentium? Si tamen vnica anima ſufficit ad mouendum omnia corpora humana multum grauia, multum reſiſtentia, & multum difficilia ad mouendum, tam multa, tam inordinata, & tam inconnexa ad inuicem, cur non ſimili ratione, immò multo maiori, ſufficit vnica intelligentia ad mouenda omnia corpora cœleſtia, à conditionibus talibus aliena, cùm ſint pauca, optimè ordinata ad inuicem & connexa; & nedum corpora cœleſtia nunc exiſtentia, ſed & plura & maiora quantumlibet ſi ponantur, ſicut & vnica anima ſufficit ad mouendum æqualiter corpora hominum vltra omnem numerum & menſuram? Secundum ſententiam tamen veſtram ſi alicui orbi cœleſti apponeretur vna ſtella vlterius, motor eius ipſum omninò non moueret, vel ipſum moueret cum fatigatione & pœna vel tardius. Simili quoque modo poteſt argui de operationibus magis proprijs animæ rationali, puta de intellectione, volutione, memoria, rememoratione, ſyllogizatione & ſimilibus. Quomodo namque ſufficit anima vna finita & parua, ſimul & ſemel ad operationes tales, tam multas, tam varias & diuerſas, nec minus ad quotlibet tales ſimul, quàm ad vnicam ſeparatim? Nonne & ſicut experientia certa docet, & omnes Philoſophi conteſtantur, quòd vna operatio animæ, vel impedit aliam, vel expellit? quomodo ergo poteſt eadem anima tot actiones, tam varias & contrarias ſimul & ſemel perfectiſsimè exercere? Nonne & anima talis finita, & paruula, ſicut eſt entitatis & naturæ finitæ, ſic eſt & capacitatis finitæ? quomodo ergo poteſt ſemel & ſimul tot intellectiones, volutiones, memorias, ſyllogiſmos, ac talia ſine termino, ſine fine capere & tenere? Amplius autem, ſicut Auicenna 5. de Anima 3. & Algazel, 4. phyſicæ ſuæ vlt. hæreſim iſtam redarguunt; Si eſſet eadem anima omnium, eſſet & eadem ſcientia omnium, nec quicquam ſciretur ab vno, quod ab alio neſciretur. Nonne ſi ‖ *eſſet* eadem anima omnium, cum omnis ſcientia hominis ſit in anima ſubiectiuè, & in quolibet homine ſit anima rationalis, in quolibet homine eſt omnis humana ſcientia, omnis habitus, & ſimiliter omnis actus rationali animæ inexiſtens? Quilibet ergo homo habet omnem ſcientiam habitualem, & ſimiliter actualem, quam aliquis alius homo habet, cuius contrarium videmur in nobis certiſsimè experiri. Cur namque ſi haberem lucem clariſsimam in domo ſeu oculo corporali, non poſſem eam oculo corporis intueri? aut ſi poſſem, cur non ſimiliter de luce ſcientiarum clariſsima in domo ſeu oculo ſpiritali, & oculo mentis meæ? Dicit enim Philoſophus 1. Eth. 7. Sicut in corpore viſus, in anima intellectus. Cur inſuper ſi haberem in Gazophylacio materiali Theſaurum multiplicem, non poſſem de illo extrahere quod vellem? aut ſi poſſem, cur de Gazophylacio & theſauro meo multipliciori incomparabiliter ſpiritali magis propinquo, magis proprio, & magis poteſtati meæ ſuppoſito, non poſſum ſi velim, etſi totis viribus meis nitar extrahere iota vnum? Nonne experientia communi docente, & ſecundum ſententiam Ariſtotelis, tui ipſius, & aliorũ Philoſophorum concordem, habens habitum, poteſt, cum voluerit, vti illo? cur ergo non poteſt omnis homo, cum habeat omnem ſcientiam habitualem, & omnem ſcientificum habitum actualiter, vti ‖ *omni* pro libito voluntatis? Nonne & Philoſophus, 2. Poſt. vltim. Inquirens qualiter principia cognita nobis fiant, nunquid habitus eorum, cum non inſint, fiant in nobis; aut cum inſint, lateant: reprobando ſecundum membrum, ſic ait; Si quidem igitur habemus ipſos, inconueniens eſt; contingit enim certiſsimas habentem cognitiones principiorum demonſtrantem la ere. Qui & de problematibus particulæ 30. 2. & 4. idem ſentire videtur; qui & 3. de anima 14. ita dicit; Potentia quodammodo eſt, intelligibilia, intellectus, ſed actu nihil antequam intelligat; oportet autem ſic eſſe, ſicut in tabula, in qua nihil eſt actu ſcriptum, quod quidem accidit intellectui: Vbi & textus quem tu exponis, ſic habet, Quod accidit intellectui debet currere tali curſu, ſcilicet ſicut tabula quæ eſt aptata picturæ, non picta in actu omnino. Quantum autem pondus autoritatis verba Ariſtotelis habeant, & ſpecialiter in hac parte, tu ipſe illo comment. 14. clarè teſtaris, affirmans quod omnes opinantes intellectum eſſe ſimplicem, non

Margin notes: ‖ ſit ; ‖ eo

A non paſsibilem, abſtractum, & non mixtum corpori non credunt, niſi propter hoc quod dixit Ariſtoteles, Quoniam ita eſt difficile hoc, à Deo. Quòd ſi ſermo Ariſtotelis non inueniretur in eo, tunc valdè eſſet difficile cadere ſuper ipſum, aut fortè impoſsibile niſi inueniretur aliquis talis vt Ariſtoteles. Credo enim quòd iſte homo fuit regula in natura, & eſt exemplar quod natura inuenit ad demonſtrandam vltimam perfectionem humanam in naturis. Et infra 36. loquens de labore Auempace, in quæſtione de continuatione intellectus agentis cum homine tam diligenti & improbo, quòd illa quæſtio non receſsit ab eius cogitatione, neque per tempus ictus vnius oculi, & alijs difficultatibus & ambiguitatibus illam concernentibus quæſtionem, ſic ais: Cauſa autem iſtius ambiguitatis & laboris eſt, quia nullum ſermonem ab Ariſtotele inuenimus in hac intentione. Qui & ſuper 1. Phyſ. in prologo ita ſcribis, Nomen Autoris eſt Ariſtoteles filius Nicomachi ſapientiſsimus Græcorum qui compoſuit alios libros in hac arte, & in Logica, & in Metaphyſica, & iſte inuenit, & compleuit iſtas tres artes.
B Inuenit, quia quicquid inuenitur ab Antiquis in hac ſcientia, non eſt dignum quòd ſit pars huius: Compleuit, quia nullus eorum qui ſecuti ſunt eum vſque ad hoc tempus, quod eſt mille quingentorum annorum, nihil addidit, neque inuenit in eius verbis errorem, & talem virtutem eſſe in indiuiduo vno miraculoſum & extraneum exiſtet, & hæc diſpoſitio cùm in vno homine reperitur, dignius foret eſſe diuinus quam humanus. Quomodo ergo huius viri diuini, huius tanti Autoris, tam canonica, & tam authentica verba intelligis aut exponis? Nonne comment. 1. 14°. ſupradicto, exponens exemplum Philoſophi comparans intellectum in potentia exiſtentem tabulæ non ſcriptæ, non pictæ, ſic ais; Cum notificauit modum paſsionis in intellectu, cœpit dare de rebus ſenſibilibus exemplum, per quod intelligitur iſta intentio in intellectu materiali; & licet non ſit verum, tamen eſt via ad intelligendum, & ille modus doctrinæ neceſſarius eſt in talibus rebus, licet ſit Rhetoricus. Sed quàm viperea gloſſa tua quę textum ſuum corrodit? quàm improba expoſitio, quæ textum ſuum expellit? quàm proteruus filius, qui dicit Patri ſuo, mentiris? Quis tu? qualis autoritatis? aut quantæ vt tanto Phi-
C loſopho contradicas, præſertim cùm nullam autoritatem maiorem, nec vllam rationem aliquod animal rationale cogentem, probabiliter vel mouentem pro parte tua adducas, ſicut prima ſuppoſitione, & partibus ſequentibus intellectis perfacile eſt videre. Qua ergo temeritate, qua cæcitate, qua audacia, imò qua inſania tanto viro, tanto Philoſopho, tam famoſo, tam procàciter præſumpſeras obgarrire, cùm nullus teſte teipſo in verbis eius ſit error? immò quàm inſenſatus efficeris, cùm non ſentis teipſum contradicere tibi ipſi, dum Ariſtotelem tantum commendas, & ipſi nihilominus contradicis? quis igitur tibi credet? Maiore namque Autore & minore contradicentibus cui potius adhærendum? quis dubitat quin maiori? & quis neſciat Ariſtotelem te maiorem? Timeo igitur plurimos in hac parte propterea plurimum deliraſſe, quia ſcripturam tuam diligentiùs reſpexerunt, & ſcripturas Ariſtotelis neglexerunt. Nonne & tu ipſe ſuper 3. de Anima. comment. 30. loquens de Auempace errante, ſic ais; Illud quod fecit iſtum hominem errare, & nos etiam longo tempore, eſt quia moder-
D ni dimittunt libros Ariſtotelis, & conſiderant libros expoſitorum, & maximè in Anima, credendo quòd iſte liber, impoſsibile eſt vt intelligatur. Nonne idem Philoſophus eodem 3. multis locis, dicit animam intellectiuam eſſe paſsibilem & receptibilem ſpecierum, habereq; omnia intelligibilia, & omnium ſpecies in potentia, non in actu? quare & probat ipſam neceſſariò indigere alio intellectu, puta agente, qui potentialitatem eius perficiat, & ad actum perducat? Nonne illius 3ⁱ. 5°. dicit animam intellectiuam non habere aliquam naturam niſi paſsibilem, nec eſſe aliquod intelligibile actualiter, priuſquam intelligat illud actu? Nonne verba ſua ſunt iſta? neque ipſius eſt naturam, neque vnam eſſe, ſed ante hanc quod poſsibilis vocatus, itaque animæ intellectus. Dico autem intellectum quo opinatur, & intelligit anima nihil eſt actu eorum, quæ ſunt ante intelligere: vbi & textus quem tu exponis, ſic habet: Non habebit naturam niſi iſtam, ſed quod eſt poſsibilis. || *Illud* igitur de anima quod dicitur || Idem.
E Intellectus; & dico intellectum illud per quod diſtinguimus & cogitamus, non eſt in actu aliquod entium antequam intelligat. Et loquitur hic Philoſophus ad ſimilem intellectum ſicut infra 37. vbi dicit; Nunc autem de Anima dicta recapitulantes dicamus iterum, quod omnia ea quæ ſunt, quodammodo eſt anima. Aut enim ſenſibilia quæ ſunt, aut intelligibilia: eſt autem ſcientia quidem ſcibilia quodammodo, ſenſus autem ſenſibilia: Et ſequitur 38. Qualiter autem hoc ſit oportet inquirere. Secantur igitur ſcientia & ſenſus vt res, quæ quidem potentia eſt in ea quæ ſunt potentia quæ || *nullo* actu in ea quæ ſunt actu. Animæ autem ſenſitiuum & quod ſcire poteſt potentia hæc ſunt, hoc quidem ſcibile, illud verò ſenſibile, neceſſe eſt autem aut ipſa, aut ſpecies eſſe. Ipſa quidem igitur non ſunt; Non enim lapis in anima eſt ſed ſpecies; quare anima ſicut manus eſt; manus enim organum organorum, & intel- || vero.

lectus

lectus species specierum, & sensus species sensibilium, verum est in potentia non in actu; quare & supra 6. sic ait, Bene iam dicentes sunt, Animam esse locum specierum, nisi quod non tota sed intellectiua, neque actu, sed potentia species. Et infra 8. ostendit quod anima dicitur sciens seu scire in potentia duobus modis, remotè videlicet & propinque, siue potentia remota seu essentiali, qualis est in homine priusquam addiscat; & potentia propinqua seu actuali, qualis est in habente scientiam in habitu, sed non vtente in actu, à qua potentia potest per se exire ad actum. Vnde & sic ait; Cum autem hic scilicet intellectus singula sciat, sciens dicitur quidem secundum actum, hoc autem confestim accidit cum possit operari per seipsum, est quidem igitur & tunc potentia quodammodo, non tamen similitèr & sicut ante addiscere, aut inuenire. Qui & infra 17. scribit ita: Quoniam autem sicut in omni natura est aliquid, hoc quidem materia vnicuique generi, hoc autem est potentia omnia illa, alterum autem causa & factiuum, quod in faciendo omnia vt ars ad materiam sustinuit, necesse & in anima has esse differentias. Et statim 18. & est intellectus hic quidem talis in omnia fieri, ille verò in omnia facere. Istam quoque sententiam totam Auicenna, Algazel, & omnes penè Philosophi alij planè tenent. Si igitur hæc ita se habent, quomodo præsumis asserere falsum esse, quòd Intellectus antequam intelligat, est sicut tabula in qua nihil est actu scriptum aut pictum? Imò quia istud verum est, falsum & fatuum est quod tu dicis, omnia scilicet intellecta speculatiua, omnes species, omnes scientias, omnes habitus, omnes actus, & vniuersalitèr omnia & singula possibilia ibi scribi actualiter, & æternaliter ibi scribi, actualiter & æternaliter ibi pingi, actualiter & æternaliter ibi esse. Nonne illo comment. 5. sic ais, Cum consideratum fuerit de istis intellectis, secundum quòd sunt entia simpliciter, non respectu alicuius indiuidui, verè dicuntur æterna esse, & quod non intelliguntur quandoque & quandoque non, sed semper, quoniam cùm sapientiam esse in aliquo, modo proprio homini, est sicut modum artificiorum esse in modis proprijs homini, æstimatur quòd impossibile est vt tota habitatio fugiat à Philosophia, sicut opinandum est quòd impossibile est vt fugiat ab artificijs naturalibus. Si enim aliqua pars eius caruerit eis, scilicet artificijs, verbi gratia, quarta septentrionalis terræ, non carebunt eis aliæ quartæ, quod enim declaratum est, quòd habitatio est possibilis in parte meridionali, sicut in parte septentrionali; fortè igitur Philosophia inuenitur in maiori parte substantiæ in omni tempore. Et infra 20. Intellectus qui dicitur materialis secundum quod diximus, non accidit ei, vt quandoque intelligat, & quandoque non, nisi in respectu tertioris imaginationis existentium in vnoquoq; indiuiduo non respectu speciei, verbi gratia, quod non accidit ei, vt quandoque intellectum æque intelligat, & quandoque non, nisi in respectu Socratis & Platonis, similitèr autem & respectu speciei semper intelligit hoc vniuersale, nisi species humana deficiat omninò, quod est imposibile. Nonne Plato in Menone similitèr quodammodo posuit omnem videlicet scientiam semper esse in anima cuiuslibet, sed latere; quare & ab Aristotele reprobatur: cur ergo non es tu similitèr reprobandus? Si insuper ita esset, quod esset officium intellectus agentis; quid ageret circa intellectum posibilem? quid iuuaret? nullam enim speciem, nullam intentionem, nullam cognitionem agit in eo, cum omnes species intentio atque cognitio, sicut & cætera cuncta quæ habet, in ipso actualitèr, æternalitèr perseuerent; Quomodo ergo dicunt Philosoph., & tu ipse, quod intellectus agentis est denudare & abstrahere intentiones materiales ad immaterialitatem, & ita transferre ipsas, de ordine ad ordinem, de materialitate ad immaterialitatem; de phantasia quæ est virtus materialis in intellectum posibilem, qui est virtus immaterialis, & sic tandem facere illud quod est intellectum in potentia esse intellectum in actu? Scio quòd dices hoc verum esse respectu indiuidui, non respectu speciei, aut intellectus humani simpliciter. Sed quid quæso operatur intellectus agens in indiuiduo demonstrato? Intensio namq; denudata per eum non transfertur nec intrat in intellectum posibilem per præmissa; remanet ergo in virtute materiali; quare & materialis vt prius licet fortasis subtilior parum quam prius. Quod tamen subtiliter intuendo non videtur dicendum, cum statim in ipso instanti sensationis & imaginationis intelligatur quodcunque; sicut omnes communitèr experimur; dicitq; magister tuus 3. de Anima. 28. sentire est simile ipsi dicere solum & intelligere, quam eius sententiam & tu ibi planisimè profiteris. Nonne & intensione imaginata manente grossa & rudi, sicut influit ab obiecto, habita tamen intensione rei congrua in intellectu, posset homo intelligere? cur non posset? Adhuc autem quæ necesitas ponendi intellectum agentem ad modicum subtiliandum intensionem materialem phantasticam? Cur non sicut in alijs animalibus sufficit sola phantasia? Cur non simili modo ponis intellectum agentem ad subtiliandum intensiones aliarum virtutum? Quis insuper legens & non negligens libros Aristotelis, Theophrasti, Themistij, Auempace, Auicennæ, Algazel, & aliorum Philosophorum dixerit intel-

A intellectum agentem esse necessarium homini, quia parum subtiliat intentiones materiales phantasiæ, dum tamen materiales, & in virtute materiali phantastica maneant, sicut prius, & non potius ad effectum superius recitatum? Amplius intentiones, propositiones, discursus, & conclusiones, & cæteri habitus atque actus in anima rationali semper secundum te actualiter existentes, vel sunt finiti in numero, vel simpliciter infiniti: non infiniti simpliciter cum ipsa sit finita simpliciter, finitæ entitatis, & capacitatis finitæ; nec etiam potest esse aliqua multitudo actualiter & simpliciter infinita, sicut Magister tuus, & tu ipse sæpius affirmatis. Si verò sint tantum finiti, puta centum vel mille, possibile est aliquos homines & aliquem hominem de hominibus secundum te simpliciter infinitis in præterito, & in futuro intelligere & habere, facere & formare aliquam intentionem, propositionem, discursum & conclusionem, actum & habitum, alium ab illis omnibus & singulis differentem. Quis negauerit? quis dubitauerit? quis non statim concesserit ita esse? sicut enim stans in centro circuli, per quemlibet
B semidiametrum potest exire ad proprium punctum eius in peripheria situatum, licet non simul nec successiuè per omnes ad omnia puncta sua: sic & habens principium scientificum stat in medio infinitorum discursuum possibilium ducentium ad conclusiones proprias infinitas, potestque per singulos ad singulas conclusiones exire, etsi non per omnes ad omnes. Possent quoque homines infiniti per infinitos tales discursus procedere ad conclusiones proprias infinitas, sicut viros scientificos reputo non latere. Est ergo aliqua conclusio scibilis ab homine, imò & infinitæ conclusiones ab hominibus scibiles, quam & quas intellectus possibilis actualiter iam non habet. Hoc idem & de conclusionibus, & opinionibus erroneis potest similiter apparere. Quis enim nesciat veritatem signo sagittantibus posito, & puncto in medio areæ comparari, ad quod contingit attingere paucis modis vel vno, sed deficere infinitis? Quis ergo non videat conclusiones & opiniones erroneas posse infinitis modis variari & multiplicari, præsertim apud homines infinitos. Adhuc autem quis nesciat, si secundum
C tuam sententiam mundus sit æternus ante & post, secundum cursum commumem infinitas fuisse, & futuras esse eclipses Solis & Lunæ, scibiles specialiter ab hominibus, imò scitas & sciendas, sicut secundum assertionem tuam præmissam magis videtur? Quod & quia constat certissimè esse possibile, supponatur: Fuerunt ergo & erunt infinitæ inuestigationes, conclusiones, & scientiæ propriæ, & speciales de illis: quis enim crediderit eandem esse scientiam particularem & propriam, eandem credulitatem, adhæsionem & affirmationem nunc esse futuram eclipsin, videlicet nocte ista vel die, & tunc esse futuram eclipsin, videlicet septimo mense sequente. Multi namque sciunt vnum, & aliud dubitant & ignorant. Aliàs insuper idem esset, scire, credere, adhærere & dicere tunc esse futuram eclipsin; & tunc, & tunc, & tunc quocunque tempore designato, quod nullus dubitat esse falsum, sicut & satis apparet in alijs talibus de futuro. Identitas insuper actuum humanorum immanentium, secundum tuam sententiam æternaliter permanens vniformis, similiter refelletur: Quis enim ignoret non
D esse eundem actum sed diuersum affirmandi intrinsecus & credendi, eclipsis nunc est, eclipsis cras erit, eclipsis heri fuit, & similia, sicut & affirmationes & affirmata non sunt eadem, sed diuersa, & à vero in falsum, & è contra infinities permutantur? Nonne etiam actus intelligendi, credendi, amandi, & similia faciendi in infinitum, secundum varietatem graduum in varijs hominibus & temporibus variatur? tanta autem varietas non potest in eadem anima actualiter simul esse, sicut præhabita docuerunt. Respondebit fortassis vicarius tuus, & dicet, quòd intellectus seu homo per intellectum intelligit, & vult multa varia & distincta, particulariter propriè & distinctè per eandem intentionem seu speciem, & per eundem actum realiter non omnino diuersum. Sed quis nesciat intelligentem per quodcunque quæcunque diuersa propriè & distinctè distinguere, seu posse distinguere per idem distinctè & propriè inter illa? & quis dubitat eundem hominem per eandem potentiam, per eandem speciem, & per eundem actum omninò, sine aliqua diuersitate adiecta non posse distinguere diuersa ipsa, videli-
E cet cognoscere propriè, particulariter, & distinctè? Aliter enim posset idem homo per eandem speciem cognoscere nunc vnum distinctè, puta *A*, & non aliud, puta *B*, & aliàs è contra. Sed quem latet, quòd vnum in quantum vnum præsertim in potentijs naturalibus non liberis, natum est facere semper vnum, non aliud nec diuersum, in eodem passibili non diuerso? Nonne ratio perspicuè hoc demonstrat? quæ namque in talibus causa diuersitatis effectuum? quare nunc iste, ||*non* ille producitur, nunc è cõtra nisi in agente vel in passo, cum in talibus non sit electio libera, sed necessitas naturalis? Nonne ideo Aristoteles 2. De generat. penult. Idem, inquit, & similiter habens, semper idem innatum est facere. Idem tamen aliquoties facit contraria, & diuersa: sed hoc est propter contrarietatem & diuersitatem aliquam in agente vel passo, sicut docet idem Philosophus 9. Met. 10. 9[i]. 11°. 12[i]. 11°. 5[i]. 2°. & 2[i] Phys. 30°. quod & || nunc.

expositio

expoſitio Auerrois locis illis ſimiliter confitetur. Adhuc autẽ aliter poſſet intellectus per vnicã ſpeciẽ generalẽ diſtinctè cognoſcere omnes ſpecies generũ, ſeu generis alicuius,& ſingula indiuidua ſpecierũ: idẽ quoq; viſus per eandẽ & vnicã ſpeciẽ vnius coloris diſtinguere omnes colorũ ſpecies, differentias, atq; gradus. Amplius autẽ ſi eadem intentio,& idem actus omnino ſignificet diuerſa propriè, & diſtinctè, ſignificent ergo *A* intentio, & *B* actus *C* & D diuerſa propriè & diſtinctè, componatque homo in mente *A*, cum *A* per *B* actum, pro *C* tantum dicendo, *A* eſt *A* & erit compoſitio illa vera, componatque ſimiliter pro *C* ex parte ſubiecti, & pro *D* ex parte prædicati, & erit compoſitio illa falſa; ſicque eadem propoſitio erit ſimul vera & falſa. Secũdum iſtam quoque ſententiam intentiones rerum & ſpecies naturales in mente eſſent purè æquiuocæ; ſignificarent enim diuerſa, ſecundum eandem intentionem ſeu nomen, & diuerſam ac propriam rationem: Quapropter & ſignificarent, ſignificareuè poſſent ad placitum? Cur enim non poſſent ſignificare alia quædam diuerſa,& alia,ſicut iſta? ſed hæc quis dubitat eſſe falſa, naturæ contraria, & Philoſophiæ diſſona naturali? Nonne & Philoſophus 2ⁱ. de Anima 135. ita ſcribit? Inquiret autem quis, cuius cauſa plures habemus ſenſus, ſed non vnum ſolum, & reſpondet, An quatenus minus late aut conſequentia, ſcilicet ad ſenſibilia propria, & communia vt motus, magnitudo, & numerus? Si enim eſſet viſus ſolus, & ipſe albi, laterent vtique magis, & viderentur eſſe idem omnia, propter id quod conſequuntur ſe ad inuicem ſimul color & magnitudo, nunc quidem quoniam in altero ſenſibili communia ſunt, manifeſtum facit quod aliud quid vnumquodque eorum eſt: Supponit ergo Philoſophus quòd ſenſus non poteſt diſtinguere inter diuerſa, niſi per diuerſa; & infra eodem 145. oſtenſo,quod oportet neceſſario, quod quicunque diſcernit inter aliqua diuerſa, diſcernat per eandem virtutem indiuiſibilem, & in tempore indiuiſibili, ſcilicet in inſtanti, & mota quæſtione, quomodo virtus indiuiſibilis poſſet percipere & diſcernere contraria & diuerſa, reſpondet quod illud quod ſentit diuerſa, ſcilicet diuerſa ſecundum eſſe, eſt diuiſibile, id eſt, ſecundum rationem, cognitionem, ſeu intentionem diuerſam loco, ‖ *aut* & numero indiuiſibile, ideſt, ſecundum eſſentiam propriam; vbi & Auerroes, Poſsibile eſt vt iſta virtus iudicans omnia ſimul ſit eadem ſubiecto, & indiuiſibilis, ſed per intentiones quas recipit eſt diuiſibilis vt dicimus de pomo, quod eſt indiuiſibile ſubiecto, & diuiſibile ſecundum accidentia diuerſa in eo, ſcilicet odorem, colorem, & ſaporem: Ita quod diſſoluetur quæſtio ſic; quoniam iſta virtus in quantum eſt diuiſibilis comprehendit res numeratas diuiſibiles, & in quantum eſt eadem, iudicat ea vnico iudicio. Et ſuper 3. de Anima. com. 9. dicit prius eſſe declaratum, quod quæcunque virtus apprehendit alietatem inter duo, neceſſe eſt quod ſit vna vno modo, & multa alio modo, ſcilicet duabus diſpoſitionibus diuerſis. In iſta quoque ſententia omnes conueniunt exponentes: Hanc ergo reſponſionem huius vicarij veritas reprobat, nec proprius Dominus approbat, ſed impugnat. Amplius autem quomodo in eadem anima indiuiſibili, & in eadem eius potentia indiuiſibili poſſunt tam oppoſita, tam contraria, tam perfecta, & tam actualia ſimul eſſe, vt puta ſcientia & ignorantia reſpectu eiuſdem; imo ſcientia & deceptio, ac opinio contraria, vtraque in particulari, & in actu, & ſimul velle & nolle, amor & odium in particulari, & in actu, & ſimul reſpectu eiuſdem, ſummæ virtutes & vitia contraria ipſis ſumma, ſumma bonitas & malitia priuatiuè oppoſita, & poſitiuè contraria ei ſumma; ſumma fœlicitas & miſeria oppoſita ei ſummæ? Scio enim, & ſcis, & quis neſcit, quod experientia communi docente, & ſententia Philoſophorum concordi teſtante, oppoſita priuatiuè, & contraria poſitiuè nata ſunt fieri circa idem amborum ſuſceptibile ſucceſsiuè non ſimul, præſertim in actu completo. Annon verecundaris fateri quod in Anima tua & in te ſunt omnes errores & hæreſes, omnia vitia, & peccata, concupiſcentiæ, malitiæ, & miſeriæ ſpiritales in actu, & quod inſeparabiliter ibi manent? Sed ſcio reſponſiunculam tuam fictam: Dicis enim, quod licet ſit eadem anima omnium, non ideo oportere eandem eſſe ſcientiam omnium, quia intentiones imaginatiuæ, quæ ſe habent ad intellectum, ſicut ſenſibilia ad ſenſum, quibus & ideo intellectus neceſſariò indiget in ſciendo, in diuerſis indiuiduis ſunt diuerſæ. Hæc autem imaginaria tua reſponſio, etſi poſsit vtcunque vitare identitatem ſcientiæ in omnibus, alia inconuenientia ſuperius adducta vitare non poteſt, imo neque identitatem ſcientiæ poterit euitare, quin ſaltem ſit eadem ſcientia habitualis in omnibus, cum omnis habitualis ſcientia ſit in intellectu, qui eſt idem in omnibus. Poteſt ergo ſecundum præmiſſa quicunq; actualiter vti quacunq; ſcientia cum voluerit, conſiderando actualiter & ſciendo quæcunq; ſaltẽ ſcientia vniuerſali ſimpliciter, propoſitionis vniuerſalis ſimpliciter, cuius termini aut ſimiles propriè in virtute imaginaria non habentur. Adhuc autem ponantur duo, Philoſopus & laicus ſeu clericus demonſtrationum ignarus, ſimiles ſeu æquales, in imaginatiua & in omnibus alijs virtutibus

(Margin: A, B, C, D, E; "atem" at left beside line with ‖ aut)

A virtutibus materialibus, intentionibuſq; earum; & habeat Philoſopus demonſtrationẽ ad aliquã concluſionẽ ſubtilẽ, alius verò nullã. Tunc Philoſophus habet certã ſcientiã concluſionis illius, & demonſtratiuè ſcit illam; quare & alius; cum in virtute imaginatiua, & eius intentionibus ſunt ſimiles & æquales, quod tamen quis neſciat eſſe falſum? Nonne & multa ſunt intellecta, quibus nullæ veræ intentiones imaginariæ correſpondent? Quòd autem ſupponis intentiones imaginarias ſe habere ad intellectum, ſicut ſenſibilia ad ſenſum, & intellectum ad cognoſcendum quodcunque ipſis neceſſariò indigere, verum videtur, & de ſententia Philoſophorum in principio, quando intellectus eſt quaſi tabula nuda, in qua nihil eſt pictum vel ſcriptum, donec cognoſcibilium ſpecies acquirantur: Sed cum fuerint acquiſitæ, & in intellectu plenè depictæ, & ſcriptæ, cur non poſsit ipſas legere per ipſas, & cognoſcere res per ipſas abſque vlteriori actione, aut motione intentionum imaginariarum? quod enim eſt iam perfectè generatum, perfectè formatum, perfectè completum, non videtur indigere vlteriùs
B generante, ſed forſitan conſeruante. Adhuc autem quis dubitat intellectum eſſe perfectiorem potentiam potentijs materialibus, virtutibus ſenſitiuis; hæ autem cum fuerint informatæ plenariè per ſpecies obiectorum, ſemper quamdiu ſpecies manſerint, poſſunt ſufficienter per illas cognoſcere illa obiecta, abſque hoc quòd ab illis obiectis aut quibuſlibet alijs moueantur? Quis de virtutibus & ſenſibus interioribus, imaginatiua, cogitatiua, & memoratiua iſtud non ſentiat in ſeipſo? Quis inſuper in naturalibus vel parum prouectus hoc etiam non aduertat? Quis non eſt expertus illa experimenta in principio perſpectiuæ Alacen recitata, viſu videlicet diu & ſtabiliter intuente viſibilia fortia, & diuertente ſe inde, vel etiam ſe claudente, viſionem priorem manere ſeu apparentiam, & ſimilitudinem priſtinæ viſionis, quæ quidem viſio neceſſariò comprobatur. Quapropter & Philoſophus de ſomno & vigilia, Cùm, inquit, continuè ſentiamus aliquid, transferentibus ſecundum ſenſum ſequitur paſsio, velut de Sole ad tenebras; Accidit enim nihil videre propter adhuc ſubſiſtentem motum in oculis à lumine;
C & ſi ad vnum colorem multo tempore aſpiciamus aut album, vel viridem, eiuſmodi videtur ad quemcunque viſum permutemus; & ſi ad Solem proſpicientes, vel aliquod ſplendidum, concluſerimus, obſeruantibus quidem videtur, ſecundum directionem qua accidit viſum videre, primum quidem huiuſmodi colorem, deinde permutatur in puniceum, deinde in purpureum, quouſque in nigrum veniat colorem & euaneſcat. Hoc idem & ratio clarè monſtrat: Ponatur enim Deum omnipotentem ſeruare in oculo ſpeciem ab obiecto receptam, deſtructo obiecto, & qualibet ſpecie eius in medio extra viſum, habebitque viſus haberéue poteſt omnimodam operationem ſuam intrinſecam ſicut prius; videbitque videréue poteſt vt prius; nihil enim deficit requiſitum. Obiectum enim & medium nullatenus requiruntur, niſi ad ſpeciem in oculo generandam, vel ad genitam conſeruandam. Cur ergo de potentia nobiliſsima intellectus non ſimiliter ſentiendum? Intellectus ergo in principio quando eſt totus potentialis indiget intentionibus huiuſmodi extrinſecis ipſum mouentibus, informanti-
D bus, & actuantibus, ſed cùm plenè informatus & actuatus extiterit, non indiget ipſis vltra, ſed ex tunc poteſt per ſe & ſua intrinſeca ſufficienter cognoſcere vniuerſa; imò ex tunc magis videntur ei obeſſe, quàm prodeſſe, eo quòd diſtrahunt intellectum à ſpeculatione ſincera, & operatione ſua perfecta. Quare & Auicenna de Anima 3. oſtendens, quomodo virtutes animales adiuuant animam rationalem in multis; Anima, inquit, humana iuuatur à corpore ad acquirendum principia conſentiendi & intelligendi, deinde cum acquiſierit, redibit ad ſeipſam: Si autem obſtiterint aliquæ virtutum quæ ſunt infra eam, & impediunt eam, aliquibus diſpoſitionibus retrahent eam à ſua actione: ſi verò impedita non fuerit, non egebit eo poſtea in ſuis actionibus proprijs, niſi in aliquibus tantùm, in quibus eſt opus redire ad virtutes imaginatiuas, & conſiderare eas iterum: ad hoc vt percipiat principium aliud ab eo quod habuerat, & adiuuent repræſentare id quod appetitur in imaginatione, & repræſentatio eius in imaginatione firmetur auxilio intellectus; hoc autem contingit in principio tantum & non po-
E ſtea, niſi parum. Cùm autem proficit anima, & roboratur, ſola per ſe operatur operationes ſuas abſolutè; virtutes autem ſenſibiles & imaginatiuæ, & cæteræ virtutes corporales retrahunt eam à ſua actione; verbi gratia, ſicut homo qui aliquando indiget iumento, & eius apparatu quo perueniat eò quò proponit, quò cùm acceſſerit, cauſa quæ fuit perueniendi, eadem eſt prohibendi. Idem 9. Meta. vlt. cùm forma deſcribitur in anima, perficitur ibi apprehenſio viſa, ſed non facit delectari, nec noceri certè, niſi hoc quod eſt deſcriptum in anima, non quod eſt extra: Quicquid autem deſcribitur in anima agit ſuam actionem, quamuis non * habeat cauſam extrinſecus; cauſa enim eſſentialis eſt hæc deſcriptio, extrinſeca verò eſt cauſa per accidens, vel cauſa cauſæ. Ampliùs autem quis neſciat omnem potentiam cognitiuam cognoſcere propriè per actum proprium intrinſecum, immanentem, non per aliquid extrinſecum

* homo

ſecum propriè: cur ergo Laicus benè diſpoſitus in corpore, & in omnibus potentijs corporalibus, habens in anima ſua actus ſcientificos clariſsimos, & ſcientiam clariſsimam actualem non poteſt illis vti cùm velit, non poteſt illos percipere? cur tantum || *lumen* in domo ſua videre non poteſt? poſſet enim per oculum corporalem, ſi proportionatum lumen haberet in oculo corporali, imò & per tactum rudiſsimum ſenſuum proportionaliter informatum perciperet, & ſentiret. A

||bonum.

Adhuc autem fortaſsis obdurata fronte adijcies reſpondere dicendo, quod intellectus poſſibilis, ſeu anima rationalis non eſt forma eſſentialis hominis per quam exiſtit, ſed intelligentia quædam cœleſtis, quæ perficit hominem tantummodo cognoſcendo, & per actionem ſuam ſolummodo cum homine copulatur. Illo namque comment. 5. ſic ais: Dicamus igitur quòd manifeſtum eſt, quòd homo non eſt intelligens in actu, niſi propter continuatiōnē intellecti cum eo in actu; Et eſt etiam manifeſtum quòd materia & forma copulantur ad inuicem, ita quod Congregatum ex ijs ſit vnicum, & maxime intellectus materialis, & intentio intellectiua in actu. B Quod enim componitur ex eis, non eſt aliquod tertium aliud ab eis, ſicut eſt de alijs compoſitis ex materia & forma. Continuatio igitur intellecti cum homine, impoſſibile eſt vt ſit, niſi per continuationem alterius iſtarum duarum partium cum eo, ſcilicet partis quæ eſt de eo quaſi materia, & partis quæ eſt de ipſo, ſcilicet intellectu quaſi forma. Et cum declaratum eſt ex prædictis dubitationibus, quòd impoſsibile eſt, vt intellectum compleatur in vnoquoq; hominum, & numeretur per numerationem eorum, per partem quæ eſt de eo quaſi materia, ſcilicet intellectum materialem, remanet vt continuatio intellectorum * cum nobis hominibus ſit per continuationem intentionis intellectæ cum nobis. Et ſunt intentiones imaginatiuę, ſcilicet partis quę eſt in nobis de eis aliquo modo quaſi forma; & ideo dicere puerum eſſe intelligentem in potentia poteſt intelligi duobus modis; quorum vnus eſt, quia formæ imaginatæ quæ ſunt in eo, ſunt intellectę in potentia; ſecundus autem eſt quia intellectus materialis, qui natus eſt recipere intellectum per intentionem illius formæ imaginatæ, eſt recipiens in potentia, & continuatus cum nobis in potentia. C Declaratum eſt igitur, quod prima perfectio intellectus, differt à primis perfectionibus aliarum virtutum animæ, & quòd hoc nomen, perfectio, dicitur de eis modo æquiuoco. Et infra comment. 19. Opinandum eſt, inquis, ſecundum Ariſtotelem, quòd vltimus intellectorum abſtractorum in ordine, eſt iſte intellectus materialis; Et comment. 20. ſuper illud verbum textus, Intellectus paſsibilis eſt corruptibilis; dicis, quòd Intellectus 4. modis accipitur, pro intellectu materiali, pro intellectu in habitu, pro intellectu agente, & pro virtute imaginatiua, innuens quòd ibi accipitur pro virtute imaginatiua. Et infra 33. dicis planè, Actio intellectus eſt alia ab actione virtutis cogitatiuæ, quam Ariſtoteles vocauit intellectum paſsibilem, & dixit eam eſſe generabilem & corruptibilem, & homo non eſt generablis & corruptibilis niſi per hanc virtutem. Et illo comment, 20. ſic adiungis, & per iſtum intellectum quem vocauit Ariſtoteles paſsibilem, diuerſantur homines in 4. virtutibus dictis in Topicis, & per iſtum intellectum differt homo ab alijs animalibus. D Et quis neſciat hominem per eandem formam eſſentialem conſtitui in eſſe & ſpecie hominis, per quam differt eſſentialiter ab alijs ſpeciebus? Forma ergo eſſentialis hominis per quam eſt homo, & differt eſſentialiter ab alijs ſpeciebus non eſt anima rationalis, immaterialis & immortalis, ſed || *alia* forma materialis, generabilis & corruptibilis, puta virtus imaginatiua vel cogitatiua, ſicut tu ſentire videris. Sed quis taliter ſenſerit, niſi forſitan inſenſatus? Quis enim niſi irrationabiliter irrationabilis neſciat hominem eſſe animal rationale, rationalitatem quoque eſſe differentiam eius eſſentialem, per quam eſſentialiter definitur in eſſe, & in ſpecie hominis ponitur, & ab alijs animalibus ſeparatur? Quare & formam eius eſſentialem eſſe animam rationalem, rationalem, inquam, non ſolum participatiue & impropriè, ſed eſſentialiter per ſe & propriè, ſecundum diſtinctionem Philoſophi 1. Eth. in fine. Adhuc autem ſi forma eſſentialis & vltima hominis eſſet forma materialis & irrationalis eſſentialiter, & rationalis ſolummodo ſecundum participationem & influentiam ab infima intelligentiarum cœleſtium, homo per ſe & eſſentialiter, per omnia ſcilicet eſſentialia ſua eſſet animal irrationale, nec rationale deberet poni in definitione ſua eſſentiali. E In definitione namque eſſentiali nihil accidentale extrinſecumue ponendum. Secundum eandem inſuper irrationabilem rationem, animalia irrationabilia rationabilia dici poſſent; participant enim aliqualiter ratione: Recipiunt enim ab homine diſciplinam; cum etiam animæ eorum ſint materiales, & ſimiles animabus materialibus, ſeu formis eſſentialibus & proprijs hominum, differantque ſolummodo in materialitate, in ſubtilitate & ruditate ſecundum magis & minus; Cur non poſſunt || *animalia* irrationabilia participare quodammodo & recipere aliquam influentiam rationis ab illa intelligentia, ſicut homo, & dici rationabilia, ſicut homo? Et ſi dixeris

*ſcilicet.

|| aliqua.

|| alia.

A dixeris hominem non esse animal rationale, priusquam intellectus materialis actualiter copuletur cum eo, dices necessariò consequenter infantes non esse homines nec animalia rationalia, ipsosque de vna specie in aliam permutari, de irrationali & bestiali ad rationalem & humanam, quare & homines posse similiter remutari. Amplius autem quomodo & per quid copulatur intellectus cum isto homine singulari? non nisi per suam operationem & intellectionem te teste. Et quis modus alius dari posset? Intellectus ergo est causa efficiens copulationis istius, quare & naturaliter prior ea. Sed nonne prius naturaliter est habere intellectum quàm intelligere vel operari per ipsum, sicut & habere visum quàm videre per ipsum; & ita de alijs formis actiuis & potentijs vniuersis? Nonne tu ipse Comment. 18. loquens de intellectu agente, & recipiente sic ais? Cùm inuenimus nos agere per has duas virtutes cùm volumus, & nihil agit nisi per suam formam, fuit necesse attribuere nobis has duas virtutes intellectus. Adhuc autem intellectus immaterialis, id est, intelligentia illa cœlestis, vel est tantùm in cœlo, in orbe lunari, vel in hominibus: Si tantum in cœlo, quomodo intelligit homo, & agit
B per formam & scientiam tantum distantem ab eo? Si in hominibus, vel in solis hominibus, aut etiam in omnibus alijs rebus orbi lunari subiectis: Si in omnibus alijs, hoc videtur valdè mirabile & incredibile, & contrarium Philosophiæ & opinioni communi. Quæ igitur ratio vel autoritas ad hoc cogit? cur insuper aliæ intelligentiæ superiores & perfectiores non replent similiter totum spacium orbibus suis subiectum. Illa insuper intelligentia est entitatis tantum finitæ, quare & præsentialitatis, & repletiuitatis, & occupatiuitatis simpliciter tantum finitæ. Tantum ergo posset esse spacium orbis lunæ, quòd ipsa non sufficeret ad replendum & occupandum totum, imò nec vsque ad terram: & si sic esset, adhuc nihilominus videretur hominem esse animal rationale, & posse ratiocinari vt prius. Si autem ponatur in solis hominibus, quomodo erit in || *hominibus* distantibus, neque adinuicem neque ad aliquod tertium copulatis, & non in medio. Tot insuper possent esse homines tot corpora & tanta habere, tantumque distare, quòd non posset sufficere ad ipsos plenariè occupandos, sicut ratio præmissa tangebat. || omnibus
C Amplius autem sicut anima vegetatiua ad vegetabile, & anima sensitiua ad sensibile; sic & anima rationalis ad animal rationale: proportionalia namque videntur. Sicut ergo anima vegetatiua & sensitiua ad vegetabile & sensibile, sic & anima rationalis ad animal rationale se habet. Sed vtraque istarum est forma essentialis, substantia, actus, species, ratio, & quod quid erat esse illius cuius est, ipsum per se & propriè essentialiter animans, actuans, & informans, constituens, perficiens, & inhærens sicut ratio clarè monstrat, & planè testatur Philosophus 2. de Anima, definitionem animæ inuestigans, & inuestigatã ostendens. Quare & de anima rationali similiter sentiendum. Nonne Philosophus definiens vniuersaliter animam, dicit ipsam esse substantiam, sicut speciem corporis Physici in potentia vitam habentis, 2. de Anima 4. vbi & textus quem tu exponis dicit, quòd anima est forma corporis naturalis, super quem ostendendo quod anima est forma, & quomodo differt à forma || *accidentali* dupliciter, ita scribis; || actuali
Quoniam verò est substantia secundum formam, manifestum est ex hoc, quod est aliud ab
D accidente, quoniam accidens non est pars huiusmodi substantiæ compositæ, forma autem est pars huiusmodi substantiæ compositæ. Et etiam æquiuocè dicitur forma esse in subiecto; & accidens esse in subiecto; subiectum enim accidentis est corpus compositum ex materia & forma, at est aliquod existens in actu, & non indiget in suo esse accidente; subiectum autem formæ non habet esse in actu secundum quod est subiectum nisi per formam, & indiget forma vt sit in actu. Eadem quoque sententia potest haberi a Philosopho, infra 7. sic scribente, Vnde non oportet quærere si vnum est anima & corpus, sicut neque ceram & figuram, neque omninò vniuscuiusq; materiam, & id cuius est materia. Hoc enim vnum & esse cum multipliciter dicatur, quod proprie est actus est. Quod & infra 8. ostendit per exemplum de dolabra & substantia eius, scilicet forma eius; & nono per exemplum de occulo & visu, qui est substantia eius secundum rationem, scilicet forma eius. Vbi & subdit, Oportet igitur accipere quod est in parte, in toto viuente corpore. Proportionaliter namque habet sicut pars ad par-
E tem, totus sensus ad totum corpus sensitiuum secundum quod huiusmodi; Quare & vniuersaliter sicut vna anima ad suum animatum, ita & alia quæcunq; ad suum. Quapropter & Philosophus ibi 7. Si, inquit, aliquod commune in omni anima oportet dicere, erit vtique actus primus corporis organici physici. Quid est in omni anima, nisi in omni specie, in triplici scilicet specie animæ? Nonne & idem Philosophus. 1. de Cœlo & mundo. 2. dicit quòd totum & omnia tribus determinata sunt, quæ enim duo ambos dicimus, & duos ambos, omnes autem non dicimus, sed de tribus hanc prædicationem dicimus primum. Philosophus ergo definiens animam intelligit vniuersaliter de quacunque. Sed scio tuam responsiunculam cauillosam. Dicis enim, Induxit hunc sermonem in forma dubitationis, cum dixit, Si &c. Quis enim nesciat quòd si, non semper affirmationem excludit, & dubitationem includit, sicut nec

videtur, aut forte, sicut pleraque loca Philosophiæ demonstant. Nonne & ideo statim infra 8. A subiungit, vniuersaliter quidem igitur dictum est, quid sit Anima; Substantia enim quæ secundum rationem; hoc autem est quod quid erat esse huiusmodi corporis; vbi & translatio tua habet; Iam igitur diximus, quid est Anima vniuersaliter, & est substantia secundũ hanc intentionẽ. Nec debet quenquã mouere, quod dicit Philosophus infra 11. quòd aliquę partes Animę non sunt actus corporis: Per hoc enim assignat differentiã inter actus animę separabiles à corpore & inseparabiles, dicens quod partes animæ vegitatiua & sensitiua in animalibus non sunt separabiles à corpore, quia sunt actus quarundam partium animalis, actus videlicet quibusdam partibus animalium propriè inhærentes, sicut formæ materiales cum materia propria coextensæ; quare nec possunt à suis materijs separari. Anima verò rationalis non est talis actus alicuius partis corporis, nec totius; quare & separabilis est ab eis, sicut nauta à naui, sicut innuit ibi Philosophus. Quare & infra 21. loquens de intellectu, dicit expressè quod hoc solum contingit separari sicut perpetuum à corruptibili; reliquæ autem partes animæ, manifestum quod non separabiles sint. Nec etiam debet mouere quod dicit supra eodem 21. De intellectu autem & perspectiua potentia, nihil adhuc manifestum est, sed videtur genus alterum animæ esse, quasi non sit comprehensa in definitione animæ generali præmissa: Intelligit enim quod de anima intellectiua nihil speciale & proprium adhuc manifestum est per aliquam definitionem, & determinationem specialem & propriam, sicut de alijs Animabus; imò nec ante tertium librum sequentem, qui specialiter est de ipsa. Amplius autem quis nesciat naturam esse principium & causam mouendi, & quiescendi in quo primum est per se, & non secundum accidens 2. Phys. 3. quare & id quod mouet animal processiuè esse formam eius essentialem, scilicet animam ipsam * essentialiter & propriè informantem, quod & ratio comprobat, & Philosophi contestantur. Homo autem mouetur processiuè, loquitur, comedit, & similia operatur per animam rationalem, per voluntatem videlicet rationalem, quam potentiam quandam seu partem animæ rationalis haud dubio constat esse. Non enim mouetur motibus supradictis ab alijs animabus, aut ab alia Anima. Hoc enim maximè videretur ab anima bestiali, ab anima seu virtute concupiscibili & irascibili, sed tunc non moueretur liberè huiusmodi motibus, sed necessariò sicut brutum. Videmus insuper & sentimus, quod virtute concupiscitiua excitante quenquam fortissimè ad mouendum, ad illecebras prosequendas, ipse per iudicium & voluntatem rationis liberæ se refrænat, quod etiam eadem virtute concupiscitiua, seu irascitiua, siue fugitiua retrahente quenquam fortissimè ab aliquo opere difficili, tristabili, terribili, virtuoso, ipse nihilominus liberè facit illud; alioquin tota Philosophia moralis esset inutilis & inanis. Duorum insuper hominum æqualiter affectorum in omnibus virtutibus corporalibus & potentijs sensitiuis, vnus mouetur, alius non mouetur; vnus prosequitur vitium vel virtutem, alius verò fugit, secundum differentiam suarum rationalium voluntatum. In anima namque seu in parte animæ ratiocinatiua, secundum Philosophum est voluntas, in irrationali verò concupiscentia D atque ira; quanquam & secundum eundem Animalia etiam communicent voluntate, quæ non est nisi eorum concupiscentia sensualis. Voluntas igitur rationalis & anima rationalis mouet hominem processiuè & alijs motibus memoratis. In ista quoque sententia conueniunt omnes Philosophi, quorum scripta potui reperire; quinimo & tu ipse super 3. de Anima, vbi Philosopus materiam istam tractat; Anima ergo rationalis est natura hominis & forma essentialis, ipsum essentialiter, per se primò & propriè constituens, actuans, & informans. Amplius autem, non dubium istam sententiam insensatam sententiæ Aristotelis repugnare: Aristoteles namque sentit & docet, quod Anima rationalis non educitur de potentia materiæ, sicut aliæ, sed aduenit ab extrinseco, & fit in quolibet homine singulari, nec ipsum temporaliter antecedit, sed æternaliter ei succedit, sicut libri sui diuersi testantur. 1. Namque de Anima. 65. Intellectus, inquit, videtur inferri substantia quædam existens & non corrumpi: vbi & translatio quam exponis sic habet; Intellectus autem videtur esse substantia aliqua quæ E fit in re & non corrumpitur. Et intelligit ibi Philosopus per intellectum, intellectum materialem, animam scilicet intellectiuam, sicut eius processus indicat euidenter, quod & tu ipse testaris: Qui & 2. de generatione animalium 6. qui est 16. de Animalibus in translatione antiqua, & 18. in noua, Inquirit an omnes animæ ingrediantur in materia, in spermate, in potentia scilicet & virtute, vel nulla; aut nunquid omnes adueniant deforis siue nullæ; aut hæ quidem sic, hæ autem non: Et respondendo, ostenso quod non est possibile animas corporales deforis aduenire, subiungit; Relinquitur autem intellectum solum deforis aduenire, & diuinum esse solum. Nihil enim ipsius operationi communicat corporalis operatio, vbi & docet quod animæ corporales non sunt separabiles à corpore, sed intellectus tantummodo. Idem 12. Metaphys.

essentialẽ

A taphys. 17. & 18. ponens differentiam inter causas efficientes & formales, sic ait; Mouentes quidē causæ, velut prius factæ, existentes; quæ autem vt ratio, simul quando enim sanatur homo, tunc & sanitas est, & figura aereæ sphæræ; si autem & posterius aliquid manet, perscrutandum est. In quibusdā enim nihil prohibet, vt si est Anima tale non omnis, sed intellectus: Omnem namq; impossibile forsan; vbi & tu scribis, dixit forte, quia demonstratio super hoc non est istius artis, sed libri de Anima. Eandem quoque sententiam in de problematibus, * & Secreto Secretorum locis diuersis affirmare videtur. Nonne & in libello de morte Aristotelis recitatur sententia eius plana, quod anima rationalis creatur à Deo, & quod sunt singulę singulorum præmiandæ vel puniendæ post mortem secundum exigentiam meritorum? Istam quoq; sentent. Aristot. Auicenna, & Algazel. imitantur: Auicen. 5. de Anima 3. Algazel. 4. Phys. suæ vlt. ostendentes animas rationales esse multas secundum multitudinem corporum humanorum, nec tamen corporibus corporaliter esse impressas, neque præcedere temporaliter corpora, sed creari in ipsis, vbi & istam tuam sententiam redarguunt & refellunt; quod etiam anima

* de animalibus.

B rationalis non moriatur cum corpore, sed etiam post mortem æternaliter maneat, præmietur quoque vel punietur secundum conuenientiam meritorum ijdem Philosophi planè docent, Auicen. 5. de Anima 4. & 9. Metaphys. vlt. Algazel 4. Physicæ suæ vlt & 5. Physicæ suæ 1. Imò & istam || *sapientiam* tuam mirabilem omnes sapientes Philosophi, omnes sapientiores Prophetæ, omnes leges, omnes gentes, & linguæ, & omnes & singuli homines instinctu naturæ edocti, nisi fortasis paucissimi per doctrinam tuam || *indoctam* seducti, concorditer arguunt & condemnant. Amplius autem prima suppositione attenta, & partibus sequentibus intellectis, quis dubitat Deum omnipotentem potuisse, & posse dedisse & dare singulis hominibus singulas animas rationales, sicut & alijs animalibus singulis singulas animas irrationales, sicuti & alijs rebus naturalibus singulis singulas formas suas. Potuit vtique, potuit atque potest, & magis decet Deum potentissimum & largissimum fecisse & facere sic quàm secus, quod & similiter homines magis decet multas ob causas naturales pariter & morales. Cur ergo non ista sententia potiùs quàm tua tenenda? præsertim cùm ista sit tam famosa, & contraria tam infamis, ista cunctis fauorabilis, illa omnibus odiosa; ista tot & tantis rationibus atque autoritatibus roborata, illa vix vmbra tenui rationis aut autoritatis fallaciter colorata. Fortior namque rationum quæ te iuuare videtur, quam tamen de pharetra tua non recolo exiuisse, est talis; Si non esset vt dicis, Anima rationalis ex nihilo crearetur, quod Philosophi omnes negant. Sed hic Plato & Platonici responderent consequentiam licet non consequens euitando, per reuersionem earundem animarum in diuersa vel eadem corpora per vices temporum circularem. Ego tamen consequentiam & consequens fateor, sicut Philosophi superiùs memorati, sicut & omnes Prophetæ & leges, sicuti & partes præmissæ possibilitatem creationis ex nihilo demonstrabant. Posses quoque arguere secundum Philosophiam quorundam, quòd si essent aliquæ animæ rationales per mortem à corporibus separatæ, essent penitùs otiosæ, cùm non moueant vllum corpus, sicut & de Intelligentijs cœlestibus argumentant.

|| sententiā

|| modicam

C

D Sed quæ consequentia? aut quis color? Spiritus rationalis non habet hanc operationem, ergo nullam, sed est penitùs otiosus. Non sunt aliæ actiones quamplures quàm motio corporalis; imò motio corporis cœlestis vel alterius est actio spiritus rationalis multùm accidentalis & extranea; actio verò eius maximè essentialis naturalis & propria, est intelligere, diligere, & speculari. Quinimò & actio eius naturalissima, perfectissima, & fœlicissima est cognoscere & diligere Deum plenè, ipsi fœliciter inhærere, & beatificè ipso frui, sicut omnes qui de vera Philosophia modicum quid gustarunt, concorditer profitentur. Quare & spiritus rationales cœlestes non Mouentiæ seu motores à mouendo, sed Intelligentiæ ab intelligendo appropriatiùs nuncupantur. Quapropter & non improbabiliter posset videri, quòd quanto Intelligentiæ sunt paucioribus imò minùs operationibus extrinsecis deditæ, tanto beatiores existunt: tanto namque à contemplatione diuina, inhæsione & fruitione beatifica videntur

E minùs distractæ, & ipsi vacare liberiùs, & integriùs possidere. Adhuc forsitan arguis, quòd in Intelligentijs in eadem specie nec est, nec esse potest pluralitas numeralis: quare nec in animabus rationabilibus simili ratione. Sed qua ratione? imò qua similitudine rationis probabis assumptum? Nonne actiones Intelligentiarum essentiales & accidentales de quibus superiùs tangebatur sunt eiusdem speciei? quis enim in illis diuersitatem specificam essentialem demonstrabit? Nonne & secundum 17. & 33. partes huius, Deus posset Intelligentiam quamlibet annihilare, & aliam simillimam ei in specie & in gradu creare? quare & posset similiter aliâ intelligentia permanente, aliam simillimam ei creare, & ambas pariter conseruare; & ita tres & quatuor, et vlterius quotquot vellet: alioquin nequaquam plenè omnipotens videretur. Adhuc autem non desinis obgarrire, sed dicis; Si posuerimus quòd Intellectus materialis

alis est numeratus per numerationem indiuiduorum hominum, continget vt si sit aliquid: A
hoc aut corpus, aut virtus in corpore, potentia scilicet corporalis corporaliter materialiterq; extensa, sicut alias animas esse constat? Sed ista consequentia tam inconnexa quàm inconcinna, tam inartificialis, et tam informis nullum indiuiduum scientificorum aut vulgarium hominum habens virtutem congruam intellectus debet illicere aut mouere, sicut præhabita manifestant. Quis enim nesciat Deum omnipotentem posse multiplicare animas rationales immateriales secundum multitudinem hominum et corporum humanorum; Intelligentiæ quoque multæ mouentes orbes cœlestes sunt aut esse possent eiusdem speciei essentialis, sicut superiùs monstrabatur: quare et omnes rectè Philosophantes, omnes Prophetæ et leges antecedens consequentiæ tuæ concedunt, consequens verò negant. Cæteræ verò tuæ argutiæ tanquam ridiculosæ potiùs dignæ sunt despici, quàm ad curam responsionis recolligi vel admitti. Nam sicut dicit Philosophus, quolibet contraria opinionibus proferente sollicitum esse stultum est: Et iterum; Omnes quidem perscrutari opiniones inanius fortassis est; suffi- B
ciens autem eas maximè, quæ superficie tenus aut apparent, aut existimantur habere aliquam rationem.

37 *Contra Philosophos negantes motum cœli, & generationem hominum posse cessare, mortuos posse resurgere cum suis corporibus, bonos posse ad cœlos conscendere, & malos descendere ad inferna, & vtrosque posse sic viuere in æternum.*

|| abnegantes

CEssent Philosophi, || *negantes* motum cœli, & generationem hominum posse cessare, mortuos cum suis corporibus posse resurgere, bonos posse ad cœlos ascendere, & malos descendere ad inferna, & vtrosque posse sic viuere in æternum. Aristoteles siquidem & Auerroes videntur astruere quòd motus cœli, generatio & successio hominum necessario sunt C
æterni. Epicuræi quoque & multi alij Philosophi possibilitatem resurrectionis corporum humanorum & præmiationis post mortem hominum negant planè. Quibus & Plinius, 2. Naturalis historiæ fauens scribit: Imperfectæ vero in homine naturæ præcipua solatia, ne Deum quidem posse omnia. Nam nec sibi potest mortem consciscere si velit, (quod homini dedit optimum in tantis vitæ pœnis) nec mortales æternitate donare, aut reuocare defunctos, nec facere vt qui vixit non vixerit, qui honores gessit non gesserit, nullumque habere in præterita ius præterquam obliuionis, per quæ declaratur proculdubio potentia naturæ, idque esse quod Deum vocamus. Vnde beatus Augustinus super illud Psalmi 88. sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis, tractatu secundo, In nulla, inquit, re tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixe & contentiose contradicitur fidei Christianæ, sicut de carnis resurrectione? Nam de animæ immortalitate multi etiam Philosophi gentium multa disputauerunt, & immortalem esse animum pluribus & multiplicibus libris conscriptis memoriæ re- D
liquerunt; sed cum ventum fuerit ad resurrectionem carnis, non titubant sed apertissime contradicunt; Et contradictio eorum talis est vt dicant fieri non posse vt caro ista terrena possit in cœlum ascendere. Sed nonne qui secundum 33^am^ & 34^am^ partes potuit mundum creare, & potest eum annihilare, potest facere motum eius cessare, & quomodo aliter esset omnipotens, & haberet voluntatem vniuersaliter efficacem secundum 7^am^ & 8^am^ partes præmissas, præsertim cum hoc nullam contradictionem includat, sicut apparet ex 34^a^ parte. Hoc ergo tribuendum est Deo, sicut suppositio prima probat. Motor quoque cœlestis vel est Deus vel non Deus: Si Deus, cum ipse moueat voluntarie, & secundum 8^am^ partem ipse habet liberam voluntatem, cur ergo non potest cessare? Si non Deus, est inferior Deo, & minor; Deus ergo liberrimæ & efficacissimæ voluntatis potest facere ipsum cessare & eius mobile quietare. Qui etiam secundum præmissa in ostensione 32. partis, fecit Lunam in plenilunio consueto reuerti velociter vsque ad Solem, & ipsum tam mirabiliter eclipsare, qui fecit Solem retro- E
cedere, atque stare, cur non posset facere motum cœli cessare? Rursus autem si Deus potest facere motum cœli cessare, cur non & motum generationis humanæ, præsertim cum ille prior regularior minus impedibilis & magis necessarius videatur, potestque particula ista secunda ostendi vt prima. Si etiam generatio hominum necessario sit mansura, vel hoc est à solis hominibus, quod non videtur, cum libere generent; vel à motu cœlesti, quod non videtur, quia ille potest cessare; vel à Deo, quod non videtur, quia si aliquid ibi agat, cum secundum partem 8^am^ ipse sit agens rationale, ex libera voluntate posset non agere. Amplius autem si creatio & recreatio rerum, imò & mundi totius sit possibilis, secundum 33^am^ & 34^am^ partes, & virginem concipere & parere filium secundum 35^am^ partem, cur non resurrectio hominum

A mirum & corporum mortuorum, cuius & poſsibilitas poteſt ſimiliter demonſtrari? Deus etiam qui ſecundum præmiſſa in oſtenſione 32. partis omnimoda miracula operatur, cur iſtud miraculum non poterit operari, imò & aliquoties operatur, ſicut ibi fuerat recitatum? Eſt inſuper Deus alicuius potentiæ reſtitutiuæ deperditorum, reparatiuæ deſtructorum, & reformatiuæ deformatorum, & non tantum finitæ, ſed ſimpliciter infinitæ per 4^{tam} partem huius: Poteſt ergo mortua quælibet ſuſcitare. Item aliqua potentia creata poteſt viua mortificare ſicut morbi, gladij, & venena; ſed abſit quòd aliqua res creata, paruula, & finita ſit potentior ad deſtruendum, quam Deus ad reparandum propter præmiſſa. Et ſi dixeris hæc vera eſſe, ſi in materia eſſet aliqua potentia redeundi; ſed non eſt ita, quia à priuatione ad habitum non eſt poſsibilis regreſsio, ſicut Philoſophi conteſtantur: videtur quòd menſures diuinam potentiam ſecundum modum potentiæ agentium creatorum. Illa enim agendo requirunt potentiam naturalem in materia eis ſubiecta, Deus autem nequaquam, cum poſſit creare ex nihilo, cum etiam omnem potentiam, materiam & rem deſtructam, etiam annihilatam B valeat recreare per 33^{am} partem huius. Nec eſt omninò certiſsimum à priuatione ad habitum non eſſe regreſſionem poſsibilē; In multis namq; cōtingit, qui quicquā amiſit, rehabere amiſſum: non eſt ergo hoc certum, præſertim reſpectu potentiæ Dei magnæ. Nec iſti Philoſophi afferunt aliquod efficax argumentum, & iam allatum eſt argumentum euidens contra eos: cui ergo parti potiùs adhærendum? Quis etiam neſciat quot hiſtoriæ conteſtentur, homines ſaltem ſecundum corpora fuiſſe in beſtias transformatas? Nonne magnus ille liber Ouidij Metamorphoſeôs hoc multis locis teſtatur? Vnde & nomen accepit; ſed planiſsimè 14. libri quinto, vbi recitatur expreſsè, quomodo *Carminibus Circe ſocios mutauit Vlyſsis*, ipſos in beſtias transformando: & infra eiuſdem 8. narratur ſimiliter de conuerſione ſociorum Diomedis in aues. Nec poteſt quis dicere hæc & omnia talia eſſe figmenta poëtica, & mendacia fabuloſa: Multi namque Autores faciunt mentionem de famoſiſsima malefica illa Circe, & C de *operibus eius miris. Boetius ſiquidem 4. de Conſolatione Philoſophiæ metro 3. recitat *omnibus. prædictam transformationem ſociorum Vlyſsis venientium ad hanc Circem, quam deam appellat, virtute quorundam poculorum carminatorum per eam. Solinus 2. de mirabilibus mundi dicit Circen Circæos inſediſſe montes, carminum maleficijs varias imaginum facies mentientem. Papias in elementario ſuo dicit; Circe filia Solis quæ dicta eſt mutaſſe ſocios Vlyſsis, Circe inſula Orientis, Circæus eſt mons vbi Circe habitauit. Plinius etiam 7. Naturalis Hiſtoriæ, perhibet genus Marſorum, qui à Circe deſcenderant, vim naturalem habere contra venena ſerpentum: De quibus & Solinus de Mirabilibus Mundi 1. Gentem, inquit, Marſorum ſerpentibus illæſum eſſe nihil mirum. A Circes filio genus ducunt, & ea habita potentia deberi ſibi ſciunt ſeruitium venenorum. Girgith quoque filia Circes ſcripſit in Magica de Imaginibus quendam librum. Euvantes ſicut recitat Plinius 8. Naturalis hiſtoriæ, tradit Arcadas ad quoddam ſtagnum Italiæ duci, veſtituque in quercu ſuſpenſo tranſnatare, & abire in deſerta, transfigurarique in lupos, & cum cæteris eiuſdem generis congregari per D 9. annos, quo in tempore ſi homine ſe abſtinuerint, reuerti ad idem ſtagnum, & cùm tranſnatauerint effigiem recipere, ad priſtinum habitum, addito 9. annorum ſenio: vbi & ſimiliter recitatur quòd Fabius dicit eandem ſe recipere veſtem, ſcribiturque ibidem quòd Ithacopas narrat Demenetum quendam in ſacrifico quod faciebant Arcades in Lycæo cum hoſtia humana, pueri immolati exta deguſtaſſe, & in lupum ſe conuertiſſe, eundemque decimo anno reſtitutum. Solinus etiam de Mirabilibus Mundi 2. ſic ſcribit: Inſula quæ Apuliæ oram videt, tumulo ac delubro Diomedis inſignis eſt, & Diomedæas aues ſola nutrit; De quibus & multis mirabilibus recitatis ſubiungit; Ob hoc ferunt Diomedis ſocios aues factos. Vnde & Papias, Diomedem Pagam Deum aſſerunt, & ſocios eius in aues conuerſos, vnde & Diomedeæ aues dicuntur, Græcè Erodios. Græci quoque teſtantur ſocios Diomedis in volucres fuiſſe conuerſos, & hoc non fabuloſo poeticoque mendacio, ſed hiſtorica atteſtatione confirmant; quod & 18. de Ciuit. Dei 16. recitat Auguſtinus. Hoc idem & Varro nititur multipli- E citer confirmare, de quo Auguſtinus 18. de Ciuit. Dei 18. Hoc, inquit, ſcilicet conuerſionem prædictam ſociorum Diomedis, Varro vt aſtruat, commemorat alia non minùs incredibilia, de illa Maga famoſiſsima Circe, quæ ſocios quoque Vlyſsis mutauit in beſtias, & de Arcadibus, qui ſorte ducti tranſnatabant quoddam ſtagnum, atque ibi conuertebantur in lupos, & cum ſimilibus feris per illius regionis deſerta viuebant. Si autem carne non veſcerentur humana, rurſum poſt 9. annos eodem renatato ſtagno reformabantur in homines. Denique etiam nominatum expreſsit quendam Demenetum guſtaſſe de ſacrificio quod Arcades immolato puero de ſuo Lycæo facere ſolerent, & in lupum fuiſſe mutatum, & anno 10. in figuram propriam reſtitutum, pugillatu ſeſe exercuiſſe, & Olympiaco viciſſe certamine. Nec

propter aliud arbitratur idem historicus in Arcadia tale nomen affictum Pani Lycæo, & Ioui A Lycæo, nisi propter hanc in lupos hominum mutationem, quòd eam nisi diuinitùs fieret non putarent. Lupus enim Græcè Lycos dicitur; vnde Lycæi nomen apparet inflexum: Romanos etiam Lupercos, ex illorum mysteriorum veluti semine dicit exortos. Isidorus etiam 11. Eth. vlt. Scribuntur, inquit, quædam monstrosè hominum transformationes, & commutationes in bestias, sicut de illa magna famosissima Circe, quæ socios quoque Vlysis mutasse fertur in bestias; & de Arcadibus, qui sorte ducti transnatabant quoddam stagnum, atque ibi conuertebantur in lupos. Nam & socios Diomedis in volucres fuisse conuersos non fabuloso mendacio, sed historica affirmatione confirmant. Sed & quidam asserunt Strigas ex hominibus fieri. Ad multa enim latrocinia figuræ sceleratorum mutantur, & siue magicis cantibus, siue herbarum veneficio totis corporibus in feras transeunt. Siquidem & per naturam pleraque mutationem recipiunt, & corrupta in diuersas species transformantur, sicut de vitulorum carnibus putridis, Apes; sicut de Equis, Scarabei; de Mulis, Locustæ; de Cancris, Scorpiones. B Ampliùs autem in de mirabilibus quoque Hyberniæ legitur, quòd in partibus Vltoniæ, quidam viri ac mulieres conuertuntur in lupos, & post septennium reuertuntur. Solinus quoque de mirabilibus mundi 3. refert quòd Neuri in æstate mutantur in lupos, & iterum remutantur. Quanta insuper fama adhuc modernis temporibus in Anglia & Francia diffamat quosdam viros, ex quadam proprietate, seu infirmitate complexionis, in lupos quandoque conuerti, & luporum opera exercere, & passione sedata rursus ad seipsos reuerti. Item Augustinus 18. de Ciuitate Dei 19. Nos, inquit, cùm essemus in Italia, audiebamus talia de quadam regione illarum partium, vbi stabularias mulieres imbutas his malis artibus in caseo dare solere dicebant, quibus vellent seu possent viatoribus, vnde in iumenta illicò verterentur, & necessaria quæque portarent, post quæ perfuncta opera iterum ad se redirent; nec tamen in eis mentem fieri bestialem, sed rationalem humanamque seruari. Cui & concorditer Wilhelmus Malmesburiensis libro secundo de gestis Anglorum refert, Quòd quidam histrio C nomine Ephœbus exceptus est hospitio à duabus aniculis commanentibus in strata publica, qua Româ itur, quem sibi ipsi & alijs asinum videri fecerunt, & pro asino qui tamen gesticulationes solitas prout potuit, exercebat, ad magnum risum multorum, donec tandem volutatus in aqua ad statum pristinum remeauit. Nonne & Apuleius in libro suo Metamorphoseos, quem de asino aureo nominat, planè recitat de seipso, Quòd volens addiscere à quadam Maga artem, qua homines in bestias mutarentur, & hoc experimentaliter in seipso, quòd ipse in asinum est mutatus, & priusquam remutari valeret, in quadam domo maleficè positus, à quibusdam latronibus superuenientibus, & ipsam spoliantibus, sarcinulis suppositis est abductus, qui & postea remutatus, de illa sua transformatione scripsit librum prædictum non metro, sed prosa, sicut idem liber legentibus patefecit. Nonne etiam ars transformationum & reformationum huiusmodi traditur *in vacca Platonis*, seu fingitur ibi tradi, in quo & multa alia turpia, superstitiosa & Magica continentur. Præterea refert Ouidius 3. Metamorph. D quòd quidam Tiresias de fœmina mutabatur in virum: Neque necesse est vt istud dicatur esse mendacium, poeticumque figmentum. Plinius enim libro septimo Naturalis historiæ scribit ita: Ex fœminis mutari in mares, non est fabulosum; Inuenimus in Annalibus, Licinio Crasso, Longino Consulibus, Casium puerum factum ex virgine sub parentibus, iussu Aruspicum deportatum in insulam desertam. Licinius Mucianus prodidit visum à se Argis Aristontem fuisse, nupsisse, & mox barbam & virilitatem prouenisse, vxoremque duxisse: Eiusdem sortis & Smyrnæ puerum à se visum. Ipse in Africa vidi mutatum in marem nuptiarum die Lucium ciuem Tisdritanum. Dicit etiam Augustinus de quæstionibus nouæ & veteris legis 57. tempore Imperatoris Constantij manifestum est puellam in parte Campaniæ mutatam in masculum, & Romam perductam. Refert quoque historia Britonum libro 8°. quòd Vter Rege Britonum obsidente Gorloys ducem Cornubiæ in castello suo Dimuliot, vxore sua Ygerna, quam Rex ardentissimè concupiuit, posita in Tintagel alio castro suo tutissimo, consulenteque Vlfin familiarem suum, & post Vlfin, Merlinum vatem tunc præsentem, quomodò suo desiderio potiretur: Merlinus respondit, Vt voto tuo potiaris vtendum E est tibi nouis artibus, & tempori tuo inauditis: Scio medicaminibus meis dare tibi figuram Gorloys, ita vt per omnia ipse videaris. Si itaq; parueris, faciam te prorsus simulare eum, Vlfin verò Iordanum de Tintagel familiarē suum, alia autem specie sumptu adero tertius, poterisq; tutò adire oppidū ad Ygernam, atq; aditū habere. Et sequitur, Paruit itaq; Rex diligentemq; animū adhibuit. Postremò commissa familiaribus suis obsidione, commisit se medicaminibus Merlini, & in speciē Gorloys transfiguratus est. Mutatur etiam Vlfin in Iordanū, Merlinus in Britaelem, ita vt nemini quod fuerant, cōparerent, sicque veniens ad Ygernam, susceptusq; per

A per omnia tanquam Gorloys, suscitauit ex ea famosum illum Arturum; & dum hæc agerentur captum est castrum, & dux occisus. Et sequitur, Venerunt nuntij ad Ygernam, qui & necem ducis & obsidionis euentum indicarent. Sed cum Regem in specie Consulis residere iuxta eam inspexissent, erubescentes admirabantur ipsum, quē in obsidione interfectum deseruerant ita eos incolumē præuenisse. Nesciebant enim quæ medicamenta Merlinus confecerat: Rex autem egressus petijt exercitum suum, & exuta specie Gorloys in Vter redijt. Nonne & famosi & sacri apices indicant, quandam virgam fuisse conuersam in colubrum & reuersam, & alias quasdam virgas in dracones conuersas? Aquamque conuersam in sanguinem, puluerem quoque terræ in Ciniphes; Nabuchodonosor ita transformatum fuisse, quod cor eius ab humano fuit commutatum, & cor feræ ei datum, quodque ab hominibus fuit eiectus, & cum feris fœnum vt bos comedit, donec super eum septem tempora mutarentur, quibus expletis sensus suus reuersus est ad eum, figura quoque sua reuersa est ad eum? quam transformationem Hieronymus locū illum exponens, multis exemplis similibus astruit, & confirmat. Vnde & Iosephus 10. Antiquit. Iudaica. 9. Vidit, inquit, in somnis Rex, quia casurus de regno cum bestijs erat habitaturus; & cum degisset hoc modo septem annis in deserto, reciperet denuò principatum; & hoc Daniel exposuit, & sicut ei prædixerat, ita prouenit. Nam cum habitasset prædictum tempus in eremo, & nullus præsumsisset septem illis annis rerum dominium detinere, supplicans Deo vt regnum reciperet denuò, reuersus est ad eum. Nullus igitur me culpet, eo quod ita narrauerim singula, sicut in antiquis libris inueniuntur scripta. Si igitur talis transmutatio corporum humanorum aliarumq; rerum sit possibilis per potentiam qualemcunque & quantamcunque creatam paruulam & finitam, sicut multi infideles & Philosophi confitentur, cur per Dei potentiam, imò omnipotentiam infinitissimè infinitam, qua maior nec potest esse, nec etiam cogitari, non est possibilis reformatio corporum mortuorum ad formam priorem, & quædam transformatio ad quandam formam seu speciem meliorem, & ita resurrectio mortuorum? Amplius autem secundum famam communem, & secundum Auicennam in ostensione partis trigesimæsecundæ superius allegatum, & secundum Algazelem 5. Physicæ suæ 5. & secundum alios quosdam Philosophos & Gentiles, fascinatio est possibilis per visum & loquelam quorundam ad deteriorationem animalium, macerationem, & mortem. Vnde Virgilius in Bucolicis Ecloga 3ª.

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Testes sunt Isigonus & Nimphodorus cum Apollonide Philarcho, Plinio, 7. Naturalis Historiæ taliter referente in Africa familias quasdam effascinantium, Isigonus & Nymphodorus tradunt, quarum laudatione intereant Probata, arescant Arbores, emoriantur Infantes. Esse eiusdem generis || *in Triballis*, & Illyricis adijcit Isigonus, qui visu quoq; effascinant, interimantque quos diutius intueantur, iratis præcipuè oculis; quod eorum malum faciliùs sentire impuberes; notabile esse quod pupillas binas in oculis singulis habeant: Huius generis & fœminas in Scythia quæ Viciæ vocantur, prodit Apollonides Philarchus; & in Ponto Tibiorum genus, multosque alios eiusdem naturæ, quorum notas tradit in altero oculo geminam, in altero equi effigiem; eosdem præterea non posse mergi, nec veste quidem degrauatos. Solinus etiam de mirabilibus Mundi 1. sic scribit, Apollonides perhibet in Scythia fœminas nasci, quæ Viciæ vocantur: Has in oculis pupillas geminas habere, & perimere visu, si quem fortè iratè aspexerint: Hæ sunt & in Sardinia. Si igitur debilis creatura per visum aut verbum tantum valeat ad deteriorationem, aut mortificationem viuorum; cur Deus omnipotens per suam omnipotentiam infinitam non tantum & incomparabiliter amplius valeat ad similes contrariosue effectus? Quis etiam nesciat quantum Necromantia, & aliæ artes Magicæ valeant, sicut libri Theorici & practici scientiarum illarum, & sancti libri pariter contestantur; sicut & docet fama cōmunis, & experientia nimis frequens; sicut & de Magisterijs Cypriani in ostensione trigesimæsecundæ partis superius tangebatur? si igitur tantum valeant istæ artes per potentiam dæmonum, siderum, imaginum, characterum, aut verborum, siue per potentiam aliam creatam quamcunque, quantum magis valet Dei omnipotentia infinita? Cur ergo non valet mortuos veraciter suscitare. Si igitur secundum præmissa Deus omnipotens potest cælum quietare, & mortuos suscitare, potest & suscitatos ad cœlestia subleuare, & cum seipso habitante in cælis in cælestibus collocare. Hoc enim minus videtur quàm illa, quod & potest ostendi vt illa. Deus quoque omnipotens qui secundum præmissa circa trigesimamsecundam partem in cœlestibus atque terrestribus omnimoda facit miracula, cur non poterit facere istud vnum. Et si Deus hoc potest, cur non potest & malos cum suis corporibus suscitatos deprimere ad inferna? Si insuper Deus potest mortuos suscitare ad vitam, potest & suscitatos

|| interuallis

(Margin letters: B beside "formationem Hieronymus"; C beside "liorem"; D beside "minas in Scythia"; E beside "tentiam dæmonum".)

ſuſcitatos quamdiu voluerit conſeruare in vita; hoc enim minus videtur quàm illud, quod & A
poteſt oſtendi vt illud.

38. *Contra Philoſophos & hæreticos negantes meritum temporale poſſe rationabiliter præmiari præmio ſempiterno, aut peccatum temporale poſſe iuſtè puniri pœnâ æternâ.*

|| poſſet perpetuo viuere

CОrrigentur Philoſophi & hæretici diffitentes meritum temporale poſſe rationabiliter
præmiari præmio ſempiterno, aut peccatum temporale poſſe iuſtè puniri pœnâ æternâ.
Nonne homo quandoque rationabiliter confert terram aut villam ſeruitori ſuo, & ſuis hære-
dibus perpetuò poſsidendam; & ita conferret illi, ſi *perpetuò viueret* pro breui ſuo ſeruitio
temporali? quantò magis decet Deum ſummè bonum, diuitem, liberalem & omni virtute
plenisſimum infinitè, ſicut prima Suppoſitio, tertia & quarta partes oſtendunt, ſeruitores ſu-
os pro ſuo ſeruitio temporali ſimiliter vel amplius præmiare? Nonne etiam Deus ſummè li- B
beralis & bonus poſſet conferre rationabiliter Angelo vel homini ſemper victuro, bonum ali-
quod ſempiternum, non pro aliquo merito ſuo priori, ſed purè liberaliter, purè gratis? cur
ergo non poſſet benè merentem licèt temporaliter, æternaliter præmiare, præſertim cum Deus
quemlibet præmiet vltra condignum ſecundum 31ᵃᵐ partem? Amplius autem decet quemli-
bet Dominum ſcientem & potentem prẹmiare ſeruitores ſuos ſecundum qualitatem &
quantitatem ſui ſeruitij & amoris; quilibet autem ſeruiens Deo rectè, ſic diligit eum & colit,
quod pro quantocunque bono quantumcunque durabili, non offenderet eum ſcienter ſerui-
tium debitum ommittendo, aut quicquam ei diſplicens committendo, ſecundum 30ᵃᵐ par-
tem huius. Nonne ergo conuenientisſimè decet Deum ſummè ſcientem, & ſummè potentem
rependere ſuo huiuſmodi ſeruitori aliquod bonum maius, & aliquod præmium amplius bono
& præmio quolibet temporali, bonum & præmium videlicet ſempiternum? Et ſi quis dixe-
rit, quòd bonitas quædam inſeparabiliter conſequens actum bonum ſecundum præmiſſa cir- C
ca 31ᵃᵐ partem, poteſt pro ſufficienti præmio reputari, quomodo omnes leges benè merenti-
bus alia præmia ſtatuunt, & diſponunt? Si etiam Deus bene merentem non aliter præmiat,
præmiat eum parcè, non vltra condignum, contra 31ᵃᵐ partem. Quicunque inſuper debitè
colit Deum ſecundum doctrinam 30. partis huius, pro quantocunque maiori bono quàm il-
lo, nuſquam eum ſcienter offenderet vllo modo. Quomodo ergo decet Deum ſummè po-
tentem, & copioſisſimè liberalem, tantum cultum talis ſui cultoris tam parcè, tam exiguè
præmiare? Nonne & homo bonus & potens ſeruitores ſuos idoneos amplius præmiabit?
Multo conuenientius ergo Deus melior & potentior quolibet homine infinitè. Amplius au-
tem pro quantacunque pœna habita remouenda, vel non habita præcauenda non deberet
quis ſcienter peccare, tanta pœna poteſt ei iuſtè imponi pro quocunque peccato ſcienter
commiſſo, quare & quantacunque etiam infinita ſecundum durationem per 30ᵃᵐ partem hu-
ius. Nonne & homo pro delicto temporali in principem temporalem commiſſo perpetuo D
carceri condemnatur? Et ſi poſſet æternaliter viuere, æternaliter in carcere puniretur, amit-
titque terram ſuam ſeu feudum pro ſe & ſuis hæredibus in æternum, ſicut & quis pro tempo-
rali delicto conuictus & pronuntiatus falſarius & periurus, & ita infamis, & ſi æternaliter vi-
ueret, pro tali æternaliter haberetur. Cur ergo non ſimiliter de temporali delicto commiſſo
in principem ſummum Deum? Nonne & delictum ſcienter commiſſum in perſonam maio-
rem, puta in patrem aut principem, maiori & diuturniori pœna eſt dignum? Nonne ergo de-
lictum ſcienter commiſſum in Deum omnem Patrem & Principem incomparabiliter exce-
dentem eſt dignum pœna maiori incomparabiliter & æterna? Si namque tale delictum tan-
tum eſſet dignum pœna temporali finita, puta annali, poſſet & ſimile delictum commiſſum
in perſonam maiorem per augmentationem perſonæ finitam augeri, donec eſſet dignum pœ-
na æquali, imò & maiori. Adhuc autem cum quis pro peccato ſuo contra Deum ſcienter
commiſſo mittitur in carcerem & pœnam, nequaquam iuſtè liberandus videtur, donec ſatiſ- E
fecerit pro commiſſo. Sed quomodo poteſt quis, ſi exquiſitè & rigoroſè agatur cum eo, ſa-
tiſfacere Deo pro quocunque peccato ſcienter in eum commiſſo, cum ſecundum 30ᵃᵐ partem
nullum peccatum deberet ſcienter committi in Deum, pro quantiſcunque bonis ſeruandis, ſi-
ue lucrandis, aut quantiſcunque malis habitis amouendis, ſiue non habitis præcauendis, &
ſatiſfacere pro peccato, ſit reddere tantum vel maius, pro quanto peccatum non debuit fu-
iſſe commiſſum, ſicut oſtenſio trigeſimæ ſecundæ partis fuſius ac plenius arguebat? Si-
quis autem dixerit, quòd impotentia ſatiſfaciendi ipſum excuſat, contradicetur ei per præ-
miſſa circa 32ᵃᵐ partem iſtius: Secundum hoc etiam videretur, quòd omnis peccator, dum
peccat, excuſaretur per impotentiam non peccandi. Non enim poteſt pro tunc non peccare,
ſed

A sed necessario pro tunc peccat. Nonne etiam ipse se debitorem constituit & impotentem effecit, & hoc per culpam suam non abolitam, sed manentem? Iustum quoque videtur, vt fur, vel raptor, qui deberet satisfacere, bona æqualia vel maiora reddendo, si non possit, interim patiatur pœnas luendo. In punitione namque peccantis honor offensi seu læsi sublatus aliqualiter restauratur, satisfactio qualiscunque præstatur, peccatum castigatur, peccandi occasio refrænatur, & iustitia conseruatur, nisi indulgentia fortassis offensi interueniat gloriosa. Adhuc autem impotentia satisfaciendi culpabilis nusquam videtur excusare à toto, quin debeat reddere quantum potest. Quantumcunque ergo peccans contra Deum, semper satisfaciat, & reddat Deo pro viribus quantum potest; etiam si viuat in æternum, nunquam redditur plenariè excusatus, quin semper similiter facere teneatur, & in supplementum satisfactionis debitæ qualecunque, pœnas quas potest interim sustinere. Non enim decet optimam politiam optimi legislatoris, quod peccans scienter, ipsum & leges suas contemnens, &
B non peccans; Satisfaciens & non satisfaciens similes habeantur. Nonne ideo in omnibus legitimis politijs, sicut præmia benè merentibus sic & pœnę delinquentibus, & non satisfacientibus statuuntur? Si etiam peccanti scienter contra Deum, satisfactio propter impotentiam satisfaciendi remittatur; vel remittitur ei necessario absolute, vel libere: si necessario absolute, quæ gratia remittenti? qualis namque liberalitas reputanda, si quis illud remittat quod non potest non remittere, quod non potest habere, quod non potest exigere vllo modo? Et quis nisi ingratus præsumserit dicere, quòd remissio debiti non est grata? si libere * potest *non
non remittere. Adhuc autem si peccator propter impotentiam satisfaciendi, à satisfactionis debito excusatur; vel excusatur & redditur innocens à peccato, vel tenetur continuo reus peccati: Si reddatur mundus & innocens à peccato, semper sic fuit etiam dum peccauit propter impotentiam supradictam, vel si per aliquod tempus tenetur reus peccati, prædicta impotentia non obstante, quare non sic posset per tempus æternum? præsertim si nullo
C tempore satisfiat: Si tenetur & est reus peccati, quantam pœnam necessario & inseperabiliter habet annexam, docet ostensio 31. partis. Quomodo etiam quicunq; peccator, quamdiu manet reus peccati, non digne à sincera beatitudine & consortio beatorum relegatur, & constrictus in carcere detinetur? Si quis autem responderit quod illa pœna essentialis inseparabiliterque annexa est sufficiens pro peccato, intentionem huius particulæ non excludit. Non enim vitat, quin peccator pro temporali peccato ista saltem pœna ętternaliter puniatur; Quare nec vitat quin à beatitudine & beatorum Collegio æternaliter excludatur. Potest quoque ista reponsio corrigi per præmissa, sicut alia responsio similis prælibata.

Contra Philosophos & Hæreticos negantes resurrectionem mortuorum futuram ad vitam beatam vel miseram secundum differentiam meritorum, concedentesque ipsam esse futuram siue statim post mortem, siue post spacium magni Anni in corporibus bestialibus, vel humanis, alienis vel proprijs ad vitam mundanam bestijs vel hominibus solitam, temporalem, per consuetam periodum duraturam; credentesque vniuersaliter omnium mortuorum tam bonorum quam malorum resurrectionem futuram ad vitam & beatitudinem sempiternam, & nullorum ad pœnam & miseriam sempiternam; putantes quoque bonos æternam beatitudinem possessuros, non tamen in cœlo, malosque æternam miseriam habituros, non tamen in inferno; sed ambos in terra communiter permansuros; dicentes insuper corpora bonorum nequaquam ad meliorem, sinceriorem & cælestiorem conditionem in futura beatitudine transformanda, aut immortalia tunc futura, sed in statu pristino remansura, corporaue malorum viuentia in æternis supplicijs æternaliter minimè duratura; fingentes etiam impudenter fœlicitatem æternam bonorum futuram debere consistere in carnis voluptatibus consuetis, aut in aliquo alio, seu quibuslibet alijs præter Deum. 39

D

E

RESurgant Philosophi ad spē vitæ negantes resurrectionē mortuorum futuram ad vitam beatam vel miseram secundū differentiā meritorum. Consurgant ad lucem sententię verioris, concedentes resurrectionē mortuorum futuram, siue statim post mortem, siue post spacium magni Anni in corporibus bestialibus vel humanis, alienis vel proprijs ad vitam mundanam, bestijs vel hominibus solitam temporalem, per consuetam periodum duraturam; credentesq; vniuersaliter omnium mortuorum, tam bonorum, quam malorum resurrectionem futuram

turam ad vitam & beatitudinem ſempiternam,& nullorum ad pœnam & miſeriam ſempiternam; Putantes quoque bonos æternam beatitudinem poſſeſſuros, non tamen in Cælo; maloſque æternam miſeriam habituros non tamen in inferno, ſed ambos in terra communiter permanſuros; Dicentes inſuper corpora beatorum nequaquam ad meliorem, ſinceriorem & cœleſtiorem conditionem in futura beatitudine transformanda, aut immortalia tunc futura, ſed in ſtatu priſtino remanſura; corporaue malorum viuentia in æternis ſupplicijs æternaliter minime duratura;fingentes etiam impudenter fœlicitatem æternam bonorum futuram debere conſiſtere in carnis voluptatibus conſuetis,aut etiam in aliquo alio, ſeu quibuſlibet alijs præter Deum. Reſurrectionem ſiquidem mortuorum futuram Epicuræi & Sadducæi negabant, putantes animam rationalem eſſe mortalem ſicut ſuperius recitatur. Horum quoq, ſententiam inſenſatam Plinius 7. Naturalis hiſtorię, etiam quibuſdam irrationabilibus rationibus nititur confirmare ſic ſcribens: Poſt ſepulturam aliæ inanium ambages omnibus à ſuprema die eadem quæ ante primum, nec magis à morte ſenſus vllus aut corporis aut animæ, quam ante natalem. Eadem enim vanitas etiam in futurum ſe propagat, & in mortis quoque tempore ipſa ſibi vitam mentitur, alias immortalitatem animæ, alias transfigurationem, alias ſenſum inferis dando, & manes colendo, Deumque faciendo qui iam etiam homo eſſe deſierit, ſeu verò vllo modo ſpirandi ratio cæteris animalibus diſtet,aut non diuturniora in vita multa reperiantur,quibus nemo ſimilem diuinat immortalitatem. Quod autem corpus animæ perſequitur materiam,vbi cogitatio illi? quomodo viſus, auditus, aut qui tangit? qui vſus eius? aut quod ſine his bonum? quæ deinde ſedes? quantaue multitudo tot ſæculis animarum velut vmbrarum puerilium ſtatus elementorum; ſimilis & de aſſeruandis corporibus hominum & reuiuiſcendi promiſſa Democrito vanitas, qui non reuixit, ipſoque malo iſta dementia eſt iterari vitam mortemque. Interea quies nunquam ſi in ſublime ſenſus animæ manet, inter inferos vmbræ. Perdit profectò iſta dulcedo credulitatis præcipuum naturæ bonum mortem, & duplicat obitum, ſed dolores etiam poſt futuri æſtimationem inuenit; Etenim ſi dulce viuere, cui poteſt eſſe vixiſſe? Ioſephus etiam 2. de bello Iudaico loquens de Sadducæis, Animarum, inquit, generaliter vel ſupplicia denegant vel honores: De his inſuper Epicuræis & Sadducæis, & opinione ipſorum Sacræ etiam literæ memorantur. Dionyſius inſuper de diuinis nominibus 6. recitat inſaniam Simonis abnegantis reſurrectionem corporum mortuorum, eo quod ſit contra naturam vt dicit. Concedentes autem reſurrectionem futuram vlteriùs ſeperantur. Quidam namque dicunt ipſam futuram ſtatim poſt mortem, per ingreſſum animarum in alia corpora beſtialia vel humana; omnem aliam præmiationem vel punitionem poſt mortem homini denegantes. Vnde Ouid. 15. Metamorph. pompoſum procœmium præmittendo, ſic ait;

Magna nec ingenijs inueſtigata priorum,
Quæque diu latuere Canam, iuuat ire per alta
Aſtra, iuuat, terris & inerti ſede relicta
Nube vehi, validique humeris inſiſtere Atlantis:
Palanteſq; homines paſsim ac rationis agentes
Deſpectare procul, trepidos, obitumq; timentes
Sic exhortari, ſeriemque euoluere fati.
O genus attonitum gelidæ formidine mortis,
Quid Stiga, quid tenebras, & numina vana timetis?
Materiem vatum, falſique pericula Mundi
Corpora ſiue rogus flammâ, ſeu tabe vetuſtas
Abſtulerit, mala poſſe pati non vlla putetis.
Morte carent Animæ, ſemperque priore relicta
Sede, nouis domibus viuunt, habitantque receptæ.
Ipſe ego (Nam memini) Troiani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Hæſit in aduerſo grauis haſta minoris Atreidæ.
Cognoui clypeum læuæ geſtamina noſtræ
Nuper ab Anthais, templo Iunonis in Argis.
Omnia mutantur, nihil interit, errat, & illinc
Huc venit, hinc illuc, & quoſlibet occupat artus
Spiritus, èque feris humana in corpora tranſit,
Inque feras noſter, nec tempore deperit vllo:
Vtq; nouis facilis ſignatur cera figuris,

Nec

A *Nec manet vt fuerat, nec formas seruet easdem,*
Sed tamen ipsa eadem est: Animam sic semper eandem
Esse, sed in varias doceo migrare figuras.

Ouidius autem in hac parte videtur sequi Platonem, qui 2. Tim.6. agens de statu Animarum post mortem, loquensq; de Animabus vincentibus passionis, & victis ab eis, sic ait: Quasque dum frænarent, ac subiugarent, iustam his lenemque vitam fore; sin autem vincerentur iniustam atque confragosam; victas porrò mutare sexum atque ad infirmitatem naturæ muliebris relegari secundæ generationis tempore; nec à vitijs intemperantiaque desistentibus, tamen pœnam, reiectionemque in deteriora non cessare, donec instituto, meritisque congruas immanium ferarum induant formas. Hac etiam occasione fortassis & quidam Philosophi sicut tangit Ambrosius de bono mortis, posuerunt summum præmium Philosophorum magnorum hoc esse, vt animæ eorum post mortem in Apes, aut Noctilucas transirent, vt qui priùs B alios Philosophica suauitate cibassent, postea & ipsi mellis dulcedine cibarentur; seu vt qui priùs alijs lumen sapientiæ ministrassent, postea & ipsi luminis munere dotarentur; Qui & consequenter aliorum animas posuerunt in alia corpora bestialia correspondentia demigrare, puta Musicorum in Luscinias, Militum in Apros, Principum in Leones. Ex his quoque euidenter apparet Platonem & Ouidium dicere, animas hominum quandoque ad alia corpora humana muliebria & virilia transmigrare. His similiter consenserunt illi pseudopoëtæ, qui dixerant se Homeri spiritum recepisse, contra quos inuehit Persius, ita dicens;

Nec fonte labra prolui Caballino,
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini me, vt sic repentè Poeta prodirem.

Tales & fuerunt quidam hæretici astruentes Ioannem baptistam habere spiritum animamque Eliæ, ipsumque personaliter esse Eliam, occasione quorundam verborum Euangelicorum, C quæ visa sunt oculis insipientium hoc sonare. Alij, puta Plato & eius sequaces ponunt veram resurrectionem futuram, reuersionem videlicet animæ ad corpus suum antiquum, post spacium magni anni: De isto siquidem magno anno Plato 1. Tim. vlt. Est, inquit, intellectu facile, quòd perfectus temporum numerus perfectum annum compleat, tum demum cùm omnium octo circumactionum cursus peracti velut ad originem atque exordium circumactionis alterius reuertentur, quam semper idem atque vniformis motus dimetietur. Qui & infra 21.6. loquens de animabus vitiosis & pœnis earum, ac fine pœnarum; Pausam, inquit, malarum non priùs fore, quàm secuta eas rata & eadem semper volucris illa mundi circumactio cuncta eorum vitia ex igne, aqua, & terra, & aëre contracta omnemque illuuiem deterserit, inconsultis & immoderatis erroribus ad modum rationis temperiemque redactis, quo positis sordibus expiatæ, purificatæque demum ad antiqui vultus honestatem peruenire mereantur. Et supra eisdem, loquens de Animabus victricibus passionum, Victricibus inquit, ad comparis D stellæ contuberinum sedem, reditumq; patere, arcturis deinceps vitam veram & beatam; quas & teste Augustino 22. de Ciuitat. Dei. 27. dixit ad corpora redituras. Huius quoque opinionis fatuitas fuit aliquando multum communis in Anglia apud multos, qui sicut Chronographi nostri testantur, morientes fecerunt thesaurum suum sepeliri cum eis, vt sic eum redeuntes ad corpora rehaberent. Quantitas autem huius magni anni diuersa ponitur à diuersis: Varro namque de gente populi Romani, sicut recitat Augustinus 22. de Ciuitat. Dei 28. sic ait; Genethliaci quidam scripserunt esse in renascendis hominibus quam appellant Palingenesiam Græci, hanc scripserunt confici in annis, numero quadringentis quadraginta, vt idem corpus & eadem anima quæ fuerant coniuncta in homine aliquando, eadem rursus redeant in coniunctionem. Iosephus 1. Antiquit. Iudaicæ 2. asserit magnum annum per sexcentorum annorum curricula adimpleri, sicut superiùs recitatur. Alij verò imitantes Ptolomæum 7. Almagesti 2. ponentes sphæram 8. moueri secundum successionem signorum per vnum gra- E dum in omnibus centum annis, dicunt magnum annum triginta sex millia annorum solarium continere. Ex his autem euidenter apparet quòd Plato putauit pœnam malorum esse finiendam temporaliter, non æternam, cui & concorditer Auicen. 9. Metaphys. suæ vlt. dicit, Quia pœna est ex accidente extraneo, & tale non durat, nec remanet, sequitur vt pœna quæ debetur Animæ non sit perennis, sed remouetur & deletur paulatim, quousque purificata perueniat ad fœlicitatem. Cui & Origenes similiter creditur consensisse. Quidam verò concedentes resurrectionem futuram ad beatitudinem & miseriam sempiternam, imitantes Philosophos, de quibus eloquitur Augustinus superiùs allegatus, existimant quòd resurgentes recipient hanc & illam communiter hic in terra, non autem hanc in cœlo & illam in inferno; quibus & quidam Iudæi consentire videntur, dicente Theophilo super illud Lucæ 9. Iohannes surrexit

rexit à mortuis, &c. Iudæi resurrectionem mortuorum expectabant in vita carnali, & in comessationibus & potibus. Vnde & patet, quòd isti Iudæi putant fœlicitatem futuram debere consistere in carnis voluptatibus consuetis, quod & putant Saraceni seu Agareni, sicut superius tangebatur; quod etiam Tartari multi credunt, sicut euidenter apparet per Marcum de Venetijs, De conditionibus orientalium regionum locis diuersis; qui & sicut recitat idem Marcus tam impudenter desipiunt, vt etiam iuuenem mortuum, & iuuenculam mortuam si soluti decesserint, faciunt solenniter desponsari, vt sic in vita futura suis liberius voluptatibus perfruantur. A

Sed cur negant Philosophi resurrectionem mortuorum futuram ad vitam, cùm eius possibilitas superius sit ostensa; tantaque fama, tantæ sectæ seu leges, puta Iudæorum, Christianorum, Saracenorum, seu Agarenorum, & Tartarorum; multi præclari Prophetæ, multi quoque Philosophi ipsam concorditer attestentur, sicut ex præmissis & historijs alijs multis patet; cùm & historiæ nostræ certissimæ, & quædam aliæ referant euidenter quosdam mortuos veraciter surrexisse, sicut ostensio 32. partis tangebat? Nonne & Plato de Legibus siue de Republica, refert quendam militem nomine, Er, Pamphilum natione, in prælio vulneribus interemptum, die 12. quo ipse cum alijs ibi peremptis cremari debuerat, reuexisse; & quicquid emensis diebus egerat, aut viderat nuntiasse, iudicium publicum humano generi profitendo? Nec aliquis suspicetur tantum Philosophum in talibus mendaciter fabulari; hoc enim non est Philosophis philosophantibus consuetum. Nonne & Plinius 7. Naturalis historiæ, scribit vnum magnum capitulum de reuiuentibus? Nonne & illud nobile volumen Heraclidis apud Græcos, refert expressè quandam fœminam septem diebus exanimem redijsse ad vitam? Nonne & Varro narrat similiter quosdam mortuos surrexisse, & recitat Plinius vbi prius? Nonne & Democritus resurrectionem mortuorum concedit, & Plato reditionem ad vitam, sicut superius tangebatur? quem & Porphyrius imitatur, beato Augustino, 22. de Ciuitate Dei 27. recitante. Nonne & Bonellus Philosophus, sicut in turba Philosophica recitatur, dixit Pythagoræ; Omnia ecce Pythagora, moriuntur & viuunt nutu Dei; & subdens de re quadam corporali & medicinali, quomodo est mortificanda & viuificanda in melius, & hoc per exemplum de homine confirmando sic ait, Tunc autem, doctrinæ fili, illa res igne indiget, quousque illius corporis spiritus vertatur, & per noctes dimittatur, vt homo in suo tumulo & puluis fiat. His peractis, Deus reddet ei animam suam & spiritum, ac infirmitate ablata confortatur illa res, & post corruptionem emendatur; quemadmodum homo post resurrectionem fortior fit, & iunior quàm fuerat in hoc mundo. Si igitur hæc ita se habeant, cur negant Philosophi resurrectionem mortuorum futuram, præsertim cum nullam vel tenuem in contrarium afferant rationem? quàm cogens tamen & valida ratio requireretur ad irritandum aliquid tam famosum apud omnem legem & sectam, maximè cùm eius possibilitas sit certissimè demonstrata, eiusque veritas rationabilius affirmata, quàm valeat impugnari, iuxta præmissa circa 33^am partem huius? Nonne secundum 36^am partem, Anima rationalis est immortalis, incorruptibilis, & æterna, & singulæ singulorum, habetque aptitudinem & appetitum naturalem administrandi corpus humanum, habitandi in eo, & per illud suas nobiles operationes exercendi, sicut & formæ aliæ naturales ad sua formata, formabiliaue se habent. Si namque humana non appeteret naturaliter, & amaret coniunctionem, & cohabitationem cum corpore, secundum esse solitarium separatum, quomodo coniungitur corpori, & ipsum inhabitans administrat contra ordinem naturalem? quomodo insuper esset homo species naturalis, & tam nobilis species, vt etiam Angelis non habentibus corpora, quoquomodo nobilior videatur propter multas operationes suas nobiles quas hi non habent. Vnde & Hermes de verbo æterno, 10. loquens de Angelis simplicibus, & hominibus compositis, ita scribit: Aliqui paucissimi prædicti sortiti sunt cœli suspiciendi venerabilem curam: quicunque autem ex duplici naturæ suæ confusione, in interiorem intelligentiam mole corporis resederunt curandis elementis his quæ inferioribus sunt præpositi. Animal ergo homo non quòd is eo minor, quòd ex parte mortalis sit, sed eò fortè aptius efficaciusque compositus ad certam rationem, vt mortalitate auctus esse videatur, scilicet quoniam vtrumque nisi ex vtraque materia sustinere non potuisset, ex vtraque formatus est, vt & terrenum cultum & diuinitatis suæ haberet dilectum. Et infra 24. Denique & bonum hominem, & qui posset immortalis esse ex vtraque natura composuit, diuina atque mortali, & sic compositum est per voluntatem Dei, hominem constitutū esse meliorē & dijs, quos ex sola immortali natura formauit, & omnium mortaliū, propter quod homo dijs cognitione cōiunctus ipsos religione veneratur, dijq; etiā pro affectu omnia humana custodiūt. Hic autē per deos intelligit Angelos, qui modus loquendi apud Platonem, Aristotelem, & alios Grecos Philosophos crebrius reperitur. Si igitur hec sint

(Margin letters: B beside "cùm & historiæ nostræ…"; C beside "Dei 27. recitante…"; D beside "ta præmissa circa 33^am…"; E beside "randis elementis…")

A sint ita, quomodo anima rationalis æterna, virtuosa & sancta, semel per mortem separata à corpore, æternaliter, naturaliter appetet corpori sociari, & æternaliter naturaliter hoc carebit? quomodo æternaliter naturaliter esurcit & sitiet coniungi cum corpore, & æternaliter naturaliter hoc carebit? quomodo æternaliter naturaliter anhelabit ad regnum suum naturale, ad corpus in quo experientia & ratione docente, & Philosopho superius attestante dignissimè præsidet, sicut Rex in Ciuitate & regno, & æternaliter naturaliter priuabitur suo regno? Imò non videtur ista carentia atqui priuatio naturalis, sed potius violenta. Et quomodo tale violẽtum æternum? Nonne Philosophi istud negant, & quomodo talis appetitus naturalis potest esse otiosus & æternaliter otiosus? quomodo Anima talis sancta semper esuriens & sitiens remanebit? Quare nunquam beata, sed æternaliter misera permanebit? iuxta præmissa de beatitudine circa partem 8am; præsertim cum Deus summe liberalis & bonus non parce sed abunde remuneret vniuersos secundum 31. partẽ. Sed quomodo Animam sanctã hic pro eius amore B & honore secundum doctrinam 30. partis huius esurientem sitientem, & multipliciter laborãtem abundanter remunerat, si ipsam in futuro similiter esurire, sitire, & miseram semper esse permittat? miseram inquam semper, quia semper carentem re & spe, corpore semper naturaliter concupito. De beatitudine autem in spe loquens Philosophus. 1. Eth. 14. dicit, quòd Pueri dicti felices propter spem beatificantur; De beatitudine verò in re constat per ipsum & alios multis locis. Et si forsitan dixeris, quod Deus pro corpore quod appetit, aliquid aliud ei dabit; illud aliud vel sedat omninò & satiat appetitum illum prædictum, vel non sic facit; Non sedat propter præmissa; quamdiu namque Anima ipsa manet, habet quandam aptitudinem & concupiscentiam naturalem ad corpus sicut præhabita manifestant: Quomodo etiam tollitur illa priuatio siue carentia quam Anima sustinet, nisi per restitutionem corporis quo priuatur? et quomodo cessabit illa concupiscentia naturalis illa carentia permanente; Si non sedat, redeunt inconuenientia prius tacta. Secundum omnes quoque Philosophos immortalitatem Animę concedentes, Anima virtuosa beatitudinem seu felicitatem pro præmio C suo expectat. Quid enim aliud pro sufficienti præmio expectaret? non aliquid vilius, nec melius; constat clare; quod & præmissa circa partem 32am testantur. Dicitq; Philosopus 1. Eth. 14. quod felicitas videtur esse virtutis præmium; beatitudo autem siue felicitas est bonum humanum finale, vltimum omnium humanorum, sicut præmissa secundum partem 32am indicant euidenter. Habito autem fine, & præcipue tali fine, motum seu mobile requiescit perfecte; alioquin ille finis non esset perfectus. Nacto igitur tali fine perfecto, nihil restat vlterius quod tanquam non habitum appetere valeat, nihil exterius in quod tendat, nihil quod amplius concupiscat, sicut & præmissa circa partem 8am. lucide manifestant; quod & testatur dictum Aristotelis ibi scriptum. Quare & Boetius 3. de consolatione Philosophiæ prosa 2a sic ait; Omnis mortalium cura, quam multipicium studiorum labor exercet, diuerso quidem calle procedit, ad vnum tamen beatitudinis finem nititur peruenire: id autem est bo- D num, quo quis adepto nihil vlterius desiderare queat; quod quidem est omnium summum bonorum, cunctaq; bona intra se continens, cui si quid abforet, summum esse no posset, quoniam relinqueretur extrinsecus quod posset optari. Liquet igitur esse beatitudinem statum bonorum omnium congregatione perfectum. In felicitate ergo & beatitudine finali perfecta, Anima corpus desideratum habebit. Amplius autem si Anima virtuosa non simul beatificaretur cum corpore quod affectat, vel hoc esset, quia Deus hoc non posset, aut quia non vellet: Non quia non posset, propter 37. partem huius 7am 8am. Nec quia non vellet, cum sit smmmè iustus, retributiuus, pius, liberalis, & bonus, per primam Suppositionem 3am 4am & 31. partes. Amplius autem in qualibet politia recte disposita, statuuntur præmia prouocantia ad virtutes, & pœnæ à vitijs retrahentes; aliter enim plurimi homines pigri ad virtutes, & procliui ad vitia redderentur, quod & omnes Philosophi concorditer attestantur. Deus ergo totius politiæ mundanæ sapientissimus institutor & rector, ipsam sine huiusmodi E præmijs non relinquit. Sed boni nequaquam sufficienter præmiantur, nec mali sufficienter puniuntur in vita præsenti. Mali namque frequenter in vita præsenti delicijs affluunt, & prosperitatibus consolantur; boni vero è contra priuantur delicijs, & aduersitatibus cruciantur; imò & bestię plurimę viuunt delicacius in vita præsenti multis hominibus virtuosis. Quid etiam quæso dignum retribuet Deus homini temperato propter eius amorem & honorem, secundum doctrinam 30. partis huius, à delicijs abstinenti, & tristitias sustinenti? quid conuenientius quam delicias ampliores, secundum trigesimam primam partem: quod tamen in vita præsenti non facit; faciet igitur in futura, præsertim cum facillimè istud possit, sicut præhabita docuerunt. Si etiam virtuosus perseueranter per vitam sustineat tristia propter Deum, & tandem mortem tristissimam propter eum, propter eius legem & honorem seruandum, &

exhonoratione̅ vitandā secundum doctrinam 30. quid nisi vitam delectabilissimam ei reddet A
secundum 31^am^ partem? quomodò aliter suos milites ad mortem terribilem animaret? Aut enim potest reddere talibus suis militibus stipendia sufficientia, aut non potest. Quis præsumserit dicere quod non potest, propter 7^am^. 8^am^. & 37^am^. partes huius? Si autem potest, aut vult aut non vult: Et quis dixerit eum nolle propter 31^am^ partem huius; hoc etiam parcitatis & non liberalitatis & bonitatis plenissimæ videretur. Potest ergo & vult; quare & faciet abundanter secundum 8^am^ & 31^am^ partes. Ampliùs autem quis nesciat hominem appetere naturaliter bonum, & magis maius, & maximè maximum bonum, videlicet ipsius satiatiuum perfectè, felicitatem seu beatitudinem perfectissimè satiantem, & omnia desideria quietantem, sicut superius tangebatur. Iste autem appetitus vel debet satiari plenariè, vel non debet; & quis dixerit quòd non debet? tunc enim otiosus & innaturalis homini videretur; sed quomodò naturalissimus, generalissimus, & maximus appetitus humanus permittitur esse talis? quomodò etiam Deus qui prima suppositione, & partibus sequentibus, Philosophis quoque te- B
stantibus nihil agit frustra, talem appetitum otiosum indidit homini, tam perfectæ naturæ, tam nobili creaturæ? Non sic senserunt Philosophi, non sic sentiunt nisi forsitan insensati. Si autem appetitus prædictus debeat satiari, & non satiatur in vita præsenti, sicut experientia crebra docet, satiabitur igitur in futura: Erit ergo resurrectio mortuorum. Ampliùs autem quis nesciat totum hominem ex anima & corpore constitutum, non animam solam mereri? Quis enim dubitat actiones naturalium specierum esse totius compositi, non alterius partis tantùm. Quare & Philosophus 1. de Anima *64*. Dicere, inquit, irasci animam simile est & si quis dicat eam texere vel ædificare. Melius enim fortasse est, non dicere animam misereri aut addiscere aut intelligere, sed hominem animâ. Et infra *66*. Intelligere autem aut amare, aut odire non sunt illius passiones, sed habentes illam, secundum quod illam habet. Et quid iustius, quid æquius, quid decentius, quid congruentius, quid conuenientius quàm vt ille qui meruit, præmietur? quæ namque iustitia, æquitas, ratione admittit, quòd vnus mereatur, & non ipse C
sed alius præmietur, & hoc non breui tempore sed æterno, præsertim cùm ille cui merendo seruierat, posset si vellet illum qui meruit, in seipso qui meruit æquè faciliter præmiare? Quid ergo conuenientius quàm vt totus homo in anima simul & corpore proprio beatificè præmietur: Hoc enim facillimè potest Deus, & hoc conuenientissimè eum decet, sicut præhabita suaserunt. Huiusmodi ergo rationibus Plato, Porphyrius, & alij multi Philosophi persuasi concorditer censuerunt, quòd animæ humanæ per mortem à corporibus separatæ, corporibus denuò redderentur, sicut superiùs tangebatur. Ex his autem euidenter apparet error responsionis & opinionis dicentis solam animam, aut hominem secundum solam animam debere præmiari, vel puniri post mortem. Quis etiam cum tanta diligentia rationabiliter laboraret, colendo virtutes, abstinendo à vitijs, pro beatitudine acquirenda, & miseria præcauenda alteri & non sibi? Ideò forsitan aliter respondetur, dicendo quòd homo sufficienter præmiatur pro omnibus suis bonis operibus in præsenti; & hæc videtur responsio Epicuræorum, D
Sadducæorum, & Auerrois iuxta prætacta 36^a^ parte: Sed hæc refellitur per præmissa. Præterea cùm secundum 36^am^ partem, anima rationalis sit immortalis & singulæ singulorum, ipsę post mortes hominum permanebunt, & non sine conuenienti mercede lætitiæ vel doloris. Non enim deceret naturam, quòd tam nobiles animæ corporibus separatæ, actione & passione omnimoda, velut dormientes aut mortuæ æternaliter priuarentur, & quòd esset omninò æqualiter bonis animabus & malis, neque diuinæ congrueret bonitati sicut præmissa testantur, & omnes fatentes immortalitatem & proprietatem animarum vnanimiter confitentur. Et si animæ post mortem hominum debeant sufficienter & beatificè præmiari, debent ad sua corpora remeare sicut præcedentia suaserunt. Nonne Hermes Mercurius Trismegistus, clarus Propheta, & Philosophus gloriosus in tantum, vt etiam Pater Philosophorum, teste Aristotele superiùs allegato appelletur, de verbo æterno 13. dialogizans cum Asclepio scribit ita; Hunc scilicet hominem sic effectum conformatumq; & tali ministerio obsequioque præpositum à summo Deo, eumque competenter mundè mundum seruando, Deum piè colendo, dignè & E
competenter in vtroque Dei voluntati parentem, talem quo munere credis esse munerandum? Siquidem cùm Dei opera sit mundus, eius pulchritudinem qui diligentia seruat atque auget, operam suam cum Dei voluntate coniungit; cùm speciem quam ille diuina intentione formauit, adminiculo sui corporis diurno, opere, curaque componit, nisi eo
‖ pietati. quo parentes nostri munerati sunt, quo etiam nos quoque munerati, si foret diuinæ ‖ *voluntati* cōplacitum, optamus pijssimis votis, id est, vt emeritos atque exutos mundana custodia, nexibus mortalitatis absolutos, naturæ superioris partis, id est, diuinæ puros sanctosque restituat? Iustè & verè dicis ô Trismegiste: Hæc est enim merces piè sub Deo, diligēter cum mundo viuentibus.

A viuentibus. Secus enim impiéque qui vixerint, & reditus denegatur ad cœlum, & constituitur in corpora alia indigna animo sancto & fœda migratio, vt iste rationis sermo processit, ô Trismegiste, futuræ æternitatis spe, animæ in mundana periclitantur, sed alijs incredibile, alijs fabulosum, alijs forsan videatur esse deridendum. Res enim dulcis est in hac corporali vita qui capitur de possessionibus fructus. Quare animam obtorto vt aiunt detinet collo, vt in parte sui qua mortalis est inhæreat, nec sinit partem diuinitatis agnoscere inuidens immortalitatem malignitas. Et infra 30. De immortali, inquit, aut mortali modo differendum est, Multos enim spes, timorque mortis excruciat veræ rationis ignaros. Mors enim efficitur dissolutione corporis labore defessi, & numeri completi, quo corporis membra in vnam machinam ad vsus vitales aptantur. Hæc est ergo mors, corporis dissolutio, & corporalis sensus interitus. De hac superuacua solicitudo est, sed est & alia necessaria, quã aut ignoratio aut incredibilitas contemnit humana. Quid est, ô Trismegiste, quod aut ignorant, aut esse posse
B diffidunt? Audi ergo ô Asclepi. Cùm fuerit animę è corpore facta discessio, tunc arbitrium examenque meriti eius transiet in summi dæmonis potestatem, isque eam cum piam iustamq; peruiderit, in sibi competentibus locis manere permittit; sin autem delictorum ille tam maculis vitijsque oblitam viderit, desuper ad ima deturbans, procellis turbinibusque aeris, ignis, & aquæ sæpè discordantibus traditur inter cœlũ & terram inundans fluctibus in diuersa, semper æternis pœnis agitata raptatur, vt in hoc animæ obsit æternitas, quod sit immortali sententia æterno supplicio subiugata. Ergo ne his implicemur, verendum, timendum, cauendumque esse cognosce. Incredibiles enim post delicta cogentur credere, non verbis, sed exemplis, nec minis sed ipsa passione pœnarum; Non ergo, ô Trismegiste, hominum delicta sola humana lege puniuntur. Primò, ô Asclepi, terrena quæ sunt, omnia sunt mortalia, tunc ea etiam quæ sunt corporali ratione pro vitæ meritis aut delictis pœnis obnoxia, tanto post mortem sæuioribus subijciuntur, quanto in vita forsitan fuerint celata, dum inue-
C nirent. Præcia etenim omnium rerum diuinitate reddentur per iudicium, vt sunt pro delictorum qualitatibus pœnę. Vbi & consequenter 31. de remuneratione bonorum, subiungit; Contra iusto homini in Dei religione & in summa pietate præsidium est. Deus enim tales ab omnibus tutat malis. Pater enim omnium vel Dominus, & is qui solus est omnia omnibus se libenter ostendit. Non enim vbi sit loco, nec qualis sit qualitate, nec quantus sit quantitate, sed hominem sola intelligentia mentis illuminans, qui discussis ab animo errorum tenebris, & veritatis luce percepta toto se sensui intelligentiæ diuinæ commiscet, cuius amore à parte naturæ qua mortalis est liberatus immortalitatis futuræ concipit fiduciam. Hoc ergo inter bonos malosque distabit; vnus enim quisque pietate, religione, prudentia, cultu, & veneratione Dei clarescit * vera ratione perspecta, & fiducia credulitatis suæ tantum inter homines, quantum Sol lumine cæteris astris antestat. Et adhuc infra 41. Auus, inquit, tuus, ô Asclepi, Medicinæ primus inuentor, scilicet Aesculapius, cui templum conse-
D cratum est in monte Libyæ, circa littus Cortodillorum, in quo eius iacet mundanus homo, id est, corpus; reliquus enim, vel potiùs, si est homo, totus in sensu vitæ melioris remeauit in cælum. Nonne & Plato 2. Timæ. 4. dicit quod Dij, scilicet Angeli post dissolutionem, id fænus, quod crediderant, scilicet animam, facta discessione animæ & corporis debent recipere. Et infra 6. dicit, quod Animabus corporalium passionum victricibus, ad comparis stellæ contubernium sedem reditumque patere, acturis deinceps vitam veram & beatam. Vnde & Ambrosius de bono mortis, Hortum, inquit, illum sibi Plato composuit, quem Iouis hortum, alibi Hortum mentis appellauit; Iouem enim & Deum & mentem totius dixit; in hunc introisse animam quam Venerem nuncupat, vt se abundantia & diuitijs huius horti repleret, in quo repleta potũ iaceret, potusque nectar effunderet. Quod & forsitan intelligere voluerunt illi antiqui Poetæ & Theologizantes, qui recitante Aristotele 3. Metaphys. 15. posuerunt quosdam gustantes nectar, & manna, Deos effici immortales. Vnde & Socrates, sicut
E recitat Ambrosius de bono mortis, festinare se dixit ad suos Deos, ad illos optimos Viros. Hanc autem sententiam Socratis Plato eius discipulus, cum nonnullis alijs imitatur, sicut apparet ex ostensione decimætertiæ partis huius, & vniuersaliter omnes dicentes homines factos Deos. Vnde Plinius 2. Naturalis Historiæ agens de Deo dicit: Quod est hominibus ad æternam gloriam quædam via: Hac proceres iere Romani, hac nunc cœlesti passu vadit maximus omnis æui rector Vespasianus Augustus fessis rebus subueniens. Hic est vetustissimus referendi bene merentibus gratiam mos, vt tales numinibus ascribantur. Quippe & omnium aliorum nomina Deorum, & quæ supra dixi, siderum, ex hominum nata sunt meritis; Iouem autem, Mercurium, aliterue alios inter se vocari Hoc autem totum referendum videtur ad animas defunctorum. Quare & Her-

*quasi oculi

mes Mercurius Trismegistus de Verbo æterno 41. loquens de Aesculapio & Hermete A
viris, & Osire muliere deificatis, & per sua idola adoratis; Contingit, inquit, ab Aegyptijs hæc sancta animalia nuncupari, colique per singulas ciuitates eorum animas, quorum sunt consecrata viuentes ita vt eorum legibus incolantur, & eorum nominibus nuncupentur. Animas autem passionibus victas, & vitijs deditas, dicit Plato, 2°. Timæ. 6. pœnis debitis puniendas, sicut superius tangebatur; qui & infra 9. loquens de homine in bonitate, & honestate, & prudentia instituto, & de contrariè disposito, ita scribit; Si ad hunc statum accedat auxiliatrix eruditionis honestæ, moderationisque, diligentia, immunis omni perturbatione atque ægritudine ducet æuum; si negligit, claudum iter vitæ serpens cum familiari demum stultitia reuocabitur ad inferna. Sed hæc quidem nouissimè prouenient meritis iam vitæ locatis. Hæc insuper in libro suo de Legibus, siue de Republica, immortalitate animæ iam asserta, astruit consequenter fructum iustitiæ & virtutum præcipuè post mortem hominis expectandum, iniustitiæ quoque damnum. Quare & sicut recitat Augustinus 1. de Ciuitat. Dei 22. B
Cleombrotus lecto libro Platonis, vbi de immortalitate Animæ disputauit, se præcipitem dedit de muro, vt sic ab ista vita migraret ad eam, quam credidit meliorem. Quem & Aristoteles eius discipulus persecutus in De Secreto secretorum, tertia parte, 7. Si, inquit, anima sit perfecta & completa ante separationem eius à corpore, virtute vniuersali quæ sublimatur per ipsam, & deducitur vsque ad supernam perfectionem, & tunc acquirit aliud regimen donec perueniat ad circulum seu firmamentum intelligentiæ, cui benè complacuit. Si verò non, Anima dilabitur vsque ad abyssum infernorum, deinde recipit eam regimen sine spe placendi Deo. Qui etiam moriturus informans, & consolans suos discipulos contra mortis timorem, & de statu Animarum post mortem, sicut recitatur in libello de morte eius conscripto, 6. Sic ait: In primis interrogabo vos si confitemini & creditis in scientia Philosophiæ quæ continet omnes scientias, quod est vera, & qui inquirit eam, inquirit veritatem & rectitudinem, & gradus altissimos & diuinos, & per eam est differentia inter homines, & alia animalia. Quibus C
confitentibus ita esse, secundò sic quærit; Si ita est, sicut dicitis, bonumque prouenit homini, vel prouenit homini in hoc sæculo in quo sumus hodie, aut post mortem in alio sæculo: Si vos dicitis; In hoc sæculo, in quo sumus priusquam moriamur, ergo gradus conuenientes scientiæ non didicistis. Nam plures homines qui non ambulauerunt per viam rectam, nec cognouerunt Creatorem suum, finierunt dies suos in bono, & annos in desiderijs eorum; & plures sapientes sunt qui multiplicati sunt in scientijs & intelligentijs, & didicerunt doctrinas, & cognouerunt Creatorem suum, & habent priuationem boni & pacis. Et vos si turbati estis, & de morte timetis, quæ est via & incessus animæ recedentis à corpore ignaro ad comprehendendum gradus diuinos, & coniungendum se sapientibus animabus & lætis, non datis scientiæ gradus suos nec rationes suas, sed demergimini in anima bestiali cum alijs bestijs. Ecce ex istis potest elici ratio prius facta, quòd quia homines virtuosi non remunerantur sufficienter in vita præsenti, remunerabuntur in vita futura: cui & per totum penè librum innititur D
confidenter, ostenditque homines virtuosos, puta Philosophos studiosos nequaquam præmiari plenariè in hac vita, cùm alij omnimodis desiderijs & delicijs affluant in præsenti, & isti his priuentur, imò & multis tristitijs affligantur; præsertim cùm fœlicitas seu beatitudo finalis, perfectam dilectionem requirat, sicut præhabita manifestant; quod & ipsemet 1. Eth. & 10. clarè probat: Vnde 1. Eth. 13. Optimum, inquit, & pulcherrimum, & delectabilissimum fœlicitas. Et non diuersa sunt hæc, secundum Deliacam superscriptionem; Optimum, iustissimum, desideratissimum autem sanum esse; delectabilissimum vero, quo quis optat frui. Omnia enim existunt hæc optimis operationibus; has autem vel vnam harum optimam dicimus esse fœlicitatem. Quare & in libello priori 7. alloquitur discipulos suos ita; Declaraui vobis quòd homo non potest comprehendere scientias nobiles, nisi per gradus animæ, quando est purgata, & perfectā, & sanctificata ab immunditiis. Et infra 8°. Nescitis quòd Philosophus purus & perfectus mortificauit omnia desideria sua in hoc sæculo, in comessatione, potu, E
& vestitu, & alijs delectationibus, & thesauris auri & argenti, & contempsit omnes delectationes. Et infra; Sapiens despexit omnes delectationes corporales & odiuit, & perfecit animam suam inquirendo scientiam Creatoris sui, qui de nihilo fecit ipsum ens: ipse est qui lætari debuit in morte, quæ est recessus animæ à corpore. Nam quam vtilitatem haberet ipse in vita, ex quo mortificauit omnes delectationes quæ sunt despectæ & viles? imò exultare debet in tempore quo anima sua approximauit Creatori suo, & delectatur in claritate sua, quoniam non timet approximare se ipsi, nec inuenit contradictorem, nec repulsorem. Sicut animæ quæ secutæ sunt vanitates, nec intenderunt scientiis, nec direxerunt vias eorum. Et hi sunt qui non possunt approximare, nec peruenire ad illum locū, sed inueniunt contradictorē & repulsorem.

A foré. Et adhuc infra 13. Beata inquit est anima, quę non est infecta prauis operibus huius mundi, & intellexit creatorem suum, & est ipsa quæ reuertitur in locum suũ in delicijs magnis, non tamen delectationibus corporis quæ sunt despectæ, & væ animæ peccatrici, quæ non habet virtutem, nec posse redeundi ad locum suum, nec potest ascendere in patriam suam, in qua turpia opera delectationis corporis impediunt ascensũ eius sursum. Cuius doctrinã scholares sui sectantes, ipso mortuo sic dixerunt; Ille qui recolligit animas Philosophorum, recolligat animam tuam, & reponat eam in thesauris suis, sicut dignum est animam hominis directi & perfecti sicut tu es, sicut finis illius libelli testatur. Similem quoque sententiam de Animabus mortuorum post mortem, Auicenna 5. de Anima 6. & 9. Metaphys. suæ vlt. & Algazel. 4. Physicæ suæ vlt. & 5. Physicæ suæ 1. concorditer profitentur. Quibus & concorditer Auerroes, super illud Philosophi 1. Eth. 16. de Fœlice; vt verè bonum & sapientem omnes existimamus fortunas decenter ferre, sic ait, vt dicitur de Iob, Cui sit salus. Cur enim ei mortuo B pro patientiæ seu fortitudinis meritis optaret, & oraret salutem, nisi ipsum & similes mortuos saluandos speraret? Istis adhuc concorditer Sixtus Pythagoricus in sententiolis suis ait, Immortales crede tibi permanere in iudicio & honores & pœnas. Et iterum, Male viuentes cum è corpore excesserint cruciabit malus Dæmon, vsque quo exigat ab eis etiam nouissimum quadrantem. Beatus vir, cuius animam nemo reprehendit ad Deum pergentem. Et infra, Sapientem de corpore si quis extrudat iniuste, iniquitate sua beneficium ei præstat; absoluitur enim tanquam de vinculis. Et inferius, Qualia gesserit studia anima corpus inhabitans, tales habebit testes in iudicio; Immmundam animam immundi Dæmones sibi vindicant. Hanc quoque sententiam & Italici Philosophi attestantur, Tullius, Seneca, Macrobius, Boetius, alijque quam plures. Vnde & in Prologo Macrobij, super somnium Scipionis scribitur isto modo: Sic habeto, omnibus qui Patriam seruauerint, adiuuerint, auxerint, certum esse in cœlo definitum locum, vbi beati æuo sempiterno fruantur; Nihil enim est illi principi Deo, qui omnem mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quam consilia C cætusque hominum iure sociati, quæ Ciuitates appellantur. Harum rectores & conseruatores hinc profecti, huc reuertuntur. Inter doctrinas insuper & sapientias Ptolomæi, 1. Almagesti Prologo primo scriptas, scribitur isto modo: In bono quod Deus operatur, quasi bonitatem largi datoris attendere debes, & in malis aduersis quasi purgationis & æternæ remunerationis bonitatem, quanto plus fini appropinquas, tanto bonum cum augmento operare. Albumazar: quoque 6. Maioris Introductorij differentia 26. agens de domibus planetarum, Domus, inquit, 9ª vocatur domus peregrinationum & motionis, fidei quoque atque operum bonorum, propter reuersionem eius ad Iouem significantem esse secundum, quia natus dum egreditur de ventre matris suæ, mutatur de loco in locum, & de esse in esse, & ex natura Saturni ad naturam Iouis, & ideo significat peregrinationem. Et sicut Iupiter est fortuna, & significauit ex || *fortuna* seculi substantiam & durationem, atque abundantiam quem- || fortunis
D admodum iam diximus, & fortuna futuri seculi quæ fit per fidem; ideo significauit etiam fidem, & facta est huic domui significatio similis eidem significationi. Rursum etiã quia Iupiter & Venus sunt fortunæ, & fortunarum sunt duæ species, quarum vna est fortuna huius mundi, & altera sæculi futuri; & fortuna alterius mundi est dignior fortunâ huius mundi, & || *illa* || ita
quæritur per fidem: Et quia Iupiter est plus fortuna quam Venus, ideo facta est ei significatio super fidem, per quam quæritur fortuna futuri sæculi, quæ est dignior, & facta est veneri significatio super fortunas huius mundi, ex ludis, & gaudio, atque lætitia. Nonne & isti posteriores Philosophi istam suam sententiam mutuati videntur ab Antiquioribus Philosophis Hebræorum, iuxta præmissa circa 35. partem? Pharisæi namq; referente Iosepho. 18. Antiquit. Iudaicæ 3. Iudicium Dei futurum esse sentiunt; Illic cunctos homines propria merita recepturos, tam eos quidem qui secundum virtutem vixerint, quam illos qui nequitia deprauati sunt, animas autem immortales dicunt. Qui & 2. de bello Iudaico loquens de Essæis E positis in tormentis, sic ait; In medijs cruciatibus subridentes, & eis qui tormenta admouerant, illudentes, constantes animos cum quadam hilaritate reddebant, scilicet quasi qui eas denuo essent recepturi. Et quidam bonis concinentes in hoc Græcorum sententijs, pronuntiant vltra Oceanum degere, vbi eis sit reposita perfruitio. Illic quippè esse regionem, quæ nec imbribus, nec niuibus, nec æstibus aggrauetur, sed quam Oceano oriens Zephyrus, & leniter aspirans amænet; malis autem animabus procellosa loca & hyberna delegant, plena gemitibus exercendarum sine fide pœnarum. Videntur autem mihi secundum hanc ipsam intelligentiam, Græci quoque fortibus suis quos Heroas & Semideos vocauerunt, beatorum Insulas sequestrasse; improborum autem animabus locum apud Inferos impiorum, in quo etiam cruciari quosdam commenti sunt, Sisyphos videlicet, & Tantalos, & Ixionas, & Titios.

 Græci

Græci namque Heroas dicunt animas nobiles & benè meritas, in aëre seu æthere superiùs habitantes. Vnde Isidorus 8. Eth. 47. ita scribit; Heroas dicunt à Iunone traxisse nomen; Græcè enim Iuno, Ἥρα appellatur; & ideò nescio quis filius eius secundum Græcorum fabulam Eros fuit nuncupatus, hoc videlicet mysticè significante fabula, quòd aër Iunoni deputetur vbi volunt Heroas habitare, quo nomine appellant alicuius meriti animas defunctorum quasi aëreas, & viros aëreos & cœlo dignos propter sapientiam & fortitudinem. Hanc quoque Græcorum sententiam fabulosam tangit Aristoteles 4. Phys. 97. vbi docet, Quòd non percipientes motum, non percipiunt tempus, sicut neque qui in Sardo fabulantur dormire apud Heroas cùm expergiscuntur: Nec debet turbare quòd istud fabula perhibetur; Non est enim hæc fabula quæ tam narratione quàm significatione sit ficta & falsa, sed quæ sub narratione metaphorica, tropica, figurata, Rhetoricæ gratia, vult aliquod verum factum mysticè nuntiare. Hæc enim fabulæ species videtur congruere Rhetoricis, & Poëtis. Multi namque viri probati poeticas fabulas ad intelligentiam solidam exponebant. Quis etiam nesciat illas famosas, Aesopicas, & Libicas fabulas sensum præclarum mysticè continere, sicut Papias in Elementario suo; & Isidorus 1. Eth. 95. Aristoteles 2. Rhetor. 25. & alij alibi contestantur. Quare & secundum Philosophum vbi priùs; Fabula est quædam species persuasionis Rhetoricæ, distincta contra parabolam è diuerso: vbi & primo recitat vnam fabulam Libicam, qua Stesichorus dissuasit Imeteris volentibus eligere Imperatorem extraneum in ducem sui exercitus contra hostes, dixit, inquiens, fabulam, Quomodò equus obtinebat pratum solus: Adueniente autem ceruo & corrumpente pascua, volens punire ceruum, interrogabat quendam hominem, si posset cum ipso punire ceruum; ille autem ait, si acceperit frænum, & ipse ascenderit super eum, habens lanceam. Cum consensisset autem, & ascendisset pro eo, vt puniret, ipse seruiuit iam homini. Ita autem & vos, ait, Videte ne volentes aduersarios punire, idem patiamini cum equo frænum: Quid enim habetis iam eligentes ducem exercitus Imperatorem? Vbi & mox aliam speciem fabulæ subdens, ait, Aesopus autem in Samo populum alloquens, cum iudicaretur Rector populi ad mortem ait, Vulpem transeuntem fluuium propulsam fuisse in lacunam, & cùm non posset exire, multo tempore affligebatur, & muscæ caninæ multæ hærebant ei. Ericius autem errans vt vidit eam, misertus est, interrogauitq; si auferat ab ipsa muscas caninas, eum autem non permisit. Quærentem autem propter quid; dixit, Quia istæ quidem iam de me plenæ sunt, & modicum trahunt sanguinem; si autem has abstuleris, aliæ venientes famelicæ epotabunt meum reliquum sanguinem. Ita & vos viri Samij, iste quidem nihil ampliùs nocebit, diues enim est: si autem occideritis eum, alij venient pauperes, qui vos absorbebunt reliqua furantes. Sunt autem fabulæ concionales, & habent bonũ hoc, quia negotia quidem inuenire similia facta, difficile; fabulas autem faciliùs: Facere enim oportet, sicut & parabolas, si quis poterit simile videre, quod quidẽ facere est ex Philosophia. Quare & in prologo Metaphys. suæ ait, & Philomythus Philosophus aliqualiter est. Annon & Poetria Philosophi similia clarè docet; Nonne & 1. Meteor. vlt. exponit fabulam ænigmatizantium Oceanum circulariter fluere circa terram de vapore subtiliato superius ascendente & ingrossato inferius descendente? Nonne & idem in de mundo vlt. fabulam illam famosam de tribus sororibus fatalibus, quæ communiter appellantur Cloto, Lachesis, Atropos, ad verum intellectum de Deo exponendo, sic ait; Perficitur autem & fabula non inordinatè. Sunt autem hæc omnia nihil aliud nisi Deus, quemadmodum & strenuus, ait Plato. Nonne & in prologo Timæ. Plat. 5. ista Ouidiana fabula de Phaetonte exponitur in hæc verba; Illa etiam fabula quæ nobis quoque comperta est, Phaetontem Solis filium affectantem officium Patris, ascendisse currus luciferos, nec seruatis solennibus aurigationis orbitis, exussisse terrena, ipsumque flammis cœlestibus conflagrasse. Fabula quidem putatur, sed est verum. Fit enim longo interuallo mundi circuitionis exorbitatio, quam inflammationis vastitas sequatur necesse est; quam & Aristoteles in de Mundo 12. licet breuiter simili modo intelligit & exponit. Quare & Macrobius super somnium Scipionis: Nec, inquit, omnibus fabulis Philosophia repugnat, nec omnibus acquiescit, & vt facilè secerni posset, quæ ex his à se abdicet ac velut profana ab ipso vestibulo sacræ disputationis excludat, quæ verò etiam sæpe ac libenter admittat, diuisionis gradibus explicandum, quod & nedum vna diuisione diffusè prosequitur, sed & multis tantum autem non impertinenter de fabulis sufficiat factum esse. Per præmissa autem facilè potest cognosci, quomodò etiam Philosophi Aegyptij, Hebræi, Græci, Arabici & Italici, seu Latini, pręmiationem & punitionem animarum post mortem concorditer profitentur. Quibus & concordanter communitas Poetarum Græcorum & Latinorũ similem remunerationem bonorum & malorum post mortem supponit. Dicunt enim bonos & nobiles quosdam, puta Saturnum, Iouem, & similes fieri deos post mortem, quosdam verò transferri

A transferri ad deos, & manere cum eis; malos verò affirmant ad inferna demergi, & pœnis infernalibus cruciari. Ponunt enim 4. seu 5. flumina apud Inferos fluere, in quibus Animæ torqueantur, quorum quoddam sit ardens, quoddam algens, quodlibet autem propriam pœnam habens, sicut libri Poetici sæpè monstrant; hæc autem apud Poetas, Styx Phlegeton, Cochitus seu Cocitus, & Acharon, atque Leches seu Lethes communiter nuncupantur. De quibus *Ebrandus Bitiniensis* in suo Græcismo, inter nomina græca dicit, Styx, odium; Lethes, obliuio; sed Phlegeton, ardens; cocitus, luctus; triste sonat Acharon, quæ & ab alijs alibi latius exponuntur. Lethes tamen à quibusdam idcirco obliuio dicitur, eo quod quicunque apud Inferos ex eo potauerit, statim obliuiscitur || *omnium* & ad superos lætus vadit; qui fortassis non ineptè significat fluuium diuinæ clementiæ, quo animæ purgatæ plenariè, visitatæ ab omni tristitia liberantur, & ad gaudia cœlestia transferuntur. Nonne & sicut tangit Ambrosius de bono mortis, Poetę fabulantur malos apud Inferos sustinere latratus Cerberi, & || omnem pænam
B Cociti fluminis tristem voraginem, Charontem tristiorem, furiarum agmina, aut prærepta carcere, tum quibus hidra sæuior sedem habeat, tum quoque viscera reparandis fœcunda supplicijs. Ibi vultur immanis sine vllo fine depascitur, Ixionijque orbis perpetuam sub pœnæ atrocitate vertiginem, tum saxi desuper imminentis super capita accumbentium inter epulas impendentem ruinam. Cerberus autem secundum Poetas est canis Inferni capita terna habens, Charon portitor Inferni; Furiæ verò dicuntur Deæ Infernales, quæ & Eumenides appellantur, Alecto, Tisiphone, & Mægæra. Hæ tres fœminæ esse finguntur crinitæ serpentibus; Hydra serpens nouem capitum horrendorum, quorum vno succiso, tria succrescunt; Ixion sicut dicunt postquam petijt illicitos amplexus Iunonis ad rotam serpentibus apud Inferos est ligatus; Reliqua verba fabulæ huius patent, in qua nihil à mysterio alienum.

Ampliùs autem si homo sufficienter præmietur pro bonis operibus in præsenti, quod est illud præmium, quæ merces, quod bonum? dicetur fortassis quod bonitas essentialis in-
C separabiliter consequens actum bonum; & hæc sententia videtur posse colligi ex verbis Philosophi 9 Eth. 9. dicentis, Iuuabitur ipse bona agens, & alios iuuabit; Omnis enim intellectus eligit optimum sibi ipsi; Epieikes autem obedit intellectui. Verum enim quod de studioso, & Amicorum gratia multa agere & patriæ etiam, si oporteat mori. Projciet enim & pecunias & honores, & totaliter circum pugnabilia bona, procurans sibi ipsi bonum. Paucum enim tempus delectari valde magis eliget vtique, quam multum quiete & viuere bene annum, quam multos annos qualitercunque; & vnam actionem bonam & magnam, quam multas & paruas. Morientibus autem & hoc forte accidit. Eligunt vtique magnum sibi ipsis, & pecunias proijciunt vtique in quo plura recipient Amici. Fiunt enim quidem Amico pecuniæ, ipsi autem bonum, maius autem bonum sibi ipsi tribuit. Sed istud refellitur per pręmissa, circa proximam partem huius, & quia tunc similiter quilibet malus actus sufficienter puniretur per malitiam inseparabiliter comitantem, contra prius ostensa circa proximam
D partem huius. Quomodo etiam iustus Deus qui secundum trigesimam partem huius vult se diligi & coli ab hominibus super omnia, Ita videlicet quod pro quantiscunque bonis in nullo scienter ipsum offenderent, pro tanto amore, pro tanto seruitio tam modicum eis reddet contra 31am. partem? Quomodo insuper verax Deus, qui secundum eandem 30am. vult se diligi & coli ab hominibus, super omnia propter seipsum finaliter, non seipsum sed aliud infinale & beatificum præmium eis reddet, iuxta prius tacta in ostensione trigesimæsecundæ partis istius? Nec bene operans sufficienter præmiatur per delectationem operationi suæ connexam, cum illa sit minus bona, quam bonitas essentialis & moralis inseparabiliter eam sequens, sicut nullus ignorat, sicuti & ostendunt præmissa circa trigesimam primam partem. Nonnunquam insuper meliorem operationem minor delectatio comitatur, forsitan autem nulla, sicut videtur de operationibus fortitudinis, passionibusuè quibusdam, sicut & Aristoteles 3. Eth. 18. testatur expresè. Vnde etiam tunc mala operatio delectabilis, & pecca-
E tum sufficienter punitur? Hæc quoque responsiuncula reprobabitur sicut prior: Neque laudabiliter operans sufficienter præmiatur, per alias voluptates, aut delectationes alias corporales, cum illæ sint minus bonæ bonitatibus & delectationibus alijs supradictis, quæ minus sufficere comprobantur. Multi etiam virtuosi huiusmodi voluptates refugiunt, aduersitates plurimas sustinent, prosperitates non habent, nec delectationibus huiusmodi potiuntur; imò & minus virtuosi ac maximè vitiosi, in huiusmodi voluptatibus maximè volutantur, aduersitates non sentiunt, prosperitatibus affluunt, & delicijs perfruuntur, sicut & bestiæ effrænatæ. Hi ergo tam bestiæ quàm homines bestiales beatiores videntur hominibus virtuosis. Nonne & secundum hic præmissa beatitudo siue fœlicitas est præmium finale virtutis operis, seu hominis virtuosi? Hæc autem non constat in porcorum spurcitijs, & voluptatibus

bus Epicuri, sicut præmissa circa trigesimamsecundam partem huius ostendunt. Potest A quoque responsiuncula ista refelli faciliter per ea quæ prima. Adhuc autem nec bona exteriora fortunæ sufficienter præmiant virtuosum virtuosè agentem. Bonitas namque essentialiter consequens actum bonum, omnibus exterioribus bonis præstat, sicut potest haberi ex ostensione 31. partis, & hæc nequaquam sufficienter præmiat virtuosum, sicut superius monstrabatur. Virtus quoque moralis, & operatio virtuosa, diuitiis, possessionibus, dominationibus, honoribus, & cæteris bonis exterioribus incomparabiliter melior comprobatur, sicut nullus rectè philosophantium diffitetur. Quomodo ergo per ista plenariè præmiatur, præsertim à Deo, qui non parcè præmiat, sed abundè, teste 31. parte? Nonne & Aristotele iudice, 4. Eth. 7. Honor est maximum eorum, quæ exteriùs sunt, bonorum; quare & ipsemet in œconomica sua dicit; Quòd maximè grauiter quisque fert, honore suo priuatus. Quamobrem & in Ethicis, vbi primò dicit; Quòd virtutis præmium est honor; Sed quàm improportionale præmium, quàm vmbratile, quàm inane, quàm dispar compensatio, quàm inferior merces sit honor respectu virtutis, & operis virtuosi quis nesciat? Quare & idem Philosophus 4. B Eth. 8. Virtuti, inquit, perfectæ non vtique fiet dignus honor. Multa quoque sunt opera virtuosa secreta, non patentia notitiæ alienæ, quibus non redditur dignus honor. Hæc etiam refelletur vt prior: Certum est enim fœlicitatem seu beatitudinem esse finale præmium virtuosi, & hanc in bonis huiusmodi non constare. Quare & Auerroes cum suis sequacibus dicit; Fœlicitatem humanam consistere in scientijs speculatiuis adeptis: In prologo namque super 1. Phys. sic ait; Esse hominis secundum vltimam perfectionem eius, & gratia eius perfecta est, ipsum esse perfectum per scientias speculatiuas, & ista dispositio est sibi fœlicitas vltima, & superna vita cum hac scientia. Sed ista responsio potest corrigi, vt priores. Præterea constat fœlicitatem nedum esse bonum sed optimum, & hoc non accidentaliter, sed essentialiter & per se; perfectio autem per speculatiuas scientias, non est talis. Multi namque in scientijs speculatiuis perfecti esse possunt, & sunt inhonesti, & mali, sicut ratio & experientia manifestant: & Auerroes in prologo super 1. Phys. & 8. planè concedit. Sed hac perfectione melior C est perfectio per virtutes morales, heroicas, seu diuinas. Non enim latet te Auerroes, Aristotelem deum tuum, 7. Eth. 1. scribere isto modo; Ad bestialitatem autem maximè vtique congruit dicere super nos virtutem heroicam quandam & diuinam, quemadmodum Homerus de Hectore fecit dicentem Priamum, quoniam valdè erat bonus, neque videbatur viri mortalis puer existere, sed Dei. Quare si quemadmodum aiunt, ex hominibus fiunt dij, propter virtutis superexcellentiam talis, vtique quidam erit videlicet bestialitati oppositus habitus. Virtutes autem morales heroicæ seu diuinæ non sunt speculatiuæ tantummodò, sed practicæ, seu actiuæ, seu veriùs operosæ. Quare & idem Philosophus 10. Eth. 13. planè docet; Quòd pro fœlicitate intendendum ad opera & ad vitam: & subdit; Secundum intellectum autem operans, & hunc curans, & dispositus optimè, & Dei amantissimus videtur esse. Si enim quædam cura humanorum à diis fit, quemadmodum videtur, & erit vtique benè rationabile, & D gaudere ipsos optimo & cognatissimo: hoc autem erit intellectus, & diligentes maximè hoc, & honorantes, & rebeneficiare vt amicis ipsis curantes, & rectè & benè operantes. Quàm autem hęc omnia sapienti maximè existunt non immanifestum; Deo amantissimus ergo, eundem autem conueniens & fœlicissimum. Super quod & tu Auerroes; Si, inquis, cura sit deo de hominibus, vt credit, & vt debitum est, gaudet de meliori, & dignius est vt benefaciat eis qui amant eum plus, & honorificet eos & visitet eos, sicut est dispositio amici cum amico. Vbi & infra 14. Philosophus ita scribit; Non est in operabilibus finis speculari singula, nihil vtique de virtute sufficiens scire, sed habere & vti tentandum, vt si aliqualiter boni simus, & supra 2ⁱ. 2°. Quoniam præsens negotium non contemplationis gratia est, quemadmodum alia, (non enim, vt sciamus, quid est virtus, scrutamur, sed vt boni efficiamur, quia nullum vtique esset proficuum eius) necessarium est scrutari ea quæ circa operationes, qualiter operandum est eas; hæ enim sunt dominæ, secundum rectam igitur rationem operari commune. Quare E & pater Philosophorum Hermes de Verbo æterno 14. docet; Quòd vera Philosophia in cognoscenda diuinitate, & sancta diuinaque religione consistit: & subdit; Qui igitur homines post nos erunt, sophistarum calliditate decepti à vera scientia puraque Philosophia auertentur; simplici enim mente & anima diuinitatem colere, eiusque facta venerari, agere etiam Dei voluntati gratias, quæ est bonitas sola plenissima, hæc est nulla animi importuna curiositate violata Philosophia. Sixtus quoque Pythagoricus in sententiolis suis, ait; Intellige quæ sint bona, vt benè agas. Quis etiam nesciat, cùm quæritur; Qualis sit homo? & respondetur simpliciter; Bonus vel malus? quod intelligitur de bonitate vel malitia moris & vitæ, non scientiæ, aut ignorantiæ speculatiuæ; sed ibi quòd est bonus Philosophus, aut bonus Clericus, respon-

A respondetur. Quod & videtur Philosophum superiùs innuisse, cùm dixit; Non vt sciamus scrutamur, sed vt boni efficiamur. Quis insuper (quæso) tam sciens, vt in nullo decipiatur, aut erret, vt omnia, quæ vult, sciat & perfectè, vt eius desiderium in omnibus quietetur, & plenariè satietur? Hæc enim fœlicitas exigit, & beatitudo requirit, sicut præmissa testantur. Quis insuper scientificorum, totus tam beatus & fœlix in vita præsenti, quod etiam in anima & in corpore, & eorum potentijs plena beatitudine, sine labore & dolore, sine defectu & miseria, sine repugnantia aut discordia perfruatur? Nonne proficiente anima deficit corpus & potentiæ corporales? Nonne proficiente corpore deficit anima & languescit? Nonne inter corpus & animam continua discordia perseuerat? Quomodo ergo his ita se habentibus, totus homo perfectè beatus, & non miser potius æstimandus? Quæ etiam secundum istam sententiam esset miseria vitiosorum? Vel deceptio contraria veræ scientiæ, & tunc maiores Philosophi propter suam contradictionem multiplicem miseriores sunt bestijs, hominibus bestialibus, & simplicibus idiotis; vel simplex carentia seu ignorantia scientiæ. Et sic vitio-
B sissimè operans nec quicquam addiscens, & simpliciter nihil addiscens nec operans quicquam mali, æquali miseriæ subiacerent. Si etiam scientia speculatiua esset per se & essentialiter finis, fœlicitas, & beatitudo humana, videtur quod homo deberet seu posset per quæcunque media sibi possibilia, deficientibus alijs acquirere illum finem, etiam per peccatum. Nunquid etiam soli Philosophi speculatiui & nulli alij, quantumcunque moraliter & deiformiter virtuosi, fœlicitabiles seu beatificabiles reputandi, cum fœlicitas sit bonum commune & finis cuiuslibet hominis naturalis; cum etiam multi tales magis ament Deum & colant, & magis obseruent legem diuinam, & regulam rationis? recolat quæso Auerroes dicta sua, & Aristotelis prælibata. Quamobrem & aliquis fortè dicet quòd virtus moralis siue heroica, vel eius augmentum sufficienter præmiat opera virtuosa. Sed ista responsiuncula sicut prima harum & proxima castigatur. Nihil etiam sufficienter præmiat hominem nisi fœlicitas, sicut præmissa testantur: Hæc autem non consistit in habitu, sed in actu, cum actus bonus perfectior
C habeatur potentia versus bonum, sicut nullus ignorat, & ostensio primæ Suppositionis, ac multi Philosophi attestantur; quod & Philosophus. 1. Eth 12. clarè probat; Et infra, eiusdem vlt. dicunt nihil differre secundum dimidium vitæ fœlices à miseris. Contingit autem hoc decenter; quies enim est somnus animæ, secundum quod dicitur studiosa & praua: Quapropter fortasiis & aliquis has ambas virtutes intellectuales & morales coniunget, dicens in ambabus coniunctim fœlicitatem consistere, per quam homo plenariè præmietur; & sic Auerroes in Prologo super 1. Phys. Aristotelis sensisse videtur. Sed ista, vt priores & proxima repelletur. Ideo forsitan quisnam dicet, non habitum virtuosum, sed actum esse fœlicitatem & beatitudinem hominis consummatā, & præmium eius plenarium, & perfectum in vita præsenti; & sic videtur Aristoteles opinari. Sed ista responsiuncula reprobabitur, sicut prima, & aliæ subsequentes. Nonnè & actus quilibet virtuosus in statu præsenti est liber, laudabilis, & meritorius præmij & melior melioris. Quod ergo præmium illius actus beatifici & fœlicis?
D Non ipsemet: Constat, & præcipuè quia aliud puta Deum finaliter intendebat, secundum documentum 30. & quia secundum 31. huius, Deus nullum parcè remunerat, sed abundè. Nec alius, quia sic processus contingeret infinitus. Quapropter Aristoteles & Auerroes subtilius, & veritati propinquius cogitantes, dicebant fœlicitatem humanam consistere in coniunctione seu copulatione eius cum intellectu agente in vita præsenti, licet tempore paruo duret. Vnde Aristoteles 12. Metaphys. 38. loquens de primo principio à quo cœlum & natura dependet, sic ait: Deductio qualis optima paruo tempore nobis; sic semper illud est nobis quidem impossibile; super quod Auerroes, Ex hoc quidem apparet benè quòd Aristoteles opinatur quod fortuna hominum, eo quòd sunt homines, non est nisi per continuationem eorum cum intellectu, quem declaratum est in libro de Anima esse principium agens & mouens nos. Intelligentiæ enim abstractæ, in eo quòd sunt abstractæ, debent esse principia eorum, quorum sunt principia, duobus modis; secundum quod sunt mouentes, & secundum
E quod sunt finis. Intelligentia enim agens in quantum est abstracta & principium nobis, necesse est vt moueat nos, secundum quod amatum amans; Et si omnis motus necesse est vt continuetur cum eo, à quo fit secundum finem, necesse est vt in postremo continuemur cum hoc intellectu abstracto, ita quòd erimus dependentes à tali principio, à quo cœlum dependet; quamuis hoc sit in nobis modico tempore sicut dixit Aristoteles; qui & supra 18. sententiam similem huic tradit. Qui etiam super tertia de Anima, Comment. trigessimo sexto sic scribit; Necesse est vt intellectus agens copuletur nobiscum, per continuationem intellectorum speculatiuorum, & manifestum est quòd cum omnia intellecta speculatiua fuerint existentia in nobis in potentia, quòd ipse erit copulatus nobiscum in potentia, & cum

cum omnia intellecta speculatiua fuerint existentia nobiscum in actu, tunc erit copulatus A nobiscum in actu, tunc erit ipse copulatus secundum partem, & secundum partem non, & tunc dicuntur moueri ad continuationem, et manifestum est, quòd cum ipse motus complebitur, statim ille intellectus copulabitur nobiscum omnibus modis; & tunc manifestum est quòd proportio eius ad nos in illa dispositione, est sicut dispositio intellectus, qui est in habitu ad nos; & cùm ita sit, necesse est vt homo intelligat per intellectum sibi proprium omnia entia, & vt agat actionem sibi propriam in omnibus entibus; sicut intelligit per intellectum qui est in habitu, quandò fuerit continuatus cum formis imaginabilibus, omnia entia intellectione propria. Homo igitur secundum hunc modum, vt dicit Themistius, assimilatur Deo, in eo quòd est omnia entia quoquo modo, & sciens ea quoquo modo. Entia enim nihil aliud sunt, quàm scientia eius: Nec causa entium aliud est nisi scientia eius, & quàm mirabilis est iste ordo, & quàm extraneus est iste modus essendi? Verùm si hæc fœlicitas hominis tempore paruo duret, vt dicitis, & sicut necessariò est dicendum, cùm omnes homines philosophantes & alij experiantur certissimè se carere fœlicitate huiusmodi penè toto tempore vitæ suæ, nisi fortassis secundum vestram sententiam in vltimo vitæ momento potentijs corporeis quasi extinctis, & ipso iam penè alienato à corpore in extasi sincopi, seu in raptu, quomodò sufficienter compensatur laboribus & operibus hominis virtuosis toto tempore suo gestis per centum, quingentos, milleve annos? quomodo tanta strenuitas, tanta pœnalitas, tanta diuturnitas tam breui stipendio præmiatur? præsertim à Deo, qui secundum præmissa semper vltra condignum remunerat & abundè, qui & posset facilimè ipsum quantumlibet ampliùs præmiare in vita præsenti, anticipando hoc præmium, vel continuando vitam præsentem vlteriùs; vel in vita futura secundum 37^am & proximam partem huius. Nunquid decet quòd homo princeps terrenus, militem pro ipso & ipsius honore toto suo tempore, annis quàm plurimis strenuissimè militantem, lucra & delicias contemnentem, famem & sitim, æstus & gelu, verbera, vulnera, vincula, carceres, & pœnas omnimodas fortissimè sustinentem, momentanea tantùm delectatione reficiat, momentanea tantùm mercede remuneret, & coronam tantum momentaneam ei reddet, præsertim si æquè faciliter posset eum quantumlibet ampliùs præmiare? nunquid hoc congruit viro bono? nunquid hoc congruit viro iusto, clementi, potenti, remuneratiuo, benefico, magnifico, liberali, aut largo? & non potiùs viro parco, *kimbili* & tenaci? Deus autem in omnibus conditionibus virtuosas excedit quemlibet hominem infinitè, sicut prima Suppositio, tertia pars, & quarta demonstrant. Quomodò insuper talis Princeps per tale momentaneum præmium sufficienter milites animaret, & desides excitaret ad tantos & tam diuturnos labores, ad tam ærumnosam & periculosam militiam tam longis temporibus strenuè exercendam? Quomodò igitur Deus suos? Quomodò etiam præmium tantillum, tam fluxibile & tam breue, tanto compensatur amori, quanto doctus artis amandi in schola partis 30^æ Deum amat, quo super omnia cogitabilia eam amat, in tantum quòd pro nullis bonis aut malis delectabilibus aut tristabilibus quantiscunque quantumlibet diuturnis, D etiam per tempus æternum, nullo modo scienter ipsum offenderet, seruitium debitum omittendo, aut displicentiam aliquam committendo; præsertim cùm Deus remuneret quemlibet secundum qualitatem & quantitatem sui seruitij, operis, & amoris, & non parcè, sed largè, secundum 31^am partem, sicut & ostensio proximæ partis tangit. Nonne & sicut quilibet naturaliter appetit bonum, & maius magis, ita & appetit bonum durabile diuturnum, & durabilius seu diuturnius magis, & quanto bonum fuerit melius siue maius, tanto ampliùs appetit illud diuturniùs permanere; quomodò ergo iste appetitus beati, beatitudine tam transitoria vix horaria aut momentanea satiatur? aut quomodo erit beatus, dum non plenariè satiatur, sed esurit, sitit, & appetit, quod non habet, nec est in perpetuum habiturus, sicut præcedentia etiam testante Aristotele docuerunt. Item talis beatus seu fœlix, vel scit se tantum bonum beatificum amissurum, vel credit contrarium, vel neutrum considerat. Si scit quod amittet, videtur quòd dolet. Quis enim de amissione irrecuperabili tanti boni non doleat, cum de amissione minoris boni doleret? Nonne & tu Aristoteles 3. Ethic. 18. loquens de forti, sic ais; E Quanto vtique virtutem habeat omnem, & fœlicior sit, magis in morte tristitia erit. Tali enim maximè viuere dignum, & iste maximis bonis priuatur sciens; triste autem hoc: vel saltem non gaudet perfectè. Pleniùs enim gauderet, si sciret, aut crederet illud bonum mansurum. Quare non videtur perfectè beatus, cùm beatitudo perfecta perfectè contineat cuncta bona ad beatitudinem requisita, cuiusmodi gaudium esse constat. Si credit contrarium, decipitur turpiter non circa impertinens, sed circa maximum, & proprium bonum suum. Quomodò ergo fœlix, qui falsa spe decipitur, tanto malo læditur, tali errore cæcatur, & tanta turpitudine maculatur? Quomodò etiam perfectè beatus nescit se bonum suum beatificum amissurum,

A miſſurum, cùm tu non beatus, hoc ſcias? cùm etiam ſecundum te Auerroes, Beatus tunc
ſciat omnia, ſicut Deus. Si neutrum conſiderat, quomodo ſcit omnia? tu etiam, non beatus,
ſcis quòd perdet beatificum bonum ſuum, cur ergo non ſcit ipſe beatus? Quomodò inſuper
veriſimile æſtimandum quòd de tanto bono ſuo nihil conſideret, an illud amittere debeat, in-
amiſsibiliterue tenere, cùm ſapiens de bonis minoribus conſideret hoc frequenter, cùm etiam
ſecuritas retinendi bonum beatificum acquiſitum, tam deſiderabiliter concupitum, tam lætè
adeptum, tam amorosè poſſeſſum, lætiſsima & beatiſsima eius portio videretur? Nonne &
felix, niſi forte per naturaliſsimam mortem deceſſerit, ſicut paucisſimi vel nulli decedunt,
ante mortem dolorem & triſtitiam ſuſtinebit? Quomodo ergo tunc felicitas, & non mi-
ſeria potiùs expectanda? Ampliùs autem, ſi beatificum præmium hominis expectare-
tur in vita præſenti, nullus vnquam iuuenis, & vniuerſaliter nullus beatitudinem non
adeptus, deberet rationabiliter exponere ſe morti ſcienter pro conſeruatione ‖ *religionis* ‖ legis
B diuinæ, pro defenſione Reipublicæ, pro ſaluatione parentum ſeu amicorum, & vniuer-
ſaliter ex cauſa quacunque. Quis enim debet rationabiliter perdere ſeu non acquirere ma-
ximum bonum ſuum pro nullo bono, vel pro bono minori, pro paruo forſan virtutis aug-
mento momentaneo in præſenti, alioue bono quocunque? Quis etiam neſciat beatitudinem
omne aliud bonum humanum excedere? neque etiam felicitatem adeptus ex quacunque cau-
ſa deberet ſe morti exponere; quia ſic faciens, per triſtitiam vulnerum, & per anticipationem
mortis, beatitudinem ſuam lætam, & maximum bonum ſuum minueret, & curtaret? Nonne
tu Ariſtoteles 3. Eth. 18. Percuti, inquis, doloroſum ſi carnales, & triſte, omnis labor tale eſt, &
quod circa fortitudinem, mors quidem & vulnera triſtia forti: ſed qua ratione niſi nimis irra-
tionabili debet homo deteriorare ſeipſum, facere ſeipſum minus bonum & ommino non
bonum? Nonne & cuiuſlibet animo iudicante & te Ariſtotele atteſtante, Omnis actus
& electio bonum quoddam appetere videntur; ideo bene enuntiauerunt bonum, quod
omnia appetunt; & omnis intellectus eligit optimum ſibi ipſi, & illud cuius cauſa agen-
C da ſunt ſingula, eſt bonum vniuſcuiuſque; totaliter autem optimum in natura om-
nium: quare & de liberali ſic ſcribis, Si autem præter optimum & bene habens con-
tingat ipſum conſumere, triſtabitur. Nullus ergo omnino pro cauſa quacunque de-
beret ſe morti exponere, periculoue mortali. Quis igitur erit fortis pro religione
aut lege diuina, pro Republica vel amicis fortiter dimicabit? Quomodo efficaciter
prouocabitur quiſpiam ad ſtrenuè militandum, ad mortem ſi oportuerit ſuſtinendum,
ſi moriens omnia bona perdat, nec vllam mercedem poſt mortem recipiat in æternum?
Non ſic ſenſit Hermes de verbo æterno, non ſic ſenſit Plato de legibus ſiue de Republica, non
ſic ſenſit Varro, non Tullius, non Macrobius, nec aliquis alius Reipublicæ ſapiens inſtitutor
aut rector, nullus ſic ſenſit, niſi qui inſenſatis conſenſit. Nonne & tu Ariſtoteles 9. Eth. 9. af-
firmas, quod ſtudioſus amicorum & patriæ gratia, ſi oporteat, debet mori? Nonne & 3. Eth.
D agens de fortitudine idem doces? ſed quomodo poteſt quis efficaciter exhortari timidos mor-
tis, deſides, & vecordes ad ſtrenuè militandum, ad mortem non timendum, ſed ipſam ſi opor-
teat alacriter ſuſtinendum, ſi nulla merces vel parca in præſenti ipſis reddatur; imo etſi mo-
riendo beatitudinem quam habuerant, & beatitudinis poſſibilitatem, & omnia bona perdant,
abſq; vlla ſpe retributionis futuræ? Abſit tã miſera inopia, & tam inops miſeria à rerũ natura,
ab vniuerſitate entiũ, à magna Republica magni mũdi, à potentiſſimo & copioſſimo, & largiſ-
ſimo principe ampli mundi; Abſit quod Deus ſuos amabiles amatores, ſuos ſtrenuos milites,
ſuæ iniuriæ defenſores, pro ipſo, ipſius honore, religione, & lege, pro iuſtitia & conſeruatio-
ne Reipublicæ diuinitus iuſtitutæ, vſq; ad mortem inflexibiliter dimicantes ſic irremuneratos
abijciat & contemnat, propter trigeſimam primam partem: Nec ipſos ſufficienter remunerat
in præſenti, faciet igitur in futuro. Adhuc autem beatificatio illa quam ponitis eſt nimium
diminuta, quoniam etſi perficiat hominem ſecundum animam, non tamen ſecundum cor-
E pus: Corpus enim tunc deficit, & potentiæ corporales. Illa quoque felicitas ſecundum ve-
ſtram doctrinam eſt actus humanus, & non neceſſarius vt videtur ſed liber, cùm ſit actus no-
biliſſimus hominis, potentiæ nobiliſsimæ rationalis, quæ & vobis dicentibus valet ad oppo-
ſita. Videtur ergo laudabilis, & meritorius præmij, ſed cuius? quod eſt illud præmium? quæ
merces? non ipſa eadem felicitas, idem actus; conſtat: nec felicitas alia, ne fortè proceſſus in
fœlicitatibus accidat infinitus: nec quicquam aliud in præſenti; quid enim? videtur quoque
hominem in extaſi poſitum non habere liberũ vſum ſui. Nonne & tu ipſe Auerroes, ſuper 12.
Metaphyſ. comment. 18. Si, inquis, iſte intellectus denudetur apud perfectionem humanam
à potentia, neceſſe eſt vt deſtruatur ab eo hæc actio, quæ eſt alia ab eo, & tunc aut non intelli-
gemus omnino per hunc intellectum, aut intelligemus ſecundum quod actio eius eſt ſubſtan-
tia eius

tia eius, & impossibile est vt in aliqua hora non intelligamus per ipsum. Relinquitur igitur cum iste intellectus fuerit denudatus à potentia, vt intelligamus per ipsum secundū quod actio est substantia eius, & est vltima prosperitas. Si etiam talis felicitas sit finale præmium hominis virtuosi, quæ finalis miseria siue pœna hominis vitiosi? non sola priuatio felicitatis istius; sic enim vitiosus & neuter essent æqualiter miseri deputandi, & æquali pœna plectendi. Quid igitur aliud? Nonne & illi qui maximè iungebantur cum principio cœli & ||*naturæ*, cum intellectu agente, cum Deo in vita præsenti, erant illi præclari & famosi Prophetæ, qui cum Deo, & per Deum, quasi Deus quodammodo, omnia vel plurima mirabilissimè peruidebant, & visa alijs non videntibus prophetabant, sicut superiùs tangebatur, vnde & videntes & Prophetæ antiquitùs dicebantur? Ipsi autem concorditer attestantur vitam futuram, præmia & supplicia secundum differentiam meritorum. Potest quoque ista responsio corrigi vt priores. Sed ausculta (quæso) Auerroes specialiter vnum verbum. Nonne cum dicis; Cùm omnia intellecta speculatiua fuerint in nobis in potentia, intellectus agens erit copulatus nobiscum in potentia; & cùm quædam fuerint in nobis potentia, quædam actu, tunc ipse copulabitur nobiscum secundum partem, & secundum partem non, & tunc dicimur moueri ad continuationem; & cùm iste motus complebitur, cum videlicet omnia intellecta speculatiua fuerint nobiscum in actu, tunc ipse erit copulatus nobiscum in actu, omnibus modis. Nimis manifestè quòd prius natura habebit homo omnia intellecta speculatiua secum actualiter copulata, quàm intellectus agens copuletur cum eo, & hanc esse causam copulationis istius. Sed hoc est impossibile manifestum, sicut ostensio 32. & 36. partis perspicuè demonstrauit. Hoc enim necessario esset per actus aut habitus infinitos, & infinities infinitos, imò & infinities infinities sine fine. Quod etiam astruis, hominem scire tunc omnia, quis est hic? quis cunctis retroactis temporibus fuit talis? quis vnquam inuentus est talis? quot gloriosi Philosophi præcesserunt, sed quis eorum inuentus est talis? Nonne Aristoteles deus tuus & Philosophorum clarissimus, ipsomet teste, quadraturam circuli ignorauit? Nonne & alia plurima Mathematicalia, Naturalia, Metaphysicalia, seu Theologica, & Moralia ignorauit, sicut libri sui indicant euidenter? Nonne & omnes Philosophi contradixerunt sibi inuicem in quibusdam, vsque ad exitum vitæ suæ? Quomodo ergo & quando sciuerunt hi omnia? & si non isti, qui alij sunt isti? Quod insuper adijcis hominem tunc acturum actionem propriam in omnibus entibus sicut Deum, mirandum quis vnquam Philosophorum aut aliorum inuentus est talis, nisi fortasis illi famosi, & præclari Prophetæ, potentes in opere & sermone, omnia vel plurima diuinitùs cognoscentes, & omnimoda miracula in cœlo, in igne, in aëre, in aqua, in terra, & sub terra, in hominibus, in iumentis, & quasi in omnibus entibus diuinitùs facientes, sicut præmissa circa 32. partem indicant euidenter. Sed hi concorditer profitentur vitam futuram post mortem in gloria & in pœna: Causa autem huius tui erroris videtur vnitas intellectus, & animæ rationalis in cunctis hominibus, quam & erroneè posuisti, sicut superius est ostensum. Nec mirum si ex errore error || *prorumpat*, imò ex vno errore errores innumeri propagantur: Causa verò erroris Aristotelis in hac parte fuit error de æternitate mundi, & generationis humanæ, qui ideo habuit ponere consequenter tantum animas immortales beatificandas post mortem, non totum compositum ex anima & corpore congregatum. Non enim ponebat reditum animarum ad corpora, nec eundem hominem numero rediturum, sicut Platonici posuerunt. Nec irrationalis ratio Simonis quenquam debet turbare resurrectionem mortuorum negantis, quia est contra naturam, si pensetur Deus omnipotens totius autor naturæ. Imo si Platonem sequamur, qui Iohanne Sarisburiense 2. Policrat. 12. referente, asserit naturam esse Dei voluntatem, resurrectio mortuorum erit secundum naturam, quia secundum voluntatem diuinam: Hunc etiam Simonem Dionysius, Irenæus, Hpppolytus, Origenes, & Epiphanius redarguunt & refellunt.

||terræ

||erumpat

Ponentes autem reditum Animarum humanarum ad corpora bestialia, sicut Plato, Ouidius, & Platonici cæteri, horribiliter deuiant, & monstrosè delirant. Quis enim Philosophorum ignorat formas proprias naturales, materias proprias secundum proprias conditiones dispositas affectare, & alias non intrare? quis etiam nesciat species naturales, puta hominem & asinum, specificè essentialiter ab inuicem discrepare per differentias & formas substantiales, essentialiter, substantialiter, & specificè differentes? quomodo ergo forma seu anima hominis constituet asinum vel è contra? Si etiam anima hominis exuens corpus humanum statim indueret bestiale, & viueret idem homo, sub alia tamen forma, sicut fingit Ouidius, sicut & Plato videtur sentire, ille homo nunquam moreretur, sed continuè viueret, cùm vltimum rei permanentis non detur, sed primum, quod & Ouidius videtur concedere manifestè. Dicit enim omnia mutantur, nihil interit. Sed quis insensatus concesserit hominem, & vniuersaliter hominem

A hominem nullum mori? Si etiam homo non moritur, non resurget, contra priorem particulam huius partis. Repugnas quoque Ouidi tibi ipse: nonne infra, eodem, sic ais;

Tempus edax rerum, tuque inuidiosa vetustas
Omnia destruitis, vitiataq; dentibus aeui
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Et adhuc inferiùs versus finem, loquens de Iulio Cæsare mortuo, & nobilitate ipsius, & pluribus alijs mortuis, & seniore nepotum Iulij, & Augusto Cæsare tunc viuentibus, ita scribis:

Nec nisi cum senior similes aequauerit annos,
Aethereas sedes, cognataq; sidera tanget.
Hanc animam interea caeso de corpore raptam,
Fac iubar, vt semper Capitolia nostra forumq;
Diuus ab excelsa prospectet Iulius aede.
B *Vix ea fatus erat, media cum sede Senatus*
Constitit alma Venus, nulli cernenda, suiq;
Caesaris eripuit membris, nec in aera solui
Passa recentem animam, caelestibus intulit astris.
Dumq; tulit numen capere atq; ignescere sentit
Emisitq; simul, simul euolat altius illa,
Flammiferumq; trahens spatioso limite crinem
Stella micat, natiq; videns benefacta fatetur
Esse suis maiora, & vinci gaudet ab illo.
Hic sua praeferri quanquam vetat acta paternis,
Libera fama tamen, nullisq; abnoxia iussis
Inuitum praefert, vnaq; in parte repugnat.
C *Sic magnis cedit titulis Agamemnonis Atreus,*
Aegea sic Theseus, sic Pelea vicit Achillis.
Deniq; & exemplis ipsos aequantibus vtar,
Sic & Saturnus minor est Ioue, Iupiter arces
Temperat aethereas, & mundi regna triformis.
Terra sub Augusto est, Pater est & Rector vterq;.

Et in fine de teipso sic dicis.

Cum volet illa dies, quae nil nisi corporis huius
Ius habet, incerti spacium mihi finiat aeui.
Parte tamen meliore mei super alta perennis
Astra ferar.

Nonne hic dicis expressè animas benè meritas ad astra leuandas, & ibi in mansionibus siue D locis differentibus collocandas, secundum differentias meritorum? Amplius autem si animæ humanæ benè meritæ, statim ad huiusmodi corpora redeant, & ad huiusmodi vitam mundanam, quando & vbi sufficienter pro meritis præmiantur? non quando gesserunt antiqua habitacula, priora corpora, & in illis sicut præcedentia manifestant, nec quando ab omnibus corporibus separantur, cum statim post illa introeant alia, sicut opinio ista dicit; neque in secundis corporibus bestialibus; præmiatio namque recta debet præmiatum efficere meliorem, sed quis dubitat bestiam esse homine viliorem? Qualis quæso melioratio aut præmiatio reputanda, quòd anima tam nobilis tam perfecta, à corpore tam nobili & perfecto, ad corpus tam ignobilius & vilius pelleretur, quòd tam nobilis creatura in monstrum tam horridum verteretur? Quomodo talis transformatio || *præmium* & non pœna potius deputanda? aut si qualecunque præmium fingi posset, non tamen largissimum & vltra condignum, secundum sententiam proximæ & 31. partis & ostensionum ipsarum. Quomodo insuper Iustus Deus, qui E ratione magistra nos docet, ipsum esse à nobis super omnia diligendum atque colendum, intantum quod pro quantiscunq; bonis aut malis, non debemus ipsum scienter offendere quouismodo, sicut 30. pars testatur, pro tanto amore tantoque cultu, tam parcum & paruulum præmium eis reddet contra 31. partem? Quomodo etiam verax Deus, qui secundum doctrinam eiusdem 30. vult seipsum diligi & coli ab hominibus finaliter propter ipsum, non seipsum sed aliud in finale pręmium eis reddet, aliud inquam incomparabiliter minus ipso, & quasi nihilum & inane? quomodo talis beatificatur plenariè? quomodo eius desiderium satiatur? sicut superius est argutum. Nec animę humanæ virtuosè viuentes, alia corpora humana statim ingressę ad vitam mundanam sic beatificantur ad plenum: Redeunt enim ad laborem solitum & dolorē, ad statum merendi nouiter & peccandi, ad ærumnas & miserias consuetas.

|| meritum

Sed quomodo talis conditio omnium priorum laborum merces sufficiens, & felicitas homi- A
nis reputanda? Nonne & anima hominis sicut habet aptitudinem & appetitum naturalem
ad corpus, & non indifferenter ad corpus quodcunque, sed ad corpus humanum, ita & in-
ter humana ad corpus proprium quod gerebat, in quo, & per quod actus nobiles exer-
cebat, & amplius diligebat, quam corpus humanum extraneum, & penitus alienum.
Sic enim & miles magis appeteret, & amaret equum & gladium proprios & antiquos,
per quos strenuè se agebat, quàm alios. Quare & dicit Poëta, *Cum quo consenuit miles hono-
rat equum.* Recitat etiam Plinius 8. Naturalis historiæ & aliæ historiæ contestantur, quòd A-
lexander pro Bucephalo equo suo occiso fecit solennes exequias, & ipsum tradidit sepulturæ,
ac circa eius sepulchrum ciuitatem ædificans, ipsam eius nomine appellauit: Et quid conue-
nientius, quid decentius, quid congruentius rationi, quàm quòd totus ille qui meruit, totus
ipse idem, non alius præmietur in eisdem anima & corpore, per quæ strenuitatis opera exer-
cebat? Quid enim aptius & iustitiæ remuneratiuæ decentius, quàm vt idem homo qui me- B
ruit, in eisdem anima & corpore quibus meruit, à delicijs abstinebat, tristitias sustinebat, fa-
mem & sitim, gelu, & æstum, vigilias, & ærumnas, verbera, vulnera, carceres, & squalores,
& fortissimam tandem mortem; reunitis ad inuicem, præmietur, amotis molestijs, nocu-
mentis, tristitijs, & ærumnis, foueatur delicijs, & mulceatur lætitijs, & gaudijs perfruatur?
Istud quoque nedum rationi morali aut diuinæ, verùm etiam naturali conuincitur. Certum
namque habetur apud Philosophos naturales quòd causa agens seu efficiens præcedit tem-
poraliter suum actum, suum effectum, sed formalis nusquam suum formatum, Aristotele 12.
Metaphys. cum Auerroe attestante, sicut in ostensione 36ª partis fuerit recitatum. Quo-
modò etiam fingit Ouidius aliquos meminisse alios homines se fuisse, seu aliter nominatos,
* de seipsis. & tunc eadem, quæ nunc, fecisse, ac passos fuisse, quod & alij quidam fingunt; sed * quomo-
dò? qua verisimili ratione? Cur enim non possum ego de meipso & alij homines de seipsis
simili ratione? Annon ideò potiùs hoc fingitur à quibusdam, quia sicut Græcorum historiæ C
testantur, Menelaus deuicto Euphorbo posuit clypeum eius in templo Iunonis, quem accepit
Panthoides, qui Pictagoras dicebatur: Quare & dixerunt animam Euphorbi Panthoidem
introijsse, & ipsum fuisse Euphorbum. Dicetur fortassis quòd Animæ virtuosæ non statim re-
dibunt ad corpora; sed interposito magno anno, neque tunc ad corpora alia, sed ad propria
reuertentur; solæ autem animæ vitiosæ statim redibunt ad corpora aliena bestialia vel huma-
na; puto Animæ masculorum ad corpora fœminarum. Sed quomodò fiet ita, cùm Deus sit
pronior ad præmia largienda, quàm ad supplicia rependenda, sicut & abundantiùs præmiat
virtuosos, quàm puniat vitiosos, sicuti congruit eius magnificæ bonitati, teste 31ª parte; nec
anima virtuosa sufficienter interim præmiatur pro operibus virtuosis, sicut superius est per-
suasum? Ampliùs autem si masculus fuerit incontinens voluptatum, quomodò conuenienter
punitur, si mutetur in fœminam incontinentiorem, & in actibus voluptatis maiorem delecta-
tionem habentem, testibus Medicis & similiter Tiresia, sortem virilem & muliebrem exper- D
to, Ouidio 3. Metamorphos. recitante? pœna namque debet esse tristabilis & contraria vo-
luptati. Quomodo etiam tam deliciosa punitio homines voluptatibus inclinatos, sufficien-
ter terreret, & retraheret à peccato, secundum quod superiùs forsitan tangebatur, & non po-
tiùs forsitan incitaret? Neque etiam in corpora ferarum immanium reuertentur propter si-
miles rationes, & propter rationes superiùs prælibatas. Adhuc autem iuxta præmissa de præ-
miatione bonorum, quid magis consonum rationi, quàm vt ipse idem numero qui peccauit,
& ipse idem numero puniatur, quàm vt in eisdem membris, quibus illecebris fruebatur, è
contrario puniatur; quàm vt in eodem corpore, quo se voluptatibus balneauit, & è contrario
puniatur? Ampliùs autem cùm præmiatio, & punitio contrariæ videantur, & contraria se-
cundum Philosophorum doctrinam nata sint fieri circa idem; si animæ virtuosæ solæ sine
corporibus præmientur, & animæ vitiosæ solæ sine corporibus puniantur, vel si animæ vitio-
sæ cum corporibus puniantur, & animæ virtuosæ similiter cum corporibus præmiantur, licet
illæ in corporibus tabidis, corruptis, & miseris, hæ autem in corporibus gloriosis. Ampliùs E
autem quid fiet de animabus eorum, qui nihil boni aut mali egerunt? vel statim reiungen-
tur corporibus, & tunc qualibet; vel diutiùs expectabunt, & quomodo medio tempore se ha-
bebunt? Neque est tenenda sententia quæ affirmat quaslibet animas post spacium magni
anni ad corpora propria reuersuras, & vitam mundanam consuetam acturas, & sic omnia ea-
dem numero infinities iteranda. Quando namque & vbi sic præmiarentur ad plenum homi-
nes virtuosi? Non in vita præsenti mundana, sicut superiùs est ostensum; nec in vita cœlesti;
Ibi namque non totus homo compositus, sed sola anima præmiatur, quod præmium non
sufficit homini virtuoso, & eius operibus virtuosis, sicut superiùs est ostensum; nec in vita
mundana

A mundana secunda post animæ reditionem ad corpus, sicut superiùs monstrabatur. Quomodo insuper tam diminuta præmiatio, tam resecta, vt non totum seruitorem suum remuneret, sed tantum dimidiam eius partem, rationabiliter decet Deum, secundũ hic præmissa, & 31^am^ partem? quomodo etiam in media illa parte, præmium tam curtatum, tam breue, tam parcũ, aut aliquod prẹmium temporale sufficienter retribuit Dei integro amatori, & eius sincero cultori, qui secundũ doctrinam 30. pro quantiscunq; bonis delectabilibus intensiue aut extensiue, vel etiã duratiue lucrandis, seu ipsis lucratis seruandis, aut malis pœnalib non habitis prẹcauẽdis, seu habitis amouendis ipsum scienter offenderet quouismodo, aliquod seruitium debitũ subtrahendo, aut aliquid displicens faciendo, sicut hic superius tangebatur, & circa proximam partem huius. Imò rationabilius arbitrandum diuinæ iustitiæ, largitati & bonitati amplissimè & infinitissimè infinitæ congruere, vt tali suo amatori & cultori perseueranti finaliter, militia consummata tempore opportuno retribuens abundanter, plenas rependat delicias, delecta-
B tiones quaslibet, & quantaslibet || *tales* deficientes & fluxibiles, excedentes & duratione vincentes delicias sempiternas, & omnes aduersitates & pænalitates, tristitias & molestias, defectus & luctus, labores & dolores, & vniuersaliter omnem miseriam releget, & sequestret. Talis etiam anima non est perfectè beata, propter appetitum quem habet ad corpus nullatenus satiatum & priuationem operationum suarum nobilium per corporalia organa solitarum; priuationem quoque regni sui prioris, iuxta superiùs præostensa; nec vnquam erit perfectè beata, quia neque in corpore neque à corpore separata. Talis insuper anima separata & beata in cælo, vel credit & sperat se ita æternaliter permansuram, vel scit se reuersuram ad corpus, & ad miserias corporales; vel nihil considerat circa istud, &c. sicut supra contra responsiunculam vltimam particulæ præcedentis. Quare & Augustino 22. de Ciuit. Dei 27 referente, Porphyrius Platonicus volens opinionem Platonis corrigere, affirmabat animam purgatissimam cum ad patrem redierit, ad mala mundi nunquam vlterius redituram. Auicenna quo-
C que 5. de Anima 4. probat, quod vna anima non transfertur ad multa corpora, nec ad corpus aliud vllo modo; & subdit, & hoc sufficiat ei qui huius rei sententiam quærit. Debes autem scire hoc multis verbis posse exponi, quem & Algazel. 4. physicæ suæ vit. imitans probat idem. Nec potest quis sic obijcere Christianis: Nos enim tenemus, quod Animæ sanctæ & à corporibus separatæ, etsi non statim habeant corpora sua in re, habent tamen in certa spe. Sciunt enim certissimè quod tempore congruo diuinitus præstituto, & ob rationabilem & iustam causam dilato, ipsa recipient & tenebunt æternaliter gloriosa. Consideret quæso Plato qualia, quam absurda de hominibus & animabus humanis affirmet, sine omni violentia rationis, imò & sine exili imagine vel vmbra tenui rationis, & sine autoritatis cuiuslibet fulcimento. Vnde quæso tibi autoritas, quin magis temeritas talia somniandi, talia prophetandi, talia affirmandi? præsertim cum non profitearis te Prophetam, nec filium aut sectatorem Prophetæ, sed purum Philosophum. In hac parte vnum scio, quod si ego vel quicunque
D Christianorum Philosophus non Propheta, nec Prophetam secutus tantam sententiam sine tantilla ratione aut rationis imagine affirmare præsumerem, tibi & alijs professionis tuæ hominibus meipsum ridiculum exhiberem. Consideretis vlterius supplico Christianorum sententiam in istis articulis, concordi Prophetarum sententia roboratam, imò summi Prophetarum autoritate fundatam Domini Iesu Christi, secundum quod præmissa circa 32^am^. partem perspicuè demonstrabant, pulchris rationibus & conuenientibus secundum quod materia patitur confirmatam, ab omni contradictione, impossibilitate, & inconuenientia rationabiliter defensatam, iuxta præmissa circa 32^am^. partem istius. Quis ergo Philosopus veritatis amator, & non vanitatis defensor, custos positionis aut sponsus probabiliorem aut probatiorem, rationabiliorem, & ratiocinatiorem, desiderabiliorem, vtiliorem, & lætiorem sententiam lætissimè non admittat, sustineat, & defendat? Secundum istam quoque sententiam generatio hominum, & omnes actus humani stellarum dispositionibus necessariò subderentur,
E quod quam sit indignum, & contrarium ordini naturali quis nesciat? quis enim ignorat animam rationalem esse dignioris & nobilioris essentiæ, quam aliqua res irrationalis, quare & quam stellæ? Quomodo ergo secundum ordinem dignum naturalem, ista in cunctis suis operibus illis necessariò subditur regulanda? Absit tam irregulare regimen, tam incongrua politia, vt caro spiritui, vxor viro, iumentum homini, & fatuus dominetur plenariè sapienti. Non sic politiam mundanam instituit sapientissimus, potentissimus, & optimus Princeps Deus, secundum quod prima suppositio & partes sequentes conuincunt, quod & omnes morales ac naturales Philosophi contestantur. Mirum est insuper de Platone & Platonicis ita ponentibus, præsertim cum ponant mundum & tempus habere principium & esse creatum à Deo, hominem & species alias vniuersas, sicut primus Timæ. euiden-

|| tẽporales

ter ostendit, & libri Philosophici sæpè docent; quod & Ouidius Platonicus 1. Metamorphosi contestatur. Ibi namque ponit productionem rerum superiorum & inferiorum à Deo, secundum ordinem in genesi recitatum. Si namque in fine magni anni homines idem numero reuerterentur, simili ratione & effectus alij vniuersi, neque tunc erunt aliqui alij homines aut effectus, aut idem aliter se habentes, propter identitatem omnimodam superiorum cælestiumque causarum. Sed quomodo in fine magni anni instantis, qui erit initium magni anni sequentis omnia nouiter creabuntur, sicut in eius principio omnia antiquitùs creabantur? Si enim tunc omnia nouiter creabuntur præter Deum, de non entibus creabuntur, sicut & antiquitùs creabantur: Omnia ergo entia erunt prius non entia. Non ergo durabit mundus, neque tempus cum rebus suis vsque ad finem magni anni, sed ante deficient vniuersa solo Deo manente, cuius oppositum ponebatur. Quomodo etiam dij secundi, scilicet Angeli, & animæ rationales hominum immortales, & à creatione sua æterni, secundum sententiam etiam ipsius Platonis, 2. Timæ. in nihilum reuertentur? Nonne Plato 2. Tim. 3. inducit Deum sic Angelos alloquentem: Dij, quorum opifex, paterque sum ego; opera siquidem vos mea dissolubilia naturâ, mea tamen voluntate indissolubilia. Omne siquidem quod iunctum est, naturâ dissolubile est, at verò quod bona ratione iunctum atque modulatum est, dissolui velle non est Dei; quapropter quia facti generatiq; estis immortales quidem nequaquam, nec omnino indissolubiles estis, nec tamen vnquam dissoluemini, nec mortis necessitatem subibitis, quia voluntas mea est maior nexus & vegetatior ad æternitatis custodiam, quam illi vitales nexus, ex quibus æternitas vestra coagmentata atque composita est; quod & vult de animabus humanis, cœlo, & mundo. Si etiam hæc entia omnia, erunt aliquando non entia, illa non entitas generalis, & rerum priuatio est aliquantulum duratura, sed quantum? nunquid per spacium magni anni, cum tunc non erit annus magnus nec paruus, sicut nec cœlum, nec motus cœlestis? Quid ergo tunc illam durationem moderabitur & taxabitur, quid (quæso) nisi voluntas diuina? quid ergo si velit vlterius expectare? nunquid potest? nonne olim potuit atque fecit? nonne habet liberam dispositionem propriæ voluntatis? vnde scit Plato quod omnia in fine magni anni statim recreabuntur à Deo? nisi forsitan dixerit, quia Deus optimum possibilium semper facit; & esse est melius quàm non esse; sed hoc superius est destructum. Secundum hoc quoque nunquam permitteret res non esse, nec nisi optimè vnquam esse, cum sit plene omnipotens, & voluntatis vniuersaliter efficacis, sicut præcedentia docuerunt, & ipse Plato non negat. Si autem responderis, quòd non vniuersaliter omnia tunc redibunt, sed tantùm corruptibilia prius corrupta, & alia continuè permanebunt, videris contradicere tibi-ipsi. Nonne si omnia prius corrupta, tunc eadem numero reuertentur, omnes & singulæ creationes omnium & singulorum creatorum in principio magni anni olim corruptæ, tunc eædem numero reuertentur? quare & omnia & singula entia in principio magni anni creata, in fine eiusdem denuò creabuntur. Nonne & tunc recreabitur primus homo? nam quomodo aliter tunc redibit? non per generationem naturalem, cum prius non fuit naturaliter genitus sed creatus, vel si tunc erit naturaliter genitus non creatus, & in principio ita fuit contra hypothesin; nec videtur naturaliter generandus; à quibus namque parentibus? cur ab istis potius quàm ab illis? hoc etiam foret necessariò ex aliqua fœmina deflorata, si prius fuit creatus à Deo sine aliqua fœmina coagente; nec tunc erat aliqua fœmina deflorata, quoniam à nullo viro priori, cùm ille fuit primus virorum. Illa insuper fœmina tunc habebit eum in vtero primò viuum: Si enim ante erit natus aut viuus redibit ante principium magni anni contra hypothesin; & si tunc erit in matris vtero primò viuus, sic fuit primò creatus; sed non videtur quòd fœmina præcesserit primum virum. Quomodo etiam stante hypothesi fuit creatus in vtero matris viuus ex præcedenti materia & semine genitoris, sicut erit in principio magni anni futuri? Si etiam fœmina illa pregnans propè finem huius magni anni durabit viua vsque ad initium magni anni sequentis, cur non post, imò & prius durabit, cùm secundum rationem naturalem, & sententiam Philosophorum communem rei permanentis instans vltimum non sit dandum? Et si ipsa sic durabit, cur non viri & fœminæ aliæ naturaliter geniti satis multi? Sic ergo fuit in principio magni anni contra hypothesin. Neque videtur quòd in principio magni anni futuri creabitur primus homo, cùm viri & fœminæ secundum cursum naturalem sufficiant ad perpetuandum speciem, & supposita speciei: non enim videtur quòd in fine magni anni, omnes homines quaquauersum subitò morientur; tam generalis namque mortalitatis subitò tunc futuræ, non posset fingi aliqua causa naturalis nisi cœlestis, nec ex parte cœli, nisi ratione motus tardissimi sphæræ octauæ. Sed istud scientibus naturas & vires cœlestium mobilium, motuum, orbium, & stellarum, constat esse fabulam & figmentum. Nonne homines habebunt Ylec, Alcocoden, & omnes datores, seu significatores vitæ & mortis tunc temporis,

A temporis sicut ante? Quod etiam dicebatur superius, non statim, sed post spacium magni anni animas ad propria corpora reuersuras, & eosdē homines numero redituros, si annus cōtinere ponatur 440. aut 600. annos cōmunes, facilè reprobatur. Constat enim ponētibus in terra rationē cœlestiū, quòd motus octauæ sphæræ & planetarū, nullatenus redeunt in tot annis communibus ad pristina loca sua, ordinem & aspectum. Hoc idem & ex lapsu temporis reprobatur: Constat enim, quòd Noe, Abraham, Moses, Dauid, Nabuchodonosor, Cyrus, Darius, Alexander, Octauianus Augustus, Christus, Hermes, Plato, Aristoteles, & plurimi similes lapsis tot annis & pluribus præcesserunt, qui nondum redierunt, nec visi, nec auditi fuerunt. Adhuc autem si mortui in tanto tempore redeant, simili ratione & effectus alij vniuersi; quare & in tanto tempore, quilibet homo idem qui prius, ab eisdem parentibus, eisdem hora & loco, eodem actu iterum generatur, iterum moritur, iterumque resurgit. Sed sicut diuersę testantur historiæ, plures vltra tot curricula annorum viuentes, continuè durauere, sicut & ali-
B quæ ciuitates, lapides, & metalla. Qui verò astruunt Magnum annum 36. millia annorum solarium continere, possunt similiter castigari. Habentibus namque cœlestium motuum disciplinam, facile demonstrare, quòd non sit reditio omnium mobilium cœlestium ad loca sua primordialia in tot annis; nec est omninò perspicuum quòd quando sphæra octaua plenè perficiet motum suum, quòd & tunc omnia mota cœlestia similiter perficient motus suos; nec videtur quod sphæra octaua in tot annis perficiat motum suum, imò contrarium faciliter ostendetur. Neque dicit Ptolomæus quòd sphæra octaua verè mouetur per gradum vnum in omnibus centum annis, sed fere. Neq; ista traditio Ptolomæi de motu sphærę octauæ certa habetur aut vera, sicut Albategni, Thebit, & alij posteriores Astronomi certissimè repererūt. Si tamen Plato voluerit dicere, quòd animæ virtuosę redibunt ad corpora, non tamen passibilia & misera, sed impassibilia, & beata, ad vitam non temporalem & miseram, sed perpetuam & beatam, & hoc in fine mundi, quando omnia mota cœlestia plenè redibunt ad pri-
C marium statum suum, & ita ab origine mundi vsque ad finem, perficient vnum magnum annum; non longe videretur à sententia veritatis. Sic enim & quidam Theologi autumant, & diuinant: Dignum namque eis videtur vt omnia circulo peragantur, & ita motus cœlestes & tempora, vbi incæperant, finiantur. Satis tamen rationabile videretur, quòd sicut Deus instituit Angelos & homines in bono non optimo, vt sic de bono per melius ad optimum proficiendo ascenderent, & proficerent ascendendo, & sic tandem in optimo finaliter permanerent; ita & mota cœlestia in locis, dignitatibus, aspectibus, & cæteris talibus ordinasset. His autem non impertinens suadere, quòd sicut boni resurgent ad beatitudinem sempiternam, sic & mali ad miseriam sempiternam; Quid enim proportionalius, quid conuenientius æquitati, quid congruentius rationi? Hæc enim sibi contraria dignoscuntur. Sicut igitur æternitas in beatitudine beatissima portio reputatur; sic & in miseria miserrima portio comprobatur. Quæ aliàs alia pœna digna, in mundi huius amplissima politia,
D posset sufficienter malos à malis commissis ad pœnitentiam reuocare, & à non commissis malitijs deterrere, sicut superius tangebatur: Nec potest quis dicere, quòd sola comminatio talis pœnæ. Absit enim quòd Deus veracissimus, fidelissimus, & rectissimus Princeps mundi indigeret mendacijs, gauderet periurijs, & fallacias exerceret contra primam Suppositionem & partes sequentes. Si etiam in comminatione pœnarum nos falleret, cur non in promissione similiter præmiorum? cur etiam ratione ‖ *dicentis*, vnquam ei in aliquo credere deberemus? Nonne & præmissa circa proximam partem huius euidenter ostendunt, peccatum temporale posse iustè puniri pœna æterna, immò & æternaliter puniri debere, si non fuerit hoc correctum, nisi Deus velit gratius & benignius agere, cum malis hominibus, quam cum bonis, cum blasphematoribus, quam cum amatoribus, cum contemtoribus, quam cum cultoribus, tantam pœnam debitam spontaneè remittendo, & tantam gloriam indebitam gratuitò tribuendo. Nonne & terreni Principes possunt multa iusta statu- ‖ ducentis
E ere, statuuntque de facto, ad quæ ratio naturalis demonstratiua præcedens omninò non cogit, sed legislatoris arbitrio committuntur, de qualibus dicunt Iuristæ, quòd Principi placuit, legis habet vigorem? Nonne ergo posset Princeps iuste statuere, & multum consonè rationi, quòd quicunque pro Principe aut Republica cui præest, perseueranter, strenuè fecerit, perpetuo præmietur, & quicunq; contrarium fecerit, perpetuò puniatur; quod & iustè, æternaliter fierit in personis eorum, si possent viuere in æternum: quod quia non possunt, in eorum posteris, quasi in ipsis quodammodo in perpetuum exercetur, dum à successione hæreditaria repelluntur, & ad multos forsan honores inhabiles decernuntur? Cur ergo excellentissimus Princeps Deus, cui humanæ animæ semper viuunt, & toti homines suscitati similiter semper viuent, sicut præmissa testantur, non posset circa subditos suos similia iustè

 statuere,

ſtatuere, & efficaciter adimplere, ſicut conuenientiſſimè, proportionatiſſimè decentiſſimè A
congruit rationi, iuſtitiæ, æquitati, ſicut præhabita ſuaſerunt; Imò ſic ſtatuit, & ſanciuit, ſicut
ipſius ſecretarij, referendarij, Prophetæ clariſſimi, Chriſtus præcipuus Prophetarum, &
Legiſlatorum, ſicut præmiſſa circa partem 32. oſtendunt, & cæteri viri diuini veteris Legis
& nouæ vnanimiter conteſtantur. Quibus & Hermes Philoſophus, imo & pater Philoſopho-
rum de Verbo æterno 30. planè concordat, ſicut ſuperius recitatur: Quem & Ariſtoteles, 1.
partis Secreti ſecretorum 18. allegans ſolenniter, ita ſcribit; Caue, quantum potes, effundere
ſanguinem hominum, quia Doctor egregius Hermogenes ſcripſit, dicens; Quando creatura
interficit creaturam ſibi ſimilem, virtutes cœlorum clamabunt ad diuinam Maieſtatem, di-
centes Domino; Domine, ſeruus tuus vult eſſe tibi ſimilis; qui ſi iniuſtè interficitur, reſpon-
det Creator excelſus; Permitte eum qui interficit, quia interficietur in vindictam, & ego re-
tribuam: & toties in ſuis laudibus virtutes cœlorum repræſentabunt mortem interfecti, do-
nec vindicta ſumatur de interficiente, qui erit vnus de perſeueratoribus in pœnis æternis: B
Quod & teſtatur eius autoritas infra, eiuſdem tertiæ partis 7. ſuperius recitata, & aliæ quæ-
dam autoritates præmiſſæ. Auicenna quoque 9. Metaphyſ. vlt. dicit; Quòd anima imperfe-
cta exuta à corpore incidet in maneriem laboris æterni. Algazel inſuper 5. phyſicæ ſuæ 1°.
docet expreſſè; Quòd quædam animæ vitioſæ à corporibus ſeparatæ, æternas pœnas incur-
rent, & æternaliter punientur. Quid etiam aliud per alia quatuor flumina infernalia Poeta-
rum ſemper fluentia, & nunquam deficientia ſuperiùs memorata, quàm pœna infernalis æ-
terna aptius figuratur? Neque Philoſophi aut hæretici dicentes contrarium vllam afferunt ra-
tionem, afferreue poſſunt rationem videlicet efficacem; ſed quaſi hiſtorici in non hiſtoricis,
ſed philoſophicis & diſputabilibus, contra rerum naturam, hiſtoriam nudam texunt; & hiſto-
riam de futuro, cùm tamen non ſint Prophetæ, nec filij Prophetarum. Punire namque pec-
cantes diuinæ miſericordiæ & clementiæ non repugnat, ſecundum 31. partem; neque etiam
punire æternaliter peccantes temporaliter iuſtitiæ Dei repugnat, per proximam partem hu- C
ius. Neque huic repugnat quod ſuperius dicebatur, Deum nullum abundanter vel ad con-
dignum punire: Licèt enim æternaliter puniat; poteſt tamen per vices vel ſemper continuè
punire mitiùs quàm condignè, quàm punitorum iniquitas merebatur, quod & facit, ſicut pre-
miſſa circa 31. partem, & proximam ſuaſerunt. Hi tamen fortaſsis etſi non poſſunt partem
ſuam per rationes aſtruere, conabuntur ſaltem rationes meas deſtruere reſpondendo, dicen-
tes; Quòd ſola priuatio felicitatis æternæ, ſine aliqua pœna ſenſus, eſt pœna ſufficiens omni
culpæ. Sed iſtud ſtatim refellitur per præmiſſa; ſic enim qui plus peccat, & qui minùs, qui e-
tiam nunquam benè, ſed ſemper peſsimè operatur; & qui nunquam bene agit nec malè, eſſent
æqualiter puniendi. Idem itidem facilè reprobatur per proximam partem huius, & oſtenſio-
nem ipſius. Cur etiam ſi ſic eſſet, nequaquam ſufficeret in omni recta politia punire peccan-
tes quoſcunque per ſolam priuationem præmij & honoris, & non per ſupplicia varia & per
mortem? Qui etiam peccat ſcienter præcipuè contra Deum, magis videtur mereri ſupplici- D
um, quàm qui recte agit, mercedem. Nullus enim deberet peccare pro aliquo recte facto.
Magis enim vitandum eſt peccatum, quàm meritum acquirendum, niſi fortaſsis peccatum
vitari non valeat, niſi meritoriè operando, ſicut 31ª pars probat. Beatitudo inſuper & miſeria
ſunt contraria, non ſolum oppoſita priuatiuè; habent igitur fieri per contraria poſitiua, non
ſolum per oppoſita priuatiuè. Si verò ſecundum præmiſſa boni finaliter ſuſcitati ſint æterna-
liter præmiandi, vbi aptius quàm in cœlo, quàm in Dei habitaculo glorioſo, coram facie Dei
ſemper cum eo quem ſuper omnia dilexerint, & finaliter quæſierint? Nonne & ratio iſtud do-
cet? Anima namque humana rationalis eſt incorporalis & immaterialis, neque extenſa ad
extenſionem materiæ, neque educta de potentia materiæ elementaris, aut mixtæ, neque na-
turam materiæ in ſe habens. Quare nec locus ſuus naturalis eſt in terra, nec inter elementa,
aut elementata iſta, ſed ſupra: Omnia namque ſimplicia & compoſita ſecundum ſuas naturas
naturalia exigunt ſibi loca, ſicut experientia manifeſtat, & Philoſophi atteſtantur. Nonne & E
digniori naturæ dignior locus debetur, ſicut fatentur communiter Philoſophi & vulgares?
& quis neſciat animam rationalem immaterialem, & immortalem, materialibus & corruptibi-
libus præualere? & quis locus dignior, quàm qui ſurſum, ſicut nullus hominum diffitetur?
Quare & dicit Philoſophus, 2. de Cœlo & Mundo, 34. Diuinior locus qui ſurſum, eo qui de-
orſum; vbi textus Auerrois ſic habet; Locus ſuperior nobilior inferiori: locatum quoque &
locus conuenientiam, & ſimilitudinem exigunt naturalem, ſicut ratio perſuadet, experimen-
tum oſtendit, Philoſophi & alij confitentur: Anima autem rationalis eſt immaterialis, ſpiri-
tualis, & immortalis; exigit igitur talem locum, locum ſuper hæc omnia materialia & morta-
lia, ſicut & Angeli ſancti cœlum: Hac enim ratione ſuaſi, omnes gentes & populi, Philoſophi
& vul-

A &vulgares concorditer tribuunt Angelis sanctis cœlum; vndè Philosophus 1. de Cœlo, 22, Omnes, inquit, eum, qui sursum, Deo locum attribuunt, & barbari & Græci; quicunque quidem putant esse deos, palam vt immortali immortale coaptatum. Impossibile enim aliter; vbi translatio, quam Auerroes exponit, sic habet; Omnes homines vnanimiter conueniunt, quòd hoc corpus primum gloriosum, est locus spirituum, scilicet Græci, & alij primarum gentium quæ cognouerunt Deum, & eius dominium, & dixerunt hoc; Quoniam illud super quod non cadit corruptio, debet esse in loco qui non corrumpitur. Super quod Auerroes, Omnes, inquit, gentes concedentes Deum esse, conueniunt in hoc, quod Cælum est locus Dei & aliorum spirituum, qui vulgariter dicuntur Angeli. Philosophus etiam 2. de Cælo & Mundo 2. Cælum, inquit, & eum, qui sursum, locum Antiqui quidem Dijs attribuerunt, velut existens solum immortale. Vbi translatio Auerrois, Omnes Antiqui posuerunt cælum esse locum creatoris propter suam incorruptibilitatem & æternitatem; super quod Auerroes, locus æterni est æternus. Nonne & similia in natura similem locum naturalem requirunt? Spiritus autem seu Angeli & animæ rationales sunt similes in natura, sicut præmissa testantur; & omnes gentes, & populi, Philosophi, & vulgares immortalitatem animæ confitentes pariter confitentur: Locus autem Angelicorum spirituum naturalis est Cælum, sicut præmissa testantur. Adhuc autem beatitudo siue felicitas est bonum nobilissimum, dignissimum, iucundissimum, & ab omnibus aduersitatibus separatum, & vniuersaliter integrum & perfectum, sicut præcedentia docuerunt; Tale autem bonum locum conuenientem requirit, alioquin non erit perfectum. Sed vbi posset anima rationalis beata talem locum sibi conuenientem habere? Non in subcœlestibus: Constat planè, sicut & præmissa testantur; solum enim in cœlestibus talis locus. Vnde & Philosophus 1. de Cælo & Mundo in translatione antiqua, & in translatione quam habet Auerroes, vocat Cælum, corpus gloriosum frequenter. His igitur, & huiusmodi rationibus inclinati, multi Philosophi, & Poetæ superius recitati, affirmant concorditer, animam virtuosam atque purgatam, in cœlestibus finaliter præmiandam, felicitatem beatitudinemq; finalem in cœlestibus habituram; Homo autem beatificandus non beatificabitur in anima sua sola, sed in anima simul & corpore, sicut superius est ostensum; Totus ergo homo in anima simul & corpore suscitatus est beatificandus in Cælo, & ibi finaliter præmiandus. Et ecce quàm aptè hoc congruit rationi: Certæ namque formæ naturales appetunt naturaliter certa loca naturalia, & similiter tota composita naturalia propter formas. Quamobrem & mouentur naturaliter ad naturalia loca sua, & in eis naturaliter requiescunt, sicut Philosophi attestantur. Locus autem naturalis animæ rationalis est Cælum, sicut superius est ostensum: Illum ergo locum naturaliter appetit, ad illum mouetur naturaliter, & in illo naturaliter requiescit; quare & similiter totus homo. Nonne & anima dignior & perfectior est quàm corpus? quod ergo dignius & naturalius reputandum, quod Anima regat corpus, quod Anima ducat corpus, quod Anima locet corpus in loco congruo animæ, quam è contra. Nonne ergo totus homo naturalius locaretur in Cælo, quàm in terra? Ibi namque naturaliter locaretur, secundum naturalissimam formam suam, dignissimam & perfectissimam partem suam, sicut præmissa testantur: In terra autem secundum corpus suum, & materiam suam tantùm; In beatitudine verò finali, sicut anima naturaliter in cælo locabitur, sic & corpus; alioquin non foret naturalissimum neque aptissimum animæ sic beatæ; Nec anima, nec homo totus haberet felicitatem perfectam, & beatitudinem consummatam. Nec debet turbare Philosophos, vel quoslibet alios quomodo caro ista terrena possit naturaliter in cælum ascendere & manere. Cur enim Deus omnipotens totius Autor naturæ, qui secundum præmissa posset creare, & recreare totum corpus ex nihilo, mortuos suscitare, & omnimoda miracula, sicut voluerit, operari, non posset mirabiliter, & nobis fortè pusillis incomprehensibiliter alterare, & subtiliare grossitiē huius carnis, donec naturaliter in cælū ascenderet, & maneret, sicut Sol ista grossa, & grauia subtiliat elementa, sicut etiā Alchymistę multa grossa & grauia subtiliāt sic per ignem? Nonne etiam magnes lapis multum rudis disponit sic ferrum corpus multum rude & graue, quod naturaliter ascendit ad eum, insequitur ipsum sursum ad quantamcunque distantiam, & manet cum eo? Cur ergo Deus omnipotens, qui habitat in Cœlis, non potest corpora hominum taliter alterare, ad cœlestia subleuare, & cum seipso in cœlestibus æternaliter collocare? In qualibet insuper politia rectè disposita, loca probè agentium & improbè, loca præmiorum & pœnarum, secundum superius & inferius; honorabile & inhonorabile; delectabile & tristabile ab inuicem sunt discreta. Quis enim nesciat virtuosos, & probos primoribus sedibus honorari? Et quis nesciat vitiosos, & improbos à talibus eijci, carceribus retrudi, lignis suspendi, & alijs locis vilibus & contrarijs mancipari? Boni autem in Dei maxima

ima politia secundum priora sunt sursum in cœlestibus præmiandi, & ibi finaliter collocandi. Quid ergo conuenientius, quàm vt mali deorsum in terra, & infra terram, in aliquo loco horribili intra terram, & habitationem nostram communem, qui ideò inferus dicitur, & infernus, puniendi finaliter retrudantur; vt sic qui Deum Cœli offenderant, cœlesti lumine, visu, & fauore priuentur, vt sic spiritus hominis, & totus homo, qui secundum præmissa debuit naturaliter habitasse in Cœlis, quia fecit contra naturam, contra Deum naturæ, contra regulam naturalem amandi, quam 30a pars tradebat, contra naturam habitet in Inferno; vt sic etiam præter alias pœnas suas, & locus ipse innaturalis & horridus sit pœnalis, vt sicut bonis omnia conuertuntur in gloriam, ita & malis omnia in miseriam conuertantur? Dicit enim Hermes de verbo æterno 19. Ab eo itaque quod visu priuentur, Græcè ἄδης ab eo quòd in imo spheræ sint, Latinè Inferi nuncupantur. Dicitque Plato 2. Timæ. 9. quòd negligens Deum reuocabitur ad Inferna, sicut superius, pleniùs allegatur: Quibus & Aristoteles in Secreto secretorum 3. partis 7. planè consentit, sicut superiùs recitatur. His quoque consentiunt B quàm plures historiæ Gentilium & Græcorum, Deos superos & Inferos distinguentes, & plurima carmina Poëtarum, sicut superius tangebatur. Nonne & Philosopho 2. de Cœlo 73°. recitante, Pictagorici tradiderunt carcerem Iouis esse in medio totius ad centrum, qui & Tartarum, & Spiritus, seu homines Tartareos profitentur, Iouemque ipsis inferre minas & pœnas? Recitat enim Philosophus 2. Post. 3. Pictagoricos dicere, sonare seu tonare minarum causa, his qui sunt in Tartaro, quatenus timeant. Ex his autem euidenter consequitur corpora beatorum ad meliorem, sinceriorem, cœlestiorem conditionem in futura beatitudine transformanda: Quomodò namque aliter ascendent ad cœlum, & ibi naturaliter requiescent, sicut superiùs est ostensum. Si etiam secundum præmissa, non tantum vna pars hominis, sed totus homo simul in anima & corpore est præmiandus, & beatificandus finaliter, cùm anima eius sit tunc mutanda in melius & incomparabiliter melius, cur non & simili modo corpus? præsertim cùm secundum præmissa Deus facillimè istud possit, cum etiam ani- C mam meliorem, purgatiorem, & cœlestiorem, & in Cœlo naturaliter habitantem magis deceat tale corpus, corpus consimile & conforme; cùm insuper alias non esset homo perfectè beatus, quomodo namque censendus est totus homo perfectè beatus, cuius totum corpus miseriæ subiacet consuetæ, contra spiritum concupiscit seu appetit, litigat, & repugnat? His quoque concessis quis neget beatos immortalia corpora habituros? Immortalia, inquam, vel vigore naturæ in melius transmutandæ, vel beneficio creatoris & recreatoris, beatificatoris & continui seruatoris. Quomodò etenim aliter totus homo in anima simul & corpore æterna beatitudine perfruatur, sicut præcedentia suaserunt? Nonne etiam formæ & corpora debent naturaliter conformari, & naturali similitudine conuenire? Et quid correspondentius, naturalius, & similius, quàm vt forma corruptibilis, temporalis, corpus corruptibile, temporale inhabitet, & informet? Forma verò incorruptibilis & æterna corpus ‖ *incorruptibile* & æternum? Hæc autem fuit antiqua opinio plurium Antiquorum, sicut supe- D rius tangebatur. Omnes enim dicentes Deos ex hominibus fieri, & hoc dicunt; quod & Philosophus 3. Metaphys. 15. commemorat manifestè. Qui & 4. Topic. Quandoque, inquit, peccant passionem in genus passi ponentes, vt quicunque immortalitatem vitam sempiternam dicunt esse: Passio enim vitæ & casus immortalitas videtur esse. Quoniam autem verum est quod dicitur, palam fiet, si quis concedet ex mortali, fieri aliquem immortalem: Nullus enim dicit eum aliam sumere vitam, sed casum aliquem vel passionem huic eidem adgenerari. Quare non est genus, vita immortalitatis. Scio tamen quod Aristoteles & Auerroes 3. Metaphys. vbi prius, derident ita dicentes, & hoc fortassis quia nequaquam eos intelligunt propter Metaphoram vsus Mannæ, & Nectaris, vel quia non habent efficacius argumentum. Cur enim non posset Deus omnipotens à corpore humano causas intrinsecas corruptiuas subtrahere, aut omnes illas sic contemperare, proportionare, & coæquare ad inuicem, quòd incorruptibiles abinuicem permanerent, sicut & Medici asserunt de corpore complexi- E onis optimè naturalis, quæ & ab ijs temperata ad iustitiam nuncupatur? aut cur non posset omnes illas causas taliter alterare? Videmus enim multa actiua naturalia multimode alterata actiones suspendere naturales. Nonne aurum naturaliter vel artificialiter generatum à Philosophis naturalibus vniuersalibus & particularibus, scilicet, Alchymisticis, imputribile, & incorruptibile affirmatur? Nonne & Plinius 7. Naturalis historiæ, ita scribit; Puerum ferunt æstu & itinere fessum in specu dormisse 57. annis, rerum faciem mutationemque mirantem, velut postero die experrectum; eundem postea totidem annis vixisse, tanquam illis, quibus dormiuit, non computatis, quia durauerit annis 157. Cui & aliæ famosæ historiæ similia recordantur. Si igitur corpus illius & similium tanto tempore non computruit, imò nec ad putrefactio-

‖ corruptibile.

A trefactionem aut corruptionem tendebat, cur non potuit per iterum tantum tempus, & per quantum libet sic durasse etiam infinitum? Idem insuper Plinius similiter 2°. eiusdem sic scribit; Celebre phanum habet Veneris Paphos, in cuius quadam area non pluit. Item in ea oppidum Troadis circa simulachrum Mineruæ; In eodem & relicta sacrificia non putrescunt. Apud nos quoque in Anglia & in Hybernia fertur certissimè; Insulas quasdam esse in quibus nullus moritur, morive potest, sicut longissima experientia manifestat, quarum tamen Incolæ morituri excessiuo languore vexati, ideoque elati continuò moriuntur. Cur ergo Deus omnipotens non potest corpora hominum taliter alterare, quòd immortalia perseuerent? Et quicquid sit de virtute propria corporum humanorum, totiusue vniuersitatis naturæ creatæ, nulli dubium quin Deus de sua omnipotentia, & voluntatis efficacia simpliciter infinita, possit talia corpora hominum gloriosa in vita beata, sine mortis diuortio æternaliter conseruare, sicut & trigesima septima pars docebat. Nonne Plato similem sententiam profitetur de B Angelis superius recitatam; qui & 1. Timæ. 4. dicit; Quòd Deus præclaram illam machinam visibilem, contiguamque fabricatus est, amica partium æquilibritatis ratione sociatam, quæ immortalis, indissolubilisque esset aduersus omnem casum, excepta fabricatoris sui voluntate. Per hæc & potest patere propositum de corporibus reproborum. Nisi enim reprobi toti in anima simul & corpore æternaliter viuerent, nequaquam toti æternam miseriam sustinerent, sicut superius est ostensum. Quomodo autem hoc possunt, potest per præcedentia suaderi, per Salamandram, per Aetnam, & per alia quædam similia, quæ ab igne nullatenus consumuntur; maximè verò per Dei omnipotentiam infinitam. Ex his autem vlterius inferendum, quòd felicitas beatorum futura, nequaquam consistet in carnis voluptatibus consuetis, aut in aliquo alio, aliquibusue alijs præter Deum. Quomodo namque corpus tam purum, tam mirabiliter depuratum, & in omnibus tam beatum, vt homini plenè beato, plenè deseruiat, quatenus beatitudine sua plena plenariè perfruatur, & in nullo penitus retrahatur, C creditur habiturum voluptates & concupiscentias solitas, miseras, inhonestas, ipsum beatum à perfecta beatitudine, quæ consistit in perfecta Dei cognitione, dilectione, delectatione, & inhæsione, multipliciter retrahentes, sicut præmissa circa trigesimam secundam partem ostendunt? Nonne & perfectius, naturalius, atque beatius homini reputandum, quòd perficiatur secundum animam, quàm secundum corpus, in quibus contrariantur adinuicem & repugnant? Nonne & ideò virtuosi & studiosi à carnis voluptatibus continentes, perfectiores alijs meritò iudicantur? Sic ergo erit in felicitate futura, nec erit ibi repugnantia, aut contrarietas aliqualis inter corpus & animam. Tunc etenim ibi foret pœna, tristitia, & miseria aliqualis, non felicitas consummata. Si etiam beatitudo futura & felicitas consisteret in carnis voluptatibus consuetis, & beatitudo similiter possibilis in præsenti, sicque Epicurei, porcini, & voluptatibus omnibus dediti, essent beatiores, meliores, & virtuosiores alijs in præsenti, quia propinquiores beatitudini veræ futuræ, veraciterque beatis. Sed quis istud concesserit D nisi porcus forsitan impudens Epicuri? Ista quoque particula clarè patet ex præmissis, circa 32. partem istius, & circa partem præsentem, quarum & aliqua iuuat adhuc breuiter memorari. Docent || *namque* prælibata, quòd beatitudo siuè felicitas, est bonum humanum finale, || siquidem & finis hominis vltimatus, qui non desideratur aut quæritur propter aliquid aliud, sed propter se tantùm, & cætera propter ipsum. Sed quid sic rationabiliter desideratur aut quæritur in omnibus entibus nisi Deus, sicut 30. pars monstrauit? Amplius autem, quomodo verax Deus, qui secundum 30. partem huius, statuit se amari, & coli ab hominibus super omnia alia, siue existentia, siue cogitabilia, propter seipsum finaliter, vltimatè; non seipsum, sed aliud in finale & beatificum præmium eis reddet? Quicquid enim aliud tali amatori & cultori suo reddiderit, nihil videtur reddere sed fraudare; sicuti si paterfamilias pro opera tua diurna promitteret tibi aurum, puta talentum, vespere autem facto, redderet tibi stercus; nonne quodlibet aliud, citra Deum, ipsi collatum quasi stercus videtur respectu talenti? imo incomparabiliter longè minus quàm nihilum & inane. Quare & Philosophus 9. Ethic. 1. loquens de re- E compensatione iusta, & debita in communicatione humana, sic ait; Contendunt autem cùm altera fiunt ipsis, & non quæ appetunt. Simile enim est, quod est nihil fieri, cùm eo, quod appetit, non potitur; puta & citharœdo repromittens, & quanto melius caneret, tanto plus; immane autem expetenti promissiones pro delectatione delectationem reddidisse dixit; Siquidem igitur vterque hoc volebat, sufficienter vtique habuit: Si autem hic quidem delectationem, hic autem lucrum, & hic quidem habet, hic autem non; non vtique erit quod secundum communicationem benè. Quanto magis in communicatione huiusmodi amatoris & cultoris Dei cum Deo, in qua Deus ipse finaliter intenditur, quæritur, & speratur, similiter sentiendum? præsertim cùm nullum aliud bonum sit maius eo, æquale,

aut

aut comparabile de propinquo, ſed quodlibet incomparabiliter vilius, & quaſi nihil & inane? A Nonne & quilibet virtuoſus faciens omnia finaliter propter Deum, ſecundum doctrinam 30. partis huius finaliter Deum intendit, quærit, & mouetur continuè verſus eum? Iſte autem motus cum non ſit circularis, ſed rectus, non debet eſſe naturaliter infinitus, ſicut nec homo naturaliter imperfectus. Sed quomodo naturaliter finietur, & perficietur finaliter iſte motus, fine naturali, naturaliterque intento nullatenus acquiſito, ſed alio? Iſte ergo motus eſt finaliter terminandus in Deo, qui etiam ſecundum Philoſophos, ſicut amatum & deſideratum nos mouet, ſicut Ariſtoteles 12. Metaphyſ. 37. & Auerroes in comment. planè teſtantur; vbi & Philoſophus 38. loquens de primo principio mouente ſicut amatum: Ex tali, inquit, Principio dependet cælum & natura, ſuper quod Auerroes ſic ait: Iam declaratum eſt, quòd Cælum & natura continuatur cum principio quod eſt intellectus, qui eſt in fine gaudij & voluptatis, ſicut erit noſtra diſpoſitio in continuatione cum intellectu qui eſt principium, & ex hoc quidem apparet bene quod Ariſtoteles opinatur, quod fortuna hominum B eo quod ſunt homines, non eſt niſi per continuationem eorum cum intellectu, quem declaratum eſt in libro de Anima eſſe principium agens, & mouens nos. Intelligentiæ enim abſtractę in eo quod ſunt abſtractæ, debent eſſe principia eorum, quorum ſunt principia, duobus modis; ſecundum quod ſunt mouentes, & ſecundum quod ſunt finis. Intelligentia enim agens in quantum eſt abſtracta, & principium nobis, neceſſe eſt vt moueat nos, ſecundum quod amatum amans. Etſi omnis motus neceſſe eſt vt continuetur cum eo à quo ſit ſecundum finem, neceſſe eſt vt in poſtremo continuemur cum hoc intellectu abſtracto, ita quod erimus dependentes à tali principio, à quo Cælum dependet. Adhuc autem ſi felicitas hominis conſummata in quocunque alio citra Deum conſiſteret, non in ipſo, conſiſteret in aliquo bono finito & paruo, cum nullum ſit aliud bonum citra ipſum. Sed quomodo Deus iuſtiſsimus, potentiſsimus, abundantiſsimus, atque largiſsimus, qui ab hominibus tantum amari ſe ſtatuit atque coli, quod pro quantiſcunque bonis non habitis acquirendis, ſeu habitis conſeruandis; vel pro quantiſcunque malis pœnalibus non habitis præcauendis, aut habitis amouendis, in nullo ipſum ſcienter offenderent quouiſmodo, ſecundum doctrinam trigeſimæ partis huius, pro tanto amore, pro tanto cultu, pro tanto ſeruitio, tantillum præmium eis reddet? Decet enim quod ſuos non parce remuneret, ſed abundè, ſecundum trigeſimam primam partem. Quid igitur dignum tanto amori, congruum tanto cultui, aut proportionatum tanto ſeruitio, conſummata militia tandem reddet, niſi bonum aliquod maius bonis omnibus quæ ſperauerunt, malis omnibus quæ ſuſtinuerunt, ſaltem quantum in eis fuit, in promptitudine ſcilicet animi, & conſtantia voluntatis pro eius amore, reuerentia, & honore, præſertim cùm facillimè iſtud poſsit, & conuenientiſsimè deceat hunc & illos? Quantum igitur bonum talibus amatoribus, cultoribus, & militibus ſuis reddet, niſi bonum aliquod maius bonis omnibus etiam imaginabilibus citra ipſum: & quod bonum huiuſmodi niſi ipſe? Amplius autem nullum bonum finitum & paruum ſatiat animam aut hominem maius & melius D appetentem, maioris & melioris capacem. Omnes ‖ *autem* certiſſimè experimur, quod bonum naturaliter affectamus, & magis maius, nec in vllo bono finito plenariè quietamur; quinnimo & vltra procedimus, & bonum maius magis appetimus, & optamus. Et quomodo iſte appetitus tam naturalis, tam rationabilis, tam honeſtus, remanebit ſine demerito æternaliter otioſus, præſertim cum à Deo naturæ totius Autore, non inaniter hominibus ſit inſertus? Solus igitur ipſe Deus infinitiſsimè infinitus, iſtum appetitum, iſtud deſiderium, iſtam famem, iſtam eſuriem de ſeipſo, & per ſeipſum beatiſsimè ſatiabit. Sed vbi & quando ſi non in felicitate ‖ *futura*, & in beatitudine quam ſperamus? Teipſum igitur, Deus meus, teipſum propter teipſum ſuper alia cuncta amo, teipſum deſidero, teipſũ finaliter cõcupiſco, teipſum propter teipſum non aliud quidlibet ſemper & in omnibus quæro finaliter ex totis meis præcordijs & medullis, cũ gemitu & ploratu, cum labore continuo & dolore; quid ergo finaliter mihi reddes? ſi non teipſum mihi reddideris, nihil reddes; ſi non teipſum mihi donaueris nihil donas; ſi E non teipſum inuenio, nihil inuenio; nequaquam me præmias ſed crucias vehementer. Prius enim, quando quæſiui teipſum finaliter, ſperaui cito inuenire teipſum finaliter, & tenere, & hac ſpe melliflua in omnibus meis laboribus dulciter conſolabar; nunc autem ſi teipſum mihi negaueris, quicquid aliud dederis, tanta ſpe fruſtratus non ad tempus modicum ſed pro ſemper. Nonne ſemper amore languebo, languore mœrebo, mœrore dolebo, dolore lugebo & flebo, & ſemper inanis & vacuus remanebo? Nonne igitur inconſolabiliter contriſtabor, inceſſabiliter querelabor, interminabiliter cruciabor? Non eſt hoc tuum optime, potentiſſime, clementiſſime, & amantiſſime Deus meus? Nullatenus congruit, nuſquam decet vt Amatores tuos perfectos ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute, tam inamicabiliter,

* & deſideratum

‖ enim

‖ æterna

A biliter, imò tam inimicaliter paruipendas, despicias, abijcias, & contemnas, verberes, vulneres, torqueas, & affligas tempore sempiterno, quando te, & in te plenã felicitatem sperabant, & plenariam beatitudinem expectabant. Tu igitur verax Deus, principium & finis amantium, reddes amatoribus tuis perfectis finaliter temetipsum, felicitatem perfectam, & beatitudinem consummatam, temetipsum desideratum finaliter & speratum, temetipsum omnis beatitudinis omne bonum, in teipso beatissimo, supra quam cogitare sufficimus beatissimè continentem, sicut per primam suppositionem, tertiam partem, & quartam, Doctor doctissimus tuos discipulos docuisti. Quod igitur Magister bone, & Domine, nunc doces nos tenui argumento, tandem quæso nos doce pleno experimento: quod nunc doces in perfecta cognitione, tandem doce perfecta comprehensione; quod nunc doces longa spe, tandem reipsa doceas longiori. Fac igitur optime Deus meus, vt in tota semper vita præsenti, teipsum propter teipsum amem præ omnibus, quæram in omnibus, & tandem in futura inueniam, ac teneam in æternum. Obijciet forsitan discipulus Epicuri, aut filius Mahometi, quòd homines
B in vita futura animas simul & corpora possidebunt; quare & carnales concupiscentias, atque venereos appetitus, quapropter & actus, si sine vlla tristitia in omni felicitatis lætitia permanebunt: Sed iste non aduertit, quomodo secundum quintam particulam huius partis, corpora beatorum in felicitate futura nequaquam in statu pristino remanebunt, sed ad meliorem & sinceriorem conditionem diuinitùs mutabuntur. Nonne multi homines concupiscentijs multis carent? Nonne & idem homo eandem concupiscentiam diuersis temporibus habet & non habet? Nonne pueri, decrepiti, & infirmi maleficiati, & frigidi concupiscentiam venereorum non habent? Nonne castratio, camphora, agnus castus, stercus muris & similia extingunt veneris appetitum? Cur ergo non potest Deus omnipotens corpora beatorum tam sinceriter depurare, & depurata æternaliter conseruare, quod nunquam in ipsis aliqua talis concupiscentia oriatur? Imò & faciet, cum talis concupiscentia esset eis nociua, & perfectę beatitudinis ademptiua. Qui enim secundum præmissa, corpora ista terrestria grauia & mor-
C talia ad cœlestia subleuabit, vt ibi naturaliter maneant, & immortalia perseuerent, & omnem appetitum carnalem inutilem, & perfectæ felicitati contrarium eis tollet, vt sic totus homo in anima simul & corpore, totus sincerus sincera, spirituali, & perfecta beatitudine æternaliter perfruatur.

Contra Aristotelem astruentem mundum non habuisse principium temporale, & non fuisse creatum, nec generationem hominum terminandam, neque mundum seu statum mundi præsentem vllo tempore finiendum. Contra Anaximandrum quoque Platonem, Anaxagoram, Empedoclem, & Maurorum vaniloquos circa idem. 40.

ARguatur Aristoteles astruens mundum non habuisse principium temporale, & non
D fuisse creatum, nec generationem hominum terminandam, nec mundum, seu statum mundi præsentem vllo tempore finiendum. Anaximandros quoque Plato, Anaxagoras, Empedocles, & Maurorum vaniloqui à suis erroribus similiter arguantur. Considerantibus siquidem dicta veterum circa mundum, duæ opiniones se offerunt principales; vna & antiquissima quòd mundus est genitus, & habet principium temporale; & ista vlteriùs dupliciter variatur. Hi namque affirmant mundum fuisse creatum ex nihilo, & hoc à Deo; Illi verò mundum fuisse factum ex aliquo, ex aliqua materia præcedente; & hi multipliciter separantur. Anaximandros quidem putat res infinitas latuisse ad inuicem quiescentes in quodã Chaos tempore infinito; & tandem intellectum seu Deum ipsas ab inuicem segregasse, & sic mundum fecisse, quem & ponit secundum modum rerum solitum & communẽ, infinito similiter tempore duraturum. Plato verò existimat res ante mundum motu inordinato æternaliter fluctuasse, Deumq; has reduxisse ad ordinem, & sic mundum fecisse æternaliter permansurum: His
E quoque & alia opinio potest addi, quòd mundus sit tantummodo semel factus, & semel tantummodo corrumpendus, quem tangit Philosophus 1. de Cœlo & Mundo 102. quam & ibi Auerroes imponit Anaxagorę. Superiorem verò Aristoteles & ipse 1. Phys. 32. Anaximandro imponunt. Vnde videtur, quòd Anaximandros & Anaxagoras sint diuersi, & quòd ille superiorem opinionem posuerit, & hic istam. Sed nullus quæso de horum nominibus nimis curet: Scientia namq; non in nominibus sed in rebus. Empedocles autem dicit mundũ fuisse factum ex 4. elementis per litem, & rursum per amicitiam corrumpendum; & hoc dicit in præterito infinities factum esse, & in futuro infinities faciendum. Altera verò opinio principalis affirmat mundum esse ingenitum; & hæc duplex: Quidam namq; loquentes in lege Maurorum teste Auerroe super 1. de Cœlo comment. 102. ipsum ingenerabilem, sed corruptibilem dicunt

cunt esse; Aristoteles autem primus omnium, mundum esse in generabilem & incorruptibilem A
præsumpserat affirmare. Et quia eius opinio videtur famosior cæteris, etsi sit posterior; de
ipsa tamen primitus disserendum. Ipsa quoque destructa, aliæ leuiter destruentur. Nonne
igitur secundum sententiam tuam, Aristoteles, & secundum consequentiam naturalem,
si mundus est æternus anterius, & species ac generatio humana similiter? et nonnè secundum
|| 36 || *31.* partem, & secundum sententiam tuam similiter, animæ humanæ rationales sunt æternę,
& singulæ singulorum, nec fit circularis redditio animarum secundum proximam partem hu-
ius, & etiam secundum tuam sententiam in ostensione eiusdem partis præmissam? Nonne
ergo modo sunt actualiter huiusmodi animæ simpliciter infinitæ? Quare & ille Algazel, secta-
tor tuus, & filius in hac parte, infinitatẽ animarũ concedit. Primo namq; Metaphy. suæ, de-
finitione sexta, sic ait: Ens diuiditur in finitũ & infinitum; Infinitũ verò dicitur 4. modis; quo-
rum duo non sunt; duos vero esse argumentatio deprehendit. Dicitur enim quod motus cœli
non habet finem, quia non habet principium, & hoc iam deprehendit argumentatio. Dicitur B
etiam quod animæ humanæ quę à corporibus separantur sunt infinitæ: Hoc autem necessario
verum est, si remoueatur finitas à tempore, & à motu cœli, quod est remotio incæptionis. Et
infra, Animas humanas quæ sunt separabiles à corporibus per mortem, concedimus esse in-
finitas numero, quamuis habeant esse simul; quoniam non est inter eas ordinatio naturalis,
qua remota desinant esse animæ, eò quod nullæ earum sunt causæ alijs. Istud tamen tam con-
trarium ordini, tam absurdum, Deo non conuenit nec naturæ, quod & tu Aristoteles & om-
nes Philosophi, omnes veri Philosophi soletis impossibile reputare. Nonne etiam secundum
tuam sententiam, & secundum sententiam veritatis, frustra ponuntur plura, vbi sufficiunt
pauciora? Ad quid ergo ponuntur animæ infinitæ cum finitæ sufficiant? Dices fortassis, quod
Animæ infinitæ ponuntur propter perfectionem vniuersi maiorem: Alias enim non esset ita
perfectum. Sed cur magis animæ infinitæ, quam Angeli infiniti, quam sphæræ, quam stellæ,
quam cætera huiusmodi entia infinita? Imò & multitudo finita videtur perfectior infinita: C
Omnis namque numerus perfectus, sphæricus, circularis, cubicus, quadratus pariter siue
impariter, par aut impar, digitus, articulus, compositus, siue cuiuscunque alterius dispositio-
nis laudabilis est finitus, sicut Arithmetica clarè monstrat; Numerus autem infinitus nullius
huiusmodi dispositionis laudabilis esse potest. Eodem quoque modo videtur esse de nume-
ris, sicut de corporibus & figuris; sed corpus finitum est perfectius infinito, si esset: Habet enim
figuram determinatam & certam; Infinitum, nequaquam. Imò & omne corpus regulare, &
apud naturam & Geometras laudabile & famosum est finitum; Omne namque corpus hu-
iusmodi est pyramis, cubus, octoedron, duodecaedron, Icosaedron, vel sphæra; Figura au-
tem sphærica ratione docente & Mathematicis, atque Philosophis naturalibus testantibus,
est perfectissima figurarum: quare & cœlum corpus perfectissimum habet eam; Infinitum
verò nullam habet figuram. Nonne & ordinatum & determinatum est melius & pulchrius
inordinato & confuso? quantum namque bonum est ordo? quantam pulchritudinem affert D
rebus? Annon tu ipse Aristoteles 13. Metaphys. 2. redarguens Aristippum & cæteros tales
Sophistas dicentes, vt recitas 3. Metaphys. 3 in Mathematicis non esse bonum, sic ais; Quo-
niam autem bonum & optimum alterum hoc quidem est semper in operatione, bonum au-
autem & in immobilibus, dicentes nihil differre Mathematicas scientias; de bono aut opti-
mo mentientur. Dicunt enim & demonstrant maximè. Non enim si non nominant opera
& rationes ostendunt, non dicunt de ipsis. Boni autem maximè species & ordo, commensu-
ratio & determinatum, quod maximè ostendunt Mathematicæ scientiæ. Et quoniam mul-
|| videtur esse hæc torum causa || *videntur hæc*, dico autem puta ordo, & determinatum. Annon & 7. Polit 3.
Lex inquis, ordo quidam est, & bonam legislationem necessarium bonam ordinationem esse.
Valde autem excedens numerus non potest participare ordine. Nonne & ideo Pictagorici
posuerunt terminum seu finitum & perfectum in coelementatione boni, infinitum verò & su-
perfluum in coelementatione mali, sicut in ostensione 18. partis fuerat recitatum? De pul- E
chritudine verò quis nesciat, quòd in ordine, determinatione, & conuenienti proportione
consistat? hoc partes Animalis ostendunt, hoc partes ædificij, picturæ, scripturæ, & cæte-
rorum heterogeniorum huiusmodi clarè monstrant. Quod & Alacen. 2. perspectiuæ,
agens de pulchritudine, & causis ipsius, per hæc & huismodi pulchre docet; vbi & sic ait; Si-
tus aliquando facit pulchritudinem, & plures intentiones pulchræ non apparent pulchræ
nisi propter ordinationem & situm tantum, quoniam omnes distinctiones ordinatę quasi pi-
ctatæ non apparent pulchrę, nisi propter ordinationem, & scriptura non apparet pulchra,
nisi propter ordinationem, quoniam pulchritudo non est nisi ex compositione, & directione
figurarum, literarum, & ex compositione earum ad inuicem. Si autem compositio literarum,
& ordi-

A & ordinatio earum non fuerit secundum vnam proportionem, sed vna magna & alia parua, tunc non erit scriptura pulchra, quamuis figuræ literarum per se sint bene positæ. Et aliquando apparet scriptura pulchra, quando ‖ *compositio* eius fuerit proportionalis, quamuis literæ non sint in fine bonæ dispositionis: Et similiter plures formæ visibilium non apparent pulchræ nisi propter dispositionem, & ordinationem partium adinuicem. Et infra, Scriptura non erit pulchra, nisi quando fuerint literæ eius proportionales in figura & quantitate, & situ, & ordine, & similiter de omnibus modis visibilium, cum quibus congregantur partes diuersæ; & cùm consideraueris formas pulchras de omnibus modis visibilium, inuenies, quòd proportionalitas facit pulchritudinem magis quàm aliqua alia intensio, vel etiam aliquæ aliæ coniunctæ per se. Et cum considerabuntur intentiones pulchræ, quas faciunt intentiones particulares per coniunctionem earum adinuicem, inuenietur quòd pulchritudo quæ apparet ex coniunctione earum, non apparet nisi propter proportionalitatem earum. Pulchritudo ergo non est nisi ex intentionibus particularibus, & perfectio eius est ex proportionalitate & consonantia, quæ fit inter intentiones particulares. Vbi & dicit, quòd numerus facit pulchritudinem, sicut patet de numero stellarum in cœlo, & candelarum in domo. Sed quis, quęso, numerus facit pulchritudinem, nisi pulcher, nisi qui ex conditionibus & proprietatibus suis pulchris, pulchrè ordinatis, & proportionatis adinuicem, pulchrè se ingerit contemplanti? Infinitus autem numerus non est talis, sicut superius est suasum; Imo ex sua inordinata confusione & confusa inordinatione, indecens, indelectabilis, & turpis potius videretur. Contraria namque regulariter contrariorum sunt causæ, sicut & tu Aristoteles sæpius confiteris. Si igitur hæc ita se habent, quomodo arbitrandum, quòd Deus sapientissimus sapientissimè cuncta disponens, sicut præmissa ostendunt, ciuitatem suam cœlestem, propriam domum suam, suam familiam specialem, ex sanctis animabus seu hominibus constitutam secundum proximam partem huius, inordinatam faceret & confusam, indispositam imperfectam, incompositam, indecoram, in multitudine scilicet actualiter infinita? Imo rationabilius æstimandum, quòd ipsam in aliquo numero sapientiæ suæ, noto, perfecto, electo, conuenienti, decenti, pulchrè & suauiter ordinato sapientissimè disponebat. Nonne & tu ipse Aristoteles in Politicis tuis ostendis diffusè; quòd Ciuitas debet habere certum numerum ciuium mediocrem? quomodo ergo cœlestis illa ciuitas gloriosa habebit confusionem ciuium infinitam? Cur insuper potius sunt ibi homines infiniti, animæue humanæ, quàm Angeli, intelligentiæ, sphæræ, vel stellæ, & quàm modò in mundo species infinitæ, aut supposita infinita? Cur (quæso) hoc monstrum mirabile in specie ista sola? Amplius autem si occupatio continua sineret, & prolixitas non obstaret, videtur quòd ista sententia posset per alias rationes quasi mathematicas quodammodo mathematicè reprobari; quod ideo per aliqua breuia breuiter faciendum, exquisitiorem diligentiam alijs, vel alteri tempori relinquendo. Si igitur infinitæ sint animæ, habuerunt, & habent, vel habebunt corpora propria infinita per proximam partem huius. Ponantur igitur illa corpora infinita, vel aliqua infinita ex eis secundum

D vnam seriem consequenter, ad modum loquendi Philosophi, 6. Phys. 2. ita quod quodlibet corpus præcedens, habeat aliquod proximum ipsum sequens, nullo huiusmodi corpore intercepto. Et sit illa series ordinata secundum vnam lineam rectam, veram vel imaginariam, incipientem hîc in centro horizontis, & ad occidentem in infinitum extensam, vel secundum lineam giratiuam, ab eodem centro per partes proportionales in æquales diametri, aut semidiametri horizontis, versus eius circumferentiam infinities circumductam; vel adhuc secundum partes proportionales inæquales alicuius lineæ rectæ, finitæ, puta semidiametri horizontis ad occasum tendentis. Nec corpulentia horum corporum quenquam conturbet; Ponantur enim verè vel imaginariè in illa linea recta vera, vel imaginaria infinita, vel si in illa linea giratiua, aut recta finita ipsa volueris situare; ponantur posteriora semper minora prioribus proportionaliter vt oportet, vel loco eorum ponantur modo prædicto superficies, lineæ, siue puncta, quæ tamen corpora nominentur. Ratio quoque ista de multitudine sola procedit; & ideo de

E magnitudine nullus curet. His itaque per Dei omnipotentiam verè, vel per imaginationem fictè ita dispositis, disponantur & animæ, contra sua corpora correspondenter omnino; & sit *A* tota multitudo omnium animarum, & *B* tota corporum multitudo; *A* igitur multitudinis singulæ vnitates; *B* singulis vnitatibus, & omnes omnibus, & è contra, æqualiter correspondent: quælibet enim anima habuit vnicum corpus suum, & quodlibet corpus vnicam animam propriam, sicut ex proxima parte patet; & ista responsio confitetur, quod & ostendunt series illæ totales, & ipsarum vnitates sibi inuicem mutuò æqualiter respondentes. Quod & vt patulè demonstretur, his ita dispositis distribuantur animæ per Dei omnipotentiam, vel per imaginationem hoc modo: Prima, primo corpori; secunda, secundo; & ita deinceps, qua distributione

‖ scriptura

butione completa quælibet anima vnicum corpus habebit, & quodlibet corpus vnicam animam. Hæc igitur singillatim atque coniunctim mutuo sibi æqualiter correspondent. Sed quomodo stabit istud? Dispositis etenim *A* & *B* vt prius, detur prima anima primo corpori, secunda tertio, vel decimo, vel quantum volueris distanti à primo; & tertia anima corpori tantum distanti à secundo corpore animato, quantum illud à primo, & ita deinceps donec tota distributio huiusmodi compleatur. Quo facto vel singulæ & omnes animæ sunt huiusmodi corporibus distributæ, vel sunt aliquæ remanentes; Si singulæ & omnes sunt corporibus talibus distributæ, tota *A* multitudo illi parti *B* diuisim & coniunctim correspondet æqualiter & è contra. Si aliqua anima remanet, cùm ab illa ad primam sint tantum finitæ, & omnia talia corpora præaccepta *B* multitudinis sunt totidem & finita; quare & tota *B* multitudo similiter est finita, quæ posita fuerat infinita: Ad aliud verò latus intuitum conuertendo, *A* & *B* dispositis sicut prius, dentur primo corpori mille animæ, & secundo totidem, & deinceps quamdiu multitudo sufficit animarum. Vel ergo distributio ista alicubi desinet, vel ad singula & omnia corpora se extendet: Si alicubi desinet, cum inter illum locum seu corpus loci illius, & primum corpus sint corpora finita tantummodo, erunt & totidem; quare & finiti tantummodo millenarij omnium animarum, & tota *A* multitudo finita, quæ posita fuerat infinita. Si autem distributio illa ad omnia & singula corpora se extendit, cuilibet vnitati *B* correspondet vnus millenarius vnitatum *A*, imò & decem, & centum, & mille millenarij, & quantuscunque numerus finitus volueris, si tantus distribuatur in primis modo prædicto, quod potest similiter demonstrari. Quomodo ergo *A B* multitudines & vnitates earum singulæ singulis singillatim, & omnes pariter omnibus æqualiter sibi inuicem mutuò correspondent, sicut superius monstrabatur, nec opinio diffitetur. Adhuc autem vt ratio dilucidetur apertius, ponatur quod sicut mundus & species humana sunt æterni anterius, ita æternaliter habuerit vnicum principem omnium, puta Imperatorem vel Papam, qui & omnes exempli causa Papæ vocentur. Sicut igitur secundum hypothesin infiniti homines præcesserunt, sic & Papæ similiter infiniti; quare & nunc sunt solorum Paparum animæ infinitæ, quæ si distribuantur corporibus modo prædicto, sufficiunt ad singula & omnia corpora animanda; imò & sufficiunt vt corporibus singulis mille animæ, & plures quotcunque volueris tribuantur, quod potest demonstrari clarissimè sicut supra. Ex his insuper consequitur euidenter, quòd *A* multitudo sufficeret ad infinitas *B* multitudines animandas, quod & ita perspicuè demonstratur dispositis *A* & *B* vt prius, detur secunda anima primo corpori, & quarta secundo, sextaque tertio, & ita deinceps, quamdiu multitudo sufficit animarum, semper in *A* multitudine alternando, in *B* verò multitudine continuè procedendo; & sic in fine erũt singula & omnia corpora *B* multitudinis animata & adhuc supererunt animę infinitæ, quod potest demonstrari vt supra. Quo facto *B* multitudo tollatur, & alia multitudo æqualis similiter reponatur, & fiat distributio de animabus residuis, sicut prius, & in fine erit tota ista secunda multitudo corporum animata, & remanebunt vt prius animæ infinitæ. Rursum hæc multitudo secunda tollatur, & tertia similis similiter reponatur, & fiat distributio sicut prius, & ita quarto, & quinto, & infinities simili modo fiat. Sufficit enim plenissimè & abundat illa multitudo mirabilis animarum, quod potest demonstrari perspicuè sicut supra; quod tamen vt elucidatius videatur; Ponatur, quod facta prima distributione per alternas animas modo prædicto, animæ residuæ præter primam anteriorentur per vnum gradum versus primam, donec situentur singulæ correspondenter singulis corporibus, & omnes omnibus sicut prius; ad hoc enim plenè sufficiunt animæ remanentes, quod consideratis prioribus facillimè demonstratur. Quo facto *B* multitudo tollatur, & alia multitudo similis similiter reponatur, & similiter animetur, qua plenariè animata modo prædicto, fiat anterioratio remanentium animarum vt prius, &c. sicut supra; quod & de multitudine animarum Papalium posset similiter demonstrari. Ex his quoque vlterius luculenter infertur, quod *A* multitudo sufficit animare *B* multitudinem, & duplam, & quadruplam, & deinceps sine termino, sine statu. Quod & patet fortassis expressius, si *B* multitudini addatur *C* multitudo æqualis mixtis vnitatibus alternatim hinc inde, secundum ordinem prætaxatum, vel etiam *C* vnitatibus positis separatim correspondenter *B* vnitatibus singillatim, & fiat distributio animarum continua isto modo. Da primam primo corpori *B*, secundam primo *C*, tertiam secundo *B*, quartam secundo *C*, & sic deinceps, quamdiu habueris sufficientiam animarum: qua distributione hoc modo completa, nulla anima sine corpore, nec vllum corpus sine anima remanebit, quæ ambo demonstrantur facillime sicut suprà. Si autem volueris vt omnibus istis corporibus plenariè animatis, remaneant animæ infinitę vt priùs, fiat alterna distributio animarum sicut superiùs tangebatur, secundum

A dum ordinem tamen corporum proximo prælibatum; & fiat anterior ratio remanentium animarum, & habebis certissimè quod volebas, & secundum hunc modum potes adhuc similiter addere D aliam multitudinem similem, & E & F & quotcunque volueris, & ipsas ex A similiter animare: Quod & potest demonstrari similiter de Papalibus animabus. Simili quoque modo potest ostendi, quòd quantalibet multitudo corporum communium, & etiam Papalium correspondet singulis vnitatibus animarum. Sed quis inconuenientias & repugnantias tantas feret? vt quid etiam, quæso, tanta, & tam excessiua superfluitas animarum pro tot corporibus seu hominibus animandis, quando plenè sufficiunt pauciores, etiam animæ Papales, & adhuc quantumlibet pauciores, sicut præmissa demonstrant? vt quid ibi superfluunt animæ infinitæ, & infinities infinitæ, vt patet perspicuè ex præmissis? vt quid ‖ *etiam* tanta & tam excessiua superfluitas corporum, pro tot spiritibus hospitandis, pro tot hominibus componendis, quando plenè sufficerent pauciora, etiam corpora Papalia, & adhuc ‖ insuper.
B quantumlibet pauciora? vt quid ergo ibi superfluunt corpora infinita, & infinities infinita, sicut ex prioribus clarè patet? hoc Deum sapientissimum nusquam decet, sicut prima Suppositio & partes sequentes ostendunt, hoc naturæ non conuenit, hoc omnes Philosophi detestantur. Adhuc autem positis corporibus B secundum ordinem prætaxatum, vel sine ordine ad cumulum vnum confusum, accedant singulæ & omnes animæ A, & ingrediantur, assumatque quælibet vnicum horum corporum, nulla duo; omnesque pariter occupent corpora quot oportet, non plura: quo facto erit aliqua multitudo infinita corporum animata, & nulla; quòd aliqua, sequitur euidenter; & quòd nulla probatur, quia nulla potest ratio assignari, quare hæc magis quàm illa. Quæ namque ratio quare tota B. multitudo per istas animas occupetur, cùm minor sufficiat, puta multitudo corporum Papalium, quæ sit C & adhuc minor, dum tamen infinita puta D, & ita de alijs infinitis, sicut præcedentia clarè monstrant. Cur ergo B tota potiùs occupatur quàm C, & C quàm D, & ita deinceps, nulla ratio dari potest. Non enim necessariò sequitur quòd occupet totam B, nec totam C, nec D
C totam, & ita de alijs vniuersis, sicut præcedentia docuerunt. Imò si non capiant plura corpora quàm oportet, nullám infinitam multitudinem occupabunt, cum quacunque multitudine infinita sufficiat eis minor, sicut præhabita clarè monstrant. Et si falsigraphus forsitan de maiori voluerit cauillare, dicatur illud maius alio quod continet illud totum & aliquid amplius, seu aliud quantum vltra seu extra. Et si quis dixerit, quòd ideò hæ animæ assumunt hæc corpora omnia, quia priùs illa omnia animabant, istud repugnat prioribus, quia adhuc superfluè capiunt & plura corpora quàm oportet, sicut superius est ostensum. Neque ista responsio euacuat argumentum; Tollantur enim omnia illa corpora vetera, & loco eorum creentur tot noua &c. sicut priùs; vel ponantur tot denarij ad cumulum, vel secundum seriem ordinatã, ex quibus quælibet anima, seu quilibet homo, cùm fuerit animatus, capiat sibi vnum denarium & non plures, &c. sicut supra: Veruntamen qualis hic superfluitas reputanda? quo-
D modò namque possent animæ capere parciùs de istis corporibus quàm quælibet vnicum, singulæ singula, nec aliquæ earum, nec omnes simul præter illa corpora propria accipiunt aliqua, vel aliquod in communi. Adhuc autem si hic sit superfluitas animarum pro illis corporibus animandis, tollatur superfluum, & necessarium reseruetur. Quot ergò animæ reseruantur? vel infinitæ, vel tantùm finitæ: Si infinitæ, adhuc est superfluitas animarum; ex ipsis namque posset cuilibet corpori animæ mille dari; possentque illæ animæ mille tales B multitudines animare, sicut superius est ostensum: adhuc ergo superfluitas excessiua. Si tantum finitæ, quomodò illæ sufficerent ad infinita corpora singulariter animanda? Si etiam sit ibi superfluitas animarum, est & similiter corporum coæqualium pro tanta multitudine hominum integranda; quare & hominum consequenter. Sed quomodò tanta hominum multitudo sine tot hominibus esse potest? Quomodo illa hominum multitudo subtracta ab eis & ea, aliqua multitudine hominum, imò quantacunque volueris, etiam infinita, immutabiliter per-
E manet quanta priùs, & in additione similiter simili ratione. Si insuper ibi vltra necessitatem sit superfluitas animarum pro tot hominibus animandis, tot ibi superfluunt animæ, quot ibi corpora numerantur: Nam cuilibet corpori duæ, imò mille, & quot volueris animæ correspondent, sicut præhabita manifestant. Istis ergo hominibus omnibus existentibus animatis his omnibus animabus, tollantur tot animæ quot sunt corpora, & quilibet homo reddetur exanimis, & quodlibet corpus exanime remanebit. Imò tollas vnicam animam, & aliquem hominem seu aliquod corpus exanimans; Constat planè: à quo namq; aliquam animam tolleres, nisi ab aliquo homine, & aliquo corpore animato. Amplius autem si isti homines infiniti pro opere suo diurno ex conuentione cum Deo, reciperent vespere singuli singulos denarios, quomodo secundum præmissa reciperent ‖ *superfluè multos* ‖ superfluos

 denarios,

denarios, imò denarios infinitos? Quis enim habet, vel qui habent denarios illos superfluos infinitos, cum nullus habeat nisi vnum denarium; nec aliqui eorum, nec omnes habent aliquos denarios, aliquemuè denarium in communi; quomodo posset quilibet istorum secundum præmissa habere ex istis solis denarijs non multiplicatis, non auctis, mille denarios, imò decem millia & quotcunque voluerit, etiam infinitos? Si namque quilibet sic posset habere, sic habet: Omnes enim isti denarij distribuuntur inter ipsos æqualiter singillatim. Si etiam singuli horum possent habere ex istis solis denarijs non multiplicatis, non auctis, mille vel infinitos denarios, quare non sic habent? quis facit eis tam grauem iniuriam, tantum damnum? quis ita eos defraudat à suo iusto labore? quis prohibet eos de suo iusto labore, de sua iusta mercede reportare commodum quantum possunt sine præiudicio alieno? Hoc ergo totum videtur accidere ex malitia & defectu reddentis eis mercedem. Posset namque secundum præmissa ex istis solis denarijs non multiplicatis, non auctis, quos per suos iustos labores communiter meruerunt, tradere vni eorum mille, vel quotcunque denarios etiam infinitos, & ita alteri, ac deinceps singulis singilatim, vel omnibus illis simul. Sed quis imposuerit fraudem vel malitiam vllam Deo, contra primam Suppositionem, tertiam, ac 31. partem? Præterea, ponatur quòd hi operarij infiniti starent seriosè dispositi consequenter, quòd etiam ponerentur simili ordine infiniti denarij contra eos, sicut de animabus & corporibus superius ponebatur, præcipiatque Deus ‖ *quod* sumant omnes & singuli suam iustam mercedem, nec amplius sibi vsurpare præsumant, & capiant singuli singulos denarios consequenter, ita quòd nec vnus quidem denarius relinquatur. Videtur igitur secundum præmissa, quod isti sint rei magnæ culpæ & pœnæ. Capiunt enim multum superfluè, multò plura, imò infinities plura, quam capere oporteret; & totam thesauriam, gazophylacium, seu ærarium Domini euacuant, exhauriunt, & consumunt, vbi possent relinquere infinitum thesaurum, infinitas diuitias, denarios infinitos, sicut præhabita clarissimè demonstrabant. Sed si Deus ipsos ex ista causa condemnat, condemnaret eos si caperent alternos denarios, reliquos dimittendo ternos, quaternos, millesimos, vel quoslibet alios residuos dimittendo, dum tamen singuli caperent singulos, quia tunc omnes pariter caperent infinitos; quare & plures infinities quam conuentio exigat, iustitiauè requirat. Semper igitur Deus hos suos operarios ex hac causa argueret & damnaret, quod suæ plenissimæ non conuenit bonitati, iustitiæ, pietati, sicut prima Suppositio, tertia pars & 31. docent.

‖ vt

Hactenus per viam quantitatis discretæ; nunc verò per viam quantitatis continuæ procedendum. Si igitur sint animæ humanæ actualiter infinitæ, secundum proximam partem huius, sunt aut erunt aliquando simul & humana corpora eis correspondentia similiter infinita; vel saltem hoc est absolute possibile per Dei omnipotentiam absolutam: Quali namque ratione potest Deus simul facere animas humanas actualiter infinitas, posset & simul totidem corpora eis dare, & totidem homines animare, quod & videtur opinionem velle concedere consequenter. Ponatur igitur *B* seriem infinitorum corporum humanorum æqualium hic incipere, & esse infinitam simpliciter ad occasum; vel facilius intellectu, sit *B* vnum lignum quadrangulum æqualis grossitiei per totum hic incipiens, & in infinitum secundum quid ad occasum procedens, quod ideo dicatur infinitum secundum quid, quia est infinitum secundum vnam dimensionem puta longitudinem tantum, non omnes; imo secundum alias est finitum; et quia adhuc scundum illam vnam, puta longitudinem est infinitum ad vnam partem tantùm, non aliam, sed finitum; quod ideo, ad differentiam corporis imaginati infiniti simpliciter secundum omnem dimensionem, aut longitudinis rectæ infinitæ simpliciter ad vtramque partem, infinitum secundum quid congruè dici potest. Alia verò infinita simpliciter nuncupentur: Hæc igitur *B* quantitas solida seu corporea distinguatur per cubos, seu pedes, pedalesuè quantitates, ipsam secundum longum per medium, per totam suam grossitiem diuidentes, correspondenter corporibus hominum & animabus prædictis. Capiatur ergo primus eius cubus, seu pes solidus, & ponatur meridionalius iuxta situm suum priorem, secundusque ponatur contiguus primo ex parte orientis, tertius quoque ex parte occidentis, et ita deinceps per singulos eius cubos * seu pedes. Quo facto, ex eisdem cubis, pedibus seu partibus præcisè non multiplicatis, non rarefactis, nec aliquo modo auctis, ex quibus constituebatur *B* corpus infinitum secundum quid, nunc constituitur corpus simpliciter infinitum, non secundum dimensionem aliam sed eandem, quod sicut præhabita facillimè demonstratur. Istud namque corpus secundo constitutum hoc modo non finitur ex parte orientis, quia tunc finiretur similiter ex parte occidentis, & ita ex vtraque parte, quare & pedes finitos tantummodo contineret, quapropter & *B* similiter, cuius oppositum ponebatur. Imò quod maius videtur miraculm, si capiantur partes eius alternæ, quaternæ, vel quotlibet secundum modum

* eius

A modum de animabus præmissum, & coniungantur modo prædicto, secundum quotcunque mundi diametros facient quotlibet corpora secundum longitudinem simpliciter infinita, imò & innumerabilia secundum diametros mundi omnes, & adhuc remanebunt infiniti pedes, quot prius; quod patet facilius, si pedibus alternis alijsue sublatis, residui anteriorentur, & coniungantur vt prius, sicut de animabus humanis superius docebatur. Amplius autem ex isto patenter consequitur vnum stupendum miraculum, & horribiliter monstruosum: quòd videlicet cubi *B* seu pedes sufficiunt ad replendum vniuersum locum situm, seu vacuum imaginarium simpliciter infinitum, secundum omnes dimensiones simpliciter quaquauersum, sine multiplicatione, rarefactione, aut additione quacunque ad faciendum vnum corpus infinitnm simpliciter omniquaque. Imo talia duo corpora [a] *similiter* tria, quatuor, & quotcunque volueris, etiam infinita numero, & infinities infinita, & quod adhuc *B* habeat cubos infinitos quot prius, & permaneat quantum prius, quod & breuius & leuius demonstratur, si
B cubi *B* repletiui loci, vt constat, capiantur continui vel alterni, sicut oportet, & per imaginationem, vel per Dei omnipotentiam, per instantia diei infinita, vel per partes diei proportionales inæquales infinitas circa aliquod punctum datum, quasi circa centrum æqualiter, & contigui seu continui cumulentur, donec singuli & omnes sic fuerint cumulati: quo facto, habebis ibi corpus ex omni parte simpliciter infinitum. Alias enim esset omniquaque finitum, & finitos cubos tantummodo contineret; quare & *B* similiter cubos finitos tantummodo tenuisset, fuissetque finitum simpliciter, cuius oppositum ponebatur. Quod & patet de filo quantumlibet gracili, secundum quid in longitudine infinito, ad inuicem glomerato. Et si duo, vel quotlibet talia corpora simpliciter infinita habere desideras, fac primo vnum, ex partibus *B*, alternis residuis conseruatis, quo facto & penitus annihilato per imaginationem, vel per Dei omnipotentiam, secundum 33am partem huius, fac secundum ex alternis adhuc partibus reseruatis, quo facto & annihilato, simili modo fac tertium & ita deinceps quotiescunque libuerit operari, etiam vicibus infinitis, imò & infinities infinitis, & adhuc remane-
C bunt *B* cubi infiniti quot prius, & *B* similiter quantum prius; quod claret lympidius, si prima parte *B* semper immobili conseruata, subtracta secunda parte ipsius, & quarta, & residuis partibus sic alternis, residuarum partium quælibet posterior, contiguetur cum parte proxima præcedente. Per hæc autem & error Epicuri siue Democriti infinitos mundos confingens, confringitur euidenter. Pro isto sciendum, quòd Augustinus 11. de Ciuit. Dei 5. dicit Epicurum mundos innumerabiles somniasse; Iohannes verò Sarisburiensis, & postea Episcopus Caronotensis in Policratico suo, quem scripsit beato Thomæ Archiepiscopo Cantuariensi, quando fuit Cancellarius Regis Angliæ, lib. 8i. cap. 5o. sic ait; Alexander, cuius pectus laudis insatiabile Anacharso comiti suo ex autoritate Democriti præceptoris innumerabiles Mundos esse referenti; Heu, me, inquit, miserum, quòd nec vno quidem adhuc potitus sum. Puto autem quod Democritus primo istam sententiam adinuenit, & Epicurus postea confirma-
D uit, sicut de sententia affirmante cuncta geri fortuitò, Lactantius primi institutionum diuinarum aduersus Gentes primo, recitat manifestè, sicut 27. huius primi plenius recitatur. Et hæc videtur opinio, quam Aristoteles 1. de Cœlo & Mundo 76. & post, nititur reprobare. Singula namque minima corpora, qualis videtur minimus puluis terræ, de singulis mundis assumpta, & modo prædicto ad inuicem cumulata, vniuersum locum, situm, spacium, seu vacuum verum vel imaginarium totaliter occuparent. Vbi ergo hospitarentur alia corpora plura incomparabiliter & maiora? quomodo contentarentur illa situ minori, & non totale spatium vniuersum totaliter occuparent? Quomodo etiam cubi illi, partes fili, seu corpora minima de mundis singulis nunc collecta, & sphæricè cumulata non prius occupabunt tantum spacium, quantum modò spacium vniuersum? & quomodo nunc occupant spacium amplius, quam tunc fecerunt? præsertim cùm secundum doctrinam Geometrarum certissimam, sphæra sit capacissima figurarum. Amplius autem *B* posito sicut prius, addatur ei se-
E cundum rectum *C* corpus omninò æquale versus orientem, & contiguetur in *D* puncto, rarefiatque quilibet cubus seu pes *B* versus occidentem, & *C* versus orientem, & totum *B C* augebitur secundum rectitudinem, secundum dimensionem, secundum quam est simpliciter infinitum, & ad illam partem, ad quam est finitum simpliciter, mouebitur motu recto, eritque vnum infinitum simpliciter maius alio simpliciter infinito, quod & potest similiter argui, condensando partes versus *D* punctum. Quod & fortasis magis patenter ostenditur, si de *B C* subtrahatur vnus pes vel duo ad *D* & residua per imaginationẽ, & per Dei omnipotentiam, sine additione, rarefactione, vel augmentatione quacunq; per solum motũ localem vnius partiũ vel ambarũ adinuicem coniungantur, & iterum disiungantur, & ad distantiã similẽ reducãtur. Quod & potest similiter argui de corpore posito simpliciter infinito, & secundũ singulas

[a] simpliciter.

partes suas & omnes versus aliquod punctum datum, quantum volueris condensato aut etiam rarefacto. Adhuc autem si infinitum simpliciter possit esse, cur hoc in vna specie rerum & non in alia, alijsque ponendum? Posset ergo esse homo simpliciter infinitus; Posset enim homo habere animam perfectionis naturalis infinitæ simpliciter intensiuè, quare & simili ratione corpus proportionaliter adaptatum, quod esset necessario infinitum: quare & singula eius membra, si essent naturaliter & proportionaliter adaptata, quod quantam & quam multiplicem repugnantiam implicat, quis non videt? quod & totam Geometriam subuerteret & fallaret, sicut potest faciliter demonstrari. Post hæc autem per viam fortitudinis, potentiæ, seu vigoris harum innumerabilium animarum. Sit igitur *A* tota ista innumera multitudo, & sint omnes potentiæ coæquales, vel ergo *A* est potentiæ actiuæ infinitæ simpliciter, qua maior esse non posset, vel finitæ simpliciter; vel infinitæ secundum quid, & secundum quid finitæ. Non infinitæ simpliciter, quin posset aliqua maior esse: Posset enim augeri per appositionem vnitatis & multitudinis finitæ, & etiam infinitæ æqualis, vel quantumcunque maioris per augmentationem intensiuam potentiæ harum omnium animarum, & vtroque modo; imò & est aliqua potentia maior illâ, potentia scilicet & omnipotentia summa Dei, qua nullo modo posset aliqua maior esse, sicut prima Suppositio & partes sequentes ostendunt. Nec potest quis dicere, quòd *A* est potentiæ finitæ simpliciter: tunc enim haberet proportionem finitam ad hanc simplicem potentiam *B* animæ assignatæ; & aliqua multitudo finita pars *A* habet proportionem similem seu æqualem ad *B.* seu eius potentiam, & aliqua multitudo finita pars *A* proportionem maiorem, vt patet clarissimè. Duæ namque animæ sunt in duplo potentiores *B* vna, cùm omnes ponantur æquè potentes, & tres in triplo, & ita deinceps, vltra omnem proportionem finitam. Aliqua ergo pars *A*, est æqualis *A*, æqualis potentiæ & virtutis, aliqua quoque maior. Dicit enim nona quinti elementorum Euclidis, Si fuerit aliquarum quantitatum ad vnam quantitatem proportio vna, ipsas esse æquales: si verò vnius ad eas proportio vna, ipsas æquales esse necesse est. Cuius & octaua sic ait, Si duæ quantitates inæquales ad vnam quantitatem proportionentur, maior quidem maiorem, & minor minorem obtinebit proportionem; illius verò ad illas, ad minorem quidem proportio maior, ad maiorem verò proportio minor erit. Duæ insuper animæ excedunt *B* in duplo, tres in triplo, & ita deinceps, vltra omnem proportionem finitam. Omnes ergo hæ animæ infinitè pariter congregatæ excedunt *B* vnicam infinitè: Sunt ergo potentiæ infinitæ. Ideò fortè dicetur inprimis, quòd *A* est potentiæ infinitæ secundum quid, & secundum quid finitæ; sed secundum præmissa, *A* excedit *B* simpliciter infinitè, quia vltra omnem proportionem finitam; *A* ergo est potentiæ simpliciter infinitæ. Capiatur quoque imaginariè vel verè secundum hypothesin, per omnipotentiam magnam Dei *C* potentia actiua simpliciter infinita: *C* igitur, & *A* habent æqualem proportionem ad *B*, quia simpliciter infinitam, & *B* ad ambas illas proportionem æqualem: *A* ergo & *C* sunt æquales, teste nona Euclidis præmissa. Adhuc autem vel *C* & *A* sunt æqualia vel nequaquam. Si sunt æqualia, & *C* est simpliciter infinitum, ergo & *A*; vel si sunt æqualia, & *A* non est infinitum simpliciter, sed secundum quid tantum, & secundum quid finitum; ergo & *C* similiter contra hypothesin præcedentem. Si non sunt æqualia, *C* est maius, alioquin *A* esset simpliciter infinitum & maius; sed si *C* est maius, possibile est per imaginationem vel per omnipotentiam summam Dei accipere aliquam multitudinem talium animarum ei æqualem, quæ sit *D*: *D* ergo vel est multitudo simpliciter infinita, qua maior aut potentior esse non posset, vel non est tanta, neque tam potens. Primum dari non potest, Omni namque multitudini animarum enti vel possibili, est absolutè possibile addere aliam vnitatem, imò & alias innumeras vnitates. Est enim aliqua multitudo maior illa, & incomparabiliter maior illa; multitudo videlicet congregata ex omnibus illis animabus, & omnibus punctis huius lineæ, superficiei seu corporis, vel ex omnibus punctis mundi, aut ex omnibus rebus mundi. Neque *D* est tam potens, quin multitudo potentior esse posset: Posset enim potentia cuiuslibet animæ duplicari, & quantumlibet augmentari; possetque *D* multitudini animarum addi alia multitudo similis Angelorum. Si autem dicatur, quod *D* non est tanta multitudo, neque tam potens, quin aliqua maior & potentior esse posset, *D* non est potentiæ simpliciter infinitæ. Infinito namque simpliciter maius esse non potest, sed secundum quid tantum, & secundum quid finitè: *D* ergo non est æqualis *C*, vel *C* non est potentiæ simpliciter infinitæ, quorum opposita ponebantur. Amplius autem ponatur per possibile absolutè *C* vnus Angelus tantæ potentiæ intensiuè, quod sit æqualis potentiæ actiuæ cum *A*. Duabus etenim animabus istarum posset vnus Angelus in fortitudine adæquari, & tribus, & ita deinceps, quare & omnibus istis simul *C*: ergo vel est potentiæ tantùm finitæ simpliciter intensiuè, vel simpliciter infinitæ: Non tantum

A tùm finitæ, tunc enim haberet proportionem tantùm finitam ad *B*, quare & *A* similiter, & esset finitum simpliciter omni modo, sicut superiùs est argutum. Nec *C* est potentiæ infinitæ simpliciter intensiuè, quia nec *A* est potentiæ simpliciter infinitæ, sicut superiùs est ostensum. Subtrahatur quoque ab A vna anima, vel quotcunque volueris, finitæ, vel etiam infinitæ, puta omnes animæ masculorum, & relinquantur solæ animæ fœminarum, vel etiam Paparum, seu quælibet alia minor quantumlibet multitudo, dum tamen infinita, quæ sit *D*; ponaturque *F* Angelus æqualis *D*, sicut *C* est A; aut ergo *F* est potentiæ finitæ simpliciter intensiuè, vel simpliciter infinitæ; non tantùm finitæ propter præmissa: si infinitæ simpliciter, est æqualis *C*; cùm vnum infinitum simpliciter intensiuè alio tali maius esse non possit, sicut nec vna linea recta infinita simpliciter maior aut longior alia tali recta: *C* ergo est æqualis *D* per octauam quinti Euclidis præmissam, & clariùs per septimam sic dicentem; Si duæ quantitates æquales ad quamlibet tertiam compararentur, earum ad illam erit vna proportio, item illius ad ambas proportio vna: Quare & *D* & A sunt æquales per nonam
B quinti Euclidis præscriptam. Simili quoque modo potest argui contra istos ponendo A quantumlibet minui, non per subtractionem animæ alicuius, sed per remissionem potentiæ cuiuslibet animarum; vel etiam quantumlibet augmentari per appositionem plurium animarum, vel per intensionem potentiæ singularum. Omnis ergo multitudo animarum infinitá quantumcunque magna vel parua, quantumcunque remissæ potentiæ vel intensæ, omni tali multitudini est æqualis. Adhuc autem si non omnes tales multitudines sint æquales multitudine & virtute, sit A multitudo quæ priùs; *B* verò per imaginationem vel per omnipotentiam multam Dei, multitudo alia infinita Angelorum maior quantum volueris in multitudine, puta exempli causa in duplo, & similiter in duplo potentior. Ponatur enim quòd singuli Angeli, & singulæ animæ sint potentiæ coæqualis, & sint A & *B* multitudines omninò distinctæ, nullam videlicet vnitatem communem ambabus habentes. Disponatur igitur *B* secundum vnam seriem consequenter, sicut priùs supponebatur
C de A, & cuilibet vnitati *B* distribuatur vnica vnitas A quod fieri benè potest, sicut superiùs monstrabatur, quo facto singulæ vnitates A, singulis vnitatibus *B* & omnes pariter omnibus mutuò sibi æqualiter correspondent, & mutuò sibi quodammodò supponuntur æqualiter. Sunt ergo hæ multitudines in multitudine coæquales; quomodo namque in talibus æqualitas meliùs probaretur? Sic enim apud Geometras in magnitudinibus æqualitas demonstratur, vnde 1. elementorum Euclidis supponitur pro principio per se noto, Si aliqua res alij supponatur, appliceturque ei, nec excedat altera alteram, illæ sibi inuicem erunt æquales. Neque vlla videtur ratio possibilis assignari, quare & quantum *B* excedit A, sicut nec in partibus temporis secundum opinionem tuam, Aristoteles, simpliciter infiniti: sicuti etiam de duabus lineis rectis, secundum quid, non simpliciter infinitis; quarum & æqualitas per suppositionem ad inuicem supra dictam Geometricè demonstratur. A ergo & *B* quare & omnes duæ multitudines infinitæ, ordinatæ vel ordinabiles secundum vnam seriem
D consequenter omninò distinctæ, sunt sibi inuicem in multitudine coæquales: Quare & in fortitudine, potentia, & virtute. Hoc enim de A & *B* consequitur manifestè, cum singuli Angeli singulis animabus existant potentiæ coæqualis, Quod & sequitur euidenter si quilibet Angelus ponatur quantumcunque potentior anima, puta in duplo, & omnes Angeli sint inter se æqualis potentiæ, sicut de animabus superiùs ponebatur. Si namque A & *B* non sunt æqualis potentiæ, sed sunt æqualis multitudinis per præmissa, & omnes Angeli sunt inter se æqualis virtutis, & omnes Animæ inter se similiter, & quilibet Angelus est tantùm in duplo potentior anima sibi correspondente, *B* est tantùm in duplo potentior A, dicente primo quinti elementorum Euclidis; Si fuerint quotlibet quantitates, aliarum totidem æquè multiplices, aut singulæ singulis æquales, necesse est quemadmodum vna illarum ad sui comparem, totum quoque ex his aggregatum ad omnes illas pariter acceptas similiter se habere. Sed si *B* sit tantum in duplo potentior quàm A, sumatur *C* alia multitudo ani-
E marum æqualis ‖ A in numero & virtute, ita quòd singulæ singulis, & omnes omnibus in ‖ omnino,
potentia sint æquales: cui & iterum assumatur *D* alia multitudo Animarum æqualis omninò in numero & virtute, & coniungâtur *C* & *D* multitudinem *F* reddendo. *C* igitur est æqualis potentiæ cum A & *D* similiter. Quare & per 7am quinti Euclidis præmissam subduplæ potentiæ ad *B*: *F* igitur ex *C* & *D* præcisè compositum ipsi *B* in potentia adæquatur: *F* etiam ipsi A in potentia coæquatur. Aequatur namq; ei in multitudine per propria, & singulæ animæ *F* singulis animabus A in potentia & virtute, sicut superiùs ponebatur; quare & per 1am quinti Euclidis præscriptam, totum *F* pariter toti A, pariter in potentia coæquatur. Quapropter & per septimam eiusdem præmissam *A* & *B* sunt æqualis potentiæ & vigoris: *A* igitur simili ratione est æqua-

est æqualis in multiudine & fortitudine quantæcunqne multitudini imaginariæ, seu absolutè A
posibili animarum vel Angelorum, quantæcunque virtutis extiterint intensiue: Quare & multitudini infinitæ virtutis simpliciter numerose & intensiue similiter si ponatur. Amplius autem quantæcunq; potentię potest esse aliqua multitudo numerabilis vel innumerabilis animarum, tanta potest esse & aliqua forma vna, seu res vna per intensionem seu extensionem potentiæ & vigoris, & etiam è conuerso. Quis infinitatem concedens, istud non concesserit consequenter? Sit igitur *B* aliqua potentia infinita simpliciter intensiuè, qua maior intensiuè esse non posset, & *C* multitudo huiusmodi animarum imaginaria vel vera illi æqualis; æqualis, inquã, potentiæ & virtutis; *C* igitur vel est multitudinis & fortitudinis infinitæ simpliciter, ita videlicet quòd maior multitudo aut fortior esse non posset, vel non est tanta, nec tam fortis. Quòd non sit tanta nec tam fortis, constat certisimè per præmissa: Est enim absolutè posibile addere *C* aliquam vnitatem, vel aliquas vnitates, & fortitudinem cuiuslibet animæ augmentare. Et si non sit tanta, neque tam potens, esset absolute posibile, quòd aliqua ma- B
ior & fortior illa esset. Esset quoque simili ratione posibile, quòd illi maiori & fortiori multitudini, aliqua vna intensiua siuè intensa potentia æquaretur, quæ necessario esset maior *B* potentia posita infinita simpliciter intensiuè, qua maior intensiue esse non posset. Quod & potest similiter argui, si *B* ponatur corpus graue infinitæ grauitatis simpliciter omni modo intensiuè, & similiter extensiue, cui *C* multitudo huiusmodi Animarum ponatur æqualis, æqualis videlicet potestatis. Amplius autem sit *A* vna forma, vna Anima infinitæ fortitudinis intensiue, & sit *B* per imaginationem, vel per omnipotentiam Dei magnam vnum corpus graue æqualis grauitatis & potentiæ, id est, potestatis resistitiuæ, sicut *A* est motiuæ, tunc *A* non potest mouere *B* sed quodlibet minus eo, sicut ostendunt regulæ naturales. Cuius ergo conditionis est *B*? videtur quòd infinitum simpliciter intensiue, & simpliciter extensiue. Nam quodlibet graue minus est secundum quid & aliquo modo finitum; quare & virtutis simili modo finitæ: *A* verò virtutis simpliciter infinitæ, & sufficienter excedentis ad motum. Quod C
& apparet, si *B* ponatur primo corpus graue finitum simpliciter grauitate, & similiter quantitate, & augeri intensiue & extensiue circumquaque per vnum diem velocitando motum vtrumque quantum oportet, donec in fine sit infinitum simpliciter omniquaque intensiue & similiter extensiue, tunc enim primo *B* est æquale *A* æqualis potentiæ & virtutis. Semper enim prius fuit minoris quia finitæ simpliciter intensiue & etiam extensiue. Tali insuper corpori infinitæ grauitatis simpliciter omni modo posset esse aliqua anima æqualis, æqualis virtutis, & non intensior *A*, cum *A* sit intensionis simpliciter infinitæ. Est ergo *B* corpus infinitæ grauitatis simpliciter omni modo. Sed istud stare non potest: Sic enim *C* vnum corpus graue finitæ & æqualis grosisitiei per totum hic incipiens, & ad occasum in infinitum extensum, & ita infinitæ quantitatis secundum quid, & sit grauitatis vniformis infinitæ simpliciter intensiue, quod tamen non est infinitæ grauitatis simpliciter, quia non intensiue & extensiue, sed secundum quid tantum ad modum loquendi præmissum; *A* ergo non potest mouere *C* D
quoniam secundum prius ostensa *C* adæquatur in quantitate corpori infinito simpliciter omniquaque; Quare & in grauitate similiter, si illud corpus ponatur vniformis grauitatis, & infinitæ simpliciter intensiue. Grauitates namque sequuntur in corporibus talibus quantitates: Ex partibus namque *C* sectis ab eo, & sphæricè cumulatis, sine additione quacunque, potest fieri vnum corpus infinitæ quantitatis simpliciter extensiue sicut præhabita demonstrabant; quare & infinitæ grauitatis simpliciter intensiue. Imò & duo, & tria talia corpora, & quot volueris, quorum quodlibet sit infinitum simpliciter extensiuè, & etiam intensiue: *C* ergo nunc est simpliciter tantæ grauitatis & ponderis, sicut vnum tale corpus infinitæ grauitatis simpliciter omni modo; Imò sicut duo, & tria, & quot volueris numerare. Quomodo ergo *A* sufficit *C* mouere? Non enim sufficit *B* mouere, nec multa *B* nec vnum. Adhuc autem si *A* potest mouere *C*; *A* excedit *C*: possibile est ergo accipere aliquam animam æqualis virtutis cum *C* quia maioris, quoniam infinitæ simpliciter, qualis est Deus, & sicut *A* poni- E
tur, & minoris. Sit igitur *D* talis; *D* ergo est minor *A* minoris potentiæ & virtutis, sicut hypothesis ista ponit; sed quomodo? vel enim *D* est infinitæ intensionis simpliciter, vel finitę: si infinitæ simpliciter, est æqualis *A*; si tantum finitæ, est potentiæ finitæ simpliciter omni modo, non ergo æqualis *C*. Si etiam esset æqualis *C* posset leuare, seu mouere quodlibet minus eo, quare & medietatem *C* æque longam cum *C*; sed quomodo posset anima finitæ intensionis & virtutis simpliciter omni modo, leuare seu mouere corpus tam graue improportionabiliter ipsam excedens? Quod & per proportionalitatem *D* & alterius animæ paruæ virtutis, & obiectorum eorum per terminos etiam potentiarum ipsarum, potest facilè confutari; *A* ergo non sufficit *C*. leuare, siue mouere: quare nec aliquod tale corpus omninò infinitæ quantita-

A quantitatis ſecundum quid, & grauitatis infinitæ ſimpliciter intenſiuè. Imo nec *A* ſufficit le-
uare aliquod corpus finitæ quantitatis ſimpliciter omniquaque, dum tamen ſit grauitatis infi-
nitæ ſimpliciter intenſiuè. Si enim ſufficiat, ſit *F* huiuſmodi corpus graue, quod *A* poteſt le-
uare ; tunc *A* excedit *F*; poſsibile ergo eſt accipere aliquam animam æqualem. *F* æqualis
potentiæ & virtutis, quia maioris ſicut *A* ponitur, & minoris, ſit ergo *G* talis, &c ſicut ipſa.
Præterea *F* eſt æqualis grauitatis *K* corpori ſimpliciter infinito extenſiuè, finitæ & vniformis
grauitatis intenſiuè, vel ipſum excedit ; quod patet, ſi *K* primo ponatur corpus graue vni-
forme finitum extenſiuè, & ſimiliter intenſiuè, & augeatur continue extenſiuè per vnum di-
em, donec in fine ſit infinitum ſimpliciter extenſiuè , intentione priori manente: *F* enim ip-
ſum ſemper excedit vſque ad finem diei. Quare & tunc vel adhuc ipſum excedit, vel eſt illi æ-
quale, æqualis ſcilicet grauitatis, ſicut magis videtur; *K* quoque in fine, infinitè ſimpliciter
excedit vnam quantitatem ſui pedalem , & *F* ſimiliter. Illa etiam pedalis quantitas infinitè
B ſimpliciter exceditur ab vtraq;. Sunt ergo ſibi inuicē coæquales, per nonā 5. element. Euclidis
ſuperius recitatā. Vnde & conuincitur euidenter, quòd quantūcunq; K fuerit intenſius, vel re-
miſsius vniformiter quam ſit modo, manente F vt prius , adhuc eſſent æqualia, & quantūcun-
que fuerit *F* in quantitate maius vel minus, manentibus alijs ſicut prius, adhuc eſſent æqualia.
Quare & totum, & pars, duplum & dimidium eſſent æqualia, & æqualiter ponderarent , per
nonam quinti elementorum Euclidis præmiſſam. Adhuc autem & ſi *F* poneretur infinitæ lon-
gitudinis ſecundum quid, manentibus alijs ſicut prius adhuc æquaretur *K*; ſi namque *F* con-
tinue creſceret, donec fieret infinitum hoc modo, ſemper æquaretur *K* vſque tunc. Cur er-
go non tunc ? Quod & patet expreſsius, ſi accipiatur *L* pars *K* infinitæ longitudinis ſecun-
dum quid, hîc incipiens, & ad occaſum infinitè procedens, finitæ groſsitudinis , & æqualis
per totum, capiaturque alia pars *K* ſimilis *L* & æqualis, cuius grauitas addatur ipſi *L* vel tanta,
tantumue vlterius intendatur, & fiat in duplo intentior, & ita infinities , de omnibus partibus
C talibus infinitis, donec tota grauitas *K* vel tanta ſit conflata , & congregata in *L*, *K* & *L* infi-
nitæ quantitatis ſecundum quid, & infinitæ grauitatis ſimpliciter intenſiue inuicem adæquan-
tur. Quare & *F* ipſi *L* & pars finita ſuo toti infinito ſecundum quid : imo & ſimpliciter infi-
nito. Ex partibus enim *L* ſine additione quacunque, poteſt fieri corpus infinitum ſimpliciter
extenſiue, & ſimiliter intenſiuè, ſicut erat ſuperius demonſtratum. *F* igitur tali corpori poſi-
to æquaretur. *F* quoque æquatur *K* tantæ intenſionis, & duplæ, etiam ſi ponatur, & triplæ,
& ita deinceps omnem finitum numerum tranſcendendo, ſicut ſuperius monſtrabatur. Quare
& ſi ponatur infinitæ grauitatis ſimpliciter intenſiue ; aliquod namque graue tale eſt maxi-
mum cui *F* æquatur. Quod & apparet ſi *K* ponatur primò finitum ſimpliciter extenſiuè &
intenſiue ; & augeatur extenſiue & intenſiue, per vnum diem , donec in fine fiat vtroque mo-
do ſimpliciter infinitum. *F* namque vſque ad finem diei continue ipſum excedebat, quare &
tunc ſimiliter vel ipſum excedit, vel ipſi æquatur : Non enim ab ipſo K tunc exceditur infi-
D nitè, cum K nullam quantitatem aut grauitatem ſubito acquiſiuit, nec *F* vnquam prius ex-
ceſsit. Si quis autem circa præmiſſa proteruire voluerit, recurratur ad libram, & ad æquili-
bram æque diſtanter poſitam horizonti, & de grauitatibus corporum æqualibus vel inæqua-
libus iudicio eius ſtetur. Sit autem libra imaginaria, vel vera per omnipotentiam Dei facta, vel
adiuta, talis virtutis & tantæ, vt quælibet corpora in ipſa poſsint fideliter ponderari. Quis e-
nim neſciat ſecundum regulas, de ponderibus & ſecundum experientiam quotidianam , ſi v-
num *F* ſuſpendatur ex vna parte æquilibre, & aliud *F* omninò æquale ex altera, quod æqua-
liter ponderabunt ; & ſi tertium *F* æquale addatur alterutri, vni non alteri fiet nutus, & quod
brachium declinabit ex parte ponderis grauioris, ponderis duplicati, & ita de grauibus alijs fi-
deliter ponderatis. Adhuc autem iuxta præmiſſa, ſit *A* vna anima potentiæ infinitè ſimpliciter
intenſiue, & *B* alia æqualis ei omnino, & *C* tertia æqualis ambabus coniunctim, & erit tam *A*
quam B remiſſæ potentiæ, & non infinitæ ſimpliciter intenſiue ; vel potentiā infinitā ſimpli-
E citer intenſiue erit alia potentia talis intenſior atque maior , imo in duplo maior, in triplo, in
quadruplo, & ſic quantumlibet procedendo. Quare & vnum ſimpliciter infinitum ſimili mo-
do maius alio ſimpliciter infinito.

Amplius autem per viam actionis & paſsionis: Et primò per viam motus localis hoc mo-
do ; Sit A vnum corpus graue finitæ quantitatis ſimpliciter circumquaque, & infinitæ graui-
tatis ſimpliciter intenſiue. Quod ſi ponatur ſurſum , in medio deſcendet, cum ſit extra locum
ſuum naturalem minimè impeditum : ſed vel deſcendet ſubito vel ſucceſsiuè ; Non ſubito,
cùm habeat reſiſtentiam aliqualem ; & quia tunc in omni medio & cum omni reſiſtentia ma-
iori & minori finita , ſic faceret. Omne inſuper tale corpus maius & minus in eodem me-
dio , & cum eadem reſiſtentia deſcenderet æquè citò. Quomodo inſuper corpus naturale, &
rude

rude per potentiam naturalem tranſibit ab extremo ad extremum medio prætermiſſo, exi- A
bitque locum clauſum fortiſsimum circumquaque ſine ruptura, apertione, coextenſione, aut compenetratione quacunque? Nec ſucceſsiue, quia quacunque velocitate deſcenderet, tanta deſcenderet aliquod corpus grauitatis finitæ ſimpliciter omnimodo, aliquodque maiori. Nec poteſt Auempace contra ſententiam Ariſtotelis reſpondere, dicendo, corpora grauia & leuia habere ex ſe inclinationem determinatam & tantum finitam, ad velocitatem determinatam atque finitam. Licet enim de elementis ſimplicibus ſecundum diſpoſitionem quam nunc habent, poſſet ſic dici vtcunque, quia habent formas finitæ intenſionis tantummodo; de corpore tamen infinitæ grauitatis ſimpliciter intenſiue ſic dici non poteſt. Quanto namque ſecundum iſtam reſponſionem habet formam & grauitatem intenſiorem, tanto & appetitum, & inclinationem ad motum, & velocitatem maiorem, tantoque velocius naturaliter moueretur. Conſequenter autem per viam alterationis hoc modo; Sit A vnum corpus calidum, puta ignis, finitæ quantitatis ſimpliciter omniquaque, & caliditatis infinitæ B
ſimpliciter intenſiuè, cui & appproximetur B contrarium, combuſtibile finitum ſimpliciter omni modo; A ergo comburet B, conſtat, ſed vel ſubito, vel ſucceſsiuè ipſum comburet, &c. ſicut ſupra. Adhuc autem & per viam locationis hoc modo: Ignis infinitè intenſus & leuis, vbi naturaliter locaretur? Secundum namque Philoſophorum ſententiam, ſicut & videtur bene rationabile, quod & ideo ſupponatur; ignis quanto fuerit intenſior & leuior, tanto ſuperiorem locum ſeu ſitum naturaliter appetit, & exquirit. Appetit ergo locum infinitè diſtantem à centro, à locoue corporis ponderoſi, quod fortaſsis magis apparet, ſi etiam ponatur terra grauitatis infinitæ ſimpliciter intenſiuè. Sed quis locus diſtat ab alio ſimpliciter infinitè, aut ſecundum quid etiam infinitè? Quis enim neſciat a puncto in vno loco ad punctum in alio, vt dicit Euclides, lineam rectam ducere, quæ neceſſariò eſt finita ſimpliciter ex vtraque parte, quia in illis duobus punctis prædictis hinc indè finaliter terminata. Tota ergo diſtantia inter illa duo loca accepta eſt finita ſimpliciter omnimodo. Amplius C
autem per viam ſolius intenſionis ſimpliciter infinitæ: Sit enim A vna forma infinita ſimpliciter intenſiuè, à qua per imaginationem, vel per omnipotentiam Dei auferatur per remiſsionem aliqua pars finita quæ ſit B; Ab omni namque infinito videtur poſſe auferri aliqua pars finita, & ſit C, altera pars relicta. Tam B ergo quam C ſunt finita ſimpliciter, & conſtituunt totum A; quare & totum eſt finitum ſimpliciter intenſiuè. Vel aliter iſto modo; Remittatur A ſicut volueris, ita tamen, quod non totaliter conſumatur, & ſit pars deperdita B, reſidua verò C; ſi igitur tam B quàm C ſit finitum ſimpliciter; eſt & totum A finitum ſimpliciter; ſi verò C ſit finitum ſimpliciter, ſicut neceſſe eſt dicere & B infinitum ſecundum quid, ſicut aliquis fortè dicit, adhuc totum A eſt finitum ſimpliciter. Finitum namque ſimpliciter adiunctum infinito ſecundum quid, nunquam efficit ſimpliciter infinitum, ſicut in omni materia alia clarè patet, quod & demonſtratiuè probatur. Si namque infinito ſecundum quid addatur aliquod finitum ſimpliciter, tantum finitè au- D
getur & ſit maius quam antè, ſi tamen ſit maius. Nec poteſt quis vlterius fingere cauillando, quod tam B quàm C ſecundum quid eſt infinitum, & ſecundum quid finitum, ſicut ſecundum ſententiam Ariſtotelis, partes præterita & futura temporis ſimpliciter infiniti, quas copulat præſens inſtans; quia infinitum intenſiuè quantumlibet modicum remittatur, eſt ſimpliciter & omniquaque finitum intenſiuè: vt patet de caliditate poſita infinita intenſiuè, quæ ſi quantumlibet remittatur, neceſſariò eſt ſimpliciter omniquaque finita; Finitur enim ſuperiùs intrinſecè ad certum gradum finitum, & inferiùs extrinſecè ad non eſſe caliditatis, ſicut & quælibet forma intenſibilis terminatur. Habet quoque proportionem certam & finitam ſimpliciter omniquaque ad omnem aliam caliditatem finitam ſimpliciter in intenſione, ſicut & in velocitate motionis & actionis, ſicut & grauitas talis haberet ad omnem aliam grauitatem in intenſione, & in velocitate motus localis. Quare & omnis talis, quantumlibet parum remiſſa caliditas, om- E
niquaque & ſimpliciter eſt finita, ſicut Mathematica theoremata de proportionibus manifeſtant. Neque poteſt quis dicere, quòd *B* eſt ſimpliciter infinitum: Finitur enim neceſſariò in copulatione *C* cum ipſo. Ibi enim de neceſsitate eſt aliquis gradus, qui eſt finis communis & terminus vtriuſque, ſicut & aliquis punctus eſſet in continuatione duarum talium linearum. Et quia *B* eſt pars *A*, quare & minus illo: ſed nullum infinitum ſimpliciter eſt minus aut maius alio ſimpliciter infinito. Et ſi quis adhuc licet non intelligenter obgarriat veritati dicendo, quòd vna pars imaginaria caliditatis infinitæ intenſiuè eſt infinita ſimpliciter verſus ſuperius, finita tamen verſus inferius; alia caliditas partialis, cum ſit minor & remiſſior caliditate ſimpliciter infinita, poteſt intendi verſus ſuperius; (omnis enim intenſio eſt

aſcen-

A ascensus) non est ergo infinita simpliciter intensiuè versus superius, sicut præcedentia docuerunt. Adhuc autem sit *D* caliditas simpliciter infinita, *E* verò talis pars eius; *F* autem reliqua pars eiusdem, & remittatur *D* ad *E*; Ad quamlibet etenim suam partem, & ad omnem gradum potest remitti: tunc *E* non est infinitum simpliciter versus superius, quia *D* erat supra ipsum, & quia pars non est æqualis suo toti, & quia tunc *D* in nullo esset remissum. *E* quoque habet proportionem finitam simpliciter in intensione, sicut & in actione ad quamcunque aliam caliditatem finitam simpliciter, sicut superiùs est argutum. Præterea si *E* sit finitum secundum quid in intensione, & *F* est finitum simpliciter, (quia ex omni parte tam superius quàm inferiùs) ex *E* & *F* non constituitur simpliciter infinitum, sicut superiùs est ostensum. Amplius autem per viam omnipotentiæ, & supereminentiæ summæ Dei, si Deus potest facere infinitum numerosè & etiam intensiuè, potest facere aliquid semel habere, realiter, æquiualenter, vel supereminenter omnes virtutes, & quamlibet earum infinitè, siue infinitam simpliciter intensiuè: Potest ergo Deus facere vnum alium Deum, imò & alios deos multos, contra decimam septimam partem huius. Quomodo insuper potest esse

B aliquis Deus recens, & non necesse esse simpliciter, nec æternus, contra primam Suppositionem, & ostensionem ipsius? Ideò fortaßis dicetur quòd Deus non potest facere creaturam, quæ sit ex se necesse esse & æterna, quare nec Deum. Sed etsi non poßit facere creaturam istas virtutes seu proprietates habere, faciat ipsam habere omnes alias virtutes poßibiles creaturæ, & quamlibet simpliciter infinitè. Et sit *A* vna huiusmodi creatura: *A* ergo est perfectißima creatura poßibilis: constat planè: sed quomodò *A* adhuc non est perfectionis infinitæ simpliciter omniquaque nec æqualis perfectionis cum Deo simpliciter infinito? est ergo vel finitæ perfectionis simpliciter omni modo, vel infinitæ secundum quid tantùm, & secundum quid finitæ: Est ergo nedum minoris, verùm & in infinitum minoris perfectionis, quàm Deus simpliciter infinitus. Alioquin infinitũ simpliciter omni modo non excederet infinitum secundum quid tantum, & secundum quid finitũ, nisi per finitũ simpliciter omni modo,

C quod quis dubitat esse falsum, sicut superiùs monstrabatur? *A* ergo est minoris perfectionis, & in infinitũ minoris, quàm Deus. Potest ergo Deus facere aliquid perfectius *A*; non enim deficit poßibilitas receptiua ex parte creaturæ creabilis, neq; poßibilitas effectiua ex parte creatoris, per 1am suppositionem, & 7am partem huius; potestq; Deus facere aliam creaturam æqualem *A*, & tertiam æqualem illis ‖ *ambabus*, quare & maiorem A; Non est ergo A perfectißima creatura poßibilis, cuius oppositum dicebatur. Adhuc autem si Deus potest facere aliquid infinitum numerosè, & similiter intensiuè, potest facere aliquid omnipotens, aliquam rem omnipotentem simpliciter seu actiuè, quæ fiat, & sit A: A ergo, vel est æquè potens cum Deo, vel non æquè, sed minus; Non æquè potens sicut falsigraphus fortè dicet; quomodò namque creatura suo æquabitur creatori? Sciunt enim Philosophi, & Theologi non ignorant, quòd quælibet creatura facta à Deo, semper essendo dependet ab eo, tan- ‖ duabus.

D quam à suo necessario conseruante; quare & similiter faciendo, nec per se sufficit aliquid agere sine Deo, idem specialiter coagente, imò & principaliter præagente: Quomodo ergo A essendo vel agendo potest Deo æquari? Nec potest quis dicere, quòd A supposita eius existentia, est tam potens aliquid facere sicut Deus: Non enim potest per se & ex se solo facere aliquid sicut Deus, sicut superius proximo est ostensum. Imò & posito per falsam positionem falsigraphi, quòd A iam factum posset per se esse & agere, adhuc Deus esset potentior, & nedum parum potentior, verum etiam infinitè: Conante namq; A quicquam mouere, puta rotam aut cœlum vno motu, posset Deus impedire A, ne moueret omnino, sed vt rota staret immota, aut etiam motu contrario volueretur; quod & posset similiter facere, connitentibus duobus A talibus, & tribus, & quatuor & ita deinceps, quotcunq; volueris etiam infinitis. Quantumcunque namque potest aliqua creatura, aut aliquæ creaturæ quotcunque etiam infinitæ, potest & Deus, sicut prima Suppositio clarè monstrat. Sed vnum *A* posset aliud simile

E impedire, & duo *A* possent nedum vnicum illud impedire, verum & mouere motu contrario rotam suam, & simili modo tria ad duo, & quatuor ad tria, & ita deinceps, etiam innumerabilis talium multitudo posset per multitudinem æqualem impediri à motu, & per maiorem posset illa rota motu contrario rotari. Si etiam *A* esset æquè potens cum Deo, posset impedire eum à motu, & duo A possent mouere mobile Dei, puta rotam vel cœlum, contra intentionem, voluntatem, & nisum Dei. Quare & Deus impotens impedibilis voluntatis, & misabiliter miser esset, contra primam Suppositionem, & contra septimam, octauam, & tertiam partes huius. Creetur insuper B æquale A omninò; & C æquale A & B coniunctim. Quibuscunque namque duobus, præsertim quibus aliqua sunt aut esse possunt maiora & est aliqua virtus maior, potest Deus omnipotens de sua omnipotentia abso-

absoluta facere vnum æquale. His autem duobus tria talia sunt maiora, esseuè possunt; et est A
nunc actualiter Deus maior sicut præhabita clarè probant. Sit ergo C æquale A & B coniunctim, æqualis videlicet potestatis; C igitur est æquale A et B coniunctim. Est ergo maius ipsis diuisim. Neutrum ergo omnipotens dici potest; Neutrum enim eorum potest quantum C, nec vnum omnipotens potest alio minus esse, sicut nec vnum simpliciter infinitum alio simpliciter infinito. Si insuper C est maius A, cum A & Deus ponantur æquales, C est etiam maius Deo, maioris potentiæ & vigoris per septimam quinti Euclidis præmissam, quod prima Suppositio non permitit, si etiam C sit maius Deo, Deus non est omnipotens, et potentiæ simpliciter infinitæ, contra primam Suppositionem, septimam partem & quartam. Adhuc autem si A sit omnipotens, & æquè potens cum Deo, potest facere quicquid Deus: Potest ergo seipsum annihilare & iterum recreare; hoc enim potest Deus, vt patet per 33. & 34. partes, & ostensiones earum, potestque A facere omnia quæ ad rerum omnium productionem, conseruationem, & regimen requiruntur. Non ergo necessario requiritur Deus ad B
hæc & huiusmodi facienda; quomodo ergo per ista probatur Philosophicè Deum esse? Amplius autem quomodo potest A dici omnipotens, & æquè potens cum Deo, cum Deus omnipotens posit ipsum destruere per præmissa, & quia alias non esset omnipotens: A verò non potest destruere fortem Deum, sicut prima Suppositio, sexta pars, & septima lucidè manifestant. Si autem dicatur inprimis quod A est minus potens quam Deus, tunc non est omnipotens per præmissa: Si etiam A sit minus Deo, posset esse aliqua virtus maior, quod si ponatur non est omnipotens, sed deficiens in virtute respectu illius: illa quoque virtus posset impedire A nè moueret, imò & mouere suum mobile contra ipsum. Amplius autem si per possibile absolutè ponatur vna alia virtus æqualis A, illa potest impedire A quantumcunq; conetur, nè moueat, & duo, non tantummodo impedire, sed & mouere suum mobile contra ipsum; A ergo nequaquam omnipotens sed impotens reputandum, quod & per rationes præmissas potest perspicuè demonstrari. Nec potest falsigraphus proteruire dicendo, quòd A C
virtuti omnipotenti non potest fieri aliqua alia virtus æqualis, quia tunc Deus non esset omnipotens, potestq; Deus omnipotens destruere A, & ipso destructo facere B virtutem æqualem A. Quare & potuit A manente, & A & B pariter conseruare, cum sit plenè omnipotens omniquaque. Adhuc autem vt in paucioribus, imò in vna virtute magis appareat; sit A creatura habens vnam tantum potentiam actiuam, puta motiuam localiter infinitam simpliciter intensiue: Vel ergo A est æqualis Deo in potentia illa vel minor; non æqualis, quod potest demonstrari vt supra, nec minor cum sit in illa specie simpliciter infinitum, & vnum infinitum simpliciter non potest esse minus alio simpliciter infinito. Si etiam A sit minus Deo, posset fieri aliqua virtus maior A eiusdem speciei, possetque A augeri ad æqualitatem illius, vel citra vel vltra, possetque Deus facere aliam creaturam æqualem A in eadem specie, & tertiam æqualem ambabus coniunctim, quare & maiorem A &c. sicut supra. Non est ergo A huiusmodi potentiæ simpliciter infinitæ, sed finitæ simpliciter omni modo, sicut præhabita D
†Ad hoc docuerunt, cuius oppositum ponebatur. †Adhuc autem & huiusmodi multi multipliciter satagunt respondere, quidem namq; non verecundantur negare, Omne totum esse maius sua parte, neq; concedere totum esse æquale suę parti; vt si A sit tota multitudo infinita omnium animarum, B verò vna earum, C autem tota residua multitudo, dicunt quòd A non est maior C sed æqualis, quod & dicunt, sicut & habent necessario dicere consequenter, de quibuslibet duobus quantis infinitis ad inuicem comparatis. Sed nonnè Euclides 1. elementorum suorum supponit istud principium tanquam per se notum cuilibet, Omne totum est maius sua parte, quod de parte quantitatiua intelligit, quod & omnes Mathematici atque naturales Philosophi concorditer profitentur? cui & videtur cuiuslibet animus sponte notis terminis consentire; quod & videtur clarere ex significationibus terminorum. Nonne illud est maius alio, quod continet illud & amplius, seu aliud quantum vltra vel extra? cuius animus contradicit? cuiusue animus non sic dicit? quare & forte sicut dicit Alacen in perspectiua E
sua, illud famosum principium per talem cognoscitur syllogismum. Omne continens aliud & amplius est magis illo, Omne totum continet partem suam & amplius; omne ergo totum est maius sua parte. Sed quia notis terminis præmissæ & consecutio statim sunt notæ, non percipitur forsitan talis syllogizatio aut discursus; & ideo reputatur conclusio principium per se notum. Nonne & multitudo quæcunque puta omnium animarum, additis semper vnitatibus augmentatur, sicut & subtractis minuitur, præsertim si addatur alia multitudo infinita æqualis priori, aut etiam subtrahatur? Quis enim ignorat duplationem & dimidiationem duplum & dimidium ibi esse, sicut definitiones eorum notis terminis cuilibet per se notę, cuilibet clarè monstrant? cuius sensus dissentit? cuius conscientia non consentit? tota igitur multitudo

A do omnium animarum ſimpliciter eſt dupla ad totam multitudinem omnium animarum
maſculorum, & ſimiliter ad totam multitudinem animarum omnium fœminarum, cum vtra-
que harum ſit infinita; quare & æqualis alteri per præmiſſa. Quis etiam rogo non potius fu-
geret ſupplicium duraturum ex hoc nunc vſque in ſæculum, quàm ſupplicium poſt mille an-
nos, aut plures quotlibet inchoandum, & poſt continuè vel diſcontinuè, quantum volueris æ-
ternaliter duraturum. Secundum iſtam quoque ſententiam inſenſatam, A pœna æterna con-
tinua, & B eius medietas intenſiua eſſent æquales omnino: Vtraque namque eſt *infinita*, intenſiua,
quod & poteſt oſtendi à ſimili, & à ſimilitudine proportionum hoc modo; Ponatur C. vnum
corpus infinitum ſecundum quid æqualis groſsitiei per totum, & D eius medietas æquè longa
cum toto, vel aliud corpus omnino ſeparatum à C, æquè longum cum C; ſed in duplo minus
profundum ſeu ſpiſſum per totum. Sicut igitur A ad B, ita C ad D; ſed C eſt æquale D, ſicut
videtur reſponſionem fateri, & quia ſecundum præmiſſa, cuicunque menſuræ finitæ ipſius C,
B puta pedi ſolido, ſiue cubo, correſpondet æqualiter menſura æqualis omnino ipſius D, & è
contra; & quantumcunque locum poteſt C replere, poteſt & D ſine additione, rarefactione,
aut augmentatione quacunque, & è contra. C ergo & D ſunt omnino æqualia: quare & A
& B propter proportionalitatem ipſorum prędictam. Nonne & ſicut hoc lignum finitum
ſimpliciter ad medietatem ſuam, ſic & C ad ſuam, puta ad D, & è contra? Si igitur C &
D ſunt omnino æqualia, & hoc lignum finitum, & ſua medietas ſimiliter ſunt æquales. Vel ſi
hoc lignum finitum eſt duplum ad ſuam medietatem, & C ad ſuam. Nec poteſt quis dicere D
non eſſe medietatem C; eſt enim pars C: Conſtat, & falſigraphus confitetur. Sed qualis pars
& quota niſi medietas, quod & definitio medietatis oſtendit: C namque cum vna alia tali par-
te æquali omnino conſtituit integre illud totum. Amplius autem ſit A vnum corpus graue,
infinitę grauitatis ſimpliciter intenſiue, ſed finitę quantitatis ſimpliciter extenſiue, puta peda-
lis; B verò conſimilis grauitatis, ſed ſubduplæ quantitatis, & ſecundum ſapientiam iſtam no-
C uam, A & B ſunt æqualis grauitatis, omninoque æqualiter ponderant & inclinant. Quod ta-
men vt magis appareat, ponatur vlterius, quòd C ſit vnum corpus graue vniformis grauitatis,
& finitę ſimpliciter intenſiue; infinitę tamen quantitatis ſecundum quid, non ſimpliciter ex-
tenſiue. A igitur eſt æquale C, æqualis ſcilicet grauitatis, ſicut præcedentia clarè monſtrant;
quod & poteſt faciliter demonſtrari: A namque æquatur in grauitate alicui corpori vniformis
grauitatis & finitę ſimpliciter intenſiue, & infinitę quantitatis ſecundum quid, vel ſimpliciter
extenſiue; & quodlibet tale corpus eſt æquale C, grauitatis videlicet æqualiter ponderantis,
ſicut ſuperius monſtrabatur, ſicuti & iſta reſponſio habet dicere conſequenter. Si enim ſicut
dicit iſta reſponſio, pars infinita corporis infiniti eſt æqualis ſimpliciter ſuo toti, eſt & eadem
ratione æqualis cuilibet infinito; & quodlibet infinitum ſecundum quid vel ſimpliciter, æqua-
le cuilibet ſecundum quid, vel ſimpliciter infinito. A igitur eſt æquale C, æqualiter ponderans,
æque graue, & B ſimiliter ſimili ratione: A ergo & B ſunt æqualia illo modo. Sicut inſuper C
D ad ſuam medietatem, quæ ſit D, ita A ad B: ſed ſecundum pręmiſſa C eſt æquale D, quare &
A B. Vel ſic, ſicut A ad C, ita B ad D; quare & permutatim, ſicut A ad B, ita C ad D: ſed
A eſt duplum ad B, ergo & C ad D, quod reſponſio iſta negat: aut ſi C ſit æquale D, & A B:
Dicit enim decima ſexta quinti Elementorum Euclidis; Si fuerint quatuor quantitates pro-
portionales, permutatim quoque proportionales erunt. Si quis verò conceſſerit, quòd A eſt
æquale B, grauitatis videlicet æqualiter ponderantis, per æquilibrę æquum iudicium conuin-
cetur, ſicut ſuperius tangebatur. Item ſi A & B ſint æqualis grauitatis æqualiter ponderantis
omnino, cum ſint æqualis grauitatis intenſiue, ſunt & æqualis grauitatis ſimiliter extenſiue:
In maiore namque corpore huiuſmodi maior virtus. Eadem inſuper ratione, B eſt ęquale du-
plo ad A, & quadruplo, & ęorpori tali ſimpliciter infinito. Adhuc autem ſtantibus alijs ſicut
prius, ſit D corpus graue quantitatis ęqualis cum C, ſed grauitatis ſubduplę intenſiue; & ſe-
quitur ex pręmiſsis quòd C & D ſunt ęqualia modo dicto: A etiam eſt ęquale vtrique, quod
E intellectis prioribus faciliter demonſtratur. Sed ſi C, & D ſunt ęquè grauia ſimpliciter, &
ſunt ęqualia extenſiue, ſunt & ęquè grauia intenſiue. Secundum hoc quoque quantum-
cunque C intenderetur vlterius etiam infinitè, D manente vt prius, ſemper æqualiter gra-
uia, ęqualiter ponderantia permanerent; quare nec C fieret maius graue quàm ante.
Cuius inſuper iuſtę ſtateræ iudicium tantas naturæ iniurias toleraret? Amplius autem po-
natur A vna multitudo innumeralis animarum æqualium in virtute, in fortitudine, &
vigore, & B alia æqualis omnino, & omnino diſtincta ab illa. Si igitur ponatur æquilibra æquè
diſtanter horizonti, & A ex vna parte, & B ex alia, trahens aut pellens, vtraque quantum
poteſt, non fiet nutus, ſed ſtabunt omnia ſicut prius. Si verò ad A addatur alia ſimilis mul-
titudo, & fiat C multitudo conſtituta ex illis, ad B autem nihil; trahatque C vel pellat ex

vna parte, & B ex altera quantum poſſunt, adhuc ſtabit æquilibra æqualiter ſicut prius; C A
namque ſecundum hanc reſponſionem eſt æquale A, quare & B, etſi adhuc ad A & C ad-
datur alia ſimilis multitudo, vel quotcunque volueris, tota multitudo compoſita æqua-
bitur ſemper B in fortitudine & virtute. Quamobrem ſimiliter etſi ſingulæ vnitates A ſin-
gulæ animæ intendantur in potentia & vigore ad duplum & ad quadruplum, etiam in infi-
nitum, manente B per omnia ſicut prius, A ſemper erit æqualis B omnino, æqualis videli-
cet poteſtatis. Sed cuius æquilibræ æquitas hoc non damnat? Secundum hoc quoque A non
creſceret, nec poſſet creſcere in virtute, per quantamlibet appoſitionem virtutis extenſiuè vel
intenſiuè vel vtroq; modo coniunctim. Sed cuius animus iſtud capit? cuius animus ita ſapit?
A namque eſt finitæ multitudinis ſecundum quid, & finitæ potentiæ intenſiuè, nec potentiæ
æqualis cum Deo, ſicut prima ſuppoſitio clarè monſtrat. Eſt ergo abſolutè poſsibile A au-
geri in potentia & virtute, & Deus hoc poteſt, ſicut prima ſuppoſitio & pars ſeptima clarè
monſtrant. Quis enim præſumſerit dicere, quod Deus omnipotens non poſsit augere crea- B
turam, quæ non eſt ſimpliciter infinita, nec habet totam perfectionem capacitatis ſuæ natu-
ræ; imò quantam habet, tantã caret, & iterum tanta, infinities quoque tanta. Adhuc au-
tem & ſecundum iſtam ſententiam inſenſibilem inſenſatam, cùm ſecundum præmiſſa ſcien-
tia Dei ſit infinita ſimpliciter; & ſi verè vel imaginariè detraheretur ab ea aliqua ſcientia fi-
nita vel infinita quam habet, puta aliquorum vel omnium theorematum geometriæ, non eſſet
minor quàm prius, nec ipſe minus ſciens quàm prius. Eodem modo de eius potentia infini-
ta, ſi detraheretur ab ea aliqua poteſtas finita, vel etiam infinita, puta ſciendi geometricalia,
vel creandi, adhuc maneret æquè potens & omnipotens ſicut prius; & ita de perfectione eius
quacunque ſeorſim, & de omnibus pariter, ſi ſubtraheretur ab eis quantumlibet ſemper ma-
neret æquè & ſummè perfectus vt prius, ita quod nihil perfectius eſſe poſſet. quomodo er-
go & quare ſuperfluitatem tantam habet in omni eius virtute, & in virtutibus vniuerſis con-
tra tertiam partem huius? Si quis autem proteruiat circa Deum, ponatur ſecundum hanc C
poſitionem verè per omnipotentiam Dei vel imaginariè, aliquid aliud ſcire omnia quæ ſcit
Deus, geometricis tantum exceptis, vel poſſe omnia quæ poteſt Deus, creatione excepta, aut
habere omnem perfectionem quàm Deus, vna excepta, & erit æquè ſciens, æquè potens, &
æquè perfectum cum Deo, cùm pars quælibet infinita ſit æqualis cuilibet ſuo toti, quare &
cuilibet infinito ſecundum quid vel ſimpliciter. Imò & ſi aliqua res ponatur infinita ſimplici-
ter, vel etiam ſecundum quid, in perfectione vnica ſeu virtute, ſicut illa multitudo innumera-
bilis animarum, aut vna anima omnibus illis æqualis erit perfectionis æqualis ſimpliciter, &
virtutis cum Deo, quod facinus tam blaſphemum prima ſuppoſitio, & partes ſequentes non
ſinunt, ſed euidenter redarguunt, & refellunt, ſicut præmiſſa per viam omnipotentiæ Dei
perſpicuè demonſtrabant. [Robertus quoque Lincolnienſis, Groſſe teſte, ſubtilis ingenij &
profundi in quodam tractatu ſuo in lucẽ incipiente (primam formam corporalem lucem eſſe
arbitror) oſtendit omnes proportiones inter finita repertas, inter infinita ſimiliter reperiri: D
Tota namque multitudo omnium binariorum, vt docet, eſt dupla ad totam multitudinem
omnium quaternariorum, & tota multitudo omnium ſeptimanorum quadrupla ad totã mul-
titudinem omnium menſium, & ſimiliter in ſimilibus vniuerſis: quod verum eſſe videtur,
ſuppoſito ſecundum opinionem communem, quod actu ſit multitudo talium infinitarum.]
alias Præter hæc autem iſta falſigraphia, etſi impoſsibili iſto dato, " *aliquas* rationes præmiſſas poſ-
ſet vtcunque definire; ad multas tamen nec verè nec apparenter ſufficit reſpondere, ſicut con-
ſiderare volentibus facile eſt videre. Scio quod multæ aliæ reſponſiunculæ, & multæ obie-
ctiunculæ, imò & multæ obiectiones multum probabiles ſunt poſsibiles in hac parte, ſed fe-
ſtinans ad alia, alijs abundantioribus otio, vel alij tempori has relinquo. Hæc igitur per
viam infiniti contra Ariſtotelem & Algazelem hac vice ſufficiat protuliſſe.

Amplius autem ſecundum Philoſophiam tuam Ariſtoteles, quomodo poteſt poſsibile
eſſe, eſſe æternum anterius? Mundus autem eſt poſsibile eſſe, ſicut 17ª. pars oſtendit: Phi- E
loſophia namque tua planè teſtatur, & animus humanus quaſi naturaliter acquieſcit, quod
omne poſsibile eſſe, ſicut non exiſtit ſufficienter ex ſe, ſed continue dependet ab alio, ipſum
cauſaliter conſeruante, ſic & totaliter producente. Aliqui tamen putant, quod etſi Mundus
ſit nouus, eſſet poſsibile abſolutè ſine aliqua repugnantia formali incluſa, ipſum fuiſſe & eſſe
æternum à Deo, ſicut veſtigium æternum à pede æterno, in puluere coæterno, & ſicut ima-
ginem æternam à facie æterna in ſpeculo coæterno: Quod ſi eſt verum, totum dependebat à
voluntate diuina. Neque mundum eſſe nouum, neque æternum eſt neceſſarium abſolutè,
neque demonſtrabile propter quid & à priori; ſicut nec Deum voluiſſe æternaliter hoc vel
illud, ſicut nec voluntatis diuinæ ad effectus extrinſecos, eſt aliqua cauſa neceſſaria antece-
dens,

A deos, sicut ostensio 33ª & 34ª partium ostendebat. Quapropter & si illud priùs dictum sit verum, simili modo de hac anima, aut alia creatura, licet sit noua, non est tamen necessarium absolutè quòd sit noua, sed possibile absolutè quòd sit æterna. Neq; eius nouitas, neq; æternitas potest demonstrari simpliciter à priori. Vtrumq; namq; pendebat à voluntate diuina, cuius nō est causa præcedens necessaria absolutè, nec ipsa est necessaria absolutè, sed libera libertate apposita in causando. Accede igitur Aristoteles, & demonstra mihi demonstratione necessaria absolutè, hanc animā, aliamue rem talem, non esse æternā sed nouam; & ego demonstrabo tibi similiter mundum non esse æternum sed nouum. Verum si demonstrare volueris, caue ne sumpseris aliquod verum & necessariū per accidens demonstrando: Aut si tu talia tibi sumas, permitte me sumere mihi similia, & ego demonstrabo similiter mundū non esse æternum sed nouum. Ampliùs autem possibilitas creationis & incœptionis mundi superiùs est ostensa. Omnes quoq; Gentes, Hebræi, Græci, Latini, & Barbari; omnes Prophetæ, omnes
B Theologi, & Poëtæ, & omnes Philosophi ante Aristotelem, affirmabant concorditer mundū habuisse principiū temporale. Quod & omnes leges, & sectæ pariter confitentur, sicut quamplures famosæ historiæ, etiam libri tui perspicuè contestantur. Nonne Hermes, qui etiam te Aristotele attestante, Pater Philosophorum meruit appellari, tradit mundum & hominem fuisse creatum à Deo, & habuisse principium temporale? Nonne de verbo æterno 2. sic ait, In creatore fuerunt omnia antequam creasset omnia: Et infra 3. Cœli & ipsius animæ, & omnium quæ mundo insunt, ipse gubernator est, qui est effector Deus. A supradictis enim omnibus quorum idem gubernator Deus, frequentatio fertur influens per mundum, & per animam omnium generum, & omnium specierum per rerum naturam: Mundus autem præparatus est à Deo receptaculum omniformium specierum. Et 6. Homo in naturam Dei transit, quasi ipse sit Deus, homo dæmonum genus nouit, vtpote qui cum eisdem se ortum esse cognoscit. Et 11. Est, inquit, ratio plurimis incredibilis, integra autem & vera percipienda
C sanctioribus mentibus, itaque hinc exordiar. Aeternitatis Dominus est Deus primus, secundus est Mundus, Homo est tertius; effector mundi Deus, & eorum, quæ insunt, omnium simul, cuncta gubernando cum homine ipsum gubernatorem composuit ipso gubernatore compositi, quod totum suscipiens homo, curam propriam diligentiæ suæ efficit, vt sic & ipse, & mundus vterque ordinamento sibi, vt ex hoc omnis diuina compositione mundus Græcè rectus κόσμος dictus esse videatur. Is nouit se, nouit & mundum, scilicet vt meminerit quid partibus conueniat suis, quæ sibi vtenda, & quibus sibi inseruiendum sic recognoscat, grates laudesque maximas agens Deo, eius imaginem venerans non ignarus se etiam esse secundum imaginem Dei; cuius sunt imagines duæ, Mundus, & Homo. Et infra 15. loquens de Mundo & rebus mundanis; Non erant, inquit, quando non erant, sed in eo iam tunc erant, vnde nasci habuerunt. Et 24. Deus pater & Dominus post deos, homines effecit, quibus & dicit multa similia multis locis. Qui & in Alchymia sua, quam Galienus, vt dicit, Antrum Herme-
D tis, ingrediens, in tabula Smaragdina inter manus eius scriptam inuenit, sic dicit: Omnes res ab vno fuerunt, medicatione vnius, & fuerunt natæ res omnes ab hac re vna aptatione. Et infra, Hæc est totius fortitudinis fortitudo fortis, quia vincet omnem rem subtilem, omnemque rem solidam penetrabit, sicut hic mundus creatus est. Qui etiam de Mundo & Cœlo 1. prætitulato de rerum principijs, ita scribit; Ab æternitate tempus initians, in æternitatis resoluitur gremium longiore circuitu fatigatum. Nonne hoc tradit expresè tempus habuisse principium, & finem similiter habiturum? quare & infra 2. Sicut, inquit, ad centrum circulus, sic ad æternitatem consistit Mundus temporarius. Et infra eodem, Motus, inquit, rotundus quo firmamentum mouetur, semper in vno loco est, ab ea hora, quâ diuinæ mentis ratione formatum fuit: Et supra eodem, Non fuit ista genitura Mundi, nec mundus certum diem habuit ortus sui, nec aliquis eo die interfuit, quo mundus diuinæ mentis ratione formatus fuit, nec eo vsque intentio fragilitatis humanæ se potuit extendere,
E nec originem mundi ratione facili concipere, vel explicare; præsertim cum trecentum annorum maior apocatastasis, per hypyrosim, vel cataclysim fiat. Quanta insuper turba Philosophorum posteriorum, quàm celebris, quàm præclara hanc Patris eorum sententiam concorditer profitetur, turba Philosophorum ostendit. Nonne & Sacerdotes Aegyptij penes quos vt dicitur in 1°. Prologo in Timæ. est præcipua memoria vetustatum, natalem mundi, Sole posito in Leone inter tertio Calendas Augusti & vndecimo indicarunt, sicut Solinus de mirabilibus Mundi 7. agens de Aegypto, & rebus ipsius recitat manifestè? Nonne Magister tuus Plato affirmat Mundum, res mundanas, Angelum & hominem habuisse principium temporale, sicut liber suus qui Timæus vocatur, pluribus docet, quod & libri tui sæpius memorantur? Nonne Anaxagoras, nonne Pictagoras, nonne Empedocles, nonne Demo-

 critus,

critus, nonne Parmenides, & Melissus, & vt plures breuiter nominem, nonne omnes Patres A
tui, omnes Philosophi, Prophetæ, Theologi, & Poëtæ, ante tempus tuum affirmabunt concorditer mundum habuisse principium temporale, sicut antiquę testantur historiæ, & libri tui naturales & Metaphysicales non tacent? Nonne & tu ipse 1. de Cœlo & Mundo 102. inquirens vtrum mundus sit ingenitus aut genitus, hoc testaris sic dicens; Genitum quidem igitur omnes esse dicunt, & in translatione quam habet Auerroes, omnes antiqui conueniunt quòd cœlum est generatum; super quod filius tuus ac cultor deuotus Auerroes, Omnes, inquit, conueniunt in hoc quòd Cœlum est generatum, & nullus ante ipsum, scilicet Aristotelem, dixit, quòd Cœlum non est generatum. Qui & supra eodem, Comment. 22. dicit te fuisse primum ex Philosophis Græcis dicentem, quòd Cœlum esset ingenerabile. Quare & Augustinus 8. de Ciuit. Dei 12. loquens de materia ista dicit, quòd Aristoteles multos discipulos in suam hæresin congregauit. Cur ergo assertione tui solius temeraria non obstante, non ita constanter tenendum? cur non ita confidenter credendum? cur non ita fiducialiter B
sentiendum? quomodo tali ac tantæ famositati tu primus & solus Aristoteles præsumseras obgarrire? quomodo tot gentibus, linguis, & populis, tot & tam claris patribus, & Prophetis, tot Theologis & Poëtis, & tantis ac tam famosis Philosophis, tu primus & solus audebas incipere rebellare? qua temeritate, qua cæcitate, qua audacia, qua dementia tu primus & solus istud facere præsumebas? maximè in tam digna materia, in tam magna sententia, ad cognitionem & venerationem Dei, & ad Religionem omnium hominum pertinente? præsertim cum nullam cogentem, imò vix sophisticam afferas rationem. Fortior enim tuarum irrationalium rationum vix vel apparentiæ tenuis vmbram habet, sicut circa 34. partem fuerat demonstratum: Plurimæ verò argutiarum tuarum quas facis contra Magistrum tuum Platonem & alios, 8° Phys. 1. & 2. de Cœlo & Mundo, & alibi, nullam habent imaginem aut vmbram quidem tenuem rationis, sicut nullus ignorat, qui vix limen Logicæ, aut Philosophiæ intrauit, aut qui vel paruam habet logicam naturalem. Quare nec dignum existimo ipsas recitare, aut soluere diligenter. Omnes enim penè qui vident eas vel audiunt, sciunt ipsas rationabiliter impugnare, nullus rationabiliter defensare, nisi fortè vix contra modum ponendi Platonis, aut alterius alicuius. Sed contra rem ipsam, & modum ponendi Hermetes, Prophetarum, & Christianorum, nullus scit ipsas exiliter colorare, sicut 33. & 34. partes docent. Sed quàm validæ rationes, quàm irrefragabiles, quàm insolubiles, quàm cogentes, quàm violentæ, quàm claræ, quàm certæ requirerentur ad talem ac tantam famositatem immutandam, euertendam, & à cordibus omnium vel plurium, maximè autem sapientum, euellendam, iuxta præmissa de famositate circa 33. partem huius, præsertim cum antiqua sententia tribuat Deo maiorem honorem, & Religionem hominibus ampliorem? Vnde videtur mihi pro regula generali seu maxima obseruandum, quòd inter pares sententias, honorabilior Deo, famosior, religiosior, & fauorabilior hominibus, semper vincat. Vt autem quod dico magis appareat, pono omnes homines, populos, nationes, omnem legem, sectam, seu fidem; omnes Prophetas, Poëtas, omnes Philosophos præteritos & præsentes vsque nunc concorditer tenuisse; et omnes præsentes Pilosophos, & vulgares etiam in pręsenti tenere concorditer & constanter Mundum fuisse creatum à Deo. Et quòd Aristoteles sine munere Prophetię, aut miraculo euidenti, cum solis argutijs suis contrarijs, nunc veniret contrariũ probaturus; quid aut quantum efficeret? quibus Philosophis vi argumenti concluderet? quot Philosophorum vi argumenti ad hæresin suam peruerteret? Nullos puto, imò magis existimo, quòd ipsis seipsum ridiculum exhiberet, dicentibus, Hiccine Aristoteles ille magnus, ille antiquus, ille famosus? quomodo parua fallacia fallitur? quomodo sophismate puerili illuditur? quomodo filo tenui illigatur? et præstigio debili excæcatur? quomodo desipit, & insanit? Nonne ideo multi posteriores Philosophi tuas argutias deriserunt, & sectam tuam Peripateticam, & te simul eius Autorem vnanimiter contemserunt, nec se vocari Peripateticos, sed Academicos, imò Platonicos potius maluerunt? Vnde Augustinus 8. de Ciuit. Dei 12. Ideo inquit, Platonicos potissimum elegi, quoniam de vno Deo qui fecit Cœlum, & terram E
quanto melius senserunt, tanto cæteris gloriosiores, & illustriores habentur, in tantum alijs prælati iudicio posteriorem, vt cum Aristoteles Platonis discipulus vir excellentis ingenij, & eloquio Platoni quidem impar, sed multos facile superans sectam Peripateticam condidisset, quod deambulans disputare consueuerat, plurimosque discipulos præclara fama excellens, viuo adhuc præceptore in suam hæresim congregasset; post mortem verò Platonis Spensippus sororis eius filius, & Xenocrates dilectus eius discipulus, in scholam eius quæ Academia vocabatur, eidem successissent; atq; ab hoc & ipsi & eorum successores Academici appellarentur. Recentiores tamen Philosophi noblissimi, quibus Plato sectandus placuit, noluerunt

se dici

A se dici Peripateticos, aut Academicos, sed Platonicos, ex quibus sunt valdè nobilitati Græci, Plotinus, Iamblichus, Porphyrius. In vtraque autem lingua, id est, Græca, & Latina, Apuleius Afer extitit Platonicus nobilis. Nonne & Calcidius Platonicus in suo Commentario super Timæum Platonis, insultationes tuas in doctorem tuum Platonem reprimit, despicit, & deridet? vbi super partem secundam, de te & tuis fautoribus ita scribit; Hic suo quodam more, pleni perfectique dogmatis electo, quid visum sit, cætera fastidiosa incuria negligit. Et infra; His tam plene, tamque diligenter elaboratis scilicet à Platone, iuniores Philosophi, vt non optimi hæredes, paternum censum in frusta dissipantes, perfectamque atque vberem sententiam, in mutilas opiniunculas cæciderunt. Nonne & ille magnus Ptolomæus in secundo prolog. Almagesti allegat solenniter te, Aristoteles, & in quibusdam recte dictis te sequitur & commendat: In ista autem materia nequaquam te sequitur, sed planissime contradicit. Dicit enim, quòd scientia astrorum assimilat hominem Creatori suo: & addit; Nos autem laboB ramus vt aliqua ducentia in amorem scientiæ sempiternorum manentium, vsque ad terminum quem eorum conditor eis imposuit, in sequentibus huius libri nostri addamus. Qui & 3. Almagesti, 1. inquirens quantitatem anni solaris; Videmus, inquit, conueniens esse, vt simus contenti quantitate eius quod possibile est nobis addere, scilicet longitudinem temporis quod est inter consimilitudines, & considerationes anni, in reuolutionibus propinqui temporis. Inquisitio verò temporis totius, aut temporis elongati de longinquioribus temporibus considerationum per tempus longum multipliciter, dicimus, quòd non est ex amore scientiæ, nec ex amore veritatis, & quod est illud tempus totum, nisi totum tempus à creatione mundi elapsum? Quis enim totum tempus si ponatur æternum reuolueret inquirendo, aut inquireret reuoluendo? Albumazar quoque posterior Ptolomæo, non te, sed ipsum secutus 3. maioris Introductorij, differentia secunda sic ait; Sol per participationem planetarum ei, est causa temperamenti elementorum, & naturarum, & compositionis indiuiduorum elementorum, C per hoc quod posuit eis Creator omnipotens de fortitudine naturali. Sed quod diximus, hoc est, quemadmodum posuit igni combustionem per suam naturam, & similiter posuit luminare diurnum, id est, solem, causam luminis diei atque caloris vniuersalis qui est in hoc mundo: Et infra, si Sol ad circulum fixarum stellarum ascenderet, elementa, & similiter elementata destruerentur; si verò ad circulum Lunæ descenderet, simili modo destruerentur, eo quod in longitudine eius, vel proximitate fiat destructio Elementorum & Elementatorum. Hac igitur de causa posuit Deus altissimus Solem in medio septem Planetarum, vt fieret per motum eius naturalem super hunc mundum terrestrem, temperamentum Elementorum & Elementatorum. Et infra; Dicit Hippocrates Medicus in libro Aleceb. id est, hebdomadarum, quòd lumen stellarum reddit densitatem noctis subtiliorem, quia nox est valde densa, & nequit eam visus penetrare; sed claritas stellarum reddit ipsam densitatem subtilem, & sic penetrat eam oculus: Et si hoc non esset ita, omne corpus animatum destrueretur ab noctis denD sitate. Sol autem in die suo calere facit aërem, & reddit eum subtilem atque rarum. Propterea enim creauit Deus stellas mobiles atque lucentes, vt suo lumine aërem calfacerent, & eum subtilem redderent, eumque suis motibus facerent delicatum, id est, subtiliorem. Et infra lib. 5. differentia quinta, Quidam dicunt, quòd Planetæ sunt positi in domibus, & gradibus suarum exaltationum, ex quibus gradibus incœperunt moueri in initio suæ motionis. Quidam dicunt, quòd Planetæ incœperunt moueri ab initio Arietis, & sunt profecti super esse in quo sunt modò, & super hoc eos æquant; & secundum sententiam propriam, Factor, inquit, omnipotens, & altissimus fecit Planetas in initio suæ creationis, in gradibus suarum exaltationum, super esse & motum; post hoc noluit corrumpere, vel mutare motus eorum, ab eo quod fuerant. Et infra, eiusdem differentia septima; Cum fuerit primum minutum Arietis in medio cœli super lineam æqualitatis, erat primum minutum Cancri ascendens; ideoq; dixerunt Antiqui, quòd Cancer sit horoscopus mundi, & est dignum, vt sit horoscopus in initio increE menti mundi gradus in quo Iupiter in Cancro confortatur. Cùmque 15. gradus Cancri fuerit horoscopus mundi super lineam æqualitatis, erit 19. gradus Arietis in medio cœli; & cùm fuerit Sol fortior in 15. gradu Arietis, erit 19. gradus Arietis dignior exaltatione Solis. Et iam nouimus quòd nulla causa sit in circulo, quæ non sit bene & sapienter disposita, & quod ex scientia dispositionis est, vt sit Iupiter in mundi horoscopo. Et infra, libri sexti differentia vltima; Domini, inquit, dierum atque horarum à die dominico sumpserunt exordium, & hunc diem Planetæ diurno, id est, Soli sapientes concesserunt. Nam per ortum Solis, seu illius ascensionem mundus illuminatur, & per eius occasum seu descensionem tenebris offuscatur. Incœptum est igitur à Sole, & posuerunt eum dominum diei dominicæ, & horam illius diei primam sibi concessere. Porro incœptio eorum in diebus, est à die dominica,

quam Arabes vocant primam diem. Hoc fecerunt propter duas causas; vna, quia inceptio dierum mundi quibus vtuntur Autores Magisterij Astrorum, ex Persis & Indis, fuit ex die dominica; & Sol in initio ipsorum dierum ascendebat in primo minuto Arietis, in hemisphærio orientali, super locum terræ habitabilem, qui vocatur Alkankadar. Et ex eadem hora & die numerant medium cursum planetarum, & ex eadem hora & die numerant annos suos Antiqui. Longitudo autem Alkankadar à medio terræ est sex horarum, & ex Bebilalirac antiqua, quæ est vbi defluit Euphrates 108. gradus, qui sex horas æquales constituunt, & quintam vnius. Secunda verò est causa, quia omnes gentes secundum diuersitatem linguarum suarum, & dissimilitudinem sectarum suarum, nominauerunt diem dominicam ex nomine vnius qui est initium numeri, & diem illum sequentem ex nomine secundi numeri, qui est dies secunda, & similiter nominauerunt cæteros numeros dierum, secundum ordinem numerorum. Qui & 1. de Coniunctionibus differentia 1. dicit, quod à creatione ad noctem diei Veneris in qua fuit diluuium, fuerunt 2226. anni, vnus mensis, tres dies, & quatuor horæ. Ecce quanta fama, quam exquisitæ historiæ gentium perantiquæ opiniunculam tuam damnant. Nonne & tu ipse ab ipsa veritate coactus, quandoque videris contrarium affirmare? de Mundo namque 2. sic ais, Mundus dicitur omnis ordinatio & creatio à Deo, & per Deum conseruata; Et infrà 11. Restat dicendum summariè de causa omnium contentiua, quemadmodum & de alijs. Nefas enim de Mundo dicentes, quamuis non subtiliter actum, velut in figurali doctrina, prætermittere principium mundi. Antiquus quidem igitur sermo, & paternus est cunctis hominibus, quod à Deo omnia & per Deum consistant; vbi alia translatio ita habet: Antiquus sermo, & paternus est omnibus hominibus, quod ex Deo omnia, & per Deum omnia constiterunt. Et supra 10. ostendens quomodo Mundus constat ex rebus contrarijs, & permanet incorruptus, allegans Heraclitum, qui teste teipso 1. de Cælo & Mundo 102. posuit Mundum nouum, sic scribis: Idem autem huic erat, & quod ab obscuro dicebatur Heraclito; coniunxit in conuersa, & non conuersa, conueniens & differens, consonum & absonum, & ex omnibus vnum, & ex vno omnia. Et immediate subiungis, Sic igitur omnium constitutionem, cæli dico & terræ vndique totius permixtum maximè contrariorum principiorum vna decorauit harmonia. Vbi alia translatio, vna condidit harmonia; & subdis, Siccum humido, calidum frigido, nec non leui mixtum graue, & rectum circulato, totam terram & mare, ætherem atque solem & lunam, & totum cælum decorauit; vna alia translatio, Condidit vna quæ per omnia transit virtus ex immixtis & diuersis, ex aere scilicet & terra, igne & aqua, totum orbem creans & disponens vnius sphæræ superficie, ac maximè contrarias in eo naturas, cogens concordare ad inuicem, & ex his ingenians vniuerso salutem. Qui & in Secreto Secretorum trigesimæ partis 1. sic scribis, Scire debes, ô Alexander, quod sicut in plantis diuersæ sunt naturæ, diuersæque vires diuinitus inditæ, sic etiam in lapidibus. Et infrà 5. Est inquis, iustitia pertinens ad hominem in ratiocinio suiipsius, & in his quæ sunt inter se & creatorem suum: Et inferius sexto, Scias quod illud primum quod formauit Altissimus, Gloriosus, est simplex spiritualis substantia in fine perfectionis & complementi bonitatis, in qua sunt formæ rerum omnium, & vocatur Intelligentia, & deinde exiuit alia substantia minor gradu suo, quæ vocatur anima, & alia substantia quæ vocatur Hyle ante commensurationem, quæ extenditur in longitudinem & latitudinem, & profunditatem, in quo factum est corpus simpliciter; deinde corpus habens figuram nobilissimam, quæ superat omnes figuras, & est verior comparatiue & antiquior, & remansit in loco vno sphærarum & planetarum, id quod fuit purius ex eo, & quod fuit simplicius. Et adhuc inferius septimo; Scias quod Anima vniuersalis est vis spiritualis orta post intelligentiam voluntate diuina, & habet tres vires currentes in corporibus, sicut lumen Solis in partibus aeris; vna virium est intellectiua, secunda sensitiua, tertia est vegetatiua, quam illustrauit gloriosus Deus septem viribus, quæ sunt vis attractiua, retentitiua, digestiua, expulsiua, nutritiua, generatiua, informatiua. Adhuc autem & 8. Quando, inquis, creauit Deus altissimus hominem & fecit eum nobilissimum animalium, ei præcepit, prohibuit; punit, & remunerat eum; constituit corpus suum ciuitatem quandam, & eius intellectum Regem in ipsa. Quis insuper erat ille Adam, de quo supra, eodem feceras mentionem, sicut superius recitatur, nisi ille famosus Adam primus homo creatus à Deo in principio, quando & cætera creabantur. Nec quisquam obmurmuret illum famosum Aristotelem non scripsisse hunc librum: In libello namque de vita Aristotelis scribitur isto modo; Vt autem omnibus hominibus vniuersaliter benefaceret, scripsit Alexandro librum de Regno, docens ipsum qualiter oportet regnare; Philippus quoque translator illius libelli in prologo primo, dicit; Quem librum peritissimus Princeps Philosophorum, Aristoteles composuit ad

peti-

A petitionem Regis Alexandri discipuli sui; & alius quidam Doctor in prologo 2. sic ait, Dedi operam ad inquirendum librum qui nominatur Secretum Secretorum, quem edidit Princeps Philosophorum Aristoteles filius Nicomachi de Macedonia, discipulo suo magno Imperatori Alexandro, filio Philippi Regis Græcorum, & Ioannes translator in prolog. 3. Transtuli, inquit, librum peritissimi Aristotelis, primò de lingua Græca in Chaldæam, & de hac in Arabicam, in quo respondetur ad petitionem Regis Alexandri. Hoc idem insuper celebris fama tenet; nec obuiat stili planicies, aut diuersitas à stilo Aristotelis consueto: Regi namque multis de causis planè fuit scribendum; & fortassis translatio non de Græco, sed de Arabico in Latinum, facit sententiam planiorem, sicut & in quibusdã alijs libris suis, quod & posset contingere propter prudentiam translatoris, non verba semper, sed sensum potiùs transferentis; sicut hæc ambo ex prologo 1° patent. Nec textus iste aut stilus est planissimus omniquaque: Quis enim planè faciliterque exponit eiusdem tertiæ partis primum capitulum, de lapide Phi-

B losophorum non lapide, de diuisione ipsius in quatuor elementa, de præparatione, & reunione ipsorum, ac cætera verba abstrusissima ibi scripta? Nonne etiam moriturus illo vano appetitu antiquo apparentiæ, ostentationis, gloriæ, & honoris deposito, illam sententiam tuam antiquam de æternitate mundi, coram multis sapientibus correxeras sapienter, priorem errorem tuum pomposum humiliter confitendo, teste teipso in libello de morte tua conscripto, recitato superiùs circa 34am partem? Nonne & in eiusdem libelli septimo, dicis, quòd quando homo dominatur voluptatibus suis, horrendo oblectamenta corporis, & inquirit delicias animæ in addiscendo scientias Dei, qui creauit sua sapientia sæculum, & inuestigat vias suas, & intelligit secreta sua, tunc aperti sunt oculi animæ, & deliciantur multùm & delectantur delectatione dissimili delectationibus corporis. Et infra; Delectationes animæ sunt intelligere creatorem suum, considerare opera cœlorum, & sapientiam suam, cursusque sphærarum, & formas earum; & quod omnia formata & fundata sunt in sua sapientia, & in sua scientia.

C Et si non potest homo comprehendere huiusmodi magnos gradus, speculetur seipsum, & subtilitatem membrorum suorum, vnumquodque membrorum præstantium sibi motum, & trahentium corpus ad quietem & motum, & virtutes insitas in vnoquoque membro ad seruitium corporis, in quo nihil addibile vel mutabile est; & per hoc potest recognoscere creatorem suum in mente sua. Et infra 8°. dicis, quòd sapiens, qui perfecit animam suam inquirendo scientiam creatoris sui, qui de nihilo fecit ipsum ens, lætari debuit in morte. Et infra 12. recitaris dixisse; Est alia species hominum, quorum sensus & intellectus est paratus, & potens, & omnia vident in animis eorum. Et eorum sectæ duæ sunt; quorum primi dicunt sæculum non habere principium neque finem, neque aliquid esse sub Sole nouum, sed quòd generatio præterit, & generatio aduenit; terra autem in æternum stat, & nullum habet sustentatorem; & hi sunt qui negant radicem. Quare & consequenter sectam contrariam approbans, priorem tuam sententiam hanc eandem, vel similem retractasti, sicut superiùs dicebatur.

D Nec aliquis somniet hunc librum esse somniũ & figmentum: de transitu namq; minorum personarũ libelli scribuntur; & quare non est verisimile ad transitũ tanti & tam famosi Philosophi & Doctoris, alios Philosophos, præsertim Peripateticos, & suos discipulos, & etiã alios ob causas varias conuenisse, & memorabilia quæ ibi audierant & viderant conscripsisse, quod & fama celebris autorizat. Et si quis istam sententiam de creatione animæ ex libris Arist. communioribus, & famosioribꝰ audire desiderat; ecce 1. de Anima 65. Intellectus, inquit, videtur inferri substantia quædam existens, & non corrumpi: vbi translatio quam habet Auerroes, Intellectus, inquit, videtur esse substantia aliqua, quæ fit in re, & non corrumpitur. Huic & consonat illud 12. Metaphys. 18. superiùs recitatum, quòd videlicet anima Intellectiua non præcedit tempore indiuiduum cuius est, sed manet post ipsum. Patet igitur euidenter secundum Aristotelem istis locis, quòd hæc anima fit in supposito animato, & simul cum illo, & non educitur de potentia materiæ secundum eum, sicut aliæ formæ materiales, quia tunc es-

E set corruptibilis, sicut ille contra eundem. Quomodo ergo fit, & à quo, nisi per creationem à Deo, præsertim cùm secundum ipsius sententiam istis locis nunc proximo recitatam, non fiat earundem animarum reditio circularis? Ampliùs autem Prophetæ clarissimi clarissimè contestantur, mundum fuisse creatũ à Deo, & habuisse principium temporale: quantæ verò autoritatis existant, quantaq; fides ipsorum vaticinijs fuerit adhibenda ostensio 32æ partis ostendit.

Ex his omnibus potest cuilibet sobrio non proteruo rationabiliter apparere, mundum nedum habuisse principium temporale, verum & fuisse creatum ex nihilo. Ex qua namque materia fieret præcedente? qualis esset illa, simplex, vel composita; æterna vel noua? Quare & tu, Aristoteles, multum rationabiliter sæpe probas, Mundum non fuisse factum ex materia præiacente? Quid ergo consequentius consequentia naturali, quàm concesso, mundum

mundum

dum habuisse principium temporale, concedere ipsum fuisse creatum ex nihilo consequenter? Obijcitur forsitan à quibusdam quòd Chaldæorum sapientes, & vulgares, secundum doctrinam legis ipsorum, ante tempus Aristotelis, tenuerunt mundum esse verè æternum, sine principio, sine fine, sicut Auerroes super primo de Cœlo & Mundo Comment. 22. & 102. testari videtur. In primo quoque Prologo Timæ. Platonis quinto recitatur, vnum Sacerdotem Aegyptium irrisisse Solonem, de vna inundatione historiam recensentem, cum infinitæ præcesserint. Et infa eodem, recitatur Sacerdotem dixisse Soloni, quòd eadem Dea duas condidit ciuitates, vnam in Gręcia quę vocatur Athena, annis ferè mille ante, alteram in Aegypto quæ vocatur Sais, octo millibus annis ab eius conditione tunc lapsis, sicut sacrorum delubrorũ apicibus continetur. Et infra 6. De his, inquit, Sacerdos, maioribus vestris audies O Solon, qui ante nouem millia annorum vixerunt, quibus vsi sunt legibus: Ex quibus saltem videtur inferri, quòd mundus non incæpit tempore in nostris sacris apicibus designato, sed vel multum ante vel nunquam; quod sacros codices videtur arguere & falsare, & autoritatem eis adimere Prophetalem. Huic & consonat ille Sacerdos Aegyptius, in Epistola Alexandri ad Olympiadem matrem suam, asserens Alexandro imperium Persarum & Macedonum plus octo millibus annorum tunc temporis durauisse. Quidam verò sicut recitat Augustinus 18. de Ciuit. Dei. 41. dicunt, Ex quo Aegyptus rationem siderum comprehendit, amplius quam centum millia annorum numerari. Verum quantum conijcio ex lege, aut dictis veteribus veterum Chaldęorum, nequaquam senserunt mundum esse æternum: Nam quòd habuerunt Legem aut Prophetiam ante diluuium, nullus dicit. Quomodo namq; constaret, cum per diluuium omnia perierunt? Imò & Babel, & Babilon, vnde Babilonia, & qui Babilonij nuncupantur, à filijs Noe post diluuium fuerat condita & vocata, vbi & lingua Chaldaica erat similiter instituta, sicut historiæ certæ tradunt. Post diluuium quoque Noe, Sem, & Abraham, ipsos Babilonios, seu Chaldæos scientias docuerunt, sicut testantur præmissa circa 35. partem. Hi autem sciuerunt mundum & cœlum fuisse creatum à Deo; Quare & videtur quòd istud, non contrarium docuerunt, sicut & præmissa circa 35. partem testari videntur. Quapropter & videtur, quòd ipsi eorum discipuli istud similiter crediderunt, quod & aliunde magis apparet. Ab ipsis namque Babilonijs seu Chaldæis erat Philosophia ad Aegyptios deriuata, & ab his ad Græcos, sicut præmissa circa 35. partem, & aliæ plures historiæ contestantur; et omnes Græci Philosophi ante Aristotelem concorditer tenuerunt, Mundum temporaliter incæpisse, sicut superius recitatur; quare & videtur, quòd hi istam sententiam ab Aegyptijs, & illi à Babilonijs concorditer receperunt. Quomodo namq; si Philosophi Chaldæorum concorditer vel discorditer contrarium tenuissent, non simili modo discipuli eorum Aegyptij Doctores Græcorum? Quomodo ergo verisimile cuipiam, quod omnes Philosophi Græci vsque ad Aristotelem, concorditer tenuissent mundum habuisse principium temporale? quare & ipsemet Aristoteles confitetur, quòd omnes Antiqui conueniunt, quod Cœlum est generatum, sicut superius recitatur: Motiuum verò Auerrois, quod & ab Aristotele accipit, nullum debet mouere. Primi namque de Cœlo 22. & secundi 2° dicit, quòd Græci & alij primarum gentium conueniunt in hoc, quòd Cœlum est locus spirituum, & creatoris, & quòd hi sunt incorruptibiles, quare & locus eorum; quamobrem sicut Aristoteles, & Auerroes arguunt, & æternus. Sed quantum ad spiritus hoc non mouet: Nam sicut spiritus incæperunt temporaliter, ita cœlum, & sicut spiritus sunt incorruptibiles, ita cœlum. Quantum etiam ad creatorem amborum non mouet; Ipse enim non indiget vllo loco cælesti, nec alio qualicunque, sicut prima Suppositio, & quinta pars indicant manifestè. Imò è contra, Omnis locus, & omne locatum, & vniuersaliter omnis res alia, ipso indiget ad essendum, cum quidlibet aliud sit possibile esse & ipse solus necesse esse, sicut præcedentia docuerunt. Probant quoque prima Suppositio, & pars sexta, & Philosophi confitentur, quòd Deus est vbiq;: Quilibet ergo locus, & quælibet res locata est incorruptibilis & æterna per rationem vestram priorem. Verba insuper Antiquorum si stricte ponderentur, & propriè intelligantur, videntur sonare contrarium: Aristotele namque testante 2. de Cœlo 2. in translatione quam habet Auerroes, Omnes antiqui posuerunt Cœlum esse locum creatoris, qui apud ipsos est Deus: Deus ergo secundum ipsos, nedum est factor entium, sed creator. Nonnè & Aristoteles superius recitabatur testificans omnes antiquos dixisse cœlum esse generatum? quomodo ergo videntur ad contrarium allegandi? Ille verò Sacerdos Aegyptius affirmans Soloni infinitas inundationes tunc temporis præcessisse, vnde sumpsit sibi colorem & audaciam sic dicendi? Non ex ratiocinatione videtur: Nullam enim tetigit rationem, sed ad historias se conuertit. Sed vnde sibi talis historia? non ex visu, Constat; nec ex relatu; Relatus enim non efficit certam fidem sic esse, sed sic relatum fuisse; neque ex libris in eorum delubris conseruatis; quis

enim

A enim & quali audacia hoc potuit ſcribere confidenter? Nonnè & illa inundatio generalis ſub Noe, quæ ſummitates altiſſimorum montium Aegyptijs etiam propinquorum, quia in Babilonia poſitorum quindecem cubitis tranſcendebat; & Baſſan terram veſtram Aegypti attingens habitatores eius, delubra, ſimul & libros deſtruxit, ſicut ſanctiſſimæ, certiſſimæ, famoſiſsimæ hiſtoriæ noſtræ produnt, non ſolum autem hiſtoriæ Chriſtianorum, ſed etiam || *Indorum*, imo & Aegyptiorum, & ſimiliter Chaldæorum? Ioſephus namque 1. Antiquit. Iudaicæ, 2. poſtquam de iſto generali diluuio referebat, in teſtimonium fidei ſubdit ita. Huius vero diluuij & Arcæ memoriam faciunt omnes qui hiſtorias barbaricas conſcripſerunt; quorum vnus Beroſus Chaldæus narrans de diluuio, taliter eſt effatus: Dicitur autem & nauis eius, quæ in Armenia venit circa montem Cardi adhuc aliqua pars eſſe, & quoſdam bitumen exinde tollere, quo maximè homines ad expiationes vtuntur. Meminit autem horum & Hieronymus Aegyptius, qui antiquitatem Phænicíæ noſcitur conſcripſiſſe; ſed & Manaſſes Da- || Iudęorum

B maſcenus, in nonageſimo ſexto hiſtoriarum libro, ita de eis dicit; Eſt & ſuper Miniadam excelſus mons in Armenia, qui Baris appellatur, in quo multos confugientes ſermo eſt diluuij tempore liberatos, & quendam ſimul in Arca deuectum in montis Sooliæ veniſſe ſummitatem, lignorumque reliquias multo tempore conſeruatas. Fuit autem iſte quem etiam Moſes Iudæorum Legiſlator ſcripſit: Albumazar quoque veterum diuinorum inſtructus hiſtorijs, iſtud diluuium confitetur, ſicut ſuperius recitatur, quod & faciunt Aſtronomi alij habentes æram, radices, & tabulas à tempore diluuij inſtitutas. Nonne & Solon ille famoſus vnus de ſeptem Sapientibus in conuentu Sacerdotum, ſicut primus prologus Timæi Platonis recitat vbi prius, verba fecit de antiquiſsimis hiſtoricis Athenarum, Phoronæo, & Moba, poſtque inundationem mundi Pyrrha & Deucalione, proſequebaturque proſapiam reuocatæ gentis humanæ, vſque ad memoriam parentum, & annorum numerum recenſebat? Adhuc autem ſi Aegyptus eſſet æterna, & nunquam diluuijs aut incenſionibus vaſtaretur, vt dicit ſacerdos, cur non Philoſophia, & libri Philoſophici eſſent ibi æterni, & æternaliter conſeruati, ſicut hi-

C ſtorica cognitio, & libri hiſtorici conſeruantur ſecundum Sacerdotem priorem? quomodo ergo Aegyptij à Chaldæis & Abraham mathematicales ſcientias receperunt, ſicut ſuperius recitetur, & aliæ hiſtoriæ conteſtantur? Nonne & aliæ tradunt hiſtoriæ à quo & quando Aegyptij primò literas receperunt? quod conſtat factum fuiſſe multum poſt illud diluuium generale. Quid ergo ſibi fingit iſte vetus ſacerdos? Nonne & alij ſacerdotes Aegyptij natalem mundi concorditer profitentur, ſicut ſuperius recitatur? Verum eſt tamen quòd in diuerſis hiſtorijs multæ inundationes particulares fuiſſe leguntur, ſed vna tantummodo generalis, famoſiſsima illa Noe. Quod etiam de illa mirabili multitudine annorum, ab eodem ſacerdote vel altero fuerat allegatum, per hæc eadem conſtat certiſsimè falſum eſſe, ſi loquatur de annis ad modum loquendi communem: Conſtat enim per ſacras hiſtorias Iudæorum, Gentilium, & Chriſtianorum, etiam per Aſtronomicas tabulas, quòd à diluuio ad Alexandrum, imo & ad Chriſtum longè pauciores anni habentur. Veruntamen quia verecundum videtur & du-

D rum ipſorum hiſtorias omninò falſare, & penitùs reprobare; quædam annorum diuiſio eſt notanda: Quis enim neſciat, quòd duplex eſt annus; Solaris, & Lunaris: & Solaris, hic quidem Aegyptius, ſine quadrante, quo vtitur Ptolomæus in Almageſti; quem ſcripſit Alexandriæ in Aegypto; alius autem Romanus ſiue Latinus cum quadrante: Lunaris verò, hic quidem Arabicus continens 354. dies, & quintam & ſextam partem diei, quæ vndecim triceſimas diei faciunt; & in biſſextis excreſcet ex iſtis minutijs vna dies; & talibus annis vtitur Arzachel in canonibus, & tabulis ſuis Aſtronomicis. Alius autem hebraicus, ſeu hebræus, & iſte vlterius bipartitur: Alius enim non biſſextilis, ſeu non emboliſmalis; alius verò biſſextilis, ſeu emboliſmalis, qui per vnum menſem lunarem 29. dierum, & per vnum diem non biſſextilem, ſeu non emboliſmalem excedit. Et vterq; iſtorũ adhuc vlterius tripartitur; Non biſſextilis enim alius communis ſeu medius 354. dierum; alius ſuperfluus, ſeu abundans 355. dierum; alius diminutus 353. dierum. Biſſextilis quoque correſpondenter tripliciter ſeparatur,

E & his annis vtuntur Hebræi, & tota ſacra Scriptura in toto Vetere Teſtamento: Hi autem ſunt anni iſtis & multis retroactis temporibus communiter vſitati. Sed aduertendum vlterius vigilanter, quòd antiquioribus temporibus, quandò fuerant homines rudiores, quantitates annorum non erant tam ſubtiliter deprehenſæ; ſed quidam quandoque annis multum breuioribus vtebantur. Recitat enim Ouidius, tertio de Faſtis, & aliæ hiſtoriæ conteſtantur, quòd Antiqui Romani vſque ad tempus Numæ Pompilij, annum decem tantùm menſium habuerunt, eò quòd tantum temporis ſufficeret mulieri ad partum; alij verò priores adhuc annos habuerant breuiores. Vnde Solinus primo de Mirabilibus mundi, 2. ſic ait; Ante Auguſtum Cæſarem incerto modo annum computabant; qui apud

pud Aegyptios quatuor mensibus terminabatur; apud Arcadas, tribus, apud Carnanas, sex. A
Et adhuc eccine breuiores. Plinius enim 7°. Naturalis historiæ ita scribit: Annum alij æstate vnum determinabant, & alterum hyeme; Alij quadripartitis temporibus sicut Arcades, quorum anni fuere trimestres; quidam Lunæ senio vt Ægyptij, apud quos aliqui & singula millia annorum vixisse produntur. Ecce quod ætas Lunæ, scilicet mensis lunaris, aliquando pro anno apud Ægyptios habebatur; & erat Annus eorum, Annus, inquam, lunaris; & rationabiliter quoquomodo. Annus enim à circuitu nominatur, sicut significatio nominis manifestat, quod & testatur similiter Ptolomæus 3. Almagesti. Hac igitur forsitan ratione recessum Lunæ à Sole, & regressum, annum Aegyptij appellabant. Vnde Isidorus 5. Eth. 40. Lunaris, inquit, Annus est 30. dierum. Et adhuc fortasis Annus aliquando pro hebdomada sumebatur, eo quòd septem diebus diuersis completis semper ad primum circulariter redeatur. His igitur consideratis, quid mirum, si apud Aegyptios tam multa annorum millia numerantur? Ex his igitur omnibus sobriè consideratis, videtur mundum habuisse princi- B
pium temporale, quare & generationem hominum terminandam. Alioquin namque secundum præmissa per processum temporis infinitum excresceret immoderatus numerus animarum, & hominum ciuium supernorum, quod nullo modo videtur decere ciuitatem aut domum diuinam, sicut præhabita suadebant. Cur etiam hoc magis fieret in hominibus quam in Angelis, stellis, aut sphæris, sicut superius tangebatur? Nonne & secundum proximam partem huius omnes homines mortui resurgent ad vitam cum animabus & corporibus suis simul? Sed quando, nisi quando ille numerus animarum & hominum fuerit adimpletus, quem Deus in sapientia sua præstituit ad perfectionem domus & ciuitatis suæ celestis? Non enim resurrexerunt mortui communiter à principio mundi vsq; modo; neque singillatim resurgunt, sicut moriuntur, sicut experientia certa docet. Quando ergo resurgent? quid expectant nisi impletionem numeri supradicti. Hoc idem & per rationem sumptam ab Angelis suadetur. Angeli namque exhibent frequenter hominibus famulatum, in somnijs, in pro- C
phetijs, in bellis, aut in alijs necessitatibus suis quamplurimis nutu Dei: Vnde & Angeli, scilicet nuntij nominantur, sicut experientia crebra docet, quod & multi Philosophi, & multæ præclaræ historiæ contestantur, quod insuper omnes leges concorditer profitentur. Nonne & Hermes Pater Philosophorum, & Aristoteles eius filius dicunt idem? Nonne partis primæ Secreti secretorum Aristotelis 19°. scribitur isto modo: Nescis quod teste Hermogene duo sunt spiritus qui te custodiunt, quorum vnus ad dextram & alius ad sinistram custodientes, & scientes opera tua cuncta, & rescribentes creatori quicquid decreueris faciendum. Beatitudo verò perfecta huiusmodi ‖ *occupationes* extrinsecas non permittit. Distrahunt enim à perfectione vacationis & contemplationis Angelicæ circa Deum; & beatitudo ipsorum aliquando perficietur ad plenum, & non nisi generatione hominum terminata. In occupationibus quoque huiusmodi Angeli aliquo modo mutantur; mutatio autem beatitudini perfectę repugnat, sicut & bono perfecto. Perfectione namque adepta finaliter, cessat motus; Est D
enim via ad perfectionem, & potentia imperfecta ad actum perfectum, qui tali potentia melior esse constat. Dicit enim Philosopus 3. Phys. 15. Motus quidem actus quidam videtur esse, Imperfectus autem: causa autem est, quoniam imperfectum quod possibile, cuius est actus; Et 7. Eth. vlt. Non semper, inquit, nullum delectabile idem, propter non simplicem esse naturam nostram, sed esse aliquid & alterum, secundum quod corruptibilia. Quare si huius natura simplex sit, semper eadem actio delectabilissima erit, propter quod Deus semper vna & simplici gaudet delectatione. Non enim solum motus est operatio, sed & immobilitatis; Et delectatio magis in quiete est, quàm in motu: transmutatio autem omnium dulcissimum secundum Poetam propter maliciam quandam. Quemadmodum enim homo facile transmutabilis malus, & natura quæ indiget transmutatione; Non enim simplex neque epieikes. Quapropter & Pictagorici posuerunt quiescens in coordinatione boni, motum verò in coordinatione mali, sicut clarè demonstrat ipsorum descriptio prælibata, &c. sicut supra. E
Nonne & secundum Philosophos nullum innaturale aut violentum æternum? præsertim in his qui nunquam peccauerunt contra legem vel Autorem naturæ, vt talia velut pœnam mererentur æternaliter sustinere? Elementa constat esse in dispositione innaturali, & violenta quantum ad formas suas & loca; & quando accipient dispositionem plenariam naturalem, nisi generatione hominum & cæterorum animalium quæ sunt propter homines terminata? Generationem insuper hominum posse cessare 37ª. pars ostendit, quam & cessare debere rationes priores suadent, imò & probant euidentius, quàm sententia contraria posit probari, aut etiam suaderi, quod & Prophetæ clarissimi, & omnes leges, licet sectæ aliquæ discrepent, concorditer profitentur. Nonne ergo Mundus, seu status Mundi solitus finietur? Nonne & ex isto

‖ operationes

A ex isto videtur motum cęlestem cessare debere, sicut & cessationis eius possibilitas superius monstrabatur? Motus enim cœlestis videtur ordinari finaliter ad generationem, & conseruationem rerum inferiorum; & hæ omnes ad hominem, sicut imperfectiora ad perfectius, & instrumenta ad artificem finaliter ordinantur: Omnibus enim istis naturaliter præest homo, vtitur quoque ipsis; Vnde & tu ipse Aristoteles 2. Phys. 24. dicis; Vtimur propter nos omnibus quæ sunt, sumus enim quodammodo & nos finis. Quod autem Auerroes, & alij quidam putant motores cœlestes mouere propter generationem & conseruationem rerum inferiorum secundariè, sed primario & prima intentione propter perfectionem suiipsorum, non est omnino certissimum. Quomodo namque primus motor, qui secundum eos est Deus, motu, aut aliquo extrinseco ad sui perfectionem reputabitur indigere, contra quintam partem istius? Aut quomodo Intelligentiæ per tale quid extrinsecum, & non sufficienter per intrinseca sunt perfectæ, præsertim cùm nequaquam sic moueant ex necessitate naturæ, sicut nec B anima hominis corpus suum, cùm sunt naturaliter liberæ secundum contradictionem, sicut & patuit stante Sole, contrarieque remoto, sicut superius recitatur. Non enim hoc fuit per impedimentum contrarium Intelligentiæ voluntati; tunc enim fuisset misera non beata, sicut patet ex præmissis circa 8am partem istius; neque tunc fuit minus perfecta vel beata quàm priùs: Perfectio enim eius & beatitudo magis in suis intrinsecis & contemplatione diuina, quàm in aliquo huiusmodi extrinseco consistere reputanda. Puto igitur quòd prima intentio Intelligentiæ cuiuscunque sit placere Deo, & ideò quando videt Deum velle, quòd tunc moueat orbem, propter quamcunque causam voluerit, tunc mouet propter illam causam finaliter, sed finaliùs vt sic loquar & finalissimè propter Deum: Et quando videt ipsum velle quòd tunc non moueat, nec tunc mouet; Et in hoc, in hac videlicet contemplatione, & dilectione Dei perfecta, ac conformatione perfecta voluntatis Angelicæ cum diuina consistit principaliter perfectio Angelorum. Quare nec sunt magis perfectè mouentes exteriùs, quàm penitùs C quiescentes: Imo videtur quòd motus cœlestes sunt principaliter propter hominem magis quam propter perfectionem Angelorum, vel propter quamcunq; causam aliam citra Deum, propter quem & ad quem omnia principaliter & finaliter ordinantur. Quando namque vtilitas hominum requirebat, quòd Sol staret, aut motu retrogrado moueretur, & de Luna similiter, sic fiebat, sicut potest colligi ex præmissis circa 32am partem istius: Et quando vtilitas hominum exigit, quòd moueatur continuè & variè sic mouetur, sicut experientia communis & Philosophia testantur: Nec istud debet reputari mirabile vel absurdum, cùm hic inferiùs multa hominibus impendant obsequia, beneficia, & labores: Quare & non irrationabiliter æstimandum, quòd cessante generatione hominum, & motus cœlestis cessabit. Quod & iuxta tacta superiùs videtur per rationem sumptam ab Angelis posse non improbabiliter suaderi: Quis enim dubitat Angelos, sicut & homines esse, aut esse debere perfectè beatos? Beatitudo autem perfecta Angelorum, sicut & hominum, & cuiuslibet creaturæ rationalis consistit in D contemplatione Dei perfecta, sicut potest patere ex præmissis circa 23am partem istius; quod & Aristoteles & alij Philosophi confitentur. Quælibet autem creatura rationalis cùm sit virtutis finitæ, videtur posse Deum perfectius contemplari, integriùs perfrui, & pleniùs inhærere, quando ei soli plenariè tota vacat, tota intendit, & se totam totaliter ingerit, & infundit, quàm quando circa alia extrinseca occupatur, præsertim si huiusmodi alia non sint ad finem illum essentialissimè ordinata, sicut mouere corpora extera & extrinsecus operari, nequaquam ad beatitudinem seu fœlicitatem perfectam essentialissimè ordinantur: Hæc enim nullatenus in operatione extrinseca, aut actione transeunte, sicut nec extra beatum seu fœlicem consistit, sed in operatione seu potiùs actione intrinseca immanente, cùm beatitudo sit proprium & summum bonum beati, fœlicitasque fœlicis; quod & Aristoteles & cæteri Philosophi pariter contestantur: Experimur enim in nobis quòd occupati circa extrinseca minùs possumus contemplari, quod & Philosophi attestantur. Cur ergo non similiter de Ange- E lis suspicandum? imò cùm sint virtutis finitæ, necesse videtur sic esse; alioquin possent circa duas operationes extrinsecas, tres & quatuor & quotcunque se solitissimè & plenissimè occupare, & non minùs perfectè Deum beatificè contemplari. Videtur igitur quòd operatio & motio extrinseca corporum exteriorum aliquo modo diminuat summam & perfectam beatitudinem Angelorum; & quòd beatitudo eorum perfecta erit in quiete omnimoda non in motu. Quod & ex hoc verisimiliter multum apparet, quòd Angeli perfectiores quia superiores, & corpora superiora aut perfectiora mouentes paucioribus motibus illa mouent, & magis à motu recedunt, magisque ad immobilitatem & quietem accedunt. Beatitudo ergo Angelorum perfecta omnem huiusmodi occupationem, & motionem excludit, & perfectam vacationem, & quietem includit. Nondum ergo est beatitudo illorum summè perfecta, nec

vnquam

vnquam perficietur ad ſummum, donec mouere ceſſauerint, & extrinſecus occupari. Stabit igitur tandem cœlum: Et quando rationabilius ſtare putandum, quàm quando numerus animarum, hominumque ſanctorum, à diuina ſapientia præordinatus, fuerit adimpletus, & in cœleſti palatio collocatus, ſecundum ſententiam proximæ partis huius: vt ſic ciuitas illa cœleſtis, & glorioſiſsima domus Dei tota ſimul in manſionibus ſuis & ciuibus, Angelis & hominibus perficiatur feliciter, & beatificè compleatur, vt ſic omnes ſimul circa Principem ſuum Deum, quietè recumbant; & in eius & eorum delicioſiſſimo conuiuio ſempiterno, vt ſit ipſe plena, perfecta, & quieta eorum refectio, beatitudo, & felicitas cumulata ſecundum proximam partem huius? Perfectiſſimo inſuper corpori naturali tribuenda videtur perfectiſſima diſpoſitio corporalis; quies autem perfectior eſt quam motus, ſicut ſuperius eſt oſtenſum; quare & corpora naturalia locis naturalibus acquiſitis quieſcunt: Cœlum igitur cum fuerit ſummè perfectum, quieſcet. Ad quid etiam ceſſante generatione hominum moueretur? non propter perfectionem aliquam acquirendam, nec etiam conſeruandam; quam enim perfectionem mouendo ſibi acquireret, aut quam perfectionem poſſet deperdere quieſcendo; cum ſit inalterabile, & incorruptibile, tam ab intrinſeco, quàm extrinſecis vniuerſis? Adhuc autem iuxta tacta ſuperius, quando erit mundus inferior elementaris in diſpoſitione naturaliſſima, in figura, in locatione, in circumdatione elementorum ab inuicem ſphærica & æquali, ac diſpoſitionibus alijs, niſi motu cœli ceſſante? Ex his igitur omnibus non improbabiliter ſuaderi videtur, quod totus mundus ſuperior, & inferior, cœleſtis & elementaris, totuſq; numerus cœleſtium ciuium, Angelorum & hominum ſimul perficietur finaliter, & perfectè beatificabitur totus ſimul. Et fortaſſis tam cœlum quàm mundus inferior recipiet tunc à Deo qualitates & conditiones multipliciter meliores, quàm habeat in præſenti, ita forſitan quòd Elementa ſint peruia lumini, ſed inalterabilia & incorruptibilia ab inuicem, & à cœlo, ad modum Carbunculi, vel Saphyri, Chryſtalli, vel Smaragdi, quemadmodum & de corporibus beatorum ſuperius dicebatur. Nonnè decentiſsimum Deum decet perficere decentiſsmè opus ſuum, domum ſuam, templum ſuum, & ſuam cælicam ciuitatem? Neque apud Deum omnipotentiſſimum impoſſibile aut dificile aliquid reputandum, ſicut prima Suppoſitio, & partes præmiſſæ lucidè manifeſtant. Terra tamen fortaſſis in aliqua ſui parte, puta in Tartaro, violentiam vel innaturalitatem aliquam perpetuo patietur, ad punitionem malorum, qui contra Legem & Autorem naturæ violenter quodammodo & innaturaliter peccauerunt, vt ſic tam boni quàm mali congruis gradibus ordinentur; ſicque gloria beatorum iſta videntium per amplius pateat, placeat, & delectet. Nonnè & Ptolomæus ſuperius allegatus, planè teſtatur, quòd motus cœleſtes ceſſabunt? Quæ enim ſunt illa ſempiterna manentia vſque ad terminum quem eorum cõditor eis impoſuit, de quibus in libro Almageſti conſiderat, ſi non motus cœleſtes? Non enim putauit quòd cœlum aut cœleſtia corpora ſecundum ſuam ſubſtantiam corrumpentur, ſicut idem Prologus clarè docet. Nonnè & Albumazar 1. maioris Introductorij differentia 2ª vbi agit de aptatione temporum, ita ſcribit? Planetæ non corrumpuntur, neque recipiunt augmentum, nec diminutionem, neque defectum, neque detrimentum vſque ad tempus quod Deus voluerit; quod oportet intelligi de Planetis, non ſecundum eorum ſubſtantiam, ſed ſecundum eorum accidentia forſitan imperfecta, & motum. Qui & infra eiuſdem, differentia quinta, agens de prima ſecta ſic ait: Dixerunt vniuerſi Antiquorum Philoſophi, quod efficitur ex motibus Planetarum naturalibus atque durabilibus, effectus naturalis atque durabilis, qui fit vſque ad tempus quod Deus voluerit. Hermes quoque Mercurius triplex Triſmegiſtus de verbo æterno 26. Tunc, inquit, nec terra conſtabit, nec innauigabitur mare, nec cœlum aſtrorum curſibus, nec ſiderum curſus conſtabit in cœlo. Omnis vox diuina neceſſaria taciturnitate muteſcet, fructus terræ corrumpentur, nec fœcunda tellus erit, & aer ipſe mœſto corpore langueſcet. Hæc & talis ſenectus veniet mundi, irreligio, inordinatio, irrationabilitas bonorum omnium. Et ſequitur 27. conſequenter; Cum hæc cuncta contigerint O Aſclepî, tunc ille Dominus & Pater Deus omnipotens & vnus gubernator omnium, intuens in mores factaq; voluntaria, voluntate ſua, quæ eſt Dei benignitas, vitijs reſiſtens, & corruptelas omnium errorum reuocans, malignitatemq; omnem vel illuuione diluens, vel igne conſumens, vel morbis peſtilentibus vſq; per diuerſa loca diſperſis finiens; ad antiquam faciem mundum reuocabit, vt & mundus ipſe adorandus videatur atque mirandus; Et tanti operis effector, & reſtitutor Deus ab hominibus, qui tunc erant, frequentius laudum præconijs & benedictionibus celebretur. Hæc enim mundi genitura, cunctarum reformatio rerum bonarum, & naturæ ipſius ſanctiſsima, & religioſiſſima reſtitutio per coactum temporis curſum, quæ eſt & fuit ſine initio ſempiterna? voluntas etenim Dei caret initio, quæ eadem & ſi cui eſt ſempiterna. Quod autem dicit mundum ad antiquam faciem

A ciem reuocandum, potest intelligi de facie æterna quam æternaliter habuit in mente, & voluntate diuina, sicut & insinuant eius verba. Quare & consequenter 28. sic ait; Neque enim impensè vult aliquid qui est omnium plenissimus, sed ea vult quæ habet? Vult autem omnia bona, & habet omnia quæ vult; Omnia autem bona & cogitat & vult; hoc est autem Deus, eius imago mundus boni; quapropter & infra 38. distinguit mundum in mundum intelligibilem in Deo, & sensibilem in natura. Quem & sequitur doctus Plato, 1. Timæ. 2. Animal & mundum similiter distinguendo: Qui & infra eiusdem, 9. distinguit mundum in mundum archetypum & sensibilem; & archetypum dicit esse æternum, sensibilem verò temporaliter incœpisse, atque imaginem archetypi mundi esse. Adhuc autem & Prophetæ clarissimi istam sententiam diuinitùs prophetabant, & Sybilla similiter Prophetissa, sicut in ostensione 32. partis fuerat recitatum. Amplius autem omnes ponentes mundum non esse creatum ex nihilo, sed factum ex materia præcedente, per præcedentia reformantur. Omnes quoque dicentes mundum esse corrumpendum, habent & consequenter hoc dicere de Animabus, ho-
B minibusque beatis; quare & per partem proximam corriguntur. Ecce quot & quantos errores hæc vna Suppositio paruula arguit, & emendat: imo, vt puto, non est aliquis error possibilis circa Deum, circa essentialia Dei, qui huius Suppositionis virtute non possit viriliter destrui & elidi. Deus namque, sicut Suppositio ista monstrat, est, & habet quicquid melius est esse, & habere; & non est, nec habet, quicquid melius est non esse, nec habere. Error autem quilibet circa Deum, contra aliquod horum errat; quare & omnes errores huiusmodi & errantes, per ipsam possunt ad regulam dirigi, & reduci. Quanquam & multi errantes etiam commemorati superius possint reduci similiter aliis vijs multis, quos tamen supra non tetigi, gratia breuitatis, & vt huius aureæ suppositionis virtutem permaximam, saltem in minimo, declararem, licèt eius continentiæ infinitæ vix hauserim paruam stillam. Hanc igitur suppositionem veluti lapidem angularem Philosophorum, & Theologorum, virtuosissimum, pretiosissimum, speciosissimum, probatum, electum, & omniquaque perfectum in totius stru-
C cturæ supposui fundamento. Sunt tamen, vt puto, nonnulli, qui lapidem hunc probatum, vel saltem probationem illius, sicut & alias opusculi huius partes, satagent reprobare. Experientia namque didici crebriori, quòd sicut olim Iosepho referente Sadducæi aduersus doctores Philosophiæ suæ certare, & reniti || ***annumerauerant*** gloriosum: ita & nunc quamplures ||annuerat. quæ ab alijs sunt constructa, destruere, vel saltem apparere destruere moliuntur, gloriam cum Sadducæis, vt timeo, aucupando. Quid enim est gloria, nisi sicut Autores definiunt, frequens de aliquo fama cum laude: Quo vitio illi præ cæteris æstuant, qui nullum ædificium nec tugurium construxerunt, tantoque audacius aliena dilacerant, quanto proprijs, quia nullis, nulla pericula reformidant; vt sic saltem dum destruunt, seu potius oculis insipientium videntur destruere constructa ab alijs, & ipsimet nihil construunt destruendum, gloriosiores appareant constructoribus destructorum. Vtinam magister noster & Domine, vtinam tam ego, quàm alij Discipuli tui & serui, remota superbia excæcante, simplici mente quæramus, non apparen-
D tiam vacuæ vanitatis, sed existentiam solidæ veritatis; vt sic, te duce, illam mereamur veraciter inuenire, cognoscere, & tenere. Scio namque, Domine, te docente, quòd crebro superba, & inuida studia superborum negligis, despicis, & derides, infatuas, mutilas, & eclipsas; simplicia verò simplicium aspicis, diligis, & congaudes, visitas, illuminas, & consummas. His igitur quasi præludialiter prælibatis, ad causam Dei propositam, diuino semper comitante iuuamine, fiducialiter transeundum.

E

N CAP.

A

CAP. II.

Quòd Deus eſt omnium aliorum neceſſarius conſeruator: habet Corrollarium habens tres partes.

HActenus igitur in cauſa Dei contra diuerſos Hæreticos generali generaliter perorato, amodò in cauſa eius contra Pelagium ſpeciali ſummi ſemper aduocati patrocinante conſilio ſpecialiter poſtulandum. [1a. Ratio principalis.] Primò igitur oſtendatur, quod Deus ſit omnium entium neceſſarius conſeruator, neceſſarius, inquam, ex ſuppoſitione, rerum videlicet ſuppoſita entitate; Nihil enim per ſe poſsibile eſſe & non eſſe habet eſſe, niſi ab aliquo per ſe neceſſe eſſe, à quo ſemper dependeat in eſſendo; Sed quidlibet citra Deum eſt per ſe poſsibile eſſe, ſolus verò Deus per ſe neceſſe eſſe: Hoc autem totum apparet ex virtute & connexione cauſarum ex prima ſuppoſitione, & 17a. parte corollarij primi huius. Nam omne exiſtens determinatè ſubeſſe, quod non per ſe ſufficienter determinatur ad eſſe, per aliquid aliud determinatur ad eſſe: Omne autem exiſtens per ſe poſsibile eſſe, & non eſſe, eſt exiſtens huiuſmodi; ergo per aliud. Illud autem aliud vel eſt per ſe neceſſe eſſe, & habetur intentum; vel eſt per ſe poſsibile eſſe & non eſſe, & tunc per proximam rationem ſequitur ipſum per aliquid aliud determinari ad eſſe, & de illo alio fiat eadem inquiſitio diuiſiua, & cum per ſecundam Suppoſitionem in talibus alijs non ſit infinitus proceſſus, neceſſariò deuenietur ad aliquod per ſe neceſſe eſſe; per quod omne exiſtens per ſe poſsibile eſſe & non eſſe, determinatur ad eſſe; & hæc eſt ratio in virtute Auicennæ, & Algazelis, per quam hanc eandem concluſionem ſe reputant demonſtrare; Auicenna 1. Metaphyſ. & 8i. multis capitulis: Algazel 2. Metaphyſ. 12. dicto ſuo. Vnde Auicenna 8. Metaphyſ. 3. ita dicit; Cùm dicitur primum principium abſolutè, neceſſe eſt eſſe vnum: cùm autem dicitur cauſa prima materialis, & cauſa prima formalis, & cum his non eſt neceſſe eſſe vnam, quemadmodum hoc debet in neceſſe eſſe: Nulla enim earum eſt cauſa prima abſolutè; ſed neceſſe eſſe, principium etiam eſt iſtarum cauſarum primarum. Ex hoc igitur, & ex eo quod prædiximus manifeſtum eſt, quod neceſſe eſſe, vnum numero eſt, & patuit quod quicquid eſt aliud ab illo cùm conſideratur per ſe, eſt poſsibile in ſuo eſſe, & ideo eſt cauſatum, & bene innotuit, quod in cauſalitate ſine dubio peruenitur ad ipſum; Vnde quicquid eſt, excepto vno quod eſt ſibi ipſi vnum, & ente, quod eſt ſibi ipſi ens, eſt acquirens eſſe ab alio à ſe, per quod eſt ſibi eſſe, non per ſe: Et hæc eſt intentio de hoc, quod res eſt cauſata, ſcilicet recipiens eſſe ab alio à ſe, & habet priuationem quæ certificatur ei in ſua eſſentia abſolutè. Algazel quoque 2. Metaphyſ. vbi priùs, ſic ait, Quicquid eſt aliud à neceſſe eſſe, oportet vt perueniat ab || *illo*, & habeat eſſe ab illo; oſtenſum eſt enim, quod neceſſe eſſe, eſt tantum vnum; ergo omne aliud eſt poſsibile eſſe, & dependet ab illo neceſſe eſſe. Et infra eodem, Oſtenſum eſt quod vniuerſitas eſt || *poſsibilis*, & eget cauſa, & omnes cauſæ ex neceſsitate proueniunt à neceſſe eſſe, quod neceſſariò eſt vnum. Dicitur ergo quod hoc eſt primum principium Mundi. Quare & Hermes de verbo æterno 21. dicit, quod ſumma gubernatorum ſuperiorum & inferiorum ſummo illi Domino paret. Cuncta enim ex eo pendentia atque defluentia. Vnde & Boetius 3. de conſolatione Philoſophiæ proſa vlt. ita ſcribit; Hic eſt veluti quidam clauus atque gubernaculum, quo mundana machina ſtabilis atque incorrupta ſeruatur. Ariſtoteles etiam 12. Metaphyſ. 38. ſic dicit, Primum eſt neceſſarium, non contingens aliter, ſed ſimplex. Ex tali igitur principio dependet cælum & natura & 9. Metaphyſ. 17. Quæ ex neceſsitate ſunt, ipſa quidem prima ſunt; Nam ſi hæc non eſſent, nihil vtique eſſet. Et 8. Phyſ. 52. Oportet, inquit, eſſe aliquid primum mouens immobile, & non ſecundum accidens, ſi debet, ſicut diximus, in his quæ ſunt eſſe inceſſabilis quidam & immortalis motus, & manere quod eſt, id eſt, totum vniuerſum ipſum in ſeipſo, & in eodem. Principio enim manente neceſſario, neceſſe manere quod continuum eſt ad principium. Vnde dicitur Deum eſſe principium neceſſarium omnium tam eſſendi quàm mouendi. Iſtam verò Philoſophorum ſententiam non abſque debitis laudibus recitans Auguſtinus 8. de Ciuit. Dei 6. Viderunt, inquit, Philoſophi, quos cæteris non immeritò fama atque gloria prælatos videmus, omnem ſpeciem in re quacunque mutabili, quæ eſt, quicquid illud eſt quoquomodo,

[Margin: B, C, D, E; || eo; || poſsibile; *Boetius.*; *Ariſtoteles.*; *Auguſtinus.*]

A modò, & qualiſcunque natura eſt, non eſſe poſſe niſi ab illo qui verè eſt, quia incommutabiliter eſt. Et hanc eandem ſententiã diffusè proſequitur 2. de libero arbitrio 28. oſtendens quòd omnia mutabilia ad aliquod immutabile reducuntur, quo formantur, & innituntur continuè in eſſendo. Vnde & Philoſophus inde cauſa motus Animalium, qui eſt 12. de Animalibus, in noua tranſlatione 1. & 3. & quaſi per totum, vult quod omne motum innititur aliquo fixo in mouendo; & illud idem dicit Auguſtinus 8. ſuper Geneſim ad literam 13. manifeſtè. Vnde & Ammonius || Ermenus, in Recordatione in librum peri hermenias Ariſtotelis, ſuper vltimum primi dicit; Dij verè exiſtunt, & tranſmutationem neq; ſecundum intellectum eſt poſſibile ſuſcipere; præcedere quidem neceſſe quod penitus impermutabile eſt, id quod qualitercunque tranſmutatur, vt & maneat quod tranſmutatur. Quare in dijs habentibus rationem principij ad entia, præteritum & futurum conſiderari impoſsibile eſt. Fidelis inſuper Abraham qui [&] Amicus Dei meruit appellari, & perductionem omnium rerum à Deo, & conſeruationem productarum ab eo, fideliter atteſtatur, Ioſepho referente, ſicut circa 35am partem primi pleniùs recitatur. Nonne & Apoſtolus ad Hebræos 1. dicens quòd Deus locutus eſt nobis in filio per quem fecit & ſæcula, qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, &c. videtur tam factionem, quam conſeruationem omnium tribuere ipſi Deo. Quare & Chryſoſtomus iſtud exponendo, homilia 2a ſic ait; Ferens, inquit, omnia, hoc eſt gubernans; ſiquidem cadentia & ad nihilum tendentia continet. Non enim minus eſt continere mundum quam feciſſe; ſed ſi oportet aliquid audaciùs dicere, adhuc amplius eſt. Nam in faciendo quidem ex nullis exiſtentibus rerum eſſentiæ productæ ſunt; In continendo verò, ea quæ facta ſunt, ne ad nihilum redeant, continentur. Hic ergo dum reguntur, & ad inuicem ſibi repugnantia coaptantur, magnum & valde mirabile plurimæque virtutis indicium declaratur. Dicitque Auguſtinus in De diuinitatis Dei eſſentia, & de inuiſibilitate, atque incommutabilitate, 1° ſic de Deo; Proculdubio nullus eſt locus ab eius præſentia abſens: Super omnem quippe creaturam præſidet regendo, ſubtus eſt omnia ſuſtinendo atque portando, non pondere laboris, ſed infatigabili virtute; quoniam nulla creatura ab eo condita per ſe ſubſiſtere valet, niſi ab eo || *ſuſtinetur* qui eam creauit; extra omnia eſt, ſed non excluſus; intra omnia eſt, ſed non concluſus. Iſte autem libellus in quibuſdam codicibus intitulatur Ieronymo, ſed potiùs æſtimo quòd fuerit Auguſtini. Vnde & Gregorius 2. ſuper Ezechielem Gregorius homilia 5a. Ipſe eſt interior & exterior, inferior & ſuperior, regendo ſuperior, portando inferior, replendo interior, circumdando exterior; ſicque eſt intus vt extra ſit, ſic circundat, vt penetret, ſic præſidet vt portet, ſic portat vt præſideat. Quare & Anſelmus Monolog. 14. loquens de ſumma eſſentia; Liquet, inquit, quoniam ipſa eſt quæ cuncta alia portat, & ſuperat, claudit & penetrat. Huic autem dicto Apoſtoli concordat dictum Philoſophi, in de Mundo vlt. vbi oſtendit quòd Deus cùm ſit vnus, eſt tamen multinomius ſecundum multitudinem eorum quæ innouat, & quorum eſt cauſa; & dicit, quòd vocatur Iupiter, quare & non malè dicitur in Orphicis, Iupiter eſt fundum terræ, & cœli ſtelliferi, Iupiter radix Ponti. Nonne & hoc eſt quod docet Sapiens Sapient. 11. ſapienter, vbi loquens Deo ſic ait; Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti: Quomodo enim poſſet aliquid manere niſi tu voluiſſes, aut quod à te vocatum non eſſet conſeruaretur. Rurſus autem hoc idem per ſimilem rationem, iterum confirmatur. Quodlibet ſiquidem demonſtratum, vt Terra; vel eſt per ſe, vel per aliud & per accidens quodammodo: Si per accidens & per aliud, idem de illo alio eſt quærendum, & cum ſic non poſsit eſſe infinitus proceſſus propter Suppoſitionem 2am aliquid eſt per ſeipſum vnum & primum omnium, quod eſt Deus, per quod cætera ſunt quæcunque. Nec poteſt dici quòd Terra per ſe exiſtat, quia tunc ſemper neceſſario extitiſſet. Per ſe enim includit de omni, vt patet 1. poſter. 4. De omni verò, vt ibi accipitur, importat vniuerſalitatem temporis omniquaque, vt patet per Ariſtotelem ipſum definientem hoc modo; De omni quidem hoc dico, quod vtique eſt non in quodam quidem ſic, in quodam autem non, neque aliquando quidem ſic, aliquando autem non; ſed de omni & ſemper. Pro hac autem ratione eſt Auguſtinus in gloſſa ſuper illud ad Gal. 2. Ab his autem, qui videbantur eſſe aliquid, quales aliquando fuerunt, nihil mea intereſt, ſic dicens; Ipſi non ſunt aliquid, & ſi boni miniſtri Dei ſint; Chriſtus enim in illis eſt aliquid, non ipſi per ſe. Nam ſi ipſi per ſe eſſent aliquid, ſemper fuiſſent aliquid, ſed aliquando peccatores & idiotæ fuerunt. Hæc etiam ratio iam præmiſſa, & quòd per ſe temporis vniuerſalitatem includit, patet ſimiliter per Auguſtinum de immortalitate animæ 15. ſic dicentem; Hæc autem vis, & natura incorporea effectrix corporis vniuerſi, præſenti potentia tenet vniuerſum; Non enim fecit, atque diſceſsit, effectumque deſeruit. Ea quippe ſubſtantia, quæ corpus non eſt, nec, vt ita dicam, localiter mouetur, vt ab ea ſubſtantia, quæ locum obtinet, ſeparari

Marginalia: *Philoſophus.* *Auguſtinus.* *Ammonius.* ||Armenus. *Abraham.* B *Ioſephus.* *Apoſtolus.* *Chryſoſtomus.* *Auguſtinus.* C ||ſuſtentatur. *Gregorius.* *Anſelmus.* *Philoſophus.* D *Sapiens.* *2a Ratio principalis.* E *Auguſtinus.*

ſeparari queat; & illa effectoria vis vacare non poteſt, quin id, quod ab ea factum eſt, tueatur & ſpecie carere non ſinat, in quantumcunque eſt. Quod enim per ſe non eſt, ſi deſtituatur ab eo per quod eſt, profectò non erit. Et non poſſumus dicere id accepiſſe corpus cùm factum eſt, vt ſeipſo iam contentum eſſe poſſet, etiamſi à conditore deſereretur. Quanquam ſi ita eſt, magis id habet animus, quam corpori præſtare manifeſtum eſt, atque ita de proximo immortalis eſſe probatur, ſi poteſt eſſe per ſeipſum. Quicquid enim tale eſt, incorruptibile ſit neceſſe eſt, ac per hoc interire non poſſit, quia nihil ſe deſerit? ſed corporis mutabilitas in promptu eſt, quod ipſius vniuerſi corporis vniuerſus motus ſatis indicat. Vnde diligenter inſpicientibus, quantum talis natura inſpici poteſt, ordinata mutabilitate, id quod mutabile eſt, mutabile reperitur; quod autem per ſe eſt, nec motu quidem vllo habet opus, omni copia ſibi ſeipſo exiſtente, quia motus omnis ad aliud eſt, cuius indiget quod mouetur. Adeſt igitur ſpecies vniuerſo corpori meliore natura ſufficiente, atque obtinente quæ fecit; quare illa mutabilitas non adimit corpori corpus eſſe, ſed de ſpecie in ſpeciem tranſire facit motu ordinatiſsimo. Non enim quæpiam eius pars ad nihilum redigi ſinitur, cum totum capeſſat vis illa effectoria, nec laborante, nec deſide potentia, dans vt ſit omne quod per illam eſt in quantum eſt. Et cap. 16. ita ſcribit; Sed ſi quod nemini dubium, tunc eſt animus ſapientiſſimus, cum veritatem, quæ ſemper eodem modo eſt, ‖ *intimetur*, eique immobilis inhæret, diuino amore coniunctus, & ex illa omnia ſunt, quæ quoquomodo ſunt, ab ea eſſentia ſunt, quæ ſummè maximeque eſt; Aut ab illa eſt animus in quantum eſt, aut per ſeipſum eſt: Sed ſi per ſeipſum, quando ipſe ſibi cauſa exiſtendi eſt, & nunquam ſe deſerit, nunquam interit vt ſupra etiam diſputauimus. Nec poteſt quis dicere quòd Terra per ſe eſt, nec tamen hæc propoſitio eſt per ſe, Terra eſt, vt ſic obuiet rationi præmiſſæ: Nam ſecundum veritatem, & ſecundum Philoſophum in prædicamentis; In eo quòd res eſt vel non eſt, oratio vera vel falſa dicitur; Ergo ‖ *ex* eo quòd res eſt, vel non eſt ſic vel ſic, oratio dicitur ſic vera vel ſic falſa. Vnde & 1. peri hermenias vlt. ſimiliter orationes veræ ſunt quemadmodum & res. Adhuc autem & ſi quis aliquibus rationibus autoritatibuſuè innitens, omninò velit defendere aliqua citra Deum per ſe eſſe & manere; nullo tamen colore poteſt aſtruere, aliqua citra Deum eſſe per ſe æquè dignè, primè, ſummè, perfectè, & æqualiter ſicut Deum, ſicut Suppoſitiones & partes Corolarij primi monſtrant. Quinimò & ſi alia vtcunque dicantur eſſe per ſe, Deus tamen incomparabiliter magis, dignius, prius atque perfectius dicitur per ſe eſſe: et conſtat quòd omnium communicantium idem, nomen, illud cui nomen ‖ *matus* & dignius competit, eſt cauſa cæterorum, ſecundum quod communicant illud nomen: Per hoc enim probat Philoſophus 7. Metaphyſ. 3 quòd Subſtantia eſt cauſa eſſendi cuiuſlibet alterius prædicamenti. Vbi & textus quem Auerroes exponit, Ex hoc quòd ſubſtantia eſt dignior nomine entis quam cætera ſic concludit, Manfeſtum eſt igitur, quòd hæc eſt cauſa eſſentiæ cuiuſlibet iſtorum, & iſta ſunt propter illud. Super quod Auerroes Comment 3. ita dicit, Cum hoc ſit declaratum de ſubſtantijs, manifeſtum eſt quòd ſubſtantiæ ſunt cauſæ eſſentiæ accidentium, & accidentia non ſunt niſi propter ſubſtantias; et hoc eſt neceſſarium. Quoniam cum declaratum eſt, quòd hoc nomen ens, dicitur de decem prædicamentis, & dignius de ſubſtantijs, & eſt declaratum, quòd cum plura communicant in eodem nomine, & quoddam dignius quibuſdam, id quod eſt dignius iſto nomine eſt cauſa cæterorum & diſpoſitio cæterorum ad cauſalitatem, eſt ſicut diſpoſitio iſtorum in illo nomine. Ex iſtis igitur propoſitionibus concluditur, quòd ſubſtantia eſt cauſa cæterorum prædicamentorum: Quare & Philoſophus 2. Metaphyſ. 4. Vnumquodque verò ipſum maxime aliorum, ſecundum quod & alijs ineſt vniuocè, puta ignis, calidiſſimus. Etenim eſt cauſa alijs hic cauſans; quare & ‖ *verisſimum*, quod poſterioribus eſt cauſa vt ſint vera. Quapropter ſemper exiſtentium principia ſemper eſſe veriſſima neceſſe eſt; non enim quandoque vera, nec illis cauſa aliquid ita eſt vt ſint; ſed illa alijs: Quare vnumquodque ſicut ſe habet vt ſit, ita ad veritatem; vbi textus Commentatoris habet expreſſius iſto modo; Vnumquodque principiorum propriè eſt cauſa eorum ſecundum quæ ſunt aliæ res, quæ conueniunt in nomine & intentione? Vbi Auerroes, Cum declaratum eſt, quòd cauſa in quolibet genere entium eſt magis digna in eſſe, & in veritate, quam illa quorum eſt cauſa in illo genere, manifeſtum eſt quod ſi eſt hic prima cauſa omnium, vt declaratum eſt in ſcientia naturalium, illa eſt magis digna in eſſe & in veritate, quam omnia entia. Omnia enim entia non acquirunt eſſe & veritatem niſi ab iſta cauſa. Eſt igitur tantum ens per ſe, & verum per ſe, & omnia alia entia & vera per eſſe & veritatem illius. Vnde & Auguſtinus 7. Confeſſ. 15. Aſpexi aliqua, & vidi tibi debere quia ſunt: In te cuncta finita ſunt, non quaſi in loco, ſed quia tu es omni tenens manu & veritate; et omnia vera ſunt in quantum ſunt, nec quicquam eſt falſitas niſi cum putatur eſſe quod non eſt. Quibus concordat

Marginal notes: ‖ imitetur (at "intimetur"); ‖ in (at "ex"); ‖ magis dig. (at "matus"); *Philoſophus.*; *Auerroes.*; *Philoſophus.*; ‖ viciſſim (at "verisſimum"). Margin letters: A, B, C, D, E.

A concordat Auicenna 8. Metaphys. 6. dicens, necesse esse est veritas; veritas enim cuiusq; rei est proprietas sui esse, quod stabilitum est ei; ergo nihil est dignius esse veritatem, quam necesse esse. Iam autem dicitur veritas id, de cuius esse est sententia certa. Ergo nihil est dignius hac certitudine, quàm id de cuius esse est sententia certa; & cum sua certitudine semper est, & cum sua sempiternitate semper est per seipsum, & non per aliud à se: cæterarum verò rerum quidditates non merentur esse, prout sunt in seipsis, nec considerata relatione earum ad necesse esse, sed merentur priuationem; & ob hoc omnes res prout sunt in seipsis, sunt falsæ; sed propter ipsum est certitudo earum, & ob hoc omnis res perit, nisi secundum quod est versus faciem eius; & ideò dignius est, vt ipse sit necesse esse & veritas. Cui & concorditer Esaias 40. ita scribit; Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei. Vnde & Iob 23. Ipse enim solus est. Super quod Gregorius 16. Moral. 14. loquens de Angelis & hominibus, cœlo & terra, & alijs vniuersis; Sunt, inquit, hæc omnia,
B sed principaliter non sunt, quia in semetipsis minimè subsistunt; & nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt. Cuncta namque in illo subsistunt à quo creata sunt, nec ea, quæ viuunt, sibimetipsis vitam tribuunt; nec ea quæ mouentur, & non viuunt suis motibus ad motum ducuntur; sed ille cuncta mouet qui quædam viuificat, quædam verò viuificata in extrema essentia mirè ordinans seruat. Cuncta quippe ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursum ad nihilum tenderet, nisi eam Autor omnium regiminis manu teneret. Omnia itaque quæ creata sunt, per se nec subsistere præualent, nec moueri, sed in tantum subsistunt, in quantum vt esse debeant, acceperunt; in tantum mouentur, in quantum occulto instinctu disponuntur: Ecce enim peccator flagellandus est de rebus humanis. Arescit in || *ardoribus* eius terra, concutitur in naufragijs eius mare, ignescit in eius sudoribus aër, obtenebrescit contra eum in vndationibus cœlum, inardescunt in eius oppresionibus homines, mouentur in eius aduersitate & angelicæ virtutes. Nunquidnam hæc quæ inanimata, vel quæ viuentia diximus, suis instinctionibus, & non magis diuinis impulsionibus agitantur? Quicquid est igitur
C quod exterius sæuit, per hoc ille intuendus est, qui hoc interius disponit: in omni igitur causa solus ipse qui principaliter est, qui etiam ad Mosen dicit; Ego sum qui sum, sic dices filijs Israel, Qui est, misit me ad vos. Quare & Plato 2. Timæ. 3. inducit Deum sic alloquentem alios deos, scilicet Angelos isto modo; Dij, quorum opifex Paterque sum ego: Opera siquidem vos mea dissolubilia naturâ, mea tamen voluntate indissolubilia: Omne siquidem quod iunctum est, natura dissolubile est; at verò quod bonum ratione iunctum atque modulatum est, dissolui velle non est Dei. Quapropter quia facti generatique estis, immortales quidem nequaquam, nec omninò indissolubiles estis, nec tamen vnquam dissoluemini, nec mortis necessitatem subibitis, quia voluntas mea maior nexus & vegetatior ad æternitatis custodiam, quàm illi vitales nexus, ex quibus æternitas vestra coagmentata atq; composita est. Adhuc autem & cœlum firmissimum corporum nequaquam sibi sufficit per se esse. Dicit enim Auerroes de Substantia orbis tractatu 2. Debes scire, quòd corpus cœleste, quod est simplex, & in-
D transmutabile ab aliquo extrinseco, non indiget virtute mouente in loco semper tantum, sed etiam virtute largiente in se, & sua substantia permanentiam æternam. Quoniam etsi sit simplex, & non habens potentiam ad corruptionem, tamen est finitæ actionis necessariò, quia est finitarum dimensionum & determinatarum à superficie continente ipsum; & omne tale, cùm intellectus posuerit illud existens per se, absque eo quòd aliud largiatur ei permanentiam & æternitatem; necesse est vt ita sit de finitate permanentiæ suæ, sicut est de finitate suæ actionis; & ideo necesse est in intellectu potentiam hic esse largientem ipsi permanentiam æternam, quemadmodum largitur ei motum æternum. Vnde & Psal. 32. Verbo Domini Cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Si igitur secundum Augustinum, Platonem, & Auerroem, nec animus, nec Angelus, nec cœlum potest manere per se, sine conseruatione & sustentatione diuina, quid aliud poterit sic manere? Quapropter & Pater Philosophorum Hermes de Verbo æterno 38. Hic, inquit, sensibilis, qui dicitur, mundus receptaculum est
E omnium sensibilium specierum, qualitatum, vel corporum, quæ omnia sine Deo vegetari non possunt. Omnia enim Deus, & ab eo omnia, & eius omnia voluntati, quod totum est bonum, decens, prudens, & immutabile, & ipsi soli sensibile atque intelligibile, & sine hoc nec fuit aliquid, nec est, nec erit. Omnia enim ab ipso, & in ipso, & per ipsum, & multiformes qualitates, & magnæ quantitates, & omnes mensuræ excedentes magnitudines, & omniformes species, quas cùm intellexeris, ô Asclepî, gratias acturus es Deo. Cui & concordanter Apostolus ad Ro. 11. Ex ipso, inquit, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria: Quem & quasi exponens 24. definitionum totidem Philosophorum de Deo 22ª. sic ait, Deus est, ex quo est, quicquid est non partitione, per quem est non variatione, in quo est

Esaias. *Iob.* *Gregorius.*

|| laboribus, *aliàs* arboribus.

Hermes.

Apostolus. 24. *Philosophi.*

Augustinus non commixtione. Vnde & Augustinus 1. Confess. 1. loquens Deo, sic ait; Non omnino A
essem nisi esses in me, An potius non essem, nisi essem in te? ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia? etiam & sic, Domine, & sic. Qui & super illud Psalmi 113. Omnia quæcunque voluit, fecit; In quibus, inquit, est ipse tanquam indigentia continet, non ab eis tanquam indigens continetur. *Dionysius.* Dionysius insuper de diuinis nominibus 11. Timotheo interroganti quid sibi vult quod dicitur Deum per seipsum esse, nunquid quod Deus per seipsum sit vita, aut sapientia, aut aliud quicquam tale? respondet; Hoc autem dicimus non || esse " *est* paruum, sed rectum, & simplicem declarationem habet. Non enim essentiam quandam diuinam aut Angelicam esse dicimus per seipsam essendo, essendi, quæ sunt, omnium causam; Solummodo enim essendi omnia quæ sunt, causam; tantum enim existendi omnia quæ sunt, & ipsum esse superessentiale principium, & essentia, & causale, nec vitæ parentem aliam deitatem præter super diuinam omnium quæcunque viuunt, & editæ vitæ causam vitam nec colligentem dicendum principales existentium, & creatrices essentias, & substantias, quas B
quidem & Deos existentium, & creatores promptos confestim perfecerunt, quos verè & propriè dicendum, neque ipsi formauerunt, neque existentes, neque patres eorum, sed per seipsum esse, & per seipsam vitam deitatem dicimus principaliter quidem, & deiformiter & causaliter vnum omnium superprincipale & superessentiale principium & causam, participaliter autem editas ex Deo non participante prouidas virtutes, per seipsam viuificationem, (secundum aliam translationem essentificationem) & per seipsam deificationem, quas || essentia existentia propriè sibimet ipsis participant, & " *existentia*, & viuentia, & diuina, & sunt & dicuntur, & alia similiter proinde, & primarum ipsarum optimus substitutor dicitur esse deinde totarum earum, deinde particularum ipsarum, deinde totarum ipsarum participantium, deinde particulariter earum participantium. Et quid oportet de his dicere, quando quidem diuinorum nostrorum Magistrorum, & per seipsam bonitatis & diuinitatis substitutricem aiunt plusquam optimam, & plusquam diuinam per seipsam bonitatem & diuinitatem dicentes esse beneficam & deificam, ex Deo procedentem donationem, & per seipsam formam, per C
seipsam formificam fusionem, & totam formam & particularem formam, & vniuersaliter bona, & quæcunque alia, quæ secundum eundum dicta sunt & dicentur, modum declarantia, prouidentiam, & bonitatem participatas ab existentibus ex Deo non participante prouenientes. Et infra 5. Omnia, inquit, ad semetipsam bonitas conuertit, vt principaliter congregatrix est dispersorum, vt principalis & viuifica deitas, & omnia ipsam vt principium, vt continentiam, vt finem appetunt; & optimum est, vt eloquia aiunt, ex quo omnia subsistunt, & sunt, tanquam ex causa perfectissima adducta, & in quo omnia constituta sunt, tanquam in omnipotente consulto custodita & comprehensa, & in quod omnia conuertuntur, sicut in propriam singula summitatem, & illud concupiscunt omnia. Et infra, eodem; Simpliciter omne ὂν *on*, id est ens ex bono & optimo est, & in bonum & optimum conuertitur, & omnia quæcunque sunt et fiunt, per bonum & optimum sunt & fiunt, & ad hoc omnia videt, D
& ab ipso mouentur & continentur, et propter ipsum & per ipsum & in ipso omne principiũ exemplatiuum, consummatiuum, intellectuale, speciale, formale, & simpliciter omne principium, omnis continentia, omne summum, aut, vt comprehendens dicam, omnia quæ sunt, ex bono et optimo, et omnia quæ non sunt superessentialiter in bono & optimo; & est omnium principium & finis, superprincipale, & superfinale, quia ex ipso, & per ipsum, & in ipso, & in ipsum sunt omnia, vt ait sacer sermo. Per rationem quoque iam factam ostendit *Anselmus.* Anselmus Monolog. 3. & capitulis alijs consequenter, aliquod esse ens quod solum est per seipsum, & per hoc vnum cætera cuncta esse, & quod ipsum est vnicum non habens æquale nec maius, quoniam quicquid est per aliud minus est illo. Quare concludit, omnium entium summe & maximè ipsum esse, et post per eandem rationem ostendit ipsum omnia alia necessariò continuè sustinere. Vnde & capit. 13°. ita dicit: Constat ergo per summam naturam esse factum quicquid non est idem illi; Dubium autem non nisi irrationali menti esse potest, E
quod cuncta quæ facta sunt, eodem ipso sustinente vigent, & perseuerant esse quamdiu sunt, quo faciente de nihilo habent esse quod sunt. Simili namque per omnia ratione qua collectum est omnia quæ sunt, esse per vnum aliquid, vnum ipsum solũ esse per seipsum, & alia per illud: Simili, inquam, ratione potest probari, quia quæcunque vigent, per vnum aliquid vigent, "vnum illud solum viget per seipsum, & alia per aliud; quod quoniam aliter esse non potest, nisi vt ea quæ sunt facta vigeat per aliud, & illud à quo sunt facta vigeat per se ipsum, necesse est, vt sicut nihil factum est nisi per creatricem præsentem essentiam, ita nihil vigeat nisi per eiusdem seruatricem præsentiam. Et subdit capit 14. consequenter, quòd si ita est, imò quia ex necessitate sic est, consequitur vt vbi ipsa non est, nihil sit; vbique igitur est, & per omnia,

&

A & in omnibus. Et infra; Liquet quoniam ipſa eſt, quæ cuncta alia portat & ſuperat, claudit & penetrat. Si igitur hæc illis quæ ſuperiùs ſunt inuenta iungantur, eadem eſt quæ in omnibus eſt, & per omnia, & ex qua, & per quam, & in qua omnia. Ampliùs autem omne cauſatum cauſatur ab aliqua cauſa actualiter nunc cauſante, quod patet ex relatione mutua inter illa, & per Algaz. 1. Metaphyſ. & Auicen. 6. Metaphyſ. & 8. diffusè*: quilibet autem citra Deum eſt cauſatum, & ipſe ſolus incauſatus; quilibet ergo præter Deum aliquo modo cauſatur à Deo. Sed iſta cauſatio ſaltem illorum quæ non mouentur, neque nouiter producuntur, non niſi conſeruatio neceſſaria dici poteſt, quod & patet per prædictos Philoſophos dictis locis. Nec poteſt dici quòd Deus ||*ideo* dicitur nunc cauſare aliquod cauſatum, quia priùs cauſauit illud, vel cauſam quæ illud cauſauit; hoc enim repugnat Autoribus allegatis; & quia tunc Pater diceretur modò cauſare filium actualiter exiſtentem, imò & Pater mortuus filium nunc viuentem, quia cauſauit illum vel cauſam illius. Quare & Algazel. 1. Metaphyſ. vlt.

3. Ratio principalis.

|| non.

Algazel.

B oſtendit, quòd nullum poſsibile eſſe habet eſſe niſi per aliud quod eſt factor eius; quòd etiam Mundus etſi ſit æternus, poteſt dici factura Dei altiſsimi: & diſtinguens de factore ſubiungit; Factor autem intelligitur dupliciter: Primò qui extrahit factum de non eſſe, ad eſſe; ſecundò, vt ſit eſſe rei per illud, ſicut eſſe luminis eſt per ſolem, & videtur Sol factor luminis naturaliter. Quidam verò putabant, quòd cùm res haberet eſſe, non indiget factore, ſed quamuis iſte non ſit, tamen factum ſuum non deſinat eſſe; & fortaſsis præſument dicere, quòd quamuis ponatur Deum non eſſe, non ſequitur ex hoc mundum non eſſe, & conantur oſtendere hoc exemplo & ratione; Exemplo ſic, ſicut fabricatori domus mortuo, remanet ipſa domus; Ratione verò ſic, Quod non eſt, indiget datore eſſendi; ſed quod eſt, non ſic eget. Reſpondet ad exemplum, & dicit, quod fabricator non eſt cauſa domus niſi impropriè, ſed eſt cauſa motus partium domus dum mouetur ad formam domus; ſed inductâ formâ domus, & ceſſantibus motibus cauſalitas eius ceſſat. Imò ſecundum eundem ibidem forma fundamenti

C parietis, & partium cæterarum ſunt cauſæ domus. Ad rationem verò dicit, quòd illud quod iam habet eſſe non indiget datore, ſed conſeruatore, quod ſic probat: Omnis factura dependet à ſuo factore, & hoc non ſecundum ſuum non eſſe, quod habuit, ergo ſecundum ſuum eſſe; & addit, Igitur quod cœpit eſſe eget factore ſecundum ſuum eſſe tantum, quoniam ſecundum hunc modum eſt poſsibile eſſe. Et infra; Poſtquam autem non pendet factura ex factore, niſi in quantum habet eſſe, tunc quamdiu permanet in eſſe, indiget factore, & pendet ex eo ſecundum ſuum eſſe, & eſt propter ipſum, & cum ipſo in omnibus ſuis diſpoſitionibus, ſicut eſſe diei eſt propter ſolem, & cum ſole in omnibus ſuis diſpoſitionibus. Algazel autem in hac ratione, ſicut & in plurimis dictis ſuis ſequitur Auicennam, qui 6. Metaphyſ. 1. multum diffusè proſequitur eandem virtualiter rationem, vbi inter cætera ita dicit; Diuini Philoſophi non intelligunt peragentem principium motionis tantùm, ſicut intelligunt naturales, ſed principium eſſendi & datorem eius, ſicut eſt creator Mundi. Cauſa

D verò naturalis non acquirit eſſe rei, niſi per motionem aliquam ex modis motionum; ergo acquirens eſſe in naturalibus eſt principium motus. Et infra eodem, fortaſſe putabit aliquis, quòd agente & cauſa non eſt opus, niſi vt res habeat eſſe poſt non eſſe, ſed poſtquam res habuerit eſſe, ſi deſtruatur cauſa, erit tamen res ſufficiens in ſe. Igitur putabit, quòd res non indiget cauſa niſi ad incipiendum eſſe, ſed poſtquam incœperit & habuerit eſſe, iam non indigebit cauſa. Cauſæ igitur apud ſe erunt cauſæ fiendi tantùm, & priores eo quod fit, non ſimul cum eo. Iam igitur putauit falſum, ſicut tu noſti: Eſſe enim rei poſtquam res facta eſt, neceſſe eſt vt ſit vel neceſſe eſſe, vel non neceſſe eſſe; & oſtenſo diffusè, quòd non eſt neceſſe eſſe per ſe, ſed dependens à neceſſe eſſe per ſe, & in fine capituli ita dicit; Poſtquam patuit quòd eſſe quidditatis pendet ab aliquo, in quantum eſt *eſſe illi quidditati, non in quantum ipſum eſt eſſe poſt non eſſe, tunc illud eſſe ſecundum hunc modum cauſatum eſt, & interim dum durauerit, ſic erit cauſatum pendens ab alio. Iam igitur manifeſtum eſt, quòd cau-

* tunc.

E ſatum eget aliquo quod dat ſibi ipſum eſſe per ſe tantùm; ſed incœptio & alia huiuſmodi ſunt res quæ accidunt ei, & quòd cauſatum eget datore ſui eſſe ſemper & inceſſanter, quamdiu habuerit eſſe. Quibus & concorditer Hermes de Mundo & Cœlo 1. agendo de rerum principijs, explorans & inquirens quid ſit ſumma & prima cauſa, & quid eius effectus, ſic ait: Eſt igitur cauſa illa *tu yta olbz*, id eſt, fons habens ſeminarium vitæ,)–∞ quæ dicitur plenitudo ſcientiæ., bonum bonitatis diuinæ clementiæ quæ per omne mundi corpus in modum circuli collocata, & nunc extrinſecus, nunc intrinſecus poſita cuncta regit & componit, & ad procuranda & conſeruanda omnia ignita & ſphærica, perpetuare non deſinit agitationem, illic iungũtur in ſpecie indiuiduali ſingularitate conſcripta, quicquid hyle, quicquid mundus, quicquid mundi machina, quicquid tempus, quicquid in temporalibus parturiunt elementa. Illic

textus

textus operis, fatalis series, sæculorum dispositio, temporalium omnium meta summi digito A
dispositoris exarata, Illic nodus perpetuitatis. Mens itaque diuina nulla fatigatione officium deponit, sed seipsum & mundum, & omnia quæ intra eum sunt, perpetua, & infatigabili vtilitate, seu alias stabilitate sui sustentare non desinit. Hoc idem & veritas ipsa verissimè testatur, cum dicit, Pater meus vsque modo operatur, & ego operor Iohan. 5. quod intelligitur non de operatione, qua res tantummodò nouiter producuntur, sed de conseruatione necessaria productarum, sicut Auicenna & Algazel superius exponebant. Vnde Augustinus 4. super Genesin ad literam 14. tractans quomodo Deus die 7° ab omni opere requieuit, & quomodò tamen cum hoc, Pater vsque nunc continuè operatur, sic dicit; Potest || *intelligi* Deum requieuisse à condendis generibus creaturæ; deinceps autem vsque nunc & vltra operari eorundum generum administrationem, quæ tunc instituta sunt, non vt saltem die 7° potentia eius à cœli & terræ, omniumq; rerum quas condiderat, gubernatione cessaret; alioquin continuò dilaberentur. Creatoris namque potentia, & omnipotentis atque omnia tenentis virtus causa subsistendi est omni creaturæ, quæ si ab eis aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisque creatura concideret. Neque sicut structor ædium, cum fabricauerit, abscedit; atq; illo cessante atque abscedente stat opus eius; Ita Mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Dominus regimen sui subtraxerit. Proindè & quod Dominus ait, Pater meus vsque nunc operatur, continuationem quandam operis eius, qua vniuersam creaturam continet, atque administrat, ostendit, & quod scriptum est de sapientia eius, Pertingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, de qua || *itidem* scriptum est, quòd motus eius agilior, celeriorque sit omnibus motibus, satis apparet rectè intuentibus hunc ipsum incomparabilem & ineffabilem, & si posset intelligi, stabilem motum suum rebus eam præbere suauiter disponendis, quo vtique subtracto, si ab operatione cessauerit, eas continnò perituras; & illud quod ait Apostolus, cum Deum Atheniensibus prædicaret, In illo viuimus, & mouemur, & sumus, liquide cognitum, quantum humana mens valet, adiuuat hanc sententiam qua credimus & dicimus, Deum in his, quæ creauit, indesinenter operari. Neque enim tanquam substantia eius, sic in illo sumus, quemadmodum dictum est, quòd habeat vitam in semetipso; sed vtiq; cum aliud sumus quam ipse, non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur, & hoc est opus eius quod continet omnia, & quo eius sapientia pertingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, per quam dispositionem in illo viuimus & mouemur, & sumus. Vndè colligitur, quod si hoc opus suum rebus subtraxerit, nec viuemus, nec mouebimur, nec erimus. Claret ergo nec vno quidem die cessasse Deum ab opere regendi quæ creauit, ne motus suos naturales (quibus aguntur, atque vegetantur, vt omnium naturæ sint, & in eo quod sunt, pro suo quæcunque genere maneant) illico amitterent, & esse aliquid omninò desinerent, si eis subtraheretur motus sapientiæ Dei quo disponit omnia suauiter: et ab hoc loco 277. propositio sententiarum Prosperi est excerpta. Adhuc autem & Augustinus 9. super Genesin ad literam 23. dicit, quod si Deus subtrahat naturæ operationē intimam, qua eam substituit, & facit continuò, tanquam extincta nulla remanebit. Et infra 23. dicit, quòd formatio mulieris ex costa illo opere Dei facta est, quod non per Angelos, sed per semetipsum operatus est, et non demisit; sed ita continuantur opera, vt nec vllarum aliarum rerū, nec ipsorum Angelorum natura subsistat, si non operetur. Et super illud Psalmi 118. Manus tuæ fecerunt me, sic dicit, Si operatoria Dei potentia rebus subtrahatur, intereunt. Qui & 8. super Genesin ad literam. 19 de Natura & Gratia 26. in sententijs Prosperi 131. 285. sententiam similem huic docet. Anselmus quoque de casu diaboli 1. dicit, Quoniam non solum non est alia aliqua essentia nisi illo faciente, sed nec aliquatenus manere potest, quod facta est, nisi eodem ipso seruante. Cum ipse desinit seruare quod fecit, quod erat redit in non esse. Lumbardus etiam 1° sentent. dist. 37. recitat quosdam dicentes, Cuncta loca sunt Deo præsentia, & quæ in eis sunt, nec in eis aliquid operari cessat; Nam & ipsa loca, & quicquid in eis est, nisi ipse conseruet, manere non possunt. In eis ergo per substantiā Deus esse dicitur, quia per virtutem propriæ substantiæ suæ facit, vt etiam loca sint, & omnia quæ in eis sunt, & hanc istorum Sententiam approbat, & confirmat. Præterea nulla res habens causam formalem potest existere sine ipsa; sed Deus est omnium prima forma, sicut Suppositiones demonstrant, sicut etiam 2. Metaph. demonstratur; quoniam in causis formalibus non est infinitus processus, sed est omnium vna prima; hæc autem est Deus. Duodecimo quoque Metaph. quasi in principio patet idem; Vnde & Auerroes dicit ibi comment. 6. quod & prius dixerat Alexander, quòd Deus est omnium prima forma, primum efficiens, & similiter primus finis. Idem quoque Auerroes super de somno & vigilia dicit ita; Cùm ista indiuidua habent determinatum esse, necesse est, vt nulla eorum sit intellecta apud abstractam formam, cuius proportio ad illam

Marginalia: *Iohannes.* — *Augustinus.* — || dici — B — || idem — C — *Prosper.* *Augustinus.* — D — *Anselmus.* — *Lumbardus.* — E — 4. *Ratio principalis.* — *Auerroes.*

A Iam est, sicut proportio formæ artificij ad artificiatum. Ipsa enim est omnium artifex sap. 7°. *Sapient. 7.*
Hoc idem & Plotinus affirmat, de quo Augustinus 10. de Ciuit. Dei. 4. scribit ita; De proui- *Plotinus.*
dentia certè Plotinus Platonicus disputat, eamque à summo Deo, cuius est inintelligibilis at-
que ineffabilis pulchritudo vsque ad hæc terrena & ima pertingere flosculorum atque folio-
rum pulchritudine comprobat, quæ omnia quasi abiecta, & velocissimè pereuntia decentis-
simos formarum suarum numeros habere non posse confirmat, nisi inde formentur, vbi for-
ma intelligibilis & incommutabilis simul habens omnia perseuerat. Quapropter & Augusti- *Augustinus.*
nus de Verbo Domini, sermone 38. Verbum, inquit, Dei est forma quædam, forma non for-
mata, sed forma omnium formatorum sine loco superans omnia, eminens omnibus, & fun-
damentum quoddam in quo sunt, & fastigium sub quo sunt. Quia enim Deus sub illo sunt
omnia; verbum in se manens innouat omnia, ergo est forma omnium rerum, forma infabri-
cata sine tempore, sine spacijs locorum. Qui & 83. quæstionum 23. dicit, quòd ipsa similitu-
B do Patris filius dicitur, cuius participatione similia sunt quæcunque sunt, vel inter se, vel Deo
similia; & subdit; Ipsa est enim species prima, qua sunt, vt ita dicam, speciata, & forma qua
formata sunt omnia. Chrysostomus etiam super epistolam ad Hebræos homil. 2. dicit; Fi- *Chrysosto-*
lium esse characterem proprium primæ formæ: quod & testatur Dionysius de diuinis nomi- *mus.*
nibus 11°. superius allegatus. Sanctus etiam Ierotenus, Dionysio 2. de diuinis nominibus re- *Dionysius.*
citante, sic scribit; Omnium causa & repletiua Iesu diuinitas, partes vniuersitati consocians, *Ierotenus.*
saluans; & neque pars neque totum est, & totum & pars, vt omnem & partem & totum in se-
metipso coambiens, & supereminens, & excellens, perfecta quidem est in perfectis, vt ‖ *per* ‖perfecto
fectio principalis; imperfecta verò in imperfectis tanquam superfecta, & ante perfecta for-
ma formitans in informibus, tanquam forma principalis informis in ipsis formis, tanquam
superformis essentia totius essentiæ, [&] incontaminatas supergrediens, & superessentialiter
omni essentia remota tota principia & ordiens, destinans, & in omni principio & ordine su-
C percollocata, & mensura est eorum quæ sunt. Quorum non ignobilis imitator Robertus Lin-
colniensis Episcopus in quadam Epistola directa Magistro Adæ Rufo quærenti; An Deus es-
set prima forma omnium, ostendit, quòd Deus est forma omnium, & etiam prima forma.
Et primo supposito, quòd sit forma, probat quòd sit necessariò prima forma, quia ante ipsum
nihil; Ipse enim est primus & nouissimus; deinde probat quòd sit forma per autoritates, & si-
militer rationes. Primam autoritatem allegat ab Augustino 1. De libero arbitrio; & ita est,
non connumerato; Vnde malum, scilicet primo libro, sed illo connumerato, sicut ipsemet
Augustinus 1. Retract. 9. connumerat, est 2. de libero arbitrio 28. dicit igitur Augustinus; *Augustinus*
Si quicquid mutabile aspexeris vel sensu corporis, vel animi consideratione capere non potes,
nisi aliqua numerorum forma teneatur, qua detracta in nihilum recedat necesse est; Noli du-
bitare, vbi ista mutabilia non intercipiantur, sed dimensis motibus, & distincta varietate for-
marum, quasi quosdam versus temporum peragant, esse aliquam formam æternam & incom-
D mutabilem, quæ neque contineatur, & quasi diffundatur locis, neque protendatur atque va-
rietur temporibus, per quam cuncta ista formari valeant, & pro suo genere implere, atque a-
gere locorum atque temporum numeros. Omnis autem res mutabilis etiam formabilis sit ne-
cesse est; sicut & mutabile dicimus, quod mutari potest, ita formabile quod formari potest ap-
pellauerim. Nulla autem res formare seipsam potest, quia nulla res potest dare sibi quod non
habet; & vtique vt habeat formam, formatur aliquid. Quapropter quælibet res si quam ha-
bet formam, non ei opus est accipere quod habet; si quam verò formam non habet, non po-
test à se accipere quod non habet; nulla ergo res, vt diximus, formare seipsam potest. Con-
ficitur itaque vt corpus & animus, cùm sint mutabilia, forma quadam incommutabili & sem-
per manente formentur, cui formæ dictum est; Mutabis ea & mutabuntur, tu autem idem ip-
se es, & anni tui non deficient: annos sine defectu pro æternitate posuit prophetica locutio:
De hac item forma dictum est, quòd in se manēns innouat omnia. Hinc etiam comprehen-
E ditur omnia prouidentia gubernari: Si enim omnia quæ sunt, forma penitus subtracta nulla
erunt, forma ipsa incommutabilis, per quam mutabilia cuncta subsistunt, vt formarum sua-
rum numeris impleantur, & agantur; Ipsa est eorum prouidentia: non enim ista essent, si il-
la non esset, & hæc videtur ratio Auicennæ & Algazelis tacta superius, qua per ens possibile
inuenerunt vnum necesse esse. Ad hoc etiam allegat Augustinus 13. de Confess. talem ser- *Augustinus.*
monem dirigentem ad Patrem; quid te promeruerunt spiritualis, corporalisque natura quas fe-
cisti, vt inde penderent etiam inchoata, atq; ita penderēt in tuo verbo informata, nisi per idem
verbum reuocarentur ad vnitatem tuam, & formarentur, & essent ab vno te summo bono, v-
niuersa bona valde? Et sequitur, quid te promeruit inchoatio creaturæ spiritualis, vt saltem te-
nebrosa fluitaret similis abysso, tui dissimilis, nisi per verbum tuum conuerteretur ad id à quo
facta

|| sunt facta || *est* atque ab eo illuminata lux fieret, quamuis non æqualiter, tamen conformis formæ A
æquali tibi. Iterumque adducit eundem 2. de Confess. sic loquentem ad Patrem; Stabo atque solidabor in te in forma mea, vita tua. Post hæc per quatuor rationes ostendit, quod Deus sit forma ad seipsum, deinde manifestat quomodo Deus est forma creaturarum, & vult quod forma in creaturis inueniatur quadrupliciter; Primò, sicut altera pars compositi, ex qua et materia componitur ipsum totum, & sic Deus non est forma creaturarum; Secundò, dicitur forma, ad cuius similitudinem quid formatur, sicut pes ligneus dicitur forma soleæ, quæ secundum illum formatur; Tertiò, dicitur forma illud per applicationem, ad quod materia ad eius similitudinem figuratur, sicque sigillum est forma ceræ, & argilla statuæ fusilis; Quartò, similitudo in || *animo* artificis, ad quam respiciens operatur, dicitur forma scilicet talis artificiati, nec multum distat à forma secundi modi, et subdit; Imaginare itaque in mente Architecti formam domus fabricandæ ad quam solummodo respicit, vt ad eius imitationem domum faciat, & imaginare cum hoc per impossibile ipsius voluntatem ita potentem, B
quod se sola applicet materiam formandam in domum; & imaginare cum his quod materia domus esset fluida, nec posset permanere in forma recepta in se, si separaretur à forma in mente Architecti, sicut aqua figurata sigillo argenteo, separato sigillo, statim amitteret figuram receptam. Imaginare itaque voluntatem artificis applicantem materiam domus ad formam in mente sua, non solùm vt sic formetur in domum, sed quamdiu domus manet in esse domus, vt formata in esse seruetur. Eo itaque modo quo forma huiusmodi in mente Architecti esset forma domus, est ars siue sapientia, siue verbum omnipotentis Dei, forma omnium creaturarum; Ipsa enim simul est exemplar efficiens, formans, & in forma data conseruans. Et infra dicit æternam Dei sapientiam sic esse formam omnium, velut si imagineris figuram sigilli argentei esse vitam & intelligentiam, intelligentem se volentemque figurare ad sui imitationem & similitudinem magis minusuè expressam ceram fluidam, non potentem per se permanere in aliqua figuratione recepta, ipsaque hac sola voluntate informem & fluidam ceram C
ad se moueret, sibique applicaret, & sic || *suam similitudinem aliquantam* imprimeret, & || *impressam* seruaret; sic æterna Patris sapientia est forma omnium. Hæc Robertus Lincolniensis Grosse teste, sed subtilis ingenij & acuti. Hoc idem expresse testatur Aristoteles in De Mundo 11. ita dicens, Nulla natura sibi per se sufficit priuata salute, quæ ex eo, scilicet Deo. Quamobrem & quidam Antiquorum moti sunt ad dicendum quod hæc omnia plena sunt Dijs. Vnde & Virgilius in Bucolicis ecloga 3ª. *A Ioue principium, Musæ, Iouis omnia plena.* & Ieremiæ 23. Cælum & terram ego implebo, seu aliter impleo, ait Dominus; & sequitur in De mundo, vt virtus, quæ residet in Cælo & plurimum distantibus, de vno loquendo, (in alia translatione, in vno dicere) omnibus fiat causa salutifera, iste est omnipotens sermo suus, qui de Cęlo à regalibus sedibus venit sapient 18. qui sanat omnia, supra 16. Vnde & Apostolus ad Hebræos 1. portans omnia verbo virtutis suæ. Nonne & ista de causa, Hermes dicit Deum esse quodammodo omnia, & nominibus omnium nominari, sicut Autoritas eius de Verbo D
æterno 38. allegata superius partim docet? Nonne & supra, eiusdem 31. dicit, quod Pater omnium vel Dominus, & is qui solus est omnia, omnibus se libenter ostendit? & supra 22. inquirens nomen Dei sic ait; Non spero totius maiestatis effectorem, omniumque rerum Patrem vel Dominum, vno posse quamuis è multis composito, nuncupari nomine, hunc verò in nomine, vel potius || *omnium* nomine; si quidem is sit vnus & omnia, vt sit necesse aut omnia eius nomine, aut ipsum omnium nominibus nuncupari. Cui & concordanter Philosophus in de Mundo vltimo agens de diuinis nominibus, ita scribit; Cumque sit vnus, multinomius est, nominatus ab omnibus passionibus quas innouat ipse, & hoc extenso quasi per singula inductiuè, in fine dicit, quod nuncupatur Saluator & Eleutherius (in alia translatione liberator) & in summa loquendo, cælestis & terrestris appellandum à qualibet natura, & fortuna, velut ens ipse omnium causa; propter quod non malè dicitur in Orphicis, Iupiter fundum terræ & cæli, Iupiter radix ponti, Iupiter sol & luna, Iupiter rex, Iupiter princeps omnium. E
Quare & Lucanus, *Iupiter est quodcunque vides.*— An fortè & hoc est quod Deus sciscitanti Moysi nomen eius, velatè respondit, Ego sum qui sum, sic dices filijs Israël, Qui est, misit me ad vos. Exod. 3. quasi velit innuere se esse seipsum simpliciter per seipsum, & se etiam esse quodammodo totum ens, essentificando videlicet alia vniuersa. Quare & Dionysius de diuinis nominibus 1. ostendens summam vnitatem & diuinitatem esse innominatam, & tamen nominibus omnium nominatam, sic ait Scientes Theologi tanquam innominabilem eam laudant, & ex omni nomine innominabilem, & cùm aiunt Diuinitatem ipsam in vna mysticarũ symbolicæ diuinæ manifestationis visionũ increpasse dicentẽ quod nomen tui? & sicut ab omni eum denominatiua scientia reducens, dicere, vt quid interrogas nomen meum?

Marginalia: || anima. || sua similitudine aliquanta. || impressa. *Aristoteles.* *Virgilius.* *Ieremias.* *Philosophus.* *Hermes.* || omni. *Philosophus.* *Lucanus.* *Exodus.*

A meum?& hoc eſt mirabile,aut nonne hoc verè eſt mirabile nomen quod eſt ſuper omne nomẽ quod innominabile eſt? Multiuocã verò, vt cùm eam iterum introducũt dicentem, Ego ſum *on* (id eſt,ens) vita,lux, Deus, veritas,& cùm ipſi omnium cauſalem Theoſophi multiuocè ex omnibus cauſatiuis laudant, vt optimum, vt exiſtentem, vt ſæculorum cauſalem,vt vitæ largitorem, vt virtutem, vt Dominum dominorum, vt Regem regnantium, vt Antiquum dierum, vt non ſeneſcentem, vt immutabilem, vt ſalutem. Atqui & in animis eum eſſe aiunt, & in animabus, & in corporibus,& in cœlo, & in terra,& ſimul in eodem, eundem immundanum, circa mundanum, ſuper mundanum, ſuper cœleſtem, ſuper eſſentialem, ſolem, ſtellam, ignem, aquam, ſpiritum, roris nebulam, per ſeipſum lapidem & petram, omnia quæ ſunt,& nihil horum quæ ſunt. Sic igitur omnium cauſæ & ſupereminenti & innominabili adunabunt, & omnia, eorum quæ ſunt, nomina, vt diligenter ſit vniuerſorum regnum, & circa ea quæ ſunt omnia,& ab ea vt cauſa, vt principio, vt fine dependentia. Ecce hic innuit euidenter
B Deum eſſe triplicem cauſam rerum,formalem, efficientem,finalem: Et ſequitur,& ipſa ſecundum eloquium ſit omnia in omnibus; & verè laudatur omnium ſubſtantia inchoatiua, & conſummatiua, & continens. Vbi Gloſſa Omnia, inquit, quæ ſunt, eſt Deus, eò quod ex ipſo ſunt omnia; nihil eorum quæ ſunt, quia creatus non eſt. Et infra 5. Optimi diuina nominatio totas omnium cauſales proceſsiones manifeſtans,& in exiſtentia & non exiſtentia extenditur, & ſupra exiſtentia, & ſuper non exiſtentia eſt; vbi Gloſſa, Proceſsionem autem dicit diuinam operationem per quam omnia ad effectum procedunt. Deus inſuper apud Hermetem de Verbo æterno 22.& 31.Pater omnium nominatur; Pater autem teſte Papia in Elementario ſuo Græcum eſt, id eſt, genitor dictus à *pantater* græco quod eſt omnia ſeruans: Quare & Hermes, ſicut ſuperiùs tangitur, dicit de Deo, quòd eſt Pater omnium vel Dominus omnium,vel is qui ſolus eſt omnia, omnia ſcilicet eſſentificans producendo, & ſimiliter conſeruando, ſicut cauſa efficiens omnium & formalis. Hanc eandem ſententiam videtur Hermes docere de Verbo æterno 1. vbi loquens de plenitudine omnium bonorum, quaſi ſe corrigen-
C do ſubiungit; ſi tamen multa ſunt bona,& non vnum in quo ſunt omnia: alterum enim alterius conſentaneum eſſe dignoſcitur, omnia vnius eſſe, aut vnum eſſe omnia; Ita enim ſibi eſſe vtrumque connexum, vt ſeparari alterum ab vtroque non poſsit. Cui & Ariſtoteles concordanter in De mundo 12. per exemplum elegans idem confirmat, Ferunt, inquiens, ſculptorem Phidiam Mineruam (in alia tranſlatione, Palladem) in medio cuiuſdam ſcuti inſiguraſſe, & impreſsiſſe ſuam faciem, & connexuiſſe ſtatuæ quodã occulto artificio, vt neceſſariò ſi quis velit eam auferre, totam ſtatuam diſsiparet, & confringeret. Talem gerit rationem Deus ad Mundum, continens omnium harmoniam & ſalutem. Vnde & Auicenna 8. Metaphyſ.6. Omnes res perit,niſi ſecundum quod eſt verſus faciem eius, & ideo dignius eſt, vt ipſe ſit neceſſe eſſe, & veritas, & intentio pura: Quibus & conſentit 103. Pſalmus, dicens; Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate; auertente autem te faciem turbabuntur; auferes ſpiritum eorum & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur, in nihilum ſcilicet redi-
D gentur. Annon & iſta de cauſa quidam poſuerunt Deum Animam mundi eſſe? quanquam Plato 1. Timæ. 2.& 6. videatur aſtruere, Animam mundi eſſe productam à Deo, & in medio Mundi ſitam. Vnde & Themiſtius recitante Auerroe ſuper 12. Metaphyſ.comment. 19. loquens de Animalibus ex putredine generatis, & de induſtria & intentione naturæ, ſic ait: Non eſt mirum, quamuis natura non intelligente aliquid de huiuſmodi, & tamen facit hoc inducendo aliquam intentionem,& hoc ‖ *demonſtrat*, quod aliquid rememorat ipſam de cauſis nobilibus, vt anima quæ eſt in terra, de qua Plato dicit, quod ‖ *ſit* ex dijs ſecundis. Sed iſtud dictum Themiſtij reprobat Auerroes conſequenter, & dicit quòd animalia talia generantur ex calore cœleſti debitè menſurato: Et ſubdit, Et iſta menſura prouenit ab arte diuina intellectuali, quæ eſt ſimilis vni formæ vnius artis principalis, ſub qua ſunt artes plures. Secundum hoc igitur eſt intelligendum, quòd natura facit aliquid perfectè & ordinatè, quamuis non intelligat, quaſi eſſet rememorata ex virtutibus agentibus nobilioribus eis quæ dicuntur intelli-
E gentiæ; & ideo dicitur quòd omnes proportiones & formæ, quæ ſunt in potentia in prima materia, ſunt in actu in primo motore, & aſsimilantur aliquo modo eſſe eius quod fit in anima Artificis. Annon & Auicen.4. de anima 4. dicit, quòd eſt vna anima communis Cœli & Mundi, cuius operatio eſt ad naturam totius? Hæc autem anima ſecundum quoſdam eſt Deus; ſecundum quoſdam verò nata, ſeu producta à Deo; quorum ſententiæ non repugnant ad inuicem, neque Catholicæ veritati. Hæc enim Anima poteſt intelligi ratio, ſeu voluntas, verbum, ſeu velle Dei, qua ſeu quo efficit res & ſeruat, quæ nequaquam à Deo eſſentialiter differunt, ſed ſunt Deus per vigeſimam ſextam partem corollarij primi huius. Vnde & Ariſtoteles in De Mundo 11. dicit, quòd Deus in vno dicere, ſeu loquendo ſit omnibus cauſa

Marginal notes: *Gloſſa.* *Dionyſius.* *Gloſſa.* *Hermes.* *Papias.* *Ariſtoteles.* *Themiſtius.* *Auerroes.* ‖ deiurant. ‖ *fit.* *Auerroes.* *Auicenna.* *Ariſtoteles.*

causa salutis, sicut superius recitatur. Et infra 14. tractans, quomodo Deus producit res, A
sic ait, Emisit ex almo corde operans cogitata; in alia translatione ex magno animo. Cui & Hermes concordans de Mundo, & Cœlo 1. docet, quòd tria sunt rerum principia, Causa scilicet, Ratio, & Natura. Per causam verò intelligit primam causam simpliciter penitus non causatam, scilicet Deum Patrem, qui primò causat rationem procedentem ab eo, scilicet ‖ *filium* & per ipsum vniuersam naturam. Quod etiam Pater causet filium & sit causa eius æterna, Augustinus & Chrysostomus attestantur; Quare & Hermes vbi prius, Ratio, inquit, ex causa, & ex vtroque natura; Et infra, ratio est vis quædam à causa procedens, à principio cuncta ordinans; vbi & accipit ista tria, Ratio, *Nous*, & mens diuina indifferenter, & quasi synonomè pro eodem. Dicit enim quòd *Nous*, de qua natura qualitates naturales rebus inserens qualificans dicitur; Et infra dicit, quòd mens diuina sine vlla fatigatione mundum & omnia quæ intra eum sunt non desinit sustentare, sicut superius plenius recitatur. Vndè & Papias in Elementario suo ait, *Nous* voluntas Dei, vel mens quæ prouidentia B
dicitur. Est autem intelligibilis essentia æmulæ bonitatis, propter indefessam ad summum Deum conuersionem, *Noun* id est verbum Dei continens originales rerum species. Nonnè & huic sententiæ consonat illud Platonicum, quod Augustinus 7. Confess. 9. in libris Platonicis de Græco in Latinum translatis, recitat se legisse, licet non sub his verbis, tamen hoc idem omnino. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est, In ipso vita erat. Et quis Catholicus nesciat hoc esse initium sancti Euangelij secundum Iohannem, eisdem sententijs atq; verbis? quare & Augustinus 10. de Ciuit. Dei 29. Pudet, inquit, doctos homines, ex discipulis Platonis fieri discipulos Christi, qui piscatorem suo spiritu docuit sapere ac dicere, In principio erat verbum, &c. superius recitata; & subdit, Quod initium sancti Euangelij, cui nomen est secundum Iohannem; Quidam Platonicus, sicut à sancto Simpliciano, qui postea Mediolanensi Ecclesiæ præsedit Episcopus, solebamus C
audire, aureis literis conscribendum, & per omnes Ecclesias in locis eminentissimis proponendum esse dicebat: sed ideo viluit superbis Deus ille magister, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Verum quia causa rationalis per solam rationem non agit sine concomitantia voluntatis, ijdem Philosophi studiosius meditantes, Deo causæ primæ, seu Deo Patri & rationi eius menti seu verbo voluntatem insuper adiunxerunt; voluntas autem teste Augustino 15. de Trinit. 20. secundum quandam appropriationem Spiritui Sancto dignoscitur pertinere. Vnde idem Hermes de verbo æterno 22. loquens de Deo Patre omnium ita dicit; Hic solus vt omnia vtraq; sexus fœcunditate plenissimus, semper voluntatis prægnans suæ, parit semper quicquid voluerit procreare: Voluntas eius est bonitas omnis: Hæc eadem bonitas omnium rerum est ex diuinitate eius nata. Et infra 23. Ego inquit, & sensum, & naturam & mundum dico continere in se naturam, & nata omnia conseruare: Procreatione enim vterque plenus est sexus, & eius vtriusq; connexio, aut quod est verius, vnitas compre- D
hensibilis est; quem siue Cupidinem, siue Venerem, siue vtrumque rectè poteris nuncupare. Hoc igitur omni vero verius, manifestiusq; mente percipito, quòd ex illo totius naturæ Deo hoc sit cunctis in æternum procreandi inuentum, tributumq; ministerium, cui summa Charitas, lætitiæ hilaritas, cupiditas, amorque diuinus innatus est. Charitas autem cupiditas, atq; amor sunt propriè voluntatis, quæ & teste Augustino 15. de Trin. 17. & 20. Spiritui Sancto quodammodò propriè tribuuntur. Quare & Plato 1. Timæ. 1. voluntatem, inquit, Dei originem esse omnium rerum certissimam si quis ponat, rectè eum putare consentiam. Hanc autem voluntatem diuinam Spiritui Sancto aptam, & idem Hermes videtur quandoq; Spiritum nominare. De verbo namq; æterno 15. De his, inquit, huc vsque tractatur; de Spiritu verò & his similibus hinc sumatur exordium. Fuit Deus & hyle quem Græcè credimus mundum, mundo comitabatur Spiritus, vel inerat mundo Spiritus, sed non similiter vt Deo, nec Deo de quibus mundus idcircò non erant, quandò non erant, sed in eo iam tunc erant, vnde nasci ha- E
buerunt. *Pan* autem vel mundi natura est Spiritus, quamuis nata videatur, à principio tamen in se nascendi, procreandiq; vim possidet, atque naturam fœcunditatis. Etenim initium in qualitate naturæ est, quæ & conceptus, & partus in se possidet vim atque materiam. Hæc itaq; sine alieno conceptu est solo generabilis. Et infra 18. Spiritu ministrantur omnia & vegetantur in mundo, qui quasi organum vel machina summi Dei voluntati subiectus est. Spiritu agitantur, siue gubernantur omnes in mundo species, vnaquæq; secundum suam naturam sibi à Deo distributam. *Pan* autem mundus est receptaculum, omniumq; agitatio, atq; frequentatio, quorum Deus gubernator, dispensans omnibus, quantum rebus mundanis vnicuiq; necessarium: Spiritu verò implet omnia, vt cuiusq; naturæ qualitas est. Nonne & hoc est, quod sapiens

Marginalia: ‖ finitum; νοῦς; *Papias.*; νοῦς; νοῦν; *Augustinus.*; *Augustinus.* *Hermes.*; *Plato.*; πᾶν

A piens protestatur, Spiritus, inquiens, Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia Sap. 1. Adhuc autem & idem Hermes de verbo æterno 28. Dei, inquit, natura consilium est voluntatis, bonitas summa, voluntas consilio nascitur, & ea vult quæ habet; vult autem omnia bona, & habet omnia quæ vult; omnia autem bona & cogitat & vult, hoc autem est Deus; eius imago mundus boni. Nonnè & sententiam istam fulcit illa prima 24. definitionum totidem Philosophorum de Deo, Deus est monas, monadem gignens, se vnum reflectens ad ardorem; & septima, quæ sic ait, Deus est principium sine principio, processus sine variatione, finis sine fine? Istam quoque sententiam & Porphyrius Philosophus, Platonis non Christi discipulus planius attestatur, quem alloquens Augustinus. 10. de Ciuit. Dei. 29. sic ait, Prædicas Patrem & eius filium, quem vocas paternum Intellectum seu mentem, & horum medium quem putamus te dicere spiritum sanctum, & more vestro appellas tres Deos; & supra. 28. disserens cum eodem, Ignorantiam, inquit, & propter eam multa vitia per nullas teletas purgari dicis, sed per solum *patricum noun*, id B est paternam mentem, siuè intellectum, qui paternæ est conscius voluntatis; hunc autem Christum esse non credis. Hic autem nous, mens, ratio, voluntas diuina, seu spiritus videtur non incongruè appellari Anima mundi & vita. Vndè & Hermes de Verbo æterno. 2. Licet ‖ *Omnium* multiformi imaginum æqualitate variata, & infinitate qualitatum, ex interuallo species esse noscantur, adunatæ tamen ad hoc, vt totum vnum, ex vno omnia esse videantur; Totus itaque quibus est formatus Mundus vnus, Anima vna, & Deus vnus. Et infrà vlt: O vitæ vera vita, ô nostrarum omnium fæcunda prægnatio; cognouimus te totius naturæ tuo conceptu plenissimè, cognouimus te æterna perseueratio. Cui & concordanter Philosophus in De Mundo vlt. agens de diuinis Nominibus, Vocamus, inquit, eum Iouem, & Zena, vtentes parallelè Nominibus, Zena dicentes à ζῆν græco quod est viuere, quasi diceremus, per quem viuimus, Iupiter spiritus omnium, Iupiter indefessi ignis motus. Refert etiam Iosephus. 12. Antiquit. Iudaicæ 2. quòd Aristæus Græcus dixit Ptolomeo Philadelpho Regi Aegypti, Cog- C noui Iudæos factorem omnium Deum colere, quem nos Zena, id est, Iouem nominamus, quòd omnibus indulget ζῆν, id est, viuere. Huic & consonat Albricius de origine Deorum, siuè in Poetario suo, dicens Deum vocari Vitunetum, quià vitam præstat; Sentinum, quià sensum, sicut circa 21. partem corollarij primi huius pleniùs allegatur. Vndè & Seruius ille vetus nec ignobilis commentator, super illud Bucol. Virgilij ecloga. 3ª. ----*Iouis omnia plena*; allegat simile à Lucano dicente, *Iupiter est quodcunque vides, quocunque moueris*;
& addit quod alibi idem dicit;

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem:

Cuius causam reddit ibi Seruius, ita dicens, Ipse enim est spiritus sine quo nihil mouetur aut regitur. Quibus & concorditer Ouidius de Fastis lib. 6° sic dicit;

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
D *Impetus hic sacræ semina mentis habet.*

Nonnè & hoc est quod Apostolus disputans cum Athenïensibus de Deo, allegat à Poetis & docet, cùm ait, In ipso viuimus, mouemur, & sumus, sicut & quidam vestrorum Poetarum dixerunt Act. 17. Nullus igitur quæso mihi succenseat, si allegem quandoque licet rarissimè aliquos Poetarum, ex quo constat sanctum Dei Apostolum hoc fecisse, sicque beatus Ieronymus epistola. 58. ad Magnum Senatorem vrbis Romæ obijcientem Ieronymo, quòd candorem Ecclesiæ sordibus pollueret Ethnicorum, eò quòd scriptis suis inseruit carmina Poetarum, per Apostolum se excusat dicens, quoniàm & Poetas Apostolus allegauit, dicitque quòd ille quem allegat hoc loco, fuit Aratus Grcæus Poeta. Arator quoque subdiaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ lib. 2° super Actus Apostolorum, metrificans istum locum, sic ait:

Sacrilegæ nouitatis Amor! vos cernimus Aram
Ignoto posuisse Deo, qui condidit Astra,
E *Qui pelagus, terrasque dedit, quem vita parentem*
Vt moueamur, habet, cuius spiramus ab igne,
Cuius imago sumus, de quo cecinere Poetæ,
Hinc hominum constare genus; quem prædico, cuncta
Sanxit ab ore suo.

Istam quoque sententiam roborat Augustinus, tractans istam Autoritatem Apostoli. 4. super Genesin. 14. superiùs recitatus. Vndè & Dionysius de diuinis Nominibus. 6. Laudanda est, inquit, laudabilis vita æterna, ex qua per seipsam vita, & omnis vita, & à qua in omnia vtcunque vitam participantia viuere propriè vnicuique exseminatur. Igitur & immortalium Angelorum

Sapiens. *Hermes.* *Porphyrius.* *Augustinus.* πατρικὸν νοῦν *Hermes.* ‖ omni. *Philosophus.* *Albricius.* *Seruius.* *Lucanus.* *Ouidius.* *Apostolus.* *Arator.* *Augustinus.* *Dionysius.*

gelorum vita & immortalitas, & imperdibile ipsum Angelicæ semper motionis ex ipsa,& per ipsam est,vt subsistit; Idcircò & viuentes semper, & immortales dicuntur, & non immortales iterùm,quià non à seipsis habent immortaliter esse, & æternaliter viuere,sed ex viuifica & totius vitæ factrice,& continuatrice causa; & sicut in onte,id est,in ente dicimus,quià & eiusdem esse est causalis; sic & ibi iterum, quià & per seipsam vitæ est diuina vita vitalis & substantialis & omnis vita,& vitalis motus ex ipsa vita, quæ est super omnem vitam, &omne principium totius vitæ : ex ipsa & Animæ imperdibile habent, & Animalia omnia & germina secundum nouissimam consonantiam animæ habent viuere; qua ablata iuxta eloquium deficit vita omnis, & ad terram & deficientia, ad participandum eam infirmitate iterum conuersa, iterum Animalia fiunt, & donatur quidem primò, & per seipsam vitæ esse vitam, & omni vitæ, & ab ea per singula esse propriè, singula æstimatur natura subsistere. Qui adhuc supra 1. dicit quòd Deus est omnium causa & principium, & essentia, & vita; Et infra, eodem, loquens de Deo sic scribit; Optima traditio & simpliciter dicendum viuen- B

5ª. Ratio principalis. tium vita & eorum quæ sunt essentia, omnis vitæ & essentiæ principium, & causa, per suam vt sint quæ sunt,actiuam & continentem bonitatem; hoc à diuinis eloquijs didicimus, & omnem sic dicere sacram Theologorum hymnologiam inuenies. Amplius autem omnia essentialiter participantia aliquo necessario, egent eo: Sed omnia entia citra primum non sunt essentialiter & purè simpliciter per seipsa secundum quod participant primo ente, quod est purè essentialiter per seipsum; Hoc autem totum apparet ex habitudine principiorum & principiatorum, causarum & causatorum, per se et per aliud entium,magis & minus entium; quod & quamplures Autores Philosophici, & Theologici creberrimè contestantur. Hoc enim quasi quædam regula generalis solet tam à Logicis quàm à Philosophis obseruari, quod nullus nescit considerans scripta veterum diligenter. Supponunt enim creberrimè quod omne quod dicitur aliquale, vel dicitur tale per essentiam, & tunc est vnicum, vel secundum participationem; & quotcunque participantia fuerint, participatum ab omnibus erit vnum; C
quam etiam regulam Theologi amplectuntur. Vnde venerabilis Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus Monolog. 1. ostendens quod sit aliquod primum & omnium summum bonum, sic dicit; Certissimum quidem & omnibus est volentibus aduertere perspicuum, quia quæcunque dicuntur aliquid, ita vt ad inuicem magis vel minus, aut æqualiter dicantur, per aliquid dicuntur quod non aliud & aliud, sed idem intelligitur in diuersis, siue in illis æqualiter, siue inæqualiter consideretur: Nam quæcunque iusta dicuntur ad inuicem,siue pariter, siue magis vel minus, non possunt intelligi iusta nisi per iustitiam, quæ non est aliud & aliud in diuersis. Et idem dicit de omnibus bonis diuersis, quod sunt bona per aliquod vnum bonum existens idem in diuersis, & quod ipsum solum est bonum per seipsum; & nullum aliud bonum est illi æquale vel maius, quare ipsum est summum. Eundem quoque processum facit, capit 2. de Magno, & cap. 3. de ente seu esse, vbi sic ait; Omne quod est, aut est per aliquid, aut per nihil; sed nihil est per nihil: Non enim vel cogitari potest, vt sit aliquid non D
per aliquid; quicquid est igitur non nisi per aliquid est: quod cum ita sit, aut est vnum, aut sunt plura,per quæ sunt cuncta quæ sunt: Sed si sunt plura,aut ipsa referuntur ad vnum " *aliquid* per quod sunt,aut eadē plura singula sunt per se,aut ipsa per se inuicem sunt. At si plura ipsa sunt per vnum,iam nō suntomnia per plura,sed potius per id vnū,per quod hæc plura sunt: Si verò ipsa plura singula sunt per se,vtiq; est vna aliqua vis vel natura existendi per se quàm habent vt per se sint; Non est autem dubium,quod per ipsum vnum sunt,per quod habent vt sint per se. Veriùs ergo per ipsum vnum cuncta sunt,quā per plura,quia sine eo vno esse non possunt: Vt verò plura per se inuicem sint, nulla patitur ratio,quoniā irrationabilis cogitatio est, vt aliqua res sit per illud,cui dat esse. Similem quoque processum facit Auicenna 1. Metaphys. & 8.& Algazel 2.Metaphys. & Anselmus de veritate vlt. de rectitudine & veritate similiter. Quod & vult Augustinus 8.de Trinit.4.vbi ex multis bonis inferioribus arguit vnum omnium summum bonum,et multis bonis numeratis dicit,quid plura, & plura, bonum hoc, et bonum illud? tolle hoc & tolle illud,& vide ipsum bonum si potes; ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni. Et infra,eodem,Non essent,inquit,mutabilia bona,nisi esset Incommutabile bonum. Cum itaque audis bonum hoc & bonum illud, quæ possunt alias dici etiam non bona, si potueris, sine illis, quæ participatione boni bona sunt, perspicere ipsum bonum, cuius participatione boni bona sunt; simul enim & ipsum intelligis, cùm audis hoc aut illud bonum. Si ergo potueris illis detractis per seipsum prospicere, bonum, * perspexeris bonum Deum. Et 8. de Ciuit.Dei 6. Cùm in conspectu Philosophorum corpus & animus,magis minusque speciosa essent, viderunt esse aliquid, vbi esset prima & incommutabilis species,& ideo nec comparabilis; atque ibi esse rerum principium,rectissimè crediderunt. Aristoteles

Margin notes: " aliud — *Auicenna. Algazel. Augustinus* — * bonum. *Augustinus.* — E

A stoteles quoq; 4.Metaph.18.ex hoc quod aliqua sunt minus,& magis falsa,& vera quam alia, probat esse vnum verum simpliciter; quem & Anselmus Monolog.4. rectissime imitatur. Et hoc idem sentit Augustinus alijs locis multis. Istam quoq; sententiam Dionysius de diuinis nominibus multis capitulis, Boetius de Hebdomadibus, & alij Autores quamplurimi locis quamplurimis profitentur, sicut & præmissa hic & primo huius aliquantulum attestantur. Adhuc autem Esse inest materiæ,formæ, & cõposito, substantiæ, & accidenti,& non primò simpliciter, vel non æquè primò, nec æqualiter inest illis; ergo alicui vni primo & maximè, per quod existens in cæteris ipsis inest: hoc autem poni non potest, nisi illud quod primò & per se est,hoc autem est Deus: hoc autem totum clarè ostendunt præmissa in proxima ratione: Vnde & Philosophus 2. de Anima 68.ait; Non enim aqua secundum quod aqua, neque aër secundum quod aër diaphanum est, sed quoniam natura eadem est in his vtrisque; & in perpetuo superiùs corpore,scilicet Cœlo. Vbi Auerroes, Non secundum quod aër &c. id est, B quia diaphaneitas non est in sola aqua aut aëre, sed in corpore cœlesti, fuit necesse vt diaphaneitas non sit in aliquo eorum,secundum quod est illud quod est, sed secundum naturam communem existentem in omnibus, licet non habeat nomen. Hoc idem confirmari videtur per eundem Philosophum 1. Poster.4.&5.& 2. Post.4.& 5. docentem quod quæcunque passio inest multis diuersis,habet aliquod vnum subiectum seu causam cui primo inest,& per ipsum, seu ipsam cæteris quibus inest, sicut est habere tres angulos duobus rectis, habere cornua, contrarius seu contrarij status, folia fluere, commutatim proportionale, & hoc ostendit de alijs vniuersis, siue fuerint substantialia siue accidentalia, siue vniuoca, siue analoga, siue æquiuoca, quod totum Robertus Lincolniensis magis dilucidat exponendo. Dicetur fortassis quòd illa causa diuersorum in diuersis est vna genere, vel specie, numero autem nequaquam; sed si causæ multæ numeraliter differentes sint similes in natura, & nomine, vel quælibet illarum est talis per se,primò, & essentialiter, vel per aliud secundariò, & participatiue &c. sicut supra in proxima ratione. Alij fortè dicent, quòd illa causa vna diuersorum in diuersis est C vniuersale: Sed si vniuersale sit aliquid citra Deum,videtur quod aliud vniuersale hominum, aliud Asinorum, & alia aliorum; vniuersalia ergo illa sunt multa conuenientia in natura & nomine &c. sicut contra responsionem priorem. Hoc tamen non improbabiliter ponitur, si per vniuersale intelligatur aliqua ratio vniuersalis, seu virtus diuina omnium talium vnitiua. Vnde Psalmo 32° spiritu oris eius omnis virtus eorum, & Aristoteles in de Mundo 10. totam terram, & Mare, ætherem, atque Solem & Lunam, & totum cœlum decorauit vna, quæ per omnia transit, virtus. Hæc autem virtus omnium vnitiua est rerum, Deus, tenax vigor, & illa vnitas principalis quam laudum carmine hymindicè deprecamur, cuius principalitatem ostendit Boetius 1. Arithmeticæ 6°. cuius titulus de principalitate vnitatis præscribitur. Vnde & Auicebrol. in libro quem nominat fontem vitæ, & est 35. capit. quinti libri, sic dicit; Omnia omninò diuersa & diuisa, tam in superioribus, quàm in inferioribus, scilicet indiuidua, species, genera, differentiæ, propria, & accidentia, ac omninò opposita & contra- D ria mouentur ad coniunctionem, & desiderant conuenientiam, & inquirunt vnitionem, quia quamuis sint diuisa, coniuncta sunt; & quamuis diuersa, conuenientia sunt in aliquo, quod ea retineat, & coniungat, & conuenire faciat, & radix omnis in hoc est hoc, quòd vnitas vincit omnia, & est diffusa in omnibus, & retentrix omnium. Cui & concordans Proclus Philosophus, propositione prima sic dicit; Omnis multitudo participat aliqualiter vno; & propositione decima quarta: Omne bonum vnitiuum est participantium ipso, & omnis vnitio bonum est, & bonum vni idem. Istam insuper vnitatem omnium vnitiuam testatur dictum Hermetis de Verbo æterno 2. superius recitatum; qui & infra 14. loquens de cœlestibus, terrestribus, & medijs; Horum, inquit, omnium effectus naturamque cognoscens, miretur, adoret, atque collaudet artem mentemque diuinam; Musicen verò nosse nihil aliud esse, nisi iunctarum omnium rerum ordinem scire quid quæque sit diuina ratione sortita; Ordo enim rerum singularum in vnum, omnium artificis ratione collata, concentum quen- E dam diuino melo dulcissimum, verissimumque conficiet. Dionysius insuper de diuinis nominibus. 1. In omni, inquit, ferè actione Theologica, thearchiam videmus diuinitus laudatam, & monadem quidem & vnum propter simplicitatem & vnitatem supernaturalis impartibilitatis, ex qua vt viuifica virtute vnimur, & partitis nostris alteritatibus supermundanè complicatis in deiformem Monadem congregamur. Et infra 5. dicit, quod ipsum per seipsum esse est existentium principium,& existentia omnia & quæ vtcunq; ab esse continentur,& hoc immensuratè,& conuolutè, & vnitè. Etenim in monade omnis numerus ante subsistit, & habet omnem numerum Monas in semetipsa singulariter,& omnis numerus vnitur quidem in Monade, quantum autem à Monade prouenit, tantum discernitur, & multiplicatur; & in centro

Aristoteles. *Dionysius.* *Boetius.* *6. Ratio principalis.* *Psalmus.* *Aristoteles.* *Auicebrol.* *Proclus.* *Dionysius.*

centro omnes circuli lineæ ſecundum primam vnitatem conſtitutæ ſunt, & omnes habet ſignum in ſemetipſo ſimplas vniformiter vnitas ad ſe inuicem, & ad vnum principium ex quo procedebant; & in ipſo quidem centro vniuerſaliter adunantur, breuiter autem eo diſtantes breuiter & diſcernuntur, magis autem recedentes, magis, & ſimpliciter quantum centro proximiores ſunt, tantum & ipſi, & ſibi inuicem adunantur, & quantum eo, tantum à ſe inuicem diſtant; ſed & in toto omnium naturæ omnes ſecundum ſingula naturæ A
Dionyſius. rationes convolutæ ſunt, per vnam inconfuſam vnitatem. Et adhuc inferius vlt.agens de vno, quomodo ſcilicet Deo vnum conueniat, ita ſcribit, Vnum verò quia omnia vniuerſaliter eſt per vnius vnitatis excellentiam,& omnium eſt vnius irreuerſibiliter cauſalis: Nullum enim exiſtentium eſt non participans vnius; ſed ſicut ſimilis omnis numerus monada participat, & vnum, duo,& decem dicitur, & ſemis, & vnum, & tertium, & decimum vnum & multitudinem terminat, ſic omnia & vnum omnium pars participant, & eſſendo vnum omnia ſunt exiſtentia, & non eſt omnium cauſa vnum multis vnum, ſed ante omne vnum. Neque enim B
eſt multitudo non participans quid vnius, & nihil exiſtentium quod participat, vel quid vnius deorſum omnia ſingulariter omnia, & toto omnia & oppoſita, & vniuerſaliter cōprehendentis; & quidem ſine vno non erit multitudo, ſine autem multitudine erit vnum, ſicut & monas ante omnem numerum multiplicatum, & ſi omnibus omnia vnita quis poſuerit, omnia erunt toto vnum. Sed itaq; & hoc cognoſcendum, quia ſecundum vnum vniuſcujuſq; præcogitata eſt ſpecies, vnire dicitur vnita, & omnium eſt vnum exemplar, & ſi interimas vnum, neq; vniuerſitas, neq; aliquid aliud exiſtentium erit. Omnia enim in ſeipſo vnum vniformiter præambit, & circumpræhendit: Ipſa igitur Theologia totam Thearchiam. Boe-
Boetius. tius quoq; 3ª. de Conſolatione Philoſophiæ, proſa 11ª. probat per ſingula genera entium inductiuè, quod omnia deſiderant vnitatem. Dicit igitur concludendo: Omnia igitur vnum deſiderant, ſed vnum ipſum monſtrauimus eſſe quod bonum eſt; Cuncta igitur bonum petunt, quod quidem ita deſcribas, quod deſideratur ab omnibus. Nam vel ad nihilum cuncta C
referuntur, & vno veluti vertice deſtituta ſine rectore fluitabunt; aut ſi quid eſt ad quod vniuerſa feſtinant, id erit omnium ſummum bonorum. Et quot ſunt multitudines ſic vnitæ, tot tales vnitates multitudinum vnitiuæ virtualiter ſunt in Deo: ex quibus quidem exemplaris & archetypus numerus, in iſta ſimpliciſsima vnitate miro modo colligitur, quo cætera numerata format, numerat, & diſponit, & hic eſt mundus ille intelligibilis, & archetypus Hermetis & Platonis, de quo 40ª. pars corollarij primi tangit. Vnde Boetius 1. Arithmeticæ ſuæ 1. Omnia quæcunq; à primæua rerum natura conſtructa ſunt, numerorum videntur ratione formata; Hoc enim fuit principale in animo conditoris exemplar. Hinc enim 4. Elementorum multitudo mutuata eſt, hinc temporum vices, hinc motus aſtrorum, cœliq; conuerſio, & ſupra eodem prolog. 2. pleniſsimè vult hoc idem. Hoc autem lucidum dictum Boetij vi-
Timæus Platonis. detur ſumi ex verbis obſcuris primæ partis Timæi Platonis, cap. 1. quod Chalcidius in com-
Chalcidius. mentario ſuo primo, De genitura Mundi intitulat: Vndè Euſtratius ſuper 1. Eth. 6. com- D
Euſtratius. ment. 48. dicit, quod vniuerſalia exemplaria, & ideæ apud Platonem ſunt quidem numerus diuinus, per quem velut per exemplum conditor operatur materialem factionem, & hanc ſententiam Platonis contra Ariſtotelem approbat,& defendit; imò fortè Platonem in iſta ſententia noluit Ariſtoteles reprobare. Ideoque dicit Euſtratius, Ariſtoteles fortè noluit obſiſtere Platoni, ſed illis qui ſecundum quod non oportet dicta illius recipiunt. Quibus &
Sapiens. concordat Sapiens dicens Deo: Omnia in menſura, numero, & pondere diſpoſuiſti, Sapient. 11. Quem numerum conſtat non eſſe aliquam creaturam, ſed illum ſapientiæ ſpiritum multiplicem vnicum & ſubtilem Sapient.7. imò & ipſammet ſapientiam, in qua omnia e-
Auguſtinus. rant facta, Pſalmo 103. Vnde Auguſtinus 2. de libero arbitrio 19. Sapientia abſit quod in comparatione numeri inferior inueniatur, cùm eadem ſit; & 4. ſuper Geneſin ad literam 5. exponens Autoritatem Sapientis adductam ſic dicit, Secundum id quod menſura omni rei modum præfigit, & numerus omni rei ſpeciem præbet,& pondus omnem rem ad quietem & E
ſtabilitatem trahit, ille primitus, & veraciter, & ſingulariter iſte eſt, qui terminat, format, & ordinat omnia, & infra eodem 6. Numerus ſine numero eſt quo formantur omnia, nec formatur ipſe. Hujuſmodi autem numeri vnitates propriæ ſunt rationes in mente diuina omnium creatrices, nutrices, & continuæ ſeruatrices; & hæc forſan ſunt vniuerſalia, quæ plurimi veterum ſomniabant, ſed pauciſsimi hæc videbant: Quare & hanc ſententiam velut altiſsimam in prologo in Vniuerſalia conuoluit Porphyrius, non euoluit; quæ tamen ſententia
Euſtrathius. patet ex prioribus euidenter, vndè & Euſtrathius vbi priùs dicit, quod Vniuerſalia exemplaria, ſeu ideæ ſunt rationes conditrices, & velut notationes facientis. Robertus quoq; Lincolnienſis ſuper 1. Poſt. 7. dicit, quod Vniuerſalia ſunt cognitiones rerũ creandarũ, quæ fuerunt

A in prima causa æternaliter, & sunt rationes earum & causę formales, & exemplares, & ipsæ sunt etiam creatrices; & hæ sunt quas vocauit Plato ideas & mundum Archetypum; & hæ sunt secundum ipsum genera, & species, & principia tam essendi, quam cognoscendi. Et hoc idem sentit Augustinus. 83. quæstionum 46. in epistola ad Nebridium manifestè. Item si vniuersalia ponantur in intellectu, vt videtur Auerroem, Boetiũ, & alios multos velle, in quo Intellectu dignius ponerentur quàm in primo, summo, & dignissimo omnium, qui verissimè intelligit Vniuersa, qui & dormientibus alijs vigilat in æternum? Ampliùs autèm, constat certissimè aliquas esse causas entium seruatiuas, & existentium seruatrices, in quibus secunda suppositione docente processus non finitur infinitus. Omnium ergò illarum causarum est aliqua prima & summa; hanc constat necessariò esse Deum, qui prima suppositione & 5ª. parte corollarij primi testantibus à nullo alio conseruatur; Deus ergò est primus & summus omnium conseruator; Vel ergò hoc est per se, vel per accidens; si per se, ergò necessariò; per se enim necessitatem includit; quià si non esset necessariò, posset non esse, & sic esset per accidens; 7ª. Ratio principalis.

B quod patet per definitionem logicam accidentis, ex Isagoge Porphirij & 1. Topic. Aristotelis satis notam: Hoc etiam satis patet. 1. Post. 4. & 6. & 2ⁱ. 4. vbi per se cum suis conditionibus definitur. Si autem hoc dicatur ens per accidens; & omne per accidens est posterius illo quod est per se; & ideò ad ipsum reducitur Deum esse omnium seruatorem, reducitur ad aliquod prius eo, cuius virtute hoc facit: Non ergò Deus, sed potiùs illud prius est primus omnium conseruator. Quòd autem omne per accidens reducatur ad aliquod per se prius, apparet; quià sicut substantia præcedit naturaliter omne accidens, & ad ipsam reducitur quodlibet accidens tanquam ad causam priorem; ità per locum à simili seu à proportionalitate, videtur essentiale præcedere quodlibet accidentale, & hoc omne ad illud reduci. Item omne causatum sicut habet determinatum modum essendi, sic & videtur habere determinatam causam fiendi, & essendi; aliter enim non magis fieret, nec esset hoc quàm illud: accidens autem est infinitum, & indeterminatum omninò, vt patet 2. Phys. capit: de casu, & fortuna, quasi per

C totum; & 6. Metaphys. 4. & post diffusè; vbi dicit Auerroes comment. 7. Quod fit casu à principio habet naturam terminatam, & causam terminatam; quod enim est accidentaliter accidit illi quod est essentialiter. Hoc itidem confirmatur; Aliquid est per se conseruatiuum entium se conseruans; & illud quod est per accidens, non est principium illius quod est per se, sed magis è contra: Quod enim est ab eo, quod est per accidens, est simpliciter per accidens, sicut quod est ab aliquo casuali, est simpliciter casuale: Hoc enim patet per Philosophum, 2. Phys. 44. redarguentem ponentes casum esse causam cœli, & omnium cœlestium, per hoc quod tunc omnia inferiora essent casualia. Dicit enim Auerroes; Cùm posuerunt quod ex se, scilicet fortuna, & casu, fuit ‖ *renouatio* corporis cœlestis, & motus, qui largitur alijs entibus ordinem, contingit eis vt omnes causæ inueniantur ex casu: quod enim inuenitur in illo quod ex casu inuenitur, inuenitur ex casu. Aliàs quoque de entibus per accidens posset esse scientia; de omnibus enim per se ordinatis scientia potest esse, quod est contra Philosophum, 2. *Auerroes.* ‖ reuocatio.

D Phys. capit. de casu & fortuna, diffusè probantem, quòd talia non sunt scibilia, neque certa, quia sunt causæ accidentales, & per consequens infinitæ: & 6. Metaphys. 4. De ente secundum accidens nulla est speculatio; nulla enim scientia neque actiua, neque factiua studiosa est de eo, neque * *theologica*, quod & totus processus edocet consequenter; & 1. Post. 6. hoc idem ostenditur manifestè. Amplius autem quod est perfectius tribuendum est Deo, vt patet per primam Suppositionem, & tertiam partem primi: sed per se perfectius est, quàm per accidens, vt nullus ignorat; nec aliter Deus esset per se bonum, & potens; Deus ergo per se non per accidens est primus omnium conseruator. Item in toto genere conseruatorum aliquis est conseruator per se, & primus naturaliter; & illud quod est per se & primum naturaliter in quolibet genere, est maius, dignius, & melius posteriori quocunque. Dicit enim Philosophus, 2. Metaph. 10. Semper enim quæ ante est, magis est; & quæ posterior est, non est. Vbi & textus quem habet Auerroes, sic ait; Prius enim semper magis dignum in esse, posterius autem *Philosophus.* * theorica *Philosophus.*

E non sic: qui & 12. Metaphys. 37. Optimum, inquit, semper ‖ *autem* proportionale quod primum; quare & Pictagorici posuerunt primum in coelementatione boni, vltimum verò in coelementatione mali, sicut ostensio decimæ octauæ partis Corollarij primi tangit. Rursum sic ad idem; Primum in quolibet genere est maximè tale, sicut 2. Metaphysic. & 10. satis patet, sicut illud quod est æquale per se, magis est tale, quàm id quod est tale per accidens, sicut manifestè patet per Philosophum, tertio Topic. nec aliquis diffitetur. Adhuc autem si hoc sit per accidens, potest non esse; omne enim quod inest alicui non per se & essentialiter, sed tantum accidentaliter, potest separari ab eo separato; hoc enim nullam contradictionem includit; & quia quodlibet entium sufficienter existit, habitis omnibus & solis il- *Auerroes.* ‖ aut

 lis,

lis,quæ ad ſuum exiſtere per ſe & eſſentialiter requiruntur; quoniam tunc nihil exiſtentiæ ſuæ deeſt;hoc etiam patet per definitionem propriam accidentis; & 1.Poſt.6.ſcribitur iſto modo: Omne autem aut ſic eſt ſcilicet per ſe primo modo vel ſecundo ; aut per accidens : Accidentia autem non neceſſaria ſunt;& cõfirmatur per Philoſophum 8.Phyſ. 36. probantem quod non omne mouens mouetur,quia non per ſe,neque per accidens; Non per accidens,quia ſi ſecundum accidens,inquit, non eſt neceſſe moueri quod mouetur. Si autem hoc eſt manifeſtum, quod contingit aliquando moueri,nihil eorum quæ ſunt; Non enim neceſſarium eſt accidens, ſed contingit non eſſe, quod & patet ibi per Auerroẽ expreſsiùs in comment. Si quis autem non vereatur concedere , quod rebus exiſtentibus Deus poteſt non eſſe conſeruator earum, faciliter conuincetur, quoniam antecedens & conſequentia ſunt neceſſaria in ratione,qua per finitatem rerum & conſeruationem earum,probatur quod aliquis qui eſt Deus,eſt primus omnium conſeruator ; quare & concluſio ſimili neceſsitate firmatur. Item ſi res ſine conſeruatione diuina poſſent exiſtere per ſeipſas,fruſtra conſeruarentur à Deo ſecundum illam maximã B Philoſophorum,Fruſtra ponuntur plura,vbi ſufficiunt pauciora:ſed ſecundũ Philoſophum 1. de Cœlo 32. Deus & natura nihil fruſtra faciunt ; quomodo & Apoſtolus arguit ad Gal. 2. Si per legem, inquit, iuſtitia, ergo Chriſtus mortuus eſt gratis ; vbi gloſſa Auguſtini , ſi per legem,id eſt,opera legis, quibus Iudæi confidebant,iuſtitia eſt;ergo Chriſtus mortuus eſt gratis, id eſt fruſtra ſine cauſa ; eſt ergo Deus omnium entium neceſſarius conſeruator. Huius quoque ſententiæ teſtis eſt Thomas de Aquino,qui in quæſtionibꝰ ſuis de potentia Dei 35. multipliciter hoc oſtendit, & quæſtione 36ª. quærit , Vtrùm Deus poſſet alicui creaturæ communicare, quod per ſe in eſſe conſeruaretur abſque Deo , & reſpondet ſub verbis quæ ſequuntur: Dicendũ,quod ad omnipotentiam Dei non pertinet, quod poſsit facere duo cõtradictoria eſſe ſimul : In hoc autem quod dicitur , quod Deus faciat aliquid , quod eius conſeruatione non indigeat , contradictio implicatur. Iam enim oſtenſum eſt , quod omnis effectus à ſua cauſa dependet, ſecundum quod eſt eius cauſa. In hoc igitur quod dicitur quod Dei conſeruatione C non indigeat , ponitur non eſſe cauſatum à Deo ; & in hoc quod dicitur , quod Deus faciat ipſum , ponitur eſſe cauſatum ; Sicut igitur contradictionem implicaret , ſi quis diceret, Deum facere aliquid quod non eſſet cauſatum ab eo;ita ſi quis diceret Deum facere aliquid,quod eius conſeruatione non indigeat;vnde vtrumque pari ratione Deus non poteſt.

Philoſophus. Apoſtolus. Gloſſa.

COROLLARIUM.

EX his igitur omnibus manifeſta eſt concluſio principalis. Vnde non immanifeſte conſequitur hoc poriſma , Nulla res creata ſufficit aliam conſeruare , & quod neceſſe eſt Deum per ſe & immediatè ſeruare quamlibet creaturam;imò & immediatius quacunque cauſa creata ; immediatè, inquam, nedum immediatione loci aut ſitus, ſed & naturæ ac cauſæ,& immediatius eiſdem modis, vel ſaltem duobus vltimis modis dictis. D

1 *Quod nulla res creata ſufficit aliam conſeruare.*

SI enim, vt dicit principalis concluſio , Deus eſt omnium entium neceſſarius conſeruator, quælibet res creata neceſſariò indiget conſeruatione diuina , ergo nulla res talis ſufficit aliam conſeruare.

2 *Secunda eſt , quod neceſſe eſt Deum per ſe & immediate ſeruare quamlibet creaturam.*

QVod etiam Deus per ſe & immediate conſeruet quamlibet creaturam, euidenter oſtendent rationes præmiſſæ,ſi ad hoc debitè applicentur : Omne namque de ſe potentiale , ſi E debeat actuari, hoc neceſſario erit per aliquem actum , non immediatè exterius, ſed omniquaque interius actuantem , atque formantem , diffuſumque per totum , vt patet de materia & forma , de accidente & de ſubiecto. Ille igitur actus ſic actuans potentiale huiuſmodi, vel eſt actus per ſe purus à nullo alio penitus actuatus , & tunc eſt Deus, & habetur intentum ; vel non eſt actus huiuſmodi, & tunc ille actus de ſe eſt potentialis neceſſario indigens alio actu ipſum immediatè actuante ; & cum propter ſuppoſitionem ſecundam non contingat ſic in infinitum procedere, tandem neceſſariò finaliter venietur ad vnum actum per ſe purum, à nullo alio penitus actuatum, qui quodlibet de ſe potentiale, poſitumque ſub actu, per ſe & immediatè actuat, & informat, nedum exterius circumſtando, verùm interius totaliter pene-

A penetrando; & quodlibet citra Deum est de se potentiale, ipse autem solus actus per se & purus, sicut præmissa testantur. Item omne de se fluxibile & informe, ad hoc quod figatur stabiliter & formetur, necessariò indiget aliqua fixione & forma ipsum immediatè figente atque formante; Huiusmodi igitur fixio siue forma, vel est per se fixa seu fixio, formata seu forma, & tunc est Deus, & habetur intentum; vel non est talis, & tunc necessariò immediatè figitur, & formatur per aliquam fixionem & formam, & cùm suppositio secunda non sinat processum huiusmodi infinitum, necessariò finaliter stabitur ad vnam fixionem & formam per se, & puram, à nulla alia fixam quomodolibet aut formatam; & hæc est habitudo omnium creaturarum & Dei. Hæ autem rationes satis concordant cum Autoritatibus Philosophicis, & Theologicis superiùs recitatis. Item si sufficeret alicui creaturæ tantùm mediatè conseruari à Deo, scilicet tantùm mediante alia creatura, cùm illa creatura conseruans influeret tantùm virtutem finitam creaturæ conseruatæ, posset Deus creare aliquam creaturam tanto virtuosi-
B oris permanentiæ illa creatura per aliam conseruata, quantum virtutis illa conseruans influit conseruatæ. Quæ si ponatur creata, non indigebit conseruatione alicuius creaturæ: Tanto namque est virtuosioris permanentiæ ex seipsa, quantum si esset debilior, indigeret à creatura alia confortari: Nec indigebit conseruatione Dei mediata, quia illa fieret per mediam creaturam; quare indigeret conseruatione mediæ creaturæ, contra proximum præostensum: Nec indigebit conseruatione Dei immediata, quia & hac creatura debilior non egebat; erit igitur aliqua creatura non egens conseruatione aliqua creatoris, quod præmissa conclusio non permittit. Imò secundum istud, posset Deus tantum ‖ *confortare* res mundi, & totum hunc mundum creare, vel alium mundum secundum se totum, & singulas partes suas tam fortem, quòd nullo modo neque immediatè, neque mediatè, neque secundum totum, neque secundum partem egeret conseruatione diuina; imò & Deo per imaginationem omninò sublato, sanus & integer permaneret, quod præmissa destruunt euidenter. Item sicut Deus est vbique

‖ confor-mare.

C sic vbique conseruat; sed Deus per se & essentialiter est vbique; quia si non, aut nusquam est, quod nullus non negat; aut est alicubi circumscriptus, quod eius infinitati, & immensitati omnimodè contradicit, quas Suppositio prima docet, quod & quædam Autoritates præmissæ testantur. Docet namque prima Suppositio, tertia pars, & quarta Corollarij primi huius, quòd quicquid est bonitatis, aut perfectionis perfectissimæ & infinitissimæ est in Deo; sed magnæ perfectionis est posse esse in multis locis præsentialiter totum simul; quare & spiritus qui sic possunt, iudicantur perfectiores corporibus, quæ non possunt. Summus igitur spiritus propter suam perfectionem infinitam simpliciter, est necessariò repletiuitatis & præsentialitatis infinitæ simpliciter, & immensæ; quare & omnibus locis & situbus locatis & situatis de necessitate præsentialiter ipse adest, essentialiter cuncta replens supra omnem eorum mensuram magnus, & immensus; vt sicut verè omnipotens dicitur, sic & veraciter dicatur omnipræsens: Et hanc arbitror rationem sacræ Scripturæ atque Doctorum, per quam
D immensitatem Dei ostendunt. Vnde vt de multis vnum commemorem, Baruc. 3. scribitur; O Israel, quàm magna est domus Dei & ingens locus possessionis eius, magnus & non habens finem, excelsus & immensus. Sique Deus esset alicubi circumscriptus, hoc maximè videretur in Cœlo, quoniam dignissimus est locorum, & adhuc in dignissima parte Cœli, seu in dignissimo puncto Cœli, & tunc moto Cœlo, ipse similiter moueretur contra sextam partem Corollarij primi huius. Aliter enim partem Cœli, seu punctum digniorem quandoque relinqueret, & indigniorem intraret. Si autem dicatur secundum superficiem secundi de Cœlo, & Mundo, Aristotelis, quod Deus est continuè in vno situ nobilissimo, scilicet in Oriente, in sectione duorum circulorum magnorum; Istud stare non potest, quia quare magis esset in oriente Oxon, quàm in oriente London, seu Gadum Herculis, vel è contra? Si autem dicatur, ipsum esse continuè in oriente totius terræ habitabilis in quauis Amphitritis vel Oceani sectione; cum secundum naturalem dispositionem cœli & terræ, & secundum eun-

Baruc.

E dem Aristotelem 2. Meteororum vbi nunc est mare, erit quandoq; arida, & è contra, erit aliquandò alius oriens totius terræ habitabilis quæ tunc erit, & tunc vel Deus erit tantum in illo, & sequitur ipsum moueri localiter de oriente vno ad alium orientem; vel tunc non erit in oriente prædicto, ergo eadem ratione nec nunc est. Deus etiam si tantum in oriente ponatur, non erit in loco dignissimo, cum medium cœli, & centrum Solis, Saturni, seu Iouis sit dignior locus seu situs. Item si Deus sit tantum in vno particulari loco, vel situ, posset illum relinquere, & alium ingredi, localiterq; moueri. Per hoc quoq; quòd Deus vbique agit & conseruat, probant Autores ipsum esse vbique tripliciter, scilicet essentialiter, præsentialiter, & potentialiter, sicut patet 1. sentent. Petri, dist. 37. quod tamen nullatenus sequeretur, nisi Deus immediate omnia faceret & seruaret. Vndè Anselmus Monolog. 13. ita dicit, quoniam aliter

|| nisi vt ea quæ sunt facta vigeant per aliud, et id &c.

ter esse non potest, || *vt ea quæ sunt facta, vigeant, nisi & id* à quo sunt facta, vigeat per seipsum; necesse est, vt sicut nihil factum est nisi per creatricem præsentem essentiam, ita nihil vigeat nisi per eiusdem seruatricem præsentiam; & addit 14. consequenter; Quod si ita est, imo quia ex necessitate ita est, consequitur vt vbi ipsa non est, nihil sit. Vbique igitur est, & per omnia, & in omnibus. Liquet igitur quoniam ipsa est, quæ cuncta alia portat & superat, claudit & penetrat, eademque est quæ in omnibus est, & per omnia, & ex qua, & per quam, & in qua omnia, sicut erat superiùs pleniùs allegatum, & supra eiusdem septimo præmittebat. Non opus est quærere, Vtrum ideo sint vniuersa per ipsam summam substantiam, quia alio faciente aut alia materia existente, illa tantum quolibet modo vt res omnes essent adiuuerit, cùm repugnet his quæ iam supra patuerunt, si secundo loco & non principaliter sint per ipsam quæcunque sunt. *Augustinus.* Augustinus quoque de diuinitatis Dei essentia primo, ostenso per scripturam, quòd Deus est incircumscriptus, immutabilis, & immensus, subiungit; Proculdubio nullus est locus ab eius præsentia absens; super omnem quippè creaturam præsidet regendo, B subtus est omnia sustinendo, non pondere laboris, sed infatigabili virtute; quoniam nulla creatura ab eo condita per se subsistere valet, nisi ab illo sustentetur, qui eam creauit. Extra omnia est, sed non exclusus; Intra omnia, sed non conclusus. Ecce causalis Augustini probans Deum esse vbique, quoniam, inquit, nulla creatura potest subsistere nisi sustentetur ab illo, qui & Epistola 39. quæ est de præsentia Dei ad Dardanum facit diffusum processum ad idem, vbi & inter cætera ita dicit; Sic est Deus per cuncta diffusus, vt non qualitas Mundi, sed substantia creatrix Mundi, sine labore regens, & sine onere continens Mundum. Et 6. super Genesin ad literam 33. ostendit Deum esse immutabilem per tempus & locum, licet administret & moueat mobilia per tempus & locum, cum sit, inquiens, Ipse nullo locorum vel interuallo, vel spacio incommutabili, excellentique potentia, & interior omni re, quia in ipso sunt omnia, & exterior omni re, quia ipse est super omnia: quæ tamen ratio non valeret, nisi Deus per se & immediate administret & moueat vniuersa. Si enim Deus per seipsum sit exterior & interior re quacunque, & moueat sic res motas, manifestum est quod ad ipsum mouere quicquam localiter, non sequitur ipsum localiter commoueri, eo quòd ipse est in quolibet loco præsens. Nec potest quis dicere ideo impropriè tantum dici, Deum esse vbique essentialiter, præsentialiter, & potentialiter, quia quæcunque essentia in quocunque loco existens, & vniuersaliter omnis locus habet esse ab illo, & quia cuncta locata & loca sunt ei, scilicet eius cognitioni præsentia, & eius potestati subiecta, cum ista fictio rationibus prioribus destruatur; & 1. Sentent. Lumbardi. 37. condemnetur. Item si Deus aliquid puta terram tantum mediate seruaret, cum aliquam creaturam immediate conseruet, & eadem ratione, si vellet, posset terram immediate seruare, & in naturalissimo loco suo, posset moueri localiter ad terram sic seruandam, quod præmissis repugnat. Item si Deus tantum mediate aliqua conseruaret, hoc maximè videretur de inferioribus rebus istis, quòd illas seruaret cœlesti corpore mediante; sed Anima rationalis est de se tantæ permanentiæ & maioris, quam D corpus cœleste: ergo nequaquam ab illo naturaliter conseruatur; Hoc enim naturalis ordo requirit, vt à fortiori debilius conseruetur. Hoc idem & Autoritates ostendunt; Dicit enim *Philosophus.* Philosophus in De mundo 8. totam terram & mare, ætherem, atque Solem & Lunam, & totum Cœlum decorauit vna, quæ per omnia transit, virtus. Ammonius quoque || *Armenus* in recordatione in librum peri hermenias Aristotelis, super vlt. primi, dicit, magis erat verisimile æternas res non à prouidentia regi, quam quæ fluxibilem habent naturam; quoniam illa quidem à sua natura determinationem habent & immutabilitatem talem à dijs sortita subsistentiam; quæ autem in generatione propter fluxibilitatem propriæ materiæ in omnimoda transmutatione fieri nata, neque esse, neque contineri, neque ordinari posse si non sortiantur multa virtute conditiua, & prouisiua eorum, quæ semper eodem modo se habent, non solum totaliore, & supereminente, scilicet corpori cœlesti, sed etiam aliqua magis particulari & proximiori, sicut & hominum videtur ampliori indigentes curâ fœminas quam viros, E & insensatos quã sapientes. *Auicebrol.* Et Auicebrol. 5° fontis vitę 35. sicut erat superius allegatũ, ostendens omnia diuersa, cõtraria, superiora & inferiora per vnitatẽ coniungi, sic ait; Et radix communis in hoc est hoc, quòd vnitas vincit omnia, & est diffusa in omnibus & retentrix omnium. Et infra 36. dicit, Verbum, scilicet voluntas postquam creauit materiam & formam, ligauit se cum illis sicut est ligatio animæ cum corpore, & effudit se in illis, & non discessit ab eis, & penetrat ea à summo vsque ad infimum. Et adhuc inferius 38. sic ait: Describere voluntatem impossibile est, sed penè describitur quum dicitur, quòd est virtus diuina faciens materiam & formam, & ligans illas, & diffusa à summo vsque ad imum, sicut diffusio animæ in corpore; Et ipsa est mouens omnia & disponens, quod & manifestat exemplo sic dicens; Materia & forma

|| Ermenus

A

C

A forma est sicut corpus & aër; & anima & voluntas ligans illa, & infusa in illis est sicut anima
in corpore, lumen in aëre, & intelligentia in anima, & modum infusionis huiusmodi sic osten-
dit: postquam voluntas est virtus spiritualis, sed multo excellior, quàm spiritualis; non dubi-
tes ipsam infundi materiæ, & comprehendere eam simul cum forma, sicut est penetratio vir-
tutis solis, id est, virtutis diffundentis lumen, & vnitio eius cum lumine in aëre: erit ergo vo-
luntas sicut virtus, & forma sicut lumen, & materia sicut aër. Et 39. dicit; Voluntas penetrat
omnia sine motu, & agit omnia sine tempore propter magnam suam fortitudinem & vnita-
tem: Cui & autoritates sacræ concordant; Nam Sap. 1. sic scribitur; Spiritus Domini reple- *Sapientia.*
uit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia: & infra 8. legitur de sapientia increata quod
attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. De qua & Ecclesiastici 1. *Ecclesiasti-*
dicitur, quòd altissimus Creator effudit eam super omnia opera sua; & Esaiæ 66. Cælum se- *cus.*
des mea, & terra scabellum pedum meorum: De quo dicit expressius Ieremias 23. Nun- *Esaias.*
B quid non cælum & terram ego impleo, ait Dominus. Vnde Propheta Psalmo 138. Quò ibo *Ieremias.*
à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero ad in- *Psalmus.*
fernum, ades: si sumpsero pennas in diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illic
manus tua deducet me, & tenebit me dextra tua. Beatus quoq; Iob 11. de hoc dicit; Excelsior *Iob.*
cælo est, & quid facies; profundior inferno, & vnde cognosces; Longior terrâ mensura e-
ius, & latior mari. Et infra 22. recitat hæreticorum falsam insaniam in hæc verba; Nubes la-
tibulum eius, nec nostra considerat, & per cardines cæli ambulat. Super quod beatus Grego- *Gregorius.*
rius 16. Moralium 4. dicit; Quis de Deo ista vel desipiens suspicetur, qui nimirum dum sit
semper omnipotens, sic intendit omnibus, vt assit singulis, sic adest singulis, vt simul omni-
bus nunquam desit; sic itaque exteriora circundat, vt interiora impleat, sic interiora implet,
vt exteriora circundet, sic summa regit vt ima non deserat, sic imis præsens est, vt à superio-
ribus non recedat. Sanctus quoque Thomas de Christiana religione ad Raynaldum, siue de *Thomas.*
C fide, spe, & charitate 133. dicit, quòd Deus immediatè ordinat omnes effectus per seipsum,
licèt per causas medias exequatur, sed in ipsa executione quodammodo immediatè se habet ad
omnes effectus, in quantum omnes causæ mediæ agunt in virtute causæ primæ, vt quodam-
modo ipse in omnibus agere videatur, & omnia opera secundarum causarum ei possunt attri-
bui, sicut artifici attribuitur opus instrumenti: Conuenientius enim dicitur, quòd Faber facit
cultellum, quàm martellus. Habet etiam se immediatè ad omnes effectus, in quantum ipse
est per se causa essendi, & omnia ab ipso seruantur in esse. Idem quoque in quæstionibus suis
de potentia Dei, quæst. 20. qua quæritur; Vtrum Deus operetur in omni operatione naturæ;
respondendo probat, quòd Deus est causa cuiuslibet actionis naturalis & voluntariæ sex mo-
dis: Primò, quia tribuit virtutem agendi, sicut dicitur 8. Phys. quòd generans mouet graue,
& leue in quantum dat virtutem, per quam consequitur talis motus. Secundò, quia conser-
uat eam continuè. Tertiò, quia mouet quodlibet agens ad agendum, & applicat virtutem
D ad actionem, sicut homo est causa incisionis cultelli; & hoc est vt dicit, quia nulla res per se-
ipsam mouet, nisi mouens non motum: Ideo sequitur de necessitate, quòd Deus sit causa a-
ctionis cuiuslibet rei naturalis, vt mouens & applicans virtutem ad agendum. Quartò, quia
ipse est agens principale in qualibet actione, & quodlibet aliud agens est instrumentum illius;
quoniam virtute illius quælibet alia virtus agit; & paulo post subiungit; sic igitur Deus est
causa actionis cuiuslibet, in quantum dat virtutem agendi, & in quantum conseruat eam, &
in quantum applicat actionem, & in quantum eius virtute omnis alia virtus agit; & cùm con-
iunximus his, quod Deus sit sua virtus, & quod sit intra rem quamlibet, non sicut pars essen-
tiæ, sed sicut tenens rem in esse, sequetur quod ipse in qualibet re operante immediatè opere-
tur, non exclusa operatione voluntatis & naturæ. Vnde potest elici quintus modus, scilicet
quod Deus immediatè vbique operatur. Quod & patet clarissimè per Dominum Stephanum
Parisiensem Episcopum condemnantem quendam articulum sub hac forma, Quod prima
E causa est causa entium remotissima; error si intelligatur cum præcisione, ita scilicet quod non
propinquissima.

Tertia, quod necesse est Deum seruare quamlibet creaturam immediatiùs qua- 3.
cunque causa creata.

DEus igitur immediatè quamlibet rem conseruat, nec immediatè tantum, verum & im-
mediatiùs quolibet alio conseruante; quia si non immediatiùs conseruaret, cum imme-
diatè conseruet; aut ergo æquè immediatè conseruat, sicut causa secunda conseruans, aut
minus immediatè quàm ipsa; Non æquè immediatè, quia Deus & causa secunda conseruans
sunt causæ conseruatiuæ eiusdem essentialiter ordinatæ; & nullæ tales causæ, & maxime in
eodem

eodem genere cauſæ habent eundem ordinem ad ſuum cauſatum; ſed neceſſe eſt vnam eſſe A
priorem, aliam vero poſteriorem in illo modo cauſandi, ſicut ratio & Philoſophia teſtatur. Aliter enim eadem ratione, quâ poſſent eſſe duæ cauſæ propinquæ eiuſdem cauſati coæquales in ordine, poſſent eſſe & aliæ duæ ſuperiores ſimiliter coæquales, & ſic deinceps; quare & poſſent eſſe duæ cauſæ primæ ſimpliciter in eodem ordine cauſandi penitus coæquales; & duo principia prima ſimpliciter, ac duo Dij, cùm tamen omnia multa qualitercunque ordinata ad vnum aliquid neceſſariò reducantur, ſicut primo huius, & ſecundo præhabita manifeſtant. Docet quoque Philoſophus in ſua Metaphyſica, quod omnium duarum cauſarum huiuſmodi attributarum ad idem, vna reducitur ad aliam, vel ambæ ad tertiam. Cùm ergo Deus, & cauſa ſecunda ſint cauſæ coæquales in ordine conſeruandi, neutra reducitur ad aliam, tanquam propinquior conſeruato ad remotiorem; ergo ambæ reducuntur ad aliquam tertiam priorem ambabus, cuius virtute ambæ conſeruant, quod impoſsibile eſt de Deo, ſicut præcedentia docuerunt, & ſuppoſitiones oſtendunt. Si autem fingatur Deum & cauſam ſecun- B
dam eſſe cauſas conſeruatiuas eiuſdem accidentaliter ordinatas; tunc multò magis vel vna reduceretur ad alteram, vel ambæ ad tertiam eſſentialem priorem, ſicut ſuperius eſt oſtenſum. Item omne nomen conueniens Deo & creaturæ perfectiùs competit ipſi Deo, maximè cum ipſe ſit primum in tali genere; & cauſa quare illud nomen dicatur de alijs quibuſcunque iuxta proceſſum Philoſophi 2. & 10. Metaphyſicæ ſuperius allegatum. Ergo hoc nomen immediatè conſeruans maximè & perfectiſsimè competit ipſi Deo. Quare Deus magis immediatè conſeruat quocunque alio conſeruante; Non ergo æquè immediatè nec minus. Præterea ſi Deus minus immediatè conſeruaret, & per conſequens ſic cauſaret conſeruatum & cauſatum cauſæ ſecundæ quàm ipſa, ipſe non eſſet cauſa propinquiſsima entium, quod eſt damnatum in articulo Pariſienſi præmiſſo, propinquiſsima ſcilicet propinquitate cauſalitatis & naturæ, non tantum ſitus aut loci. Tunc quoque Deus plus diſtaret in conſeruatione, & cauſatione quam cauſa ſecunda; ergo per plura media, vel ſaltem per aliquod medium, & cauſa C
ſecunda per nullum; ergo Deus nequaquam illud immediate ſeruaret, nec etiam ſic cauſaret, cuius oppoſitum eſt oſtenſum. Item omnis cauſa ſecunda cauſans, aut conſeruans quodcunque cauſatum, hoc facit per cauſationem ſeu conſeruationem mediam naturaliter inter illa, quæ ideo naturaliter propinquior eſt cauſato ſeu conſeruato, quam illa cauſa ſecunda; Deus autem omnium cauſationem ſeu conſeruationem huiuſmodi per ſe & immediatè conſeruat, ſicut proxima pars corollarij huius docet, ipſamque cum cauſato vel conſeruato copulat, & coniungit, ſicut præhabita manifeſtant; Ergo inter cauſam ſecundam & omne eius cauſatum Deus naturaliter mediat, ipſum immediatiùs concauſando. Item cauſa eſſentialior & magis neceſſaria in eſſe cauſati eſt ei propinquior naturaliter; Deus autem eſt eſſentialior & magis neceſſaria cauſa in cauſatione cuiuſcunque cauſati quàm aliqua cauſa ſecunda; Non enim poteſt eſſe æquè vel minus eſſentialis cauſa alicuius cauſati, ſicut [vel] quàm cauſa ſecunda, ſicut proceſſus præmiſſus de æquè immediatè vel minus oſtendit. Præterea illud D
quod per ſe & virtute propria eſt aliquale, eſſentialiùs & magis eſt tale quocunque quod per aliud & virtute aliena eſt tale, ſicut tam Logica quàm Philoſophia varijs locis docet, & ſuperius tangebatur; Prima autem cauſa cauſat cauſatum commune virtute propria & per ſe; cauſa verò ſecunda virtute cauſæ primæ & per illam; ergo cauſa prima eſſentialiùs atque magis; quare & cauſa prima propinquior, coniunctior, & intimior eſt cauſato, quàm materia eius vel forma, vel quæcunque cauſa ſecunda; ergo & propinquior, coniunctior, intimior, atque immediatior cuilibet rei creatæ, quàm aliqua res creata alteri poſſet eſſe. Quamobrem & in cauſatione quacunque cuiuſcunque cauſæ creatæ ſiue ſecundæ, quodcunque cauſatum quomodocunque cauſantis, prima cauſa propinquiùs, coniunctius, intimius, & immediatius idem cauſat. Vnde Commentator ſuper hanc primam propoſitionem de cauſis, Omnis cauſa primaria plus eſt influens ſuper cauſatum ſuum, quàm cauſa vniuerſalis ſecunda, ſic ait. Cauſa vniuerſalis prima agit in cauſatum ſuæ cauſæ, antequam in ipſum agat cauſa vniuerſalis ſecunda quæ ſequitur ipſum; Et infra, Manifeſtum eſt quòd cauſa prima longinqua, E
eſt plus comprehendens & vehementius cauſa rei, quàm propinqua; & propter id fit eius operatio vehementioris adhærentiæ, quàm cauſæ propinquæ; & hoc quidem non fit ſecundum hoc, niſi quia res imprimis non patitur niſi à virtute longinqua, deinde patitur ſecundò à virtute quæ eſt ſub prima, & prima adiuuat ſecundam ſuper operationem ſuam, quoniam omnem operationem quam cauſa efficit ſecunda, prima ibi efficit; veruntamen efficit eam per modum alium altiorem, & ſublimiorem: Et quando remouetur cauſa ſecunda à cauſato ſuo, non remouetur ab eo cauſa prima; quoniam cauſa prima eſt maioris & vehementioris
Thomas. adhærentiæ cum re quàm cauſa propinqua. Item Sanctus Thomas in quæſtionibus ſuis de potentia

A potentia Dei quæst. 20. qua quæritur, Vtrum Deus operetur in omni operatione naturæ, respondendo inter cætera, ita dicit, Deus est causa omnis actionis, prout quodlibet agens est instrumentum diuinæ virtutis operantis. Sic ergo si consideremus supposita agentia, quodlibet agens particulare est immediatum ad suum effectum; si autem consideremus virtutem qua fit actio, sic virtus superioris causæ erit immediatior effectui, quam virtus inferioris: Nam virtus inferior non coniungitur effectui nisi per virtutem causæ superioris. Vnde dicitur in libro de Causis, quòd Virtus causæ primæ priùs agit in causatum, & vehementius ingreditur in ipsum: Sic igitur oportet virtutem diuinam adesse cuilibet rei agenti, sicut virtutem corporis cœlestis oportet adesse cuilibet corpori elementari agenti; sed in hoc differt, quòd vbicunque est virtus diuina, est essentia diuina; non autem essentia corporis cœlestis est vbicunque est sua virtus. Et iterum Deus est sua virtus, non autem corpus cœleste, & ideò potest dici quòd Deus in qualibet re operatur, in quantum eius virtute quælibet res indiget ad agendum.
B Non autem potest propriè dici, quod cœlum semper agat in corpore elementari, licet eius virtute corpus elementare agat. Vnde & præter quinque modos operationis diuinæ præmissos, potest elici sextus modus, scilicet quod Deus in operatione quacunque immediatiùs operatur quolibet alio operante. Quare & Philosophus de Mundo vlt. loquens de Deo, sic ait; Cum sit vnus multinomius, nominatus ab omnibus passionibus quas innouat ipse; vocamus autem eum Iouem; dicitur etiam fulmineus à fulmine, pluuialis à pluuia, tonitrualis tempestuosus, serenus, & sequitur consequenter; & in summa loquendo, cœlestis & terrestris appellandus à qualibet natura, & fortuna, velut ens ipse omnium causa; propter quod non malè dicitur in Orphicis, Iupiter primogenitus est, Iupiter nouissimus, Iupiter caput, Iupiter medius. Ecce quomodò Philosophus 1° docet, Deum esse generaliter omnium rerum causam; secundò verò ostendit ipsum esse specialiter causam triplicem cuiuscunque, scilicet primam, vltimam, seu finalem, & mediam; Est, inquit, Iupiter primogenitus & caput pro causa pri-
C ma; est Iupiter nouissimus pro causa vltima seu finali; est etiam Iupiter medius pro causa media quorumcunque: ideoque expressius sic adiungit; Deus itaque sicut antiquus sermo testatur, initium, medium, & finem habet omnium entium; Deus ergo secundum Philosophum quacunque causa secunda quomodocunque causante quodcunque causatum, est in causando prior, posterior, & immediatior omniquaque. Vnde Dionysius de diuinis nominibus 5. dicit, quòd ipse est existendi omnium substantificum principium, medietas, & consummatio: quod & Autoritates præmissæ, dicentes, quòd Deus est omni re interior, sonare videntur. Nec ignoro responsiones quorundam fingentium, fingereue potentium Autores non ideo dicere Deum omnia conseruare, quia immediatè per seipsum, & propriè ipsa seruat, sed tantùm mediante Cœlo, vel aliquo alio, & per illud, vel quia prohibet corruptiua, vel quia permittit rem esse, aut non destruit rem cùm possit; sed has omnes falsas insanias quas vanitas confingebat confringet faciliter veritas præmissorum.

D Obijciunt autem quidam, Non videtur consonum rationi, quòd quælibet res creata, finita, paruula, & tantilla, tanta forma, & tanto conseruatore indigeat simpliciter infinito. Alij verò obijciunt aliter, Si Deus est omnipotens potest facere aliquid potens sufficienter existere per seipsum. Adhuc autem obijciet fortè quisnam, Deum dignissimum, pulcherrimum, & honestissimum non decere, per seipsum & immediatè quibuslibet obscænitatibus immisceri, sicut nec quæuis opera turpia facere, aut quæque negotia vilia exercere; Imò tam sublimi maiestati potiùs conueniret in aliquo loco dignissimo, puta in summo cœli vertice residere, aliquam operationem nobilissimam sibique propriam exercendo, alijs operibus vniuersis, alijs causis secundis, velut subiectis sibi ministris gradualiter assignatis. Quare & Philosophus in De Mundo 11. sic ait, potiùs æstimandum est, & quod conueniens est & magis aptum Deo, vt virtus quæ residet in cœlo, & plurimum distantibus de vno loquendo, omnibus fiat causa salutifera, magis quàm iens & perueniens quò non est bonum nec ho-
E nestum operari per se in terra. Hoc enim nec hominum ducibus conuenit cuilibet insistere operi, vt principi exercitus vel ciuitatis seu domus, & si opus sit, supellectilem sarcire, vel aliquod vilius agere, quod in magno Rege non quodcunque mancipium exerceret; quod & probat à simili per Xerxem Regem, qui morabatur in Susis seu Bastanis, qui multa fecit in multis prouincijs, non tamen per seipsum, sed per officiarios varios ad varia deputatos. Ad primum autem istorum perspicuè respondendum, quia quælibet creatura est creata, finita, paruula, & tantilla, ideo per 17. partem Corollarij primi huius, est de se possibile esse & non esse. Quare secundum præmissa indiget necessario aliquo per se necesse esse ipsum continuè sustentante, quare & Deo, eadem 17. parte teste. Secundum faciliter soluitur; quia etsi Deus sit omnipotens, non tamen potest facere aliquid impossibile simpliciter

pliciter absolute, quare nec potest facere alium Deum, nec aliud necesse esse, sed tantum possibile esse per 17. partem dictam, &c. sicut supra. Istam responsionem confirmat Thomas superius memoratus. Tertium autem obiectum Petrus 1. Sentent. dist. 37. dicit esse tam friuolum vt nec responsione sit dignum; quod tamen soluit per duo exempla, quorum primum est, quod sicut spiritus creatus, scilicet Anima rationalis sordibus corporis leprosi & quantumcunque polluti nequaquam polluitur, sic nec Deus. Secundum est, quod sicut radius solaris per pollutionem quancumq; diffusus, nequaquam polluitur; sic nec Deus. Augustinus quoq; de Agone Christiano per idem exemplum eodem modo respondet. Vndè & Sapientiæ 10. dicitur de Sapientia increata; Attingit autem vbiq; propter munditiam suam, vapor est virtutis Dei & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera, & ideo nihil coinquinatum in illam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius. Est enim hæc speciosior Sole, & super omnem dispositionem stellarum luci comparata, prior, seu aliter, purior inuenitur. Hæc autem responsio sic poterit confirmari. Perfectius est, omni deturpatiuo posse resistere, nequid deturpationis patiatur ab illo, & per consequens non posse penitus pollui, quam sic posse. Prima ergo Suppositio hoc dat Deo: Aliter autem, nec minus rationabiliter potest dici, quòd sicut quælibet res in quantum est, bona est, vt omnes Philosophi & Theologi simul docent; sic & omnis res in quantum est, pulchra est; Nam pulchritudo rei est eius dispositio naturalis: Vndè Philosophus 7. Phys. 17. in translatione quam Commentator exponit, sic ait; Pulchritudo & fortitudo sunt de cap. relationis; Sunt enim dispositiones Animalium in respectu nobilissimi Animalium; et dico laudabilissimam dispositionem illam, quæ est naturalis sphæra. Super quod dicit Auerroes, quod pulchritudo, & fortitudo sunt dispositiones laudabiles in Animalibus, quæ non intelliguntur nisi in respectu laudabilissimæ dispositionis, sicut in respectu Animalis nobilissimi; dispositio enim laudabilissima Animalis est, vt in omnibus suis dispositionibus sit secundum cursum naturæ; & pulchritudo in aliquo Animali est dispositio in sua creatione considerata secundum suam dispositionem quam habet in comparatione nobilissimi Animalium in illa specie, & est illud quod in omnibus suis dispositionibus est secundum cursum naturę. Quod & testatur Auicenna 8. Metaphys. 7. sub his verbis, Pulchritudo omnis rei, & suus decor est, vt sit quemadmodum conuenit ei. Vndè & Plato 1. parte Timæ. vbi secundum Chalcidium in Comment. agit de genitura mundi, sic ait; Nec fas erat bonitati præstanti quicquam facere nisi pulchrum, & secundum eum præstans Dei bonitas cuncta fecit; quare & secundum eundem cuncta fuerant pulchra: quare & simili ratione, cuncta quæ sunt, in quantum sunt, pulchra sunt. Quare & Augustinus de Natura boni. 13. loquens de varijs modis rerum, sic ait; In his omnibus quæcunq; parua sunt in maiorum comparatione contrarijs nominibus appellantur, sicut in hominis forma qua maior est pulchritudo, in eius comparatione simiæ pulchritudo deformitas dicitur; & fallit imprudentes, tanquam id sit bonum & hoc malum. Et infra 15. probat quòd turpitudo non sit omninò malum, sed bonum, & hoc specialiter de Simia, quia ipsa potest fieri turpior; ergo & in ea potest minui pulchritudinis bonum; quare & pulchritudinis bonum habet. Quid igitur dedecet pulchrum pulchris misceri? & pulchrius minus pulchris, vt sic magis pulchrum apparet, eaq; sua pulchritudine in deturpabili illuminet & exornet? Quare & Philosophus in De Mundo 10. ait totam terram & mare, ætherem atq; Solem, & Lunam decorauit vna, quæ per omnia transit, virtus. Vndè & Dionysius de diuinis nominibus 4. ait, Bonum autem & pulchrum non separandum in ipsa, in vno omnia comprehendenti causa. Hoc enim in existentibus omnibus in participationes & participantia diuidentes, bonum quidem esse dicimus pulchri particeps, pulchrum verò participationem pulchrificæ omnium bonorum causæ; super essentiale autem bonum pulchrum quidem dicitur, propter ab eo omnibus existentibus traditam propriè vnicuique pulchritudinem, & velut omnium benè compactionis & claritais causale, instar lucis fulminans simul omnibus pulchrificas fontalis radij sui traditiones, & velut omnia ad seipsum vocans. Imò nedum decet Deum esse vbique præsentem, sed indecentissimum, & impossibilissimum sibi esset, locis & locatis existentibus non sic esse, quia tunc Deus non esset, sicut in ostensione secundæ partis præmissi Corollarij demonstrantur. Quòd autem dicit Philosophus, Deum non per se operari in terra; verum est, non sic per se, quin per causam secundam, & per aliud agens inferius, sicut per se, & per nullum illorum operationem suam propriam operatur. Hanc autem materiam parumper diffusius persequebar propter pulchritudinem eius magnam, & quia videtur non paruum sequentium fundamentum.

Augustinus. *Sapientiæ liber.* *Philosophus.* *Auerroes.* *Auicenna.* *Plato.* *Augustinus.* *Philosophus.* *Dionysius.*

A B C D E

CAP.

A

CAP. III.

Quòd Deus est necessaria causa efficiens cuiuslibet rei factæ: habet Corollarium habens tres partes.

HVic autem addendum, quòd Deus est necessaria causa efficiens cuiuslibet rei factæ: Minus enim videtur rem per se existere, vel aliam conseruare, quàm per se facere aliquid cùm non esset. Sed nulla creatura potest in hoc minus, sicut capitulum proximum docuit; quare nec in B hoc maius: Deus ergo necessario apponet manum ad quamlibet factionem. Rationes quoque factæ de conseruatione possunt fieri de factione, terminis permutatis; & multæ autoritatum de conseruatione loquentium, loquuntur de factione similiter. Sunt etiam præter autoritates superius allegatas, multæ quæ perhibent testimonium veritati. Aristoteles quidem in De mundo II. Antiquus, inquit, sermo, & paternus est cunctis hominibus, quod à Deo omnia, & per Deum consistant. Et infra; Est, inquit, reuera saluator & genitor omnium Deus, quæcunque quocunque modo fiunt in hoc mundo; Et sequitur, in alia translatione; At verò per se operatur laboriosi animalis laborem sustinens, sed & potentia vtens impassibili. Et infra eodem ostendit, quòd Deus vnica actione facit omnia opera huius mundi, sic dicens; Sicut autem in chorǽa inchoante Choraula concinit tota chorǽa virorum & mulierum, varijs vocibus acutis & gradibus, vnam harmoniam continuam continuantibus; sic se habet res & in Deo, qui cuncta disponit, & sequitur consequenter: videtur maximè comparari quod C agitur eis quæ fiunt tempore belli, quando buccina significat exercitui; tunc enim vnusquisq; audito clangore, hic quidem sumit clypeũ, alius coxalia & casside, & baltheũ adaptat; & hic quidem frenat equum, ille ascendit bigas, alius præbet signum; mox autem dux insidiare consistit in insidijs, princeps autem aciei in acie, miles autem in cornu, inermis verò recurrit ad propria; omnia autem sub vno significatore mouentur nutu Ducis qui fungitur potestate; sic & de vniuerso sapiendum. Nam ab vno mouente omnibus excitatis fiunt propria, & hoc inuisibili ente & occulto, quod nequaquam est impedimento nec illi ad agendum, nec nobis ad credendum. Hæc autem vnica Dei actio, non est motus cœli, sicut aliqui somniant, sed vnicum Dei loqui, seu dicere, ipsomet Aristotele eodem cap. attestante, sicut cap. proximo recitatur. Hoc idem consequenter per aliud simile sic ostendit; Nam anima per quam viuimus, & ædes, & vrbes habemus, inuisibile ens videtur per opera sua. Nam totus vitę decor ab hac inuentus est, & ordinatus, & contentus; culturæ terræ, plantationes, excogitatio artium, D legum vsus, ornatus, & ciuilitas, intestina negotia, extra terminos prælia seu pax. Hæc oportet & de Deo considerare seu intelligi secundum aliam translationem, ente fortissimo, specie verò speciocissimo, vita immortali, virtute potentissimo, seu optimo secundum aliam translationem. Quapropter inuisibilis factus omni naturæ videtur ex ipsis operibus. Nam passiones omnes tam quæ per aërem, quàm quæ super terram, & quæ in aqua, dicentur verè opera Dei diffundentis super mundum; ex quo secundum naturalem Empedoclem; Omnia quæcunque sunt & postmodum erunt, processerunt arbores, & viri cum fœminis, feræ quoque & volucres; nec non pisces in aquis nutriti. Vnde Apostolus ad Rom. I. Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus & diuinitas; quod & sentiunt sancti Patres literaliter exponentes. Sapientiæ quoque 13. per hoc contra idololatras disputatur; Vani, inquit, sunt omnes homines quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere quid est, neque operibus atten- E dentes agnouerunt quis esset artifex. Et sequitur; A magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator videri. Et infra eodem; Si autem tantum potuissent scire, vt possent æstimare sæculum, quomodo huius dominum facilius non inuenerunt? Adhuc autem & Philosophus in De mundo II. dicit de Deo; Cumque sit vnus, multinomius est nominatus ab omnibus passionibus quas innouat ipse; vocamus autem eum Iouem, dicitur etiam fulmineus à fulmine, pluuialis à pluuia, tonitrualis, tempestuosus, serenus, & finita tali inductione, quasi per singula in fine subiungit; & in summa loquendo, Cælestis & terrestris appellandus à qualibet natura & fortuna, velut ens ipse omnium causa, propter quod non malè dicitur in Orphicis, Iupiter Arigikeminus, secundum aliam translationem

Aristoteles.

Philosophus.

Princeps fulminum; & sequitur Iupiter Caput, Iupiter medius, à Ioue omnia generata A
sunt. In istam quoque sententiam consentiunt Hermes, Plato, Auicenna, Algazel, Auerroes, Autor de causis Commentator ipsius, & turba Philosophorum non parua. Istam quoque sententiam vtriusque testamenti series sæpissimè contestatur. Vnde Esaiæ 45. Ego Dominus faciens omnia hæc; Et infra eodem, omnes dicentes contrarium maledicit; Væ, inquit, qui contradicit factori suo, testa de samijs terræ; Et supra || 26. Domine dabis pacem nobis. Omnia enim opera nostra operatus es Domine. Quare & in hymno trium puerorum, Omnes creaturæ tanquam opera Domini per ordinem excitantur ad benedicendum Domino, quasi operatori suo gratias relaturæ; & Ioannis 5. veritas ipsa dicit, Pater meus vsque modo operatur, & ego operor: vnde & supra; 1°. Omnia per ipsum facta sunt. Vbi Augustinus homilia prima, Omnino ergo Fratres sic accipite, Omnia per ipsum facta sunt, vniuersa creatura per ipsum facta est, maior & minor. Nulla enim forma, nulla compages, nulla concordia partium, nulla qualiscunque substantia est, quæ posset habere pondus, numerum, B
mensuram, nisi per illud verbum & ab illo creatore, cui dictum est, Omnia in mensura & numero & pondere disposuisti; Deus fecit omnia, & in suis gradibus collocauit. Omnia ergo per ipsum, Fratres, omnino omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Idem infra homilia octaua; Sicut, inquit, quod miserunt ministri in hydrias, in vinum conuersum est opere Domini; sic & quod nubes fundunt, in vinum conuertitur eiusdem opere Domini. Illud autem non miramur, quia omni anno fit; assiduitas amisit admirationem. Quis est enim qui considerat opera Dei quibus regitur & administratur totus hic mundus, & non obstupescit? Obruitur miraculis: sed quia homines in aliud intenti perdiderunt considerationem operum Dei, in qua darent laudem quotidiè creatori; seruauit sibi Deus insitata quædam, quæ faceret, vt tanquam dormientes homines ad se colendum, mirabilibus excitaret. Mortuus resurrexit, Mirati sunt homines; tot quotidiè nascuntur, & nemo miratur. Si tamen consideremus prudentiùs maioris miraculi est esse qui non erat, quàm reuiuiscere qui erat. Et C
3. de Trinit. quasi per totum librum per exempla plurima probat idem. Vnde cap. 5. dicit quod vis diuina, quæ totam spiritualem corporalemque naturam administrat, omnium annorum certis diebus facit pluuiam; sed quando fecit pluuiam ad preces Eliæ quasi contra dispositionem aëris naturalem, miraculum dicebatur. Ita Deus operatur fulgura & tonitrua; sed quando in monte Sina inusitato more fiebant, miracula videbantur. Quis attrahit humorem per radicem vitis ad botrum, & vinum facit nisi Deus, qui & homine plantante & rigante incrementum dat? Sed cùm ad nutum Domini Aqua in Vinum inusitata celeritate conuersa est, etiam stultis fatentibus vis diuina declarata est. Quis Arbusta fronde & flore solenniter vestit nisi Deus? verùm cùm floruit virga Sacerdotis Aaron colloquuta est quodammodo cum homine dubitante Diuinitas; Et lignis certè omnibus, & omnium animalium carnibus gignendis atque formandis communis est terrena materies, & quis ea facit, nisi qui dixit, vt hæc terra produceret, & in eodem verbo suo, quo creauit, regit, & agit. Ex his omnibus satis patet, quod Deus qui facit rara miracula, facit similiter cætera opera consueta. D
Nonne & hoc est quod docet Apostolus ad Rom. 11. ita dicens, Ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia? Nonne & iste est vnus articulus fidei sicut symbolum Nicænum testatur? docens credere in Deum Patrem factorem visibilium omnium, & inuisibilium, & in Filium per quem omnia facta sunt? Amplius autem, Deus facit omnem hominem, & vniuersaliter omne Animal totum secundum corpus & animam, & non agentia naturalia ipsa sola; quare & simili ratione, omnem rem factam. Dicit enim Philosophus 11. de Animalibus in antiqua translatione, Dicendum naturas Animalium siue sit nobilissimum siue ignobile, quoniam natura quæ creauit animalia erit causa magnæ dilectionis in illis, qui possunt cognoscere causas naturæ, scilicet Philosophis naturæ, quando considerant in animali vili; & propter hoc debemus considerare formas eorum, & delectari in Artifice qui fecit eas, quoniam artificium operantis manifestatur in operato; verbi gratia, quia in operatione imaginum apparet scientia artificis, & propter hoc licet vt nos videamus, vel alias non vitemus considerationem E
in naturis Animalium vilium, & non sit hoc nobis graue sicut pueris, & in omnibus rebus naturalibus est mirabile; & propter hoc debemus inquirere naturam cuiuslibet Animalis, & scire quod in omnibus Animalibus est res naturalis nobilis, quoniam non fuit naturatum vllum eorum otiosè neq; casualiter, sed quantumcunq; erit ex operationibus naturæ, non erit nisi propter aliquid; & omne quod fuit aut erit, non fuit neque erit nisi propter aliquid, & * complementum, & propter hoc habet locum & ordinem nobilem. Huic & consonat dictum Auerrois super 12. Metaphys. comment. 19. secundo huius præmissum. Nonne & ideo Iob. 10. loquens Deo sic ait, Manus tuæ plasmauerunt me, & fecerunt me totum in circuitu, secundum

Esaias. || 36. *Danielis.* 3. *Augustinus.* *Augustinus* *Apostolus.* * in *Auerroes.* *Iob.*

A secundum punctuationem beati Gregorij 9. moral. 26. Et infra, Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti; pelle & carnibus vestisti me, ossibus & neruis compegisti me? & Propheta, Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me, Psal. 118. vnde & Dominus Prophetarum, priusquam te formarem in vtero, noui te. Ier. 1. Quare & Augustinus exponens illud Psalmi 118. præmissum, dicit hoc posse dupliciter intelligi, vno modo secundum Adam, ex quo cùm sint omnes homines propagati, quis hominum, quando iste factus est, etiam se factum non potest dicere, originis seminisque ratione? Alio modò, quia vnusquisq; non sine opere Dei etiam de parentibus sit ipso creante, ipsis generantibus, quoniam si operatoria potentia Dei rebus subtrahatur, intereunt, nec aliquid omnino siue de mundi elementis, siue de genitoribus, siue de seminibus nascitur, si ea non operetur Deus. Idem 9. super Genesin ad literam 23. Quale, inquit, ministerium Deo exhibuerint Angeli in illa mulieris formatione, quis audeat affirmare? certissimè tamen dixerim supplementum illud carnis in costæ locum, ipsi-
B usque fœminæ corpus & animam, conformationemq; membrorum, omnia viscera, sensus omnes, & quicquid erat quo illa & creatura & homo & fœmina erat, non nisi illo opere Dei factum, quod Deus non per Angelos, sed per semetipsum operatus est, & non dimisit, sed ista continuantur opera, vt nec illarum aliarum rerum, nec ipsorum Angelorum natura subsistat, si non operetur. Amplius autem Deus facit omnia vegetabilia, nec agentia naturalia sola sufficiunt, quare & alia vniuersa, simili ratione. Nonne hoc est quod dicit Apostolus 1. ad Cor 3. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus? Quare & Augustinus 9. super Genesin ad literam 22. dicit, quòd Agricolæ non sunt creatores segetum, aut arborum; Non enim qui plantat aliquid est, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Et dicit quòd Agricola nihil facit crescere, sed ille qui omnia in mensura & numero, & pondere disponit, qui dat incrementum: Nec Medicus adhibens medicamina sanat ægros, sed natura illud agit interiore motu nobis occultissimo; cui tamen si Deus subtrahat operationem
C intimam, qua eam substituit, & facit, continuo tanquam extincta nulla remanebit. Idem 3. de Trinit. 7. Apostolus, inquit, discernens interiùs Deum creantem atque formantem ab operibus creaturæ quæ admouentur extrinsecus, & de Agricultura similitudinem assumens, ait; Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Sicut ergo in ipsa vita nostra, mentem iustificando formare non potest nisi Deus, prædicare autem exterius Euangelium homines possunt: Ita creationem rerum visibilium Deus interius operatur, exteriores autem operationes, siue bonorum, siue malorum Angelorum vel hominum, siue etiam quorumcunque Animalium, secundum imperium suum, & à se partitas distributiones potestatum & " *appetitudines* commoditatum; ita rerum naturæ adhibet in qua creat omnia, quemadmodum terræ Agriculturam. Hoc idem & veritas ipsa veraciter contestatur de Lilijs & Fœno, quod Deus sic vestit; sicut Matth. 6. & Luc. 12. recitatur.

Propheta. *Ieremias.* *Apostolus.* *Augustinus.* "appetitiones.

Prima, quòd nulla res potest aliquid facere sine Deo. 1.

D *Secunda, quòd nulla res potest aliquid facere, nisi Deus per se & immediate faciat illud idem.* 2.

Tertia, quòd nulla res potest aliquid facere, nisi Deus faciat illud idem immediatius quolibet alio faciente. 3.

VNde consequitur manifestè, quòd nulla res potest aliquid facere sine Deo; & quod nulla res potest aliquid facere, nisi Deus per se & immediatè faciat illud idem, imò & immediatiùs quolibet alio faciente, immediatè, inquam, nedum localiter, sed & naturaliter atque causaliter, & immediatiùs eisdem modis, vel saltem naturaliter atque causaliter. Minus est enim rem factam seruare in esse, quàm ipsam facere de non esse; sed per Corollarium secundi, Nulla res potest aliam rem factam seruare in esse sine Deo ipsam similiter conseruante, & hoc immediatè, imò & immediatiùs quolibet alio conseruante; quare nec aliqua res potest rem fa-
E cere de non esse sine Deo ipsam similiter faciente, & hoc immediatè, imò & immediatiùs quolibet alio faciente. Item omnis res sicut potest aliquid facere, sic potest & factum seruabile seruare in esse, quia hoc est facilius: sed si detur oppositum corollarij prælibati, aliqua res potest aliquid facere sine Deo, vel sine Deo idem immediatè aut immediatiùs faciente. Potest ergo aliqua res sic aliquid conseruare contra coroll 2ⁱ prædictum. Rationes quoq; & Autoritates ad corollarium illud adductæ corollarium istud probant: Si quis autem præsumpserit dicere, quòd Deus dicitur omnia facere, non quia immediatè per se, & propriè ista facit, sed tantùm mediante Cœlo, & quia fecit agentia, & patientia naturalia, vel conseruat, aut quia permittit, siue non impedit, seu contra impedimenta defendit, reprimetur faciliter per præmissa, sicut proximum huius præsumptionem similem reprimebat.

A

CAP. IIII.

Quod qualibet creatura mouente, Deus necessario commouet: habet Corollarium quatuor partium.

IStis autem præcognitis, ignorari non potest, qualibet creatura mouente Deum necessario commouere; Minus enim est existere quam mouere: Aliqua enim existunt, quæ non mouent, & quæ mouere non possunt; sed quicquid mouet existit; & per secundum huius, nulla B
creatura per se potest existere, quare nec per se mouere sufficit sine Deo. Item per tertium huius nulla creatura potest per se producere vllum motum, nec per secundum, seruare productum; Deus ergo requiritur tanquam necessarius coadiutor. Omnes insuper rationes, aut ferè, & Autoritates quamplures pro conseruatione, & factione diuina rerum adductæ, possunt & pro commotione eius adduci, mutatis terminis prout decet. Amplius autem sicut est in minori mundo, sic videtur esse in maiori mundo; sed in minori mundo scilicet in homine, vel animali, sic est quod omnis motus eius, secundum quod hujusmodi, prouenit à principio suo formali & essentiali scilicet Anima, sicut patet 2°. de Anima 37. ergò omnis motus in majori Mundo proueniet à suo tali principio, scilicet ipso Deo; & hæc videtur responsio A-
Philosophus. ristotelis in de Mundo, 11. sicut patet in illa longa Autoritate tertio hujus scripta; quare & sententiam istam tenet, & infra, cap. 13. ostendit eandem sententiam per similem rationem; C
Dicit enim, ipse immobilis cuncta mouet & circumfert quò vult, diuersis idæis & naturis, velut, inquam, & ciuitatis lex immobilis ens disponit, in animabus vtentium anima quæ secundum ciuilitatem; & hoc ostendit quasi inductiuè per singula opera ciuitatis; & concludendo, Sic, inquit, existimandum est vtique & de maiori ciuitate, de Mundo dico: Lex enim nobis
|| ista æquè declinans Deus. Adhuc autem est || *illa* sententia præmissa, ponens Deum animam
Auicenna. magni mundi; & Auicennæ 9. Metaph. 1. dicentis, Cœlum est Animal obediens Deo. Auer-
Auerroes. roes quoque super 12. Metaph. Comment. 39. ait declaratum ratione esse aliquod vnum æternum valdè nobile, et est illud quod mouet omne; hoc est igitur Deus. Item si creatura posset per se mouere vna specie motus, posset & omni; quare per se posset alterare, generare, & facere multa noua, quod capitulum proximum non permittit. Item omnis res habens formam non mouet nisi per eam, sicut Philosophia tota clamat; sed sicut secundum huius ostendit, Deus est forma omnis formæ, et est actus substantialis qua omnis forma est id quod est, D
quod patet ex eodem; Est ergo forma substantialis omnis formæ; per hanc rationem probatur 2° de Anima, Animam esse formam animati: Ergo nulla forma mouet nisi per Deum; ergo nec aliquid formatum potest mouere nisi per illum. Itidem sic ad idem, Omne formatum mouens mouet per formam maximè sibi essentialem, et principalem, secundum quod est tale formatum, sed Deus est forma maximè essentialis, et principalis cuiuscunque formati; Quis enim Deo & creatura existentibus causis vnius causati in eodem genere causæ tribuat Deo quod imperfectius est & minus? neque enim secundo huius præmissa hoc sinunt. Item Augustinus 22. de Ciuit. Dei 20. allegat à Cicerone talem definitionem Dei, Deus est mens quædam soluta et libera, secreta ab omni concretione mortali, omnia sentiens & mouens, ipsaque prædita nutu sempiterno, et hoc reperit in libris magnorum Philosophorum vt dicit. Item Deus est prima causa in genere causarum mouentium, sicut formalium, et finalium, sicut ostenditur 8. Phys. 12. Metaph. et à multis Philosophis multis locis, & ex secunda Supposi- E
tione potest haberi; sicut nulla causa posterior mouet nisi in virtute causæ prioris, vt patet per primam Propositionem de Causis cum suo Comment. superius allegato, et quia primum in quolibet genere, est causa posterioris cuiuslibet illius generis, sicut secundo huius præmissa testantur; Deus ergo necessario commouet cum omni mouente; alias insuper non posset
alia || *aliqua* via sumi à mouentibus inferioribus ad probandum aliquod primum mouens, contra Aristot. 7. et 8. Phys. 12. Met. Alexandrum, Auerroem, Auicennam & cęteros Philosophos quasi omnes; quibus & Autores Theologici consentiunt in hac parte. Itē Instrumentum non mouetur artificiose nisi ab artifice; omne autem mouens posterius est instrumentū primi mouētis; aliàs enim non esset naturaliter posterius eo, sed prius vel etiā coequeuū, vel extra omnē ordinem

A ordinem penitus diſparatum. Vnde dicit Boetius 4. de Conſolatione Philoſophiæ proſa 6ª. *Boetius.*
Omnis generatio rerum, " *cunctuſque* mutabilium naturarum progreſſus, & quicquid aliud "cunctiſq;
aliquo mouetur modo, cauſas, ordinem, formas ex diuina mentis ſtabilitate ſortitur. Sicut e-
nim artifex faciendæ rei formam mente percipiens, mouet operis effectum, & quod ſimpli-
citer, præſentarièque proſpexerit, per temporales ordines ducit; Ita Deus prouidentia qui-
dem ſingulariter, ſtabiliterque diſponit facienda, fato verò, hæc ipſa, quæ diſpoſuit, multipli-
citer, ac temporaliter adminiſtrat. Hoc etiam teſtatur Aueroes ſuper De ſomno & vigilia, *Auerroes.*
dicens; Quòd cauſæ futurorum non ſunt determinati eſſe apud nos, ſed apud naturam intelle-
ctiuam, à qua quæcunque recipit natura ſenſibilis, & à qua mouetur, ſicut inſtrumenta mo-
uentur à forma artificij; & ideo nullum indiuiduum eſſentialiter fit à natura, niſi per ſcienti-
am antecedentem, quoniam inſtrumentum artificis, ſicut dicit Ariſtoteles, non mouetur niſi
ſecundum artificem. Ecce quòd Auerroes commentator vniuerſaliter ita ſentit,& allegat A-
B riſtotelem ad hoc idem. Qui & ſuper 12. Metaph. comment. 44. dicit; Quòd primum mo-
uens & mouentia inferiora multum aſsimilantur artificijs quæ ſeruiunt ſibi ad inuicem, & iu-
uant ſe ad inuicem erga vnum artificiale; & ſunt illa, quorum quædam ſunt principantia alijs,
& omnia reducuntur ad vnum artificium, & perficiuntur ab inuicem, & omnia reducuntur
ad accipiendum omnia ſua principia ab artificio vniuerſali continente ea, & ideo ſcientia pro-
pria primi Dei, eſt ſicut Philoſophia prima, & ſcientia propria principijs quæ ſunt ſub eo, eſt
ſimilis ſcientijs particularibus, quæ ſunt ſub prima Philoſophia, ſicut dixit Nicomachus Peri-
pateticus in ſua prima Philoſophia. Iſtam quoque ſententiam Hermes planè teſtatur De *Hermes.*
Verbo æterno 14. ſicut ſecundum huius præmiſit. Vnde & Auguſtinus 6. De Trinit. vlt. *Auguſtinus*
Filius eſt ars quædam omnipotentis & ſapientis Dei, plena omnium rationum viuentium in-
commutabilium, & omnes vnum in ea, ſicut ipſa vnum de vno cum quo vnum ibi nouit om-
nia, Deus qui fecit per ipſam; Ipſe enim eſt omnium artifex ſapientiæ 7º. Confirmatur à ſi-
mili, quia per Philoſophum 2. de Anima vbi prius; Omnia phyſica corpora animæ inſtru-
C menta ſunt; & cùm Deus incomparabiliter excedat quamlibet animam, omnia ſunt inſtru-
menta ipſius. Artificium quoque Dei teſtari videntur expreſſè quædam proximo huius præ-
miſſa. Quare & ille diuinus Eſaias 29. & 45. vocat Deum figulum factorem & fictorem; *Eſaias.*
hominem verò lutum, opus figmentum, & teſtam; quod ſequens Apoſtolus ad Rom. 9. eiſ- *Apoſtolus.*
dem nominibus eos vocat. Dominus quoque per Eſaiam 10. aſsimilat Senacherib Regem *Eſaias.*
Aſſur virgæ & baculo furoris, & ſecuri in qua ſecat Deus, & ſerræ tractæ à Deo, & virgæ quam
leuat Deus: vbi dicit Gloſſa; Sicut hæc inanimata tantum ſunt inſtrumenta, nihil per ſe faci-
entia, ſed per eum qui mouet ea; ſic nec Senacherib per ſe, ſed in Dei virtute operatus eſt.
Hoc idem, de artifice ſcilicet, & inſtrumentis, teſtatur & Thomas de Aquino de fide, ſpe, &
charitate 133. ſicut ſecundum huius allegat. Amplius autem Auguſtinus 8º. ſuper Geneſin *Auguſtinus*
ad literam, oſtendit diffusè, quòd Deus mouet omnem creaturam ſpiritualem & corporalem,
voluntariam, & aliam qualemcunque ſuis motibus vniuerſis; vbi & 29. diſtincto opere diui-
D næ prouidentiæ bipartitò, ſcilicet creationis, & adminiſtrationis, quo prouidet toti vniuerſi-
tati & ſingulis creaturis, ſic ait; Spiritus Creator mouet ſeipſum ſine tempore & loco, mouet
conditum ſpiritum per tempus ſine loco, & mouet corpus per tempus & locum. Cui & con-
cordanter Dionyſius de diuinis nominibus 4. loquens de bono & optimo quod in Deo lau- *Dionyſius.*
datur, ſic ait; Hoc vnum optimum & bonum ſingulariter, eſt omnium multorum bonorum,
& optimorum cauſale, & ex hoc omnes exiſtentium eſſentiales ſubſiſtentiæ, vnitates, diſcre-
tiones, immutabilitates, alteritates, ſimilitudines, diſsimilitudines, ſocietates contrariorum,
diſtinctiones vnitorum, prouidentiæ ſuperiorum, viciſsitudines æquiformium, conuerſiones
inferiorum omnium, ſemetipſis cuſtoditiuæ, & immutabiles habitationes, & collocationes; &
iterum, omnium in omnibus propriæ vnicuique ſocietates, & compaginationes, & inconfuſæ
amicitiæ, & harmoniæ vniuerſitatis, & vniuerſæ concretiones inſolubiles continentiæ exiſten-
tium non deficientes ſuſceptiones faciendorum ſtatus omnes & motus, alij intellectualium, a-
E lij animarum, alij corporum. Status eſt enim omnibus & motus ſuper omnem motum, &
omnem ſtatum, collocans vnumquodque in ſuimet ratione, & mouens in proprium motum.
Vbi & conſequenter oſtenſo, quomodo Angeli & animæ mouentur circulariter, directè &
obliquè, ſubiungit; Horum igitur & ſenſibilium in vniuerſo trium motuum, & multo
prius vnoquoque manſionum, & ſtationum, & collocationum cauſale eſt, & continens,
& finis, bonum & optimum, & ſuper omnem ſtatum & motum. Propterea om-
nis ſtatus & motus ex ſeipſo, & per ſeipſum, & in ipſum, & propter ipſum. Etenim
ex ipſo, & propter ipſum, & eſſentia & vita omnis & mentis & animæ, & omnes natu-
ræ, omnes coniunctiones, conſummationes, termini, ordines, omnis eſſentia, omnis vir-

tus, omnis operatio, omnis habitus, omnis sensus, omnis ratio, omnis intellectus, omnis illuminatio, omnis scientia, omnis summitas, & simpliciter omne *en*, ex bono & optimo est, & in bonum & optimum conuertitur, & omnia quæcunque sunt & fiunt, per bonum & optimum sunt & fiunt, & ad hæc omnia videlicet & ab ipso mouentur & continentur, &c. secundo huius plenius recitata. Sanctus insuper Ierotheus in amatorijs hymnis suis, recordante Dionysio vbi prius, sic ait; Vna quædam est simplex virtus seipsam mouens ad vnitatem quandam temperantiam * ex optimo, vsque ad existentium nouissimum, & ab illo iterum consequenter per omnia vsque optimum, & ex seipsa, & per seipsam, & ad seipsam, seipsam reuoluens, & in seipsam semper eodem modo reuoluta. Nonne & Sapiens idem docet, Omnibus, inquiens, mobilibus mobilior est sapientia; attingit autem vbique & cum sit vna, omnia potest, & permanens in se omnia innouat; Attingit ergo à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Nonne & veritas ipsa dicit; Pater meus vsque modo operatur & ego operor, & veritatis Apostolus, in ipso, inquit, viuimus, & mouemur, & sumus. A B

[Margin: Ierotheus. — * quandam]

1 *Prima, Quod nihil potest quicquam mouere sine Deo idem per se & propriè commouente.*

2 *Secunda, Quod nihil potest quicquam mouere sine Deo immediatè idem mouente.*

3 *Tertia, quod nihil potest quicquam mouere sine Deo idem mouente immediatius alio motore quocunque.*

4 *Quarta, Quod nulla propositio tribuens quodcunque creatum cuicunque causæ secundæ, est immediata simpliciter.*

VNde & sanis oculis repeto manifestum, quod nihil potest quicquam mouere sine Deo idem per se & propriè commouente, & sine Deo immediatè idem mouente, imò & immediatiùs alio motore quocunque; immediatè, inquam, & immediatiùs prout corollaria secundi & tertij exponebant. Et ex hoc corollario naturali manifestè consequitur aliud corollarium Logicale, Nullam scilicet propositionem tribuentem quodcunque causatum cuicunque causæ secundæ, esse immediatam simpliciter. Istud corollarium naturale satis apparet ex præmissis in isto capitulo, iunctis corollarijs tertij, & secundi cum probationibus eorundem: Quo securè supposito, corollarium Logicale faciliter demonstratur. Nam nulla propositio habens causam naturaliter mediantem inter eius extrema, quæ scilicet sit causa naturaliter media inhærentiæ extremorum est immediata simpliciter, sicut primus posteriorum ostendit; quælibet autem propositio talis est huiusmodi, sicut corollarium proximum naturale cum alijs corollarijs prioribus clare probat. *Si quis autem respondeat cauillando, quod Deus omnia mota mouet, non tamen propriè, immediatè, & per seipsum, sed tantum mediante alio, puta Cœlo, vel quia fecit motorem, & rem motam, seu quia ipsa conseruat, aut quia permittit, siue non impedit, ab impedientibus ue defendit, refelletur faciliter per præmissa, sicut secundum huius, & tertium similes || *refellebat.* Et si quis obijciat contra capitulum, quod tunc Deus latraret, comederet siliquas, mentiretur, furaretur, cum absurditatibus cæteris silendis potius quàm dicendis, & contra Corollarium, quod Philosophus tam in Logica, quàm in Philosophia multas propositiones huiusmodi esse immediatas affirmat: Dicendum, quod primum non procedit, quia illa verba non significant actiones huiusmodi absolutè, scilicet tantum secundum id quod essentialiter sunt aut fiunt; sed cum quadam relatione ad creaturam, quatenus ab ipso profluunt & emanant. Pro secundo dicendum quod Philosophus in talibus loquitur, sicut Philosophus naturalis, scilicet de immediatione causæ secundæ, causæ scilicet naturalis; & hæc est immediatio secundum quid, quia tantum in genere creatorum; non autem de immediatione simpliciter, quæ simpliciter omnem mediam causam priuat. C D E

[Margin: || repellebat]

CAP-

A

CAP. V.

Quod Deus non est mutabilis vllo modo: habet Corollarium quinque partium.

OStenso igitur quòd Deus est principium effectiuum cuiuslibet mutationis & motus, restat consequenter ostendere, quòd Deus non est mutabilis vllo modo; hoc autem sequitur euidenter ex sexta parte Corollarij primi huius; & licet ibi videatur sufficienter ostensum; est tamen hic ex causa aliquibus rationibus & Au-
B toritatibus amplius muniendum. Constat siquidem secundum præmissa tertio huius & quarto, quòd Deus omnia facit & mouet; & in omni factione & motione est aliquis factor & motor infactibilis & immobilis, alioquin esset processus infinitus in eis contra Suppositionem secundam; quod & quædam præmissa secundo huius testantur. Et quis digniu talis, quàm primus & summus factor & motor; quod & quædam 2°. 3°. & 4°. huius præmissa testari videntur. Istam quoq; conclusionem propter rationem præmissam multi Philosophi, & Theologi contestantur. Præterea si Deus esset aliquo modo mutabilis, non esset actus purissimus, contra secundam suppositionem, & tertiam partem Corollarij primi huius. Vnde & Philosophus 12. Metaphys. 38. Quoniam autem est mouens ipsum quidem immobile, actu ens, hoc non conuenit aliter se habere vllatenus. Vbi Auerroes, Illud quod mouet primum motum, cùm sit
C non motum, quia est actus purus sine aliqua potentia, impossibile est vt habeat aliquam dispositionem ab ea quã habet. Item si Deus quomodolibet mutaretur, non esset summè vnus & simpliciter, neq; summè necesse esse, contra 1^am^ suppositionem 2^am^ partem, & alias Corollarij primi huius, & Philosophos & Theologos multis locis. Vnde Philosophus 5 Metaph. 6. distinguens necessarium, scribit ita; Primum & proprium necessarium quod ||*simplex* est; hoc enim non conuenit pluribus modis habere; quare nec aliter & aliter; Iam enim pluribus modis vtique haberet: Et 12. Metaphys. distinguens necessarium 38. sic dicit; Hoc autem non contingens aliter, sed simplex; ex tali igitur principio dependet cœlum & natura: & Auicen. 1. Metaph. 6. Necesse esse per se est necessariũ omnibus suis modis; & infra noni; 1°. Necesse esse, per hoc est necesse esse, omnibus suis modis, quòd non potest esse ei alia dispositio futura quæ non erat. Item si Deus posset mutari, cur non posset mutari in peius; quomodo etiam nullatenus alio indigeret, contra 1^am^ Suppositionem, & partes Corollarij primi huius?
D Vnde & Hermes de verbo æterno vlt. Nihil, inquit, deest ei, qui ipse est omnia, aut in eo sunt omnia; & Sixtus Pictagoricus in sententiolis suis ait, Deus quidem nullius eget; quare & Propheta Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges, Psalmo 15. & Apostolus; Hic cœli & terræ cùm sit Dominus, non in manufactis habitat templis, nec manibus humanis colitur indigens aliquo. Item tunc esset passibilis vt patet per se; quoniam omne mutari est pati; & sic arguit Auerroes super 5. Metaph. comment. 6. Si fuerit possibile mutare in aliam speciem, scilicet dispositionem aut modum, tunc natura eius erit de natura passibilis recipientis multas species, quod reputat impossibile; & ita videtur cùm agere semper præstantius sit quàm pati. Vnde Aristoteles 3. de Anima 19. Semper, inquit, honorabilius agens patiente, & principium materia; & 4. Eth. 1. virtutis magis est benè facere, quàm benè pati; & August. 12. super Genesin ad literam 29. Omni modo, inquit, præstantior est qui facit, ea re, de qua aliquid facit; & idem probat 6. Musicæ suæ diffusè; & 83. quæst. 28. Omne, inquit, efficiens
E magis est quàm id quod efficitur; & de immortalitate animę dicit idem: Item tunc mutaretur [ab alio,] vel saltem hoc posset, vt patet per Arist. 7. Phys. & Auerr. in comment. & Auicen. 1. Metaph. 3. qui volunt concorditer, quòd omne quod mouetur, mouetur ab alio, & sic esset in potentia respectu alterius inferior & passiuus; quæ omnia primæ suppositioni, & tertię parti Corollarij primi derogant multum nimis. Et hæc videtur ratio Algazel. 2. Met. dicto 9. Necesse esse, inquit, non potest permutari, quia non ab alio nec à seipso, quia nulla res agit aliquid in seipsa vllo modo. Arist. etiam 1° de Cœlo 110. multas istarum rationum more suo breuiter comprehendens, sic ait; In *Enkidijs* philosophismatibus circa diuina multoties declaratum est rationibus, quod diuinum intransmutabile necessarium esse omne primum & summum, quod sic habens testificatur dictis, neq; aliud melius est quod mouebit; Illud enim vtiq; erit

Philosophus. *Auerroes.* *Philosophus.* || simpliciter. *Hermes.* *Sixtus Pythagoricus.* *Propheta.* *Apostolus.* *Algazel.* *Aristoteles*

erit diuinius, neque habet prauum nihil, neque indigens eorum quod ipsius bonorum vllo est. A
Hermes. Hoc idem satis multæ Autoritates Philosophicæ & Theologicæ contestantur; Vnde Hermes de verbo æterno ostenso 33. Deum mouere omnia cœlestia & terrestria, superiora, & inferiora, temporaria ratione diuina lege conscripta 34. sic ait, Cunctis ergo ita se habentibus nihil stabile, nihil fixum, nihil immobile, nec nascentium, nec cœlestium, nec terrenorum; sed solus Deus, & merito solus; Ipse enim in se est & à se; et circum se totus est plenus, atque perfectus, isque sua firma stabilitas est, nec alicuius impulsu, nec loco moueri potest, cum in eo sint omnia, et in omnibus ipse est solus. *Aristoteles.* Quare & Aristoteles 12. Metaph. 51. Deus non transmutatur; In indignius enim transmutatio, et motus ‖ *quidam* tale; ‖ quidem et 9. Metaph. 2. Passibilitas est in deterius & corruptionis; vbi Auerroes, Omne quod patitur, aut patitur ad peius, aut patitur ad corruptionem; et 8. Phys. 36. et post diffusè ostendit Philosophus, Primum mouens non moueri omninò, quia neq; essentialiter, neque accidentaliter vllo modo; vbi & 37. allegat Anaxagoram ponentem intellectum, qui est primum principium, necessario esse im- B
Boetius. passibilem, immixtum, & immobilem. Boetius quoque 3. de Consolatione Philosophiæ prosa vltima allegat à Parmenide, diuinæ forma substantiæ rerum orbem mobilem rotat, dum se immobilem ipsa conseruat. Vnde & 24. definitionum 24. Philosophorum de Deo 19. ita dicit, Deus est semper mouens immobilis. Hoc idem Auicen. Algazel, Ammonius, Auerroes, & alij plures Philosophi pluries contestantur. Quod & Autoritas sacra docet; vndè Psalmo 43. Tu ipse Rex meus, & Deus meus; vbi Augustinus, Tu es ipse, non enim mutatus es; tempora mutata video, Creator temporum non mutatur, & Exod. 3. Ego sum qui sum; & Psalmo 101. Mutabis eos & mutabuntur, tu autem idem ipse es. Glossa; tu autem qui dixisti Ego sum qui sum, idem ipse es, id est, immutabilis, & omnipotens; hæc enim sunt ex te, per te, & in te; non tamen sunt quod ipse es, qui es mutans non mutatus, faciens non factus, mouens sed manens. Vnde & Num. 23. Non est Deus vt filius hominis vt mutetur Mala. 3. Ego Dominus, & non mutor. Iac. 2. Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis ob- C
umbratio; 1. ad Tim. vlt. qui solus habet immortalitatem, id est, immutabilitatem; vnde beatus Augustinus 1. de Trin. 1. sic dicit, Dictum est ad Mosen Ego sum, qui sum; et qui est misit me ad vos; sed cum esse aliquo modo dicatur & corpus & animus, nisi proprio quodam modo vellet intelligi, non id vtique diceret; & id quod ait Apostolus, qui solus habet immortalitatem, cum & Anima quodammodò immortalis esse dicatur, & sit, non diceret solus habet, nisi quia vera immortalitas incommutabilitas est, quam nulla potest habere creatura, quoniam solius creatoris est. Hoc et Iacobus dicit, Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum, apud quem non est commutatio nec momenti obumbratio. Hoc et Dauid, Mutabis ea & mutabuntur, tu autem idem ipse es; proinde substantiam Dei sine vlla sui commutatione mutabilia faciẽtem, & sine vllo suo temporali motu temporalia creantem intueri, & plenè nosse difficile est. Et 5. de Trin. 2. breuius docet idem, vbi vult quòd solus Deus omninò mutari non potest; & subdit, Quod mutatur D
non seruat ipsum esse; & quod mutari potest, etiamsi non mutetur, potest quod fuerat non esse, ac per hoc non illud solum quod non mutatur, verum illud quod omninò mutari non potest sine scrupulo occurrit, quod verissimè dicatur esse. Et 1. de doctrina Christiana penult. sentent. 37. Ille summè ac primitus est, qui omninò incommutabilis est. Idem vult 12. de
Gregorius. Ciuitate Dei 1, 2, 3. & aliis locis multis. Quare & beatus Gregorius 18. Moral. 31. super illud Iobi 28. Nec commemorabuntur in comparatione eius, Propheta, inquit, eiusdem incommutabilitatem essentiæ contemplatus, ait. Omnia sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur; Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Hinc ad Mosen dicitur, Ego sum, qui sum, & dices filijs Israel, Qui est, misit me ad vos. Solus quippe veraciter est, qui solus incommutabiliter permanet. Nam omne quod modò sic est, modò aliter est, iuxta non esse est; permanere enim in suo statu non potest; atque aliquo modo ad non est itur, dum ab eo quod fuerat semper ad aliud per momenta temporum duci- E
Petrus Lumbardus. tur. Hoc idem ostendit & Petrus 1. Sententiarum suarum dist. 8. & dist. 37. Autoritates Sanctorum copiosius allegando.

Prima

A

Prima, quòd Deus essentialiter & præsentialiter necessariò est vbique, nedum in mundo, & in eius partibus vniuersis: 1.

Verumetiam extra mundum in situ seu vacuo imaginario infinito. 2.

Vnde & immensus & incircumscriptus veraciter dici potest. 3.

Vnde & videtur patere responsio ad Gentilium & Hæreticorum veteres quæstiones; Vbi est Deus tuus? &, Vbi Deus fuerat ante mundum? 4.

Vnde & similiter clarè patet, quòd vacuum à corpore potest esse, vacuum verò à Deo nequaquam. 5.

EX his autem verisimiliter, si verè veritas ipsa nouit, videtur corollariè inferendum, quòd
B Deus essentialiter & præsentialiter est vbique, nedum in mundo, & in eius partibus vniuersis; verumetiam extra mundum in situ seu vacuo imaginario infinito; Vnde & immensus & incircumscriptus veraciter dici potest, quanquam dicatur immensus, & incircumscriptus etiam alia ratione. Vnde & videtur patere responsio quædam clara ad gentilium & hæreticorum veteres quæstiones, quas à fidelibus quæritabant; Vbi est Deus tuus? &, Vbi Deus fuerat ante mundum? quorum vnum metricè sic quæsiuit;

Dic vbi tunc esset, cum præter eum nihil esset?

Vnde & similiter clarè patet, quòd vacuum à corpore potest esse, vacuum verò à Deo nequaquam. Quòd autem Deus necessariò sit vbique in mundo, sequitur manifestè. Si enim in aliquo eius loco non sit, & potest esse in illo, cum per septimam partem primi sit omnipotens, hoc potest per motum, & non per motum creaturæ, quia nunc est ibi creatura & continuè prius fuit, quæ, eadem ratione, qua alia creatura sufficit & suffecit ad existentiam Dei ibi,
C nec per motum sui, sicut capitulum ostendebat: Hoc idem ex Corollario secundi huius, & eius ostensione ostenditur euidenter. Pro secunda parte probanda suppono, quòd A sit situs fixus imaginarius huius mundi, & B situs simul imaginarius extra mundum distans ab A, & quod Deus moueat mundum ab A ad B, situans eum in B: tunc per primam partem huius, & per Corollarium secundi huius, & ostensionem ipsius, Deus nunc est in B, vel ergo prius fuit ibi vel non: Si fuit, eadem ratione prius fuit, & nunc est vbique imaginariè extra mundum; Si non, eadem ratione nunc non est in A, sed in B: Deus ergo prius fuit in A, & non in B: & nunc non est in A, sed in B omnino distante, ergo recessit ab A, & accessit ad B, ergo & localiter seu situaliter mouebatur, sicut & anima nostra mouetur ad corporis nostri motum. Hic respondent quidam sequentes Philosophum, 1. de Cœlo, supponentes omnem motum localem necessariò esse sursum vel deorsum, vel circularem, scilicet à medio, ad medium, vel circa medium: sed istum motum si poneretur, non esse aliquem prædictorum; quare &
D dicunt non esse possibile mundum sic moueri. Sed isti diuinam potentiam, imo omnipotentiam grauiter mutilant, & detruncant. Potuit quoque Deus in principio creauisse hunc mundum in B; cur ergo nunc non potest ponere illum in B? Potest etiam nunc creare alium mundum in B; cur ergo non potest ponere hunc mundum in B? Hæc etiam responsio damnatur à Stephano Parisiensi Episcopo in hæc verba; Quòd Deus non potest mouere cœlum motu recto; & est ratio, quia tunc relinqueretur vacuum. Nec ista responsio difficultatem euitat: Ponatur enim, quòd Deus sine motu locali creet alium mundum in B, & annihilet istum mundum in A, & reuertitur difficultas. Alij etiam sequentes Philosopum, vt videtur, respondent dicentes; Non esse aliquem situm aut vacuum extra mundum; quare nec Deum ibi esse, nec posse mundum illuc mouere. Sed hi habent dicere consequenter, Deum de omnipotentia sua nullatenus potuisse fecisse mundum maiorem in aliquo, nec minorem, quod eius omnipotentiam nimis restringeret, & nimium coarctaret. Habent etiam dicere, quòd
E Deus necessariò fecit mundum in A situ, & quòd ante mundum fuit A situs, & non alius. Sed cur iste, non alius? cur tantus, non maior, nec minor? vel enim hoc fuit à Deo, vel per se, non ab eo: Si à Deo, potuit & ab eo fuisse situs maior & maior, & alius, & alius sine fine, propter eius potentiam infinitam: Si autem per se, non ab eo, quæ virtus? quæ ratio? quæ natura hunc ei præcisum, & impertransibilem terminum inuiolabiliter limitauit? cùm ille situs imaginarius nullam naturam habeat positiuam, sicut nullus ignorat; aliàs etenim esset aliqua natura positiua, quę nec esset Deus, nec à Deo, cuius oppositum 2um. & 3um. huius docent; essetque coæterna Deo, quod nullus recipit Christianus. Quare & Stephanus Parisiensis Episcopus damnauit articulum asserentem, quòd multa sunt æterna, nec Deus posset illa destruere

Stephanus. (margin, beside "damnatur à Stephano Parisiensi Episcopo")

Stephanus. (margin, beside "Quare & Stephanus Parisiensis")

ſtruere etſi vellet, quare & omnipotentia priuaretur. Ratio quoque horum militat contra eos: Si enim ſecundum Philoſophum, & ſecundum ſuppoſitionem ipſorum vacuum eſſe non poſsit, nec ſitus imaginarius corpore non repletus, Mundus eſt æternus, quod eſt hæreticum, quod & negant, vel ante creationem ipſius erat ſitus eius imaginarius vacuus, nec corpore occupatus. Hanc etiam reſponſionem, & eius irrationalem rationem damnat Articulus recitatus: His igitur nequaquam obſtantibus, videtur præmiſſam rationem procedere inoffenſè. Rurſum Deus in principio creans mundum, & quamlibet partem eius, ſimul fuit cum Mundo, & qualibet parte eius: Nam ſicut patet ex 7°. Phyſ. 9. & poſt, & 2. de Anima 74. In omni motu, & in omni actione mouens & agens eſt ſimul cum moto & paſſo. Vnde & Auguſtinus homilia ſecunda, ſuper illud Ioan. 1. In Mundo erat, & Mundus per eum factus eſt; Quomodo, inquit, erat in mundo? & reſpondet, quomodo Artifex regens quod fecit; Non enim ſic fecit, quomodo facit Faber foris ſecus eſt arcam quam facit, & illa in alio loco poſita eſt, cùm fabricatur; & quamuis iuxta ſit, ipſe alio loco ſedet qui fabricat, & extrinſecus eſt ad illud quod fabricat; Deus autem infuſus Mundo fabricat, vbique poſitus fabricat, & non recedit aliquo, non extrinſecus quaſi verſat molem quam fabricat, præſentia maieſtatis facit quod facit, præſentia ſua gubernat quod fecit. Sic ergo erat in mundo, quomodo per quem mundus factus eſt. Vel ergo Deus priùs natura fuit ibi, quàm creauit ibi, & quàm creatura fuit ibi, vel è contra: Si priùs naturâ fuit ibi, hoc non fuit per creaturam, nec per creare, ſed per ſeipſum & non nouiter, quia tunc per ſeipſum nouiter mutaretur; fuit ergo ibi æternaliter per ſeipſum; quare & eadem ratione fuit æternaliter per ſeipſum vbique in vacuo, ſeu ſitu imaginario infinito, & adhuc eſt vbique ſimiliter extra mundum: Nec poteſt quis dicere quod è contra, priùs naturâ eſt creaturam creari, quàm eſſe hic vel ibi; & prius naturâ eſt Deum creare ibi, quàm creaturam creari ibi. Hæc enim eſt cauſa huius: & adhuc prius natura eſt Deum eſſe ibi quàm creare ibi, ſicut & prius natura, eſt, quàm creet; ſicuti & quodlibet aliud agens: Non enim quia Deus vel quodlibet aliud agens agit, ideo eſt; nec quia agit ibi, ideo eſt ibi, ſed potiùs è contra. Ad idem, creato Mundo in hoc ſitu, Deus fuit hic, vel ergo nouiter vel æternaliter; ſi nouiter, hoc fuit per aliquam mutationem vel motum in Deo, vel in alio, puta mundo; ſed non per mutationem in Deo, ſicut quintum oſtendit; nec per mutationem in mundo, quia Deus prius naturâ fuit ibi quàm mundus crearetur, vel quomodolibet mutaretur, ſicut præcedentia manifeſtant. Non eſt ergo Deus nouiter factus ibi, ſed æternaliter fuit ibi: quare & eâdem ratione æternaliter fuit, eſt, & erit vbique in ſitu imaginario infinito. Simili modo, & forſitan planiori poteſt idem oſtendi, ſupponendo Deum creare aliquid puta *A* per aliquam diſtantiam extra cœlum, ſicut patet ex præmiſsis, quod poteſt; Poteſt enim mouere mundum ad alium ſitum diſtantem, potuitque creaſſe Mundum in ſitu diſtante, quare & adhuc poteſt ibi creare. Creet igitur ibi *A*, tunc Deus immediatè agit ibi *A*, & conſeruat, ſicut præmiſſa hic, & in corollario ſecundi huius oſtendunt. Eſt ergo Deus ibi immediate & eſſentialiter per ſeipſum; vel ergo prius naturâ eſt ibi, quàm *A* ſit ibi, vel è contra, &c. ſicut prius. Ad idem, Creato ibi *A*, Deus eſt ibi; vel ergo nouiter, vel æternaliter, &c. ſicut ſupra. Amplius autem, Deus eſt in ſitu Mundi, vel ergo ad hoc quod ſit ibi indiget neceſſario creaturâ, quaſi quodam innixorio ſeu reclinatorio fulcimento, ſeu fundamento ipſum ſuſtinente ne cadat, ne defluat, ne potius euaneſcat, vel non ſic indiget creaturâ; primum dici non poteſt propter præmiſſa, priùs enim naturâ eſt Deus in ſitu cuiuſlibet creaturæ, quàm ipſa creatura, ſicut ſuperiùs eſt oſtenſum, nec ipſe ſuſtinetur aut portatur à creaturâ, nec aliquo modo creatura innititur, ſed è contra, ſicut ſecundum huius oſtendit. Deus etiam ante quamlibet creaturam in aliquo ſitu fuit: Hoc enim eius perfectioni & ſufficientiæ infinitæ, quam prima ſuppoſitio cum partibus ſequentibus ei dedit, nimium repugnaret; Eſt ergo Deus fundamentum ſine fundamento, in nullo ſcilicet priori fundatum, ſed primum & originarium fundamentum omnium aliorum, cui omnia alia, quia de ſe inſtabilia, velut fundamento per ſe fixo, ſtabili, & immobili innituntur, à quo & iugiter ſuſtinentur, & continuè ſupportantur, ſicut ſecundum huius multipliciter oſtendebat: Non ergo è contra. Poteſt igitur Deus eſſe in ſitu quo voluerit, ſine indigentia creaturæ, & non nouiter, quia non per motum ſui ſicut quintum oſtendit, ergo æternaliter quieſcendo. Deus ergo eſſentialiter per ſeipſum in omni ſitu vbique æternaliter & immobiliter perſeuerat. Præterea perfectius eſt eſſe in aliquo ſitu vbique, & in ſitibus multis ſimul, quam in vnico ſitu tantum; quapropter & ſpiritus qui hoc poteſt, perfectior eſt corpore quod non poteſt; ſed Deus eſt ſpiritus infinitè perfectus, ſicut prima Suppoſitio & eius oſtenſio manifeſtant; hoc ergo ei conuenit infinitè, & hoc ſine indigentia creaturæ, ſicut ſuperiùs eſt oſtenſum, & ſine mutabilitate quacunque. Eſt ergo Deus neceſſariò, æternaliter, infinitè vbique in ſitu imaginario

Margin letters: A (beside line 1), B (line 13), C (line 26), D (line 37), E (line 48)

Auguſtinus (margin note beside line 10)

A ginario infinito; vnde & veraciter omnipræsens sicut & omnipotens dici potest. Potest quoque simili ratione dici quodammodo infinitus, infinitè magnus, seu magnitudinis infinitæ, etiam quodammodo licet Metaphysicè & impropriè extensiue; Est enim inextensibiliter & indimensionabiliter infinitè extensus. Infinitæ namque magnitudini, & extensioni imaginariæ, & cuilibet parti eius totus simul plenariè coexistit; quare & similiter dici potest; Immensus enim non mensus, nec mensurabilis vlla mensura, & incircumscriptus, quia non circumscribitur ab aliquo ipsum plenariè circundante; nec sic potest ab aliquo circumscribi; sed ipse omnia circumscribit, continet, & circundat. Vnde & Sixtus Pictagoricus in sententiolis suis ait; Magnitudinem Dei non inuenies, etiamsi pennis volare posses. Huic autem sententiæ attestatur secunda 24. definitionum de Deo, à 24. Philosophis positarum, quæ dicit, Deus est sphæra infinita, cuius centrum est vbique & circumferentia nusquam; & 18. Deus, inquiens, est sphæra, cuius tot sunt circumferentiæ, quot puncta; & 10ª ita *Sixtus Pythagoricus.*

B dicens, Deus est, cuius posse non ‖ *numeratur*, cuius esse non clauditur, cuius bonitas non terminatur. Hanc quoque sententiam Autoritates Theologicæ testari videntur: Dicit enim Salomon loquens Deo; Cœlum & Cœli Cœlorum te capere non possunt. 3. Regum 8. & 2. Paralipom. 6. Cœlum & Cœli Cœlorum te non capiunt. Cui & concordat Ecclesia canens ita: Sancta Dei genitrix quæ dignè meruisti concipere quem totus orbis nequiuit comprehendere &c. & rursum: ‖ *mensuratur.* *Salomon.* *Paralipom.*

Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis,
In tua se clausit viscera factus homo.

Quare & Hieronymus ad Marcellam de quinque quæstionibus, Epistola 96. respondendo ad vltimam, Non ambiges, inquit, sic in Dominico corpore habitasse Deum verbum, vt & in patre esset, & cœli circulum clauderet, atque in omnibus infusus esset, & circumfusus, idem vt cuncta penetraret interior, & contineret exterior. Stultum est ergo illius potentiam vnius *Hieronymus*

C corpusculi paruitate finiri, quem non capit Cœlum, & tamen qui vbique erat, etiam in filio hominis totus erat. Dicit quoque Baruc. 3. O Israel, quàm magna est domus Domini, & ingens locus possessionis eius; magnus & non habens finem, excelsus & immensus. Vnde & Propheta, magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis Psalmo 144. Et Iob 11. loquens de Deo sic ait, Excelsior Cœlo est & quid facies, profundior inferno, & vnde cognosces; longior terrâ mensura eius, & latior mari. Super quod Gregorius 10. Moral. 8 dicit, quòd Deus transcendendo omnia concludit; qui & infra 16ⁱ libri 12. super illud Iob 23. Si ad orientem iero, non apparet &c. Creator, inquit, omnium in parte non est, quia vbique est, & tunc minùs inuenitur, quando is qui totus vbique est, in parte quæritur. Incircumscriptus namque spiritus omnia intra semetipsum habet, quæ tamen & implendo circundat, & circundando implet, & sustinendo transcendit, & transcendendo sustinet. Augustinus etiam 9. de diuinitatis Dei essentia dicit, quòd solus Deus est incircum- *Baruc.* *Propheta.* *Iob.* *Gregorius.* *Augustinus.*

D scriptus, immutabilis & immensus: & addit, de cuius immensitate in libro Beati Iob scriptum est, Excelsior Cœlo est, &c. superius recitata: Qui & 8. super Genesin ad literam 33. dicit quòd Deus nullo est locorum vel interuallo, vel spacio, incommutabili, excellentique potentia, & interior omni re, quia in ipso sunt omnia; & exterior omni re, quia ipse est super omnia. Nonne & hoc est, quod Propheta, licet obscurè, insinuare videtur; Quis, inquiens, mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit? Es. 40. quasi diceret, Nonne Deus? Et Dominus per Prophetam, Cœlum sedes mea, terra scabellum pedum meorum, Esaiæ vlt. Quare & Gregorius secundus super Ezechielem, homilia quinta; Deus, inquit, vbique est, & vbique totus est; Ait enim, Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum; & de ipso scriptum est, Qui Cœlum metitur palmo, & terram pugillo concludit; ex qua re necesse est, quòd is qui Cœlo vt sedi præsidet, super & intus est; & qui cœlum palmo metitur, & terram pugillo concludit, exteriùs superiùs, & inferiùs est. Vt ergo *Propheta.* *Esaias.* *Gregorius.*

E indicaret omnipotens Deus interiorem se esse, & superiorem omnibus, Cœlum sibi sedem esse perhibuit; vt verò se ostenderet omnia circundare, cœlum metiri palmo, & terram se asserit pugillo concludere. Beatus insuper Augustinus 7. confess. 5. vniuersam creaturam comparans creatori, sic ait; Fecit vnam massam grandem, distinctam generibus corporum, creaturam tuam, siue reuera quæ corpora erant, siue quæ ipse pro spiritibus finxeram; & eam feci grandem, non quantum erat quod scire non poteram, sed quantum libuit, vndique versum, sanè finitam, te autem Domine ex omni parte ambientem, & penetrantem eam, sed vsquequaque infinitum, tanquam si mare esset vbique & vndique per immensa infinitum solum mare, & haberet intra se spongiam quamlibet magnam, & finitam tamen, plena esset vndique spongia illa ex omni sua parte ex immenso *Augustinus.*

menſo mari: ſic creaturam tuam finitam, te infinito plenam putabam, & dicebam: Ecce A
Deus, & ecce quæ creauit Deus, & bonus Deus, atque validiſſimè longiſſimeq; præſtantior, ſed tamen bonus bona creauit; & ecce quomodò ambit atque implet ea. Nec debet obſtare, quòd Autoritates ſcripturæ præmiſſæ ſæpius exponantur ad alium intellectum: Quis enim ignorat ſacram Scripturam virtute multiplici ſancti Spiritus imprægnatam, intellectum multiplicem continere, & parere multos ſenſus? His autem partibus huius Corollarij patefactis, reſiduę pateſient. Si quis verò contra poſſibilitatem motus totius mundi ſecundum rectum, de quo ſuperius tangebatur, obijciat ſententiam Philoſophi prius tactam, videlicet quòd omnis motus eſt à medio ad medium, vel circa medium huius mundi; dicendum quod loquitur de ſpeciebus naturalium motuum naturalium corporum, & partium huius mundi. Et ſi quis adhuc eum obijciat vacuum reprobantem, dicendum, quòd fortaſſis intelligit, quòd vacuum non eſt neceſſario & naturaliter ponendum in mundo, nec etiam extra mundum, propter effectus, propter quos Pictagorici, Democritus & Leucippus, & multi antiquiores Philoſophi il- B
lud ponunt, ſcilicet propter motum localem, propter motum augmentationis & diminutionis, condenſationis & rarefactionis, propter motum alterationis, & propter diſtinctionem entium nè ſint vnum, ſeu propter reſpirationem cœli ab infinito vacuo extra ipſum, ſicut patet 4. Phyſ. 3. & 4. de cœlo & mundo, 2. de Anima, alijs quoque locis. Quod & dupliciter poni videtur; vno modo tantummodo priuatiuè, ſcilicet ipſa pura priuatio, ſeu carentia pura pleni; alio modo poſitiuè & hoc adhuc dupliciter; vno modo vt eſſet tantum dimenſio corporea à formis naturalibus ſeparata, quaſi eſſet corpus Mathematicum, ſeu ipſa ſola quantitas à rebus naturalibus alijs ſeparata; et ſic 4. Phyſ. accipitur aliquando; alio modo vt haberet etiam virtutem actiuam, & ſecundum locum motiuam, vt patet 4. de Cœlo. Definitur etiam apud eum vacuum aliquandò, quòd ſit locus non repletus, natus autem repleri; Locus autem ſecundum eundem eſt vltimum, ſcilicet vltima ſuperficies corporis continentis; tale autem vacuum non eſt extra Cœlum; nec eſt ibi locus, aut ſitus natus repleri, ſecundum naturas rebus C
naturalibus inſtitutas. Verum eſt tamen quòd argumenta ſua nequaquam de irrefragabili neceſſitate conuincunt, quin Deus poſſet de omni potentia ſua abſoluta facere vacuum vbi vellet in mundo, vel extra, quin etiam nunc de facto; Sit ſitus imaginarius vacuus extra mundum, vacuus, inquam, à corpore, & à quolibet alio præter Deum, ſicut præcedentia ſuaſerunt. Sunt autem illa argumenta ſua, ſicut & plurima alia, quædam probabiles argutiæ, in materia naturali, & magis ad hominem contrarium profitentem, quam ad rem ipſam, quod nihilominus multum valet in ſcrutinio veritatis. Vnde & ipſemet 2. de Cœlo 80. Videntur, inquit, vſque ad aliquid quærere, ſed non vſque quidem vbi poſſibile dubitationis. Omnibus enim modis hoc conſuetum, non ad rem fieri quæſtionem, ſed ad contraria dicentem. Adhuc autem opponitur, quod ſi eſſet ſitus huiuſmodi vacuus extra hunc mundum, eſſet poſſibile mundum alium ibi eſſe, contra eundem Philoſophum 1. de Cœlo 76. & poſt, hoc multipliciter reprobantem. Sed quis concluſionem hanc negat aut dubitat, niſi fortaſſis qui & omni- D
potentiam Dei negat, aut dubitat; quod ſi quis fecerit, primæ Suppoſitionis, & ſeptimæ partis Corollarij primi huius auxilio corrigetur. Argumenta autem Philoſophi in hac parte, ſimilia ſunt alijs eius argutijs ſuperius memoratis. Et ſiquis adhuc non deſinat obuiare dicendo, ſi præmiſſa ſint vera, neceſſe eſt Deum eſſe in hoc ſitu quocunque ſignato, quod videtur eius omnipotentiæ infinitæ, & libertati digniſſimæ plurimum contraire, imò & ipſum inuitum in carcere compedire irreceſſibiliterque vincire. Sed aduertat obijciens, quod poteſt ſimiliter obiici contra eum: Exiſtentibus namq; ſitibus & ſituatis, locis & locatis realibus, neceſſe eſt Deum eſſe in quocunque illorum, neceſſe eſt ſimiliter Deum eſſe in toto ſitu imaginario, & etiam in ſitu aliquo partiali; poſſet enim alias nuſquam eſſe, quare & non eſſe. Non eſt ergo hoc in Deo imperfectionis, illiberalitatis, aut impotentiæ alicuius, ſed potentiæ infinitæ, ſicut & quod eſt neceſſario actus purus, quod neceſſario actualiter cogitat, & cognoſcit quodlibet, licet vile, ſicut etiam neceſſario generat, & hoc non filiam, ſed filium, nec alium filium, E
neque multos, ſed iſtum vnicum neceſſario abſolutè. Eſt ergo perfectionis & potentiæ infinitæ, quòd Deus neceſſario ſit vbique: Alias enim non eſſet ſummè perfectus & potens, quia non ſummè in actu, ſeu potius ſummus actus, ſed potentialis & mobilis; quare & ſecundum aliquid imperfectus, ſicut quintum huius plenius oſtendebat. Hæc autem nequaquam temerariæ aſſertionis, ſed ſobriæ inquiſitionis gratia dicta ſint pariter & accepta.

CAP.

A

CAP. VI.

Quòd Deus habet distinctam scientiam omnium.

HIS ita constantibus, certum est Deum habere scientiam omnium presentium, præteritorum, & similiter futurorum summè actualem, & particularem, distinctam & certam. Hoc autem ex nona parte Corollarij primi huius lucescere quis non videt? quod tamen adhuc ex causa aliquibus rationibus & testimoniis nequaquam inutile plenius confirmare. Deus igitur cuncta conseruat, efficit, atque mouet, sicut
B superius est ostensum, sed non sine sapientia disponente, quoniam tunc prudens homo melius faceret facta sua, quàm gloriosissimus Deus sua, quod & tertia pars corollarij primi docet. Aliàs quoque Deus non deberet naturaliter præesse sapientibus hominibus, sicut rector, sed magis è contra; quoniam secundum Philosophum, 1. Metaph. Sapientem non ordinari oportet sed ordinare, nec hunc ab altero, sed ab hoc minus sapientem suaderi; & 5. Eth. 11. Non sinimus principari hominem, sed rationem; & 1. Polit. 1. quòd potest mente præuidere, hoc principans naturâ, & dominans naturâ; & 3. lib. 9. Qui intellectum iubet principari, videtur iubere principari Deum & leges; qui autem hominem iubet, apponit & bestiam. Qui & in De Secreto Secretorum 1. partis 4. Scias, inquit, quod intellectus est caput regiminis; & infra 3. partis 5. loquens de Rege; In hoc, inquit, assimilandus est Deo, & oportet ideo Regem assimilari, & imitari altissimum in omnibus suis operibus; Deus verò sapiens est atque sciens, & eius preconium, & eius nomina *Philosophus.*
C gloriosa sunt in ipso, & magnitudo eius dominij maior est supra commendationem, ergo & sapientia. Et infra; Inuentum est scriptum in vno lapide lingua Chaldæa, Rex & Intellectus sunt fratres, alter altero indigens, nec vnus sine reliquo, sed sicut ex prima & secunda suppositionibus, & 17. parte apparet, & 12. Metaph. in fine probatur, quòd ipse est vniuersaliter omnium entium vnus princeps; habet ergo sapientiam omnia suauiter disponentem. Item aliqua singularia præsentia Deus cognoscit, ergo eadem ratione quæcunque; nam tantummodo cognita amat, & curat; sed rationabiliter viuentes amat & curat, dicente Philosopho, 10. Eth. 13. Secundum intellectum operans, & hunc curans, & dispositus optimè, & Dei amantissimus videtur esse. Si enim quædam cura humanorum à dijs sit, quemadmodum videtur, & erit, vtique bene rationabile, & gaudere ipsis optimo, & cognatissimo; hoc autem est intellectus; & diligentes maxime hoc, & honorantes, & rebeneficiare vt amicis ipsis curatis recte & benè operantes. Vbi Auerroes; Si cura sit Deo de hominibus, vt creditur, & vt debitum *Auerroes.*
D est, gaudet de meliori, & dignius est vt benefaciat eis qui amant eum plus, & honorificet eos, & visitet eos, sicut est dispositio amici cum amico. Aristoteles quoque 2. Rhetor. 28. sic dicit; Si iusta dixeris, homines te odient; si iniusta, dij; si autem iusta dixeris, dij te amabunt; si iniusta, homines. Item aliter Deus non esset iustus remunerator bonorum, nec vltor malorum contra multa præmissa in partibus corollarij primi huius, & contra Hermetem dicentem de Deo; Qui nullius malefactoris opus iustificat, & nullum benefactorem præmijs priuat; & contra Aristotelem in De mundo vlt. sic dicentem de Deo; Hunc semper comitatur vltio & iustitia. Qui & in De bona fortuna 1. dicit; Deum dignificamus Dominum existentem talium, vt distribuat dignis & bona & mala; & 4. De consolatione Philosophiæ, prosa 1. Philosophia Boetio sic respondet; Esset infiniti stuporis, omnibusque horribilius monstris, si vti tu æstimas, in tanti velut patrisfamilias dispositissima domo, vilia vasa colerentur, & prætiosa sordescerent; sed non est ita. Nam ipso, de cuius nunc regno loquimur, Autore cog- *Aristoteles.* *Boetius.*
E noſces semper quidem potentes esse bonos, malos verò abiectos semper atque imbecilles, nec sine pœna vnquam esse vitia, nec sine præmio virtutes. Quod & Seneca multis locis, & omnes morales Philosophi cum Poetis vnanimiter contestantur; imò & hæc est quasi communis animi conceptio omnium gentium in quacunque lege viuentium vel etiam sine lege. Amplius autem superfluum videretur & vanum, sperare in Deum, & orare eum, nisi intelligeret spem & preces; sed omnes homines cuiuscunque sectæ sperant in Deum, & orant; vnde & ||*ille* Arist. ethnicus in De mundo 12. dicit ita; Tota vita largitur summũ locũ Deo; & omnes extendimus manus ad cœlũ dum oramus: huic & consonat dictũ suũ in Secreto Secretorum suorum, 1. parte 2. & dictum Auicen. 10. Metaph. suæ 1. primo huius in ostensione 32. partis *Seneca.* ||ipse

Q corol-

corollarij recitata. Nonne & Plato in prolog. in Timæum, Omnibus, inquit, mos est, & quasi quædam religio, qui de maximis vel de minimis rebus sunt acturi aliquid, præcari ad auxilium Diuinitatem, seu aliter precari auxilium Diuinitatis; quod & statim facit ibi deuotè, immediatè subiungens; Quanto nos æquius est, qui vniuersitatis naturæ, substantiæque rationem præstituri sumus, inuocare diuinam opem, nisi plane sæuo quodam furore atque inexplicabili raptemur amentia. Sit igitur meis precibus comprehensum maximè, vt ea à nobis dicantur, quæ Deo placeant, tum vt nobis quoque ipsis consequentia, propositoque operi decentia proferamus; Et infra 2ª. 17. acturus de materia prima ait, deinde etiam nunc auxiliatorem inuocabimus ante auspicium dictionis liberatorem, ex turbida & procellosa & cœpti iam sermonis iactatione. Cui & Hermes concordanter de verbo æterno 9. Deum, inquit, rogamus, vt tribuat nobis facultatem reddendæ rationis istius. Et infra vlt. Hoc, inquit, loquens Deo deprecamur, vt nos velit seruare perseuerantes in amore cognitionis tuæ, & nunquam ab hoc vitæ genere separari. Sixtus quoque Pictagoricus in sententiolis suis ait, Exordium à Deo sume in agendo quæ agis; & rursum, Hæc posce à Deo, quæ dignum est præstare Deum; & iterum, Ea pete à Deo, quæ accipere ab homine non potes; & infra, Nisi petas à Deo illud quod habueris, non perpetuo obtinebis. Quare & Boetius 5. de consolatione Philosophiæ prosa vlt. dicit ita, Manet speculator desuper cunctorum præscius Deus, bonis præmia, malis supplicia dispensans; neç frustra sunt in Deo positæ spes, precesque, quæ cùm sint rectæ inefficaces esse non possunt. Amplius autem scientia Dei ostenditur euidenter per miracula gloriosa pro suis cultoribus, in necessitatibus suis ad eum clamantibus sæpe facta, de quibus trigesima secunda pars corollarij primi huius pleniùs differebat. Item si Deus nesciret quæcunque præsentia, insipiens homo sciret, & bestia multa cognosceret, quę Deus perfectissimus ignoraret. Item si Deus aliqua præsentia sciat, & non omnia; possibile est felicissimum Deum decipi & errare, & miserum esse nimis. Quare & Aristoteles 3. Metaph. 15. deducit Empedoclem ponentem quidlibet cognosci per simile, & Deum non habere odium, ad hoc impossibile, quod accidit felicissimum Deum minus prudentem esse alijs. Non enim cognoscit elementa omnia, nam odium non habet; Notitia verò similis à simili. & in De mundo 11. assimilat Xerxem Regem, qui intellexit omnia per ministros, Deo, qui omnia videt, & audit. Hoc idem & nomen Dei in lingua Græca testatur: Deus enim dicitur Græcè Theos à theoro, quod est videre, eò quòd videat omnia. Quare & Auicenna 8. Metaph. 6. dicit, Necesse esse non intelligit quicquid est nisi vniuersaliter, & tamen cũ hoc non deest ei aliquid singulare, & ideo non deest ei id quod est nimium in cœlo & in terra; & hoc est de mirabilibus quod non potest imaginari, nisi qui fuerit subtilis ingenij. Quapropter & Sixtus in sententiolis suis monet, Nunquam putes Dei sapientiam insensibilem; & rursum cogitatio hominis Deum non latet, & ideo cogitatio tua pura sit ab omni malo: Et infra, Nequaquam latebit Deum agens iniustè, sed ne cogitans quidem. Cui & concordanter Ptolomæus, sicut recitatur in primo prologo Almagesti, Conueniens, inquit, est intelligenti pro Deo verecundari, cùm ea quæ ipsi non sunt grata cogitat. Amplius autem aliquis est intellectus agens omnem cognitionem nostram intellectualem & scientiam quam habemus, sicut probat Philosophus 3. de Anima 17. & Auerroes ibi; & Auicenna 5. de Anima 5. & Algazel 5. Physicæ suæ primo. Hic autem intellectus agens si sit Deus, habetur intentum; si autem cum Auicenna 9. Metaph. 3, & cum Algazele 5. Phys. suæ 1. dicatur esse infima intelligentia cœlestium, scilicet orbis Lunæ, ipsa scit omnia, & si ipsa scit omnia, quomodo Intelligentia summa Deus aliquid horum nescit? Adhuc autem cum Intelligentia quælibet citra Deum, sit de se potentialis ad intelligendum, sicuti ad essendum, sicut ex secundo huius apparet, quis educit potentialitatem eius ad actum? quis perficit & continet eam in actu? quis facit eam intelligentem in actu nisi intelligentia summa Deus, qui de se & per se actualissimè semper intelligens perseuerat: Hæc igitur intelligentia summa Deus, omnem intellectionem in omni natura intellectiua inferiori efficit, & conseruat, sicut tertium, quartum, & secundum huius perspicuè manifestant. Hæc autem sententia de intellectu agente, videlicet quòd sit Deus, confirmatur per Philosophum in De bona fortuna 2. dicentem, Palam, quemadmodum in toto Deus, mouet enim aliquo modo omnia quæ in nobis, diuinum rationis autem principium, non ratio, sed aliquid melius, quid ergo erit melius & scientia & intellectu, nisi Deus? virtus enim scilicet, est Deus intellectus organum; & infra in Secretis Secretorum 1. part. 1. Deus, inquit, influit suas diuitias abundanter in animas sapientum, & studentibus tribuit gratiam cognoscendi, cui nihil difficile, sine quo nihil est possibile possideri. Idem infra eiusdem 2. partis 1. dicit quod Deus excelsus & gloriosus multa ‖ *meditabilia* & alia plurima reuelauit sanctis Prophetis, & quibus-

Marginalia: *Hermes.* — *Sixtus Pythagoricus.* — *Aristoteles.* — Θεὸς θεωρῶ — *Auicenna.* — *Sixtus.* — *Ptolomæus.* — ‖ medicabilis

Margin letters: A, B, C, D, E

A quibusdam alijs quos præelegit, & illustrauit spiritu diuinæ sapientiæ, & decorauit eos dotibus scientiæ, seu dotauit. Et hoc idem vult Auerroes super 3. de Anima, comment. 25.36. & super de somno & vigilia, vbi assignat causam somniorum verorum; & super 12. Metaphys. comment. 18. & 38. Platonici quoque, vt recitat Augustinus 8. de Ciuitate Dei 7. dixerunt ipsum Deum esse lumen mentium, ad discenda omnia, à quo facta sunt omnia. Hoc idem testantur orationes Platonis & Hermetis superiùs recitatæ. Nam quomodo peterent à Deo scientias sibi dari, nisi ipse scientiarum sit Dominus atque doctor? Quare & Plato. 2. Timæ. 15. dicit, quòd bono Philosophiæ nihil vnquam maius ad hominum genus diuina munificentia commeauit; & Hermes de Verbo æterno 35. Tibi, inquit, Deus summe, gratias ago, qui me videndæ diuinitatis luminasti lumen: Et infra vlt. Gratias, inquit, tibi summe, exuperantissime. Tua enim gratia tantum sumus cognitionis tuæ lumen consecuti, quoniam omnibus paternam pietatem, & religionem, amorem, & quæcunque est dulcior efficacia præbere dignaris. *Augustinus.* *Plato.* *Hermes.*

B Ex his igitur patet, quòd Deus scit omnia nunc præsentia, & eisdem rationibus similiter ostendetur, quòd semper sciuit, & sciet omnia quæ tunc erant, aut erunt præsentia: Et cùm per quintum huius nihil addiscat de nouo, nec aliquod scitum amittat, ipse semper scit omnia præsentia, præterita, & futura. Vnde & Aristoteles in De bona fortuna 2. Deus, inquit, bene videt futurum & præsens, & quorum perijt ratio, id est, præterita. Cui concordat Ammonius super 1. peri hermenias vlt. ita scribens, Dicendum quidem deos cognoscere omnia facta entia & futura modo dijs conuenienti; hoc autem est vna, & determinata, & infallibili cognitione; Propter quod quidem & contingentium scientiam dicendum ipsos comprehendere. Et infra; Cognoscere, inquit, ipsos contingentia, ipsorum natura est, propter quod, hæc quidem indeterminatam habentia naturam, posse quidem & euenire, & non euenire; illos autem velut modo nobiliori, quàm sit ipsorum natura, cognitionem illorum præaccipientes determinatè & hæc scire. Etenim res partibiles impartibiliter, & indistanter cognoscere ipsos est necessarium, & plurificata vnitiue, & temporalia æternaliter, & generabilia ingenerabiliter. *Ammonius.*

C Quare & Auicenna 4. de Anima 2. dicit, Omnia quæ in mundo sunt præterita, præsentia, & futura, habent esse in sapientia creatoris. Hermes insuper de verbo æterno 9. Neque, inquit, credibile est Deo displiciturum esse quod placuit, cùm & futurum idemque placiturum multo ante sciuerit. Et infra 30. dicit, quòd diuinitas est præscientia omnium rerum. Præscientiam quoque Dei specialiter probant claræ Propheriæ, claræ visiones, & veracia somnia, vera præsagia futurorum; de quibus omnibus tricesima secunda pars Corollarij primi huius plenius pertractauit. In ista quoque sententia concordant omnes Philosophi de quibus audiuerim præter vnum, qui in ea parte non est Philosophus, sed magis vaniloquus & sophista: Imò nec meretur nomen sophistæ, quoniam apparentiam nullam habet. Hic enim Cicero scripsit librum bene magnum de diuinatione, in quo, recitando multorum verissima somnia, quin potius clarissimas visiones, diui- *Auicenna.* *Hermes.*

D nationem per somnia lucidè demonstrauit. Sed in contrariam partem lapsus respondet ad omnia nullum soluens, negando omnem diuinationem & præscientiam qualemcunque; qui & ausu sacrilego ponens os in Cœlum, in tam cæcam blasphemiam prorumpebat, vt etiam Deum negaret præscium futurorum, dicens fortè cum insipiente in corde suo non est Deus; sin autem insipiente insipientius & insipidius sapiebat, scilicet Deum esse, & ipsum esse insipientem, & inscium futurorum. Adhuc autem Astrologi & Medici sæpe per signa naturalia multa futura prognosticant & prædicunt; quomodo ergo Deus nescit aliquod futurorum? Quomodo etiam Geomantici, Necromantici, Augures, & alij diuinantes, imò & dij Gentium, multa vera sæpiùs prædixerunt, vt tuæ, Marce Romane, plurimæ contestantur historiæ, absque omni scientia, vel saltem coniectura probabili de futuris? Et si ipsi habuerunt scientiam huiusmodi saltem paruam, vel qualemcunque coniecturam tenuissimam, veram tamen, quis nesciens, seu potius insaniens Deum audebit asserere nescium futurorum; cum

E per primam Suppositionem, tertiam partem, & quartam Corollarij primi huius, necessario consequatur ipsum ea cognoscere perfectiùs infinitè. Amplius autem si Deus secundum præmissa habet scientiam omnium præsentium, præteritorum, & similiter futurorum, cum scire actualiter & particulariter, distinctè & certè sit perfectius, quàm scire tantum habitualiter, potentialiter & vniuersaliter, confusè & incertè; Deus scit omnia illis modis, imò & summè scit omnia, & secundum summitatem modorum illorum, sicut prima Suppositio, tertia pars & quarta lucidè manifestant.

COROLLARIUM. A

Habet Corollarium, quod Deus habet distinctam scientiam omnium, nedum præsentium, præteritorum & futurorum: verum & omnium possibilium & impossibilium, imaginabilium & cognoscibilium quouismodo, vnde & omnisciens, sicut & omnipotens veraciter dici potest.

VNdè & consequitur euidenter sapientissimum Deum nostrum, nedum habere scientiam huiusmodi omnium præsentium, præteritorum & futurorum, verum & omnium possibilium, & impossibilium, imaginabilium, & cognoscibiliũ quouismodò; vndè & omnisciens, sicut & omnipotens veraciter dici potest. Hoc autem Corollarium seu porisma per priora, sicut prior conclusio faciliter demonstratur. Hæc dixerim contra eos, qui non probauerunt Deum habere in notitia, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob; credentesq; cuncta B mundana omni destituta regimine, fortuitis motibus agitari. Sed quia in hoc nullus Catholicus vel leuiter hæsitat, nullam Autoritatem Catholicam credidi adducendam, cum tamen hoc testetur plenissimè vtriusque series Testamenti.

CAP. VII.

Obijcit contra sextum & soluit.

HIc forsan aliquis seminator verborum Sophisticus obijciet in hunc modum: Omni multitudini conuenit saltem imaginariè addere vnitatem; ergo multitudini omnium cognitorum à Deo. Quod si addatur, sequitur Deum non cognoscere distinctè totam illam secundam C multitudinem, quoniam vnam eius vnitatem, scilicet illam nouiter additam non cognoscit. Item sit A multitudo omnium punctorum imaginabilium cognitorum à Deo, B verò multitudo omnium animarum imaginabilium cognitarum à Deo, & C multitudo omnium Angelorum imaginabilium cognitorum à Deo, & D multitudo composita ex B & C tantum; tunc A est æquale B & C diuisim, quare & minus D. Potest ergo augeri imaginariè ad æqualitatem illius; quod si ponatur, Deus totam illam multitudinem A sic auctam non cognoscit distinctè. Item ponatur secundum sententiam Aristotelis mundus æternus anterius, & sit A multitudo omnium dierum præteritorum in mente diuina, secundum illud Propheticum, Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui; et B multitudo omnium annorum, eclipsium, seu æquinoctiorum priorum; tunc A est maius B; constat: sicut enim dies vnius anni se habent ad illum; ita omnes dies pariter congregati, ad omnes annos pariter D congregatos: Et de multitudine eclipsium, & æquinoctiorum similiter sentiendum; alias etiam A esset æquale B; quare & pars toti. Eadem etiam ratione multitudo omnium horarum, & minutarum quotlibet, imò & instantium æquaretur multitudini eclipsium, æquinoctiorum, annorum communium & magnorum, quinimò & multitudini myriadum qualicunque annorum; quare & multitudo omnium instantium preteritorum simpliciter æquaretur multitudini instantium æquinoctialium, eclipsalium, annalium, & myriadalium, inchoantium scilicet seu terminantium eclipses, annos paruos aut magnos, myriadesuè annorum, quod quis concesserit? A ergo est maius B; quod si concesseris, distribuatur imaginariè, vel verè in mente diuina, hesterni diei vna, & proxima vnitas B, puta vna, & proxima eclipsis præterita, & diei diem hesternum proximo præcedenti eclipsis proxima ante illam, & ita deinceps semper continuè retrogradè procedendo; & tandem tota distributione completa, cuilibet vnitati A correspondebit æqualiter vna vnitas B, & è contra, quod patet clarissimè. Alioquin, alicubi in E aliquo die præterito desineret talis distributio vnitatum B, & cum dies ille distet à die præsenti per dies finitos tantummodò, B haberet finitas tantummodò vnitates? vnitates ergo A & B mutuò sibi æqualiter correspondent; quare & totæ illæ multitudines sunt æquales. Quinimò & B est maius A quantum volueris, in duplo, in decuplo, & deinceps. Cuilibet namque vnitati A distribuantur modo quo prius duæ, aut decem, seu quot volueris vnitates B, &c. sicut supra. Deus ergo non nouit distinctè multitudines totas tales, quare nec aliquam multitudinem infinitam. Item possum imaginari saltem fictè aliquid, quod Deus non intelligit, & ita facio. & illud intelligo: Ergo aliquid intelligo quod Deus non intelligit; et ita facio, & illud intelligo, quod Deus non intelligit. Ad idem cum audis proferri aliquid, quod Deus non intelligit,

A telligit, tu aliquid intelligis per prolatum; ergo tu intelligis, quod Deus non intelligit; ergo Deus non intelligit intelligibilia vniuersa. Item, si Deus intelligat omnia intelligibilia, et non potest ea omnia, quia impossibilia non potest, magis est intelligens quàm potens, ergo non est omnipotens, nec potentiæ infinitæ: Omne enim minus alio est finitum. Ad idem, si potentia sit minor eius intelligentiâ, posset saltem imaginariè augmentari ad eius æqualitatem, & sic posset fieri potentior, quàm sit modò. Item multitudo omnium punctorum realiter existentium, vel etiam possibilium, seu imaginabilium est simpliciter infinita; Aliàs enim posset illis adhuc adhuc vlteriùs vnus punctus, & sic prima multitudo quæ ponitur omnium punctorum, non esset omnium punctorum; ergo illa multitudo replet & satiat totam capacitatem intellectiuitatis diuinæ. Non enim est in aliquo minor ea, quoniam tunc esset aliquo modo finita, & non simpliciter infinita. Item, si Deus intelligat omnia, vel ergo confusè vel distinctè; non confusè, propter capitulum proximum; nec distinctè, quia tunc haberet in se aliqua, & tot distincta realiter, quot cognoscit distinctè. Aliqua enim distincta necessario re-
B quiruntur ad distinctionem quamlibet faciendam, sicut videtur patere ex ostensione 36. partis corollarij primi huius. Nec potest quis concedere multitudinem infinitam, neque finitam habituum vel actuum cognitiuorum realiter diuersorum in Deo, propter 26. partem corollarij primi huius. Item Philosophus 12. Metaph. 51. per multas rationes ostendit, Deum non intelligere aliud à seipso; vbi & Auerroes ostendit, quòd scientia Dei non est vniuersalis, quia vniuersalis scientia importat potentiam respectu singularium, & nulla est potentia in eius scientia, vt supponit, nec est particularis, vt arguit, quia particularia sunt infinita, & non determinantur à scientia; patet ergo propositum. Item Dominus dicit quibusdam; Amen dico vobis, nescio vos, Matth. 25. & supra, eodem 24. De die autem illa & hora, nemo scit, neque Angeli cœlorum, neque Filius. Et Gen. 22. Temptauit Deus Abraham, & post experientiam dixit Abrahæ; Nunc cognoui quòd timeas Deum: ergo hoc prius non cognouit, vel vanè sic dixit: Et Exod. 16. dixit Dominus ad Mosem; Pluam vobis panes de cœlo, & populus colli-
C gat, vt temptem eum, vtrum ambulet in lege mea, an non. Et Deut. 13 Temptat vos Dominus Deus vester, vt palam sciat, vtrum diligatis eum an non: & Ierem. 11. sic scribitur; Non cognoui, quia cogitauerunt super consilia. Item Sancti frequenter excitant Dominum vt cognoscat, dicentes; Audi, vide, intellige, memento Domine huius vel illius; Memor esto, cogita, recordare, vt patet creberrimè in Scriptura, quod non esset, si semper omnia cognosceret actualiter & distinctè; & Scriptura sæpè commemorat Deum, quandoque de aliquibus recordari, & aliqua obliuisci, & de aliquibus pœnitere. Item Tobiæ 12. dixit Raphael; Ego obtuli orationem tuam Domino. Item dicit Hieronymus super illud Abakuc 1. Facies hominis quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem; Absurdum est ad hoc deducere Dei Maiestatem, vt sciat per momenta singula, quot culices nascantur, quotuè moriantur, quota pulicum & muscarum sit multitudo, quotue pisces natent in aquis, & similia. Item, quòd Deus nesciat omnia vera contingentia de futuro videtur; quia hoc esset necessariò, vel
D contingenter; non necessariò, quia non necessariò sunt vera, ergo nec scita; nec contingenter, quia tunc posset illa non scire; & quia nullum non verum est scitum à Deo, contingit omne verum contingens esse non verum; ergo contingit saltem pro possibili nullum verum contingens esse scitum à Deo. Docet enim Philosophus 1. prior. vbi agit de mixtione contingentis, & in esse, quòd maiore de in esse non vt nunc, aut in hoc tempore, sed simpliciter; & minore de contingenti ad vtrumlibet, sequitur conclusio de contingenti pro possibili. Hoc idem sic probatur; Contingit omne verum contingens esse non verum: ponatur ergo in esse, & habetur propositum. Modus arguendi patet per Philosophum, vbi prius, probantem mixtionem prædictam per hoc, quòd ex opposito conclusionis, quod erit vna de necessario, & minore posita in esse, sequitur in mixtione necessarij, & in esse prius ostensa, vna conclusio de necessario, quæ infert oppositum primæ maioris.

E Huic autem stulto contra diuinam sapientiam sophisticè garrienti, secundum consilium Sapientis expedit respondere iuxta suam stultitiam, ne sibi sapiens videatur. Potest igitur non improbabiliter primo dici, quòd ista argutia non impugnat cognitionem diuinam, quoniã si quis concesserit aliquã esse multitudinem omnium cognitorum à Deo, negabit tibi aliud quod assumis, omni scilicet multitudini posse addi aliam vnitatem, dicetque hoc solum esse verum de multitudine finita, cui necessariò infinitæ deficiunt vnitates, non de multitudine simpliciter infinita, quæ omnes continet vnitates. An non fortè & aliter, nec minus probabiliter dici potest, quod ista argutiuncula scientiæ diuinæ non obuiat, nec resistit? Aequaliter enim arguit nullam esse multitudinẽ omnium imaginabilium, seu cognoscibilium, sicut Deum talis multitudinis scientiam non habere. Quòd enim Deus talẽ multitudinem non cognoscat,

Philosophus.
Auerroes.
Mat. 25.
Gen. 22.
Exod. 16.
Deut. 13.
Ier. 11.
Tobi. 12.
Hieronymus.
Responsio.

cognoſcat, poteſt dupliciter cogitari, vel quia talis multitudo eſt, & Deus illam nõ nouit, quod nullus niſi forſitan neſcius vel leuiter ſuſpicatur: vel quia nulla talis multitudo eſt vllo modo eſſendi; quare nec intelligibilis, aut cognoſcibilis vllo modo, ſicut non eſt ſcibile, hominẽ eſſe non hominẽ, aſinum, vel Leonẽ, quod & videtur non inopinabiliter dici poſſe. Si enim eſſet aliqua multitudo omnium imaginabilium, ſeu cognoſcibilium ſimpliciter, eſſet & aliqua multitudo omnium punctorum imaginabilium, ſeu cognoſcibilium, omnium talium animarum, & ſimiliter Angelorum, ſicut argutia ſequens tangit. Sit igitur *A* multitudo omnium punctorum imaginabilium, ſeu cognoſcibilium, *B* verò omnium talium Animarum, *C* autem omnium talium Angelorum; & *D* tota multitudo compoſita ex *B* & *C* tantum ſicut ſuperius ponebatur; harum igitur trium multitudinum quælibet eſt æqualis cuilibet vt videtur: Nulla enim ratio poteſt reddi, cur hæc illam excedat potius quàm è contra: Si inſuper vna harum, puta *B* ſit minor alia, puta *C*; poteſt augeri imaginabiliter ad æqualitatem illius. Non ergo *B* ab initio omnes animas imaginabiles continebat; poſſetque *C* minui ad æqualitatem *B*, & tamen omnes Angelos imaginabiles continere; nihil enim ei eſſet detractum; quia ſi quid, quantum? quis rationabiliter dicet quantum? quod contradictionem concludit: Hæ igitur tres multitudines, *A B C* ſingulæ ſingulis ſunt æquales *D*, ergo eſt dupla ad ſingulas ſingulatim, ſicut oſtendunt præmiſſa, circa vltimam partem corollarij primi huius. Videtur igitur poſſibile A imaginariè augmentari ad æqualitatem *D*; Cur enim non poteſt numerus minor augeri ſaltem ſecundum imaginationem ad æqualitatem maioris; ſicuti & è contra? Imò imaginor *A* æquari *D*, Imaginor etenim quamlibet vnitatem *D* habere vnum proprium punctum ſibi; cur etiam quæſo multitudo talium irrationalium vnitatum punctorum non poſſet eſſe, aut imaginari ęqualis multitudini rationalium vnitatum animarum & Angelorum? quid impedit? quid reſiſtit? Imò imaginor quamlibet animam & Angelum habere in ſe decem, centum, aut quot volueris ſpecies ſeu ſimilitudines cognitorum. Hæ ergo ſunt plures iſtis; & cur non poſſum imaginari tot puncta? imò imaginor quamlibet ſpeciem punctum eſſe, aut punctum proprium poſſidere; Imaginor inſuper ſingulas animas & Angelos in noua puncta conuerſos, manentibus punctis prioribus. Nonne ergo tota multitudo punctorũ imaginabilium augmentatur? Imaginor etiam quemlibet pũctum, & quamlibet animam conuerti in Angelum manentibus prioribus Angelis; Nonne ergo tota multitudo imaginabilium Angelorum imaginabiliter adaugetur? Ad hæc autem ſit *E* multitudo omnium punctorum luminoſorum imaginabilium, & *F* multitudo omnium punctorum tenebroſorum imaginabilium, & *G* multitudo congregata ex eis; vel ergo *E* eſt æqualis *A* vel minor; Non ęqualis, quia pars eius ſicut & pars *G*, & quia tunc eſſet æqualis *G* ſuo toti: Nec minor, quia eadem ratione eſſet minor *B* & *C* diuiſim, quod poteſt deſtrui per priora. Imaginor inſuper quod quilibet pũctus fieret luminoſus, *E* ergo multitudo *A* multitudini adæquatur. Poteſt quoque ſimiliter argui de animabus & Angelis, ſupponendo aliquam eſſe multitudinem omnium animarum imaginabilium ſapientium, ſeu bonarum, & aliam eſſe multitudinẽ omnium animarum imaginabilium inſipientium ſeu malarum, & de Angelis pari modo, &c. ſicut ſupra. Adhuc autem & poſſet fieri ſimilis prologiſmus de hominibus integris in corpore & anima, de manibus, digitis, dentibus, & capillis eorum; imò & de punctis corporum eorundem: Data namque hypotheſi conſequitur euidenter, quod quælibet multitudo omnium horum imaginabilium, puta hominum, ſeu corporum humanorum, eſſet æqualis cuilibet multitudini ſimili, puta manuum, digitorũ, dentium capillorum, quinimo & punctorum. Ex his igitur, vt videtur, poteſt non improbabiliter apparere, nullã eſſe multitudinem omnium imaginabilium, ſeu cognoſcibilium, in ſpecie punctorũ, animarum, vel ſimilium; quare nec vniuerſaliter omnium; ſicut nec eſt aliqua multitudo omnium finitorum imaginabiliũ, nec aliqua multitudo omnium quę nõ ſunt omnia, cum tamen multa ſint quę non ſunt omnia; nec aliqua multitudo omnium paucorum, tribus etiam in perſonis Diuinis; neq; aliqua multitudo omnium compoſſibilium de numero quatuor contradictoriorum poſſibilium ſignatorum. Nulli tamen dubium debet eſſe, quin omnis multitudo cognoſcibilium quouiſmodo, & quorumlibet cognoſcibilium multitudo diſtinctiſſimè cognoſcatur à Deo, ſicut proximum huius docet. Et ſi adhuc non deſinas obgarrire, ergo Deus neſcit, quot puncta cognoſcit; imò ſcit: Scit enim quod duo cognoſcit, & ſi intelligas per quot, quotcunq; ad maximum ſeu plurimum, ita quod non vltra, eſt aliquis forſitan qui concedet, non quia aliquã punctorum multitudinẽ, aut aliqua puncta Deus ignoret; ſed quia nulla eſt multitudo punctorum omnium quæ cognoſcit, ſicut præhabita ſuadebant. Simili namq; modo oportet te concedere, quod Deus neſcit, quot puncta finita cognoſcit; quod neſcit quot latera, vel angulos ſcit in figura rectilinea, æquilatera & æquiangula contineri; quod neſcit quot pedes ſcit in circumferentia, vel diametro circuli poſſe eſſe; quòd

A quòd nescit in quot partes æquales scit continuum simul actu esse diuisum; imò fortaßis quod
magis videtur mirabile apud quosdam, quòd Deus non scit puncta finita posse esse tot, quot
scit puncta finita posse esse; quod Deus non scit finitam rectilineam posse habere tot latera æ-
qualia, & angulos æquales, quot scit finitam rectilineam posse habere; quòd Deus non scit
circulum posse esse quantumcunque scit circulum posse esse; quòd Deus non scit continuum
posse esse diuisum in quotcunque partes scit ipsum posse esse diuisum, quòd Deus nescit quæ
est mensura communis latus quadrati & diametrum commensurans, quanquam de quadran-
gulis benè sciat; quod nescit quæ sunt omnia, quæ non sunt omnia; quæ sunt omnia pauciora
tribus; quæ sunt omnes diuinæ personę pauciores tribus personis diuinis, quamuis benè sciat,
quòd omnia multa pauciora tribus sunt duo, & hoc totum non propter defectum scientiæ, aut
cognitionis in Deo, sed quia illa non sunt scibilia, sicut falsa, & impoßibilia; ideoque nec poß-
sunt à scientia comprehendi. Quod verò arguitur consequenter, soluitur forsitan per hoc
B idem: Non enim diuinæ scientiæ derogat, sed potiùs reprobat multitudinem talem esse. Sen-
tentia namque Aristotelis posita, nulla fortaßis est multitudo omnium dierum, annorum,
eclipsium, seu æquinoctiorum priorum in mente diuina, nec extra; sicut nulla est multitudo
omnium finitorum eorum, neque omnium quæ non sunt omnia eorundem; omnem tamen
multitudinem horum præteritorum, & omnia hæc præterita distinctißimè nouit Deus. An
fortaßis per hanc rationem ad impoßibile deducentem potest sententia Aristotelis reprobari,
& oppositum demonstrari? cùm secundum eius sententiam, sicut est aliquod totum tempus
infinitum, sic & aliqua tota multitudo omnium dierum, mensium, & cæterorum huiusmodi
infinita, sicut Corollarium primi tangit. Aliqui forsitan respondebunt fatendo *A* & *B*, & om-
nes tales multitudines esse ad inuicem coæquales; Sed ista proteruia priùs fuerit propulsata:
Et cùm adhuc proponis, quod potes imaginari saltem fictè aliquid, quod Deus non intelli-
git, & sic vltra procedis; O minùs intelligens! cur non vis intelligere, quòd proprio gladio
C poßis similiter referiri; Si enim imaginari valeas quouismodo, quòd Deus non intelligit, cur
non similiter imaginari valebis, quòd tu ipse non intelligis? cùm multa & satis plura non in-
telligas quàm distinctè intelligas? & cur non vlterius deducis ex isto, te intelligere aliquid,
quod non intelligis? Et cùm vlterius ore stulto ebullis stultitiam, cùm audis, inquiens, pro-
ferri aliquid quod Deus non intelligit, tu aliquid intelligis per prolatum: Ex ore tuo te iudi-
co ex verbis tuis; Cum audis, inquio, proferri aliquid, quod tu non intelligis, tu aliquid in-
telligis per prolatum &c. sicut priùs: hanc autem stultitiam hominibus illis relinquo vlteriùs
masticandam, quibus quod stultum est || *Dei* tanquam sapientius acceptatur. Cùm verò ar- || Deo.
guitur, quòd si Deus intelligat omnia, plura intelligit quàm poßit; dicendum quòd quic-
quid Deus intelligit, potest intelligere. Quare non sequitur quod Deus sit magis intelli-
gens quàm sit potens. Si autem loquaris de posse ad extra producere, sic non propriè sed
multum impropriè sit magis intelligens quàm sit potens, quia respectu cuiuslibet cuius est
D potens, est intelligens, & non è contra; & sic non sequitur vltra, quòd non sit omnipotens.
Ex hoc enim dicitur verè omnipotens, quia potest omne poßibile, non quia potest omne
imaginabile, aut esse fingibile, vt probat Lumbardus 1. sentent. distinct. 42. licet ibi per di-
cta sanctorum ostendat similiter, quòd ideo Deus dicitur omnipotens, quia potest quicquid
vult, quod conuenienter potest intelligi, ideò ipsum omnipotentem verè dici, quia potest
quicquid vult, id est, quodcunque ab eo volubile fieri, & hoc est omne poßibile, vt est dictum.
Et similiter dicitur potentiæ infinitæ productiuæ ad extra, quia eius potentia non finitur ad
aliquod poßibile, nec ad aliqua poßibilia, quod vel quæ non potest. Aliud autem argumen-
tum de multitudine omnium punctorum realium poßibilium vel imaginabilium non proce-
dit: Sicut enim arguit illam multitudinem replere, & satiare totam capacitatem intellectus
diuini; sic posset argui, quòd eadem repleret & satiaret totam capacitatem entitatis, seu
poßibilitatis essendi, ita quòd nihil aliud posset esse. Hoc idem etiam aliter soluitur per præ-
E missa. Ad aliud dico, quòd Deus intelligit distinctißimè vniuersa, nec per aliqua distincta
in eo, sed tantum per suam vnißimam, & simplicißimam claritatem, quæ ex multitudine
suæ virtutis & fortitudinis infinitæ æquiualet, imò incomparabiliter præualet omni multi-
tudini similitudinum, exemplarium, idearum, habituum, actuum, & accidentium quo-
rumcunque, sicut tertia pars, & quarta Corollarij primi docent. Et hoc est quod fideliß-
simus, & disertißimus Esaias 40. sic testatur; Leuate, inquit, in excelsum oculos ve-
stros, & videte quis creauit hæc; qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex
nomine vocat, præ multitudine fortitudinis, & roboris, virtutisque eius, neque vnum
relictum fuit, scilicet secundum glossam, alienum à numero & cognitione eius. Auto-
ritates verò Philosophicæ in contrarium allegatæ intelliguntur de entibus finitæ fortitu-
dinis,

dinis, & virtutis. Talia enim, vt videtur, nō possunt aliqua distinctè cognoscere, nisi per aliqua correspondenter distincta, nisi forsan hoc sit per hanc claritatem diuinam, ex sua infinita virtute supplentem in eis vicem huiusmodi distinctorum. Pro Autoritate Philosophi dicendum, quòd non intendit probare Deum non intelligere aliud à seipso, sed probat hæc tria, quod Deus non intelliget in potentia, quòd Deus est sua intelligentia, & quòd Deus non intelligit aliud à se, ita quòd patiatur, & causaliter perficiatur ab eo sicut intellectus humanus, quod legentibus, & non negligentibus illud capitulum cum expositionibus Auerrois, Thomæ, & aliorum Doctorum poterit apparere. Pro illo autem dicto Euangelico quod sequitur, est sciendum quod scientia Dei est duplex, scilicet simplicis cognitionis seu notitiæ, & approbationis & complacentiæ, quæ vltra simplicem cognitionem seu notitiam addit approbationem, beneplacitum, & complacentiam voluntatis. Distinctio ista patet per beatum Gregorium 25. Moral. vlt. tractantem illud Matth. 25. Amen dico vobis, nescio vos; Nec aliter potest intelligi nisi quòd non approbat, vel reprobat quos sic nescit. Cognoscet enim simplici notitia, quibus sic dicet. Vnde & Apostolus 1. ad Cor. 8. Si quis diligit Deum, hic cognitus est ab eo. Hanc quoque distinctionem allegat Lumbardus 1. Sentent. dist. 36. à Cassiodoro super Psalterium, & ab Augustino similiter, & in libro suo ad Heluidium, vbi dicit, Si ad scientiam referas, non ignorat Deus quibus dicet, Non noui vos, sed eorum improbatio hoc verbo insinuata est, & 83. quæstionum 60. Cum Deus dicitur nescire, pro eo dicitur, quod non approbat, id est in disciplina sua, & doctrina non agnoscit; vbi & tertium sensum eiusdem dicti subiungit, Dictum est, inquit, nescio vos, pro eo quod vtiliter facit nescientes quod scire inutile est; sicq; dicitur Deus nescire, pro facere nescientes. Vbi & alias Autoritates obiectas exponit similiter; Sicut, inquit, scire Deus dicitur, etiam cum scientem facit, sicut scriptum est, Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat si diligitis eum; non enim sic dictum est quòd nesciat Deus, sed vt ipsi sciant, quantum in eius dilectione profecerint, quod nisi tentationibus non plenè ab hominibus agnoscitur; ideo bene accipitur quod dictum est, Solum Patrem scire de die illa, quia ipse solus facit Filium scire; et quod dictum est nescire Filium, quia facit nescientes homines, id est, nōn prodit eis, quod inutiliter scierent. Et hunc vltimum modum loquendi scripturæ probat 1. de Trin. 12. efficaciter & diffusè 5. super Genesin 20. & super titulum Psalmi 6. et hæc eadem expositio patet per Glossas in locis superius allegatis. Vnde super illud Genes. 22. tentauit Deus Abraham, dicit Glossa, vt notificaret ei perfectionem, quam non ignorabat; et super illud infra, eodem, nunc cognoui &c. id est, cognoscere feci. Pro alijs quæ sequuntur, dicendū quòd Deum audire, videre, & similia, tripliciter possunt intelligi; Propriè, vt important operationes seu passiones proprias sensuum, & sic Deo non competunt; Non enim est Animal, nec corporeos sensus habet: Transumptiuè, & hoc dupliciter, scilicet aut vt important cognitionem aut affectionem diuinam, & sic non intelligunt Sancti, cum dicunt, Domine exaudi, vide, vel aliquid simile; (In his enim vniformiter semper [ita] se habet) Aut vt important diuinæ cognitionis aut affectionis opus extrinsecum & effectum, & sic intelligunt Sancti, cum orant. Et quia secundum Philosophum 6. Topic. Omnes transferentes secundum aliquam similitudinem transferunt, hæc similitudo fuit causa, quare talia ab hominibus transferuntur ad Deum. Homines quando vident, vel audiunt, irascuntur & placantur; cognoscunt & afficiuntur interius, vnde & exterius operantur; quare & istæ causæ pro suis effectibus sæpè figuratiue ponuntur, vt manus pro scriptura; cum dicimus de bona litera, hæc est bona manus; & lingua pro loquela, cum dicimus, locutus est lingua Anglica, vel latina, id est, tali loquela, & est 33. color Rhetoricus de exornatione verborum, sicut Tullius vlt. 2. suæ Rhethoricæ manifestat, à quo et denominatio denominatur. Est quoq; in talibus secundus modus æquiuocationis, vel amphiboliæ, eo quòd dictio vel oratio accipitur transumptiuè, quandò soliti sumus sic dicere, vt patet per Philosophum 1. Elench. vbi amphiboliæ sententias dubias & obscuras certificat, & serenat; qui modus loquendi in sacra scriptura, nedum ad Deum, verum etiam ad inanimata transfertur quandoque. Dicit enim Dominus Hoseæ 2. Exaudiam cœlos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet triticum, vinū et oleum, & hæc exaudiēt Israel. Vnde Augustinus super illud Psalmi 118. Memor esto verbi tui seruo tuo, sic ait, Nunquid obliuio, sicut in hominem, cadit in Deum? Cur ergo dicitur ei, Memento? & respondet, Non vt hominibus ista contingunt, ita intelliguntur in Deo; Nam sicut Deum pœnitere dicitur, quando præter hominum spem res mutat, consilio non mutato, quia consilium Domini in æternum manet; Ita dicitur obliuisci, quandò tardare videtur adiutorium, vel promissum, vel non retribuere digna peccantibus, vel si quid huiusmodi, tanquam eius memoria sit elapsum quod speratur, siue timetur, & non fit, dicuntur ista locutione morali, qua humanus moueatur affectus, quamuis Deus hæc faciat certa dispositione,

Gregorius. *Lumbardus.* *Augustinus.* *Glossa.*

A ſitione, non deficiente memoria, nec obſcurata intelligentia, nec voluntate mutata. Cum itaque dicitur ei, Memento, orantis deſiderium, quia promiſſum poſcit, oſtenditur, & non Deus, quaſi ei de mente id exciderit, admonetur. Memento, inquit, verbi tui ſeruo tuo, hoc eſt, imple promiſſum ſeruo tuo. Et 83. quæſtionum 52, oſtendit idem per totum; & in fine *Auguſtinus.*
De pœnitentia Dei, dicit; Mutare certum aliquid, & in aliud transferre, non facere ſolemus niſi pœnitendo; quanquam diuina prouidentia cuncta certiſsimo ordine adminiſtret, tamen ad humilem humanam intelligentiam, ea quæ incipiunt eſſe, nec perſeuerant quantum perſeueratura ſperata ſunt, quaſi per pœnitentiam Dei dicuntur ablata. Gloſſa quoque ſuper Geneſin 6. vbi agitur de pœnitentia Dei ſuper hominum factione; Non, inquit, in Deum pœnitentia cadit, cui eſt de omnibus tam fixa ſententia, quàm certa ‖ *præſcientia*; ſed vtitur Scriptura vſitatis verbis, coaptans ſe noſtræ paruitati, vt ex cognitis incognita cognoſcamus. Videtur igitur pœnitere dum opus mutat, voluntate tamen & diſpoſitione immobili permanente. *Gloſſa.* ‖ præſcientia.
B Aliter quoque poteſt exponi, Deum pœnitere, ſcilicet ad modum pœnitentis ſe habere, pro quo dicit Gloſſa ſuper illud, 1. Reg. 15. Pœnitet me quod conſtituerim Saul Regem, id eſt, ad modum pœnitentis faciam delendo regnum eius. Et hæc expoſitio conſonat Auguſtino, 83. quæſt. 52. ſuperius allegato: quibus & concordat Anſelmus. 1. Cur Deus homo 9. exponens illud quod legitur Luc. 2. Ieſus proficiebat ſapientia, &c. Non, inquit, quia ita erat, ſed quia ille ſic ſe habebat, ac ſi ita eſſet; & hoc eſt, quod dicit Lumbardus 3. ſentent. diſt. 13 vlt. Quod autem allegatur de Raphaele, quod obtulit orationem Tobiæ Domino, non concludit quòd Dominus illam prius neſciuit, & didicit tunc ab eo; imo ipſum offerre orationem coram Domino, non fuit, niſi conſulere voluntatē diuinam de tali oratione, ſi, & quantum, ac quando, vel quomodo debuit exaudiri. Vel forſan Raphaelem offerre Domino orationem Tobiæ, fuit ipſam ſuis precibus Domino commendare. Vnde & Auguſtinus 5. ſuper Geneſin ad literam 19. ſic ait; Non ſanè propter inferiorum ſcientiam nuntijs indiget, quaſi per eos fiat ſcientior, ſed illo ſimplici ac mirabili modo nouit omnia ſtabiliter atque incōmutabiliter; habet *Gloſſa.* *Anſelmus.*
C autem nuntios propter nos, & propter ipſos, quia illo modo Deo parere & aſsiſtere, vt eum de inferioribus conſulant, eiuſque præceptis & iuſsis obtemperent, bonum eis in ordine propriæ naturæ atque ſubſtantiæ. Autoritas verò Ieronymi ſoluit ſeipſam, in hoc quod dicit per ſingula momenta. Deus enim ſcit omnia ſimul & ſemper, non per vices temporum; ſicut ipſa ſcita incipiunt eſſe, vel deſinunt more humano, quoniam apud ipſum non eſt tranſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio, Iac. 1. & 5. capitulum demonſtrauit. Soluitur etiam per hoc quod conſequenter adiungit; Non ſimus, inquit, tam fatui adulatores Dei, vt dum prouidentiam eius etiam ad ima retrudimus, in nos ipſos iniurioſi ſimus, eandem irrationabilium, & rationabilium curam eſſe dicentes. Vult ergo Ieronymus negare à Deo ſcientiam, qua prouideat irrationalibus, ſicut rationalibus creaturis; his enim ſtatuit leges, & præmia, vel ſupplicia ſempiterna; illis autem nequaquam. Et hoc eſt quod dicit Apoſtolus, 1. ad Corinth. *Apoſtolus.*
D 9. Nunquid de bobus cura eſt Deo, ſcilicet talis cura quæ dirigat eos in meritis, & coronet in præmijs, licèt ſecundum Sapientem, Sap. 6. & 12. Cura ſit Deo de omnibus, qua ſcilicet attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter modis ſuis. Et hæ ſunt reſponſiones Lumbardi, 1. Sentent. diſt. 39. Illud autem argumentum mixtum poteſt excludi faciliter; ſicut enim arguit contra diuinam ſcientiam, ſic poteſt argui contra ipſorum contingentium veritatem. Nam nullum non verum eſt verum: contingit ad vtrumlibet omne verum contingens eſſe non verum, ergo contingit pro poſsibili; Nullum verum contingens eſſe verum: ergo contingit neutram partem contradictionis in talibus eſſe veram, ſed pariter ambas falſas. Sic ergo ab iſto inuolucro Logico non Theologico euoluuntur Theologi, & Logici inuoluuntur. *Sap.6.& 12*

CAP. VIII.

E

Quòd Deus habet volutionem & amorem communiter, & ſpecialiter ad quæcunque.

NVnc autem reſtat conſequenter oſtendere, Deum habere volutionem & amorem communiter & ſpecialiter ad quæcunque, quoniam ſecundum priora Deus omnia conſeruat, facit, & mouet, & non ſine cognitione, & ſapientia diſponente, ſicut ſextum huius oſtendit. Sed hæc ſine voluntate nihil conſeruant, faciunt, neque mouent, quoniam ipſa cognitio eius eſt ſola, ita eſt impoſsibilium ſicut poſsibilium, & poſsibilium quæ nunquam fient ſicut faciendorum; & ita præteritorum

torum ſicut futurorum; & ita futurorum in remoto, ſicut in propinquo; & ita omnium fu- A
turorum, ſicut præſentium, quæ actualiter modo fiunt vel conſeruantur iam facta. Si er-
go cognitio ſola per ſe faceret aliquid vel ſeruaret, ſemper & ſimul faceret omnia ſupradicta.
Item cognitio diuina de ſe videtur indifferens ad faciendum, vel non faciendum; imò ipſa
per ſe ſola non apparet factiua; ergo nihil poteſt efficere niſi per aliquid determinans limitetur;
hoc autem poni non poteſt niſi Diuina volutio actualis. Item ſic videtur in productione re-
rum à Deo, ſicut in productione motus proceſſiui ab animali; In hac autem non ſufficit ſo-
Ariſtoteles. la cognitio, ſed cum hac requiritur appetitus, vt probat Ariſtoteles 3. de Anima, vbi in-
quirit principium huius motus; & probat primò quod non eſt potentia vegetatiua; ſecundò,
quòd non eſt potentia ſenſitiua; tertiò, quòd non eſt ratio, neque intellectus ſpeculatiuus, nec
practicus; quartò, quòd nec appetitus eſt Dominus huius motus; quintò, quòd hæc duo ſci-
licet phantaſia & appetitus, ſiue intellectus & voluntas mouent Animal proceſſiuè. Iſta pa-
Auerroes. tent per Auerroem ibi expreſſiùs comment. 44. & deinceps; & idem probatur in de motu A- B
Philoſophus nimalium manifeſtè. Item ſecundum Philoſopum 9. Eth. 7. Omnis artifex diligit ſuum o-
pus, & omnis bene faciens bene patientem cui ſcilicet benefacit, & hoc magis quàm è contra-
rio diligatur; & omnia ſunt opera Dei ſummi Artificis, ſicut præcedentia docuerunt, eiuſque
beneficia liberaliſſimè diſtributa. Item quia aliter Deus non ſeruaret nec ageret libere, quo-
niam nulla eſt actio libera, quæ non proficiſcitur à libera voluntate, & ſic homo ruſticus &
ſeruilis liberior eſſet Deo. Aliter quoque Deus nullam voluntatem haberet, contra octauam
partem corollarij primi huius, vel non poſſet vti propria voluntate cum alijs abſurditatibus
infinitis. Adhuc autem modus liber & voluntarius operandi ad extra, eſt melior & nobilior
alio; quare & potentia rationalis, quæ taliter operatur, reputatur nobilior irrationali, quæ ali-
ter operatur. Iſte ergo modus operandi ad extra quæcunque tribuendus eſt Deo teſte tertia
parte corollarij primi huius: Iſtam quoque ſententiam & quædam Autoritates. 2°. huius præ-
Algazel. miſſæ lucidè conteſtantur: Dicitque Algazel 3. Metaph. ſententia 7. quod primus eſt vo- C
lens, & omnia fluunt ab eo, & placent ſibi, nec aliquid horum odit. Hoc autem ille anti-
Empedocles. quus Empedocles aſpiciebat à longe. Hic enim vt recitat Ariſtoteles 3. Metaph. 15. poſuit
Ariſtoteles. duo generalia rerum principia, ſcilicet Amorem & odium, ſed in Deo poſuit amorem ad om-
nia ſine odio cuiuſcunque. Quibus concordat Sapiens Sapient. 11. alloquens Dominum in
Sapiens. hunc modum, Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti, quomodo autem
poſſet aliquid manere niſi tu voluiſſes, aut quod à te vocatum non eſſet, conſeruaretur.

CAP. IX.

Quod voluntas diuina eſt cauſa efficiens cuiuſlibet rei factæ, mouens ſeu motrix cuiuſlibet motionis, ac vniuerſaliter omnium amantiſsima genetrix, nutrix & viuifica conſeruatrix. D

HVic autem coniũgendum exiſtimo quod Diuina voluntas eſt cauſa ef-
ficiens cuiuſlibet rei factæ, mouens ſeu motrix cuiuſlibet motionis, ac
vniuerſaliter omnium amantiſsima genetrix, & viuifica conſeruatrix.
Hoc totum ex 3. 4. & 2. cum proximo ſequitur manifeſtè. Quod &
* propter hæc * quibuſdam rationibus & Autoritatibus Philoſophicis & Theologi-
cis poterit confirmari. In huiuſmodi namque cauſis non eſt infinitus
proceſſus per ſuppoſitionem ſecundam; eſt ergo aliqua omnium vna
prima, quæ eſt Deus ſicut ſuperius eſt oſtenſum; ſed illa non poteſt po- E
ni. Deus ſecundum ſuam eſſetiam abſolutam, quoniam illa quantum eſt de ſe æqualiter &
indifferenter ſe habet ad poſſibilia, quæ nunquam fient, ſicut ad facienda; & ad futura re-
mota, ſicut propinqua, & ad mouentia ſicut ad quieſcentia; ergo & hæc omnia ſimiliter &
æqualiter ſemper eſſent; maximè quia ſi quid fiat ab eſſentia eius ſola ſine aliqua voluntate,
illud fit per modum naturæ & neceſſitatis, ſicut effectus cauſarum naturalium, cum libertas in
ſola voluntate ponatur: Et tales cauſæ naturales quando poſſunt, debita diſpoſitione paſſi
ſuppoſita neceſſariò ſemper agunt. In hoc enim differunt hæ cauſæ à cauſis voluntarijs par-
ticipantibus rationem, vt patet 9. Metaph. 10. & ſimiliter in comment. quare cùm om-
nes cauſæ inferiores ſiue ſecundæ in cauſatione ſua quacunque ſubdantur neceſſariò primæ
cauſæ,

A causæ, omnes causationes earum, sicut & quælibet causatio primæ causæ proueniunt de necessitate naturæ, & penitùs absoluta; quare vniuersaliter omnis libertas & contingentia, ac meritum destruetur. Non enim decet causarum ordinem naturalem, vt causa inferior secunda sit liberior, quàm suprema, & prima, nec est aliquo modo possibile. Hæc enim est in omnibus regulans, illa in omnibus necessariò regulata, hæc subijciens, illa subiecta, hæc præcedens & dominans, illa sequens in omnibus, & ancillans. Si etiam Deus ageret ad extra purè naturaliter, ageret secundum vltimum suæ potentiæ, quare & necessariò infinitæ, essetque omnis eius effectus simpliciter infinitus, & sibi æqualis, cùm omni minori plus possit, sicut Suppositio prima monstrat: Nec causa huiusmodi omnium potest poni sola diuina cognitio, sicut capitulum proximum ostendebat. Nulla ergo restat talis causa sufficiens, nisi ponatur diuina voluntas. Item quicunque agit aliquid liberè, agit illud voluntariè, Deus autem agit liberè quicquid agit ad extra; perfectius est enim sic agere; alias etiam irrationabiles essent gratia-
B rum actiones, & inanes preces omnium erga Deum. Item alias Deus nullam voluntatem haberet, vel non vteretur propria voluntate in omnibus effectibus supradictis qui sunt ab eo, sicut superiùs est ostensum, quod tamen sine dubio magis decet. Hoc idem multi Philosophi contestantur: Nam doctus Plato 1. Timæ. 1. vbi de genitura Mundi agit, loquens de Deo, sic dicit; Optimus erat ab optimo; porrò inuidia longè relegata est. Itaq; consequenter cuncta sui similia, prout cuiusque natura capax beatitudinis esse poterat, effici voluit; quam quidem voluntatem Dei, originẽ rerum certissimã si quis ponat, rectè eum putare consentiam. Ecce quantũ ad productionẽ rerum à Deo, qui & de conseruatione rerũ à Deo, secundi tertio sentit idem, sicut secundo huius pleniùs recitatur. Cui & eius discipulus Arist. in de Mundo 13. concordat, cùm dicit vniuersaliter, quod in naui Nauta seu gubernator, secundum aliam translationem, in curru Auriga, in choreis Choraula, in ciuitate Lex, in agmine, seu exercitu secundum aliam translationem, Dux; hoc Deus in Mundo: Ipse enim immobilis cuncta mouet, & cir-
C cumfert, quò vult, diuersis ideis, & naturis. Et infra eodem, Vineæ, & palmæ, & Persici ficus, dulces & oliuæ, vt ait Poëta, & infructiferæ, quarum tamen est opus ob aliud, vt Platanus, Pinus, Buxus, Tilia, Populi, Cupressus, & similia; Animantium quoque tam domestica, quàm siluestria, quæ in aëre, terra, vel aqua degunt, generantur, crescunt, & corrumpuntur, diuinis parentia decretis (secundum aliam translationem, mandatis.) Decreta autem & mandata sunt opera voluntatis. Idem supra, eiusdem 9°. Sicut, inquit, inchoante Choraula, concinit tota Chorea varijs vocibus acutis & grauibus, vnam harmoniam continuam continuantibus, sic se habet res in Deo, qui cuncta disponit: Nam secundum supernam infusionem ab agnominato Choraula mouentur semper Stellæ, totumque Cœlum incedit; & fulgidus Sol diuidens diem & noctem, & quatuor anni tempora; Fiunt autem pluuiæ, & venti, & rores, & passiones propter primam & originalem causam. Sequuntur autem hæc effluxus fluminum, maris inundationes, ortus arborum, fructuum maturationes, Animalium
D generationes, nutritiones omnium, & crementa, & corruptiones, cooperante ad hæc & vniuscuiusque conditione. Quando ergo omnium Dux (secundum aliam translationem Princeps) & genitor innuit (secundum aliam translationem, præcipit) omni naturæ latæ inter cœlum & terram, mouetur continuò in circulis & metis (secundum aliam translationem, terminis) proprijs, quandoque disparens, quandoque apparens, ostendens mille ideas (secundum aliam translationem, formas) & iterum abscondens ex vno principio. Innuere autem & præcipere est operatio voluntatis. Idemque in de Secreto secretorum 1. part. 23. Rex est in regno, sicut pluuia in terra, quæ est Dei gratia cœli benedictio, terrę vita, viuentium iuuamentum; quare & homines laudant Deum considerantes signa suæ gratiæ, dona misericordiæ, scilicet pluuias & ventos, & cæteras impressiones quas emittit de thesauro misericordiæ suæ, qui hyemis & æstatis frigora & calores summa prouidentia incuitabiliter stabiliuit; qui & supra 1. dicit, quòd Deus studentibus tribuit gratiam cognoscendi; gratiam autem & misericordiam face-
E re, prouidere, & stabilire, quis nescit competere voluntati? Nec debet iste liber inter Apocrypha numerari, eò quòd loquitur de gratia & misericordia Dei, qui magis videntur termini Theologici, quàm Philosophici. Libri enim Philosophici omnibus satis noti loquuntur de eisdem. Philosophus enim 10. Eth. 14. ponit triplicem opinionem qualiter homines fiunt boni, dicens; Fieri autem bonos existimant hi quidem natura, hi autem consuetudine, hi autem doctrina. Et vult quod quælibet istarum opinionum habeat aliquid veritatis, & pro prima opinione subdit; quod quidem igitur naturæ manifestum, quod non in nobis existit, sed per aliquam diuinam causam, & verè benè fortunatis existit: Vbi Auerroes; Quidam hominum putantur esse boni per naturam, & quidam per doctrinam, & patet quoniam quod de hoc est per naturam non est à nobis, sed per gratiam quandam diuinam; illis quoque fortuna bona est veraci-

Plato.

Aristoteles.

Philosophus.

Auerroes.

veraciter. Nec poteſt aliquis fingere quod per iſtam cauſam diuinam, & gratiam, ac fortunam, A
intelligatur tantum quædam influentia cœleſtis, ſeu ſtellica, qualem Aſtronomi ſolent in nati-
Philoſophus. uitatibus ſeu conceptionibus ſomniare; quoniã ſecundum eundẽ Philoſ. in de bona fortuna 2. Bona fortuna eſt à Deo, qui immediatè mouet intellectum benè fortunati ad enfortunia conſequenda, dicit enim ſic; Quod autem quæritur hoc eſt, quid motus principiũ in anima? palam quemadmodũ in toto, ſcilicet in vniuerſo. Deus enim mouet aliquo modo omnia quæ in nobis, diuinum autem rationis principium, non ratio, ſed aliquid melius, quid ergo erit melius & ſcientia & intellectu, niſi Deus? Virtus enim intellectus organum & propter hoc, quod olim dicebantur benè fortunati vocantur, qui ſi impetũ faciunt, dirigunt ſine ratione exiſtentes, & conſiliari non expedit ipſis: Habent enim principium tale quod melius intellectu & conſilio; qui autem rationem, hoc non habent, neq; diuinos inſtinctus. *Auerroes.* Auerr. quoque in Prol. 1. Phyſ. dicit quòd gratia hominis perfecta, eſt, ipſum eſſe perfectum per ſcientias ſpeculatiuas. Et quòd intelligat de gratia quæ gratis datur à Deo, patet per eundem ſuper 1. de Cœlo Comment. 32. dicentem, quod ipſe longo tempore fecit moram, eo quòd non intellexit explanationem illius loci; vbi probat Ariſtoteles, quòd nullus eſt motus contrarius motui circulari; et ſubdit, Sed Deus induxit me ad veritatem. Idemque ſuper 2. de Anima Comment. 34. de miſericordia Dei dicit, Sollicitudo diuina cum non potuit facere viuum permanere ſecundum indiuiduum, || *miſerta* eſt in dando ei virtutem qua poteſt permanere ſecundum ſpeciem. [|| miſerata] B

Hermes. Iſtam quoque ſententiam de gratia Dei præmiſſam, Hermes de verbo æterno vlt. atteſtatur, ſicut ſexto huius fuerat recitatum; de qua & Sixtus Pictagoricus in ſententiols ſuis ait: Gratia Dei fato non ſubiacet. *Sixtus Pythagoricus.* Amplius autem plurimi antiquorum Philoſophorum, poſuerunt amorem Dei originale principium quorumcunque; Amor autem à voluntate minimè ſeparatur. Recitat ſiquidem Philoſophus 1 Metaph. Heſiodum & Parmenidem dicentes amorem Deorum prouidentem omnibus eſſe principium generationis vniuerſi, qui amor omnia condidit, quem neceſſe eſt eſſe in entibus & eſſe cauſam, quæ res ipſas moueat, & congreget. C
Empedocles. Et idem ſenſit Empedocles ſicut 3. Metaph. 15. ab eodem Philoſopho recitatur, & in multis locis Philoſopiæ tangit opiniones ponentium amorem & odium, ſiue amicitiam & litem eſſe principia generationis & corruptionis in entibus quibuſcunque, quod non improbè dicitur, ſi intelligatur, quod amor ſeu velle Dei ſit cauſa, quare aliquid generatur, et permanet; et nolle eius ſit cauſa quare aliquid non generatur, vel non permanet, ſed corrumpitur generatum.
Auicebrol. Auicebrol quoque in libro quem nominat fontem vitæ hoc ipſum probat diffuſè, & maximè libro 5° à cap. 35. quaſi per totum vſque ad finem, ſicut ſecundum huius plenius recitauit; qui & 37. ita dicit, Omnes iſti motus in ſubſtantijs ſpiritualibus, & corporalibus deriuati ſunt à voluntate; ergo oportet ex hoc vt omnes ſubſtantiæ ſpirituales & corporales ſint mobiles à voluntate, cuius exemplum eſt, quòd voluntas animæ mouet corpus, aut quieſcere facit aliquod membrum eius, ſicut eſt quies cum retinetur anhelitus; & hic motus qui diffuſus eſt in omnibus ſubſtantijs à voluntate, eſt diuerſus in fortitudine & debilitate propter diuerſitatem D
recipientium, non propter diuerſitatem voluntatis in ſe. Et cap. vlt. Creatio aſſimilatur verbo quod loquitur homo, quia homo cum loquitur, verbis forma eius & intellectus imprimitur in auditu Auditoris, & in intellectu eius; & ſic dicitur quod ſublimis & ſanctus locutus eſt verbum, & intellectus eius impreſſus eſt materiæ, & ipſa retinuit eum, ſcilicet quia forma creata eſt impreſſa materiæ & depicta in ea. *Auicenna.* Item Auicenna 9. Metaph. 7. oſtendens quòd nihil fiat à caſu, ſed quòd omnia proueniant à cura diuina, ſic ait; Non eſt tibi via dicere, quid fiat per caſum, quia ratio inducit te ad iudicandum, quòd omnia fiunt ex gubernatione & diſpoſitione. Oportet enim vt ſcias, quòd cura eorum eſt ex hoc; quòd primus ſcit ſeipſum, & quòd ab ipſo eſt neceſſitas ordinationis bonitatis, & quòd ſua eſſentia eſt cauſa bonitatis & perfectionis, ſecundum quod poſſibile eſt rebus & placet ei, ſicut prædictum eſt. Idem 10. Metaph. 1. dicit, hoc totum fluit deſuper, nec ſequitur ex imaginatione cœleſtium tantum, ſed quia primus verus nouit hoc totum, ideo ab eo incipit eſſe onus eius quod fit; Et infra eodem, de naturalibus & voluntarijs, cœleſtibus & terreſtribus dicit ita; Collectio igitur horum E
Algazel. omnium prouenit neceſſario ex neceſſitate diuinæ voluntatis. Idem oſtendit Algazel. 3. Metaph. || *ſententia* 7ª manifeſtè, quia non agit tantum ex natura, ſed ex ſcientia, & omnis actio quæ ſubiacet ſcientiæ, ſubiacet voluntati; omne igitur quod fluit ab ea, placet ſibi, nec aliquid horum odit. [|| ſum.] Iſtam quoque ſententiam conteſtantur Autoritates quamplures ſecundo huius præmiſſæ. *Apocalipſis.* Hoc idem per Scripturam Canonicam oſtenditur euidenter; Apoc. enim 4. vigenti quatuor teſtes omni exceptione maiores concorditer hoc teſtantur, ante ſedentem in throno dicentes; dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt. Pſalmiſta quoque

Pſalmo

A Psalmo 148. omnibus cœlestibus ad laudandum Dominum per ordinem excitatis, hanc causam subiungit, quia ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt; sicut etiam legitur Genes. 1. de operibus sex dierum, dixit Deus, fiat hoc, & fiat illud, & factum est ita: Mandare autem est proprium voluntatis, & dicere similiter in hoc loco. Dicit enim Rabbi Mose de duce dubiorum 63. Quòd verbum est triplex; scilicet prolatum linguâ, conceptus mentis, & voluntas; vltima duo tantùm competunt creatori; & exponendo illud Psalmi; Verbo Domini cœli firmati sunt, dicit, quòd hoc significat, quòd hæc fuerint inuenta cum intentione & voluntate eius. Et postquam Psalmista excitauit cœlestia ad Dominum collaudandum, similiter hortatur terrestria consequenter; Laudate, inquit, Dominum de terra, dracones, & omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt Verbum eius, id est præceptum voluntatis illius. Non solùm autem ista, sed eadem ratione & alia vniuersa. Vnde Augustinus 3. De Trinit. 8. docet, quòd eorum quæ vsitato cursu naturæ fiunt frequen- B ter, sicuti sunt ortus siderum, & occasus, generationes, & mortes animalium, seminum & germinum innumerabiles diuersitates, nebulæ & nubes, niues & pluuiæ, fulgura & tonitrua, fulmina & grandines, venti & ignes; frigus & æstus, & omnia talia eorum, etiam quæ eodem ordine fiunt, sed rarò sicut sunt defectus luminum species inusitatæ, siderum monstra, terræ motus, & omnium similium prima & summa causa non est nisi voluntas Dei. Vnde & in Psalmo; Cùm quædam, inquit, Augustinus huius generis commemorata essent, vt ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, ne quis ista fortuitò, vel causis tantùm corporalibus, vel etiam spiritualibus, tamen præter voluntatem Dei existentibus, agi crederet, continuò subiecit, quæ faciunt Verbum eius. Item Psalmo 134. Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Et Iudith 9. Hoc factum est, quod ipse voluisti; satisque sunt multa similia in Scriptura. Item Augustinus 3. de Trinitate 4. Voluntas Dei in cœlesti patria, in beatis spiritibus, tanquam in excelsa sede C residens, velut in domo sua & templo; inde se ‖ *quidem* ordinatissimis creaturæ motibus, primò spiritualibus, deinde corporalibus, per cuncta diffundit, & vtitur omnibus, ad incommutabile arbitrium sententiæ suæ, siue incorporeis, siue corporeis rebus, siue irrationabilibus, siue rationabilibus, spiritualibus siue bonis per eius gratiam, siue malis per propriam voluntatem; & quasi per totum illum librum multis capitulis ostendit, quod diuina voluntas est prima, & summa omnium rerum causa. Idem Enchirid. 6. dicit; Satis est Christiano creatarum rerum causam siue cœlestium, siue terrestrium, siue visibilium siue inuisibilium, non nisi bonitatem credere Creatoris. Idemque primo de Gene. contra Manich. Voluntas Dei omnium quæ sunt ipsa est causa. Qui ergo dicit; Quare Deus fecit cœlum & terram? respondendum est, quia voluit. Voluntas enim Dei causa est cœli & terræ. Idem quoque de Quæstionibus Orosij, 39. Omnis causa creaturæ, voluntas est Creatoris. Præterea, omne quod est, aut fit, Deo Autore est, & fit, ipso volente, vt patet per Augustinum, D 83. Quæstionum 3. quid nominis taliter exponentem, Deo Autore cùm dicitur, illo volente dicitur; Deus autem est cuiuslibet rei Autor. In autoribus enim non est infinitus processus, sed aliquis omnium primus Autor; hic necessariò erit Deus. Dicit quoque Augustinus 12. de Ciuit. Dei 5. Naturarum nulla omninò est, cuius non sit Autor, & Conditor Deus. Hoc etiam alibi sæpissimè reperitur; & hoc est quod tota testatur Ecclesia in Paschali gaudio sic hymnizans; Quis Autor omnium, &c. Hugo quoque de Sacramentis lib. 1. part. 4. cap. 10. & vlt. ostendit, quòd diuina voluntas est rerum omniũ prima causa. Ex his omnibus patet principale propositũ pro qualibet sui parte. Vt tamen ex abundanti iam rationibus præostensa, per grossum exemplũ sensibilius manifestem, imaginor, quòd sicut pondus se habet in horologio nostro paruo, sic Deus in horologio mundi magno. Sicut enim hîc pondus, dum sua vnica motione rotam principalem circumfert, omnibus motibus omnia mota mouet, & singulis singula, quietata quoque quietat, & quieta conseruat, temporibus definitis eo quod ad inuicem, E & cùm rota artificialiter conatur: Sic Deus in mundo, dum sua vnica volutione rotam cœlestem primariam circumuoluit, omnia eius mota tam variè, & quieta similiter administrat; & hoc tanto regularius est in mundo, quàm in horologio manufacto, quanto tam pondus eius, quàm rota ordinatius disponuntur, quantoque cætera entia ad inuicem, ad rotam, & ad pondus virtuosioribus, licet occultioribus nexibus artificiosius colligantur. Vnde Sapient 11. Omne in mensura, & numero, & pondere disposuisti. Quare beatus Aug 4. super Genesin ad literam 5. hanc autoritatem Sapientis exponens, inquirensq; si esset, quomodo hæc tria; mensura, scilicet, numerus, & pondus sint Deus, vel non Deus, sic ait; Secundum id quod nouimus mensuram in his quæ metimur, & numerum in his quæ numeramus, & pondus in his quæ appendimus, non est Deus ista; secundum id verò quod mensura omni rei modum præfigit,

R

Psal. 148. *Gen.* 1. *Rabbi Mose* *Augustinus.* *Psalmus.* *Iudith.* *Augustinus.* ‖ quibusdã *Hugo* *Sapient.* 11. *Augustinus.*

figit, & numerus omni rei ſpeciem præbet, & pondus omnem rem ad quietem & ſtabilitatem A
trahit ille primitùs, & veraciter, & ſingulariter iſta eſt qui terminat omnia, regulat omnia,
format omnia, & ordinat omnia; nihilque aliud dictum intelligitur, quomodo per cor
& linguam humanam dici potuit, Omnia in menſura, numero, & pondere diſpoſuiſti, niſi
omnia in te diſpoſuiſti. Magnum eſt, paucisq; conceſſum excedere omnia quæ metiri poſſunt,
vt videatur menſura ſine menſura; excedere omnia quæ numerari poſſunt, vt videatur nume-
rus ſine numero; excedere omnia quæ appendi poſſunt, vt videatur pondus ſine pondere.
Huic autem imaginationi & Hermes concordans, de verbo æterno 18. Spiritu, inquit, mini-
ſtrantur omnia in Mundo, qui quaſi organum vel machina ſummi Dei voluntati ſubiectus eſt;
Et infra 26. ſic ſcribit, Totus hic mundus Dei opus immutabile, glorioſa conſtructio, bonum
mo multiformi imaginum varietate compoſitum, machina voluntatis Dei * ſuo operi abſque in-
uidia ſuffragantis. Hoc idem poteſt imaginari quis verius, ſi imaginetur horologium habens
rotam perpetuæ motionis, virtute ponderis immanentis, non extrinſecus dependentis; Deus B
‖ intimum. enim ſecundum præhabita eſt ‖ *interimum* omni rei. Sed adhuc poteſt quis hoc imaginari ve-
riſſimè, imaginando rotam perpetuæ motionis ex virtute aliqua attractiua vel etiam expulſi-
ua æternaliter quieſcente, velut ſi rota haberet in extremitatibus radiorum, aut in periferia ſua
ferrum, vel ſit ferrea ipſa tota, quod vel quam Magnes attractiuus vel aliter expulſiuus, aut in-
diuerſis extremis vtriuſque virtutis propinquus ex vna ſui parte ſemper patenter aſpiceret; ex
alia verò parte per aliquod obſtaculum occultaretur ab eo, vel ingenioſius aliter quouiſmodo.
Quod igitur Magnes quietus attrahens vel expellens in horologio tali paruo, hoc Deus immo-
bilis volens vel nolens in horologio Mundi magno: Vnde Sapient. 7. Permanens in ſe omnia
innouat. Adhuc autem fortaſſis poſſet hoc totum ſimilius & propinquius exemplo propoſito
cogitari, ſupponendo iuxta 2ª. & 4ª. huius præmiſſa, Deum primò ſeipſum motu quodam im-
mobili, inuariabilique mouere, & omnia alia omnibus ſuis variabilibus motibus conſequen-
Hermes. ter: Vnde & Hermes de verbo æterno 34. Deum, inquit, agitari credibile eſt in ſeipſum ea- C
dem immobilitate. Hæc autem cogitatio Dei, ſeu motio eius, æterna volutio reputanda. Hæc
autem imaginatio, licet groſſa à Phyſiologorum, Aſtrologorum, & Theologorum ſubtili ſci-
entia non diſcordat. Sed ne cum quibuſdam Aſtrologis liberas hominum voluntates ſub-
ijcere videar aſtrorum neceſſariæ ſeruituti, imaginor adhuc vltra, quod ſicut maior Mundus
eſt horologium quoddam magnum, ſic homo qui ſecundũ Philoſophos dicitur minor Mun-
dus, eſt horologium quoddam paruum, illud quodammodo naturale, hoc voluntarium, illud
ſtabile, hoc portatile; & ſicut ibi pondus, ſeu virtus voluntatis diuinæ mouendo per ſe primũ
eius motum, ſcilicet primam intelligentiam, cum maxima rota cœli, mouet cætera naturalibus
motibus quibuſcunque, ſicut 12. Metaphyſ. demonſtratur: ſic & mouendo per ſe primum mo-
tum in homine, ſcilicet Animam rationalem cum rota cordis vel capitis, mouet reliqua homi-
nis [organa] & hominem ipſum totum voluntarijs motibus quibuſcunque; & hoc eſt quod à
Philoſopho in De bona fortuna erat ſuperius allegatum, ſcilicet quòd principium motus in A- D
nima noſtra, quemadmodum in toto vniuerſo eſt Deus. Mouet enim, vt dicit, Omnia quæ in
nobis, diuinum rationis principium non ratio, ipſe virtus exiſtens intellectus organum; Vnde
& Parab. 21. Sicut diuiſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit
inclinabit illud. Quare nec dubium, quin ita ſit de cordibus quorumlibet aliorum, quoniam
puſillum & magnum ipſe fecit; & æqualiter eſt illi cura de omnibus, ſicut Sapient. 6. dicitur
ſapienter. Quare & Eſaiæ 40. dicitur; Ecce gentes quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt co-
ram eo; vbi gloſſa, quod ſcilicet momentum ex nihilo in vtramlibet partem inclinatur. Quare
& ſinguli petimus cum Pſalmiſta dicentes: Inclina cor meum in teſtimonia tua & non in auari-
tiam Pſal. 118. Super quod dicit Aug. Quid eſt inclinatum ad aliquid cor habere, niſi hoc vel-
le? orat igitur vt velit, cùm dicit: Inclina cor meum, &c. Vnde B. Aug. 4. ſuper Gen. ad lit. 5.
ſuper Autoritatem Sapientis prædictam, immediatè poſt expoſitionem eius ſuperius recita-
tam, ſubiungit; Neq; enim menſura, & numerus, & pondus in lapidibus tantummodo & in E
lignis, atq; huiuſmodi molibus, & quantis corporalibus animaduerti & cogitari poteſt. Eſt
enim menſura aliquid agendi ne ſit irreuocabilis & immoderata progreſſio, & numerus affe-
ctionum animi, & virtutum, & eſt pondus voluntatis & amoris; ſed hæc animorum atq; men-
tium menſura aliâ menſurâ cohibetur, & numerus alio numero formatur, & pondus alio pon-
dere rapitur. Menſura autem ſine menſura eſt cui æquatur quod de illa eſt; Numerus ſine
numero eſt quo formantur omnia, nec formatur ipſe; Pondus ſine pondere eſt quo referuntur
omnia vt quieſcant, & hæc tria ſunt Deus, ſicut ex eodem loco erat ſuperius allegatum.

Habet

A COROLLARIVM.

Habet Corollarium per omnia quæ facta fuerunt, facta fuerunt à voluntate diuinâ, & quæ facta erunt, facta erunt ab ea.

VNde cognoſcitur euidenter quòd omnia quæ facta, ſeruata, ſeu mota ſunt, fuerunt, aut erunt, hæc ſunt, fuerunt, & erunt à voluntate diuina, & hoc modis in Corollarijs tertij huius, ſecundi, & quarti præmiſsis. Hoc autem Corollarium tam patenter ex præmiſsis conſequitur, quod probatione non eget: Si enim neceſſe eſt omnia præſentialiter modò facta, præſentialiter fieri à voluntate diuina, eſt & correſpondenter neceſſe de præteritis & futuris, de ſeruatis quoque ſimiliter atque motis; quibus perſpectis, & prætactis Corollarijs intellectis, modos prædictos moderatos arbitror non latere. Poſſunt autem & hic reſponſiunculæ fabricari, quales in capitulis ſupradictis, & ſimiliter confutari.

B

CAP. X.

Quòd voluntas diuina eſt vniuerſaliter efficax, inſuperabilis & neceſſaria in cauſando, non impedibilis nec fruſtrabilis vllo modo.

NVnc autem reſtat oſtendere conſequenter quòd diuina voluntas eſt vniuerſaliter efficax, inſuperabilis, & neceſſaria in cauſando, non impedibilis, nec fruſtrabilis vllo modo. Hoc autem totum ex octaua parte Corollarij primi huius cognoſcitur euidenter; quod tamen hic ex cauſa, aliquibus rationibus & Autoritatibus confirmandum. Quis ergo neſciat optimè conſequi, ſi
C Deus poteſt aliquid facere, & vult illud facere, facit illud, aut faciet pro tempore deſtinato potentia & voluntate manente: nihil enim ei deeſt ad facere requiſitum. Dicitque Philoſophus 9. *Philoſophus.*
Metaph. 10. Potens ſecundum rationem omne, neceſſe quando deſiderat, cuius habet potentiam, & vt habet, hoc facere; & 2. Rhetor. 24. Si potuit, & voluit, egit. Omnes enim cum potentes velint, agunt. Et 5. Polit. 7. Quæ autem volunt potentes, agunt omnes: Quare & docente Philoſopho 1. Prior. ex oppoſito concluſionis cum eadem minore, inferendo oppoſitum maioris prioris, optimè ſequitur è contrario, Deus non facit hoc, & vult facere hoc, ergo non poteſt hoc facere. Non eſt ergo omnipotens, ſed impotens in hac parte, contra 7^{am} partem Corollarij primi huius, & contra fidem Eccleſiæ generalem. Vnde & Auguſt. Enchirid. 76. *Auguſtinus.*
D Omnipotenti, inquit, Deo ſemper quàm facile eſt, quod vult, facere; tam facile eſt quod non vult eſſe, non ſinere. Hoc niſi credamus, periclitatur ipſum noſtræ confeſsionis initium, qua nos in Deum omnipotentem credere confitemur. Neq; enim ob aliud vocatur veraciter omnipotens, niſi quoniam quicquid vult, poteſt; nec voluntate cuiuſpiam naturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus. Item voluntas diuina eſt actus potentiæ, vt eſt notũ, & non minoris quàm infinitæ, propter 1^{am} ſuppoſitionem & 4^{am} partem Corallarij primi huius. Superat ergo omne finitum, nec ab aliquo ſuperatur, nec ab aliquo infinito, quia ſolus Deus eſt talis per 17^{am}. partem Corollarij primi huius; nec ipſe ſuperat propriam voluntatem, nec habet in ſe contrarium illi quicquam. Quare dicit Auguſt. 5. de Ciuit. Dei 9. In eius voluntate ſumma eſt poteſtas: & Enchirid. 75. Ipſa eſt efficaciſsima. Item ſi voluntas diuina fruſtraretur ab aliquo, vel etiam vinceretur, hoc maximè videretur à voluntate creata Angelica vel humana; ergo hæc illam excederet in virtute, quod 1^{a} ſuppoſitio non concedit. Dicitq; Eſaiæ 47. Non *Auguſtinus.* *Eſaias.*
E reſiſtet mihi homo, & ſupra eodem 14. Dominus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare? & Apoſtolus ad Rom. 9. voluntati eius quis reſiſtet? Scribitur quoque Heſteræ 13. & *Apoſtolus.*
Eccleſia ſancta canit, Domine Deus omnipotens, inditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt *Heſt. 13.*
qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati; ſi decreueris ſaluare nos, continuò liberabimur: & Pſal. *Pſal. 113.*
113. Omnia quæcunque voluit, fecit; quod tractans Auguſtinus Enchirid. 75. dicit, quod vtique non eſt verum, ſi aliqua voluit & non fecit, & quod eſt indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit. Item ſi Deus non ſemper faceret quicquid vellet, indigeret auxilio ad aliqua facienda, contra quintam partem Corollarij primi huius, & contra quædam quinto huius præmiſſa. Ad hoc etiam ſunt Autoritates Philoſophicæ & Theologicæ multæ valdè. Hermes ſiquidem de verbo æter- *Hermes.*

no 9. loquens de Deo, dicit, quòd omnia ex eius voluntate dependent: Et addit; Etenim de ipsa est summa perfectio, vtpote cùm voluisse & perfecisse vno eodemque temporis puncto compleat; Placitum enim Dei necessitas sequitur, voluntatem comitatur effectus. Et infra 22. Hic, inquit, solus, vt omnia vtraque sexus fœcunditate plenissimus, semper voluntatis suæ prægnans, parit semper quicquid voluerit procreare. *Aristoteles.* Aristoteles etiam in de Mundo vlt. ostendens quòd Deus cum sit vnus, est tamen multinomius, & quædam illorum nominum exponendo sic dicit, Reor autem & necessitatem nihil aliud dici, nisi quod insupirabilem substantiam, Adrastiam verò ineuitabilem causam entem. *Auicenna.* Dicitq; Auicenna 10. Metaph. suæ 1. Collectio horum omnium prouenit necessario ex necessitate diuinæ voluntatis; Et Augustinus 6 super Genesin ad literam 20. *Augustinus.* Voluntas creatoris rerum necessitas est, et hoc ibi per magnum processum diffuse ostendit. Et idem 3. de libero arbitrio 3. Voluntas illius mihi est necessitas. Idemque Enchirid. 83. Rogandus est vt velit, quia necesse est fieri si voluerit. Dicitque Anselmus 2. *Anselmus.* Cur Deus homo 17. Si vis omnium, quæ fecit, & passus est, veram scire necessitatem, scito omnino ex necessitate fuisse, quia ipse voluit. B *Augustinus.* Itemque Augustinus Euchirid. 77. tractans illud Apostoli 1. ad Tim. 2. Qui vult omnes homines saluos fieri; Et illud Matth. 23. Quoties volui congregare filios tuos & noluisti, ostendit quòd voluntas diuina non impeditur, nec aliquo modo frustratur in istis, & multis capitulis sequentibus idem probat. Vnde & 83. dicit, quòd quantælibet sint voluntates Angelorum, & hominum bonorum & malorum volentes illud quod Deus vult, vel aliud; Dei omnipotentis voluntas semper inuicta est & 84. Omnipotens velle non potest inaniter quodcunq; voluerit; & 85. Non est credendum Deum omnipotentem voluisse aliquid fieri, factumque non esse. Qui enim sine vllis ambiguitatibus siue in cœlo, siue in terra, sicut veritas cantat, omnia, quæcunque voluit, fecit, profecto facere non voluit, quodcunque non fecit. Quare & per Esaiam 46. Deus sic dicit, Omnis voluntas mea fiet: Et infra eodem 55. Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui. Item alias Dei propositum in aliquo frustraretur, frustrariuè posset, quod est expresse contra Anselmum 1. Cur Deus homo C 4. 20. 26. & secundi 4. & 8. *Cyprianus.* Item Cyprianus gloriosus Dei Martyr & Doctor exponendo illud orationis Dominicæ, Fiat voluntas tua sicut in Cœlo, sic & in terra, sic dicit; Oramus non vt Deus faciat quod vult, sed vt nos facere possimus, quod Deus vult. Nam Deo quis obsistit, quò minus, quod velit, faciat? Et hoc est quod ille leprosus protestabatur fideliter, cum dicebat, Domine si vis, potes me mundare Marc. primo & Luc. quinto, quod & indubitanter ostendit responsio Saluatoris cum dixit Volo, mundare? Hanc etenim voluntatem mundationis effectus continuò sequebatur, sicut Euangelista subiungit; Et cum hoc dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est. *Beda.* Super quod Beda primi libri super Marcum 6. dicit, Ipsa leprosi confessio Religionis & fidei plena est; In voluntate enim Domini tribuit potestatem; Et infra, nihil est medium inter opus Dei atque præceptum quia in præcepto est opus; deniq; dixit, & facta sunt. Vides igitur quod dubitari non potest, quia voluntas Dei potestas * est; D Et infra, Simulq; illud mirabile, quòd eo sanauit genere, quo fuerat obsecratus: Si vis, potes me mundare; Volo, inquit, Mundare, habes voluntatem, habes etiam pietatis effectum. Non ergo vt pleriq; Latinorum putant, iungendum est, & legendum Volo mundare, sed separatim, vt primo dicat, Volo; deinde imperet, mundare. Qui & lib. 2° super Luc. 5. idem ad eundem sensum exponit. *Thomas.* Thomas etiam in Glossa super Marcum recitat à Chrysostomo *Chrysostomus.* ibi istud, Per hoc non solum opinionem leprosi non destruxit, sed magis confirmauit; Verbo enim morbum fugat, & quod leprosus verbo dixerat, hic opere adimpleuit. Et super illud Luc. 5. *Ambrosius.* recitat idem Glossator ab Ambrosio istud verbum: Eo sanat genere, quo fuerat obsecratus. Nihil autem medium est inter opus Dei & præceptum, vt intelligas medentis effectum virtutem operis. Vbi & hoc recitat à Cyrillo, à maiestate processit imperiosum mandatum; qualiter ergo in seruis computatur vnigenitus filius, qui volendo tantummodo cuncta potest legitur de Deo Patre, quod omnia quæcunque voluit, fecit: Qui verò E sui Patris potestate fungitur, quomodò diuersificabitur in natura ab eo? Mirare tamen in his Christum diuinè & corporaliter operantem: Diuinum est enim ita velle, vt præsto fiant omnia, humanum autem extendere dexteram. *Ecclesiastes.* Quod & luce clarius testatur Ecclesiastes 8. sic dicens, Omne quod voluerit, faciet, & sermo illius potestate plenus est. *Damascenus* Damascenus Sentent. vlt. concorditer ita dicit, Qui puluerem in corpus voluntate solum transmutauit, qui vniuersorum est conditor, qui omnia hæc construxit præcepto. Ita igitur crede & mortuorum resurrectionem futuram esse, diuina virtute, & voluntate, & nutu; Concurrentem enim habet cum voluntate virtutem. *Hugo.* Hoc etiam tenet Hugo de Sacramentis lib. 1. part. 4. cap. 15. & *Lumbardus.* Lumbardus 1. Sentent. dist. 45. plane.

*Dei

Habet

A

COROLLARIVM.

Habet Corollarium, quòd ad Deum velle facere, seu fieri quippiam per se, vel per aliud quodlibet quouismodo, necessario sequitur illud fieri illo modo, nec modo nostro conando alias vires apponit, nec est in eo vltra intellectum dictantem, & voluntatem consentientem alia virtus executiua ponenda: nec aliter se habet operans, quàm quiescens; & quòd diuina voluntas est primum principium liberum.

EX his autem consequitur manifestè quòd, ad Deum velle facere, seu fieri per se, vel per aliud quodlibet quouismodo, necessariò sequitur illud fieri illo modo; nec modo
B nostro conando, alias vires apponit; nec est in eo vltra intellectum dictantem, & voluntatem consentientem, alia virtus executiua ponenda, vt ponitur à quibusdam; nec aliter se habet operans quàm quiescens; ex quo nec minus euidenter infertur, quòd voluntas diuina sit primum principium liberum. Si enim aliquid aliud, quàm Deum velle, requireretur ad facere, voluntas sua non esset per se sufficiens ad agendum contra priora. Item voluntas Dei est aliquo modo operatiua extra se, sicut voluntas nostra mouet primum motum corporale in nobis & non tantùm finitè: hoc enim primæ suppositioni, tertiæ parti primi, & quartæ repugnat. Nec vlla est ratio quare potius sub vno gradu finito, quàm sub alio, ergo infinitè. Non ergo exigit aliquam virtutem executiuam posteriorem in Deo, quasi defectus suæ efficaciæ supplementum. Item, si talis virtus executiua ponatur, illa naturaliter mediat inter voluntatem diuinam & opus, contra autoritates Bedæ & Ambrosij superiùs allegatas; & est contra Damascenum dicentem, quòd voluntate solum transmutauit, &c. Alia verò pars huius corollarij per hoc patet, quòd æqualiter potest quis velle operans, & quiescens, & maximè
C Deus ipse, cùm per quintum huius omnino mutari non possit. Dicit & Augustinus in sententijs Prosperi 157. Non est fas credere aliter affici Deum cum vacat, aliter cum operatur. Patitur quippe qui afficitur, & mutabile est omne quod patitur: Non ergo in Deo aut pigra vacatio, aut laboriosa cogitetur industria, quia nouit & quiescens agere, & agens quiescere. Quòd etiam voluntas diuina sit primum principium liberum hinc apparet, quoniam per suppositionem secundam, in principijs liberis non est infinitus processus, sed est aliquod vnum primum, & illud non potest poni in aliqua causa secunda; quia per capitula proxima omnis causa secunda in omni sua causatione necessariò subditur causæ primæ. Si etiam prima causa non ageret liberè sed purè necessariò; cùm omnes causæ secundæ in causatione sua quacunque subdantur necessariò primæ causæ, vt nonum & decimum clarè docent; omnes causationes earum, sicut & omnis causatio primæ causæ purè necessariò prouenirent; quare libertas, contingentia, & meritum totaliter deperiret. Nec decet causarum ordinem naturalem
D vt causa inferior & secunda sit liberior, quàm suprema, & prima, nec est possibile vllo modo; hæc est in omnibus regulans, illa in omnibus necessariò regulata; hæc subijciens, illa subiecta; hæc præcedens & dominans, illa sequens in omnibus & ancillans, sicut præmissa nona & decima manifestant. Primum ergo principium liberum necessariò est in Deo, & non in essentia sua primò, quia per prima & secunda capitula, ipsa est necesse esse omninò; nec in intellectu diuino, quia necessariò intelligit vniuersa; nec in aliqua potentia alia à voluntate; omnes enim aliæ potentiæ sunt purè naturales, & voluntate semota, si agerent, purè naturaliter & necessariò agerent, sicut principium noni capituli ostendebat. Libertas ergo est in sola voluntate ponenda, & prima simpliciter in prima simpliciter, quæ est Dei. *Augustinus.*

E

A

CAP. XI.

Quod primum principium neceſſarium & verum incomplexum eſt Deus; & quod principium complexum primum ſimpliciter eſt de Deo: puta Deus eſt, Deus ſcit omnia, Deus vult omnia, vel aliquid ſimile.

INuento ſiquidem primo principio libero, reſtat conſequenter
inquirere primum principium neceſſarium, & verorum om- B
nium primum verum. Eſt ſiquidem apud Philoſophos duplex
neceſſarium atque verum; Incomplexum ſcilicet & complexũ;
ex prioribus autem reputo manifeſtum; quod ſicut Deus eſt
primum ens omnium entium, & prima cauſa eſſendi quodcunq;
ſic eſt primum verum & neceſſarium incomplexum, & prima
cauſa eſſendi quodlibet neceſſarium ſiue verum. Nam ſicut 2°.
cap. fuerat allegatum; Primum in quolibet genere eſt cauſa
omnium aliorum ſecundum quod ſunt in illo genere, & maximè
dignum nomine illius generis; Deus autem eſt primum in genere
verorum incomplexorum, ſicut ex præhabitis poteſt faciliter
apparere. Hoc idem clarè teſtari videtur Philoſophus 2. Metaph. 4. & Auerroes in comment.
Nec non Auicenna 8. Metaph. 6. ſicut ſecundum huius plenius recitauit. Quibus & C
concordat. Auguſt. 7. Confeſſ. 15. ibi ſimiliter recitatus. Vnde & Anſelmus de veritate 7. Pu-
|| idem tas eſſe aliquid, aliquando, aut alicubi, quod non ſit in ſumma veritate, & quod || *vim* non ac-
ceperit quod eſt, in quantum eſt, aut quod poſſit aliud eſſe quàm ibi eſt? Non eſt putandum:
Eſt igitur veritas in omnium quę ſunt eſſentia, quia hęc ſunt, quod in ſumma veritate ſunt. Sed
quia de primo vero incomplexo dubium non videtur, non æſtimo circa illud vlterius immo-
randum; De primo autem vero complexo eſt dubitatior difficultas: Dicit enim Philoſophus
4. Metaph. 9. quod hoc eſt primum principium complexorum, Idem ſimul ineſſe, & non in-
eſſe eidem, & ſecundum idem eſt impoſſibile; ſed ne tanto Philoſopho tantillus videar obgar-
rire, ſciendum quod duplex eſt principium, cognoſcendi ſcilicet & eſſendi, vel, quoad nos &
quoad naturam; Ipſe autem loquitur ibi de primo principio cognoſcendi, & apud nos tan-
tum, per quod generaliter in omnibus ſcientijs regulamur, ſicut proceſſus textus & comment.
ſatis oſtendit. Principium autem complexorum primum ſimpliciter eſt de Deo vt puta Deus D
eſt, vel Deus ſcit omnia, vel Deus vult omnia, vel aliud quicquam tale: Primum enim in ge-
nere verorum complexorum, ſicut eſt in quolibet alio genere eſt cauſa, quare omnia poſte-
riora ſunt vera. Ergo eſt cauſa ſic eſſendi realiter, ſicut ſignificat quodlibet verum ſequens:
Nam ſecundum Philoſophum in prædicamentis, In eo quod res eſt vel non eſt, ratio vera
vel falſa dicitur: & nullum verum poſterius eſt cauſa quare primum ſit verum. Sic ergo eſſe
realiter, ſicut ſignificat primum verum, erat cauſa ſic eſſendi realiter, ſicut ſignificat quod-
libet verum ſequens, & nullum verum ſequens erit cauſa ſic eſſendi realiter, ſicut ſignificat
primum verum. Cauſa autem quare ita eſt realiter ſicut ſignificat, quodcunque verum
non dictum de Deo, eſt in Deo, nec aliquod aliorum eſt Deo cauſa eſſendi, ſicut ex præhabi-
tis in iſto capitulo & alijs ſatis patet. In Deo ergo, ſiue de eo eſt primum ſimpliciter princi-
pium totius generis complexorum. Item Deus eſt prima cauſa cuiuſlibet eſſentiæ, ſeu modi
eſſendi, ergo & cuiuſlibet veritatis. Item verum, quod poteſt eſſe verum ſine alijs & non è E
contra, eſt prius eis: ſed ſic ſe habet, Deus eſt, ad alia vera quæcunque. Item ſicut illud
quod eſt notiſsimum in cognitione apud nos, eſt ſic, primum principium, vt patet per Phi-
loſophum vbi prius: ſic illud quod eſt notiſsimum ſimpliciter & apud naturam, eſt primum
principium correſpondenter; Illud autem eſt, Deus eſt, licet propter corruptionem corporis
animam aggrauantis hoc de difficili cognoſcamus. Vnde Philoſophus 2. Metaph. 1. Dif-
ficultate theoriæ de veritate ſecundum duos exiſtente modos, non in rebus, ſed in nobis eſt
eius cauſa. Sicut enim nycticoracum oculi ad lucem diei ſe habent, ſic & animæ noſtræ in-
Auerroes. tellectus ad ea quæ ſunt omnium naturæ manifeſtiſſima: Vbi Auerroes; Difficultas in re-
bus quæ ſunt in fine veritatiş, ſcilicet in primo principio, & in principijs diſtinctis à ma-
teria,

A teria, est ex nobis, non ex illis. Idem posset argui ex firmitate primi principij, quoniam sicut est primum sic est firmissimum, vt patet per Philosophum 4. Metaph. 8. & quia omnia alia vera innituntur veritati illius, vt originali radici, & primario fundamento: sed nulli dubium, quin, Deum esse, firmissimum sit verorum. Item verum incomplexum est prius naturaliter vero complexo, sicut simplex composito, & causa & principium eius; ergo principium ad principium huiusmodi proportionaliter se habebit; Deus autem est principium totius veri incomplexi, sicut prior pars huius capituli demonstrauit. Item in ordine verorum non est infinitus processus; sed est aliquod primum verum, quod est causa omnium aliorum: Sed illud est, Deùs est, cùm non habeat aliquod verum prius causam illius. Item illud verum quod est tantum causans alia vera, non causatum ab eis, est primum: hoc autem est, Deus est. Item illud quod est verissimum omnium, est principium omnium: hoc autem est Deus, quia ipse maximè est, sicut præhabita docuerunt. Item Anselmus de Veritate 10. dicit, quòd *Anselmus.*
B summa veritas nulli quicquam debet, sed omnia debent illi, & ipsa est causa omnium aliarum veritatum, & nihil est causa ipsius: Et distincta veritate in causantem & causatam, dicit quòd veritas quæ est in rerum existentia est effectus summæ veritatis; Ipsa verò est causa veritatis, quæ est cognitionis, & eius quæ est in propositione. Idem infra eodem vlt. probat diffusè quòd est vna veritas, & illa est summa veritas, qua omnia vera sunt vera. Idemque Monolog. 18. & Augustinus 1. Soliloquiorum 21. & 2[i] libri 20. ex æternitate veritatis probant æternitatem Dei. Veritatis verò æternitatem sic probant, Hoc semper fuit verum, Aliquid est futurum, & hoc semper erit verum, Aliquid est præteritum; ergo & aliqua veritate; quare & illa veritas nunquam incœpit, nec desinet: ergo veritas est æterna. Hæc autem probatio non concludit, si aliqua propositio possit esse vera per se sine superiore veritate in Deo causante veritatem in tali propositione, & illam continuè sustinente; Vnde Anselmus de veritate 10. exponens hanc probationem, quam in suo Monologio recitat se fecisse, discipulo suo dicit;
C Iam intelligere potes quomodo summam veritatem in meo Monologio probaui non habere principium vel finem per veritatem orationis. Cum enim dixi, quandò non fuit verum, quòd futurum erat aliquid? Non ita dixi, ac si absque principio ista oratio fuisset, quæ assereret futurum esse aliquid, aut ista veritas esset Deus: sed quoniam non potest intelligi, quando, si oratio ista esset, veritas illi deesset; vt per hoc, quia non intelligitur quando ista veritas esse non potuerit, si esset oratio in qua esse posset, intelligatur illa veritas sine principio fuisse, quæ prima causa est huius veritatis: quippe veritas orationis non semper posset esse, si eius causa non semper esset. Etenim vera non est oratio, quæ dicit futurum esse aliquid, nisi reipsa aliquid sit futurum; neque aliquid est futurum si non est in summa veritate: Similiter intelligendum est de illa oratione quæ dicit, quòd præteritum est aliquid. Nam si nullo intellectu veritas orationi huic si facta fuerit, deesse poterit; necesse est vt eius veritatis, quæ summa causa est istius, nullus finis intelligi possit. Idcirco namque verè dicitur præteritum esse aliquid, quia
D ita est in re, & ideò est aliquid præteritum, quia sic est in summa veritate. Quapropter si nunquam poterit non esse verum, futurum esse aliquid, & nunquam potuit non esse verum præteritum esse aliquid, impossibile est principium summæ veritatis fuisse, aut finem futurum esse. Item Augustinus 26. contra Faustum 2. Quicquid præteritum est, iam non est; non ergo est, quod verè dicimus fuisse, sed ideò verum est illud fuisse, quia in nostra sententia, quippe qua dicimus aliquid fuisse, ideo vera est, quia illud de quo dicimus, iam non est. Hanc sententiam Deus falsam facere non potest, quia non est contrarius veritati. Quòd si quæras, vbi sit hæc vera sententia, prius inuenitur in animo nostro, cùm id verum scimus & dicimus: sed si & de animo nostro ablata fuerit, cùm id, quod scimus, obliti fuerimus, manebit in ipsa veritate. Semper enim verum erit, fuisse illud quod erat, & non esse, & ibi verum erit iam fuisse quod erat, vbi verum erat antequam fieret, futurum esse quod non erat. Huic veritati Deus non potest aduersari, in quo est ipsa summa & incommutabilis veritas, qua illustratur vt verum *Augustinus*
E sit, quicquid in quorumcunque animis & mentibus verum est. Idem super illud Psalmi quarti; Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? sola veritas facit beatos, ex qua vera sunt omnia. Idem quoque super illud Psalmi 55. In Deo laudabo sermones meos, in Deo laudabo sermones, quia ibi est fons sermonum verorum. Est ergo in Deo vero primum principium cuiuslibet veritatis.

CAP.

 A

CAP. XII.

Oſtendit quale ſit illud primum principium, quia affirmatiuum, & quod ſit illud quod Deus eſt, ſeu Deus eſt Deus.

INuento igitur quòd primum principium complexum eſt in Deo, vel
de eo, reſtat vlterius quærere, quale & quod eſt illud. Primo ergo quæ-
rendum eſt, quale ſit illud, vtrum Affirmatiuum, vel potius negatiuum.
Quod autem non ſit purè negatiuum, apparet, quia pura negatio ni-
hil ponit; Primum principium complexorum ponit, & cauſat omnia
vera complexa ſequentia, ſicut capitulum proximum demonſtrauit; B
non eſt ergo purè & totaliter negatiuum. Nec eſt negatiuum prægnans,
ſeu implicans, quia talis negatiua virtute ſolius negationis peni-
tus nihil ponit, ſed ſi forſitan quicquam ponat, hoc eſt virtute alicujus affirmatiuæ prioris
quam importat: ergò illa affirmatiua per ſe potiùs eſt primum principium complexorum.
Ipſa enim per ſe eſt cauſa veritatis in alijs; ſed illa negatiua non niſi per illam, ergò illa prior.
Sed nihil tale eſt primum verum complexum, & cauſa veritatis in alijs, quo eſt aliud verum
priùs, & alia cauſa prior. Item ſicut 2. capitulum oſtendebat, omne quod eſt per accidens ali-
quale, reducitur ad aliquod priùs, quod per ſe eſt tale: talis autem negatiua implicatiua ſeu
prægnans tantùm per accidens ponit & cauſat in alijs veritatem; ergò reducitur ad aliquod
per ſe priùs, cujus virtute hoc facit; illud ergò aliud priùs & magis cauſat veritatem in alijs;
Igitur illud eſt potiùs principium complexorum. Hoc etiam aliud eſt priùs verum, & cauſa
veritatis hujus negatiuæ, ergo illa non eſt primum verum, nec primum principium complex- C
orum. Item ſecundum Philoſophum 1. Poſt. 17. Demonſtratio affirmatiua eſt dignior,
melior, & nobilior, prior & potior negatiuâ, & propoſitio affirmatiua propoſitione negatiua
ſimiliter, vt ibi dicit & probat. Omnis enim negatiua per affirmatiuam probatur, & cognoſ-
citur, non è contra. Item ſicut demonſtratio affirmatiua ad negatiuam, ſic propoſitio affir-
matiua ad negatiuam; ſed demonſtratio affirmatiua præcellit negatiuæ in conditionibus ſu-
pradictis; quare & propoſitio affirmatiua præcellit ſimiliter negatiuæ. Quod autem affirma-
tiua probet negatiuam & non è contra; patet ex libro Priorum de omnibus ſyllogiſmis. Et
quod negatiua cognoſcitur per affirmatiuam, & non è contra, ſequitur ex ipſo, & patet ſimili-
ter; quia priuatio cognnoſcitur per habitum, & non è contra, vt probat Philoſophus 3. de
Auicenna. Anima 25. & patet ſimiliter in Comment. Vnde & Auicenna 1. Metaph. 5. Eſſe notius eſt
quam non eſſe; Eſſe enim cognoſcitur per ſe, non eſſe verò per eſſe. Quibus & conſentit Au-
Auguſtinus. guſtinus 12. de Ciuit. Dei 7. dicens tenebras & ſilentium eſſe nota, non ſanè in ſpecie, ſed in D
ſpeciei priuatione: Affirmatio autem eſt eſſe quodammodo & habitus, vel hæc importat;
Negatio verò non eſſe atque priuationem. Item omnis negatiua vera habet affirmatiuam ve-
riorem priorem, quæ ſit cauſa illius, vt patet per Philoſophum 2. peri hermenias vlt. ſic di-
centem, Si quod bonum eſt, & bonum eſt, & malum non eſt; hoc quidem ſecundum ſe, ſcili-
cet eſt bonum, illud verò ſecundum accidens, ſcilicet non eſt malum: Accidit enim ei malum
non eſſe; magis hæc in vnoquoque vera, quæ ſecundum ſe eſt, & etiam falſa; ergo hæc bo-
num eſt bonum, verior eſt & prior, quam iſta, bonum non eſt malum. Eſt etiam cauſa illius,
quia enim bonum eſt bonum, ideo non eſt malum, & non è contra; quia non eſſe malum, pe-
nitus nihil ponit, & per conſequens nihil cauſat. Primum ergo principium complexorum
nullatenus negatiuum, ſed affirmatiuum firmiter arbitrandum. Oſtenſo igitur quale ſit iſtud
principium, iam ſupereſt inueſtigare vlterius quod ſit illud, Vtrum videlicet ſit Deum eſſe, an
Deum ſcire omnia vera, vel Deum velle omnia vera; quodlibet enim horum poſſet tale prin-
cipium eſtimari: Nam ſicut ex 9° huius apparet, voluntas Dei eſt prima & ſumma cauſa om- E
nium, quare & omnium veritatum; ergo Deum velle eſt primum principium complexorum.
Sed hæc æſtimo non eſt vera; Illud enim non eſt primum verum quo eſt aliud verum prius; ſed
Deum velle habet aliud verum naturaliter prius eo, ſcilicet Deum cognoſcere, quoniam Deus
naturaliter prius cognoſcit quodlibet volutum quam velit illud. Omnis enim volutio eſt ne-
ceſſario præcogniti, ſicut tam Philoſophis quam Theologis ſatis conſtat. Ideoque poterit ap-
parere Deum cognoſcere ſiue ſcire, eſſe principium iam quæſitum. Sed apparentia iſta fallit;
Eſt enim aliud verum naturaliter prius iſto, ſcilicet Deum eſſe, Deum eſſe cognitiuum, Deum
eſſe omnipotentem cum ſimilibus ſuis, diſtinguendo & multiplicando iſta in Deo, & ſecun-
dum

A dum prius & posterius ordinando, non essentialiter omninò siue realiter, sed intellectualiter aut imaginariè, sicut tam Philosophi quam Theologi solent loqui, sicut ab Aristotele in De Mundo fuit superius allegatum. Et patet idem per eundem 12. Metaph. multis locis, & per *Aristoteles.* Auerroem Commentar. 39. hoc idem plenius declarantem; quod etiam doctus Plato, A- *Plato.* uicenna, Algazel, & Auicebrol testantur concorditer, sicut probant superius allegata. Sic e- *Auicenna.* tiam loquitur Apostolus ad Romanos 1. cùm dicit; Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, *Algazel.* quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sed sempiterna quoque eius virtus ac deitas; & alibi *Auicebrol.* in sacra Scriptura crebertimè. In libris quoque Augustini de Trinitate, & alijs ac cæterorum *Apostolus.* Sanctorum, omniumque Doctorum distinguuntur quodammodo, potentia, scientia, & voluntas: Multa enim potest, & scit, quæ non vult. Idem patet de iustitia, gratia, & misericordia, & multis similibus, omnibus satis notis. Vt autem istud principium possit facilius inueniri, sciendum secundum Philosophum 2. Metaphysic. Quòd licèt Deus de se, & apud naturam existat notissimus, intellectus tamen animæ nostræ sic se habet ad eum, sicut oculi
B Nycticoracum ad lucem diei, scilicet ipsum Solem; & hoc est æqualiter ex limositate corporalis materiæ oculos animæ obumbrantis. Quamdiu igitur corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit sensum plurima cogitantem, non potest homo intelligere Deum perfectè sicuti est, ipsomet dicente Mosi deprecanti. Non poteris videre faciem meam, non enim videbit homo, & viuet, Exod. 33. Quare secundum Philosophum, 1. Physic. & alibi; Innata est nobis via à notioribus nobis ad notiora naturæ, quæ sunt simpliciter notiora, à posterioribus scilicet ad priora, & a causatis ad causas. Nomina igitur quibus Deum cognoscimus, non significant ipsum per se essentialiter, & penitus absolutè, quonum à creaturis, & effectibus notioribus nobis transferuntur ad ipsum ignotiorem nobis, licèt simpliciter notiorem. Ideoque dicit Philosophus in De Mundo vlt. Cumque sit vnus, multinomius est nominatus ab omnibus passionibus quas innouat; Vocatur enim Iupiter, Zima, filius Saturni, Enicus, fulmineus, pluuialis, tonitrualis, tempestuosus, serenus, & in
C summa loquendo, cœlestis & terrestris appellandus à qualibet natura, & fortuna, velut ens ipse omnium causa; cui & concordant Hermes atque Dionysius superius recitati. Vnde & Rabbi Mose de duce dubiorum, 58. Omnia nomina Creatoris quæ inueniuntur in libris *Rabbi Mose* sunt sumpta ab operibus, præter vnum nomen quod est appropriatum ei, scilicet tetragrammaton, & idcirco vocatur nomen separatum, quia significat sapientiam Creatoris significatione pura in quo non est participatio. Si igitur vt hic dicit, nomen Domini tetragrammaton, vel quodlibet aliud significet Deum purè, subijciaturque verbo seu prædicato simplicissimo, siue purissimo dicto de Deo, propositio sic affirmans erit primum simpliciter verorum omnium complexorum, & principium primum intrinsecum totius generis complexorum. Si autem nullum nomen creatum, nec aliquid aliud ab vnico Dei Verbo, quod est eius imago perfecta, significet eum purè, quod reputo magis probabile; ponatur quòd hoc nomen, Deus, quod est tetragrammaton, quatuor scilicet literarum, imponatur Deo
D ab essentia eius pura, & significet eum purissimè, quo poterit comprehendi ab aliqua creatura, & propositio coniungens simplicissimè & purissimè verbum vel prædicatum purissimum cum isto subiecto, est principium iam quæsitum, scilicet Deus est, vel Deus est Deus. Quod autem proprijssimum & purissimum nomen Dei, ab eius pura essentia imponatur, patet, ipsomet docente Moysem nomen eius scire volentem, dicendo; Ego sum qui sum, Exod. tertio: quam autoritatem tractans Rabbi Mose, vbi prius 61. vult quòd hoc nomen maximè competat ipsi Deo, & significat Necesse esse; & supra 58. dicit; Quòd nomen Dei tetragrammaton, quod est Deo maximè proprium, fortassis significat super ratione Necesse esse; quare nomen sumptum à pura eius essentia videtur sibi proprijssimè conuenire. Apparet ergo quòd Deus est, vel Deus est Deus, sit primum principium complexorum, si prædicatum & verbum essentialissimè, & proprijssimè correspondenter significet vt subiectum. Sunt autem vera duplicia, superiora scilicet, & inferiora; inferiora vera, sunt omnia
E dicta de creabilibus, vel creaturis; & vniuersaliter de quocunque quod non est Deus, vel etiam de Deo per respectum ad aliud, vt Deus est Dominus omnium, vel Creator: Vera superiora sunt, quæ in solo Deo consistunt; vt, Deus est potens, sapiens, atque bonus. Horum autem hæc quidem sunt quodammodo posteriora naturaliter, hæc priora. Posterius enim est Deum velle, quàm cognoscere; & cognoscere, quàm esse: Esse enim naturaliter hæc præcedit & vniuersaliter omnia talia attributa. Quod licèt de se satis appareat, potest tamen per simile suaderi. Esse enim simpliciter in rebus creatis præcedit naturaliter omne esse earum determinatum ad esse tale vel tale, dicente quarta propositione de causis, Prima rerum creatarum est esse, & non est ante ipsum creatum aliquid; quare & simili sic videtur ‖ *de omnium* ‖ ab omni

nium Creatore. Item per ſuperiùs habita, Primum principium complexorum eſt affirma- A
tiuum, quid ergo poſſit aliud affirmare quàm eſſe primum de ente primo, puriſſimum de
puriſſimo, & ſimpliciſsimum de ſimpliciſsimo; quælibet enim affirmatio alia poſterior erit
tali. Videtur igitur Deum eſſe, vel Deum eſſe Deum, eſſe ſimpliciter primum principium
complexorum. Illud enim verum eſt principium cęterorum, quod naturaliter ipſa præce-
dit. Vnde & Anſelmus de veritate 10. Omnia ſummæ veritati debent; ipſa verò nulli quic-
quam debet, nec vlla ratione eſt quod eſt, niſi quia eſt. Hic forſan aliquis ſic opponet, Il-
lud non eſt primum verum quo eſt aliud verum prius; ſed Deum eſſe, habet aliud verum pri-
us, ſcilicet Deum poſſe eſſe; ſequitur enim de quocunque, hoc eſt, ergo hoc poteſt eſſe, &
non conuertitur; ergo per illam definitionem prioris notiſsimam, Deum poſſe eſſe, eſt prius
|| ipſum naturaliter quàm || *hunc* eſſe. Hæc autem argutia peccat in materia: Prius enim eſt Deum
eſſe, quàm poſſe eſſe, quod videtur mirabile, ſed eſt verum: Omne enim poſsibile ſeu po-
tens eſſe aliqua potentia exiſtente priore eſt tale; Deus autem non eſt potens eſſe per aliquam B
potentiam alienam, Non enim indiget vllo tali, nec per potentiam aliam præcedentem,
cum nulla ſit talis: eſt ergo Deus potens ſeu poſsibile eſſe per potentiam propriam ſibi actua-
liter inhærentem; Potentia autem poſsibilitas ſeu poteſtas eſt vnum attributum diuinum, pri-
us ergo naturaliter eſt illud cui attribuitur & inhæret, ſcilicet eſſentia pura Dei; quare & Deum
eſſe videtur prius naturaliter, quàm Deum poſſe eſſe, ſicut ibi poteſt prioritas aſſignari. Hoc
autem totum ex primo huius apparet. Cauſa autem quare magis apparet contrarium, eſt
quia ita eſt in omnibus alijs citra Deum, à quibus ſicut ſuperius dicebatur, aſſurgimus ad cog-
nitionem Dei, iudicantes ſic eſſe in omnium Creatore, ſicut eſt in omnibus creaturis. In his
enim omnibus poſſe eſſe præcedit actualiter eſſe; Totus enim mundus prius potuit eſſe quàm
eſſet, & cùm non ens nullam potentiam habeat, mundus quando non fuit, non fuit poſsibile
Anſelmus. eſſe per potentiam propriam, ſed diuinam; Vnde Anſelmus de Caſu diaboli 12. quod nihil eſt
omnino nihil habet, & ideo nullam habet poteſtatem, & ſine poteſtate omnino nihil poteſt, &
mundus antequam fieret nihil erat; ergo omnino nihil antequam eſſet, potuit; non potuit er- C
go eſſe, antequam eſſet; quare antequam eſſet poſsibile, & impoſsibile fuit eum eſſe; ei quidem
in cuius poteſtate non erat, vt eſſet, erat impoſsibile; ſed Deo in cuius poteſtate erat, vt fieret,
erat poſsibile: quia ergo Deus prius potuit facere mundum, quàm fieret, ideo eſt mundus, non
quia mundus potuit prius eſſe.

CAP. XIII.

Ex iſtis quaſi Corollariè 12. partes infert.

EX hoc autem multa quaſi corollaria videntur inferri; D

1 *Quod actus eſt ſimpliciter prior potentia.*

PRimò, actum eſſe ſimpliciter priorem potentia in mobilibus
& non mobilibus, temporalibus & æternis. Hoc ex priori-
bus ſatis patet, loquendo de primo actu ſimpliciter, qui eſt puriſ-
ſima, abſolutiſsima, & actualiſsima eſſentia ſummi Dei, ex qua
velut ex radice poſteriora pullulant, tanquã propagines, omnia
attributa diuina, quibus mediantibus ex ſua fœcunditate inhau-
ſta germinat cæteras creaturas. Quare & Ariſtoteles 9. Me-
taph. 13. & poſt diffuſè probat quod actus in omni motiuo &
immobilitatiuo eſt prior potentia tribus modis, ſcilicet ratione, id eſt, definitione, ſapientia, id
eſt, perfectione, & tempore quodammodo, & quodammodo non; quodlibet enim indiui- E
duum generatum prius eſt in potentia quàm in actu, ſicque potentia prior eſt actu; ſed illud à
quo indiuiduum generatur eſt neceſſariò prius in actu, ſicque actus præcedit potentiam tem-
pore, docente Philoſopho: Semper enim ex poteſtate ente fit actu ens, ab actu ente, ſemper
mouente aliquo primo; mouens autem actu iam eſt. Et infra 17. Palam quia prior actus po-
tentia, ſubſtantia, & tempore; ſemper enim præaccipitur actus alius ante alium, vſque ad eum,
qui eſt ſemper mouentis primum: At verò & magis propriè; Nam ſempiterna priora ſub-
ſtantia corruptibilibus; vbi dicit Auerroes, Actus qui eſt motor præcedit tempore rem
motam, & aſcendit hoc ad primum motum & primum motorem. Declaratum eſt enim in
Phy-

A Physicis, quod omnia mota reducuntur ad primum motorem, qui est actus in quo non est potentia omninò, scilicet ad mutabilitatem aliquam in seipso, vt 5um capitulum præmonstrauit.

Quòd esse est prius simpliciter, quàm non esse. 2.

VNde & secundò monstratur quod esse prius est simpliciter quàm non esse; esse scilicet primi actus, sicut ex proximo satis patet. Vnde Auerroes super 9. Meta. comment. 13. vniuersaliter quia potentia est non esse, & actus esse, necesse est vt esse præcedat non esse. Rursum autem si hoc non est, verum est, & ita est, quod hoc non est; quare & secundum proximo huius præmissa, aliqua veritate & entitate priore verum est, & ita est, quod hoc non est. Dicitque Philosophus 1. Post. 17. quòd affirmatiua prior est negatiua, sicut esse prius est non esse.

Quod necessarium est prius possibili contradictionis. 3.

TErtio quoque ex eodem colligitur, necessarium esse prius possibili contradictionis; hoc enim euidenter apparet ex 17a parte, & alijs primi huius. Necessarium etiam potest esse
B sine tali possibili, non è contra; Nam per secundum omne tale possibile necessariò conseruatur à Deo. Item si necessarium non sit prius possibili contradictionis; est igitur compar, vel posterius; sed non est compar & coæquæuum cum eo, quia cum non sunt duo ęquè prima simpliciter, oporteret illa duo reduci ad aliquod prius ambobus, tanquam ad primum principium & primam causam illis communem, sed nihil tale poterit assignari; nec possibile contradictionis potest esse prius necessario, quia tunc potentia præcederet actum; & non esse, esse; quod est contra proximo nunc ostensa. Item si possibile contradictionis esset prius necessario, cùm tale possibile non de necessitate causet tale necessarium, posset esse sine illo, quod est contra secundum huius, sicut superius est argutum. Item quod non habet causam prius est eo quod habet causam; sed secundum Auicennam 1. Metaph. 6. Necesse esse per se non habet causam, & quod est possibile esse per se habet causam; Et infra eodem 8. Necesse est id quod per seipsum est veritas, posse verò est "*esse* per aliud à se; & cap. 6. probat, quod necesse esse non habet "veritas.
C aliquid sibi coæquale, nec aliquid prius eo; sed ipsum per seipsum est primum omniũ aliorum.

Quod necessarium est prius impossibili. 4.

QVarto vero ex hoc potest cognosci quòd necessarium est prius impossibili: Possibile enim est prius impossibili sicut affirmatio negatione, habitus priuatione, & esse non esse; & necessarium est prius possibili, sicut nouissimè probatur. Item necessarium se habet ad impossibile, sicut affirmatiuum ad negatiuum, habitus ad priuationem, & esse ad non esse; hæc autem illa præcedunt.

Quod purè necesse esse, seu pura necessitas est prius simpliciter quolibet alio, ac radix prima & fundamentum primarium omnium aliorum. 5.

QVinto ex eodem colligitur, quòd purè necesse esse, seu pura necessitas est prius simpliciter quolibet alio, ac radix prima & fundamentum primarium omnium aliorum; hoc autem
D intellectis prioribus faciliter cognoscetur. Potest tamen ex abundanti breuiter sic ostendi; si non sit ita, aliquid aliud est prius naturaliter necessariò, vel coæquale cum eo; sed nullum non necessarium est prius eo, quia cum omne ens posterius constituatur in quolibet suo esse per ens primum, sequeretur quod necessarium constitueretur in esse necessario per ens non necessarium, sed possibile vel contingens, quod est impossibile manifestum, quia adhuc destructo possibili maneret necessarium per seipsum, & quia nihil potest dare alteri firmius esse quàm habet. Item si vna pars contradictionis est possibilis, reliqua est possibilis, & si vna est necessaria, reliqua est impossibilis; & si possibile constituat necessarium ex posse non esse, sequitur necessariũ non esse; ergo ex possibili sequitur impossibile & ex vero falsum. Tunc etiam possibile vel contingens esset prius necessario contra priora. Nec aliquid non necessariũ est coæquale cum necessario, secundum pręcedentia documenta; est ergo necesse esse principiũ omnibus alijs, & omnium prima causa. Opponet se forsitan aliquis cõtra ista, quia secundum priora
E Deum esse est 1um principium, & per consequens Deum simpliciter esse, prius est quàm ipsum necessariò esse, seu esse necesse esse, & quia sicut pars præcedit totũ, sic esse necesse esse: Dicendum secundum priora, quòd si Deus est, sit 1um principium, hoc nomen Deus significat 1um ens essentialissimè & propriissimè; quare & simili ratione maximè necesse esse, & prædicatum seu verbum significabit quantum poterit correspondenter, sicque Deum esse, si sit primum principium per se, & primò significat necesse esse sic esse. Et qualecunque esse, prædicatum seu verbum significet, cùm subiectum sit prius naturaliter prædicato & verbo, & ipsum ex se primò est necesse esse, adhuc necesse esse præcedit aliud esse quodcunq;. Quod autem assumitur consequenter quòd esse præcedit necesse esse, vt pars totum, non est verum: Nam necesse esse non habet aliquã partem priorem, nec aliquid prius omninò quo constituatur in tali esse; sed ipsum per se & primò est simplicissimè tale esse. *Quod*

6. *Quod principium primum complexum summe & pure necessarium est & firmum.* A

VNde & 6° patet indubiè, quòd principium primum complexum, summè & purè necessarium est & firmum; Hoc enim de summè & firmissimè necesse esse correspondenter enuntiat esse, sicut præcedentia manifestant.

7. *Quod necessarium nequaquam rectè per possibile vel per impossibile definitur.*

SEptimo concluditur manifestè, quod necessarium nequaquam rectè per possibile, nec per impossibile definitur; Nihil enim rectè definitur per aliquid posterius eo, sicut 2. Post. & 7. Metaph. demonstratur, sed vtrumque istorum est posterius necessario; Non ergo rectè definitur necessarium per hoc quod non est possibile non esse, vel per hoc quod impossibile est non esse. Ideoque Auicen. 1. Metaph. 5. reprobat definitiones Antiquorum de necessario, possibili, & impossibili, eo quòd definiebant illa per se inuicem circulando, vt patet de definitionibus quas ibi recitat ab Antiquis; dicitq; ex his tribus id quod dignius est intelligi est necesse esse, quoniam necesse esse significat vehementiam essendi; esse verò notius est quam non esse; esse enim cognoscitur per se, non esse verò per esse. B

8. *Quod necesse esse non potest simpliciter definiri.*

VNde & octauo constare poterit euidenter, quòd necesse esse, non potest simpliciter definiri, (Non enim habet aliquid simpliciter prius eo) Notificari tamen nobis & describi potest quodammodo per descriptionem à posterioribus, & ignotioribus, sed notorioribus nobis sumptam, sicut in omnibus ferè scientijs creberrimè definitur.

9. *Quod affirmatiua est prior qualibet negatiua, & quod quælibet negatiua vera reducitur ad aliam affirmatiuam priorem & causam veritatis illius.*

C

HInc nono similiter clarè patet, affirmatiuam esse priorem qualibet negatiua, & omnem negatiuam veram reduci ad affirmatiuam priorem, quę sit causa veritatis illius. Primum namque principium quod est affirmatiuum est prima causa cuiuslibet alterius veritatis, sicut præhabita manifestant. Item hoc est verum de negatiua de qua minus videtur, de tali scilicet cuius vtrumque extremum est impossibile esse, vt Chimera non est Tragelaphus; Hæc enim est vera, ergo habet aliquam causam veritatis; sed illa non est soli termini, quia illi soli per se non magis redderent propositionem veram quam falsam; imò nec veram, nec falsam; Nec illa causa potest esse Chimæra, nec Tragelaphus; hæc enim nihil sunt & per consequens nihil causant; est ergo aliquid existens causa veritatis ‖ *illius*: Hic autem potest quis instare, Nam propositio immediata non habet aliquam Propositionem priorem, quæ sit causa veritatis illius, quoniam tunc per illam posset ostendi à priori; sed aliqua est Propositio negatiua immediata, vt patet in libro Post. quasi per totum. Dicendum quòd Propositionem esse immediatam potest esse dupliciter, scilicet simpliciter, vel in aliquo determinato genere, seu etiam per priuationem medij simpliciter, vel in certo genere. Primo modo nulla propositio negatiua est immediata, sicut ratio suadere videtur; secundo modo est, scilicet non omninò & simpliciter sed in genere Propositionum negatiuarum, sicut per priuationem Propositionis negatiuæ prioris, per quam à priori valeat demonstrari, & sic potest intelligi dictus liber. D

‖ illis

10. *Quod prima causa cuiuslibet negationis veræ est in Deo.*

ET ex hoc videtur decimo, quòd prima causa cuiuslibet negationis veræ sit in Deo; Cuiuslibet enim negationis veræ aliqua affirmatiua prior est causa, sicut proximo est ostensum, & cuiuslibet affirmatiuæ veræ prima causa est primum principium complexum, scilicet Deum esse, sicut præcedentia docuerunt.

11. *Quod Deus est prima Causa cuiuscunque non esse.* E

EX isto autem vndecimo videtur inferri, Deum esse primam causam cuiuscunq; non esse: A quolibet enim non ente verè negatur esse; huius autem veritatis negatiuæ Deus est prima causa, sicut ostensum est proximo; est ergo prima causa sic essendi vel non essendi, sicut significatur per illam; Nam in eo quòd res est vel non est, oratio vera vel falsa dicitur, vt prędicamenta Aristotelis docuerunt. Item Deus est prima causa cuiuslibet esse seu entis; & aliquod ens seu esse est causa alicuius non esse vel non entis, ergo Deus est prima causa alicuius non esse, vel non entis, ergo & cuiuscunque per similem rationem. Bonum enim non esse malum est quoddam non esse, & huius causa est bonum esse bonum; et homo non est Asinus; quia,

A quia est animal rationale seu homo. Et in purè non entibus patet idem; Aliquod enim factibile non est factum, nec est, quia nullum faciens fecit illud; Species enim vel res quæcunque factibilis à solo Deo, sicut alia stella in cœlo, vel alius angelus, ideo non fiebat nec erat, quia Deus non fecit, sicut saluatio nauis non fuit, quia nauta non affuit, sed abfuit forsitan occupatus, vt patet per Aristotelem, 5. Metaph. 2. & per Anselmum de Conceptu virginali 5.

Quòd prima causa cuiuslibet impossibilitatis & repugnantiæ est in Deo. 12.

DVodecimò profertur ex isto, quòd prima causa cuiuslibet impossibilitatis seu repugnantiæ est in Deo: Si enim impossibilitas & repugnantia capiantur negatiuè, patet per proximo nunc ostensa; si enim in Deo sit prima causa cuiuscunque negationis veræ, & non esse, ergo & negationis, & non esse cuiuslibet impossibilis & repugnantis, & quia quælibet negatiua vera reducitur ad affirmatiuam priorem, & sic ad primum principium, scilicet Deum esse, sicut ex superioribus satis patet. Si verò affirmatiuè & positiuè sumantur, patet similiter,
B cùm per capitula proxima constet, Deum esse omnium talium causam primam. Item cuiuslibet impossibilitatis & repugnantiæ est aliqua causa, & Deus est causarum omnium prima causa: Hoc etiam potest probari, sicut præcedentia probabantur; verum est enim, quòd hæc est impossibilis, quocunque impossibili demonstrato; huius autem veritatis, quare & sic essendi, prima causa est primum principium, scilicet Deum esse. Item verum est quòd impossibile est Chimæram esse Tragelaphum; huius autem veritatis causa non est soli termini, nec Chimæra, aut Tragelaphus, nec aliquod non ens; quia quod omnino non est, nihil omnino causare potest; aliquod ergo entium est causa illius, & Deus est omnium entium prima causa. Item omne quod est naturaliter & essentialiter prius alio, est aliqua causa eius; quia si non, tunc posset esse sine illo priori; quodlibet enim posterius potest esse sine quocunque priori, à quo causaliter non dependet in esse: Positis enim omnibus & solis illis prioribus, à quibus posterius causaliter dependet in esse, potest posterius illud poni; quia si non, hoc esset
C propter defectum alicuius causæ essentialis, quæ necessario præexigeretur ad causandum illud in esse; sed iam sunt positæ omnes tales causæ, nec potest fingi, quod hoc sit propter defectum alicuius causæ accidentalis, cùm non repugnet rei esse sine quocunque sibi accidentali, vt patet per illam definitionem accidentis notissimam superius memoratam. Patet ergo quod si prius non sit causa posterioris, posterius potest esse sine illo priori; & si posterius aliquod potest esse sine priori signato, illud non est prius naturaliter & essentialiter illo posteriori, sed accidentaliter forsan tantum quod destruit hypothesim præacceptam. Imo potius videtur quod illa sint coæqualia, vel secundum nullum ordinem essentialem connexa: Si enim illud prius non sit causa posterioris, vtrumque potest esse sine reliquo, ergo non sunt naturalius nec essentialius ad inuicem ordinata, quàm vnitates Arithmeticæ vel quælibet inconnexa, quod etiam subuertit hypothesim prius fixam. Hoc ergo supposito, arguitur isto modo; Omne quod est naturaliter & essentialiter prius alio est aliqua causa eius: sed necessarium est natura-
D liter & essentialiter prius impossibili, sicut superius est ostensum; ergo necessarium est aliqua causa impossibilitatis & repugnantiæ cuiuscunque, & omne necessarium est primum necessarium, scilicet ipse Deus, vel causatum & dependens ab ipso, sicut præcedentia docuerunt. Imaginor enim quòd sicut secundum præhabita primum omnium sit pura necessitas, siue purum necesse esse, stans omnino per se, non dependens ab alio quouismodo; à quo sicut per eius similitudinem & conformitatem omne aliud necessarium vel possibile, est necessarium esse, vel possibile esse: sic per eiusdem dissimilitudinem, & contrarietatem seu oppositionem, omne impossibile est impossibile esse; puto igitur quod omne impossibile esse, ideo est impossibile, quia ipsum necesse esse necessariò sibi repugnat, & sic immobiliter prohibet illud esse. Sed ne forsan mihi dicatur, quod res non sequuntur imaginationem, sicque huius imaginationis imago ad nihilum redigatur, muniam eam aliqua ratione. Omne enim impossi-
E bile esse propterea est impossibile esse, quia necessario & firmiter repugnat sibi esse: sed in ipso impossibili esse, cùm omnino non sit, non est aliquid; quare nec aliqua necessitas, firmitas, seu repugnantia; illa ergo necessitas seu repugnantia est in aliquo existente, ita quod impossibile est illud esse, quia aliquod existens per se primo & necessario sibi repugnat; illud verò impossibile repugnat huiusmodi existenti, nō per se & primo, sed tantū per repugnantiā existentis, quia scilicet illud existēs sibi repugnat, sicut est in relatiuis tertij modi, quæ dicuntur secundū mensurabile & mensuram, cuiusmodi sunt sensibile, scibile, & intelligibile, seu sensatum, scitum & intellectum cum suis correlatiuis. Hæc enim dicuntur relatiua, non quia per se, & essentialiter referuntur, sed quia accidit eis, quod alia, scilicet correlatiua per se & essentialiter referuntur ad illa, & mensurantur ab eis, vt patet quinto Metaphysicorum 20. & similiter

liter in Commentar. Videtur ergo, quod omne impoſsibile eſſe, ideo ſit impoſsibile eſſe, quia A
aliquod exiſtens per ſe & primò ſibi repugnans prohibet illud eſſe; omne autem exiſtens eſt prima & pura neceſsitas, ſeu neceſſe eſſe, vel cauſatum & dependens ab eo. Item impoſsibile & poſsibile dicuntur ad inuicem relatiuè ſecundum priuationem, vt patet 5. Metaph. vbi prius; ſed de impoſsibili cum ſit purè non ens, nulla relatio per ſe & eſſentialiter poteſt conſurgere ſeu fundari, quia tunc duo purè non entia poſſent referri ad inuicem per ſe & eſſentialiter, ſine coexigentia alicuius exiſtentis omnino: Iſta ergo relatio per ſe & primò fundatur in extremo poſitiuo, ſcilicet in poſsibili, & emanet ab eo, & ſic attribuitur, & accidit quodammodo extremo alteri priuatiuo, ſicut de relatiuis tertij modi proximo dicebatur. Poſsibile ergo cauſat iſtam relationem & impoſsibilitatem, & neceſſe eſſe eſt prius poſsibili eſſe, & cauſa illius, ſicut ſuperius eſt oſtenſum, & Deus eſt prima cauſa omnium poſsibilium & neceſſariorum, ac omnium cauſationum illorum. Item ideo impoſsibile eſt impoſsibile, quia repugnat poſsibili, imò quia poſſibile ſibi repugnat. Poſſibile ergo eſt prima cauſa hu- B
ius repugnantiæ & impoſſibilitatis, & Deus eſt prima cauſa omnis alterius cauſationis & cauſæ: Iſtud poteſt confirmari per hoc quod omnia oppoſita reducuntur ad prima oppoſita, quæ ſunt habitus & priuatio, vt patet 10. Metaph. 15. & 12. Metaph 23. & ibi probatur, quod illa ſunt in genere ſubſtantiæ; habituale autem & poſitiuum eſt naturaliter prius alio; quare & aliqua cauſa eius ſicut præcedentia manifeſtant. Primus ergo habitus in genere ſubſtantiæ, ſcilicet Deus ipſe, eſt prima cauſa cuiuſlibet priuationis, quapropter & impoſſibilitatis & repugnantiæ cuiuſcunque. Item cauſa propinqua quare quicquam eſt poſsibile, eſt, quia Deus illud poteſt, ſicut ſuperius eſt oſtenſum: Ergo cauſa propinqua quare quicquam non eſt poſſibile, eſt quia Deus illud non poteſt; & quia Deus hoc non poteſt, non eſt propter de-
Auerroes. fectum potentiæ in eo, cum ſit omnipotens. Vnde Auerroes ſuper 8. Phyſ. 4. Agens non poſſe facere aliquid impoſsibile, non eſt diminutio agentis; Imò propter abundantiam ſuæ potentiæ infinitæ, ideoque potentiſſime hoc non poteſt; hoc enim non poteſt quia repug- C
nat ſuæ potentiæ infinitæ; Imò quia ſua potentia infinita immobiliter ſibi repugnat, ſicque neceſſariò prohibet illud eſſe. Et quia ſecundum prius oſtenſa, Actus etiam in Deo præcedit potentiam, ideo ſua potentia impoſsibili tali repugnat, quia ſuus actus puriſsimus immobiliter & neceſſario ſibi repugnat; & hoc eſt, quia eſt purum neceſſe eſſe, ſeu pura neceſſitas: Hoc enim eſt primum ſimpliciter omnium affirmationum & negationum, ſicut ſuperius eſt oſtenſum; & hæc videtur totius impoſſibilitatis reſolutio conſummata. Hæc autem ratio fundatur in dicto Philoſophi 1. Poſt. 12. vbi inquirit medium negatiuum demonſtratiuũ propinquum concluſionis negatiuæ; vt quare paries non reſpirat? oſtendens non poſſe dici quia non eſt Animal, quia tunc eſſe Animal eſſet cauſa propinqua reſpirandi, & ſic omne Animal reſpiraret: Si enim negatio eſt cauſa ipſius non eſſe, affirmatio eſt cauſa eſſe; ſicut eſſe ſine menſura calidi & frigidi eſt cauſa non ſanandi, ſic eſſe cum menſura eorũ eſt cauſa ſanandi; & ſimiliter, ſi affirmatio eſt cauſa eſſe, & negatio eſt cauſa non eſſe. Item quodcunque eſt impoſ- D
ſibile, Deus illud non poteſt: Vel ergo illud eſt impoſſibile, quia Deus illud non poteſt, & ſic habetur propoſitum; vel ideo Deus illud non poteſt, quia eſt impoſſibile; & ſic ſecundum proximo allegata, Ideo Deus poteſt quodcunque poſsibile, quia illud eſt poſſibile; ſic quoque poſſibile eſſe poſſibile eſſet prius naturaliter, quam Deum illud poſſe, & cauſa prima, quare Deus hoc poſſet, quod præcedentia non permittunt, & tunc Deus reciperet potentiam & perfectionem ab alio, nec ſufficeret pleniſſime ſibi ipſi, nec eſſet omnium prima cauſa. Etiam ſi ſic eſſet, aliqua creatura, imò, quod videtur indignius, aliquod purè non ens non creatũ nec creabile prohiberet, impoſſibilitaret, & ineuitabili neceſſitati ſupponeret omnipotẽtem vt faciat, vel ne faciat hoc vel illud, & ſimiliter cogeret intellectum diuinum ad intelligendum huiuſmodi & ſciendum, & eius voluntatem potentiſſimam atque liberrimam ad volendum.
Henricus de Gandauo. Hanc autem ſententiam tenet Henricus de Gandauo 8. de quolibet quæſt. 3. dicens quod non eſt verum dicere de aliquo impoſſibili ſimpliciter quod Deus non poteſt hoc facere, quia illud E
non poteſt fieri: ſed potius non poteſt fieri, quia Deus non poteſt illud facere; ſicut & in affirmatiua, non dicitur Deum poſſe aliquid facere, quia illud poteſt fieri, ſed è contrario. Hoc
Ioannes Scotus. idem probat ſimiliter Ioannes Scotus ſuper 1. ſenten. diſt. 43. per rationem priorem fundatam ex primo Poſt. & per aliam ſimilem, & hoc tenens finaliter dicit ibi, quod nihil eſt impoſſibile ſimpliciter, niſi quod includit contradictoria, & incompoſſibilia, quæ ex rationibus ſuis formalibus ſunt incompoſſibilia, & ab eo ſunt principaliter incompoſsibilia, à quo principiatiuè habent ſuas rationes formales, ſcilicet ab intellectu diuino, formaliter ta-
Henricus de Gandauo. men ex ſe. Obijciet forſitan aliquis contra dicta per dictos Doctores: Henricus enim tenet contrarium 6. de quolib. quæſtione tertia manifeſtè, ſcilicet quod prima cauſa quare

A quare aliquid est possibile est ex Deo; sed prima causa quare aliquid est impossibile est ex se. & ex natura rei, communissimè loquendo de re, scilicet vt est communis ad omnia intelligibilia existentia vel non existentia; & ad hoc allegat Auicennam 4. Metaph. dicentem, quòd ideo agens non potest, quia non est possibile in se. Idem quoque Iohannes probat contrarium vbi prius, & arguit isto modo; Nihil est impossibile simpliciter nisi cui simpliciter repugnat esse, & hoc primo ex se, quia ex suis primis & per se rationibus formalibus, circumscribendo quodlibet aliud; imò & si per impossibile Deus non esset, adhuc illud esset impossibile. Dicitque ibidem quòd possibilitas & impossibilitas, possibilium & impossibilium reducuntur principiatiue ad intellectum diuinum, non ad eius omnipotentiam seu potentiam, quod videtur præhabitis obuiare. Ad hæc autem dico quod videtur mihi cum Iohanne prædicto vbi priùs, quòd Henricus per dictum secundum dictum primum corrigit, seu retractat. Posset tamen ipse Henricus, Auicenna, & Iohannes intelligere, quòd nulla pura priuatio seu B impossibilitas priuatiua per se & primò, quæ non dependeat ab aliquo positiuo priori, est in Deo, quæ sit causa priuationis & impossibilitatis impossibilium, sicut aliquid positiuum in eo per se & primò est causa cuiuslibet possibilitatis possibilium: sed impossibilitas ex parte rei impossibilis, id est, pura & prima necessitas non essendi rem impossibilem esse, est causa quare Deus & quodcunque actiuum non potest; hæc autem necessitas positiua secundum præhabita est in Deo. Sed ratio Iohannis non procedit; Impossibili enim esse, non per se & primò repugnat esse, sed quia primum esse necessario sibi repugnat, sicut superiùs erat dictum. Nec est hoc primo ex rationibus formalibus quas imaginatur; Si enim illę rationes sint aliquo modo causæ, reducuntur ad causam priorem, ad Deum scilicet causarum omnium causam 1am; & hoc patet per ipsummet ibi dicentem quòd talia sunt principaliter incompossibilia ab eo, à quo habent principiatiue rationes suas formales, scilicet ab intellectu diuino. Quod autem dicit, & si Deus non esset, adhuc tale quid esset impossibile, si impossibile sumatur affirmatiue, C falsum est; quia si ipse non esset, nihil positiuum vel affirmatiuum esset; si autem sumatur purè negatiue scilicet pro non possibile esse, sic verum est: Ipse enim est prima & summa potentia, qua quodlibet possibile necessario est possibile, ideoque ipso non ente, nihil esset possibile, sed ex hoc non sequitur quod volebat: Vel aliter & fortè meliùs potest dici, quòd Deum non esse, necessarijssimè contradictionē includit; quare & posito Deum non esse, nedum vna pars contradictionis in multis & fortè in omnibus, sed & altera necessariò consequetur. Potestque similiter argui contra illum; Dicit enim quòd intellectus diuinus est causa impossibilitatis in rebus. Licet enim Deus nihil intelligeret circa impossibile, quia secundum eum licet Deus non esset adhuc impossibile, esset impossibile; ergo per consequentiam propriam intellectus diuinus non est causa impossibilitatis illius. Et quod dicit, quòd possibilitas, & impossibilitas reducuntur principiatiue ad intellectum Dei, non ad eius omnipotentiam seu potentiam, videtur mirabile, quoniam secundum modum suum imaginandi creberrimum, essentia diuina est D principium potentiæ in Deo: cùm actus præcedat potentiam in eo, & ipsa est aliquo modo prior actuali intellectione eius. Ex hoc enim videtur potentissimè & perfectissimè intelligere vniuersa, quia habet potentiā intellectiuam perfectissimā & potentissimam. Videtur igitur essentia siue purum esse, principiū potentiæ siue posse, & hoc intellectionis actualis; & quicquid est principiū principij, est principium principiati. Essentia ergo & potentia diuina sunt priora principia possibilitatis & impossibilitatis, quàm intellectus diuinus. Probat autem hoc dictum suum sic, Per quodcunq; in Deo possibile primo constituitur in esse intelligibili, illud est prima ratio possibilitatis; sed per omnipotentiam vt distinguitur contra intellectum, non constituitur creatura in esse intelligibili, sed per intellectum. Sed minor huius rationis videtur peccare; Si enim intellectus diuinus constituat aliquid in esse intelligibili, cum hoc non possit esse, non intelligendo illud, constituit ipsum in esse intelligibili, intelligendo illud; & cùm constituere aliquod constitutum in aliquo esse, sit prius naturaliter quàm illud constitutum esse E tale, videtur quòd Deus prius naturaliter intelligat quodcunque intelligibile, quàm illud sit intelligibile; quod tamen non apparet, imò magis videtur contrarium. Videtur enim quòd scibile in esse scibili præcedat scientiam, & intelligibile in esse intelligibili, intellectū. Videtur enim quòd essentia diuina ex infinitate suæ potentiæ & virtutis, distinctissimè & quodammodò nominatim constituit intelligibiliter & continet intelligibilia vniuersa, & eorum omnium primas, purissimas & proprijssimas rationes; & hæ sunt ideæ de quibus Philosophi & Theologi tot loquuntur, sicq; quodammodo præueniens intellectum diuinum, offert ista sibi vt obiecta, & sic intellectus intelligit omnia cōsequenter. Et hoc videtur Esaias testari 40 de Deo sic dicens, Omnes ex nomine vocat, præ multitudine fortitudinis & roboris, virtutisq; eius, neq; vnū relictū fuit; vbi glossa interlinearis, præ multitudine fortitudinis sic exponit, quia est omnipotens;

Auicenna.
Iohannes Scotus.

potens;ergo eius omnipotentia est causa suæ intellectionis, & prior ea, & hoc modo prædicto. A
Et ex hoc specialiter posset argui cõtra Scotum. Si enim omnipotentia Dei sit causa suæ intellectionis, & sua intellectio sit causa constituens intelligibilia in esse intelligibili, ergo & sua omnipotentia ista constituit in hoc esse: Quicquid enim est causa causæ est causa causati. Et hoc posset confirmari ex proprijs dictis ibi: Probat enim quòd omnipotentia Dei est prior creaturâ, secundum quodlibet suum esse, siuè existentia, siuè intelligibile, per hoc, quòd hæc omnipotentia est ex se formaliter necessaria, creatura verò possibilis secundum quodlibet suum esse, & tale necessarium præcedit omne tale posibile, sicut ipse sibi supponit, & ego superius ostendebam, est ergo causa illius sicut præcedentia suaserunt. Item contra rationem aliam dicti sui; Dicit enim quòd Intellectus diuinus producit aliqua duo intelligibilia in esse intelligibili, & illa sic producta ex rationibus suis formalibus, per se & primò repugnant, & sunt incompossibilia; videtur quòd eadem ratione deberet consequenter hoc dicere, de compossibilibus, posibilibus, similibus, æqualibus, maioribus, minoribus, & vniuersaliter de B
omnibus positiuis, scilicet quòd acceptis rationibus suis formalibus per se & primo sunt talia per seipsa, seu per rationes suas formales. Ratio namq; formalis albi tantum facit album esse album, sicut non esse nigrum, imò prius & magis. Album enim per hoc quod est album non est nigrum, & vniuersaliter omnis negatiua vera, reducitur ad aliquam affirmatiuam veram priorem, vt patet per priora; et sic nullius positiui citra Deum, prima causa seu ratio esset in Deo, cum tamen Deus sit omnium talium prima causa, & sicut ipsemet dicit, quòd posibilitatis cuiuslibet prima ratio est in Deo.

CAP. XIIII.

Quod diuina voluntas est causa cuiuslibet futuri atque præteriti, quare ipsum est tale. C

VT autem tractatus de causalitate voluntatis diuinæ finaliter compleatur, ostendendum existimo quòd diuina voluntas est causa cuiuslibet futuri siue præteriti, quare ipsum est tale. Nam secundum Philosophum 2. Post. 3. quæ verè est causa essendi quodcunque, eadem est causa fiendi, facti esse, & futuri esse, & secundum Lincolniensem, hæc est conclusio 18. illius secundi: sed diuina voluntas est verè causa essendi quodcunq; sicut capitulum nonum probat. Vnde Augustinus 22. de
Augustinus. Ciuit. Dei 2. Secundum illam voluntatem Dei, quæ cum eius præscientia sempiterna est, profecto in Cœlo & in terra, omnia quæcunque voluit non solum præterita vel præsentia, sed etiam futura iam fecit. Verum antequam veniat tempus quo voluit vt fieret, quod ante tempora vniuersa præsciuit atque disposuit, dicimus, Fiet quando Deus voluerit: si autem non solum tempus quo futurum est, verum etiam vtrum futurum sit, ignoramus, dicimus, Fiet si Deus voluerit, non quia Deus nouam voluntatem quam non habuit, tunc habebit; Sed quia id, quod ex æternitate in eius immutabili præparatum est voluntate, tunc erit. Hoc idem patere videtur per Ansel. Mono. 18. & de Veritate 10. & per August. 1. D
Anselmus. Soliloq. 21. secundi eiusdem 20. & 26. Contra Faust. 2. sicut vndecimum huius tangit; quod
Augustinus. & magis apparet, si quis attendat Augustinum ibidem contra Faustum, nedum ponere causas rerum futurarum, præsentium, & præteritarum in Deo, sed & in voluntate diuina. Vnde sic ait, Quid de Helia factum sit nescimus, hoc tamen de illo credimus, quod vera scriptura testatur; Illud sanè scimus de eo factum, quod Dei voluntas habet, quod autem Dei voluntas non habet, fieri de quocunque omnino non posse. Proinde si mihi dicatur, posse fieri vt caro, verbi gratia, huius vel illius hominis in corpus cœleste mutetur; concedo fieri posse, sed vtrum futurum sit, nescio; et ideo nescio, quia quid habeat de hac re Dei voluntas, me latet: Illud tamen me non latet, sine dubio futurum, si hoc Dei voluntas habet. Et infra, tam non pos- E
sunt futura non fieri, quam non fuisse facta præterita, quoniam non est in Dei voluntate vt eo sit aliquid falsum, quo verum est. Quapropter omnia quæ verè futura sunt sine dubio fient, si autem facta non fuerint, futura non erunt. Ita omnia quæ verè præterita sunt, sine dubio præterierunt. Item futura & præterita *nullum esse habent omnino, ergo nec aliquid causæ ha-
* ex se bent, nec aliquid veritatis; quare nec veraciter ex se habent esse futurum, neque præteritum. Habent ergo hæc propter aliquam aliam causam, & illa non potest esse purè non ens propter idem; vel saltem illa reducitur ad causam aliquam existentem, & omnium causarum existentium voluntas Dei omnipotentis est prima summa & efficiens. Item voluntas

Dei

A Dei est causa, quare quodcunque futurum ad vtrumlibet est futurum; ergo eadem ratione quorumlibet aliorum: Antichristus enim ex se nullum esse habet omninò; ergo ex se non magis determinatur ad vnam partem contradictionis, quàm aliam; ergo de se tantum non est futurum, sed purè indifferens. Si ergo sit futurus, hoc est per aliquam causam determinantem; sed illa causa necessariò est diuina voluntas, vel ad illam reducitur, vt ad primam & supremam causam determinationis illius. Item Antichristus futurus non magis ex se habet, vnde sit futurus, quam Prochristus æqualiter posibilis futurus, sed nunquam verè futurus: sed iste non est ex se futurus, ergo nec ille, sed per aliquam aliam causam, quæ sine diuina voluntate caussare non potest. Adhuc autem, aliquod non futurum posibile tamen fore, vt A potest Deus facere, fore, & esse futurum; quod si fiat, voluntas diuina est causa quare A est futurum; quare & similiter de similibus vniuersis. Quapropter & Iohannes super 1. Sentent. dist. 39. dicit; Quod nihil tale de futuro est verum ante determinationem voluntatis diuinæ, sed illa determinatio præcedit naturaliter sicut causa. Item eadem est causa nunc quare futurum quodlibet
B est futurum, quæ fuit ante mundum: sed tunc voluntas diuina fuit causa omnium futurorum, ergo adhuc est; cùm secundum quintum capitulum Deus sit immutabilis omni modo. Item magis est esse futurum, quàm esse posibile; sed nullum futurum ex se habet esse posibile, ergo nec futurum: Omne enim posibile, aliqua potentia est, posibile; sed nullum futurum habet aliquod esse, ergo nec aliquam potentiam. Nullum ergo futurum est posibile esse nisi quia aliquod præsens potest facere illud esse: sed nullum præsens potest facere aliquid sine voluntate Dei coagente; nulla ergo posibilitas, aut causa posibilitatis est in futuris, sed in præsentibus, & prima & summa omnium causarum, & posibilitatum, seu potentiarum præsentium est in Deo. Eadem quoque est causa posibilitatis futurorum nunc, sicut ante mundum: sed tunc fuerat solus Deus, vt patet per venerabilem Anselmum, De casu diaboli, 12. manifestè; secundum quod capitulum 12. allegauit. Item omne quod necesse est esse aliquale, aliqua necesitate necesse est esse tale; sed nullum præteritum habet aliquod esse, ergo nec ali-
C quam necesitatem; & quodlibet tale necesse est esse præteritum; ergo hoc est per aliquam necesitatem præsentem, quæ necessariò est Deus, vel dependet ab eo, quare & à voluntate illius. Vnde & Anselmus 2. Cur Deus homo 17. Omnis necesitas aut imposibilitas Dei subiacet voluntati; illius autem voluntas nulli subdita necesitati aut imposibilitati; nihil enim est necessarium aut imposibile, nisi quia ipse ita vult. Item primum verum est causa cuiuslibet veri sequentis, quare & causa sic essendi realiter, sicut significat quodlibet verum sequens: Primum autem verum est in Deo, sicut cap. 11. cum 12. docuit: ergo in Deo est causa essendi verum, quodlibet verum de futuro, & sic essendi, sicut significatur per illud, & hoc non est sine voluntate præcedente, vel etiam concomitante. Item Deus cum voluntate sua præcedit naturaliter omne præteritum, & futurum, ergo est causa eorum, sicut capitulo proximo est ostensum. Hoc etiam tenet expressè Petrus Lumbardus, 1. Sentent. dist. 45. 4. sic dicens, hęc itaque summè bona voluntas causa est omnium quæ naturaliter fiunt, vel facta, siue futura
D sunt. Nonne & hoc est quod viginti quatuor Seniores concorditer attestantur, dicentes sedenti in throno, Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt, Apocal. 4. Erant, inquam, sicut exponunt Doctores prius in prædestinatione, in arte, in Sapientia Dei, & creata sunt posterius in opere, & effectu.

Anselmus.

Apocalyps.

COROLLARIVM.

Et habet corollarium: Si Deus esse desineret, nihil esset præteritum nec futurum, verum nec falsum, posibile vel imposibile, necesarium vel contingens, nec etiam poset ese: ex quo & oppositum sequitur euidenter, videlicet ipsum Deum, & sic aliquid præfuise, ese, & fore. O quàm necesarium est hunc ese, quàm tam imposibile est
E *desinere vnquam ese, & quod Deum qualitercunque non ese, contradictionem necesariisimè continet & importat; & quod necese ese, videtur maximè proprium nomen Dei.*

VNde videtur corollarium mirum sequi, scil. si Deus esse desineret nihil esset præteritum, nec futurum, verum, nec falsum, posibile vel imposibile, necessarium vel contingens, nec etiam posset esse: ex quo & oppositum sequitur euidenter, scilicet ipsum Deum, & sic aliquid præfuisse, esse, & fore, & similiter alia posse esse per omnipotentiam Dei magnam. O quàm necessarium est hunc esse, quem tam imposibile est desinere vnquam esse, quem etiam

qualitercunque non esse, contradictionem necessarijssimè continet & importat. Vnde forsitan potest licet ænigmaticè elici maximè proprium nomen Dei, scilicet esse necessarium, seu necesse esse, quod debet intelligi de esse per se & de necessario summa necessitate, includente videlicet repugnantiam contradictoriam non essendi. Quod autem si Deus esse desineret, nihil esset præteritum nec futurum, ex isto capitulo patet, & quod nihil esset verum, neque verè esset aut non esset ex 11° & 12°. cùm nihil possit esse verum aut verè, sine primo verò quod est in Deo, ex quo consequitur quod nihil esset falsum, quia si vnum oppositorum esset falsum. reliquum esset verum, & quod nihil esset possibile vel impossibile, necessarium vel contingens patet per capitulum proximum: Omnia enim ista originantur à Deo. Et quod nullum horum etiam posset esse, patet, quia nullum istorum posset esse sine Deo; sed si Deus non esset, ipse non posset esse, quia si posset esse, esset sicut præmissa in probatione primæ Suppositionis ostendunt: Reliquæ verò partes vsque ad penultimam satis patent. Pro penultima verò sciendum quod aliquid potest dici multipliciter non esse; Primò, vt futurum; secundò, vt præteritum; tertiò, vt aliquid possibile esse, quod non erit, est, nec fuit; quartò, quod simpliciter impossibile est esse, & contradictionem includens, sicut Chimæra, vel commensurabilitas diametri quadrati & costæ. Ponatur igitur cum Diagora, vel cum insipiente, tanquam absolutè possibile, nec vllam contradictionem includens, Deum non esse: Si ergo Deus non est, aliquo prædictorum modorum non est: Si primo modo, aliquando incipiet esse, & erit Deus nouus & recens; quare & erit Deus, erit ergo necesse esse & æternus, sicut ostensio primæ Suppositionis ostendit; hic ergo contradictio implicatur. Si secundo modo, Deus est præteritus & non præsens, & fuit Deus, fuit ergo necesse esse & æternus, sicut probatio primæ Suppositionis monstrauit: Hic est ergo contradictio manifesta. Si tertio modo Deus non est & potest esse, ergo est & est necesse esse, sicut prædicta probatio plane probat; hic ergo contradictio importatur. Si quarto modo, quod potest esse non potest esse; est enim absolutè possibile Deum esse, sicut præmissa in ostensione primæ Suppositionis perspicuè manifestant; imò & est necessarium simpliciter absolutè, quod Deum esse sit posibile simpliciter absolutè, sicut præhabita in eadem ostensione demonstrant; hic ergo contradictio includitur euidenter. Rursum Deum esse est necesse, ita quod ipsum non esse contradictionem includit; hoc enim euidenter ostendit probatio memorata: Dicatur enim posibile absolutè quod necessario absolutè in consequentia formali simpliciter contradictoria non includit; Imposibile verò & necessarium, seu necesse correspondenter sumantur, &c. sicut ibi. Constat enim quod est posibile absolutè esse aliquod tale necesse esse; quis enim hoc posito & admisso nequaquam faciliter ab omni se contradictione defendat? Amplius autem quàm imposibile est aliquid, tam necessarium est aliquid, quàm enim impossibile est contradictoria esse simul vera, tam necessarium est contradictoria non esse simul vera; & vniuersaliter quam imposibile est aliquid esse, tam necessarium est illud non esse; & quàm impossibile est aliquid non esse, tam necessarium est illud esse, sicut posset faciliter demonstrari: sed neminem reputo hoc nescire. Est autem aliquid tam imposibile, quod ipsum esse verum contradictionem includit; est ergo & aliquid tam necessarium, quod ipsum esse falsum similiter contradictionem includit. Sed quid est magis necessarium quàm Deum esse? quis audet dicere hoc vel illud, cum ipsum sit primum in genere necessariorum, & causa omnium necessariorum posteriorum, quare & maximè necessarium supra cuncta, sicut præmissa capitula docuerunt? Hoc idem euidenter ostendunt multa corollaria 13°. prælibata. Idem similiter potest ostendi per viam veri & falsi, quoniam quàm falsum est aliquid, tam verum est aliquid: quàm falsum enim est aliquid esse vel non esse, tam verum è contra est illud non esse seu esse; sed aliquid est tam falsum, quod ipsum esse verum contradictionem includit, quare & aliquid est tam verum quod ipsum esse falsum contradictionē includit. Sed quid est verius primo vero, sicut ratio iam præmissa, & priora capitula maniestant? quid autem est simpliciter & naturaliter primum verum? Nonne, Deus est, sicut duodecimum demonstrauit? Præterea, si Deus non est, verè Deus non est, aliqua ergo veritate Deus non est, est ergo aliqua veritas, quare & prima veritas, quæ est Deus. Si ‖ *etiam* aliqua veritas, vel aliquid omnino est, Deus est; quia illa vel illud necessario est Deus vel à Deo, sicut secundum huius ostendit. Si insuper Deus non est, ita est quod Deus non est, quia verum est quod Deus non est, quia verè non est; per aliquod ergo esse ita est, quòd Deus non est; omne autem esse est primum esse, quod est Deus, vel à primo esse, sicut idem secundum demonstrat; ergo Deus est. Hæc autem videtur ratio Augustini in Soliloquijs suis, & Anselmi Monol. & de veritate 11°. huius scripta. Ex his videtur clare patere, quod quælibet negatiua aliquam affirmationem implicat & includit. Nam quælibet negatiua innuit & includit, verè non esse, quod negat; Nonne etiam sequitur, *A* non

‖ autem

est *B*

A est *B*, ergo verè *A* non est *B*. De quibuscunque namque verum & necessarium esse videtur, verè hoc est illud, vel verè hoc non est illud; quare siue quicquam sit siue non sit, de necessitate Deus est, quia aliqua veritas. Adhuc autem si Deus non est, nihil verè est nec verè non est; Nihil verè est hoc vel tale, nec verè non est hoc vel tale, quia nulla veritate secundum præmissa; quare & quidlibet verè est & verè non est, & || *quidlibet* verè est & verè non est quidlibet, [& qualelibet] omniquaque. Amplius autem potest similiter argui per viam possibilitatis, & necessitatis; quoniam si Deus non est, possibile est ipsum esse, vel possibile est ipsum non esse; aliquâ ergo potentiâ est hoc possibile; aliqua ergo est potentia, & aliquod potens per illam, sicut ex decimo quarto huius patet; aliquid ergo est, ergo & Deus. Si etiam Deus non est, necesse est ipsum non esse, saltem pro nunc, & necesse est ipsum non esse Deum; ergo aliqua necessitate alicuius necessarij existentis, sicut eodem 14°. est ostensum &c. sicut priùs. Item si Deus non est, aliqua est causa positiua illius non esse, & prior illo, sicut 13um huius monstrat, &c. sicut priùs. Adhuc autem si Deus non est, nec creatura est, nec aliquid penitùs: est tamen absolutè possibile creaturam esse & aliquid esse; est enim in rei veritate nunc verum & possibile, & quod semel est, vel esse potest possibile absolutè, semper necessario absolutè est possibile absolutè, accipiendo hos terminos sicut supra, & sicut probatio primæ Suppositionis pleniùs hos exponit. Quod enim semel contradictionem formaliter, simpliciter non includit, nec vnquam; quia consequentia quæ aliquando de se & per se non est formalis simpliciter, neque vnquam; & quæcunque potest aliquando esse non formalis simpliciter, semper necessariò est non formalis simpliciter, sicut & quæcunque potest aliquando esse formalis simpliciter, semper necessario est formalis simpliciter, sicut nullus Logicorum ignorat. Quis enim ignorat consequentiam formalem simpliciter esse absolutè necessarium consequendo? & cuius animus capiat necessarium absolutè, posse fieri vel esse possibile secundum contradictionem ad esse & non esse, vel è contra? quis etiam dubitat quòd quicquid per se & essentialiter est aliquale, semper saltem dum est, necessario esse tale? Alias enim non esset tale per se, & essentialiter, sed per aliud, quod posset adesse & abesse ipso manente, & || *accidentaliter*, cuius causa est, quia quicquid est quamdiu est, seipso, & sua essentia carere non potest: Quamobrem & quicquid per se, & de se essentialiter est aliquale, semper dum est, necessario absolutè est tale. Et hinc est vt puto, quòd Philos. 1. Poster. 4. dicit, quòd per se importat de omni & semper, sicut 2° huius plenius recitatur. Deo ergo non ente, creatura & aliquid potest esse; quare & creator & Deus potest esse, & si potest esse, est, sicut præmissa hic & primò huius ostendunt. Si etiam aliquid potest esse, verè aliquid potest esse; ergo aliqua veritate, & aliqua potentia alicuius potentis nunc entis; est etiam necesse creaturam posse esse; ergo aliqua necessitate alicuius necessarij existentis &c. sicut supra. Si insuper aliquid potest esse, hoc est per actum priorem, & aliquis est actus prior natura potentia sicut prima pars 13i docuit, & per 3am partem huius, necessarium est prius possibili secundum contradictionem; Ille autem actus prior, & necessariũ illud prius, necessariò est a Deo, vel Deus. Si etiam creatura non est, illo non esse, & illa negatione est aliquod esse prius, & aliqua affirmatio prior naturâ, & causa illius, sicut 2a pars, & 9a 13i ostendebant: illa necessario est à Deo, vel Deus, quod & euidenter confirmant 10a & 11a partes eius. Si ergo Deus non est, Deus est; & si Deus est, Deus est: Tu es ergo veraciter Deus meus; imò & nedum es, verum etiam necessarijssimè es in tantum quod nihil aliud magis necessariè aut tam necessariè esse posset; Præter te namque, qui solus verè es, vix || *aliud* est. Nihil enim aliud de se necessario est, aut ex se est, imò de se nihil est, sed ex te, per te, & in te, nec quippiam aliter esse potest. Nonne hoc vidit tuus secretarius Esaias, cùm dixit, Quis mensus est pugillo aquas, & Cœlos palmo ponderauit? quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera? ecce Gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt; omnes Gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei.

E O Domine Deus meus, numquid hoc famulo tuo familiarissimo Mosi indicasti, quando ei nomen tuum quærenti, tanquam pro nomine tibi proprio respondisti; Ego sum, qui sum, sic dices filijs Israel, Qui est, misit me ad vos? O Domine Deus meus, quàm admirabile nomen tuum; verè Domine admirabile quodlibet nomen tuum, sed quàm admirabile specialiter istud nomen? Hinc & alius Moses sapiens, & Sapientes, quibus credita sunt eloquia tua, secutus, dicit; quod omnia nomina tua transumuntur ab operibus, præter vnum quatuor literis exaratum, & ideò tetragrammaton Græcè dictum, quod, vt dicit, significat substantiam tuam purè, non participando aliquid alienum; quod & idcircò nomen tuum separatum vocatur; quapropter & dignè reuerentiæ tantæ fuit, vt non nisi in Sanctuario diceretur, & à Sacerdotibus tuis sanctis, & hoc in die ieiunij, in benedictione Sacerdotali, à maximo

Margin notes: [A, B (at "cut 13um"), C (at "quicquid per se"), D (at "tradictionem"), E] || quodlibet. || actualiter. || aliquid. *Esaias.* *Rabbi Mose*

maximo Sacerdote. Nec docebant hoc nomen nisi discipulum ad hoc idoneum, & semel in A septimana, non amplius. Dicitque hic Moses dux dubiorum, & tamen dubius in hac parte, & fortassis significat super ratione necesse esse; quod & puto te, Domine, priori Mosi, licet sub nubilo ostendisse, quando dixisti, Ego sum, qui sum, sic dices filijs Israel, Qui est, misit me ad vos. Hoc nomen mihi est in æternum, mihi, inquis. Dicunt Grammatici tui, Domine, pronomen in oratione poni debere causa discretionis, aut significantiæ faciendæ, Cum ergo dicis, Mihi, videris innuere hoc nomen discrete tibi competere, quia tibi soli per te solum, & non per aliud, quia tunc potius illius alterius nomen esset, & nulli alij nisi per te; aliter etenim ita esset nomen alterius sicut tuum: Quare & similiter innuis, vt opinior, tibi significanter competere nomen istud, excellentius scilicet quam alteri cuicunque. Dixisti similiter, Domine, quod istud nomen est tibi in æternum; non dixisti, est nunc, fuit priùs, erit posterius, sed est in æternum; Esse autem in æternum, siue fuisse, aut fore, & sic per se esse, quid melius significare videtur, quam stabilitatem, immutabilitatem, & firmissimam necessitatem essendi? B Docuisti etiam me Doctor dulcissime in capitulo præcedenti, quod necesse esse præcedit quodammodo, sicut balbuttendo vix possum exprimere, quodlibet aliud tuum esse; vnde & sequi videtur ipsum esse primum, & summum tuorum nominum diuinorum. O Domine, Pater meus, vt sinas tuum puerulum [pauiulum] coram te pueriliter ludere; Ecce video necesse esse, tua prouidentia disponente, nedum in significatione nomini tuo magno tetragrammaton conuenire, verum & quodammodò in numero literarum. Habet enim tantum quatuor literas, quatuor species literarum. O necesse esse, propter nomen tuum sustentalabilissimum meum esse. Super te totus semper innitar, fulciar, te conforter, totis præcordijs tibi adhæream, totis virtutibus tibi inhæream, totus in te transformer, æternaliterque confirmer. Contra

§ quispiam hæc autem fortassis obijciet ‖ *quisnam* ita; Si voluntas diuina sit causa futuritionis in rebus, causat futuritionem in eis; aliquando ergo hanc causat. Prius ergo res aliqua non fuit futura, sed tunc incipit esse futura. Item si voluntas diuina esset causa futuritionis omnium futurorum, esset causa veritatis omnium Propositionum veratum, etiam contingentium de futuro; C & cum voluntas diuina libere velit ad extra, posset circa futura contingentia nihil velle; quod si faceret omnes propositiones huiusmodi de futuro, omni veritate carerent; essentque ambo contradictoria in talibus simul falsa, quare & similiter simul vera. Sed hæ argutiæ si procederent, etiam demonstrarent Deum de sua omnipotentia absoluta, non posse facere quicquam fore, seu quicquam esse futurum, cum tamen multa sint possibilia fieri immediate ab ipso solo, quæ nunquam fient ab eo, quæ si vellet fore, necessario forent & essent futura per 10. & non nisi per voluntatem diuinam; Imò & secundum sapientiam istam terrenam, Deus nullum futurum posset quomodolibet impedire, facereuè non fore, nisi per deductionem eius ad esse, facere scilicet ipsum nunquam fore, esse, aut fuisse. Sed quare non posset Deus omnipotens actum futurum impotentis hominis, & creaturæ alterius impedire, & aliquem actum suum futurum non facere, contra primam Suppositionem, octauam partem, 32. & 34. Corollarij primi huius, & contra Prophetam dicentem, quòd Deus libere egit, quare & agit, & D aget simili libertate. Siquis tamen ista directè voluerit soluere, respondendum quòd Deus causatione æterna, scilicet volutione æterna immutabili, & infrustrabili omni modo facit fu-

Aristoteles. tura esse futura. Quare & Arist. in de Mundo 11. ostenso, quòd omnia quæ sunt in Mundo, sunt verè opera Dei, subiungit, Ex quo, [id est Deo] secundum naturalem Empedoclem, omnia quæcunque sunt, & postmodum erunt, processerunt, quasi diceret cum Propheta, vel Propheta cum eo, Qui fecit quæ ventura sunt, sicut & Pater causatione & generatione æterna filium suum æternum causat & generat. Replicabis fortassis, quod etsi secundum præmissa, res futura in nullo instanti, mensurauè temporis incipiat esse futura; in aliquo tamen instanti, vel mensura, vel signo originis, ordinis, seu naturæ incipit esse futura, quod non magis videtur de istis, quam de illis. Sed istud vix verbaliter, nihil realiter obuiat supradictis. Decipit enim fortassis significatio verbi (Incipere) significantis cum tempore, cum fluxu, & suc- E cessione temporalis mensuræ, & inceptionem tantummodò similem temporalem. Si autem ita tantum significet, obiectio non obsistit. Si verò verbum (Incipere) possit vtcunque sine offensa locutionis communis, & Autorum transferri ad significandum processionem, causationem, originationem, & ordinem qualemcunque, non temporis, sed naturæ; non video cur non possit concedi, rem incæpisse esse futuram, habuisse videlicet causam suæ futuritionis, ipsam naturaliter, causaliter, & originaliter præcedentem, sicut præhabita docuerunt. Veruntamen sic loquendo, non aliter incæpit res esse futura, quam semper continuè incipit esse futura, dum manet futura, sicut æternaliter fuisset, & esset, de pede, puluere, & vestigio sempiternis, de Patre & Filio sempiternis, inter quos Augustinus prioritatem originis asseuerat; si

tamen

A tamen in illa ineffabili trinitate, fas sit incœptionem qualemlibet affirmare, quanquam generatio filij videatur principari, seu initiari, quodammodo à Patre, tanquam à termino à quo procedit, & terminari in filio velut in termino ad quem tendit. Quis enim negauerit Patrem esse principium filij? Nec reputo quempiam tam proteruum, vt neget omnino futura aliquam causam || *futuritionis* habere, dicatque quòd ista, Tu curres, & quælibet propositio vera de futuro sit primum principium & primum verum simpliciter, aut ipsi coæquale seu compar in ordine veritatis, præmissis capitulis intellectis. Quis etiam negare præsumpserit voluntatem diuinam esse, aut esse posse causam prædestinationis, electionis, & saluationis sanctorum. Ad alteram autem argutiam quidam forsitan responderent, quòd Deus potest suspendere omnem actum voluntatis suæ circa futura, & non futura quæcunque, & sic facere quodammodo nihil esse futurum, quare & facere quamlibet affirmationem huiusmodi esse falsam. Sed etsi Deus possit facere nihil esse futurum, & nullam propositionem de futuro simplicem categoricam esse veram, non tamen potest facere, quin quælibet disiunctiua, inter talem affirmatiuam, & suam oppositam negatiuam sit vera. Nullius ergo disiunctiuę huiusmodi veritas, à diuina voluntate dependet, sed eam præcedit naturaliter & necessariò vt videtur; quare & alterius partis veritas vt apparet. Ideo forsan dicetur, quòd res futura, puta A, de se & per se non est futura, sed est non futura, & hoc antecedẽter voluntati diuinæ: Nulla tamen res est futura, nisi antecedenter à voluntate diuina, nec hoc contradictionem includit. Sicut namq; secundum Philosophũ contradictio temporalis debet esse pro eodem tempore, seu instanti; sic & contradictio naturalis pro eodẽ ordine, instanti, seu signo naturæ. Non igitur contradicunt, quòd A primo antecedenter voluntati diuinæ de se non sit futurum, & secundo subsequenter voluntati diuinæ, & per eam sit futurum, sicut nec ista; istud ante generationem seu creationem fuit non ens, & nunc post est ens. An fortè melius dicitur, quòd quælibet propositio vera de futuro, tam negatiua quàm affirmatiua contingens diuinæ subijcitur voluntati, & ab ea originatur, causaliterque dependet. Omnis namque talis propositio libertatem quandam importat; Primum autem principium liberum est in voluntate diuina, sicut corollarium decimi huius monstrat, ibi est ergo principium primum, & causa cuiuslibet alterius libertatis. Adhuc autem si pars huiusmodi negatiua nequaquam voluntati diuinæ subesset causaliter sed præesset, ipsa esset de se naturaliter determinata, & necessaria quodammodo, nisi quatenus impediretur fortaßis à voluntate diuina. Quapropter in talibus negatiuis & affirmatiuis, non esset ex parte rei contingentia ad vtrumlibet, & æqualis; neque tales affirmatiuæ, & negatiuę conuerterentur æqualiter per oppositas qualitates, quod nullus non negat; neque Philosophus 1. Prior. Imò tales propositiones potius de contingenti nato, de contingenti in pluribus vel in paucioribus, quàm de contingenti ad vtrũlibet siuè æqualiter dicerentur. Infinitæ namque plures huiusmodi negatiuæ, quam affirmatiuæ sunt veræ, sicut infinitè plura poßibilia non futura, quàm sint futura, sicut & sunt de se naturaliter non futura. Quòd etiam de se est indifferens ad ambo opposita, ad neutrum determinatur ex se solo; sed quodlibet possibile esse & non esse, seu fore & non fore, aut contingens ad vtrumlibet, siue æqualiter ad hæc & illa, videtur esse huiusmodi: Potest enim esse & non esse, fore & non fore. Talis insuper negatiua contingens vera de futuro, puta B non erit, vel est per se vera, & res illa non futura sine alia causa suæ non futuritionis quacunque, vel per aliud, & per aliam causam priorem: Si per se, ergo semper & necessariò vt videtur, per secundo huius præmissa. Secundum hoc quoque, B non erit, esset primum principium complexum simpliciter, contra 11°. & 12°. huius præmissa. Si insuper illa negatio non haberet causam priorem, simili ratione nec aliqua vt videtur, sed quodlibet ens vel non ens, quicquid non esset, per se, non per causam priorem illud non esset; quod enim per se non est, per se non est substantia, quantum, nec quale contra proximo huius præmissa. Nonne & 2. pars, 9. 10. & 11. proximi istud damnant? Aliàs insuper nec Deus, nec aliqua creatura posset facere aliquid non esse futurum, nec qualitercunque non esse. Sed quis non viderit sic non esse? Quare & Augustinus 26. contra Faustum 2. Deus, inquit, quod facturus erat, vtique sciebat, & ideo simul sciebat illud futuru non fuisse, quod ne fieret facturus erat. Negationum quoque de quibus minus videtur, est aliqua causa prior, harum videlicet, Chimæra non est, Chimæra non est Tragelaphus & similium, sicut proximum huius docet. Nonne etiam secundum proximo huius scripta, si, Deum velle quicquam fore est causa futuritionis illius, & Deum nolle quicquam fore est causa non futuritionis illius? Et si quis dicat in primis, quòd B non est per se solum non futurum, sed per aliquam aliam causam priorem illa causa necessariò est in Deo, * vel reducitur ad aliquam causam entem in eo, & illa causa in Deo, vel est diuina essentia, potentia, vel intellectus voluntate semota, vel est diuina voluntas. Si diuina essentia, potentia, vel quicquid voluntatem eius præce-

B, C, D, E (marginal section letters)

|| futuri communis.

Augustinus.

* vel reducitur ad Deũ, vel---

|| minime

|| quorumlibet

præcedit, cùm cauſa illa ſit || *merè* neceſſaria in eſſendo, & ſimiliter in cauſando, ſicut ex corollario decimi huius patet, B eſt neceſſariò non futurum, contra hypotheſin, ſicut Chimæra de neceſsitate non erit, & de neceſsitate non erit Tragelaphus. Si autem cauſa illa ſit diuina voluntas, ſicut diuina voluntas eſt cauſa futuritionis || *quorumcunque* contingenter, & liberè futurorum, ſic & non futuritionis cunctorum ſimiliter minimè futurorum. Neq; verum videtur, quod dicebatur in primis, Deum videlicet poſſe ſuſpendere omnem actum voluntatis ſuæ circa futura, & non futura quæcunque; Imò neceſſe videtur quod circa quodcunque futurum, vel non futurum, imò & circa quodcunque obiectum volubile vel nolubile habeat aliquem actum diſtinctum & proprium voluntatis. Nam quomodo aliter eſſet ſummus, ſeu ſumme actus actuoſus aut etiam actualis, ſicut prima Suppoſitio, & tertia pars corollarij primi docent. Nec hoc à voluntate diuina liberè ſecundum contradictionem dependet, ſicut nec ipſum eſſe ſumme actualem, immutabilem, & perfectum, ſed eſt neceſſarium abſolutè, quare & neceſſe eſt, quod cuiuſlibet contra dictionis huiuſmodi velit ſpecialiter vnam B partem, alteram verò nolit. Quapropter & quod ſic volendo verificet quamlibet diſiunctiuam inter partes oppoſitas contingentes; Neutram tamen partem alicuius contradictionis huiuſmodi neceſſe eſt ſimpliciter Deum velle, nec etiam Deum nolle, ſed quamlibet talem partem poteſt liberè ſecundum contradictionem velle & nolle: Vnde & euidenter apparet quod quanquam diſiunctiua huiuſmodi ſit neceſſaria neceſſitate ſimpliciter abſoluta, & antecedente naturaliter voluntatem diuinam; ita videlicet quod neceſsitas eius aut veritas diuinæ non ſubiacet voluntati, neque contradictoriæ libertati, aut huiuſmodi liberæ poteſtati, vtriuſque tamen partis eius veritas aut falſitas ſic eius ſubijcitur voluntati cauſaliter, originaliter, & naturaliter, ipſa poſterior ipſam ſequens, ſicut & Deus vult neceſſariò ſimpliciter hoc aut illud, *A* & *B* contradictorijs contingentibus demonſtratis, neutrum tamē horum vult neceſſario ſed maximè liberè maxima contradictoria libertate. Adhuc forſitan ſic inſtatur; Si voluntas diuina ſit cauſa futuritionis, & non futuritionis rerum, ipſa eſt cauſa veritatis huius diſiunctiuæ, C hoc erit, vel hoc non erit, quæ ſit *A*; quare & naturaliter prior ipſa; In illo ergo inſtanti ſeu ſigno priori cauſæ, originis, ſeu naturæ, quod ſit B, aut in inſtanti, ſeu ſigno priori *B* non eſt *A* verum, aut poſſet non eſſe verum, cum tamen ſit neceſſarium abſolutè. Sed hæc argutia quem moueat aut conturbet? Nonne probaret ſimiliter *B* nullam cauſam ſuæ veritatis habere, nec Deum eſſe, aut aliquam aliam propoſitionem eſſe naturaliter prius veram, ſed ipſam eſſe primum principium, aut ipſi coæquale ſeu compar in ordine veritatis, quod præcedentia non permittunt? Nonne & probaret ſimiliter intellectionem aut verbum Dei nullam cauſam habere, aut poſſe non eſſe? Poſſunt autem & hic reſponſiunculæ quædam fingi, quales ſecundo huius, tertio, atque quarto, & deſtrui ſicut illæ, iuuante corollario noni huius.

CAP. XV. D

Quod res ſcitæ non ſunt cauſæ Diuinæ ſcientiæ.

QVibuſdam autem ignorantiæ nebulis circa diuinam ſcientiam iam priùs eius lumine diſſipatis, nunc ſupereſt oſtendere eodem lumine dirigente, quod res ſcitæ non ſunt ſcientiæ Dei cauſæ. Scire namque eſt magnæ perfectionis in Deo: Si ergo ſcientia Dei cauſetur à ſcitis, ipſe recipit perfectionem ab alio, ergo non eſt ex ſe ſummè perfectus. Item tunc non eſſet per ſe ſufficientiſsimus; indigeret enim ſcitis à quibus poſſet ſuffragia ſuæ ſcientiæ mendicare: quo modo ergo erit incomparabiliter glorioſus, qui mendicatis ſuffragijs gloriatur? quod etiam E deſtruit 5ª. pars corollarij, primi, huius; & quædam præhabita quinto huius. Item ſi ſcita eſſent cauſæ effectiuæ diuinæ ſcientiæ, præcederent illa, tempore, vel natura; ſed quomodo, cum iſta ſint temporalia, hæc æterna? hæc autem ratio paruula apud Doctores quamplurimos eſt famoſa. Si etiam ita eſſet, Deus aliquo modo pateretur ab eis, contra ſeptimam partem corollarij primi huius; quare & aliquo modo ſimiliter mutaretur contra quintum iſtius. Quapropter & eſſet quoquomodo inferior, & ignobilior rebus ſcitis. Item tunc intellectus diuinus de ſe eſſet in potentia & indifferentia ad ſciendum hoc, vel ſuum oppoſitum, & actuaretur &

A tur & determinaretur per aliud, sicut noster, & sic non esset actus summus nec primus, quæ omnia prima Suppositio cum tertia parte corollarij primi huius destruit & refellit. Hæ autem videntur rationes Philosophi 12. Metaph. 51. vbi apparet probare Deum non intelligere aliquid aliud à seipso, non tamen hoc intendit probare, sed probat principaliter ibi tria; Primum est quod Deus non intelligit in potentia, quemadmodum dormiens, quia tunc non esset venerabilis & insignis. Secundum est quod ipse est sua intelligentia, id est, suus actus quo intelligit; Nam aliter esset in potentia, nec optima substantia; Per Intelligere enim honorabile, id est, per actum intelligendi diuersum ab eo, habet intelligentis honorem. Tertium est quòd Deus non intelligit aliud à se, ita quòd patiatur & perficiatur ab eo, tanquam à causa, sicut Intellectus noster vt patet in principio capituli manifestè. Postquam enim priùs ostendit primitatem immaterialitatem, perfectionem, & vnitatem Dei, volens consequenter ostendere, quomodò Deus intelligit, subdit dicens; Quæ autem circa Intellectum, habent B quasdam dubitationes: Videtur quidem enim apparentium diuinissimum; quomodo verò habens tale erit, vtique habet quasdam difficultates. Vbi Auerroes, quomodo &c. Quæstio non est in hoc, quòd Deus debet esse perfectissimum, & nobilissimum omnium, sed quæstio est, quomodo erit hoc, quod est in fine perfectionis in se, secundum quod est talis dispositionis, scilicet Intellectualis. Igitur iuxta istud primum loquitur per totum capitulum, consequenter ostendens, quòd Deus non intelligit aliud à se, ita quòd Intellectus diuinus patiatur ab alio, habeatque perfectionem suæ intellectionis ab eo, tanquam à causa, sicut Intellectus noster perficitur ab alio patiendo, sicut ex 3. de Anima satis patet. Vnde Auerroes vbi prius, Si intelligit aliud, tunc substantia eius non est actus eius, sed potentia, quâ fit ista actio; quapropter perficitur necessariò per hanc actionem, sicut Intellectus perficitur in nobis per id quod intelligit. Non erit ergo substantia nobilissima omnium entium, quia nobilitas non est ei, nisi quia perficitur per aliud, quod aliud necesse est vt sit nobilius eo, quia intellectum est perfectio C intelligentis. Et infra eodem, exponens illum textum suum; Et si alterius, quid est illud quod est vnum, & non aliud, sic dicit; Et si intelligat aliud, quid est illud quod semper est suum esse, & vnum sine alio; hoc enim non est, quia est scilicet intelligens per esse alterius è contrario illi quod positum est de primo principio, scilicet quòd semper est, sine hoc, quod indiget altero. Et citò post ista, impossibile est vt Intellectus eius perficiatur, per quodcunque sit: Aliud enim quod intelligit quodcunque, intellectus eius consequitur illud, & est sub eo in ordine; sed Intellectus diuinus est valdè nobilis & perfectus. Et subdit Aristoteles consequenter; Palam ergo quod diuinissimum, & honoratissimum intelligit, & non transmutatur, scilicet per aliud de potentia ad actum, sicut Intellectus noster, quod dupliciter probat statim: Primo sic. In indignius enim transmutatio; non omnis transmutatio in quocunque est in indignius, sed in ipso solo de necessitate sic esset, quoniam in æquè dignum, vel dignius transmutari non posset, cùm nec sit, nec esse poterit quicquam tale. Idem secundo sic probat; Et motus quidem iam D tale, scilicet transmutatio de potentia ad actum; sed ostensum est prius supra 38° & alijs locis multis, ipsum esse immobilem omni modo. Vbi Auerroes, Cuius Intellectus est exiens de potentia in actum, sicut est de nostro Intellectu, Intellectus eius est motus, & omnis motus est à motore: quapropter primum patitur, & mouetur ab alio, quod reputat impossibile manifestum. Et infra eodem; deducit ad hoc impossibile, quòd perficiatur per vilius se, & subdit, Manifestum est quod principium nobilissimum non acquirit nobilitatem nisi per suam actionem; quemadmodum Intellectus in eis qui intelligunt non acquirunt nobilitatem nisi per actionem intellectus. Si igitur primum intelligit vilia, sic scilicet, quòd perficiatur ab eis, contingit vt sua nobilitas sit in intelligendo vilia; ita scilicet quòd acquirat nobilitatem ab eis. Quapropter & sua actio erit vilissima actionum: Vile enim esset tam nobili Principi nobilitatem suam ab ignobilioribus subditis mendicare. Et quia quodlibet vile in nobiliori est vilius, in || *ipso* esset vilissimum, cùm sit nobilissimus omniũ, & honorabilior vniuersis. Quare & Com- E mentator in fine comment. sic dicit; Hoc nomen (scientia) æquiuocè dicitur de scientia sua & nostra; sua enim scientia est causa entis, ens autem nostræ scientiæ. Patet igitur ex prædictis, quòd sententia Aristotelis & Auerrois est, Deum non intelligere aliud à se à quo perficiatur, vel quòd sit causa intellectionis diuinæ, quod & expositiones aliorum similiter attestantur. Nullus igitur æstimet tantum Philosophum, in tam solenni materia tam turpiter delirasse, vt vel leuiter crederet Deum nihil omnino cognoscere, nisi tantummodò semetipsum. Dicit enim Auerroes in principio illius commenti, Ista quęstio est nobilissima omnium quæ sunt de Deo, scilicet scire, quid intelligit, & est desiderata ab omnibus naturaliter. Amplius autem Themistius recitante Auerroe super 3. de Anima 36. dicit quòd, Entia nihil aliud sunt quàm scientia eius, id est, Dei, neque causa entium aliud est nisi scientia eius. Quare & Ammonius super

Auerroes. *Auerroes.* *Aristoteles.* *Auerroes.* || ideo. *Auerroes* *Auerroes.* *Themistius.* *Ammonius.*

super 1. peri hermenias vlt. dicit, quòd Dij habent scientiam contingentium, velut omnia ea, A quæ in Mundo, producentes, & causæ aut concausæ omnium existentes. Et infra; Cognoscere, inquit, contingentia, ipsorum natura est, propter quod hæc quidem in determinatam habentia naturam, posse quidem & euenire, & non euenire; illos autem velut modo nobiliori, quàm sit ipsorum natura cognitionem illorum præaccipientes determinatè & hæc scire. Etenim res partibiles impartibiliter, & indistanter cognoscere ipsos est necessarium, & plurificata vnitiuè, & temporalia æternaliter; & generabilia ingenerabiliter; cognitionem, inquam, illorum præaccipientes, ex prioribus, scilicet causis & principijs, videlicet, ex se ipsis, non ex rebus posterioribus quibuscunque. Cui & concordanter tam in sententia, quam in modo loquendi Dionysius de Diuinis nominibus septimo, Diuinus animus omnia continet, omnibus remota scientia, iuxta omnium causam in seipso, omnium scientiam præambiens, priusquam Angeli fierent, sciens, & adducens Angelos & omnia alia ab intus, & ab eo, vt sic dicam, principio sciens, & in essentiam ducens; Et hoc arbitror tradere eloquium, cum ait, Sciens omnia ante generationem eorum. Non enim ex existentibus existentia discens nouit Diuinus animus, sed ex se & in se secundum causam, omnium scientiam, & cognitionem, & essentiam præfert, & ante coambiuit, vbi alia translatio, præhabet, & præaccepit: Et sequitur, Non secundum speciem singula contemplans, sed secundum vnam causæ circumstantiam omnia sciens & continens, sicut & lux secundum causam in seipsa cognitionem tenebrarum præambiuit, vbi alia translatio, præaccepit: Et sequitur, Non aliundè videns tenebras quam a lumine. Semet igitur diuina sapientia cognoscens, cognoscit & omnia, immaterialiter materialia, & non partitè partita, & multa vniuersaliter vbi alia translatio, & indiuisibiliter diuisibilia, & multa vnitiuè: Et sequitur, Ipso vno omnia & cognoscens, & adducens. Etenim si secundum vnam causam Deus omnibus existentibus esse tradit, secundum eandem vnitam causam sciuit omnia, vt ex ipso existentia, & in ipso ante substituta; & non existentibus accipiet eorum scientiam, sed & ipsis singulis scientiæ eorum erit largitor, C non videns Deus propriam habet sui scientiam, alteram autem communem existentia omnia comprehendens; * Ipsa enim seipsam omni modo cognoscens collocatio vbi eorum quæ ab ipso sunt, & quorum est causa ignorantiæ. Hac igitur Deus existentia cognoscit, non scientia existentium, sed ipsa sua; vbi alia translatio ita habet; Ipsa omnium causa seipsam cognoscens vacat alicubi, si ea quæ sunt ab ipsa, & quorum est causa, ignorauerit. Hoc idem ostendit Algazel 3. Metaph. sententia septima, & inter multa sic dicit; In necesse esse nihil est in potentia. Restat igitur, vt dicamus quòd eum præscire ordinem vniuersitatis, est causa fluendi ordinem vniuersitatis ab eo. Auicenna quoque 8. Metaph 6. & 7. probat idem. Item Iohannes super 1. Sentent. dist. 39. Quæst. 2. adhærens rationi Auerrois prætactæ, dicit quòd vera non mouent intellectum diuinum ad apprehendendum talem veritatem, quia tunc intellectus diuinus vilesceret, quia pateretur ab alio ab essentia sua. Amplius autem Deus omnia facta facit, tertio huius teste, & non sine scientia propria præcedente, per quin- D tum istius; Illa autem scientia Dei præcedens, æternaliterque præcedens, à posterioribus & temporalibus rebus factis fieri nusquam potest. Item præterita & futura omninò non sunt, ergo omninò nihil causant in scientia Dei. Ergo nec præsentia, quia non aliter ex parte Dei cognoscuntur ab eo quandò sunt præsentia, quam quando erant futura, vel erunt præterita, cum Deus sit immutabilis omni modo, sicut capitulum quintum docet. Item tunc purè non entia non cognosceret, cum penitus nihil causent. Item tunc Deus pateretur à rebus necessario, quia necessario scit omnia, quod videtur eius summam libertatem etiam rerum vilissimarum subijcere seruituti. Item tunc à re fortiori, & perfectiori magis pateretur, & magis illam cognosceret, & cum res quandò habet esse præsens actuale, habet esse perfectius, quam quandò habet esse tantum potentiale & futurum, sequitur quod Deus non magis cognoscat Petrum, quam ab initio cognoscebat; & si quid crescat, vel decrescat in aliqua entitate, crescet similiter vel decrescet in cognitione diuina, quod eius immutabilitas non permittit. Item E tunc Deus non esset primum in genere causæ efficientis, quoniam nihil efficit nisi per cognitionem. Sibi namq; Psal. 103. ita psallit, Omnia in sapientia fecisti; cognitionis autem eius principium effectiuum est res cognita, ergo naturaliter est prior tali cognitione, ergo & omni operatione precedente ab illa. Iterum sic ad idem, In omni ordine mouentiū mouens non motum prius est mouente moto, vt patet expresse per Philos. 3. de Anima 54. & per Auer. similiter in Com: sed res cognita est mouens intellectum diuinum non mota; Intellectus verò diuinus mouens & motus: ergo res cognita est primum efficiens & primum mouens simpliciter, & non Deus. Item tunc Deus non esset omnium prima causa, non enim causat extrinseca nisi sapientia disponente, & huius est causa prior, scilicet ipsum scitum, quod magis patet de futuris.

Dionysius. *Ecclesiastici. 23.* * alia translatio, Non igitur propriam habet, &c. *Algazel.* *Auicenna.* *Iohannes. Scotus.* *Philosophus.* *Auerroes.*

A futuris. A enim esse futurum est causa præscientiæ Dei, & Deus non est causa, quare A est futurum, quia tunc penitus ignoranter causaret. Ergo A esse futurum, est hic simpliciter prima causa: imò & cùm præscientia Dei ita sit hic effectus, quòd nullo modo causa, causatur ab aliqua causa priori quæ non est Deus, quæ omnia ab omnibus Philosophis, & Theologis vnanimiter condemnantur. Item contingentia ad vtrumlibet non sunt de se magis determinata ad vnam partem quàm ad aliam, quia tunc non essent ad vtrumlibet: ergo non possunt de se determinatè causare in Deo cognitionem vnius partis, nec alterius; ergo illa non sunt causæ diuinæ scientiæ vllo modo. Item si sic, Deus non esset causa efficiens seu mouens in illa motione qua mouetur à scibili, contra tertium huius & quartum. Item tunc res haberet hoc, quod sic sit motiua Dei à se sola, non à Deo; Deus enim non causat aliquid nisi scientia præcedente, nec Deus esset causa talis veritatis. Hoc est motiuum, seu mouet, quæ repugnant præhabitis, 2°. 3°. & 4°. 11°. & 13°. manifestè. Item si res cognita esset causa cognitionis diuinæ, causaret eam secundum modum suum essendi; quia secundum Philosophum 2 Metaph. Vnumquod- *Philosophus.*
B que sicut se habet vt sit, ita ad veritatem; quare & ita ad cognitionem causatam ab eo. Ergo res scita esset mensura scientiæ Dei naturaliter prior eo: Illud enim est mensura prima alterius, secundum quod aliud primariò mensuratur. Quod etiam patet per Philosophum, 10. Metaph. 5. dicentem, quod scientia & sensus magis mensurantur à rebus scibilibus & sensibilibus, quàm eas mensurent; quia secundum Auerroem ibi, scientia & sensus sequuntur entia, non è contra: Et est hoc verum communiter de omni scientia, quæ causatur à scitis; Non enim eò quod scitur aliquid tali scientia, sic est ex parte rei, sed è contra: Et hoc patet in expositione illius loci secundum S^um^. Thomam; vbi & sic addit; Si qua vero scientia est, quæ est causa rei scitæ, oportet quòd sit eius mensura, vt scientia artificis est mensura artificiati, quia vnumquodque artificiatum mensuratur secundum hoc, quod perfectum est ad similitudinem artis, & hoc modo se habet scientia Dei respectu omnium. Hoc etiam satis potest probari ex illo processu Philosophi, quoniam sicut in omni alio genere est vna mensura prima
C naturaliter omnium in tali genere contentorum, ita est in genere scibilium; sed talis mensura præter diuinam scientiam nulla poterit assignari: Apud quem enim melius poneretur mensura scibilium, quàm apud illum qui per suam sapientiam, cuius non est numerus, nec mensura, omnia in mensura, & numero, & pondere disponebat, Sapient. 11. Vnde & Esaiæ 40. *Sapient. 11.* Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit? quis appendit tribus digitis mo- *Esai. 40.* lem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera? Videretur namque nimium indecens & indignum, vt artificiatum mensuram daret artifici, & creatura metas poneret Creatori. Vnde Boetius 5. de Consolatione Philosophiæ, prosa vlt. dicit; Indignum esse, si sci- *Boetius.* entiæ Dei causam futura nostra præstare dicantur. Hæc enim scientiæ vis præsentaria notione cuncta complectens, rebus modis omnibus ipsa constituit; quod & statim probat per aliam rationem; Nihil verò, inquit, posterioribus debet; quasi argueret isto modo; Omnis habens bonum ab aliquo primo, debet sibi aliquid, vt gratiam vel amorem: sed Deus nil debet
D posterioribus, ergo nullum bonum habet ab eis. Vnde Apostolus ad Rom. 11. Quis prior *Apostolus.* dedit illi, & retribueretur ei? Et ex hoc verbo, posterioribus, posset elici aliud argumentum; quòd si res scitæ essent causæ diuinæ scientiæ, cùm causa sit prior naturaliter causato; res scitæ essent priores naturaliter scientia Dei, quod videtur absurdum, cùm ipse sit primus, & nouissimus, principium & finis. Hoc idem probat suprà eodem, prosa 3. pulchrè & diffusè: dicitque; Neque illam probo (id est, approbo) rationem, qua se quidam credunt hunc quæstionis nodum posse dissoluere. Aiunt enim, non ideo quid esse euenturum, quoniam illud prouidentia futurum esse prospexit, sed è contrario potius, quoniam quid futurum est, id diuinam prouidentiam latere non posse, cuius rationem ponit, dicens; Quàm præposterum est vt æternæ præscientiæ talium rerum euentus causa esse dicatur, quia causa prior naturaliter est causato? Ponitque statim aliam rationem ad idem, cùm dicit; Quid autem est aliud arbitrari, ideo
E Deum futura, quoniam sunt euentura, prouidere, quàm putare, quæ olim acciderunt, causam summæ illius esse prouidentię? Dicitque Petrus Lumbardus, 1. Sentent. dist. 45. 4 quòd *Lumbardus.* voluntas Dei est causa omnium, quæ nulla causâ præuenitur, quia æterna est, ideoque causa illius quærenda non est. Item prædestinatio est æterna, ergo nulla est causa generationis illius, ergo futura non sunt causa illius. Adhuc autē sic ad idem; Si scita essent causæ diuinæ scientiæ, ipsa multum adiuuarent eum in sciendo, & darent sibi consilium, & ostenderent illi agenda; & sic fatuus homo, vel asinus, esset adiutor necessarius, consiliarius, & doctor sapientissimi Dei nostri; quod omnes aures Catholicæ respuunt vel audire. Esaias quoque quadrages. *Esaias.* hoc plane determinat, ita dicens; Quis adiuuit Spiritum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi cum quo iniit consilium, ac instruxit eum, & docuit eum semitam iustitiæ,

Apostolus. stitiæ, & erudiuit eum scientiam, & viam prudentiæ ostendit illi? Quem sequens Apostolus ad Romanos vndecim. ita quærit; Quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Hoc etiam probat Anselmus de Concordia, sexto, per rationem sumptam à prioritate causationis prius factam; cui & concordat Hugo De Sacramentis libro primo, part. quarta, capite primo. Item Augustinus 15. de Ciuitate Dei, decimoter. Ad omnia quippe scienda quæ scit, sufficit sibi illa perfectio: vniuersas autem creaturas suas, spirituales & corporales, non quia sunt, ideo nouit; sed ideo sunt, quia nouit; Non enim nesciuit, quæ fuerat creaturus: & supra 6. capit. vlt. ita dicit, Cùm decedant, & succedant tempora, non decedit aliquid vel succedit scientiæ Dei. Non enim hæc quæ creata sunt, ideo sciuntur à Deo, quia facta sunt; ac non potius ideo facta sunt, vel mutabilia, quia immutabiliter ab eo sciuntur. *Augustinus* Item 13. Confess. vlt. sermonem dirigens Deo dicit; Nos ea, quæ fecisti, vidomus, quia sunt, tu autem quia vides, ea sunt; & supra 7°. 4°. Quid improuisum tibi, qui nosti omnia? & nulla natura est, nisi quia nosti eam.

CAP. XVI.

Contra quosdam dicentes, quod res scitæ sunt causæ sine qua non diuinæ scientiæ, sed non causa.

SVnt autem quidam claudicantes in duas partes, dicentes scita esse causam sine qua non diuinæ scientiæ, sed non causam, qui talem rationem assignant: Deus non scit sine scitis, ergo scita sunt causæ sine qua non suæ scientiæ; & hæc videtur sententia Petri Lumbardi 1. sentent. suarum, dist. 38. & quidam alij hunc sequuntur. Sed hi claudicant à semitis veritatis. Cùm enim dicunt, quod scitum est causa sine qua non diuinæ scientiæ, vel intelligunt ibi per hoc nomen, Causa, sicut nomen significat apud Philosophos, Theologos, & omnes literatos, vel etiam idiotas qui loquuntur de Causa, scilicet illud quod aliquo modo causat, saltem vt causa partialis & concausa; vel non sic intelligunt, sed aliquo alio modo hactenus inaudito, vocando forsitan causam alicuius sine qua non, omne sine quo non est illud, siue causet illud, siue causetur ab eo, siue sit sibi impertinens omni modo. Si primo modo intelligant, cum omnis causa partialis vel concausa cuiuscunque, sit aliqua causa eius (alias enim Pater non esset causa filij, quia homo generat hominem, & Sol, nec ligna vel lapides causa domus) sequitur quod *Philosophus.* scitum sit aliqua causa diuinæ scientiæ, quod hi negant. Item secundum Philosophum 2. Phys. & 5. Metaph. quatuor sunt principalia genera causarum, & multo plures modi causarum; sed quilibet modus cuiuscunque causæ reducitur ad aliquod principale genus causæ: Si ergo loquantur de causa, sicut ipse, sequitur quod iste modus causæ sine qua non, ad aliquod horum generum reducatur. Est ergo scitum causa efficiens, materialis, formalis, vel finalis diuinæ scientiæ: Habent ergo simpliciter concedere, quod est causa. Si autem concedant quod scitū est causa partialis, vel cōcausa, & sic aliquo modo causa diuinæ scientiæ, redeunt contra eos omnes rationes capituli præcedentis. Item tunc habent concedere, quod sicut scitum est causa humanæ scientiæ, sic diuinæ; Scitū enim non est nisi causa partialis & cōcausa humanæ scientiæ, non principalis. Sensus enim exteriores, & interiores, & intellectus noster possibilis, & intellectus agens sunt causæ principales illius; quod tamen non concedit, sed negat Philosophorum & Theologorū sententia superius allegata. Item tunc scita essent causa talis, scientiæ approbationis, seu approbatiuæ Dei, quæ vltra simplicem notitiam addit beneplacitum voluntatis, & cum illa sit causa rerū, sicut capitulum nonū probat, idem respectu eiusdem, eodē genere causæ, scilicet efficientis, est causa & causatum, & prius & posterius naturaliter eadem specie prio- *Lumbardus.* ritatis respectu eiusdem. Item secundum eundem Petrum ibidem, scientia Dei, quæ est simplex notitia, est tantum causa sine qua non scitorum, scitaque similiter causa eius; ergo idem eodem modo causa & causatum respectu eiusdem. Si autem secundo modo intelligant, habent dicere consequenter, quod omne volutum est causa voluntatis diuinæ, & scientiæ approbatiuæ illius, cùm tamen è contrario sit dicendum, sicut per capitulum nonum patet, & per Petrum vbi prius, & dist. 45. sequente. Item contra rationem eorum, vel intelligunt sic, quod hoc non est sine illo de facto, ergo est causa illius sine qua non; vel quod hoc de necessitate non est sine illo, sed necessario sunt coniuncta. Si detur primum, tunc habent similiter dicere,

A dicere, quod latratus canis, vel admiratio ignorantis est huiusmodi causa eclipsis & Dei; imò & vniuersaliter, quod quidlibet est talis causa cuiuslibet & causat; hæc enim omnia coexistunt. Si detur secundum, tunc filius Dei est causa patris, & diuinæ essentiæ, & sapientiæ genita causa quare pater sapit, & sic pater sapit sapientia genita; & quodlibet attributum, & quicquid necessario est in Deo, esset cuiuslibet horum causa; quæ nullus Theologus dubitat esse falsa. Et si pes necessariò semper stetisset in puluere, vestigium fuisset causa pedis æterna; & idem est de splendore causato ab igne, & imagine causata in speculo ab obiecto, temporalibus vel æternis; & vniuersaliter de omni causato suam causam necessariò comitante, sicut passio necessario sequitur actionem, effectus efficiens, & omne causatum vniuersaliter suum causans, quæ omnia omnibus sunt absurda.

B

CAP. XVII.

Distinguit scita diuina, quia quædam præcedunt quodammodo eius scientiam, & quædam sequuntur; ostenditq; hæc esse causam quoquo modo diuinæ scientiæ, illa nusquam.

NE tamen istud generaliter nimis intelligas, huiusmodi scitorum à Deo est quædam distinctio aduertenda: quædam enim horum scientiam Dei præcedunt quodammodò, & alia subsequuntur. Præcedunt ipsam diuina || *essentia* omnipotentia, diuinus Intellectus, & his similia (Prius enim naturaliter Deus est, & habet omnipotentiam, & Intellectum, C quàm intelligat quid vel sciat) Alia vero hanc sequuntur. Illa igitur scita quæ præcedunt naturaliter diuinam scientiam, sunt causa illius; Omne enim quod est prius naturaliter alio, est aliqua eius causa, sicut 13^{um} præostendit. Item omne necessariò præsuppositum ad quodcunque videtur esse aliqua eius causa: si enim non esset aliqua eius causa, cur non posset existere sine illo, præsertim præsupposito, priusque necessariò requisito? De necessario tamen sequente quodcunque aliter sentiendum, sicut effectus sequitur necessario effectorem, licet nón sit causa illius: Sed Deum esse, habere potentiam, & intellectum, necessariò præsupponuntur ad eius scientiam, ergo sunt aliqua causa eius. Item potentia intellectiua, siue Intellectus producit, sicut causa efficiens, omnemque suam intellectionem, & quemlibet suum actum; ergo Intellectus diuinus est causa cuiuslibet suæ intellectionis, & scientiæ cuiuscunque. Sic enim Deus producit & causat æternaliter suum verbum, & Pater Filium suum sanctum, & est causa eius æterna, sicut D ex secundo huius apparet: Reliqua vero intelligibilia, quæ non sunt Deus, habent secundum Patrum sententiam, duplex esse; scilicet intelligibile, & existentiæ, seu reale, id est, sunt intelligibilia priusquam existant in actu completo. Primum esse istorum præcedit quodammodò intellectionem diuinam; Prius enim quodammodo sunt intelligibilia, quàm intelligantur à Deo, non per se (cùm enim nihil sint omnino, nullam aptitudinem seu potentiam || *per* se habent, vt constat ex prioribus) sed per Deum, & sic quodammodo sunt causæ intellectionis diuinæ, non autem verè ipsa (cùm nihil sint omnino) sed sola essentia diuina, ex se primò omnium intelligibilium ideis & rationibus proprijs grauida & fœcunda præuenit intellectum diuinum, hæc omnia ei clarissimè, distinctissimè, & quasi nominatissimè offerendo, quam & quæ intuens intelligit vniuersa, sicut 7^{um} & 13^{um} suadebant. Videtur enim mihi quod essentia diuina sit velut quoddam speculum intelligibile, clarissimum, infinitum, nihil ab obiectis patiens, recipiens, aut reflectens, sed actiuè ex sua infinitissima claritate, distinctè non confusè E vultus proferens & ideas omnium intelligibilium obiectorum; in quod speculum oculus intellectus diuini prospiciens, hæc omnia speculatur. Non autem opinor quòd rationes huiusmodi seu ideæ in diuina essentia ab ipsa essentialiter, & realiter distinguanrur, sicut verba Patrum videntur sonare in auribus aliquorum, sed quod hæ omnes sint realiter idem quod diuina essentia, imò quòd hæc essentia vnissima, & simplicissima ex se sola sic omnia intelligibilia repræsentet, sicut ex primo & 7° huius patet. Vnde & August. 6. de Trinit. vlt. loquens de Arte omnipotentis Dei plena omnium rationum, & Omnes, inquit, vnum in ea; Qui & de gaudijs iustorum & pœnis malorum, siue de triplici habitaculo ita scribit; Omnia Dei vnum sunt in Deo, excepto quod ad relationem pertinet: Nam sapientia Dei & veritas, & æternitas, non sunt diuersa inter se, sed vnum sunt, sicut cætera omnia. Sapientia Dei non magis sapientia

|| scientia.

|| ex

Augustinus.

est quàm veritas, & non magis veritas quàm sapientia, & non magis veritas quàm æternitas, A
quàm cætera Dei omnia. Vnum enim sunt in Deo, & non magis, solum hæc inter se eadem sunt in Deo, sed non aliud sunt quàm ipse Deus, & mundus erat in Deo antequam in semetipso erat, non Mundus sed Deus. Cui & concordanter Anselmus Monol. 33. docet, quòd Deus vno, eodemque verbo dicit seipsum, &c. & infra 34. Opus quod fit secundum aliquam artem, non solum quandò fit, verum etiam & antequam fiat, & postquam dissoluitur, semper est in ipsa arte, non aliud quàm quod est ars ipsa. Idcircò cum ipse summus spiritus dicit seipsum, dicit omnia quæ facta sunt: Nam & antequam fierent, & cum iam facta sunt, & cum corrumpuntur, seu aliquo modo variantur, semper in ipso sunt, non quod sunt in seipsis, sed quod est idem ipse. Etenim in seipsis sunt essentia mutabilis secundum immutabilem rationem creata; In ipso verò sunt ipsa prima ‖ *essentia*, & prima existendi veritas. Esse verò existentiæ & completum cuiuslibet creaturæ non præcedit intellectionem diuinam, nec est causa illius, sed subsequitur eam, & causatur ab ea; Non enim insipienter, sed per suam sapientiam B
cuncta facit, ipsamet testante, Quandò præparabat Cœlos, aderam; quandò certa lege & gyro vallabat Abyssos, quandò æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum, quando circundabat mari terminum suum, quandò legem ponebat aquis, ne transirent ‖ *terminos* suos, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens Parab. 18. & Psal. 103. Omnia in sapientia fecisti. Ista igitur hæc præcedit vt principale & instrumentale efficiens sua facta. Nec ista repugnant in aliquo duobus capitulis nunc præmissis: Illa enim loquuntur de scitis posteriobus diuina scientia in esse existere, & de scitis quæ tantum sunt Intelligibilia, prout contra rationes & ideas essentiæ diuinæ prædictas imaginariè distinguuntur, quæ secundum illa esse non sunt aliqualiter scientiæ Dei causæ.

Anselmus. — ‖ existentia — ‖ fines

COROLLARIVM.

Et habet Corollarium, quod diuina scientia, quæ est notitia eius simplex, est verè causa cuiuslibet rei factæ, non solum causa sine qua non. C

VNdè constare poterit euidenter quod diuina scientia quæ est notitia eius simplex, est verè causa cuiuslibet rei factę, non solum causa sine qua non, vt dicit Pertus Lumbardus dist. 38. in suis sententijs vbi prius. Hæc satis testantur Autoritates hic & 15. allegatæ, & hoc probant similiter proximæ rationes: Hæc enim scientia Dei præcedit naturaliter quodlibet eius factum, & necessario præsupponitur ad quodcunque. Item intellectio & cognitio actualis mouet voluntatem, & est causa volutionis illius, vt posset probari per eadem argumenta, & per Philosophum 3. de Anima 54. & ante, & post; diuina volutio actualis est causa cuiuslibet rei factæ, sicut capitulum nonum probat, & quicquid est causa causæ, est causa causati. Sic enim & Filius est causa Spiritus Sancti, sicut & Pater Filij, sicut superius tangebatur.

D

CAP. XVIII.

Distinguit diuinam scientiam incomplexam quodammodo & complexam: distinguit similiter scibilia complexa in priora quodammodo & posteriora voluntate diuina: & ostendit quòd priora sunt Causa ‖ quoquomodo diuinæ scientiæ complexæ, posteriora verò nequaquam, sed quod Deus per voluntatem suam scit ‖ illa.

‖ quodammodo — ‖ omnia

EST autem pro maiori notitia diuinæ scientiæ vlterius aduertendum, E
quòd secundum Philosophum 3. de Anima, tres sunt operationes intellectus humani, scilicet simplicium apprehensio, compositio, & diuisio, ac discursus; quarum tertia Deo non conuenit, quia nihil est sibi ignotum, nec potest perficere nouam scientiam adquirendo, & quia talis operatio sine potentia & imperfectione esse non potest: Sed prima & secunda sibi conueniunt modo suo. Omnia enim incomplexa & simplicia comprehendit, & omnia complexa composita vel diuisa quodammodo componit & diuidit, affirmat & negat. Vocetur igitur prima sua scientia siue notitia

A notitia incomplexa, seu simpliciter apprehensiua aut intuitiua, vel simplex apprehensio aut intuitio: secunda verò vocetur complexa, compositiua vel diuisiua, affirmatiua aut negatiua vel adhæsiua; aut in abstracto compositio & diuisio, affirmatio vel negatio, siue adhæsio: non enim propriè & distinctè, sed similitudinariè balbutiendo vix tenus possum vel scio, ignarus homuncio, excelsa scientiæ Dei mirabilis resonare: Confortata est enim, & non possum ad eam. Ostenso igitur quòd Deus scit omnia scibilia scientia incomplexa, non per scita posteriora, sed per suam claram essentiam, sibi omnia distinctissimè præsentantem, nunc restat consequenter ostendere quomodo Deus scit omnia scibilia complexa: Pro quo est primò sciendum, quòd scibilia complexa & vera sunt duplicia: quædam enim naturaliter præcedunt voluntatem diuinam, & quædam eam naturaliter subsequuntur. Præcedit eam naturaliter Deum esse, Deum esse æternum, Deum esse omnipotentem, & similia: Non enim quia Deus vult sic esse, ideo sic est, sed potius è contrario. Sequuntur autem eam mundum esse,
B quamlibet creaturam esse, & vniuersaliter omnia illa vera complexa, quorum veritas causatur & pendet ab ipsa. Illa igitur vera complexa quæ voluntatem diuinam præcedunt, scit Deus per suam solam essentiam, sicut alia vera incomplexa, sicut potest cognosci ex proximo huius scriptis: Illa verò quæ voluntatem eius sequuntur, non scit Deus per illa complexa, neque per aliquid aliud voluntate eius semota, sed per suam voluntatem, vel per suam substantiam cum sua voluntate, ita quòd ad scientiam ‖ *eius* complexam est sua voluntas necessariò prius naturaliter requisita. Prima pars huius, videlicet Deum non scire complexè vera complexa posteriora per ipsa, potest ostendi, sicut ostensum est supra, ipsum non scire incomplexè aliqua posteriora per illa. Secunda verò potest sic ostendi; Deus præscit vera de futuro, & non per aliquas propositiones habitus aut actus existentes in eo realiter diuersos ab eo, per 26. partem corollarij primi huius. Per quid ergo nisi per suam propriam voluntatem? Nec potest quis dicere Deum præscire complexè Antichristum fore, per ipsummet Antichristum,
C propter capitula prælibata, cùm etiam Antichristus in se nihil sit, nihil per se agit aut causat; Antichristus quoque non est de se determinatus ad fore, sicut 14. docuit. Quomodo ergo per se facit determinatè hoc sciri? Nec etiam potest dici, quòd Deus præscit futura per futuritionem eorum; Tunc etenim, vt videtur, res futuræ essent causa, seu causæ diuinæ scientiæ contra præmissa. Illa insuper futuritio, si nihil est, penitus nihil causat; si autem sit aliquid reale diuersum à Deo, arguitur, sicut prius. Illa insuper futuritio est aut fuit aliquando causata à Deo secundum priora: Quomodo ergo prius sciuit Deus illam esse futuram? quomodo etiam prius sciuit illa futura esse futura, aut illud futurum esse futurum? Adhuc autem illa futuritio vel facit rem esse futuram contingenter & indeterminatè, vel necessariò & determinatè; si contingenter & indeterminatè, quomodo scit Deus per illam determinatè & certè rem fore? Nonne etiam illa futuritio nunc determinatè & certè existit, & ex illa determinatè & necessariò sequitur, quòd res erit? quomodo ergo vitabitur, quin omnia quæ euenient, de necessitate
D euenient, & nihil penitus contingenter? Si vero illa futuritio ponatur esse in Deo, maximè videtur quòd sit ponenda in voluntate diuina, cùm hæc sit causa determinationis & futuritionis omnium futurorum. 14°. huius teste, sicque fundatur intentio principalis. Nec adhuc rationabiliter opinandum, quòd Deus sciat futura per solam suam essentiam, eius voluntate remota: Ipsa enim de se sola indifferens est æqualiter & indeterminata ad repræsentandum diuino intellectui Antichristum fore, & Antichristum non fore, sicut vtrumque æqualiter potest fore & sciri à Deo. Neutrum igitur ex se sola sine determinatione aliqua præuia repræsentat. Neque similiter arbitrandum, quòd Deus sciat futura per intellectum eius solum, aut quòd ipse determinet diuinam essentiam ad ostendendum hoc futurum vel illud, cùm ipse de se sit indifferens ad vtrumque oppositorum contingentium, sicut & essentia ipsa Dei, cùm etiam intellectus solus non sit practicus isto modo voluntate [eius] remota, sicut ex 8°. & 9°. huius apparet; cùm insuper intellectus voluntate semota sit principium necessarium, sicut constat, & per corollarium decimi huius patet, quodlibet futurum necessariò esset futurum, &
E præscitum à Deo, sicque contingens æqualiter deperiret. Nec potest determinari vt quidam volunt per infinitatem seu immensitatem suæ scientiæ, quia posita immensitate suæ scientiæ, adhuc potest indifferenter scire Antichristum fore & non fore, sicut Antichristus potest indifferenter fore & non fore: ergo neutrum sciet sine alia determinatione præuia limitante, aut terminante. Item determinatio qua Deus determinatur ad sciendum quicquam, prior est naturaliter quàm illud scire, siue scientia ex tali determinatione prouenięns: Sed Deus determinatur ad sciendum Antichristum fore per infinitatem suæ scientiæ; ergo infinita Dei scientia prior est naturaliter, quàm ipsum scire Antichristum fore; & cum illa includat scientiam huius, Antichristus erit, sequitur quod scientia Dei, qua scit

Marginalia: ‖ suam (beside "ad scientiam ‖ eius"); 5. Opinio (beside "Nec adhuc"); 6. Opinio. (beside "Neque similiter"); 7. Opinio. (beside "Nec potest determinari").

Antichristum fore, præcedat naturaliter semetipsam. Hoc confirmatur, quia Deus non A
determinatur ad sciendum Antichristum fore primò & adæquatè per totam suam scientiam infinitam: Nullæ enim sunt partes eius, vt burnellus rudit, eclipsis fuit, & similes infinitæ, quas licet non haberet, non minus posset scire Antichristum fore. Imò vt videtur per nullam aliam partem suæ scientiæ infinitæ determinatur ad sciendum Antichristum fore, nisi per scientiam propriam huius, quod est Antichristus erit, vel per scientiam causarum futuritionis Antichristi, sed non per scientiam propriam huius, quoniam tunc eadem scien-
8^{a}. opinio. tia præcederet semetipsam. Nec per scientiam causarum secundarum suarum, quoniam tunc sciret discursiuè talia à causis ad causata, quod est contra prædicta. Item, fiat argumentum de effectu futuro semper contingenter ad vtrumlibet donec fiat, sicut erit aliqua volutio libera creaturæ; tunc de futuritione talis effectus futuri nulla potest esse determinatio per suas causas, vel per earum scientiam, cùm illæ sint omnino indeterminatæ, & ad vtrumlibet ad illum causandum & non causandum. Idem est de futuritione Antichristi. B
Non enim necessario sed contingenter producetur à suis causis; Alias enim non esset contingenter futurus ad vtrumlibet, vt supponitur communiter, sed determinatè & necessario euenturus: vel fiat argumentum de effectu futuro, quem sine alia causa Deus immediatè faciet per seipsum. Quomodo insuper præsciuit res fore ante productionem & existentiam suarum causarum? Nunquid aliter quàm nunc, aut nunc quàm tunc contra sententiam
9^{a}. opinio. quinti huius. Nec etiam potest dici, vt alij forsan vellent, quod Deus determinatur ad sciendum huiusmodi per infinitatem & immensitatem suæ scibilitatis, seu scientiuitatis, non sci-
‖ seu entiæ actualis. Posita namque ‖ *&* stante sua scibilitate, seu scientiuitate immensa, potest adhuc indifferenter scire Antichristum fore vel non fore, sicut ipse indifferenter potest fore, & non fore: Ergo neutrum determinatè sciet, sine alia determinatione præuia limitante.
10^{a}.opinio. Eodem modo potest ostendi, quod Deus non determinatur ad sciendum huiusmodi per suam
11^{a}.opinio. omnipotentiam, nec per suam perfectionem simpliciter infinitam: Quidam verò parum C
12^{a}.opinio. propinquius accedentes, affirmant quod Deus per solam permissionem voluntatis suæ, per hoc scilicet quod vult permittere, seu permittet actiua posteriora agere hæc aut illa, præscit futura. Sed hi supponunt actiua posteriora posse agere aliquid sine Deo, & voluntate diuina idem per se & propriè coagente, contra tertium huius, quartum, & nonum. Permissione quoque diuina sola supposita, si agens rationale & liberum posset quippiam liberè agere, posset & vtrumque oppositorum æqualiter contingenter, & neutrum. Quomodo ergo per hanc solam scit Deus determinatè & certè, quod hoc aget, & illud dimittet? Ex omnibus ergo his videtur, quod Deus præscit futura & non futura, fore & non fore per volutionem [& nolutionem] naturaliter quodammodo præuiam voluntatis. Amplius autem per hoc scit Deus futura, per quod primò sunt futura; sed hoc est diuina voluntas, sicut decimumquartum ostendebat, & rationes pro illa conclusione adductæ possunt conuerti similiter ad
Philosophus hanc probandam. Item testante Philosopho 1. Poster. 2. Scire est per causam cognoscere, D
Deus autem verissimè scit futura, ergo per causam verissimam, omnes alias causas, & causationes earum virtualiter continentem, & hæc est sua voluntas, sicut nono & decimo quarto est ostensum: & potest confirmari per Auerroem super de somno & vigilia, vbi inquirit causam somniorum diuinatiuorum, siue propheticorum de futuris; & ostendit quod est ex perfecta sollicitudine Dei circa homines; vlteriusque ostendens, quomodo Deus hæc sciat, dicit quod scit ista per hoc quod sunt determinati esse, & habent causam determinatam, & naturam vniuersalem intellectam, quæ est prima causa in esse eorum, sicque sunt intellecta apud naturam intellectiuam, à qua natura sensibilis recipit quæcunque & mouetur, sicut instru-
*forte leg. artificis menta mouentur à forma * artificij, nec aliquod indiuiduum fit essentialiter à natura nisi per scientiam antecedentem, quoniam sicut allegat ab Aristotele, instrumentum artificis non mouetur, nisi secundum Artificem: secundum ipsum ergo Deus scit futura per causam determinantē hoc ad esse, & factiuam ipsorum, & hæc est diuina voluntas, sicut 14^{um}. & 9^{um}. E
ostendunt; & hoc videtur esse de mente sua; maximè cùm super 12. comment. 51. dicat quod ens non est scientiæ Dei causa, sed è cōtra: cùm ergo secundum eum Deus sciat futura per cau-
‖ aliquam sam determinantē illa ad esse, & non per ‖ *aliam* causam extra se, ergo per causam sibi intrinse-
Ammonius. cam, quæ non potest esse alia quā voluntas. Cui & concordanter Ammonius super 1. perihermenias vlt. Dicendum, inquit, Deos cognoscere omnia, facta, entia, & futura modo Dijs conuenienti; hoc autem est vna, & determinata, & infallibili cognitione, propter quod quidem & contingentium scientiam dicendum ipsos comprehendere, velut omnia quæ in mundo producentes, & perpetuarum quidem substantiarum ipsos causas existentes, generabilium autem concausas, secundum suas proprias operationes, & velut videntes non ipsas solùm

substan-

A substantias, sed virtutes ipsarum, & operationes eas quæ secundum naturam, & eas quæ præter naturam; quod quidem præter naturam simul intrauit cum necessario ordine subiecto, vel subiectum decurrentiæ entium in his quæ nata sunt hoc participare, non principaliter sed secundum modum qui dicitur parypostaseos, scilicet secus existentiæ. Et infra dicit, Deos cognoscere contingentia modo nobiliori quàm sit ipsorum natura, cognitionem illorum præaccipientes determinatè, & hæc scire; sed vnde accipientes & præaccipientes cognitionem illorum? ex quo præcedente principio, siue causa, nisi ex propria voluntate determinata, & indefectibili causa rerum, & consimili causa scientiæ apud eos? Istam quoque sententiam videtur Dionysius de diuinis nominibus 7. efficaciter attestari, sicut 15°. huius plenius recitatur. Item Deus rectè scit futura contingentia, ergo per aliquid quod realiter est certum; sed hoc non est aliquod futurum contingens, cùm illud non sit certum, nec aliqua causa inferior sufficiens ad productionem illius in causatione eius est certa, sed contingens
B similiter vt effectus: Alias enim ille effectus esset certè & determinatè futurus. Relinquitur ergo quòd Deus ista sciat per suam voluntatem sibi certissimam, qua vult omnia illa fore. Istud posset confirmari per Auerroem super 9. Metaph. comment. 21. dicentem, quòd scire *Auerroes.* illa, quæ semper sunt, immutabiliter vno modo, est scire; sed scire essentiam mutabilem dicitur æstimare. Item hæc vltima ratio, & conclusio principalis patet per Iohannem Sco- *Iohannes* tum super 2. sentent. distinct. 37. quæst. 2. redarguentem opinantes quòd voluntas creata sit *Scotus.* causa totalis sui velle sine Deo coagente, per hoc, quòd si sic esset, Deus non esset naturaliter præscius futurorum, quia non habet scientiam de futuris contingentibus, nisi quia certitudinaliter nouit determinationem voluntatis suæ respectu eorum; quæ voluntas eit immutabilis, & impotentialis. Sed si voluntas creata sit causa totalis sui velle, & ipsa se habet contingenter ad illud velle, ergo quantumcunque ponatur voluntas diuina determinata ad vnam partem eorum quæ dependent à voluntate creata, ipsa potest aliter velle, & ita non sequi-
C tur certitudo ex cognitione determinationis voluntatis diuinæ. Qui & super 1. sentent. *Scotus.* distinct. 41. reprobans opinionem dicentem ideò Deum quenquam prædestinare ad vitam, quia præuidet ipsum benè vsurum libero arbitrio ita scribit: Sed contra istud arguitur, Primò, quia Deus non præuidet ipsum bene vsurum libero arbitrio, nisi quia vult & præordinat istum bene vsurum, eo quòd sicut dictum est dist. 39. Certa præuisio futurorum contingentium, est ex determinatione voluntatis suæ. Et infra, factis duabus instantijs de Iuda siue Lucifero peccaturo, argutoque quòd sola permissio non sufficit ad certitudinem diuinæ scientiæ, sic respondet: Primum istorum soluitur per hoc quod Deus præscit se cooperaturum ad substantiam illius actus qui erit peccatum, hoc autem præscit quia vult cooperari illi; si erit peccatum commissionis, vel præscit se non cooperaturum ad actum aliquem si non vult ipsum, & hoc, si erit peccatum omissionis; & sciendo se cooperaturum ad substantiam talis actus non cum circumstantijs debitis, vel non cooperaturum ei ad actum ne-
D cessarium, & per consequens, quòd omittet, scit hunc peccaturum, non solùm quia scit se permissurum hoc, sed quia scit se cooperaturum huic ad substantiam actus non circumstantionati, & per consequens iste committet; vel non cooperaturum ei ad actum necessarium, & per consequens iste omittet. Item Sanctus Thomas de Christiana religione siue de fide, spe, & charitate 138. dicit, quod contingentia effectuum causarum secundarum non potest certitudinem diuinæ prouidentiæ perturbare, quia efficacia voluntatis diuinæ certitudinem sibi præstat: Voluntas enim Dei cùm sit vniuersalis causa rerum, non solùm vt aliquid fiat, sed vt sic fiat, ad efficientiam diuinæ voluntatis pertinet, non solum vt fiat quod vult fieri, sed vt hoc modo fiat, quo illud vult fieri, vt sic diuina voluntas impleatur efficaciter. Idem quoque supra eodem 133. dicit, quod contingentia, prout sunt virtualiter in suis causis non sunt determinata ad vnum, vt de eis certa cognitio possit haberi, tamen prout sunt actu in suo esse in Dei æterno, iam sunt determinata ad vnum, & potest de eis certa haberi cognitio. Qui & super 1. *S. Thomas.*
E sent. dist. 38. qu. vlt. quærente, Vtrum scientia Dei sit contingentium; & infra super dist. 40 qu. quarta quærente, de certitudine prædestinationis eandem sententiam planè tenet: sed contingentia talia determinari possunt nisi per voluntatem diuinã sicut 14. ostendebat, & pro ista determinatione posset allegari Autoritas Auerrois super de somno & vigilia abbreuiatè supe- *Auerroes.* rius memorata. Hoc idem videtur sentire Anselm. de casu diaboli 21. vbi vult, quòd nihil ve- *Anselmus.* rè scitur, nisi quod certa ratione intelligitur; Quare & Deus non propriè dicitur habere præscientiam futurorum, sed magis præsentium scientiam, quia omnia futura sunt ei præsentia. Et idem dicit de Concordia 7° & Boetius 5° de Consolat. Philosophiæ prosa sexta quod videtur *Boetius.* non posse intelligi aliter, nisi quòd Deus per hoc sciat omnia futura, quia sunt ei præsentia, id est, per suam insuperabilem, & immutabilem voluntatem præsentialiter determinata, & decreta,

creta certitudinaliter, vt fiant in futuro. Vndè & de ipso Propheticè dicitur, Qui fecit quæ A
Ecclesiastes. ventura sunt; Et Ecclesiastis 6. Qui futurus est, iam vocatum est nomen eius; sed hoc esse
Esaias. non potest nisi præuia voluntate; et hoc videtur Deus innuere, Esaiæ 46. sic dicens, Ego sum Deus annuntians ab exordio nouissimum, & ab initio quæ nec dum facta sunt, dicens Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet: quasi velit innuere, quòd per hoc annuntiet, vel annuntiare possit ab exordio nouissimum, quia omne suum Consilium & voluntas
Origines. immutabiliter stabit, & fiet. Quomodò insuper melius posset intelligi Origines super Epistolam ad Romanos, quòd non propterea aliquid erit, quia illud scit Deus futurum, sed quia futurum est, ideo scitur à Deo antequam fiat; quam quòd quia aliquid est futûrum in volutione & prædestinatione diuina, ideo causaliter præscitur à Deo notitia simplici, non è contra. Quare & Augustinus 26. contra Faustum 2. Potius, inquit, verum est quod Deus scit, quàm quod opinatur homo. Vndè tam non possunt futura non fieri, quàm non fuisse facta præterita, quoniam non est in Dei voluntate, vt eo sit aliquid falsum quo verum est. Hæc ergo B
sunt talia & scita à Deo per voluntatem ipsius. Idem de bono perseuerantiæ 49. Castitas, Charitas, Pietas, &c. quæ Dei esse aliqui confitentur, eaque ab illo præcognita, ac per hoc
‖5.3. ipsa esse prædestinata negare non possunt. Et infra, eodem ‖ 53. Dei donaque dantur electis, si nulla est prædestinatio, non præsciuntur à Deo; Præsciuntur autem; est igitur prædestinatio quam defendimus: Omnis autem prædestinatio à voluntate procedit: Omnia ergo quæ præcognita sunt à Deo, voluta sunt ab eo, & non simul nec post naturaliter, ergo prius; voluntas ergo Dei est causa eius scientiæ sicut præhabita suaserunt. Istam quoque sententiam testari videntur illi præclari 24. Seniores Apocalyps.4. sicut 14. huius tangit. Et sicut argutum est de scientia Dei respectu contingentium futurorum, quod est per voluntatem diuinam, sic potest argui de eius scientia respectu omnium futurorum, præsentium, & præteritorum, quæ voluntatem ipsius naturaliter consequuntur, decimoquarto & nono Capitulo ad iuuante, maximè cum non aliter sciat præsentia siue præterita, quam futura, propter eius immutabilitatem omnimodam quinto Capitulo demonstratam. Hic autem per voluntatem in- C
telligo omnem actum voluntatis, siue volutio, siue nolutio fuerit, siue actus alius qualiscun-
Psal.72. que. Hæc pro illorum fatuorum quæstione non fatua, qui dixerunt, Quomodò scit Deus, qui fortè propter perplexitatem eius ambiguam, & insolubilem apud ipsos, putabunt non esse scientiam in excelso.

CAP. XIX.

Obiicit & respondet.

VT autem hæc prædicta magis appareant, paruo disputationis scrutinio sunt rimanda. Arguitur, quod Intellecta posteriora sunt causa intel- D
lectionis diuinæ. Omne enim quod mouet intellectum ad intellectionem, est causa intellectionis illius, quare & suæ scientiæ: sed omne intellectum à Deo mouet intellectum diuinum; omne enim intellectum mouet intelligentem & eius intellectum, vt patet 3. de Anima, quasi per totum; & 12. Metaph. 37. dicit noua translatio, Intellectus autem ab intelligibili mouetur; Et translatio quam Commentator exponit, Intellectus verò est ex intellecto, quod Auerroes sic exponit, id est essentia intellectus est
2. in intellecto. Item illud quod est naturaliter prius alio, & prius necessario requisitum est ad aliud, est aliqua eius causa, sicut ex prædictis apparet, sed intelligibile & scibile sic se habet ad
3. intellectum & scientiam Dei, sicut 13. & 17. capitula præmonstrarunt. Item rem esse, vel
4. non esse est causa veritatis, & veritas est causa scientiæ, non è contra. Item cognitio incomplexorum est causa scientiæ complexæ, scientia ergo Dei complexa causatur à scitis. Item E
5. videtur quòd diuina scientia non sit causa scitorum, quia tunc cum semper sciat æqualiter omnia, omnia semper æqualiter causarentur. Et tunc cum æqualiter sciat non entia sicut en-
6. tia, ipsa etiam æqualiter vt entia causarentur. Item posterius non est causa prioris; sed intel-
7. lectio, & scientia est posterius intelligibili & scibili: sequitur enim, Intellectio & scientia est, ergo intelligibile & scibile est, & non conuertitur, saltem formaliter; ergo secundum illam regulam logicalem in prædicamentis, intelligibile & scibile est prius intellectione & scientia; quare & hæc posteriora sunt illis. Item, sicut intellectus est prior naturaliter voluntate, sic
8. & cognoscere prius velle: Nullus etenim potest velle nisi præcognitum, quare & scire, ac pręscire quodcunque complexum, quàm velle illud, aut velle sic esse. Adhuc autem, tunc Deus
9.

præ-

A præsciret futura per talem discursum; Quicquid volo fieri, fiet; hoc volo fieri, ergo fiet; sicque esset aliquo modo potentialis, & non summè actualis, contra primam Suppositionem, & tertiam partem corollarij primi huius. Præterea, dicit Origenes super Epistolam ad Roma- 10.
nos, quòd non propterea aliquid erit, quia illud scit Deus futurum; sed quia futurum est, ideo scitur à Deo antequam fiat. Item Augustinus respondendo ad septimam quæstionem Oro- 11.
sij; In Deo, inquit, voluntas sapientiam non potest præire; ergo prius est rationabiliter sapere, quàm rationabiliter velle. Item Ecclesiastici primi; Sapientiam Dei præcedentem om- 12.
nia quis inuestigauit? prior omni creata est sapientia: ergo sapientia Dei, & eius scientia voluntatem suam præcedunt. Amplius autem contra hoc quod dicitur, quòd aliqua sunt vera 13.
priora naturaliter voluntate diuina, quia tunc eadem ratione aliqua necessaria & impossibilia essent priora ipsa, quod videtur contra Anselmum 1. Cur Deus homo, 17. sic dicentem; Omnis quippe necessitas & impossibilitas eius subiacet voluntati, illius autem voluntas nulli
B subditur necessitati, aut impossibilitati: Nihil enim est necessarium, aut impossibile, nisi quia ipse ita vult; ipsum verò aut velle aut nolle aliquid propter necessitatem, alienum est à veritate.

Pro primo autem istorum sciendum, quòd aliquid mouere aliud dupliciter potest intelligi; *Responsio.*
propriè scilicet, aut metaphoricè: propriè sicut est in mouentibus & motis realiter & propriè, vt loquitur Philosophus in libro Physic. quasi per totum: metaphoricè, sicut finis dicitur mouere; & omne apparens bonum vel malum mouet ad prosecutionem vel fugam, vt loquitur 3. de Anima, 7. Eth. 12. Metaph. & alibi multis locis. Vnde & primo De generatione 7. ponit distinctionem istam sub his verbis; Est enim factiua causa, vt vnde principium motus, scilicet propriè; cuius autem gratia, id est, finalis, non factiua; ideo sanitas non factiuum est, nisi secundum Metaphoram. Propriè ergo loquendo non est verum, quod omne intellectum mouet intelligentem: Multa enim intelligo, quæ omninò non sunt, quare & omninò propriè mouere non possunt. Multa etiam existentia intelligo, quæ propriè me non mouent: in-
C telligo enim Phœnicem Arabiæ, & mirabilia Indiæ, & quomodo mouerent hæc propriè, me existentem Oxoniæ, cùm secundum Philosophum 7. Phys. In omni motu mouens & motum sunt simul, vel secundum seipsa, vel saltem secundum medium quod immediatè mouetur à primo mouente, & immediatè mouet vltimum motum virtute primi mouentis, vt patet 2. de Anima 74. Hæc autem nec immediatè me mouent, nec sufficiunt totum medium alterare: Metaphoricè verò loquendo verum est, omne intellectum mouere intelligentem, non quia ipsum propriè, sed quia eius similitudo, intentio, seu imago, in virtute memoratiua, imaginatiua, vel in ipso intellectu mouet quodammodo intelligentem ad intelligendum, sicut secundum autoritatem Philosophi, finis & sanitas non existens mouet hominis voluntatem; non autem hi propriè, sed multum metaphoricè, quia cognitio horum tantummodo mouet quempiam ad volendum, & voluntas sic mota mouet ad vlterius persequendum: quare & fi-
D nis dicitur sæpè à Philosopho primum mouens. Intellecta igitur à Deo mouent intellectum diuinum, non propriè, sed tantum metaphoricè, quia ideæ & similitudines eorum in Deo, id est, diuina essentia, quæ omnia intelligibilia distinctissimè repræsentat, mouent seu mouet quodammodo intellectum diuinum ad intelligendum intelligibilia vniuersa; & quia Deus has ideas & similitudines habet à seipso tantummodò, & nullo modo à posterioribus intellectis, non dicitur moueri ab eis ad intelligendum, nisi fortassis multum metaphoricè, & minus propriè vt est dictum. Secundum soluitur per hoc idem; Non enim intelligibile semper secundum seipsum & propriè est prius intellectione, cùm multa non entia non intelligantur, sed secundum suam ideam, & similitudinem, vt est dictum. Ad tertium similiter est dicendum, Nulla enim veritas creata est causa propriè dicta diuinæ scientiæ, sed prima veritas increata, qua omnia alia vera, sunt vera, sicut superius est ostensum; vel diuina voluntas, quę est causa infallibilis omnis veritatis creatæ, sicut præcedentia docuerunt. Nec ista veritas à posterioribus veris causatur in Deo, sed inest sibi penitus à seipso; quare nec vera poste-
E riora causant propriè diuinam scientiam, sed forsitan nimium transumptiuè; quia scilicet idea, seu imago huius veritatis in mente diuina quodammodo scientiam Dei causat: nec rem esse, vel non esse, est causa talis veritatis in Deo, vt maior supponit, sed potius est è contra. Quartum soluitur per prædicta: Licet enim cognitio incomplexorum in Deo sit causa suæ scientiæ complexæ; quia tamen illa cognitio inest sibi tantummodo à seipso, nec acquiritur ei à cognitis incomplexis, non sequitur quod ipsa causent propriè scientiam Dei complexam. Quintum verò per hoc soluetur, quod diuina scientia cognitionis solius, seu simplicis notitię non est sufficiens causa rerum, sed cum ea requiritur etiam scientia approbationis, & beneplacitum voluntatis, vel aliquis talis actus in voluntate diuina. Sextum soluitur per hoc idem.

Ad sep-

Ad septimum respondendum, per responsionem ad primum, & sequentia argumenta. Intelligibile enim & scibile non sunt priora intellectione & scientia propriè, & per seipsa (Multa enim non entia intelliguntur & sciuntur) sed tantum Metaphoricè, scilicet secundum suas similitudines & ideas. Pro octauo est sciendum quod intellectus diuinus priùs quodammodo naturaliter suo velle, & ideo necessario simpliciter & penitus absolutè cognoscit simplici notitia veluti incomplexa, omnia complexa cogitabilia vera vel falsa, possibilia vel impossibilia; non tamen notitia complexa adhæsiua, quæ scientiæ nostræ complexæ & compositiuæ superius comparatur: Sic enim non scit talia, priusquam per voluntatem suam antecedenter & causaliter fiant vera, sicut decimum quartum huius pandit? Sic enim & tu æqualiter cognoscis in tempore notitia simplici incomplexa, complexionem huiusmodi, Tu facis hoc aut illud, Tu vis hoc aut illud, priusquam sit ita, sicut quando est ita, non tamen scientia adhæsiua complexa, nisi quando est ita, & postquam est ita, saltem ordine naturali, sicuti etiam & tales propositiones sunt veræ. Neque nonum procedit: Non enim Deus arguitiuè tantum, & non intuitiuè scit futura, sicut Astrologus calculator inclusus scit eclipsin futuram vel præsentem supra horizontem proprium vel sub illo, per certam demonstrationem, non per claram intuitionem; Sed sicut videns Solem, videt eum per speciem eius receptam in oculo, priorem naturaliter visione & causam illius, sine quolibet argumento. Non enim ad hoc quod videat Solem, oportet quod arguat isto modo, Quicunque habet speciem Solis in oculo, videt Solem; Ego sic habeo: sed statim habita specie Solis in oculo, videt Solem: Sic & voluntas diuina respectu alicuius futuri, velut propria eius species, repræsentat intellectui diuino illud futurum fore, & ille per illam hoc sine omni discursu immediatissimè compræhendit, sicut oculus corporalis per speciem Solis, Solem. Illud autem Origenis videtur solutum capitulo præcedente. Objiciet quisnam fortè, quod Petrus 1. sentent. dist. 38. aliter hoc exponit; sed decimum sextum huius respondet. Rursum fortassis obijcitur, quod quidam alij Doctores, adhuc aliter hoc exponunt, dicentes, quod cùm dicitur, quod futurum est ideo scitur à Deo, hic denotari causam consequentiæ, non essendi: sed si Origines loquatur de causa consequendi tantummodo, non essendi, cur dicit, non propterea aliquid erit, quia illud scit Deus futurum? cùm tamen optimè consequatur, Deus scit hoc esse futurum, ergo hoc erit. Adhuc autem potest obijci acrius isto modo, si res prius naturaliter est futura, quàm Deus hoc sciat, & rem esse futuram est causa diuinæ præscientiæ: simili ratione & res præsentes prius naturaliter sunt præsentes, quàm Deus hoc sciat; & res esse præsentes est causa scientiæ Dei talis, contra decimum quintum & decimum sextum planè. Sed hic sciendum rem esse futuram in voluntate & prædestinatione diuina causaliter, non in propria sua natura extrinsecus, est causa diuinæ scientiæ seu præscientiæ. Ipse namque nullatenus indiget rebus extrinsecis ad sciendum, sicut præhabita suaserunt, sed omnia futura habet secum intrinsecus cognitiuè, causatiuè, intuitiuè, seu scientificè ex se tantum, sicque scit illa, quare & præsentia simili modo intrinsecus omniquaque. Alias namque aliter intrinsece primò sciret futura, secundò præsentia, tertiò verò præterita; quare & intrinsece mutaretur, cuius oppositum, quintum docet. Omni ergo eodem modo intrinsecus sunt res primo futuræ in voluntate diuinæ, secundò præsentes, tertiò verò præteritæ, & semper similiter & æqualiter ei præsentes & cognitæ apud eum, & causæ suæ scientiæ, semper similes & æquales. Vnde & Hermes de Verbo æterno 15. loquens de Mundo & rebus mundanis, sic ait, Non erant quando non erant, sed in eo iam tunc erant, vnde nasci habuerunt: cui multi Philosophi, Theologique concordant. Quare & Sapiens Domino, inquit, Deo omnia sunt agnita antequam crearentur, sic & post perfectum respicit omnia, sic, inquit, non aliter intrinsecè quouismodo. Adhuc forsitan replicabis, et dices, Si velle Dei est causa existentiæ rerum extra in opere & effectu, est causa immediata existentiæ talis rerum, sicut corollarium decimi huius docet, & est similiter causa scientiæ Dei complexæ existentiæ rerum huiusmodi; quare & existentia talis rerum exterior in opere & effectu, est prior naturaliter diuina scietia supradicta; quapropter & aliqua causa eius, per decimo tertio & decimo septimo huius præmissa, contra decimum quintum, decimum sextum, & decimum septimum huius planè. Vel aliter fortè dices, scientia Dei cõplexa, est causa existentiæ rerũ extra, & non in eodem ordine cum voluntate diuina, cùm sit posterior illa causaliter & naturaliter, secundum proximo huius præmissa, nec causa prior naturaliter, sicut per eadem patere videtur. Est ergo causa rerum posterior naturaliter voluntate diuina, quare & medians inter illam & huiusmodi suum effectum, contra Corollarium decimi prælibatum. Sed quis non videt peccatum primi istorum? Quis enim nescit nusquam sequi, *A* & *B* sunt effectus siue causata *C* causæ, & *A* est immediatus, ergo prior *B*, & causa illius? Cur enim non posset vna causa duos effectus

Margin: A; B; C; D; E; *Hermes.*; *Ecclesiast. 23.*

A fectus immediatos habere, quorum neuter alterius eſſet cauſa? Neque ſola voluntas diuina ſcientiam Dei cauſat; Nulli enim dubitandum videtur quin intellectus diuinus actum ſuum intelligendi, & intellectionem ſcientificam ſuam cauſet. Cur ergo intellectus diuinus intuens immediatè in actum voluntatis diuinæ, quo efficit immediatè res extra, non poſsit immediatius, vel ſaltem ita immediatè ſcire per illum ſic fore, eſſe, aut fuiſſe exterius, præſertim cùm ille actus voluntatis diuinæ intellectui diuino ſufficiat ad ſciendum, ita videlicet quòd res poſteriores, in proprijs ſuis naturis nihil omnino ad ſcientiam Dei agant, ſicut præhabita ſuadebant; imò & immediatior quoquomodo videtur Intellectus diuinus voluntati diuinæ, & actus actui, quam voluntas Dei aut eius volutio rebus extra. Neque ſcientia Dei complexa videtur cauſa rerum exterius, niſi quatenus notitiam ſimplicem incomplexam, & beneplacitum ſeu voluntatem Dei includit. Illud Auguſtini per hoc ſoluetur, quòd loquitur ibi de ſapientia Dei quoad intra, qua ſapit illa quæ præcedunt naturaliter voluntatem diui-
B nam, cuiuſmodi eſt generatio filij. Non enim voluntate præcedente generat, ſed natura, vt docet Auguſtinus 15. de Trinit. 20. & ſcientiæ talium non eſt voluntas Dei cauſa, ſicut proximum huius pandit. Quæſiuit enim Oroſius, An voluntate genuit Pater filium, an neceſsitate; Reſpondet Auguſtinus, quòd nec voluntate, nec neceſsitate, quia neceſsitas in Deo non eſt, & præire voluntas ſapientiam non poteſt, quæ eſt filius. Aliud Eccleſiaſtici poſſet eodem modo gloſſari. Videtur enim, quod loquatur ibi de filio qui eſt Sapientia, de Sapientia Dei Patris, & ideo dicit ibi, Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis. Aliter poteſt dici, quòd videtur intelligere, quòd ſapientia Dei præcedat omnia extra Deum, ſcilicet omnia creata, non omnia intra eum. Namque dicit ibi, prior omni creata eſt ſapientia. Et infra 24. expreſsius, in perſona diuinæ ſapientiæ dicit ita; Ego ex ore altiſsimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam; Ego feci in Cœlis, vt orıretur lumen indeficiens, & ſicut nebula texi omnem terram. Anſelmus autem videtur intelligere, de neceſsitate & impoſsibilitate
C poſterioribus voluntate diuina, in rebus creabilibus, vel creatis, qua neceſsitate ſecundum ipſum ibi, neceſſarium fuit quodammodo Chriſtum mori, & impoſsibile non mori. Vnde & ſtatim poſt præmiſſa ſubiungit; quare, quoniam quæ vult, & non niſi quæ vult, facit, ſicut nulla neceſsitas, ſiue impoſsibilitas præcedit eius velle aut nolle; ita nec eius facere, aut non facere, quamuis multa velit immutabiliter & faciat.

CAP. XX.

D

Diſtinguit ſimiliter voluta in priora & poſteriora voluntate diuinâ, & oſtendit, quòd voluta poſteriora non ſunt cauſa volutionis diuinæ, nec cauſa ſine qua non; & quod voluta priora ſunt aliqua cauſa eius.

HIs ita conſtantibus ratum erit, quòd voluta poſteriora volutione diuina, non ſunt cauſa volutionis diuinæ, nec cauſa ſine qua non, vt fingitur à quibuſdam, & quòd voluta priora ſunt aliqua cauſa eius. Sunt autem aliqua voluta priora volutione diuina, vt Deum eſſe, Deum eſſe omnipotentem, bonum, cognoſcentem, & ſimilia. Alia verò poſteriora, vt totum mundum eſſe, & ſingulas partes eius. Hæc igitur tria de volutione diuina poſſunt oſtendi ſimiliter ſicut tria priora capitula, ſcilicet 15um 16um & 17um tria ſimilia de diuina ſcientia oſtendebant; poſſuntque per locum à ſimili, aliter ſuaderi; ſic eſt in ſcientia diuina; quare & in
E volutione diuina, maximè cùm voluntas ſit ita libera vel liberior intellectu. Item prima pars huius poteſt oſtendi per hoc, quòd voluntas Dei eſt cauſa omnium poſteriorum, vt nonum & decimum quartum capitula docuerunt: ſi ergo aliquod iſtorum eſſet cauſa volutionis diuinæ, illud eſſet cauſa ſuipſius. Item aliter Deus neſciret vera poſteriora, ſicut decimi octaui ſententia manifeſtat. Nec Deus eſſet certus de eis, quoniam ad eius volutionem neceſſario præexigitur cauſa incerta, ſcilicet illa poſteriora, vt futura contingentia, & hæc ad eius ſcientiam, ſicut eodem 18° planiùs eſt argutum. Item cum Deus de neceſsitate cuiuſlibet contradictionis alteram partem ſciat, & hoc in omnibus ſcitis poſterioribus per ſuam voluntatem, per idem Capitulum, ſi volutio eius cauſetur à poſterioribus volutis, voluntas diuina neceſſario patitur ab eis volutionem aut nolutionem; quomodò ergo habet liberam

beram voluntatem? Item ſi voluntas Dei patiatur à talibus non neceſſario ſed liberè, poteſt non A
ſic pati, & facere omnia nihilominus. Fruſtra ergo ponitur eam ſic pati. Item ſi Deus per voluntatem ſuã poſſet vna vice non ſic pati, alia ſic pati, poſſet aliquo modo mutari contra quintũ. Quicquid enim patitur à cauſa mutabili, mutabiliter patitur, & eſt mutabile. Item perfectius eſt ſimpliciter agere, & non pati à talibus, quam ſic pati, ſicut præcedentia docuerunt; Hoc ergo, non alia, tribuendum eſt Deo, ſicut Suppoſitio prima dictat. Item futura contingentia non ſunt cauſa mouens voluntatem diuinam, quia tunc prius naturaliter eſſent futura quam mouerent, & quam Deus vellet illa eſſe futura, contra 14. & 18. ſicut & 15. de ſcientia talium arguebat. Hoc etiam poſſet oſtendi per multas Autoritates nono cap. allegatas, & ſpecialiter per illas, quæ dicunt; quòd voluntas Dei eſt prima & ſumma cauſa omnium; ſi tamen ab alio moueretur, illud eſſet prius & ſuperius: Omnis enim cauſa efficiens, ſiue mouens eſt prior naturaliter & ſuperior ſuo moto. Item hoc planè tenet Petrus Lumbardus 1. Sentent. diſt. 45. 4 ſic dicens; Hæc itaque ſummè bona voluntas, eſt cauſa omnium quæ naturaliter fiunt, B
vel facta, ſiue futura ſunt, quæ nulla præuenta eſt cauſa, quia æterna eſt, ideoque cauſa illius quærenda non eſt. (*Auguſtinus.*) Ad quod multas Autoritates adducit, primo Auguſtini 83. Quæſtionum 28. dicentis, Qui quærit, quare voluerit Deus mundum facere; cauſam quærit voluntatis Dei; Omnis autem cauſa efficiens maior eſt eo quod efficitur, nihil autem maius eſt voluntate Dei. Item Auguſtinus 1. de Geneſ. contra Manichæos 5. Cauſas voluntatis Dei Manichæi ſcire quærunt, cum omnium, quæ ſunt, ipſa ſit cauſa. Si voluntas Dei habet cauſam, eſt aliquid quod antecedat voluntatem Dei, quod nefas eſt credere. Qui ergo dicit, quare Deus fecit cœlum & terram? reſpondendum eſt ei, quia voluit: qui autem dicit, quare voluit? maius aliquid quærit quam eſt voluntas Dei; nihil autem maius inueniri poteſt? Compeſcat ergo ſe humana temeritas, & id, quod non eſt, non quærat ne id quod eſt, non inueniat. Hoc etiam tenet (*Hugo.*) Hugo de Sacramentis libro primo, parte quarta, capite primo, dicens, Prima rerum omnium cauſa voluntas eſt creatoris, quam nulla præcedens cauſa mouet, nec ſub- C
ſequens aliqua confirmat, quoniam ex ſemetipſa iuſta eſt. Et infra, vltimo. Hic igitur conſtat ordo rerum, vt poſt prima poſteriora ſequantur; Prima omnium eſt voluntas creatoris, quoniam ex ipſa ſunt omnia; poſt ipſam ſequuntur, quæ ſunt ex ipſa: Prima ſunt, quæ in ea ſunt; ſecunda ſunt, quæ ex ea ſunt: Quæ in ea ſunt, æterna ſunt, nec gradum habent, nec ſucceſſionem, quoniam in vnitate conſiſtunt, & in æternitate non tranſeunt; quæ ex ea ſunt, creata ſunt per eam. Aliæ verò partes ſequentes poſſunt oſtendi, ſicut 16. & 17. de non cauſatione, & cauſatione diuinæ ſcientiæ, ſimilia oſtendebant.

CAP. XXI.

Obiicit, & reſpondet, diſtinguitq́ rationabile & iuſtum per prius voluntate diuina, per poſterius & per mixtum. D

HIC autem poſſunt multa obijci contra dicta de voluntate diuina, ſicut Capitulum proximum obijcit contra dicta de diuina ſcientia, & ſimiliter poſſunt ſolui. Præterea poteſt etiam ſpecialiter obijci contra dicta: Si enim voluta priora ſunt cauſa volutionis diuinæ, voluntas diuina aliquam cauſam habet, contra Autoritates Auguſtini proximo allegatas; Et tunc voluntas Dei non eſſet prima & ſumma cauſa omnium poſteriorum: Cognitio namque & voluta priora ſunt prior & ſuperior cauſa illius cauſæ, quare & omnium cauſatorum ſuorum. Item voluntabile mouet voluntatem, & appetibile appetitum, vt patet in libris de Anima, E
Eth. & alibi multis locis; et Deus vult & appetit voluta poſteriora. Item omne agens rationale propter aliquem finem agit, vt patet ſecundo Phyſicorum & alibi ſatis crebrè; Finis autem mouet agentem, ſicut Philoſophia Naturalis, Metaphyſicalis, & Moralis concorditer ſæpè docent. Item omnis volens aliquid ſapienter vult illud propter aliquam rationem; ratio ergo mouet volentem ad ſic volendum. Item omnis volens aliquid iuſtè, vult illud, quia iuſtum eſt eum ſic velle: hoc ergo mouet || *volentem* vt velit. (|| voluntatem.) Ad primum iſtorum dicendum, quòd illa concluſio non eſt contra Autoritates adductas, quia omnes illæ loquuntur de volutis poſterioribus, vt de creatione mundi, & ſimilibus, non de volutis prioribus: Quis enim negaret voluntatem Dei volutionem eius producere & cauſare, ſicut ex 17. huius patet.

Pro

A Pro secundo dicendum, quòd duplex est causa rerum in Deo, videlicet, sufficiens & necessaria; qua scilicet posita res necessariò ponetur; & sic voluntas Dei est causa omnium posterius causatorum, sicut præcedentia clarè monstrant; sicque loquendo de causa, voluntas Dei est prima & summa omnium talium causatorum, & sic intelligunt autoritates obiectæ; alia est causa partialis, non necessaria, qua scilicet posita, non necessariò sequitur rem poni, sicque cognitio est aliqua causa horum posterius causatorum, sicut ex decimo septimo huius patet. Cognitio tamen non per se sufficienter & necessariò producit omnia cognita: Deus enim cognoscit æqualiter quæcunque non entia, quæ non producit, sicut & entia quæ producit; & de tali causa priori videtur concludere argumentum. Ad tertium patet per responsionem ad simile argumentum capite decimo nono, de motione intellectus diuini à rebus intellectis. Voluntas enim Dei non mouetur propriè à volutis posterioribus, sed metaphoricè, forsan nimis; quia scilicet mouetur ab eorum similitudinibus seu ideis, siue ab eorum cognitione in
B intellectu diuino; sed hæ nullo modo causantur à volutis posterioribus, sicut 15. 16. 17. & 19. plenius ostendebant; quare nec volutio Dei ab his causatur. Pro quarto sciendum, quòd duplex est finis, vt patet primo Ethicorum, 1. & alijs locis multis, scilicet finis vltimus, & finis medius: finis vltimus propter quem Deus vult & operatur quodcunque, est ipsemet, sicut etiam ipsemet est finis vltimus actionis cuiuslibet omnis rei, vt patet duodecimo Metaphysicorum, & alibi in Philosophia frequenter, cui & sacra Scriptura concordat. Vnde Parabol. *Parabol.*
16. Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus; & hæc est causa finalis potissima voluntatis diuinæ, & cuiuslibet operationis illius; quare & Sancti per hanc causam sæpè Dominum precabantur. Vnde sanctus Dauid Psalmo vigesim. quarto; Propter nomen tuum, *Dauid.*
Domine, propitiaberis peccato meo. Oratque sanctissimus Ieremias decimoquarto Deum, *Ieremias.*
dicens; Fac propter nomen tuum, Domine, quoniam multæ sunt auersiones nostræ. Sanctus quoque Daniel nono, sic orat; Propter temetipsum, inclina Deus aurem tuam; & hoc est, *Daniel.*
C quòd veritas ipsa planè testatur, Esaiæ 43. Ego sum, inquit, Ego sum ipse qui deleo ini- *Esa. 43.*
quitates tuas propter me: Et infra 48. Propter nomen meum longe faciam furorem meum; 48.
propter me faciam, vt non blasphemer, & gloriam meam alteri non dabo. Et Ezechiel. 36. *Ezechiel.*
Hæc dicit Dominus; Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum; non propter vos ego faciam: notum sit vobis. Quanquam & ista de causa efficiente possunt intelligi. Finis enim mouet voluntatem quodammodo. & efficit ipsum velle, & de isto fine argumentum non tenet, quia non est de volutis posterioribus, imo prioribus. Est etiam voluntatis diuinæ causa finalis media quodammodo, licet multum impropriè, scilicet, omnis creatura, propter quam alia ordinatur à Deo, sicque homo est causa finalis totius alterius creaturæ, saltem irrationalis, & illius volutionis diuinæ, qua voluit hanc & fecit; hæc enim tota propter hominem ordinatur, vt per multorum Patrum sententias satis constat; quibus & concordat Philosophus, secundo Physicorum, 24. sic dicens; Vti-
D mur propter nos omnibus quæ sunt; Sumus enim quodammodo, & nos finis. Et sic loquitur *Machabæorum lib.*
Scriptura, secundo Machabæorum 5. Non propter locum, gentem, inquit, sed propter gentem, locum Dominus elegit; & Marc. 24. Propter electos breuiabuntur dies illi; & Marc. 2. *Marcus.*
Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter Sabbatum; & Ioannes duodecimo; Non propter me vox hæc venit, sed propter vos. Et primo ad Corinthios 11. Non *Iohannes.*
est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Talis autem finis non mouet propriè voluntatem diuinam, sed metaphoricè, vt dictum est in responsione ad proximum argumentum. Pro quinto argumento, oportet inquirere; Vtrum ratio moueat, & dirigat *Quæstio bona de ratione.*
voluntatem diuinam. Quòd sic est || *argutum*, & potest confirmari per illud Augustini ad septimam quæst. Orosij, 19. cap. allegatum; In Deo præire voluntas sapientiam non potest; ergo prius est rationabiliter sapere, quam rationabiliter velle. Idemque de quæstionibus veteris & *|| arguunt,* *Augustinus.*
nouæ legis; Potuit Deus cuncta simul facere, sed ratio prohibuit. Item Apostolus ad Ephes. *Apostolus.*
E 1. sic dicit de Deo; Qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ; vbi Glossa sic exponit, id est, secundum voluntatem suam, quæ ex ratione, quasi diceret, Quare nos magis elegit ad officium prædicationis vel Apostolatus, nescimus; sed *tamen consilio fecit, non *cum
temerè; & potest confirmari, quoniam consilium est quidam discursus rationis, vt potest haberi ex 3. Eth. 7. & processu sequenti; aliàsque illud indignum ridiculum verificaretur de Deo; *Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas*: Et hoc probat sapientia sua, quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disposuit omnia suauiter. Item si Deus bene quicquam vellet, & faceret *Apostolus.*
sine ratione præiudicante, eadem ratione sic posset homo contra Apostolum, 1. ad Tim. 5. *Parab. cap. 4*
Sine præiudicio nihil facias, id est, sine priori iudicio; & Parabol. 4. Palpebræ tuæ præcedant *Ecclesiasticus.*
gressus tuos. Et Eccl. 15. Deus ab initio constituit hominē, & reliquit illū in manu consilij sui.

Philosophus. Idem patet per Philosophum 3. Eth. de electione & consilio. Confirmatur hæc ratio, quia homo factus est secundum animam ad imaginem Dei, scilicet secundum memoriam, intelligentiam, & voluntatem. Si ergo in Deo voluntas ducat rationem, sic debet in homine correspondenter: Aliter enim non esset imitatio, nec similitudo perfecta: Item alias nemo posset disputare cum Deo, de aliquo facto suo. Nam vbi nulla est ratio, nulla disputatio potest esse, contra illud *Iob.* Iob 13. Cum Deo disputare cupio, & ita facit, Quare, inquiens, lacero carnes dentibus meis? quare tacens consumor? cur faciem tuam abscondis? & alibi frequenter proponit multas similes quæstiones; quare & dicit, Si fuero iudicatus, scio quod iustus inueniar; Et infra 19. Intelligite, quia Deus non æquo iudicio afflixerit me. Item *Apostolus.* ad Ephes. 1. Elegit nos ante mundi constitutionem; Et ad Rom. 9. Vt secundum electionem propositum Dei maneret; Electio autem est appetitus consiliatiuus, vt patet 3. Eth. 6. & sexti secundo: Consilium ergo est causa electionis, & voluntatis diuinæ. Item Ansel- *Anselmus.* mus 1. Cur Deus homo 10. Sicut in Deo quodlibet paruum inconueniens sequitur impossibilitas, ita quamlibet paruam rationem, si maiori non vincitur, comitatur necessitas; & sic procedit per totum illum librum sic ostendendo, quod rationale fuit Deum facere vel non facere hoc vel illud, & per hoc concludendo ipsum fecisse vel non fecisse hoc aut illud; quare & capite septimo ita dicit, Sufficere nobis debet ad rationem voluntas Dei cùm aliquid facit, licet non videamus cur velit. Voluntas namque Dei nunquam est irrationalis: *Lumbardus.* Ergo ratio mouet voluntatem diuinam, & efficit eius velle. Dicitque Petrus Lumbardus 1. sentent. distinct. 42. 1. quod voluntas Dei rationalis est & æquissima. Ad partem contrariam arguitur isto modo. Si ratio moueat voluntatem diuinam, illa non causatur in Deo ab aliqua creatura, sicut ex prioribus satis patet, sed est sibi intrinseca & essentialis, ergo est necessaria; ergo voluntas Dei necessariò sibi consentit; alias enim in Deo posset esse repugnantia voluntatis & rationis; quare & peccatum scienter contra conscientiam rationabiliter informatam; sicque Deus necessario ageret ad extra quicquid agit. Item si ratio moueret voluntatem diuinam, maior ratio magis moueret: Cùm ergo Deus posset facere omnia meliora quàm facit, & hoc esset melius, & rationabilius si fieret; ergo hoc magis mouet voluntatem eius, ergo sic vult, & facit. Item quicquid Deus facit, posset illud dimittere, & facere aliud æquè bonum. Nulla ergo est ratio, quare hoc dimittit, & illud facit, magis quàm è contra. Confirmatur per simile de homine; Si enim homini potenti saluare tantum vnum hominem à morte, occurrant duo morituri nisi ipse subueniat, supposita per omnia paritate, vtrumlibet istorum saluando, & reliquum dimittendo, bene facit; & hoc sine aliqua ratione præuia voluntati. Nulla enim est ratio potior pro isto quàm pro illo, & idem est de præferente vnum duorum idoneorum æqualiter ad aliquam dignitatem, & de dante liberaliter munus *Luc. 4.* vni multorum æquè dignorum, vel etiam dignorum inæqualiter minus digno. Vnde Luc. 4. Multæ viduæ erant, &c. & ad nullam earum missus est Elias, nisi in Sarepta Sydoniæ ad mulierem viduam; & multi leprosi, &c. & || *nullus* eorum mundatus est nisi Naaman Syrus; sic- || nemo *Matth.* que fecit ille Paterfamilias Euangelicus, de quo Matth. 20. dando tam liberaliter operantibus in vinea sua vna hora, quàm alijs operantibus toto die, dicens cuilibet murmuranti, Volo huic nouissimo dare, sicut & tibi. An non licet mihi quod volo facere, nec allegauit, sicut *Iob.* nec oportuit, aliam rationem. Et hoc est quod sonare videtur illud Iob 34. Ipso concedente pacem, quis est qui condemnet? Ex quo absconderit vultum suum, quis est qui contempletur eum? Super quod B. Greg. 25. Moral. 14, ita dicit, Nemo ergo discutiat, cur stante populo Iudaico dudum in infidelitate Gentilitas iacuit? & cur ad fidē Gentilitate surgente Iudaicum populum infidelitatis culpa prostrauit? Nemo discutiat cur alius trahatur ex dono, alius repellatur ex merito? Si enim Gentilitatem miraris assumptam, ipso concedente pacem, quis est qui condemnet? si Iudæam obstupescis perditam, ex quo absconderit vultum suum, quis est qui contempletur eum? Itaque consilium summæ & occultæ veritatis satisfactio apertæ rationis. Vnde in Euangelio Dominus, cùm de huiusmodi rei causa loqueretur, ait, Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis; Ita Pater: atq; mox tanquam rationem quandam absconsionis, & reuelationis adiungens, ait; Quia sic fuit placitum ante te. Et infra eodem 15. Vnde & in vinea laborantibus mercedem reddens, cùm quosdam operarios inæquales in opere æquaret in pæmio, & plus in mercede quæreret qui labori amplius insudasset, ait; Nonne ex denario conuenisti mecum? Volo autem & huic nouissimo dare, sicut & tibi. Annon licet mihi, quod volo, facere? In cunctis ergo quæ exterius exponuntur, aperta causa rationis, est occultæ iustitia volunta- *Ecclesiast.* tis: Quare videtur quod sit similiter in omnibus factis Dei. Vnde Ecclesiast. 8. Intellexi, quod || Sole. omnium operum Dei, nullam possit homo inuenire rationem eorum quæ fiunt sub || *Cælo*; Si

A Si tamen aliqua ratio operum Dei esset, posset aliquo modo ab homine inueniri, sicut & potest de Deo, qui omnia opera sua præcellentia incomparabili antecedit. Dicitque Anselmus Prof. 11. Illud certè nulla ratione comprehendi potest, cur de similibus malis, hos magis saluet Deus quam illos per summam bonitatem; & illos magis damnet quàm illos per summam iustitiam. Item Danielis 4. Iuxta voluntatem suam facit, tam in virtutibus cœli, quàm in habitantibus terræ, & non est qui resistat manui eius, & dicat, Quare fecisti? Et Iob 9. Quis dicere potest Deo, cur ita facis? Vnde & ille profanus Auerroes super 12. Metaph. comment. 51. dicit, Declaratum est igitur, aliquod ens esse sciens, de quo non est fas dicere sibi. Quibus concordat Apostolus ad Roman. 9. sic dicens, Voluntati eius quis resistet? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? & hoc ostendit per argumentum de indifferentia rationis differentium factorum, sicut superius arguebam. An, inquit, non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? & multa sunt talia in Scriptura. Ad hoc autem posset quis breuiter respondere & dicere, quod duplex est ratio, Increata scilicet & creata; Ratio increata mouet voluntatem Dei, non creata, sicque procedunt argumenta suis vijs hinc inde. Tamen vt ista magis appareant, est parum diutius immorandum. Quædam enim sunt rationabilia priora naturaliter voluntate diuina, vt Deum esse, Deum esse æternum, omnipotentem, & similia; & hæc rationabilia, & horum ratio benè possunt & potest mouere voluntatem diuinam, vt in suo simili superius est ostensum: & alia sunt rationabilia posteriora naturaliter voluntate diuina, & dependentia ab illa tanquam à sua causa, & nullum horum, nec ratio posterior alicuius istorum hanc mouet aut determinat voluntatem. Imò quia Deus vult sic fieri, rationabile est quòd sic fiat, non è contra, sicut etiam est de homine præferente vnum duorum æqualium, & alterum dimittente, in aliquo casu præmissorum: Quia enim homo præfert istum, est rationabile hunc præferri: & hoc est quod dicit C finis Autoritatis Gregorij iam adductæ. Et præter hæc, videntur aliqua rationabilia mixta quodammodo ex vtrisque, sicut hanc creaturam subijci creatori, & Deum esse Dominum huius rei: Non enim hoc est rationabile necessario, & penitus absolutè, quia tunc præcederet naturaliter voluntatem diuinam, & semper de necessitate absoluta sic esset: sed est rationabile conditionaliter, siue ex suppositione, videlicet, si ista creatura vel res existat, & ista conditionalis, est rationabilis simpliciter absolutè, si aliqua creatura sit, debet subijci creatori, & ipse dominari illius, & priùs naturaliter est || *rationabile* quàm voluntas Dei sic velit, nec eius ratio, seu rationabilitas dependet ab ea. Est enim aliqua prima ratio in Deo necessaria absolutè, prior naturaliter voluntate sua, sicut forsitan Deum esse, vel Deum esse veracem seu veritatem, ex qua multa alia necessariò consequuntur; & sunt vt æstimo, omnia illa quæ sunt necessaria absolutè; Ex antecedente enim necessario tantum necessarium necessario consequetur, & omne necessarium absolutè est primum necessarium, vel necessariò reducitur ad illud, & necessariò sequitur ex illo. Si enim sequatur ex illo, & non necessariò, hoc est per aliquod medium contingens, puta per voluntatem diuinam; sed nihil dependens à causa contingenti, & libera, est necessarium absolutè; hæc igitur omnia necessaria absolutè sunt similiter rationabilia absolutè. Si enim antecedens in consequentia necessaria est || *rationabile* absolutè, & consequens similiter erit rationabile absolutè, nec aliquo modo dependens à voluntate diuina, quoniam nec antecedens, nec consequentia dependent ab ea, quare nec consequens dependebit. Hæc igitur conditionalis, Si ista creatura est, Deus est Dominus eius, est rationabilis absolutè, & prius naturaliter, quàm voluntas Dei sic velit; sed existentia conditionis, scilicet quòd ista creatura est, causatur & dependet à voluntate diuina; & est rationabile quod ista creatura sit, quia Deus vult eam esse, non è contra: Non enim fuit potior ratio quare voluit facere istam, & dimittere aliam posibilem æqualem huic per omnia, quàm è contra. Quare videtur quòd ista, Deus est Dominus huius rei, sit rationabilis mixtim quodammodo vt est dictum; Quod enim Deus sit Dominus huius rei, si hæc res sit, est rationabile simpliciter priùs voluntate diuina, sed quod hæc res sit, causatur, & dependet ab ea, ideoque est rationabile posterius huiusmodi voluntate. Est autem adhuc pro secundo membro istorum rationabilium, vlterius aduertendum, quòd quædam est ratio obligans, quædam præponderans, quædam verò congruens, & concomitans: Ratio obligans est, quæ dictat quenquam debere, & teneri, facere vel dimittere hoc aut illud, quam qui habet, & non sequitur ipsam, peccat, & talis ratio non est in Deo respectu volutorum posteriorum, sed est in nobis frequenter. Ratio autem præponderans est, quæ dictat, quòd melius esset facere hoc quàm illud, vel quòd melius esset hoc facere, quàm dimittere, & talis ratio non mouet, nec concludit voluntati diuinæ, nec eam

Margin: *Anselmus.* *Daniel. 4.* *Iob.* *Auerroes.* *Apostolus.* || rationalis. || rationale

D, E (section letters in margin)

eam determinat ad agendum: Poſſet enim Deus facere meliora, quàm facit, & multa bona, A
quæ non facit. Ratio verò congruens & concomitans eſt, quæ dictat quòd congruum eſt, & bonum facere vel dimittere hoc aut illud, & ſic loquendo de ratione, Deus vult rationabiliter quæcunque voluta poſteriora; et ſic homo rationabiliter vult præponere, & præponit vnum duorum æqualium, vel forſitan inæqualium minus dignum in aliquo caſuum præmiſſorum. Si enim hoc fiat, congruum eſt & bonum, & talis ratio non obligat, nec determinat Deum aut hominem, ſed tantum ſufficit ad volendum. Homini tamen tutum eſt ſemper & ſanctum, vt conformet voluntatem ſuam rationi præponderanti, vbicunque talem poteſt habere, & ſic forſan intellexit Apoſtolus, cum dicebat, Nihil ſine præiudicio facias, vbi ſcilicet poteſt tale præiudicium præponderans, vel etiam obligans reperiri. Vbi verò non poteſt, ſicut eſt in prælatione vnius duorum æqualium, ſufficit pro ratione voluntas, vel ſaltem ratio congruens, & concomitans, vt eſt dicta, & de tali præiudicio poſſet ſimiliter intelligi Autoritas memorata. Deus autem non poteſt ſequi per omnia rationem præponderantem, niſi faceret omnia poſſibilia, & horum quodlibet infinitum, quod contradictionem includit, vt alibi eſt oſtenſum. Sufficit igitur ſibi in talibus pro ratione voluntas, vel ſaltem ratio congruens, & concomitans prætaxata. His igitur plenè viſis, ſolutio argumentorum omnium pro, & contra non poterit non videri. Nunc autem pro ſexto argumento, & vltimo, ſupereſt ſimiliter perſcrutari, Vtrum iuſtitia moueat, aut dirigat voluntatem diuinam; Quòd ſic argutum eſt prius, & poteſt argui pro, & contra, ſicut de ratione, & rationabili eſt argutum. Omnis enim vera ratio videtur quædam iuſtitia, & omne rationabile quoddam iuſtum. Præterea poteſt ſpecialiter argui ad partem affirmatiuam per Auguſtinum de Quæſtionibus veteris, & nouæ legis dicentem, Omnia quidem poteſt Deus, ſed non facit niſi quod conuenit veritati eius & iuſtitiæ. Veritas ergo & iuſtitia mouent voluntatem Dei ad agendum. * Item 2. ad Tim. 4. Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex; Et 2. ad Theſ. 1. Si tamen iuſtum eſt apud Deum, retribuere tribulationem his, qui vos tribulant, Et alibi in C
Scriptura Canonica, & Sanctorum, atque Doctorum inuenitur creberrimè, quòd Iuſtitia exigit, & requirit, quòd Deus retribuat vnicuique ſecundum merita prout geſſit. Vndè & Parab. 11. Pondus æquum voluntas eius. Item non eſſe iuſtum eſt cauſa, quare Deus aliquid non vult, nec facit; ergo eadem ratione eſſe iuſtum eſt cauſa, quare aliquid vult & facit. Per hoc enim videtur Abraham audacter contra Deum arguiſſe Gen. 18. Num perdes iuſtum cum impio? Abſit à te vt rem hanc facias, & occidas iuſtum cum impio, fiatq; iuſtus ſicut impius; non eſt hoc tuum, qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium hoc. Item aliàs voluntas Dei eſſet prima, & ſumma iuſtitia, & quicquid vellet, eo ipſo eſſet iuſtum; ſed hoc eſt planè contra Anſelmum 1. Cur Deus homo 12. ſic dicentem, Quod autem dicitur, quod vult Deus iuſtum eſt, & quod non vult non eſt iuſtum, non ita intelligendum eſt, vt, ſi Deus velit quodlibet inconueniens, iuſtum ſit, quia ipſe vult; Non enim ſequitur, Si Deus vult mentiri, iuſtum eſſe mentiri; ſed potius Deum illum non eſſe. Item alias non eſſet aliquid D
per ſe iuſtum, ſed tantum iuſtum poſitiuum à voluntate diuina; ergo nec aliquid eſſet per ſe iniuſtum, ſed tantum quia prohibitum ab eadem, quod videtur contra Philoſophum 5. Eth. 12. ſic dicentem, Politici autem iuſti hoc quidem naturale eſt, hoc quidem legale; Naturale quidem quod vbique eandem habet potentiam, & non in videri vel non, id eſt, non conſiſtit in iudicio legiſlatoris, eo quòd ſic ſibi videtur, vel non videtur; et addit, Legale autem, quod ex principio quidem nihil differt, ſic vel aliter; quandò autem ponitur, differt; puta mna redimi, & capram ſacrificare, ſed non duas oues; & ſimile habetur in Canone Diſt. 1. Quòd etiam aliquid ſit per ſe iniuſtum, non ſolum quia prohibitum, patet per Auguſtinum 1. de libero arbitrio 6. dicentem, Non ideo malum eſt adulterium, quia vetatur lege, ſed ideo vetatur lege quia malum eſt; Docetque Auguſtinus in quæſtionibus ſuper Leuiticum 62. & recitat Gloſſa ſuper 19. Leuit. quòd aliqua ſunt iniuſta & mala, quia prohibita, aliqua verò è contra, ſicut mendacium. Item alias voluntas Dei eſſet ſumma lex, & principium totius iuſtitiæ, E
quod videtur contra Auguſtinum 1. de libero arbitrio 13. ſic dicentem, Lex illa incommutabilis cui ſemper eſt obtemperandum, ſumma ratio nominatur; Non eſt ergo voluntas, quia ratio eſt in Intellectu. Et infra eodem, Lex æterna eſt, qua iuſtum eſt, vt omnia ſint ordinatiſſima; et hæc lex, vt videtur, non dependet à voluntate diuina, ſed eſt immutabiliter per ſe iuſta. Oppoſita pars iſtius poteſt etiam per aliqua ſuaderi: In regulis enim iuſtitiæ ſiuè legis, non eſt aſcendere infinitè propter Suppoſitionem ſecundam, ſed eſt aliqua ſumma omnium & principium aliarum. Illa non poteſt eſſe in aliqua creatura, ſed neceſſario eſt in Deo; Et non eſt ratio, nec vlla lex neceſſaria in Deo prior eius voluntate? Nulla enim eſt lex aut ratio, quare duorum poſſibilium æqualium, vult & facit vnum, & non aliud, ſicut ſuperius eſt argutum;

Quæſtio bona de Iuſtitia.

Auguſtinus.

* Hæc vel illa *Apoſtolus.*

Parab. 11.

Gen. 18.

Philoſophus.

Auguſtinus.

A gutum; ergo illa summa lex & iustitia necessariò est voluntas. Vnde Anselmus Prof. 11. Id solum iustum est quod vis, & non iustum, quod non vis; & Augustinus super illud Psalmi 61. Semel locutus est; Si quæras quid iustum, quid iniustum, respice vbi semel locutus est Deus, & ibi inuenies fontem iustitiæ. Hoc posset confirmari per leges humanas ecclesiasticas, & etiam sæculares: Frequenter enim in Ecclesiasticis legibus dicit Papa; Placuit nobis sic, vel sic, quod eo ipso pro lege statuitur, & tenetur; Leges quoque imperiales habent plerunque simile fundamentum, vnde & dicunt; Quòd Principi placuit, legis habet vigorem: Sed ita liber est Deus in condendis legibus pro sua tota Republica gubernanda, sicut & hi pro sua. Voluntas ergo Dei est pro lege sufficiens, & lex summa. Hic autem potest responderi per omnia, de iustitia siue iusto, sicut de ratione & rationabili superius est responsum, & sicut rationabilia sunt ibi diuisa, sic possunt & hic iusta. Quædam enim sunt iusta priora naturaliter voluntate diuina, nec dependent ab ea, vt Deum esse, Deum esse æternum, omnipotentem, & similia, & hæc iusta, & horum iustitia bene possunt & potest mouere voluntatem Dei ad volendum; alia vero sunt iusta posteriora; alia quidem mixta, sicut de rationabilibus erat dictum. Legalia quoque ac Leges similiter diuiduntur; mixta forsan sunt talia; bonos præmiari, & malos puniri, & similia. Et sicut in alio genere est aliquod proprium & primum principium, per quod cætera regulantur, sicut præcedentia docuerunt: sic in genere legalium & iustorum est necessariò aliqua prima lex, & iustitia, quæ est prima regula, & primum principium, à qua, vel à quo originaliter omnia alia legalia, & iusta sequentia deriuantur, & in omnibus diriguntur. Hoc autem principium proprium videtur infallibilis veritas diuinæ essentiæ, cui velut immobili fundamento omnia iudicia iustitiæ innituntur. Quod ille Dauid, testis veritatis eximius, videtur testari, cùm dicit; Principium verborum tuorum veritas; In æternum omnia iudicia iustitiæ tuæ, Psalmo 118. Quare & ab isto principio tota lex, veritas nominatur, supra eodem; Lex tua veritas. Hæc autem prima iustitia est iusta per se, & primò, necessariò, & penitus absolutè, nullo modo dependens à voluntate diuina, sed naturaliter prior ea: Ex hoc autem primo iusto multa alia iusta necessariò consequuntur, & sunt, vt arbitror, omnia illa, quæ sunt iusta necessariò absolutè, non quia præcipiuntur à Deo, vel homine qualicunque; quorum etiam opposita sunt iniusta necessariò absolutè, quod potest ostendi, vt supra de rationabilibus simile fuit ostensum. Et cum istis iustis aut iniustis non potest Deus nec homo in minimo dispensare, sicut nec mutare necessarium vel impossibile absolutè: Hæc enim non subsunt voluntati diuinæ, nec hominis quouismodo, sicut nec antecedens, nec consequentia, à quo & per quam ab illo iustissimè consequuntur, cuiusmodi sunt; Creaturam, si sit, subijci Creatori, & beneficiatum teneri benefactori, saltem Deo benefactori; nullum debere peccare, & sicut forsitan est; nullum debere quicquam facere contra conscientiam propriam, aut contra præiudicium propriæ rationis; & tale forsitan est mentiri, sicut videtur Anselmus velle, vbi fuerat allegatus. Hoc enim videtur contraire alicui veritati; quare & primæ veritati, quæ est principium totius legis, ac iusticiæ diuinæ pariter & humanæ: & sine dubio tale esset Deum mentiri, de quo loquitur Anselmus ibidem. Hæc autem sunt iura naturalia simpliciter, quæ in ipsa natura naturante immobiliter sunt fundata. Ex hac autem prima regula omnium legalium & iustorum, multa alia legalia & iusta sequuntur, non necessariò vt priora, sed liberè & contingenter, quia per medium liberum & contingens, scilicet per voluntatem diuinam, & hæc sunt omnia legalia temporaliter instituta. Vnde Augustinus, primo De Libero arbitrio, decimotertio, distincta duplici lege, scilicet, temporali seu commutabili, æterna seu incommutabili dicit; In ista temporali lege nihil esse iustum atque legitimum, quod non ex hac æterna sibi homines deriuauerunt. Quare & Hugo primo De Sacramentis 4. parte prima, loquens de voluntate diuina, sic ait; Secundum eam iustum est, quod iustum est, quod vtique iustum non esset, si secundum eam iustum non esset. Cum ergo quæritur, quare iustum est quod iustum est? conuenientissimè respondetur, quia secundum voluntatem Dei est, quæ iusta est. Cùm autem queritur, quare & ipsa iusta est? hoc sanius respondetur, quoniam primæ causæ nulla causa est, cui ex se est, esse quod est; Hæc autem sola est, vnde ortum est quicquid est, & ipsa non est orta, sed æterna. Vnde & Sapient. 12. Virtus tua iustitiæ initium est: Et Esaiæ 51. Attendite ad me, populi mi, quia lex à me exiet, & iudicium meum in lucem populorum requiescet. Iustorum quoddam sequitur necessariò ex suppositione, & inseparabiliter naturam creatam, vt, Hominem esse rationalem, omnes homines esse similes in specie; &, Totum esse maius sua parte, & sic de similibus; & istud est ius naturale simpliciter naturæ creatæ, & omnino necessarium, cum quo nec Deus, nec homo naturalis potest dispensare, stante tali natura creata. Quoddam verò sequitur naturam creatam, non omnino neces-

[Margin notes: *Anselmus.* *Augustinus.* (A); B; *Dauid.* C; *Anselmus.* D; *Augustinus.* *Hugo.* E; *Sapient.* 12. *Esaias.*]

no necessarió, sed in maiori parte, quod quasi omnes, & vbique faciunt instinctu naturæ, non A
constitutione humana, cuiusmodi sunt, Hoc quenquam facere alij, quod sibi vult fieri, &
similiter negatiuè, prolis dilectio, & eius educatio, benefactorum retributio, violentiæ vio-
lenta repulsio, fidei seruatio, & similia; & sic frequenter & pœnè semper loquuntur Autores
& leges de iure naturali: Et cum isto iure naturali ex causa poterit dispensari; talia enim
naturalia secundum Philosophum 2. Physic. semper vel in maiori parte vno modo se habent,
sed quandoque & in minori parte deficiunt. Vnde Gratianus in Canone dist. 13. Aduersus
naturale ius nulla dispensatio admittitur, nisi fortè duo mala ita vrgeant, vt alterum eorum
necesse sit eligi: Hoc enim videtur vnum ius naturale, Nullum apparens malum esse eligen-
dum, cum quo dispensatur in casu, si necesse sit quenquam eligere apparens malum maius
vel minus, & hæc est epieikeia iuris naturalis, sicut alia similis est iuris positiui legalis vt pa-
tet 5. Eth. 16. Hoc autem secundo modo vel primo omne illud videtur ius seu iustum natu-
rale, ad quod est fortior ratio, cùm homo naturaliter habeat rationem pro regula sua natura- B
li; quare & ius naturale videtur, quod hanc sequatur; & horum opposita sunt prohibita, quia
mala, & non è contra. Adhuc autem est quoddam iustum à prima iustitiæ regula, non ne-
cessario sed libere deriuatum, quod neutro istorum modorum est naturale, ad quod scilicet
antequam statuatur, non est fortior ratio pro, quàm contra, & tale est ius merè positiuum &
Philosophus. legale. Vnde Philosophus 5. Eth. 12. Iustum legale est quod ex principio nihil differt sic
vel aliter; quando autem ponitur, differt, sicut si Dominus præcipiat subdito duorum omni-
no æqualium facere hoc quidem primo, illud autem secundo, tunc primò iustum est sic fieri,
& non aliter, & talia videntur omnia quæ in casu æqualitatis & indifferentiæ, sorte dirimi sta-
tuuntur, vel etiam permittuntur, cuiusmodi forsan fuit, non comedere de fructu ligni scientiæ
boni & mali; & simile his videtur quod est, infra decendium appellandum. Nam nulla ra-
tio magis cogebat ab initio ad 10. dies, quàm ad 11. vel ad 9. sed aliquis terminus fuit neces-
sarius, ideoque oportuit legislatorem congruum terminum definire. Et huiusmodi videntur C
omnia quæ ideo sunt mala, quia prohibita, non è contra; Et in talibus vera est illa Maxima
Iuristarum, Quod Principi placuit, legis habet vigorem, & Sic volo, sic iubeo, sit pro ratio-
ne voluntas; & similiter in quibusdam alijs, in quibus secundum veritatem est fortior ratio
pro, quàm contra; sed non constat omnibus ita esse. Ne igitur quilibet secundum phanta-
siam proprij capitis posset sibi fingere rationem, & sic facere sibi legem, ne fortassis vmbra
rationis sub specie veræ rationis subreperet; expedit quod omnia talia, quamuis secundum
veritatem sint per se rationabilia atque iusta, quia tamen pluribus dubia, legislatoris dis-
creto arbitrio serenentur, & eius Autoritate iusta decernantur & certa, sicque quod
Principi rationabiliter placuit statuendo, legis habet vigorem determinatum & certum, &
priùs non habuit nisi dubium & incertum: Et cum talibus legibus fit dispensatio, sicut in vtro-
que iure apparet. In talibus insuper epieikeia pluries locum habet 5. Ethic. 16. attestante. Præ-
terea est quædam iustitia obligans, quædam præponderans, quædam verò congruens, & con- D
comitans, sicut de ratione superiùs erat dictum: Per hæc autem & alia iam præmissa patet re-
sponsio ad omnia argumenta.

CAP. XXII.

Quod Deus habet volutionem vel nolutionem actualem distinctam contra obiectum quodlibet voluntatis.

COnsequens autem dictis videtur ostendere, quod diuina voluntas ha-
bet volutionem vel nolutionem actualem, propriam & distinctam circa E
quodcunque obiectum voluntatis bonum vel malum, verum vel fictum,
posibile vel imposibile, præsens, præteritum, & futurum. Hoc autem
quantum ad omnia talia quæ sunt posteriora voluntate diuina per cap.
decimum octauum ostendetur: Omnia namque talia scit complexè esse
talia, & hoc non potest nisi præuia voluntate per aliquem actum suum.
Item si non est ita, aliquod est obiectum circa quod Deus nō habet actum aliquem voluntatis,
& certum est quod potest habere; ergo ipse est in potentia, & quasi dormiens respectu talis
obiecti; quare & potest esse actualior, nobilior, & perfectior quàm sit modo. Modo ergo
non est actualisimus, nobilisimus, & perfectisimus, quod prima suppositio, & 3ª. pars co-
rollarij

A rollarij, primi vetant. Actus enim prior est potentia, definitione, perfectione, & tempore, sicut ex 9. Metaph. 13. & post constat; vbi dicit Auerroes comment. 16. Signum eius quod actus est, complementum & perfectio est, quoniam actus est operatio, & operatio est complementum, & perfectio operantis; & ideo actus in lingua Græca significat id, quod significat complementum & perfectio; * & comment. 17. dicit, quod primus motor est actus purus, in quo non est potentia omninò; & super 12. Metaph comm. 38. dicit, quòd illud, quod mouet primũ motum, cùm sit actus purus sine aliqua potentia, impossibile est vt habeat aliquam dispositionem ab ea quam habet. Item si in Deo esset potentia, illa esset bona, & omni tali potentia actus suus est melior & honorabilior, vt probatur 9. Metaph. 19. Item sicut intelligere in actu se habet ad intelligere in potentia; sic & velle, vel nolle in actu, ad velle vel nolle in potentia: sed intelligere in actu perfectius est quàm intelligere in potentia; quare & velle & nolle in actu, perfectius est quàm hæc in potentia; ergo per primam Suppositionem, & B tertiam partem Corollarij primi, ista tribuenda sunt Deo. Nonne 12. Metaph. 51. per hoc probat Philosophus, Deum intelligere in actu, non in potentia, sub his verbis, Si non intelligat, quid vtique erit insigne venerabile, sed habet quemadmodum [vt sit] dormiens; vbi Auerroes, Necesse est, si est Intellectus, vt semper sit alterum istorum duorum, aut secundum dispositionem, in qua sciens non vtitur sua scientia, aut in qua vtitur; si detur primum, est quasi dormiens, & non inuenitur in eo dispositio nobilis, & hoc est inconueniens. Item fœlicitas consistit in vsu, non in possessione; in operatione, non in habitu, sicut probat Philosophus 1. Eth. 12. per hoc quòd habitus potest inesse nullum bonum facienti, vt dormienti, sed operatio non; & idem habetur supra 5. & infra vlt. vbi & allegat dicentes, Nihil differre secundum dimidium vitæ fœlices à miseris; Deus autem est fœlicissimus, quare & actualissimus. Hoc autem totum patet expressius 10. Ethic. 12. vbi probat Philosophus quòd fœlicitas est operatio speculatiua, per hoc quòd dij sunt maximè beati & fœlices, & hoc operando non dormiendo, C & hæc operatio erit necessario speculatiua; vbi dicit Auerroes, Deus gloriosus, & Angeli, nobilioris sunt status & fœlicitatis, quàm cætera entia; Ideo actum habent: non decet enim vt sint dormientes. Nonne ideo Algazel 3. Metaph. sentent. 7ª dicit, quòd, In necesse esse nihil est in potentia, & Dionysius de diuinis nominibus 7° deducit ad hoc tanquam ad impossibile, quòd Deus vacat alicubi, sicut 15um huius pleniùs recitauit. Annon & Propheta Psal. 120 dicit de Domino, Ecce non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israelem, multum videlicet aut modicum otiando, ab opereue vacando? In beatitudine quoq; futura Angelorum & hominum, nulla erit otiositas, cessatio, neque vacatio intellectus, aut etiam voluntatis, sicut tam rationes quàm Autoritates nos docent, sed actualis & perfecta operatio vtriusque iugiter perseuerans: quomodo ergo de Deo tunc, & nunc, & semper beatiori incomparabiliter infinitè, non similiter æstimandum? Item talis dispositio in intellectu, voluntateue nostra habet quandam indifferentiam, potentialitatem, & imperfectionem annexam; quare & in Deo D similiter: Non est ergo ponenda in eo teste prima Suppositione, & tertia parte Corollarij primi huius: & propter istam rationem, Iohannes super 1. sent. dist. 39. qu. 2. sententiam istam tenet; Dicit enim quòd Libertas voluntatis nostræ, quæ est indifferens ad actus oppositos, habet necessariò aliquam imperfectionem annexam, quia potentialitatem passiuam, & mutabilitatem, & ideo talis libertas non est ponenda in Deo. Item Deus circa quodcunq; obiectum habet memoriam, & Intelligentiam, sicut ex capit. 6° patet. Si ergo circa aliquod obiectum non habet aliquem actum voluntatis, memoria, intelligentia, & voluntas erunt inæquales in Deo, cùm tamen in nobis sint æquales, sicut 10i de Trin. penult. & 25i. 23° declaratur. Videretur etiam quædam inæqualitas in diuinis personis, quibus hæc appropriantur à Patribus orthodoxis Nonne etiam si sic esset, aliqua potentiarum illarum non esset summè perfecta, contra tertiam partem, & quartam Corollarij primi huius? Amplius autem, si Deus circa certum voluntatis obiectum nullum actum haberet, & potest habere, videtur quod possit aliquo E modo mutari contra quintum istius, sicut si nullum actum intellectus nec voluntatis haberet circa aliquod obiectum omnino, & posset habere circa quodcunque, & poneretur in esse, videretur mutatus: Sic etenim est è contra; quoniam si ab omni actu tali cessaret, appareret in aliquo transmutatus. Adhuc autem nisi Deus de necessitate haberet aliquem actum voluntatis circa quodcunque eius obiectum, posset nullum actum voluntatis habere circa Antichristum, neque vt foret, neque vt non foret; quare &, vt videtur secundum 14° huius præmissa, Antichristus neque esset futurus, neque non esset futurus, & ita de alijs contradictorijs posterioribus vniuersis. Item si non derogaret in aliquo perfectioni voluntatis diuinæ, circa vnum obiectum nullum actũ habere, ita nec circa aliud, & alia vniuersa. Item tunc eadem ratione intellectui diuino non repugnabit in aliquo circa vnũ obiectũ, nullũ actum cognitionis habere, nec circa

Auerroes. | * operantis. | *Philosophus* | *Auerroes.* | *Philosophus.* | *Auerroes.* | *Algazel.* | *Dionysius.* | *Propheta.* | *Iohannes Scotus.*

circa aliud,& ſic de ſingulis ſingillatim & omnibus pariter; quare nō derogaret ſuę perfectioni in aliquo, quòd ſemper eſſet tanquā dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino. Fortaſſis autem nequaquam opinandum videtur, quòd Deus ex cognitione, ſeu volutione obiectorum,aliquam perfectionem acquirat; ſed quia eſt ſummè perfectus, ideo tales perfectas operationes producit; ſicut non ideo Sol eſt perfectius lucidus, nec lux eius perfectior, quia perfectè illuminat medium, ſed quia eſt perfectè lucidus, & lux eius perfecta, ideo perfectè illuminat; ſi tamen iſtæ operationes perfectæ ſubtrahentur à Deo, Deus eſſet imperfectior,non propter ſubtractionem alicuius perfectionis ſibi acquiſitę per illas,ſed propter ſubtractionem potentiarum perfectarum, ſummæ actualitatis, & ſuæ omnipotentiæ, à quibus vel à qua operationes iſtæ procedunt; ſicut ſi illuminatio medij diſpoſiti non fieret à Sole,Sol eſſet imperfectior, non propter ſubtractionem alicuius perfectionis quam acquiſiuit ex illuminatione, ſed per ſubtractionem lucis illius,per quam illuminare deberet. Nec ex hoc ſequitur aliqua abſurda neceſſitas in voluntate diuina, ſicut nec in eius Intellectu, ſed virtus,efficacia, actualitas,& bonitas infinita, quæ nec vult, nec poteſt imperfici, otiari, nec in minimo dormitare; ſicut etiam eandem voluntatem nulla ſequitur indigna neceſſitas, ſi immutabiliter amet & velit eſſentiam diuinam, perſonas, Chriſtum,& promiſſam gloriam ſaluandorum futuram, & præteritam ſaluatorum; ſed ſuperdigna ſtabilitas, & liberrima communicatio bonitatis.

COROLLARIVM.

1. *Et habet Corollarium, quod Deus vult omne verum, & non vult poſitiue, ſed reſpuit omne falſum.*

2. *Quod ſi Deus vult aliquod antecedens, vult quodlibet eius conſequens, & non vult poſitiue omne ſibi repugnans.*

3. *Quod quorumlibet repugnantium vnius habet velle, alterius vero nolle.*

4. *Quod ad Deum velle quodcunque, conſequitur ipſum nolle eius oppoſitum; & è contra.* C

5. *Quod ad Deum non velle quodcunque affirmatiue vel negatiue ſignificatum, conſequitur ipſum oppoſitum eius velle.*

6. *Quod ad Deum non nolle quodcunque, conſequitur ipſum oppoſitum eius nolle.*

7. *Quod ad Deum nolle poſitiuè quodcunque conſequitur ipſum nolle idem etiam priuatiuè, & ſimiliter è conuerſo.*

8. *Quod quicquid qualitercunque eſt, Deus vult illud ſic eſſe, & quicquid qualitercunque non eſt, Deus non vult illud ſic eſſe.*

EX his autem & alia quædam abſcondita, digniſſima tamen viſu lucidè conſequuntur.
1. Primò, quòd Deus vult omne verum, & non vult poſitiuè ſeu reſpuit omne falſum. Se- D
2. cundò ſi Deus velit aliquod antecedens, vult quodlibet eius conſequens, & non vult poſitiuè
3. omne ſibi repugnans. Tertio, quòd quorumlibet repugnantium ſeu incompoſſibilium vnius habet Deus velle, alterius verò nolle. Quartò quòd ad Deum velle quodcunque, conſe-
4. quitur ipſum nolle eius oppoſitum, & è contra. Quintò, quòd ad Deum non velle quodcun-
5. que affirmatiuè vel negatiuè ſignificatum, puta A eſſe, vel A non eſſe, conſequitur ipſum
6. oppoſitum eius velle. Sexto, quòd ad Deum non nolle quodcunque affirmatiuè vel nega-
7. tiuè prolatum, conſequitur ipſum oppoſitum eius nolle. Septimò, quòd ad Deum nolle poſitiuè quodcunque, conſequitur ipſum nolle idem etiam priuatiuè, & ſimiliter è contrario.
8. Octauo, quòd quicquid qualitercunque eſt præſens, præteritum, vel futurum, verum vel falſum, poſſibile vel impoſſibile, neceſſarium vel contingens, Deus vult illud ſic eſſe; Et quicquid qualitercunque non eſt, Deus non vult illud ſic eſſe. Prima pars Corollarij huius conſequitur manifeſtè; Si enim, vt docet Capitulum, Deus habet aliquem actum voluntatis circa verum quodcunque, & circa nullum verum habet actum nolendi, quia tunc per 10. huius illud non eſſet verum; Non enim ita eſſet realiter ſicut ſignificat; habet ergo circa verum quodcunque actum volendi. Altera verò particula huius partis ſimili modo patet; Si namque docente Capitulo, Deus habet actum voluntatis circa quodcunque falſum, & circa nullum falſum, ſcilicet rem falſo ſignificatam, habet actum volendi, quia tunc per 10. huius realiter & veraciter ita eſſet. Circa falſum ergo quodcunque habet Deus actum nolendi, nolutionem ſcilicet quod ſit ita realiter ſicut ſignificat. Secunda pars Corollarij ſequitur ex priori,& partes huius ſecundæ correſpondenter ex partibus huius primæ, duabus notiſſimis maximis coaſſumptis, Si antecedens eſt verum, & conſequens; Et omne repugnans vero eſt falſum. E

Tertia

A Tertia pars euidenter sequitur ex prima, cum hac regula logicali; Omnium repugnantium, & incompossibilium vnum est verum, alterum verò falsum. Quarta sequitur ex tertia manifestè, hoc vero notorio suffragante, Deus nihil simul vult & non vult; Quinta, & sexta per tertiam demonstrantur. Prima pars septimæ huius patet ex illo notorio in ostensione quartæ partis præmisso; falsa verò pars eius plenariè sequitur ex tertia parte huius. Octaua patet ex prima, quia partes correspondenter ex partibus: Quicquid enim qualitercunque est, verum est sic esse. Quare per primam primæ, Deus vult illud sic esse: & quicquid qualitercunque non est, falsum est illud sic esse; quare per 2. primæ Deus non vult illud sic esse.

CAP. XXIII.

B *Quòd tam scientia Dei quàm eius voluntas immutabilis est omninò.*

Post hæc autem reputo demonstrandum, quòd tam scientia Dei, quàm eius voluntas immutabilis sit omninò: Si enim hæc mutaretur vel illa, commutaretur necessariò ipse Deus, contra 5. cap. iam præmissum. Hoc etiam per rationes & autoritates illius capituli potest sufficienter ostendi, & ex abundanti per alias confirmari: Si namque scientia Dei aliquoties mutaretur, hoc maximè videretur circa futura, cùm fiunt pręsentia, & sic in pręteritum dilabuntur; sed hoc non est verum, quoniam ista nullo modo sunt causa diuinę scientię; sed è contra, sicut superius est ostensum; quare semper eodem modo, nec quomodolibet aliter
C intrinsecè hęc cognoscit. Quare & Auicenna 8. Metaph. 6. & Algazel 3. Metaph. 1. Sent. 6. ostendunt Deum non sic scire singularia seu particularia, primò futura, secundò pręsentia, tertiòq; præterita, quod secundum mutationem eorum aliquo modo mutetur; sed semper similiter, nec vnquam aliter vllo modo. Quapropter & idem Aui. 9. Met. 1. dicit; Necesse esse per hoc est, necesse esse omnibus suis modis, quia non potest esse ei aliqua dispositio futura, quæ non erat. Quamobrem & Ammonius super 1. perihermenias vlt. Dij, inquit, verè existunt, & transmutationem neque secundum intellectum sustinere est possibile. Et infra; Cognoscere, inquit, contingentia, ipsorum scilicet deorum natura est: propter quod hæc quidem indeterminatam habentia naturam, posse quidem & euenire, & non euenire; illos autem velut modo nobiliori, quam sit ipsorum natura, cognitionem illorum pręaccipientes, determinatè & hæc scire. Etenim res partibiles impartibiliter, & indistanter cognoscere ipsos est necessarium, & plurificata vnitiuè, & temporalia æternaliter, & generabilia ingenerabiliter.
D Non enim vtique sustinebimus, quòd dicatur simul cum fluxu rerum cognitionem deorum decurrere, neque esse aliquid apud ipsos aut præteritum, aut futurum, neque dici de ipsis, erat, vel erit, vt in Timęo assumpsimus, cùm sint significatiua cuiusdam transmutationis; solum autem ipsum est, & hoc non ipsum quod connumeratur cum ipso erat, & cùm erit, & cōdiuiditur cum ipsis; sed quod intelligitur ante omnem temporalem insinuationem, & quod significat ipsorum inuertibilitatem, & indecidentiam; quod quidem & magnus Parmenides omni intellectuali in esse denuntiat: Non enim erat, neq; erit; est autem solùm. Cui & concordanter Boetius 5. de Consol. Phil. pros. vlt. scribit ita; Omne iudicium secundum sui naturam, quæ sibi subiecta sunt, comprehendit; est autem Deo semper æternus, ac præsentarius status; scientia quoque eius, omnis temporis supergressa motionem, in suæ manet simplicitate pręsentiæ; infinita quoque præteriti ac futuri spacia complectens,
E omnia quasi iam geruntur, in sua simplici cognitione considerat. Itaque si præsentiam pensare velis, qua cuncta dignoscit, non esse ‖ *præsentiam* quasi futuri, sed scientiam nunquam deficientis instantię, rectius æstimabis. Hoc idem etiam volunt concorditer omnes Philosophi & Theologi de ęternitate loquentes, & de actionibus intrinsecis Dei æternis, æternitate non tempore mensuratis. Amplius autem Ecclesiast. 23. Domino, inquit, Deo antequam crearentur omnia sunt agnita, sic & post perfectum respicit omnia. Quod tractans beatus Aug. 15. de Trinit. 13. dicit ita; Vniuersas creaturas, non quia sunt, ideo nouit, sed ideo sunt, quia nouit; nec aliter sciuit creata quàm creanda; non enim eius sapientię aliquid accessit ex eis, sed illis existentibus sicut oportebat, & quando oportebat, ille mansit vt erat. Ita enim scriptum est in libro Ecclesiastico; Antequam crearentur, omnia nota sunt ei, sic & postquam consummata sunt, sic

Auicē. Algaz. *Ammonius.* *Boetius.* ‖ *præscientiam* *Eccl si. 23.* *Augustinus.*

Dionysius. *Augustinus* sic inquit, non aliter. Eandem quoque sententiam roborat Dionysius de diuinis nominibus, 7. sicut 15. recitauit. Adhuc autem & Aug. 6. de Trin. vlt. scribit ita; Cùm decedant, & succedant tẽpora, non decedit vel succedit scientia Dei. Nõ enim hęc quę creata sunt, ideo sciuntur à Deo quia facta sunt, ac non potius ideo facta sunt vel mutabilia, quia immutabiliter ab eo sciuntur. Idem de quæst. Orosij 22. Deus omnia ab æterno, stabilito consilio suo, quæ voluit, fecit, nec aliter facta, aliter facienda vidit; Eodem itaque modo videt facta, quo viderat facienda. Idem 5. super Gen. ad literam 18. Quomodo, inquit, nota Deo erant, quæ non erant? & rursus, Quomodo ea faceret quæ sibi nota non erant? Non enim quicquam fecit ignorans. Nota ergo fecit, non facta cognouit. Proinde antequam fierent, & erant, & non erant; Erant in Dei scientia, non erant in sua natura; Et infra, Ipsi autem Deo non audeo dicere alio modo innotuisse, cum ea fecisset, quàm illo quo ea nouerat vt faceret, apud quem *Augustinus.* non est commutatio nec momenti obumbratio. Idem 11. de Ciuit. Dei 21. Quid aliud intelligendum in eo quod per omnia dicitur, vidit Deus quia bonum est, nisi operis approbatio secundum artem facti, quæ sapientia Dei est; Deus autem vsq; adeo non cùm factum est, tunc didicit bonum, vt nihil eorum fieret, si ei fuisset incognitum. Dum ergo videt; quia bonum est, quod nisi vidisset antequam fieret, non vtique fieret, docet bonum esse, non discit; & Plato quidem plus ausus est dicere, Deum scilicet elatum gaudio mundi vniuersitate perfecta; vbi & ipse, Non vsq; adeo desipiebat, vt putaret Deum sui operis nouitate factum beatiorem, sed sic ostendere voluit artifici suo placuisse iam factum, quod placuerat in arte faciendum; non quod vllo modo Dei scientia varietur, vt aliud in eo faciunt quæ nondum sunt, aliud quæ iam sunt, aliud quæ fuerunt. Non enim more nostro ille quod futurum est prospicit, vel quod præsens est aspicit, vel quod præteritum est respicit, sed alio modo quodam à nostrarum cogitationum consuetudine longe alteq; diuerso. Ille quippe non ex hoc in illud cogitatione mutata, sed omnino incommutabiliter videt, ita vt illa quidem quę temporaliter fiunt, & futura nondum sint, & præsentia iam sint, & præsentia iam non sint. Ipse verò hæc omnia stabili ac sempiterna præsentia comprehendat, nec aliter oculis, aliter mente; Non enim ex animo constat & corpore, nec aliter nunc, aliter antea, & aliter postea, quoniam non, sicut nostra, ita eius quoq; scientia trium temporum, præsentis videlicet & præteriti, vel futuri varietate mutatur, apud quem non est immutatio, nec momenti obumbratio. Neq; enim eius intentio de cogitatioue in cogitationem transit, in cuius incorporeo contuitu simul assunt cuncta quæ nouit. Idem super illud Psalmi 138. Mirabilis facta est scientia tua ex me, dicit, quod Deus loquebatur ad Mosem per aliquam creaturam corporalem assumptam, non quomodo loquitur in substantia sua: Quomodo enim loquitur in substantia sua? Locutio Dei, verbum Dei est; verbum Dei Christus est; verbum illud non sonat & transit, sed semper incommutabiliter manet verbum, per quod omnia facta sunt, Cui verbo dicitur (Ipsa est enim & sapientia Dei) Mutabis ea, & mutabuntur, Tu autem idem ipse es; Et alio loco de Sapientia cùm scriptura diceret, In seipsa manens, ait, Innouat omnia; Illa ergo sapientia stans, si dici debeat vel stans; dicitur autem propter incommutabilitatem, non propter immobilitatem, & eodem modo se semper habens, nullo loco, nullo tempore variata, nusquam aliter quàm hic aut ibi; nunquam aliter quàm nunc aut antea, Ipsa est locutio Dei. Idem 4. de Trinit. 1. vnum est verbum Dei per quod facta sunt omnia, quod est incommutabilis veritas; Ibi principaliter atque incommutabiliter sunt omnia simul, non solum quæ nunc sunt in hac vniuersa creatura, verumetiam quæ fuerunt, & quæ facta sunt. Ibi autem nec fuerunt, nec futura sunt, sed tantummodo sunt, & omnia vita sunt, & omnia vnum sunt, & quod magis mirum est, & vna est vita, sic enim omnia per ipsum facta sunt, vt quicquid factum est in his in illo vita sit, & facta non sit. Ampliùs si scientia Dei esset mutabilis, esset & aliquo modo mortalis, vt patet ex 5°. huius præmissis; Quomodo ergo dicente Apostolo, Solus habet immortalitatem 1. ad Timoth. vlt. quomodo etiam alio Apostolo, & Euangelista docente; Quod factum est in ipso, vita erat Io. 1. qualis vita? mortalis? quis mortalium ita dicet? Nonne & hoc videtur contra Aug. proximo recitatum? qui & 1. Confess. 6. Tu Domine semper viuis, & nihil moritur in te, quoniam ante primordia sæculorum, & ante omnia quod ante dici potest, tu es; & Dominus meus es, Dominusque omnium quæ creasti; & apud te rerum omnium instabilium stant causæ, & rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines, & omnium irrationabilium & temporalium sempiternæ viuunt rationes. Et infra 12ⁱ. libri 10°. Tu æternus es habens immortalitatem, quoniam ex nulla specie || *motus* mutaris, nec temporibus variatur voluntas tua, quia non est immortalis volũtas quæ alia atq; alia est. Vnde & sumitur 183ª. propositio sententiarũ Prosperi, quæ sic dicit, Vera æternitas Dei est, qui solus habet immortalitatem, quoniam ex nulla specie || *motus* mutatur, nec temporalis est voluntatis. Non enim immortalis est volun-

|| motiuè

|| motiuè

A voluntas quæ alia & alia est; Cur ergo non similiter de scientia sentiendum? Imò audi ipsummet super Ioan. Homilia 23. partis primæ dicentem, Transi omnem mutabilem spiritum, transi spiritum qui modo scit, modo nescit, modo meminit & obliuiscitur, vult quod nolebat, non vult quod volebat, siue patiatur iam istas mutabilitates, siue pati, possit; transi hæc omnia. Non enim inuenis in Deo aliquid mutabilitatis, non aliquid quod aliter nunc sit, aliter paulò ante fuerit: Nam vbi inuenis aliter & aliter, facta est ibi quædam mors; Mors enim est non esse quod fuit. Istam quoque sententiam confirmat Gregorius 18. Moral. 31. sicut ex quinto huius apparet. Ex his autem arbitror immutabilitatem diuinæ scientiæ apparere, qua concessa, quis immutabilitatem diuinæ voluntatis negabit? Nonne similis ratio est hinc inde? Nonne & quædam Autoritates præmissæ ipsam clarè testantur? Amplius autem si voluntas Dei esset mutabilis, & alternabilis successiuè, possibile esset aliquem incipere esse saluandum, & aliquid esse futurum, & similiter desinere absque positione in esse.
B Ponatur enim quod Deus heri noluit positiue Petrum esse saluandum, & *A* esse futurum, sed quòd voluit oppositum, & quòd hodiè velit vtrumque; tunc per decimum heri Petrus non fuit saluandus, nec *A* futurum, & hodiè est saluandus, & *A* futurum, quod est impossibile manifestum. Et idem potest argui de desitione prædicta, supponendo opposita præmissorum. Item si voluntas Dei esset mutabilis, ipse nesciret certè futura contingentia: Non enim potest certitudinaliter illa scire nisi per aliquod certum, sicut decimo octauo est ostensum; nec Deus scit futura contingentia nisi per voluntatem suam, & si illa sit alternabilis successiue, ipsa est incerta, sicut voluntas humana. Nam sicut nescio nunc quòd cras scribam, per hoc quod nunc volo cras scribere, quia voluntas mea medio tempore potest mutari; Ita videtur quòd Deus nunc nesciat quòd Antichristus erit, per hoc, quòd nunc vult eum fore, si voluntas eius posset similiter alternari. Hoc enim dato, non sequitur, Deus nunc vult Antichristum fore in *A* tempore vel instanti, ergo Antichristus tunc erit. Potest enim post præ-
C sens velle, ante *A*, habere nolle vel non velle respectu illius, & continuare illud vsque ad *A*, & semper; quod si ponatur in esse, sequitur veritas antecedentis, & oppositi consequentis. Hoc etiam Autoritates sacræ testantur: vnde Psalmo 32. Consilium autem Domini in æternum manet, Cogitationes cordis eius in generatione & generationem. Glossa, *id est*, non sunt mutabiles, sed æternæ, & prædestinatio eius immutabilis est, in qua omnia reposita sunt. Et sumitur hæc Glossa ab Augustino super eundem locum Psalmi tractatu 1. dicente, Cogitationes sapientiæ eius non sunt mutabiles, sed manentes in sæculum sæculi. Simile est illud Psalmi 116. Veritas Domini manet in æternum: & illud Psalmi 118. Initio cognoui de testimonijs tuis, quia in æternum fundasti ea; & illud Apostoli 2. ad Timoth. 2. Firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc, Nouit Dominus qui sunt eius. Et ad Hebr. 6. Volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interponit iusiurandum: Et Esaiæ 46. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet: & Ierem. 31. In charitate per-
D petua dilexi te, ideò attraxi te, miserans; In charitate, inquit, perpetua, non nouella. Hoc idem expresè dicit Augustinus 3. de Trinit. 2. exponens illud Psalmi 121. Ierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum; per Idipsum, inquit, hoc loco, illud summum & incommutabile bonum intelligitur, quod Deus est, atque sapientia voluntasque ipsius, cui cantatur in alio loco, Mutabis ea, & mutabuntur, tu autem idem ipse es: & cap. 3. quòd omnium visibilium, & " *inuisibilium* factorum causa est inuisibilis, & incommutabilis voluntas Dei. Et cap. 4. Deus vtitur omnibus siue incorporeis, siue corporeis rebus, siue rationalibus siue irrationalibus, siue bonis siue malis, ad incommutabile arbitrium sententiæ suæ. Et Enchirid. 75. loquens de Tyrijs, & Sidonijs, quos Deus noluit saluos fieri, dicit, quòd in resurrectione in clarissima luce sapientiæ videbitur, quod nunc piorum fides habet, quàm certa & immutabilis, & efficacissima sit voluntas Dei. Et 83. quæst. 27. Lex Dei incommutabilis manet, & omnia mutabilia pulcherrima gubernatione moderatur. Et 1. de libero arbitrio 13.
E Lex illa quæ summa ratio nominatur, qua lex temporalis fertur & mutatur, est incommutabilis in tantum, quod ipsa variari non poterit vllo modo. Quod & sententiæ Prosperi contestantur, quas ideo libenter allego, quia quoties eas allego, duos testes omni exceptione maiores adduco, Augustinum scilicet & Prosperum Aquitanicum, qui velut apes argutula sugens medullas de floribus operum Augustini in aluearí sententiarum istarum, in fauos mellifluos componebat. Harum igitur sententiarum propositio 342ª sic dicit; Lex omnium artium cùm sit omnino incommutabilis, satis apparet supra mentem nostram esse legem quæ veritas dicitur. Nam hæc est illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis Artificis: & propositione 42. Mutabilium dispositionem immutabilis ratio continet: & 169. Cogitatio & recognitio Dei mutandarum rerum est incommutabilis

Psalmus.
Glossa.
" prima.
Augustinus.
Apostolus.
Esaias.
Ieremias.
Augustinus
" mutabilium.

mutabilis ratio. Neque enim sicut hominem ita Deum, cuiusquam facti sui pœnitet, cuius de A
omnibus omnino rebus tam fixa est sententia, quam certa præscientia. Et propositione 158.
Quod in operibus prius dicitur aut posterius, nō ad facientē, sed ad facta referendū est; Aeterna enim est, & incōmutabilis voluntas eius, nec consilio alternatim variatur, in qua simul est
Augustinus. quicquid in rebus creandis, vel ordinandis, aut præcessit aut sequitur. Item Aug. 5 de Trin. vlt. Deus autem, absit, vt aliquem temporaliter diligat quasi noua dilectione quæ in ipso ante non erat, apud quem nec præterita transierunt, & futura iam facta sunt. Itaque omnes Sanctos suos ante mundi constitutionem dilexit, sicut prædestinauit; sed cum conuertuntur ad illum, tunc incipere ab eo diligi dicuntur, vt eo modo dicatur, quo potest humano affectu capi quod dicitur. Sic etiam cum iratus malis dicitur & placidus bonis, illi mutantur, non ipse, sicut lux infirmis oculis aspera, firmis lenis est, ipsorum scilicet mutatione, non sua. Idem 15. de Trin. 20. recitat dialecticam Eunomij Hæretici deridendam, qui posuit vnigenitum Dei verbum non esse filium naturæ, sed voluntatis, accidentem scilicet Deo volens asserere voluntatem, qua gigneret filium; videlicet ideo, quia nos aliquid aliquando volumus, quod ante non volebamus; quem redarguit statim dicens, Quasi non propter ista mutabilis intelligatur nostra natura, quod absit, vt in Deo esse credamus. Non enim ob aliud scriptum est, multæ cogitationes in corde viri, Consilium autem Domini manet in æternum, nisi vt intelligamus siue
*omne credamus, sicut æternum Deum, ita æternum * eius esse Consilium, ac per hoc immutabile, sicut ipse est. Quod autem de cogitationibus, hoc etiam de voluntatibus verissimè dici potest. Multæ voluntates in corde viri, voluntas autem Domini manet in æternum. Hoc idem dicitur ab eodem multo diffusius 22. de Ciuit. Dei 2. distinguendo de voluntate Dei. Accipitur enim quandoque pro effectu voluntatis diuinæ, & sic est mutabilis, quandoque verò pro illa sua voluntate, quæ est sempiterna cum eius præscientia, & sic nunquam habet nouam voluntatem, sed semper eandem quæ immutabilis perseuerat. Hoc idem ostendit multum diffusè supra 12. 17. & 14. Idem 8. super Gen. ad literam 17. de diuina prouidentia loquens, dicit, C
Deus omnipotens, & omnia tenens, incommutabili æternitate, veritate, & voluntate, semper idem non per tempus, nec per locum motus, mouet creaturas per locum & tempus. Idem patet per eundem 5. de Ciuit. Dei 9. & alijs locis, & libris non paucis; & per Anselmum de Con-
Gregorius. cordia 3. & 4. & 2. Cur Deus homo 17. alibique frequenter. Dicitque beatus Gregorius 26. Moral. 4. Omnipotens Deus etsi plerunque mutat sententiam, consilium nunquam. Et
Esaias. idem habetur in Glossa Esai. 38. vbi tractat de adiectione 15. annorum ad vitam Ezechiæ.
Glossa. Adhuc autem audi Augustinum vtramque simul sententiam egregiè confirmantem 12. Con-
Augustinus. fess. 15. sic dicendo, Veritas mihi dicit de vera æternitate creatoris, quòd nequaquam eius substantia per tempora varietur, nec eius voluntas extra substantiā sit; vndè non eum modo velle hoc, modo velle illud, sed simul & semel, & semper velle omnia quæ vult, non iterum & iterum, neque nunc ista, nunc illa, nec velle quod nolebat, aut nolle quod volebat, quia talis voluntas mutabilis est, & nullum mutabile est æternum, Deus autem noster est æternus. Item D
quod mihi dicit in aure interiore, expectatio rerum venturarum fit contuitus cum venerint, idemq; contuitus fit memoria, cum præterierint. Omnis porrò intentio quæ ita variatur mutabilis est, & omne mutabile æternum non est, Deus autem noster æternus est. Hæc colligo atq; coniungo, & inuenio Deum meum, Deum æternum non aliqua noua voluntate condidisse creaturam, nec scientiam eius aliquid transitorium pati. Has quoque ambas sententias, de scientia, & voluntate Dei prædictas Ansel. Cant. Rob. Lincolniensis, Hugo de S. Victore, P. Lumbardus, alijque Doctores non pauci vnanimiter contestantur: Imponitur quoque Aegyptijs tanquam error, quod ipsi putabant voluntatem diuinam posse per sacrificia immutari.

B (margin, beside "bum non esse filium naturæ...")

COROLLARIVM.

1. *Et habet Corollarium, quod Deus nullum nouiter diligit neque odit;*
2. *Nec magis aut minus vna vice quam alia;*
3. *Nec preces aut quæcunque merita bona vel mala flectant aut mutant voluntatem diuinam in minimo huc vel illuc:* E
4. *Et quod omne saluandum aut damnandum, præmiandum vel puniendum sub quocunque gradu, voluit ab æterno saluari vel damnari; præmiarj similiter vel puniri sub eodem gradu præcise; & hoc nedum voluntate Conditionali, aut indeterminata, sed ita absoluta & determinata, sicut vult in præsenti vel finali iudicio, aut post volet.*

1. 2. 3. VNde sequitur manifestè, quòd Deus nullum nouiter diligit neque odit; nec magis aut minus vna vice, quam alia: nec preces aut quæcunque merita bona vel mala flectunt aut

A aut mutant voluntatem diuinam in minimo huc aut illuc; & quod omnem saluandum aut damnandum, præmiandum vel puniendum sub quocunque gradu, voluit ab æterno saluari, vel damnari, præmiari similiter vel puniri, sub eodem gradu præcisè, & hoc nedum voluntate conditionali aut indeterminata, sed ita absoluta & determinata, sicut vult in præsenti, vel in finali iudicio, aut post volet. Hoc autem totum ex præcedentibus sequitur manifestè. Sed ne in tam sublimi materia ex phantasmate capitis mei, tantillum videar somniare, Maiorum meorum testimonijs & rationibus hoc ostendam. Prima igitur pars huius & secunda patent per illud Apostoli ad Ephes. 1. Elegit nos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate secundum propositum voluntatis suæ; & ad Romanos 9. Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid egissent boni aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, dictum est, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est; Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Hoc idem patet per Petrum Lumbardum 3. Sent. dist. 32. & per testimonia quæ adducit. Tertia autem pars eius sequitur ex prioribus euidenter, potestque proba- 4. *Apostolus.* *Lumbardus.*

B ri per responsionem saluatoris filijs Zebedæi, adorante matre eorum, & petente quatenus diceret, vt sederent, vnus ad dextram, & vnus ad sinistram in regno suo, qui sic illis respondit; Sedere ad dextram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à * Patre, Mat. 20. Si tamen hoc possent preces & merita impetrare, ipse posset hoc dare. Hoc etiam patet per responsionem Samuelis, quam dedit Sauli; cùm enim dixisset sibi Samuel; Pro eo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Deus, ne sis Rex, rogauit eum Saul, vt portaret peccatum suum, reuerteretur que cum eo, vt Dominum adoraret qui recusans respondit; Triumphator in Israel, non parcet, & pœnitudine non flectetur; Neque enim homo est vt agat pœnitentiam, 1. Reg. 15. Cùmque Samuel lugeret Saulem, increpans eum Dominus, dixit ei; Vsquequo tu luges Saulem, cùm ego proiecerim eum, ne regnet super Israel? infra 16. Simile est illud Ierem. 7. Proijciam vos a facie mea, tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem vel orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te. Et infra, eodem, 11 *Mat. 20.* *meo *1. Reg. 15.* *Ierem. 7.*

C præcepit illud idem: vbi Glossa; Præcipitur Prophetæ ne pro eis oret in quos est consummata sententia, ne videatur oratio eius infirma, & meritò non exaudita. Ne assumas pro eis laudem, quasi ne replicando historiæ veteris clementiam, qua misereri soleo, & laudando meam nitaris mutare sententiã. Et infra 14. Post confessionem multiplicem peccatorum, & deuotã orationem Ieremiæ, Dominus dixit ei; Noli orare pro populo isto in bonum; cùm ieiunauerint non exaudiam preces eorum, & si obtulerint holocausta & victimas non suscipiam ea quoniam gladio, & fame, & peste consumam eos. Nonne & hoc est quod Dominus planè docet Ezec. 14 per Noe, Danielem, & Iob, qui etsi fuerint in medio populi peccatoris, cui Dominus supplicia prædicebat, non liberarent filios, neque filias, sed se solos. Quare & Gregorius sicut recitatur in Canone 23. q. 4. Cum superna: sic ait; Cùm indignatio sese, vt ita dixerim, medullitus mouet, hanc opinio humana non remouet, nec se cuiuslibet vtiliter deprecatio obijcit, cùm semel Deus aliquid ab intimis irascendo disponit. Quibus concordat Aug. 21. de Ciu. Dei *Ezech. 14* *Gregorius.* *Augustinus.*

D 24. sic dicens; Si de aliquibus ita certa esset Ecclesia, vt qui sint illi etiam nosset, qui licèt adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quàm nec pro ipso. Simile etiam est illud Apostoli ad Hebr. 12. Esau cupiens hæreditare benedictionem reprobatus est. Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam: Gen. 27. scribitur, quòd eiulatu magno fleuit. Simile quoq; est illud Num. 23. Non est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur; dixit ergo, & non faciet? locutus est, & non implebit? Cui consonat illud 2. ad Tim. 2. Ille fidelis permanet, seipsum negare non potest: Glossa; Ille, scilicet Christus, permanet fidelis in dictis suis, & verè fidelis quia non potest negare seipsum, qui est veritas; quod faceret, si dicta sua non impleret. Et ne hoc videretur libertati voluntatis diuinæ in aliquo derogare, statim subiungit; Hoc autem quòd seipsum negare non potest, laus est voluntatis diuinæ; & est Augustini ho- *Apostolus.* *Gen. 27.* *Num. 23.* *Apostolus.* *Glossa.* *Augustinus.*

E mil. 53. 1. partis super Iohan. qui etiam 15. de Trin. 14. Verbum inquit, Dei falsum habere aliquid nunquã potest, quia immutabiliter sic se habet, vt se habet de quo est. Non enim potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Potenter hoc non potest; Nec est infirmitas ista sed firmitas, quia falsa esse non potest veritas. Hæc etiam pars 3. patet per beatum Greg. 1. dial 21. & allegatur in Canone 23. q. 4. Obtineri, dicentem; Obtineri nequaquam possunt quæ prædestinata non sunt, sed ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt precibus eorum obtineantur. Nam ipsa quoque perennis regni prædestinatio, ita est à Deo disposita, vt ad hoc electi ex labore perueniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit dare. Cui & concordat Aug. 10. de Ciu. Dei 12. ita dicens; Incommutabile consilium penes ipsum est, in cuius dispositione *Gregorius.* *Augustinus.*

iam tempora facta sunt, quęcunq; futura sunt. Nam temporalia mouens temporaliter non mouetur, nec aliter nouit faciẽda quàm facta, nec aliter inuocantes exaudit, quàm inuocaturos videt. Nam & cùm exaudiunt angeli eius, ipse in eis exaudit tanquã in vero non manufacto templo suo, sicut in humilibus sanctis suis, eiusque temporaliter fiunt iussa æterna eius lege conspecta. Qui & supra 5ⁱ. 9°. sic scribit, Non sunt frustra leges, obiurgationes, exhortationes, laudes, & vituperationes, quia & ipsas futuras esse præsciuit Deus, & preces valent ad ea impetranda, quæ se precantibus concessurum esse præsciuit. Et infra 21ⁱ. 24°. sic ait, Ecclesia orat pro omnibus hominibus, nec tamen pro omnibus exauditur, sed pro his solis, qui etsi aduersantur Ecclesiæ, ita sunt tamen prædestinati, vt pro eis exaudiatur. 15°. quoque de Trinit. 13°. vult hoc idem. Item si voluntas Dei posit per aliquas preces mutari, liceret, & pium esset orare pro Angelis, hominibusque damnatis, contra Augustinum 21. de Ciuit. Dei 24. planè, & contra fidem Ecclesiæ generalem. Item si sic, hoc maximè videretur per preces dignissimas sanctisimæ matris suæ, sanctorum Angelorum, & animarum sanctarum; sed isti nihil audent velle, nec petere, neque possunt, nisi quod viderint Deum velle. Vnde Petrus Lumbardus 3. sentent. dist. 31. Qui, inquit, in patria sunt, adeo iustitiæ Dei addicti sunt, vt nihil eis placeat, nisi quod Deo placeat, ac per hoc illorum tantum salutem volunt, quos Deus saluari vult, eosque solos sicut se diligunt. Qui & 4. sentent. dist. 45. sic scribit, Deus dicitur exaudire preces quorundam non solum quando effectui mancipat, sed etiam quando innotescit curiæ Angelorum & sanctarum animarum, quid inde futurum sit vel non, & quod cognoscunt in Dei voluntate esse, volunt & ipsi. Adeo enim voluntati addicti sunt supernæ, vt nihil præter voluntatem eius queant velle. Intercedunt ergo sancti pro nobis ad Deum, & merito dum eorum merita suffragantur nobis, & affectu, dum vota nostra cupiunt adimpleri, quod tamen non faciunt, nisi in voluntate Dei implenda didicerint. Apparet igitur quod voluntas Dei per preces & bona merita non mutatur, quare nec per mala. Quarta verò pars patet per partes priores, & probationes earum, & quia si Deus aliud vel aliter vellet vna vice quàm alia, voluntas eius, & ipse similiter mutaretur. Potest autem hoc idem specialiter sic probari: Quando Deus creauit naturam Angelicam & humanam, aliquid de ipsa finaliter intendebat absolutè & determinatè, (Illa enim sapientia quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, non agit stultius seu vaniùs quàm natura, & voluntas creata, quæ agunt actiones determinatas propter finem determinatum, vt patet 2. Phys. diffusè;) & non intendebat quod tota staret, & beatitudine finaliter frueretur, quia tunc eius propositum frustraretur, quod capitulum decimum non permittit; & idem argumentum de Lucifero, Adam, & Iuda, & qualibet persona quæ cecidit, vel damnatur. Vnde dicit Augustinus 5. contra Iulianum 6. Ex numero electorum nullus perit; cæteri autem mortales qui ex hoc numero non sunt, sed vasa iræ facti sunt, ad vtilitatem nascuntur istorum: Non enim quenquam eorum Deus temerè aut fortuito creat, aut quid de illis boni operetur, ignorat, cùm & hoc ipso bonum operetur, quod in eis humanam creat naturam, & quod ex eis ordinem sæculi præsentis exornat. Deus ergo non intendebat statum cadentium, nec beatitudinem damnandorum, quare & vt per vigesimum secundum videtur, intendebat aliquo modo casum & damnationem cuiuscunque talis, quod & Psalmista videtur sentire Psalmo 103. cùm sic dicit, Draco iste quem formasti ad illudendum ei, si per Draconem Lucifer designetur. Et Ecclesiastici 39. Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, &c. Et supra, eodem 26. Qui transgreditur à iustitia ad peccatum, Deus parauit eum ad romphæam; quibus & consonare videtur dictum Saluatoris de filio perditionis, scilicet Iuda, Ioan. 17. & Apostolus 2. ad Thess. 2. de homine peccati, filio perditionis, scilicet Antichristo; quanquam & ista à sanctis Patribus aliter exponantur. Hæc etiam videtur sententia Apostoli ad Rom. 9. dicentis, An nõ habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? quod & statim exponit de vasis iræ aptis in interitum, & vasis misericordiæ in gloriam pręparatis; quem locum Apostoli Augustinus 5. contra Iulianum recitat expresiùs pro ista sententia, secundum translationem aliam in hæc verba, Si autem voluit Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, &c.

Marginalia: A; B; *Lumbardus.*; C; *Augustinus*; D; *Psal. 103.*; *Ecclesiast. 39.*; *Apostolus.*; *Augustinus.*; E

A

CAP. XXIIII.

Obiicit contra immutabilitatem diuinæ ſcientiæ, & reſpondet.

OBijcitur autem contra immutabilitatem diuinæ ſcientiæ iſto modo. Deus ſciuit Chriſtum pati, & nunc neſcit, ergo ſcientia ſua mutatur. Item Deus neſciuit hoc inſtans eſſe, & nunc ſcit. Item Deus præſciuit Chriſtum pati vel paſſurum, & nunc non præſcit. Itemque Iudith 9. Illa poſt illa cogitaſti. Pro iſtis autem ſciendum quòd Deus aliter intel-
B ligit complexa quam nos; Nos enim ſemper intelligimus talia comparando ad præſens inſtans, Omnis enim propoſitio componitur ex nomine & verbo, communiter loquendo de verbo, ſicut Priſcianus, & cæteri Latini loquuntur, vt comprehendit præſens, præteritum, & futurum; non ſicut loquuntur Græci, qui teſte Ariſtotele 1. peri hermenias, vocant verbum tantum verbum præſentis temporis, reliqua verò caſus verborum; & vt patet ibi, omne verbum conſignificat tempus; Currit enim conſignificat tempus præſens, ſcilicet nunc eſſe curſum, Curret verò vel currebat quod complectitur ſcilicet præteritum vel futurum; & hoc manifeſtum eſt, quia currebat ſignificat feciſſe curſum priùs ſecundum tempus, curret verò futurum curſum poſterius; & vt patet 5. Metaph. 16. Prius ſecundum tempus in præterito eſt remotius à nunc præſenti, in futuro verò quod eſt propinquius ipſi nunc, ipſo nunc vt principio, & primo ente ad quod alia comparantur. Nos autem propter debilitatem intellectus noſtri non poſſumus
C diſtinctè cognoſcere omnes particulas temporis ſemper fluentes, & continuè ſuccedentes; Ideoque accipimus præſens inſtans quod de toto tempore eſt actualiſsimum, & nobis notiſsimum, & ponimus illud pro ſigno, & termino quodam certo, per comparationem ad quod ſeu quem, intelligimus præſentia, præterita, & futura. Quare & propoſitiones noſtræ ſignificantes cum tempore, neceſſariò ſignificant iſto modo, ſcilicet relatiue, & comparatiue ad præſens inſtans quodcunque. Ideoque hæc propoſitio Chriſtus patitur, continuè diuerſum ſignificat, & diuerſum, ſecundum quod diuerſa inſtantia fiunt præſentia ſucceſsiue, & Chriſtus patiebatur, & patietur, conſignificant pari modo, ſicut ſpecies in oculo fixo vidente in certo ſitu partes fluminis continuè decurrentes, continuè ſignificat diuerſam partem fluminis, & diuerſam; & ſicut tales propoſitiones in anima ſic videntis, iſta pars directè mihi obijcitur in hoc ſitu, & hæc pars eſt ſuperior, hæc verò inferior, vel hæc pars eſt prior, & hæc poſterior, ſemper alia & alia ‖*repræſentans*, in comparatione ad varias partes, varijs vicibus oculo præſentatas. Quare ‖*repræſentant.*
D & hæc propoſitio Chriſtus patietur aut patitur, quæ aliquando fuit vera, nunc eſt falſa; & hæc propoſitio Chriſtus patiebatur, quæ aliquando fuit falſa, nunc eſt vera; & quia ſcientia, credulitas, & opinio noſtra ſunt per propoſitiones huiuſmodi, variantur ſimiliter ſicut illæ. Deus autem ex ſua infinitiſsima claritate comprehendit omnes res particulares, & omnes particulas temporis, ſicuti ſunt, veriſsimè per ſeipſum: Non enim indiget comparatione vel relatione præteritorum vel futurorum ad præſens inſtans, more infirmitatis humanæ, ſed intelligit omnia ſimul & præſentialiter æquè clarè; & hoc eſt, quia non ſcit per tales propoſitiones verbales mutabiles, ſed per ſuam eſſentiam, & propriam voluntatem, quæ ſemper vniformiter, & inuariabiliter omnia repræſentant. Quemadmodum ſi poneretur viſus punctualis quieſcens in centro cœli circumuoluti, & videret per extramiſsionẽ & actiuè non paſsiuè, ſicut Deus res videt; videret ſemper vniformiter, ſine omni mutatione ſui, circumgiratas continuè ſingulas partes cœli, & eándem partem nunc in oriente, nunc in meridie, nunc in occidente: Sic &
E Deus omni eodem modo ex parte ſui intrinſecè videt aliquid primo futurum, ſecundo præſens, tertiò verò præteritum; & hoc eſt quia non videt patiendo quicquam à viſis, ſeu paſsiuè, ſed agendo potiùs ſeu actiuè, ſicut ſuperius eſt oſtenſum. Hanc autem cauſam diuerſitatis ſcientiæ Dei & noſtræ inſinuans Auguſt. 15. de Trin. 13. ita dicit; Deus non aliter ſciuit creata, quàm creanda; non enim eius ſapientiæ aliquid acceſsit ex eis; longè eſt huic ſcientiæ ſcientia noſtra diſsimilis, quia in illius naturæ ſimplicitate mirabili, non eſt aliud ſapere, aliud eſſe, ſed quod eſt ſapere, hoc eſt eſſe; noſtra verò ſcientia eſt in rebus plurimis, propterea & amiſsibilis eſt, & receptibilis, quia non hoc nobis eſt eſſe quod ſcire. Quamobrẽ eſſentia Dei, ſeu voluntas quæ eadem eſt, ſicut primò oſtendebat intellectui diuino Chriſtum paſſurum, ita omni eodem modo poſt oſtendit ſibi Chriſtum pati, & nunc oſtendit Chriſtum paſſum fuiſſe; ideoq; *Auguſtinus.*

Deum ſcire hæc tria, imò potiùs hoc vnum tripliciter nominatum eſt idem ſcire & eodẽ modo omnino, ſicut ſi nos haberemus aliquam vnam propoſitionem vniformiter ſignificantem naturaliter vel ex impoſitione, ſicut eſſentia ſeu voluntas Dei ſibi ſignificat, primò Chriſtum paſſurum, deindè pati, & demum paſſum, & haberemus ſemper vnam ſcientiam conformem illi propoſitioni; tunc eodem modo, ſine aliqua mutatione in noſtra ſcientia, ſciremus eandem rem futuram, præſentem, & præteritam. Cum ergo in primis aſſumitur, Deus ſciuit Chriſtum pati, & nunc neſcit, Prima debet diſtingui penes compoſitionem & diuiſionem, vel eo quòd poteſt loqui de dicto, vel de re dicti; In ſenſu verò compoſito, & de dicto, videtur vlterius diſtinguenda, eo quòd Propoſitio, complexum, ſeu dictum poteſt accipi pro Propoſitione, complexo, vel dicto extra mentem diuinam, vel in ipſa, quatenus ibi poteſt ſimilitudinariè aſſignari complexum, ſcientiaque complexa, ſicut 18. capitulum ſuadebat. In ſenſu igitur compoſitionis, & de dicto, extra mentem diuinam eſt vera: Deus enim ſciuit talem Propoſitionem, Chriſtus patitur, ſcilicet in tempore Paſſionis. Et ſi arguitur in hoc ſenſu, Deus ſciuit illam, & nunc neſcit, igitur Deus, vel ſaltem ſcientia eius mutatur, dicendum hoc non ſequi; imò hoc eſt propter mutationem Propoſitionis de vera ſignificatione in falſam, & de veritate in falſitatem; ſicut nec ſequitur de oculo fixo intuente in eodem ſitu continuè partes fluminis ſuccedentes, quòd ipſe mutetur, eo quòd prius vidit aliquam partem quam nunc non videt; Immò ſufficit quòd illa pars mutetur; ſicut etiam non ſequitur, Deus prius fuit Dominus diluuij, & nunc non eſt, ergo Deus mutatur, ſed forſan diluuium ipſum mutatur, ſicut & in puris creaturis non ſequitur in talibus relatiuis. Et ſi adhuc arguatur, ſaltem ſequitur, quòd Deus pauciora ſcit quam ſciuit; dicendum hoc non ſequi, quia ſicut prius iſta fuit ſcita & nunc eſt neſcita, ita ſua contradictoria prius fuit neſcita, & nunc eſt ſcita. Adhuc forſitan Sophiſticus calumniator inſtabit; Ponatur, inquiet, quòd contradictoria ſua non ſit nec aliqua talis vera, tunc ceſſat recompenſatio huius pro illa, tunc ergo ſciet pauciora quam prius. Item cuiuſlibet contradictionis altera pars eſt melior, dignior, & nobilior, vt patet ex prioribus, & ſcientia de melioribus, dignioribus, & nobilioribus, eſt melior, dignior, & nobilior, vt patet per Philoſophum 1. de Anima 1. & 1. Metaph. in Prologo 6. Metaph. 3. & per Auerroem ibi, & ſuper 2. de Cœlo Comment. 60 ergo tota diuina ſcientia eſt perfectior hac vice quam illa. Ad primum iſtorum dicendum quòd eſt ſatis poſſibile quòd ſciat pauciora complexa extrinſeca in eſſe exiſtere, quàm prius, non tamen intrinſeca in eſſe ſcibili. Imò poſſibile eſt, quod nullum verum complexum, nec etiam incomplexum extrinſecum ſciat in eſſe exiſtere, quia poſſibile eſt quòd omnia deſtruantur, ſicut nec ſciuit ante mundum, quando nullum illorum exiſtebat, nec tamen ſi ſic eſſet, haberet minorem ſcientiam tunc quam prius. Non enim ſcit per talia vera creata, ſed tantum per vera ſibi intrinſeca, & æterna, ſicut præcedentia docuerunt; et illa vera manent ſemper æqualia omni modo penitus non mutata. Sed adhuc forſitan replicabit & dicet, ſit A talis Propoſitio, vel quaſi ſimilitudinariè loquendo in mente diuina, Chriſtus patitur, & B ſuum contradictorium, tunc A prius fuit verum, & nunc eſt falſum, & è contra de B, ergo illa vera intrinſeca Deo mutantur, quare & ipſe Deus neceſſario commutatur. Dicendum, quòd A non ſignificat ſicut iſta Propoſitio creata, Chriſtus patitur, quia tunc continuè ſignificaret, vel conſignificaret diuerſimodè, vel diuerſa ſecundum diuerſitatem inſtantis vel temporis, in quo eſſet, ſicut ſuperius eſt oſtenſum; ſed ſemper immobiliter conſignificat idem tempus omninò ſeu inſtans. Ideoque ſicut tempore paſſionis ſignificauit præſentialiter, Chriſtum tunc pati, ita nunc ſignificat eodem modo omninò, Chriſtum fuiſſe tunc paſſum, æquiualenter iſtis duabus Propoſitionibus noſtris, Chriſtus nunc patitur, quæ fuit in tempore Paſſionis, & Chriſtus tunc patiebatur, quæ eſt in * præſenti. Adhuc autem non deſinet obgarrire, ſed dicet A nunc eſt verum, & B ſimiliter; verum eſt enim Chriſtum non pati, ergo contradictoria ſunt ſimul vera. Hic autem dicendum, quòd quot ſunt inſtantia in toto tempore, tot Propoſitiones affirmatiuas & negatiuas imaginariè diuerſas correſpondentes illis habet Deus de quocunque ſimiles talibus, Chriſtus patitur in hoc inſtanti, Chriſtus patitur in illo inſtanti, & ita de cæteris; Intelligit enim Deus omnes Propoſitiones intelligibiles veras vel falſas. Et quia ſecundum Philoſophum primo Elenchorum, Contradictio eſt oppoſitio vnius & eiuſdem non nominis tantum, ſed rei & nominis, ſecundum idem, & ad idem, ſimiliter, & in eodem tempore; ſi A & B ſint contradictoria, oportet quòd referantur ad idem tempus; Ergo A in mente diuina affirmat pro inſtanti vel tempore Paſſionis, ſic oportet, quòd B neget pro eodem, & tunc B eſt falſum; Si autem capiatur vna alia ſimilis B, quæ negat Chriſtum pati pro aliquo inſtanti vel tempore, puta pro præſenti illa eſt vera, quæ & ſit C, ſed C non contradicit A, quia non pro eodem inſtanti vel tempore affirmant

* tempore

A firmant & negant, ſicut iſta non contradicunt, Chriſtus patiebatur tunc, & Chriſtus non
patitur nunc, nec C & B conuertuntur, quia negant pro diuerſis inſtantibus vel temporibus
ſicut iſta, Chriſtus non patitur nunc, Chriſtus non patiebatur tunc. Per hæc patet reſponſio,
ſi prima accipiatur in ſenſu compoſitionis, & de dicto extra mentem diuinam. Hunc autem
reor eſſe intellectum dicentium quòd Deus eſt pelagus infinitum, omnem contradictionem
abſorbens, & quòd in æternitate diuina omnia vera, futura, præſentia, & præterita, ſunt ſi-
mul vera, quos quidam moliuntur arguere, quia tunc contradictoria eſſent ſimul vera, & ea-
dem propoſitio ſimul vera & falſa. Qui ideo non concludunt, quia Deus non ſcit quicquam
per propoſitiones creatas affirmatiuas & negatiuas, quæ neceſſario contradicunt, quia quan-
docunque ſunt, ſunt ſimul in eodem inſtanti, & affirmant & negant pro illo, ac vtraque ta-
lium alternatur ſucceſsiuè à veritate in falſitatem, vel è contra: ſed quicquid Deus ſcit, com-
plexè ſcit per propoſitiones ab initio increatas, quæ licet ſecundum quid contradicere vide-
antur, quia more contradictoriorum affirmant & negant idem de eodem; non tamen ſim-
B pliciter contradicunt, quia non ſic affirmant vel negant pro eodem tempore vel inſtanti, nec
vnquam aliqua talium poſt veritatem induit falſitatem, quia copulatio extremorum in men-
te diuina, non eſt volubilis, ſecundum volubilitatem temporis vel inſtantis, ſed ſemper ſta-
biliter copulat pro eodem, ſicut ſuperius eſt oſtenſum. Per hæc eadem patet reſponſio ad ſe-
cundum argumentum præmiſſum, quia Deus omnem partem contradictionis intrinſecæ,
quam ſemel ſciuit, ſtabiliter ſemper ſciet; ſi autem loquatur de parte contradictionis extrin-
ſecæ, ex natura tali ſcientia Dei nec perficitur, nec imperficitur, ſicut à nulla tali cauſatur,
ſicuti nec à poſterioribus rebus ſcitis, ſicut præcedentia docuerunt. Per hæc patet reſpon-
ſio circa iſtam, Deus ſciuit Chriſtum pati, ſi ſumatur in ſenſu compoſito & de dicto; ſi au-
tem ſumatur in ſenſu diuiſo, & re dicti, videretur forſitan vlterius diſtinguendum, ſicut iſta.
Laborans ſanabatur, eo quod pati poteſt ſupponere ſeu apponere pro pati nunc vel prius.
Primo modo non eſt vera, Deus enim nunquam ſciuit Chriſtum nunc pati. Secundo modo
C eſt vera; Deus enim ſciuit Chriſtum pati prius, ſcilicet tempore paſsionis. Si igitur argua-
tur in hoc ſenſu, Deus ſciuit Chriſtum pati, & nunc neſcit Chriſtum pati, ergo Deus ſciuit
aliquid quod nunc neſcit; eſt æquiuocatio manifeſta. In maiori enim ſumitur pati, pro pati
prius; in minori verò pro pati nunc; in ſecunda namque ſunt omnia verba præſentis tem-
poris, nec ampliatiua ad præteritum vel futurum. Si autem minor ſumatur concorditer
cum maiori, realiter non vocaliter oportet ſic dicere; Deus neſcit Chriſtum paſſum fuiſſe,
eritque diſcurſus peccans in materia non in forma. Hæc enim minor erit falſa, quoniam
idem omnino realiter, eſt, Deum prius ſciuiſſe Chriſtum tunc pati, & Deum nunc ſcire,
Chriſtum tunc paſſum fuiſſe. Per hæc quoque, vt arbitror, poteſt haberi recta ſolutio illius
antiqui ſophiſmatis Oxonienſis, Deus ſcit quicquid ſciuit. Secundum etiam argumentum
per eadem poteſt ſolui. Argumentum verò tertium capitale de præſcientia per ſimilem lo-
gicam poteſt ſolui; & hæc videtur Logica Petri Lumbardi, primo Sententiarum ſuarum, Di-
D ſtinct. 44. capite vltimo, & Diſtinct. 41. 6. & Algazel 3. Metaphyſ. ſentent. 6. Dictum au-
tem Iudith, in tertio argumento poteſt intelligi de ordine effectuum cogitationis diuinæ, non
de ordine cogitationum in Deo.

CAP. XXV.

Obijcit contra immutabilitatem diuinæ voluntatis, & ſoluit.

E EIſdem quoque rationibus poteſt aliquis impugnare immutabilitatem
voluntatis diuinæ, & eiſdem defenſionibus poteſt defendi. Poteſt eti-
am & alijs rationibus ſpecialibus ſic argui contra illam, Deus creauit
totam naturam rationalem ad beatitudinem, & voluit tunc quod tota
beatificaretur, & nunc non vult, imò vult contrarium, videlicet, quòd
magna pars eius ſuſtineat miſeriam ſempiternam. Item quando Iudas
fuit in charitate, & gratia, Deus voluit eum ſaluari; hæc enim ſecun-
dum Auguſtinum 15. de Trinitate 18. ſola diuidit inter filios regni æ-
terni, & perditionis æternæ, & gratia efficit gratum Deo, nunc autem vult eum damnari; &
ita vniuerſaliter de iuſtis caſuris, & iniuſtis ſurrecturis, & finaliter permanſuris. Item Deus
offenſus peccantibus & auerſus, per preces, & alia merita conuertitur, & placatur; & è contra
de iuſtis

de iustis peccantibus; Alias enim preces vanæ, & inutiles viderentur, & peccata impunita relinqui: & hæc videtur fides generalis Ecclesiæ, & continentia veteris testamenti & noui; Vnde Ierem. 18. ait Dominus, Repente loquar aduersum gentem & aduersum regnum vt eradicem & destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum aduersus eam; agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui vt facerem ei: Vt subito loquar de gente & de regno, vt ædificem & plantem illud, Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bono quod locutus sum vt facerem ei. Item Ezech. 33. Si dixero quòd vita viuet, & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa morietur: Si autem dixero impio morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, vita viuet, & non morietur. Item Ionæ 3. Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus? Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est super malitiam, quam locutus fuit, v faceret eis, & non fecit. Item Zachar. 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos dicit Dominus. Item dicit Hieronymus in expositione Amos Prophetæ, & allegatur in Canone de pœnitentia dist. 1. Si agamus; Si agamus pœnitentiam ipsum quoque Deum suæ pœnitebit sententiæ; & rursus; Promittit prospera, si pœnitentiam egerimus, quod si negligentia dissoluamur, & illum pœnitebit sponsionis, promissaque mutabit; Idem super illud Dan. 4. & allegatur in Canone vbi priùs. Quamobrem, Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas in misericordijs pauperum, si fortè ignoscat Deus delictis tuis; quod si prædixit, scilicet Daniel, sententiam quæ mutari non potest, quomodo hortatur scilicet ipsum Nabuchodonosor ad eleemosynas pauperum, & misericordiam, vt Dei sententia permutetur? & respondit dicens quod facilè soluitur exemplo Regis Ezechiæ, quem Esaias dixit esse moriturum, & Niniuitarum, quibus dictum fuerat, Adhuc 40. dies sunt & Niniue subuertetur; & inde ad preces Ezechiæ & Niniue Dei sententia mutata est. Rursum bona agenti si asserit polliceri indulgentiam, alioquin & in reuerentia loquitur Deus se mala minari super gentem, etsi bona fecerit misericordias clementia commutare rursum asserit polliceri, & si male fecerit, dicit suam mutare sententiam, non in homines, sed in opera quæ mutata sunt. Neque enim hominibus Deus irascitur, sed vitijs, quæ cùm in homine non fuerint, nequaquam punit quod mutatum est. Totum etiam nouum testamentum, quid aliud sonat, vel docet, nisi pœnitentibus & conuersis misericordiam Dei, & amicitiam in præsenti, & gloriam in futuro, ac impœnitentibus & auersis horum contraria, quæ sine mutatione voluntatis diuinæ non fiunt. Adhuc autem & legitur sæpe de Deo, quod ipsum pœnituit de bono aliquo, & de malo; quomodo ergo non est mutabilis voluntatis? Vt quid etiam verax Deus nos ad orationem & preces toties excitaret, dicendo, Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis, & Quicquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis, & oportet semper orare, & nunquam deficere, cum multis similibus, nisi preces huiusmodi diuinam flecterent voluntatem, & aliquid quod pro nobis non prius disposuit, impetrarent? Si enim ab initio immutabiliter voluit omnia omnibus euenire, cùm secundum capitulum 10um. voluntas eius sit efficax, & infrustrabilis omni modo, & sine precibus non minus quodlibet dispositum pro quolibet eueniret; omnes ergo preces, omnes quoque Letaniæ, quibus Sanctos rogamus orare pro nobis, vanæ & superfluæ videbuntur. Item Deus non est minoris potentiæ quàm figulus: sed figulus potest habere diuersas, & contrarias voluntates ad inuicem succedentes; ergo & Deus hoc potest; & illud videtur argumentum Domini Ierem. 18. dicentis ad Ieremiam: Surge & descende in domum figuli, & descendit, & ecce faciebat opus, & dissipatum est vas; conuersusque fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis eius, & dixit Dominus ad Ierem. Nunquid sicut figulus iste, non potero vobis facere domus Israel? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, repente loquar &c. superius allegata. Item Deus potest facere, & sæpè facit multos nouos effectus " *immediatè* per seipsum, & à voluntate antiqua non potest " *immediatè* prouenire actio noua, vt dicit Philosophus 8. Phys. & Auerroes similiter in comment. 8. 15. ac alijs; ergo hoc est per voluntatem nouam. Voluntas ergo diuina mutatur. Ad primum istorum patet per præhabita circa corollarium vigesimi tertij; veruntamen pro intellectu Sanctorum, potest dici, quod Deus sic creauit rationalem naturam, quod tota fuit capax beatitudinis, & tota fuisset beatitudinem consecuta, nisi gratis peccasset, & sic se indignam ad beatitudinem reddidisset. Pro secundo argumento sciendum, quod charitas ad propositum accipitur dupliciter in scriptura, scilicet pro charitate increata & creata; Charitas increata adhuc dupliciter scilicet communiter & essentialiter, & sic competit toti Trinitati, & cuilibet personarum; Propriè quoque ac personaliter & sic appropriatur Spiritui Sancto tantum; & accipitur etiam propriè pro voluntate diuina; vt pa-

Marginalia: *Ierem.* 18. — *Ezech.* 33. — *Ionæ* 3. — *Zachar.* — *Hieronymus.* — *Ierem.* 18. — || in mente — || in mente — *Philosophus.* — *Auerroes* — A — B — C — D — E

A vt patet per August. 15. de Trinit. 19. & 20. ac alijs locis multis. Charitas verò creata est effectus huius charitatis increatæ in cordibus fidelium, quo charè diligimus Deum & proximum; Vnde Apostolus ad Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Sp. Sanctum, & sic est vna virtus Theologica; imo secundum eundem Apostolum 1. ad Cor. 13. maior trium Theologicarum virtutum, quod satis apparet per sententiam omnium Doctorum pœnè concordem. Aliter autem accipitur charitas minùs ad propositum, pro charitate naturali, morali, seu pasionali, qua quis ex natura, seu ex virtute morali, aut ex pasione habet sibi quid charum. Vnde 2. Machab. 14. Alchimus autem videns charitatem Nicanoris & Iudæ ad inuicem &c. & secundum Philosophum 5. Metaph. quasi per totum, & alibi multis locis; & sicut patet etiam ex 2° capitulo, Omne quod dicitur de diuersis, dicitur de aliquo eorum primò, per cuius participationem & attributionem variam cæterorum ad ipsum, modis suis competit alijs: sic & charitas primò dicitur de charitate increata essentiali, ex qua velut originali fonte, cæteræ sicut *Augustinus.* *Apostolus.* *Apostolus.* *2. Mac. 14.* *Philosophus.*

B riuuli quodammodo deriuantur. Gratia verò potest similiter accipi, vt videtur; Est enim gratia increata, & creata, siue gratia gratificans, seu gratis dans, & gratia gratis data: Gratia increata & gratificans est diuina voluntas non propter aliquod meritum antecedens, nec propter aliquam retributionem, aut vtilitatem propriam subsequentem, sed gratis volens æternaliter bonum alicui, temporaliterque dans sibi; Gratia verò creata, seu gratis data est effectus huius gratiæ increatæ. Secundum membrum huius distinctionis est omnibus satis notum, sed primum non est omnibus ita notum, sed potest innotescere ex illo Apostoli ad Eph. 1. Benedictus Deus Pater, qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, secundum diuitias gratiæ eius. Ecce quod voluntas Dei est gratia gratificans, quia gratis vult bonum alicui, & ideo dicit Glossa, Gratia prædestinauit nos, id est, sola gratia præelegit, id est, voluntate gratuita. Est e-

C tiam gratia gratis dans bonum, quia redemptionem & remissionem peccatorum, vbi similiter patet effectus gratiæ gratis dantis. Ideoque dicit Augustinus 9. super Genes. ad literam 26. quod in voluntate Dei est gratia per quam salui fiunt peccatores; & istam distinctionem ponit Petrus Lumbardus 2. sentent. distinct. 27. 5. planè. Vtraque verò gratiarum istarum potest intelligi generaliter & specialiter. Potest enim dici gratia gratis volens & dans generaliter quodcunque bonum, vel specialiter volens alicui bonum iustitiæ & gloriæ sempiternæ, & dans sibi aliquam specialem virtutem, qua posit consequi tale bonum, & correspondenter per omnia dicitur gratia gratis data: Hæc etiam gratia increata gratificans seu gratis dans, quæ est diuina voluntas, potest accipi dupliciter, sicut charitas; Communiter & essentialiter, & sic competit toti Trinitati & cuilibet personarum; & specialiter ac personaliter & sic appropriatur spiritui sancto; vt patet per Augustinum 15. de Trinit. 20. ideoque Scriptura creberrimè attribuit gratiam spiritui sancto, velut speciali quodammodo & proprio *Augustinus.* *Lumbardus.*

D Autori. Aliter accipitur gratia minùs ad propositum pro illo quod refertur Deo pro beneficio gratioso, sicut dicimus, Gratias agamus Domino Deo nostro: Hæ etiam omnes gratiæ secundum quandam imitationem accipiuntur similiter in creaturis; voluntas enim creata volens & dans gratis bonum alicui creaturæ potest dici gratia gratificans, & dans gratis, & bonum datum potest dici gratia gratis data: Dicitur etiam gratia illud quod recipiens pro tali beneficio refert danti. Inter autem omnes has gratias, Primò dicitur gratia de gratia essentiali increata, quæ omnes alias gratias destillat gratissimè & deriuat, sicut de charitate charissima superiùs erat dictum. Voluntas etiam Dei accipitur multipliciter, scilicet propriè pro voluntate sua essentiali, quæ vocatur ab Apostolo ad Rom. 12. beneplacens & perfecta; Impropriè autem & figuratiuè accipitur pro suo effectu, siue pro suo signo, vt patet per Augustinum 22. de ciuit. Dei. 2. & per Hugonem de Sacram. lib. 1. par. 4. & per Petrum Lumbard. 1. sent. dist. 45. & est quidam color Rhetoricus quem Tullius vlt. suæ nouæ Rhetoricæ denomi-

E nationem appellat. Cum igitur accipitur in argumento, quando Iudas fuit in charitate & gratia, Deus voluit eum saluari, loquendo de charitate, & gratia increata specialiter, quatenus scilicet Deus habet aliquem sibi charum, & gratificat eum ad vitam æternam, non est verum; quia Iudas nunquam fuit in tali charitate, vel gratia; quoniam Deus nunquam habuit eum gratum, aut charum ad vitam æternam. Si autem loquatur de charitate gratiaq; creatis, & de voluntate Dei propriè & essentiali, non est verum, quia Deus nunquam sic voluit Iudam saluari, & cùm hoc probatur, quia sola charitas diuidit inter filios regni, & perditionis, loquendo de charitate creata, non est verum. Multi enim peccatores surrecturi & permansuri finaliter hanc non habent; multi quoq; Iusti casuri, & sic permansuri finaliter illam habent. Sed sola charitas increata, quæ hos habet charos ad regnum, & hos non habet, diuidit inter filios regni, & perditionis, sicut in principio lucem à tenebris diuidebat; & de illa charitate loquitur ibi

Augustinus,

Augustinus, vt patet capitulo allegato, & capitulo sequenti diffusè. Et quòd hæc charitas, scilicet chara Dei voluntas immutabiliter, & infallibiliter diuidat hos ab illis, per 20um. 21um. 22um. & decimum faciliter apparebit. Hæc enim charitas est Spiritus Sanctus, diuidens singulis prout vult 1. ad Cor 12. & hoc expressius sentit Apostolus supra, eodem 4. cum quærit, Quis enim te discernit? quasi velit quærere, quis discernit te electum à reprobis, & innuere, quòd solus Deus te sic discernit; Et sic exponit Augustinus hanc Autoritatem multis locis; quorum vnus scilicet de Correptione & gratia, allegatur in Glossa, cum dicit; Quis enim te discernit à massa perditionis? nullus nisi Deus, solus ipse separat te à perditis; sed quia homo inflatus posset respondere, vel voce, vel cogitatione, & dicere discernit me fides mea, & iustitia & oratio mea, occurrit Apostolus dicens, Quid habes, quod non accepisti? ideoque hæc quæstio sequitur immediate aliam quæstionem. De gratia quoque est similiter dicendum per omnia, quæ & qualiter efficit, vel non efficit quempiam gratum Deo. Si autem loquatur de voluntate signi seu effectus voluntatis diuinæ, cum præmittitur quandò Iudas fuit in charitate, Deus voluit eum saluari, verum est. Et cum arguitur vltra; Nunc non vult eum saluari, ergo voluntas Dei mutatur, loquendo vniformiter benè concludit, scilicet, quòd effectus & signa voluntatis diuinæ mutantur, nec hoc est contra 23. capitulum, quoniam illud probat immutabilitatem voluntatis & volutionis diuinæ essentialis & intrinsecæ, beneplacentis & & perfectæ. Aliter potest dici, videlicet quòd Iudas, quandò fuit in charitate & gratia, fuit charus & gratus Deo, secundum præsentem tunc iustitiam qua bonus erat, & sic scriptus fuit in libro vitæ, sicq; Deus voluit eum saluari, non autem penitus absolutè, & hoc patet per beatum Ambrosium super illud ad Rom. 9. vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam, sic dicentem, Sunt quidam quibus gratia data est in vsum, vt Sauli, Iudæ & illis discipulis, quibus Dominus dixit, Nomina vestra scripta sunt in cœlo, & post abierunt retrò. Sed hoc Dominus de eis dixit propter iustitiam cui deseruiebant, ac si diceret, Digni estis nunc vita æterna, quia erant boni; secundum præscientiam verò, in numero malorum erant; & allegatur hæc Autoritas in Glossa diffusius; et hoc propter istam autoritatem tenet Petrus Lumbardus 3. Sentent. dist. 21. I. Similem distinctionem de Filijs Dei facit Augustinus de Correptione & gratia 28. & 29 docens, quòd quidam sunt filij Dei secundum prædestinationem & præscientiam, quidam secundum susceptam temporaliter gratiam; & sub alijs adhuc verbis; Aliqui sunt filij Dei Deo, aliqui verò nobis, id est, aliqui secundum diuinum iudicium, aliqui secundum humanum; Et supra 24. facit distinctionem similem de Electis; Et infra, 73. de filio pacis. Has autem distinctiones Augustini recitat Gratianus diffusè de Pœnitentia dist. 4. Si ex bono. Pro tertio argumento sciendum, quòd offensa Dei, & eius placatio, ira, vel amor, sententia boni vel mali, & similia, possunt dupliciter accipi, scilicet pro voluntate, seu volutione diuina sic affecta, vel pro talibus eius effectibus siuè signis; sicut de eius voluntate nunc est dictum. Vnde & Augustinus 2. ad Simplicianum 20. docens, quomodò passiones humanæ possunt Deo attribui, videlicet separando indignum à digno, sic ait, De ira hominis detraho turbulentum motum, vt remaneat vindictæ vigor, atq; ita vtcunque assurgo ad notitiam illius, quæ appellatur ira Dei. Item de misericordia si auferas compassionem cum eo, quem miserearis, participatæ miseriæ, & remaneat tranquilla bonitas subueniendi, & à miseria liberandi, insinuatur misericordiæ diuinæ qualiscunque cognitio. Zelum quoque Dei non repudiemus & aspernemur, cum scriptum inuenimus, sed auferamus de humano Zelo pallidam tabem doloris, & morbidam perturbationem animi, remaneatque illud solum iudicium quo corruptio castitatis impunita esse non finitur, & assurgimus vt incipiamus aliquo modo capere zelum Dei. Quapropter cum legimus etiam Deum dicentem, Pœnitet me, consideremus quod esse soleat in hominibus opus pœnitendi, procul dubio reperitur voluntas mutandi, sed in homine cum dolore animi est. Reprehendit enim in se, quòd temere fecerit. Auferamus ergo ista quæ de humana infirmitate atq; ignorantia veniunt, & remaneat solum velle, vt non ita sit aliquid quemadmodum erat, sicq; potest aliquantum intimari menti nostrę, qua regula intelligatur, quod pœnitet Deū: Cum enim pœnitere dicitur, vult non esse aliquid, sicut fecerat, vt esset; sed tamen & cum ita esset, ita esse debebat, & cum ita esse non finitur, iam non debet esse ita perpetuo quodam & tranquillo æquitatis iudicio, quo Deus cuncta mutabilia incommutabili voluntate disponit. Qui & super illud Psalmi 82. In ira tua turbabis eos, Meminerimus, inquit, sanè iram Dei sine vlla affectione turbulenta nos debere intelligere. Ira quippe eius dicitur ratio iusta vindictæ, tanquam si lex dicatur irasci, cum ministri eius secundum eam commoti vindicant. Quod etiam ira Dei, offensa, & similia sumantur quandoque pro diuinæ voluntatis sic affectæ effectibus siuè signis, præcedentia manifestant. Primo igitur modo loquendo, offensa Dei, seu ira immutabilis est omninò,

Apostolus. *Augustinus.* *Ambrosius.* *Lumbardus.* *Augustinus.* *Gratianus.* *Augustinus.*

A ninò; secundo modo frequenter mutatur, & sic dicitur voluntas diuina mutari non per mutationem sui sed aliorum; vt patet per Augustinum 5. de Trinit. vlt. & 22. de Ciuit. Dei 2. sicut 23. allegauit, & in hoc sensu procedunt autoritates Prophetarum, & Ieronymi allegatæ. Multæ quoque tales prophetiæ comminatoriè multa prædicunt, nec eueniunt; non enim hęc prædicunt vt eueniant: vnde Ieronymus in Glossa autoritatis Ezechielis 33. allegatæ; Non statim sequitur, vt quia Propheta dicit, eueniat quod prædicit; Non enim prædicit vt veniat, sed minatur ne veniat. Nec quia Deus loquitur, necesse est fieri quod minatur, sed vt pœniteat cui minatur, & non fiat quod futurum est, si verba Dei contemnantur; ita quòd in talibus prophetijs videtur semper intelligi conditio quædam talis, nisi pœnitueritis de peccatis. Vnde & in prologo Glossæ super Psalterium, ponitur duplex prophetia, scilicet secundum prædestinationem, quam necesse est semper impleri secundum tenorem verborum; & secundum comminationem, vt 40. dies sunt & Niniue subuertetur, quæ non semper impletur secundum verborum superficiem, sed secundum tacitæ intelligentiæ significationem; & simile B habetur in Glossa super illud Mat. 1. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem; Ecce virgo, &c. Hoc etiam vult Augustinus super illud Psalmi 50. Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi, dicens; Sub hoc merito Niniuitæ pœnituerunt, & certam misericordiam meruerunt. Stetit ergo Niniue, & non est euersa. Ego autem puto impletum esse, quod Propheta dixit; Respice quæ fuit Niniue, & vide quia euersa est in malo, & ædificata in bono; & sic intelligit Gregorius 16. Moral. 4. super illud Iob 22. Qui sublati sunt ante tempus suum, cùm dicit; quòd Deus plerunque mutat sententiam, consilium nunquam, id est, sensum verborum, non dispositionem eius æternam; & sic exponit eum Glossa, Esaiæ 38. Sic plerunque fit mutatio diuinæ sententiæ, quòd non semper ad literam adimpletur. Illud autem de pœnitentia Dei obiectum soluitur per præmissa, quod & septimum huius soluit. Ad aliud autem quod arguitur de orationibus & letanijs, patet per finem 23. Non enim est imaginandum, quòd Deus prius quicquam velit, vel non velit, & C more instabilis hominis vincatur precibus, & mutetur, nec quòd Sancti in Cœlo multiplicatis precibus flectant voluntatem diuinam, sicut homines in terra humanam, sicut ex præcedentibus satis constat. Dicitque Petrus Lumbardus 4. Sent. dist. 45. vlt. Oramus Sanctos vt intercedant pro nobis, id est, vt merita eorum suffragentur nobis. Sancti enim non orant Deum facere hoc vel illud, nisi viderint Deum sic velle, nisi forsan sit quicquam tale, super quo ignorant voluntatem diuinam, sicut nos in pluribus ignoramus. Sed hic potest aliquis sic instare; Si Deus velit aliquid facere, frustrà videtur orare eum quòd hoc faciat, & si nolit aliquid facere, ad nullas preces hoc faciet, ergo superfluunt omnes preces. Item tunc non esset generaliter orandum pro omnibus, nec pro quolibet proximo viatore: Constat enim quod triticum non crescit sine zizanijs, nec grana sine paleis; & quòd ciues ciuitatis Dei, & ciuitatis diaboli semper currunt promiscuè in præsenti. Quare constat Deum nolle omnes saluari. Si D ergo voluntas ‖ *sua* per nullas preces posit mutari, quicunque orat pro omnibus, scit se non exaudiendum à Deo; quare sine spe & vanè scienter sic orat. Ad primum istorum dicendum quod supponit vnum falsum, horrendum cuilibet Christiano, quod & repugnat Christi operibus & doctrinæ; videlicet, quòd frustrà sit Deum orare, vt suam faciat voluntatem. Christus enim imminente sua tristissima passione contristatus & mœstus sic orauit; Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis, Mat. 26. Et infra eodem; Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua: qui & Mat. 6. nos docuit sic orare; Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. Licèt enim velit bonum aliquod nobis dare, non vult tamen nos penitus otiari, sed vult quòd semper diligentes & vigiles hæc per preces, & ‖ *cætera* merita impetremus. Vix igitur meo iudicio aliqua vtilior, aut efficacior oratio in quibuscunque prosperis vel aduersis, de eligibili aut fugibili qualicunq; poterit inueniri, quàm quòd homo ex toto corde, ex tota mente, & ex omnibus viribus ac meE dullis, in omnibus & singulis Domino semper dicat; Fiat voluntas tua. Sic enim fiet vt homo nihil sui sibi retineat, sed & se totum, & omnia se concernentia quouismodo diuinæ totaliter subijciat voluntati, Dei tantummodò nusquam sui in maximo, & in minimo volens integerrimè gloriam & honorem, nihil curando penitus, aut timendo, sed amplectendo lætissimè si oporteat, propter Deum, iacturam rerum, honoris, & famæ, infamiam, irrisiones, persecutiones, & qualescunque miserias, excepta displicentia Dei omnipotentis sola. “ Hoc enim, & sic nullus potest dicere sine infima humilitate, & altissima charitate; & si quis non potest statim hoc & sic dicere, de hoc pœniteat, & velit hoc, ac dicat sic vtcunque & oret, vt possit sic dicere liberè & perfectè, & adhuc talis oratio est indubitanter plurimùm fructuosa.

Hieronymus.

Augustinus.

Gregorius.

Glossa. *Esaias.*

Lumbardus.

‖ Dei

‖ certa

“ Suppl. [Fiat voluntas tua] & hoc in modo quo sequitur [Sic enim fiet, &c.]

fructuosa. Pro secundo videtur dicendum quòd quidam sunt simplices habentes zelum Dei,sed non secundum scientiam,qui nesciunt quod filij regni & perditionis sunt semper mixti in præsenti,vel si qui essent aliquo modo filij perditionis, credunt se posse pijs precibus mutare voluntatem diuinam,& impetrare,vt efficiantur filij regni,qui generaliter orantes piè pro omnibus,non peccant, quoniam ignorantia & pia intentio hos excusat; imò & merentur plurimum sic orando. Vnde B.Aug.22.de Ciuit.Dei.2.distincta voluntate duplici Dei,vna scilicet essentiali & æterna,& alia quam vult Deus & efficit in cordibus electorum,sic dicit;Secundum ergo hanc voluntatem qua Deum velle dicimus, quod aliquos efficit velle à quibus futura nesciuntur,multa vult nec facit: Multa enim volunt fieri Sancti eius ab illo inspirata sancta voluntate,nec fiunt sicut orant pro quibusdam piè sanctèque,& quod orant,non facit,cùm ipse in eis hanc ordinandi voluntatem Sancto Spiritu suo fecerit; ac per hoc quando secundum Deũ volunt & orant sancti,vt quisq; sit saluus,possumus illo modo locutionis dicere; vult Deus & non facit,vt ipsum dicamus velle,qui,vt velint isti,facit.Simile habetur 3.Reg 8.quod ait Dominus ad Dauidem,quòd cogitasti in corde tuo ædificare domũ nomini meo, bene fecisti hoc ipsum mẽte tractans,verùm non ædificabis mihi domum; vbi Glossa,Argumentum,quod voluntas alicuius actus placet,etsi nõ actus. Hoc idem patet per Aug.Enchirid. 8.& per Anselmum multis locis ostendentem,quod rectitudo voluntatis est velle,sicut Deus vult eam velle, non autem velle id quod vult Deus;quod & Petrus Lumbardus 1.sent.dist vlt.manifestat.Alij autem scientes,vel opinantes prædicta,non possunt,vt videtur,orare absolutè pro omnibus vt saluentur; hoc enim ratio clare probat. Quis enim rationabiliter oraret, nisi se exaudiendum speraret,imò & quando crederet contrarium pro constanti? Quis enim rationabiliter aggreditur opus quodcunq; sine spe, imò cum de desperatione qualiscunq; fructus aut finis? hoc est enim contra omnem rationem agentium & naturam; Omnia namque agentia tam naturalia quàm voluntaria propter aliquem finem agunt,vt patet per Philosophum 2.Phys.49.& quantum ad voluntaria in Philosophia sua morali quasi per totum.Vnde & Apostolus 1.ad Cor.9. Debet in spe,qui arat,arare,& qui triturat,in spe fructus percipiẽdi;Et 2.Machab.12.Nisi eos qui ceciderant, resurrecturos speraret,superfluum videretur & vanum orare pro mortuis; qui ergo non sperant omnes saluãdos, sed sciunt contrarium,non debent orare absolutè pro omnibus vt saluentur. Imò si quandoq; generaliter orant pro omnibus vt saluentur,oportet quod tacitè saltem intelligant de omnibus prædestinatis ad vitam,vel optent quòd oratio sua valeat omnibus si quantum & vt coram Deo placitum fuerit & acceptum; non quòd per orationem suam à Deo quasi inuito quodammodo velint aliquid extorquere. Primo autem istorum modorum orauit Saluator dicens, Ego pro eis rogo ,non pro Mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi,quia tui sunt, Ioan. 17.& huic consonat dictum Aug.21. de Ciuit.Dei 24. supra 23. allegatum. Quod si Ecclesia esset certa,qui adhuc existentes in via,sunt prædestinati cum Diabolo in ignem æternum,non magis oraret pro eis , quàm pro Diabolo ; Alioquin enim pium esset nominatim orare pro illo certæ,quia reuelatæ,perditionis filio Antichristo. Qui ergo nũc sunt certi, saltem in genere, quod in præsenti via & vita semper sunt tales, nõ debent orare pro omnibus absolutè, sed aliquo dictorum modorum. Sed hic potest aliquis replicare, quod tunc nullus debet orare pro quocunque viatore: Nescit enim an sit prædestinatus, an finaliter reprobatus. Dicendum qui credit quempiam esse saluandum , vel per preces suas posse saluari,bene potest orare pro eo etiam etsi sit damnandus,sicut superius de omnibus erat dictum: Si enim nesciat vel dubitet,potest orare,saltem sub tacita conditione prædicta; Hanc autem conditionem tacitam iuris diuini,quilibet videtur habere si habeat charitatem,qua voluntatem diuinam præfert in omnibus propriæ voluntati: Absolute autem omnino non videtur orandum pro aliquo viatore. Ad aliud principale de figulo patet per prædicta; Successio enim voluntatum contrariarum in ipso non est sine impotentia & imperfectione,quia cum potentia præcedente actum , quæ necessariò imperfectionem importat, sicut præhabita manifestant; Deus autem est infinitæ perfectionis & actualitatis; Ideo non est in potentia ante actum ad volutiones contrarias successiuè. Hoc igitur non est impotentiæ,aut imperfectionis in ipso, sicut præcedentia docuerunt. Autoritas autem Ieremiæ intelligit,quod Deus potest mutare effectus suæ locutionis , aut cogitationis , sicut figulus mutat effectus suæ artis,arte semper eadem immobili permanente ,& talis mutatio est possibilis in voluntate diuina, sicut superiùs est ostensum. Nec hæc ponit aliquam mutationem intrinsecam in essentiali voluntate Dei,sed extrinsecam in regnis, & gentibus permutatis. Quod autem objicitur de illo processu 8ⁱ.Phys.non procedente sed claudo, reijcitur euidenter per 34ᵃᵐ. partem corollarij primi huius.

Marginalia: A; *Augustinus.*; *3.Reg.8.*; B; *Augustinus. Anselmus.*; *Apostolus. 2. Machab. 12.*; C; *Ioan.17. Augustinus.*; D; E

CAP.

A

CAP. XXVI.

Quòd tota vniuersitas rerum est bona, & nulla res per se mala.

HIc autem in mediastino pro præcedentibus & sequentibus ostendendum, totam vniuersitatem rerum omnium esse bonam, nec esse in ea aliquid quod sit malum. Huius enim oppositum Empedocles, Pictagoras, Manes, & Manichæi hæretici dicere videbantur, sicut 18ª pars Corollarij primi docet. Omne siquidem per se volubile & amabile à
B bono & sapiente, est aliquo modo bonum, vt tam Philosophi, quàm Theologi pariter contestantur: & quælibet pars mundi est per se volubilis & amabilis à Deo, sicut & per se creabilis, & conseruabilis est ab eo, sicut ex capitulis 2.3.6.8.& 9. poterit apparere. Item omnis veritas est bona, quia recta, iusta, & sancta; & omnis essentia est veritas, veritatemue habens, quoniam ens & verum conuertuntur, sicut ex præmissis 2. & 11. huius apparet. Vnde & Aristoteles 2. Metaph.4. *Aristoteles.*
Vnumquodque sicut se habet, vt sit, ita ad veritatem; & 5. Metaph. vbi distinguitur ens, Esse significat quia verum; non esse autem quia non verum sed falsum. Et idem recitat 6ⁱ,4º, & eodem 5º, vbi falsum distinguitur, dicitur, quòd falsum dicitur quod non est; quare & quod est dicitur verum. Et Auicenna 8. Metaph.6. Necesse est veritas, veritas autem cuiuscunque rei est proprietas sui esse, quod stabilitum est ei. Anselmus quoque in libello suo de veritate probat, quòd omnis essentia, & omnis actio, est veritas, iustitia, & rectitudo, vt patet *Auicenna. Anselmus.*
C capit.6.7.& 8. & quasi per totum libellum; & Augustinus 83. quæstionum 1. Omnis anima, eo anima est, quo vera anima est; Omnis ergo anima à veritate habet, vt omninò sit. Cur ergo non ita de alia re quacunque? Quare & 7. Confess. 15. dicit ita, Omnia vera sunt, in quantum sunt, nec quicquam est falsitas, nisi cum putatur esse quod non est. Item Deus quia est summè ens, est summè bonus & perfectus, quoniam tam Philosophi, quàm Theologi, probantes Deum esse, probant vnum primum ens; & ex hoc ostendunt illud esse maximè ens & perfectissimum & optimum; quare & omnia alia entia, quantum participant suo esse, tantum proportionaliter sunt bona naturaliter & perfecta. Et hoc innuit Aristoteles obscurè 1. de Cœlo 100. cùm dicit, Totius Cœli finis, & omne tempus infinitatem continens, & perfectio æternum est, à semper esse sumens denominationem immortalis & diuinus, vnde & alijs communicatum est, his quidem clarius, his autem obscurius esse & viuere. Augustinus quoque 1. de doctrina Christiana penult. dicit idem satis clarè, Quia Deus bonus est, su- *Augustinus. Aristoteles. Augustinus.*
D mus, & in quantum sumus boni sumus, & in quantum mali sumus, in tantum minus sumus. Ille summè ac primitus est, qui omninò incommutabilis est, & qui plenissimè dicere potuit, Ego sum, qui sum: Cætera, nisi ab eo, esse non possunt; & in tantum bona sunt, in quantum acceperunt vt sint. Item si aliquid sit per se malum, illud est contrarium per se bono; illud ergo, vel saltem primum in genere malorum, est æquale primo in genere bonorum; quoniam contraria sicut constat, posita sunt sub eodem genere & maximè distant; Ideoque sicut dicit Aristoteles 1. de Cœlo 44. Contrariorum si alterum est determinatum, & alterum determinatum erit; vbi Auerroes in comment. probat hoc dicens; Hoc manifestum est ex descriptione contrariorum, quæ sunt in fine remotionis, & cùm vtrumque eorum maximè distat, necesse est vt sit æqualiter in contrarietate, scilicet vt neutrum sit fortius reliquo; sed cùm posuerimus alterum eorum finitum, & alterum infinitum, tunc non contrariabuntur sibi æqualiter, quoniam forma contrarietatis quæ est in altero eorum non erit æqualis formæ contrarietatis *Aristoteles. Auerroes.*
E alterius: & addit, Et manifestum est per se vt sint in eodem gradu contrarietatis; & si non, non in fine distabunt. Possibile enim esset addere super minus, vt esset magis contrarium, quod probat tripliciter esse falsum; Primò, quia tunc idem haberet plura contraria, scilicet summa: secundò, quia tunc illud quod positum erat in maxima distantia, non erit ita, quod est contrarium positionis: tertiò, quia tunc non esset eadem proportio vnius contrariorum ad reliquum, & è contra, cuius oppositum asserit esse notum. Si igitur hæc sint ita, malum est infinitum, & æquè forte cum Deo omnipotenti, apud quē non erit impossibile omne verbū. Posset ergo impedire & frustrare Deum bonum ab omni opere suo bono, & sic non esset omnipotens cum alijs absurditatibus infinitis. Hoc idem probat Aug.83.qu.6. hoc modo, Omne quod est aut corporeū est aut incorporeū; Corporeū sensibili, incorporeū autē intelligibili specie continetur:

tinetur: Omne ergo quod eſt, ſine aliqua ſpecie non eſt; vbi autem aliqua ſpecies eſt, neceſ- A
ſario aliquis modus eſt; et modus aliquid boni eſt; ſummum ergo malum nullum modum habet; Caret enim omni bono; Non eſt igitur quia nulla ſpecie continetur, totumque hoc nomen mali, de ſpeciei priuatione repertum eſt. Item ſi ſit aliquid per ſe malum, illud eſt contra-
Ariſtoteles. rium ſummo bono, Domino Deo bono contra Ariſtotelem 12. Metaphyſ. cap. vltim. ſic
Auguſtinus. ſcribentem, Non eſt contrarium primo nihil; Et Auguſtinus 12. de Ciuit Dei 2. Ei naturæ quæ ſummè eſt, contraria nulla eſt, niſi quæ non eſt. Ei quippe quod eſt contrarium non eſt, et propterea Deo & ſupernæ eſſentiæ, & Autori omnium qualiumcunque eſſentiarum, eſſentia nulla contraria eſt. Amplius autem quod naturaliter appetit & amat bonum, eſt aliquo modo bonum. Si enim eſſet per ſe, & perfectè malum, eſſet per ſe & perfectè contrarium bono: ſed nullum talium contrariorum naturaliter appetit & amat aliud, ſed magis odit & fu-
Philoſophus. git; ſed quilibet naturaliter appetit bonum. Nam 1. Eth. 1. dicitur, quod benè enuntiauerunt
bonũ, quod omnia appetunt. Et 2°. de anima 34. Omnia appetunt diuinũ & immortale. Quod B
& ratio manifeſtat; Omne enim habens finem naturalem naturaliter appetit illum; ſed Deus eſt finis vltimus omniumentium, ſicut ex ſecunda Suppoſitione poſſet oſtendi, & probatur expreſſe 12 Met. & alibi multis locis in Philoſophia Ariſt. & ſimiliter Auicennæ; vndè & Parab.
Apocalipſis. 16. omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus; & Apocal. 1. Ego ſum Alpha & Omega, principium & finis. Auicenna quidem hoc totum de communi appetitu boni clarè teſtatur 8. Metaph. 6. dicens, Neceſſe eſſe per ſe eſt bonitas pura, & bonitatem deſiderat omninò quic-
|| perfectio quid eſt; Id autem quod deſiderat omnis res eſt eſſe, & || *perfectum* in eſſe in quantum eſt eſſe; & eſſe eſt bonitas pura & perfectio pura; et omninò bonitas eſt id quod deſiderat omnis res iuxta modulum ſuum, quoniam per eam perficitur eius eſſe. Item quidlibet vel eſt operatio, vel habet aliquo modo operationem aliquam naturalem, ſed omnis operatio, quare & cauſa
Ariſtoteles. operans, appetit aliquo modo bonum. Nam ſecundum Ariſtotelem 1. Eth. 1. Omnis ars &
omnis doctrina, ſimiliter autem & actus, & electio, bonum quoddam appetere videtur; Ideo C
benè enuntiauerunt bonum, quod omnia appetunt. Et 1. Politic. 1. Eius, quod videtur, boni
Auguſtinus. gratia, omnia operantur omnes. Et Auguſtinus ſuper illud Pſalmi 32. Beata gens cuius eſt Dominus Deus eius, poſt magnum proceſſum concludit; Depellendæ ergo miſeriæ cauſæ, & acquirendæ beatitudinis cauſæ, faciunt omnes homines, quicquid vel boni faciunt, vel ma-
Boetius. li. Boetius quoque 3. de Conſolatione Philoſophiæ proſa ſecunda ſic dicit, Omnis mortalium cura, quam multiplicium ſtudiorum labor exercet, diuerſo quidem calle procedit, ſed
Ariſtoteles. ad vnum tamen beatitudinis finem nititur peruenire; Et ſecundo de Cœlo 34. Natura ſemper facit contingentium quod optimum; Et ſecundo de generatione penult. In omnibus, inquimus, quod melius, deſiderare naturam ſemper. Hoc idem poteſt aliter ſic oſtendi. Omnis agens appetit aliquem finem proprium, vt patet 2. Phyſ. diffuſè; et 1. Eth. 1. & 9. Metaph. 16. & alibi multis locis; Finis autem ſemper habet rationem boni, vt patet 2. Phyſ. 23. vbi
dicitur, Non omninò vltimum eſſe finem, ſed optimum; et ſimile habetur infra, eodem 31. D
Dicitur, quòd finis eſt potiſſima cauſa, & ſemper eſt, vel videtur bona; et 2. Metaph. 8. Qui auferunt finem, auferunt boni naturam; et 3. Metaph. 3. et 2. Phyſ. 74. & alibi ſæpiſſimè eadem ſententia reperitur. Rurſum ſic ad idem, Omne agens deſiderat naturaliter finem vltimum communem cuiuſlibet actionis, qui eſt ſine dubio ſummè bonus, & propter hoc eſt fi-
Philoſophus. nis cuiuſlibet entitatis & factionis. Dicit enim Philoſophus 3. Met. 3. Quod eſt bonum ſecundum ſe & propter ſuam naturã finis eſt, ita quòd illius cauſa & fiunt, & ſunt cætera. Item ſicut vult ſecunda Suppoſitio, & in Philoſophia oſtenditur multis locis quòd non eſt infinitus proceſſus in finibus; oportet ergo quòd ſit vnus finis primus, & vltimus, communiſq; toti generi finium, & cauſa finalis omnium finium aliorum, ſicut eſt in quolibet alio genere, vt 2. & 10. Met. Ariſt. demonſtratur: ſed nullus talis finis citra Deum poterit aſſignari. Et hoc eſt quod Philoſophus autoritatibus pluribus cõteſtatur. Dicit enim 12. Met. 37. Quod autem eſt cuius
gratia, id eſt, cauſa finalis, in immobilibus definitio oſtendit, id eſt definitio cauſæ finalis quam E
ſtatim adiungit, dicens, Eſt enim alicui quod cuius gratia, quorum hoc quidem eſt, hoc verò non eſt; Mouet autem vt amatum; Motum verò, ſcilicet primum motum ab eo alia mouet. Vbi Auerroes declarans definitionem finium, dicit ita, Perfectionum propter quas mouetur perfectum, quædam ſunt qualitates vt ſanitas, quædam ſunt ſubſtantiæ extrinſecæ à re, quæ mouetur ad eas, vt aſſimiletur eis, vt inueniuntur omnes actiones ſeruorum, quoniam ſunt erga intentionem Domini ſui, ergo dicuntur eſſe propter Dominum, & ſimiliter entia cum hoc primo principio. Hoc autem primum mouens mouet primũ motum, ſicut primum amans primũ amatum. Primum enim cœlum mouetur ab iſto motore ſecundũ deſiderium, vt aſſimiletur ei ſecundum ſuum poſſe, ſicut amans mouetur vt aſſimiletur ſuo amato;

A Alia verò corpora cœlestia mouentur secundum desiderium ad motum primi corporis, & ideo plenè habent motum duplicem; ea autem quæ sunt sub istis mouentur mediantibus istis motibus: Generationem verò & corruptionem faciunt motus duplices oppositi, continuationem verò vnus motus æternus. Et supra eadem particula, textus; Quod bonum, & propter ipsum eligibile in eadem coelementatione, & optimum semper & probabile quod primum, vt dicit textus quem Commentator exponit: aliud autem quod eligitur propter se in vniuersitate electorum, est valdè nobile cùm primò acquiritur. Vbi Auerroes; Illud quod diligitur & desideratur propter se inter hæc principia abstracta, est illud quod est in fine nobilitatis, & simplicitatis, & vnitatis; & versus ipsum mouetur omne motu velociori & maiori motibus proprijs vnicuique eorum. Est enim electum per se, & amatum omnibus; tale autem est perfectum in fine, & illud acquiritur per se, & omnia quæ acquiruntur, propter ipsum acquiruntur. Vnde Philosophus 2. De cœlo & mundo 63. Quod est optimè habens nihil indiget actio- *Philosophus.*
B nis; est enim ipsum quod cuius gratia, scilicet finis: actio autem semper est in duobus, cùm & cuius gratia fit, & quod huius gratia: aliorum autem animalium pauciores, plantarum autem parua quædam & vna fortè. Aut enim vnum aliquid est quo societur vtique quemadmodum & haber, aut & multa: omnia autem præuia sunt ad optimum; vt textus quem Commentator exponit; Actiones hominis ‖ *multiplicitet*, & non sunt propter se, sed propter aliud, quoniam non est perfectæ nobilitatis. Res autem perfectæ nobilitatis non indiget operatione qua sit nobile: nam ipsum est illud propter quod fit operatio; & omnis actio, & perfectio operationis, erit per id quod facit operationem propter aliquid, & propter id propter quod est operatio facientis, scilicet propter finem istum nobilem & perfectum. Et secundo De anima 34. Animal facit animal, & planta plantam, quantum ipso semper diuino & immortali participent secundum quod possunt: Omnia enim illud appetunt, & illius causa agunt omnia quæcunque agunt secundum naturam. Boetius 3. de Consol. Philosoph. pros. 11. ostendit *Boetius.*
C diffusè quodlibet entium appetere finem & bonum proprium & commune; non commune propter proprium, sed è contra. Dicit ergo quod id ad quod vniuersa festinant est omnium summum bonorum, & illud est finis omnium rerum quod desideratur ab omnibus, quod quia bonum esse collegimus, oportet rerum omnium finem bonum esse fateamur. Et infra prosa 12. Cùm Deus bonitatis clauo omnia gubernare iure credatur, eademque omnia sicuti docui ad bonum naturali intentione festinent; vnde dubitari non potest quin voluntariè regantur, seque ad disponentis nutum veluti conuenientia, contemperataque rectori sponte conuertantur. Ita inquam necesse est. Nihil ergo est quod naturam ‖ *seruans* Deo contraire conetur, nihil inquam; nec est aliquid quod summo huic bono vel possit, vel velit obsistere. Qui & in de Hebdomadibus, tenet, inquit, communis sententia doctorum, omne quod est ad bonum tendere; omne autem tendit ad simile; quæ igitur ad bona tendunt, ipsa bona sunt. Item posset confirmari per Augustinum, qui vult multis locis quòd omnes homines necessariò velint *Augustinus.*
D beatitudinem, & propter ipsam volunt & agunt vniuersaliter quicquid volunt vel agunt, vt erat superius allegatum. Ideoque non potest dici, quòd hæc omnia dicta Autorum intelliguntur de actionibus naturalibus non voluntarijs. Quædam enim autoritates loquuntur expressè de Angelis & hominibus, & etiam eadem ratio est hinc indè. Aliter quoque, entia nobiliora, scilicet voluntaria, & actiones nobiliores, & nobilioris potentiæ, puta voluntariæ negligentius disponerentur, & peius, cum tamen secundum Philosophum, 2. De cœlo & mundo 50. Natura non curet vilia, despiciens pretiosa. Vnde videtur mirabile quoddam sequi, omnem videlicet actionem cuiuslibet creaturæ esse frui vel vti, & nullam abuti. Sed ad mentem Sanctorum istud non sequitur, quia licèt quælibet actio creaturæ quodammodo referatur in Deum, non tamen præcisè cum circumstantijs debitis, vt oportet. Item pax est tam magnum bonum, vt nullus dubitet quin sit bonum, nec consulat circa ipsam; sed omnes ipsam propter se appetunt sicut finem. Vnde Philosophus 3. Eth. 8. Consiliamur non de fini- *Philosophus.*
E bus, sed de his quæ ad fines. Neque enim consiliatur Politicus si pacem faciat, neque reliquorum aliquis de fine, sed ponentes finem aliquem, qualiter & per quæ erit, intendunt. Item omnia entia naturaliter appetunt quandam pacem, concordiam scilicet naturalem, & debitam harmoniam, tam intrinsecè quàm extrinsecè circumquaque, sicut patet in simplicibus & in mixtis, similibus, & contrarijs vniuersis, sed in hominibus maximè. Nam pacifici volunt pacem, & similiter bellicosi. Nam sicut dicit Philosophus 10. Eth. 11. Bellamus, vt pacem ducamus: nullus enim eligit bellare eius quod est bellare gratia, neq; præparare bellum; videretur enim omnino violentus occisor quis esse, si amicos oppugnatores faceret, vt pugnæ & occisiones fierent. Quare & teste rege maximo Artaxerxe; Pax cunctis mortalibus est optata. Vnde & Augustinus 15. de Ciuit. Dei 11. Pax est tam magnum bonum, vt nihil gratius so- *Philosophus.* *Hester 13.* *Augustinus.*

‖ multiplicantur.

‖ conseruans

leat audiri, nihil desiderabiliùs concupisci, nihil melius inueniri; & pacem omnia bona & mala, in omni operatione, bona, & mala, desiderant & amant, nec pacem vllo modo poterunt non amare. Hoc autem totum Augustinus 19. de Ciuit. Dei 12. & 13. planè dicit, & probat. Amplius autem ordo naturalis est bonum, & omnia habent ordinem naturalem, quare & omnia bonum habent. Hæc autem ratio fere tota patet 13. Metaph. 2. vbi Aristoteles distinguens de bono, & redarguens Aristippum, & cæteros tales Sophistas ponentes non esse bonum in Mathematicis, sicut 3. Metaph. 3. recitatur, ostendit in Mathematicis esse bonum, sic dicens; Quoniam autem bonum & optimum, alterum hoc quidem est semper in operatione; bonum autem & in ||*mobilibus*, dicentes nihil dicere Mathematicas scientias de bono aut & optimo, mentientur. Dicunt enim, & demonstrant maximè: Boni autem maximè species & ordo, commensuratio, & determinatum quod maximè ostendunt Mathematicæ scientiæ. Et quoniam multorum causa videntur hæc, dico autem puta ordo & determinatum. Idem patet 3. de Cœlo, & Mundo 24. vbi dicitur, Inordinatè nihil est aliud quàm præter naturam; Ordo enim propria sensibilium natura est. Item illud est bonum quod tribuit cuique quod est suum, sed hoc facit ordo: Augustinus enim 19. de Ciuit. Dei 13. ordinem sic definit, Ordo est parium dispariumq; rerum sua cuique loca tribuens dispositio, quod satis concordat dicto Aristotelis præcedenti: Quare et 15. de Ciuit. Dei 22. definit breuiter sic virtutem quod est ordo amoris. Item nisi ordo esset magnum bonum, non tam diligenter in Sacris literis notaretur. In rationali quidem Iudicij debuerunt poni 4. ordines lapidum, & nomina filiorum Israel secundum ordinem natiuitatis suæ & lucernæ per ordinem collocari. Regina quoque Saba videns ordinem ministrantium Salomonis, dixit, Beati serui tui. Ordo similiter Melchisedechi non minimum commendatur; & quasi tota lex & prophetia locis varijs talibus est respersa. Apostolus quoque monet Corinthios, vt omnia fiant in eis secundum ordinem & honestè, Et Colossensibus scribens dicit Apostolus se gaudere videndo ordinem eorum. Quod autem omnia habeant aliquem ordinem naturalem, per hoc ostenditur, quia omnia habent vnum finem naturalem, vt proximo est ostensum; & quia omnia essentialiter & naturaliter ad inuicem ordinantur essendo æqualiter plus vel minus. Aristoteles quoque 12. Metaph. capite vltimo inquirit, in quo consistat naturale bonnm & optimum vniuersi, vtrùm scilicet in aliquo bono separato, aut in ordine? & respondendo, ostendit quod in vtroque, sicut bonum exercitus consistit in ordine, & duce, & ponit ibi duplicem ordinem omnium entium naturalem, ad inuicem scilicet, & ad primum; & hoc pulchrè ostendit ibi Auerroes comment 52. Et 1. Metaphys. capite nono recitat Aristoteles rationem Antiquorum ab ista veritate coactorum, vt dicit, ad ponendum, licet non satis distinctè vnam causam finalem communem omnibus entibus. Videbant enim quod omnibus entibus est, *on*, & bene in ordine naturali; & quod hoc non posset esse ab aliquo elemento, nec à casu aut fortuna; quare concludebant vnum esse principium generale bonitatis totius. Ideoque Anaxagoras dixit intellectum quendam esse in Animalibus, & in natura causam terræ & mundi, & ordinis totius; & causam sic dicendi accepit ab Hermitimo Dacomenio, sicut statim consequenter capite decimo recitatur; & hanc sententiam Philosophus approbat. Quare videtur quod hæc sit Philosophorum sententia generalis. Dicitque Boetius 4. de Consol. Philos. prosa 6. Ordo quidem cuncta complectitur, nequid in Regno prouidentiæ liceat temeritati. Adhuc autem Aristoteles in de Secret. Secretorum 1, part. 23, dicit quod Creator cuncta, sua sapientia æquali pondere, & certo numero, & ordine destinauit. Cui & concorditer Sapiens Sapient. 11. Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti, quare & in ordine naturali. Hæc etiam tria magnum bonum important, vt patet per Augustinum 4. super Gen. 4. & infra 2. de libero arbitrio 19. & vlt. 5. de Ciuit. Dei 11. De prædestinatione Sanctorum 4. & alibi multis locis: Qui & 11. de Ciuit. Dei 15. Non est, inquit, vlla natura, quam non ille constituit, à quo est omnis modus, omnis species, omnis ordo, sine quibus nihil rerum inueniri, vel cogitari potest, & quodlibet horum trium est bonum; quælibet ergo res existens aliquod bonum habet, & est similiter ipsa bona. Amplius autem omne verè ens est verè cognoscibile positiuè, quia secundum Philosophum 2. Metaph. 4. vnumquodque sicut se habet vt sit, ita ad veritatem, quare ad cognitionem: sed malum non est cognoscibile positiuè & per se, sed priuatiuè & per comparationem ad bonum, sicut priuatio per suum habitum. Dicit enim Philosophus 3. de Anima 25. quod priuatio, malum & nigrum suo contrario aliquo modo monstratur & cognoscitur; vbi dicit Auerroes, quod vniuersaliter omnes priuationes non cognoscuntur nisi per sua contraria, scilicet per cognitionem habitus, & per cognitionem defectus habitus, & hoc intendebat per nigredinem priuationem albedinis; & 12. Metaphys. 37. innuit Philosophus illud idem, Intelligi-

Marginalia: *Augustinus.* (beside line 3); || immobilibus (beside "mobilibus"); *Apostolus.*; *Aristoteles.*; *Boetius.*; *Aristoteles.*; *Sapient. 11.*; *Augustinus.*; *Philosophus*; *Auerroes.* — section letters A, B, C, D, E in right margin.

A telligibilis, inquiens, altera coëlementatio, & huius substantia prima; quare constat eum loqui de coelementatione boni, cùm dicit, quòd illa est intelligibilis per se, innuens, quòd coelementatio contraria, scilicet mali, non est intelligibilis per se, sed per accidens, quod exponens Auerroes, allegat ab Alexandro quòd illa quæ sunt intellecta per se sunt de Allastochia boni; quæ autem mali per accidens sunt intellecta, scilicet per priuationem boni, & omnium principiorum contrariorum cuiuscunque transmutationis, vnum est quasi forma, & aliud quasi priuatio. Allastochia autem quæ est quasi forma est intellecta per se, quæ autem est quasi priuatio est intellecta, sed non per se: Priuatio enim non intelligitur nisi in ‖ *respectu* habitus, qui est forma. His autem concordat Augustinus 12. de Ciuitate Dei 7. dicens, quòd velle inuenire causas peccati malæ voluntatis & defectionum talium, est ac si quis velit videre tenebras, aut audire silentium; quod tamen vtrumque nobis notum est per oculos, & per aures, non in specie, sed in speciei priuatione. Nemo ergo ex me scire quærat, quod *Auerroes.* ‖ ratione. *Augustinus.*

B me nescire scio, nisi fortè vt nescire discat, quod sciri non posse sciendum est. Amplius autem si aliquid esset per se malum, hoc maximè videretur de actu malo moraliter; sed quilibet talis est aliquis motus; quare & actus, & perfectio mobilis seu moti in quantum huius, vt patet 3. Phys. Aristotelis satis diffusè. Item ad idem, Omnis actus est finis, complementum, & perfectio naturalis potentiæ, cuius est actus. Dicit enim Aristoteles 9. Metaph. 15. finis autem actus, & huius gratia potentia sumitur. Non enim vt visum habeant vident Animalia, sed vt videant, visum habent; & hoc ibi per magnum processum ostendit. Quare & omnis actus est bonum aliquod naturale; & hæc est ratio Auicennæ 9. Metaph. 8. dicentis, Nihil in actionibus inuenitur dici malum, quod non sit perfectio causæ agentis; & fortassis non est malum nisi in respectu patientis tristitiam per illam actionem; vel in respectu causæ superioris, quæ deberet prohibere, sicut iniuria illata à virtute irascibili est propria perfectio illius virtutis, & quantum ad illam est actio talis bona, sed est malum iniuriati, vel *Auicenna.*

C animæ rationalis quæ deberet fugere hanc virtutem. Idem ostendit per aliud exemplum satis conueniens de combustione facta per ignem, quæ est perfectio propria formæ ignis, & per consequens bonum eius, sed est forsan malum combusti, vel illius qui ignem accendit. Item homicidium & adulterium non sunt per se mala, nec aliqui actus exteriores, quia non in pueris, morionibus, dormientibus, seu etiam furiosis, cùm careant arbitrio libero voluntatis causalis. Hæc patet ex secundo huius præmissis. Ad idem, si homicidium sit per se malum, homicidium secundum quod homicidium est malum, quoniam ad per se, siue secundum se sequitur secundum quod, vt patet 5. Metaph. 23. vbi illa definiuntur; & si homicidium secundum quod homicidium est malum, omne homicidium est malum, vt patet 1. Prior. cap. de reduplicatiuis; & Auerroes super 5. Metaph. comment. 3. Homo secundum quod est homo, non est artifex idolorum, quoniam tunc omnis homo esset artifex Idolorum. Item quicquid inest alicui per se, inest ei essentialiter, vt patet 1. Post. & 5. Metaphys. vbi *Philosophus.* *Auerroes.*

D priùs, & quicquid inest alicui essentialiter, inest necessariò omnibus suppositis, vt patet 2. de Cœlo 59. vbi arguitur quòd si vna stella est sphæricæ figuræ, ergo & omnis. Vbi dicit Auerroes, Necesse est vt illud quod existit in aliquo indiuiduorum speciei ex rebus essentialibus, existat in omnibus indiuiduis illius speciei, & figura est ex rebus essentialibus. Venerabilis quoque Anselmus Cantuariensis de casu diaboli 19. ostendens quòd omnis voluntas, actus scilicet voluntatis, in quantum est, bonum est, & nulla res malum, sic probat: quòd voluntas primi Angeli, qua voluit esse similis Deo, non fuit malum, scilicet essentialiter & per se, quia tunc filius Dei non vellet similis esse Patri: & addit, Aut si velle quaslibet infimas voluptates esset malum, ‖ *malum* diceretur voluntas brutorum. Item si homicidium per se sit malum non per accidens, cùm semper & vbique homicidium sit ipsummet, & habeat se totum, semper & vbique est malum: Si enim nunc vel hic non sit malum, & tunc vel ibi sit malum, hoc est propter aliquid quod accidit sibi nunc & hic, ratione cuius nunc & hic est malum; *Aristoteles.* *Auerroes.* *Anselmus.* ‖ mala.

E quod cùm alibi, & alias ab eo fuerit separatum, tunc & ibi non erit malum; Non est ergo malum solummodo per seipsum, nec per aliquid sibi essentiale, vt est anima, vel risibilitas homini; talia enim separari non possunt; est ergo tantum malum per accidens, quia per aliquid tale, quod potest sibi adesse, & abesse præter corruptionem subiecti. Venerabilis quoque Anselmus Cantuariensis in De conceptu virginali 4. arguit isto modo; Si appetitus concupiscentiales per se iniusti essent, quoties illis consentiretur, iniustū facerent, sed quando bruta animalia illis consentiunt, non dicuntur iniusta. Item si actus adulterij & homicidij per se sint mali, cùm actus secundū essentiam similis sit in coniugatis, & non cōiugatis, in innocentibus & reis mortis, erit & peccatū in istis. Ad idē ponatur, quod propter nimiā similitudinem, vel aliam causam ex ignorantia inculpabili vir cognoscat vxorem alienā credens eam esse propriam,

 & simili-

& similiter occidat innocentem positum in carcere loco nocentis, iuste damnati, & debite custoditi, neuter peccat, sed meretur in casu. Ergo tales actus per se, & secundum suam substantiam non sunt mali, sed aliquandò sunt boni, sicut actus carnales cum propria vxore, dum creditur aliena, est peccatum mortale, & occisio nocentis crediti innocentis. Istud apparet Genes. 29. de Rachel & Lea; et in Canone 29. Quæst. 1. & 4. Sent. Petri, dist. 30. de similibus manifestè. Adhuc autem ad idem, Iustitia & iniustitia sunt priuatiuè opposita, quare & nata sunt fieri circa idem, vt patet in prædicamentis; et 5. Metaph. Aristotelis: sed iustitia est in sola rationali creatura; ergo & iniustitia, & nòn in talibus actibus exterioribus; Imò non videtur magis per se peccatum in talibus actibus, quàm in similibus actibus bestiarum. Hæc autem quasi tota ratio est Anselmi de Conceptu virginali, vbi similiter ostendit peccatum originale per hoc quod est iniustitia non esse in semine, aut corpore, sed tantum in anima rationali. Amplius autem videtur, quòd nullus actus interior per se est malus, quia nec blasphemia, nec odium Dei, quod potest ostendi, sicut de actibus exterioribus est ostensum in morionibus, & etiam furiosis; & quia quilibet talis actus est quædã perfectio naturalis talis potentiæ naturalis. Præterea intelligere & velle sunt operationes diuersæ; Ponatur ergo quòd Deus creet aliquam naturam, quæ possit libere velle & nolle, & facere cætera opera voluntatis, & non intellectualiter nec rationabiliter iudicare, sed simpliciter comprehendere sicut bruta, tunc talis natura blasphemando, vel odiendo Deum non peccaret, quia non faceret contra iudicium, seu regulam rationis. Tales ergo actus non sunt per se mali, sicut ex præostensis apparet. Amplius autem homo potest sine culpa sua aliqua præcedente multipliciter decipi per apparentias plurimas, & Sophistica argumenta. Ponatur ergo quòd ille Behemot callidissimus Sophistarum cuius argutiæ sunt perplexæ, aliquem simplicem, sine culpa sua priori, inuoluat, & illaqueet tam perplexè, vt sibi videatur omninò, quod nisi blasphemet Deum, vel odiat, necessario plus peccabit, iste tunc secundum iudicium rectissimæ rationis tenetur blasphemare Deum, vel odire, ne alias incidat in maius peccatum, quoniam secundum communem animi conceptionem, de duobus malis, minus malum est eligendum, cuius causa est, quia in bonis est è contrario, scilicet quod maius est magis eligendum. Vnde 5. Eth. 5. In boni ratione fit minus malum ad maius malum, est minus magis eligibile maiori; eligibile autem bonum, & magis maius. Idem patet per beatum Gregorium 32. Moral. 17. super illud Iob. 40. Nerui testiculorum eius perplexi sunt, dicentem, Horum testiculorum nerui perplexi sunt, quia suggestionum eius argumenta implicitis innexionibus alligantur, vt plerosque ita peccare faciant, quatenus si fortasse peccatum fugere appetant, hoc sine alio peccati laqueo non euadant, vel culpam faciant, dum vitant, ac nequaquam se ab vna valeant soluere, nisi in alia consentiant se ligari. Et hoc ostendit per multa exempla, quorum primum est, Siquis iurauerit se cælaturum secreta alterius, qui indicat sibi post iuramentum, quod intendit committere secretum homicidium, quod ille iuratus, non nisi prodendo hoc secretum propositum valeat impedire, tunc tantæ perplexitatis laqueis alligatur; quod si secretum prodiderit, videatur sibi reus periurij, si non prodiderit, reus homicidij. Aliud exemplum ponit de aliquo simplici, qui promittit obedientiam integram prælato, qui ‖ *primo* præcipiat ei facere quod non decet, tunc talis est perplexus: Si enim obediat, facit peccatum & peccat, si non obediat incurrit inobedientiam, sicut credit. Vbi contra omnes tales perplexitates ponit remedium generale, scilicet vt perplexus semper eligat minus malum. * Dicit enim sic; est tamen quod ad destruendas eius versutias vtiliter fiat, vt cum mens inter minora & maxima peccata constringitur, si omninò nullus sine peccato euadendi aditus patet, minora semper eligantur; quia & qui murorum ambitu nè fugiat, vndique clauditur, ibi se in fuga præcipitat, vbi murus breuior inuenitur, & hoc totum allegatur in Can. dist. 13. Nerui, & simile scribitur 22. Quæst. 4. Non solum; & multa similia multis capitulis post & ante. Item ad idem, est illud capitulum supra, eadem distinctione, Duo mala; & sumitur à Concilio Toletano 8. Duo mala, inquit, licet cautissimè sint præcauenda, tamen si necessitas periculi vnum ex eis perpetrare compulerit, ad id debemus resoluere, quod minori nexu noscitur obligari; Quid autem leuius ex his, quid vè grauius sit, puræ rationis acumine inuestigemus. Et ad hoc facit, quod in capite illius distinctionis præmittitur; scilicet quod aduersus naturale ius, nulla dispensatio admittitur, nisi forsan duo mala ita vrgeant, vt alterum eorum necesse sit eligi. Idẽ docet planissimè Isid. 3. de sum. bono 5. Ponatur ergo quòd alicui simplici qui voluit & iurauit alicui prælato obedientiã in omnibus integrã, præcipiatur ab illo prælato, vel à diabolo qui transfigurat se in illum prælatũ, quòd odiat Deũ & blasphemet, & iudicet quòd talis actus contra Deũ sit minus malum, quia ibi est vnum peccatũ tantum, & contra Deum tantum, & multum excusatum per præceptum prælati, credatq; quòd non obedire in hoc casu sit maius peccatũ, quia contra prælatum suum, & contra Deum,

Margin notes: A; Gen. 29.; Lumbardus.; B; C; Gregorius.; D; ‖ post.; * nempè Gregorius.; E; Isidorus.

A Deum, cuius vices gerit, & quòd sit violare iuramentum, & apostatare à voto. Vel ponatur,
quòd Diabolus, qui transfigurat se in Angelum lucis, transfiguret se in magni consilij Ange-
lum, Dominum Iesum Christum, & præcipiat alicui simplici credenti quòd sit Christus, quòd
blasphemet, & odiat Deum per momentum, quod si non fecerit, blasphemabit Deum, & o-
diet in æternum damnatus, credatque minus malum esse blasphemare vel odire Deum in hoc
casu, quàm non obedire mandanti, & hoc fiat sine culpa talis aliqua præcedente. Videmus
enim, quòd multi Sancti per argumenta sophistica decipiuntur frequenter. Et saltem hoc est
possibile de diuina potentia absoluta. Et si dicatur quòd hoc est ad minus propter peccatum
originale præcedens, sit peccatum originale baptismo deletum, & sit talis in charitate, tunc
nunquam in pœnam peccati originalis incidet in ignorantiam, quæ inducat eum necessariò
in mortale peccatum. Item talis credulitas est vnus || *actus* possibilis fieri, vt patet per consili- || intellectus
um, & per textum Iob; qui non potest intelligi sicut litera primò sonat, eo quod Beemot ta-
B lia membra non habet, patetque per Gregorium, & per Gratianum similiter vbi prius, & ratio
docet idem. Potest enim quis credere falsum manifestius, & minus verisimile, vt oppositum
primi principij, vel quòd omnia mouentur vel quiescunt, & similia, sicut 4. Metaphysico-
rum, & alibi recitatur: sed talis actus credulitatis perplexæ nec in fieri, nec in esse dependet à
culpa priori, tanquam ab aliqua sua causa, sicut inductiuè patebit. Est ergo absolutè possibile
sine culpa priori credulitatem huiusmodi fieri & manere. Item ponatur, quòd Deus crearet
hominem sine peccato originali vel alio in gratia, talis conditionis, qualis nos sumus, de quo
sic decepto arguatur, vt prius. Et ad omnia subterfugia obstruenda, ponatur quòd talis sit per-
plexus, credat, quòd si expectet, deliberet, consulat, vel oret Deum, peccabit grauius eo ipso:
sit enim hæc credulitas pars perplexitatis illius, ponaturque quòd præcipiatur sibi, quòd sta-
tim faciat hoc vel illud, & credat se obligari ad statim faciendum, sine omni expectatione vel
aliquo huiusmodi; vel ponatur in carcere, vbi non possit habere consilium: & præterea licet
oret Deum, ex quo Deus non tenetur, nec per preces cogitur ad agendum, sed quicquid agit
C ad extra, liberè semper agit, ponatur de sua potentia absoluta quòd non exaudiat deprecan-
tem. Talis ergo sic perplexus si eligat, & faciat quod credit esse minus malum, non peccat:
nullus ergo talis actus per se est peccatum. Sed aliquis forsan dicet, quòd si sic eligat, in hoc
casu, nihilominus ipse peccat, quia ipse eligit, & facit minus peccatum, secundum autoritates
superius allegatas, quare & aliquo modo peccat. Hoc autem non videtur: Nullus enim fa-
ciendo quod debet peccat, talis autem facit quod debet. Nullus etiam faciendo se-
cundum rectissimum iudicium rationis, Sanctorum, Canonis, & Concilij generalis pec-
cat; hic autem sic facit. Itemque si talis peccet, hoc est mortaliter in multis casibus, vt vi-
detur, & si non sic eligat, ipse peccat mortaliter: talis ergo in charitate, in iustitia, & in recti-
tudine voluntatis, hæres regni cœlestis, hæc omnia de necessitate amitteret, & inuitus, quod
multis Sanctorum & Doctorum testimonijs reprobatur. Et hoc videtur expressè contra bea-
tum Gregorium vbi prius, & allegatur in Canone vbi prius: Dicit enim, cùm in dubijs con- *Gregorius.*
D stringimur, vtiliter in minimis subdimur, ne in magnis sine venia peccemus. Augustinus quo- *Augustinus.*
que de mendacio 13. sentit idem, vbi post longam disputationem præhabitam sic concludit;
Ita igitur concludendum est, vt quæcunque aliena peccata, exceptis his quæ immundum faci-
unt, in quem committuntur non euitet quisque peccatis suis neque pro se, neque pro quo-
quam, sed ea sufferat potius fortiterque patiatur; illa verò quæ ita committuntur in homi-
nem, vt eum faciant immundum, etiam peccatis nostris euitare debemus; ac per hoc neque
peccata dicenda sunt, quæ propterea fiunt vt illa immunditia deuitetur. Quicquid enim ita
fit, vt, nisi fieret, iustè reprehenderetur, non est peccatum, nullumque peccatum esset, quic-
quid propter talia vitanda factum esset. Propter ergo hæc euitanda quisquis mentitus fuerit,
non peccat. Et infra, eodem 26. Hæc certè omnis disputatio quamuis alternet || *affirmationi* || affirmati-
& negationi de esse mentiendum, nemo tamen potest dicere, hoc se in exemplo, aut verbo onem &
E Scripturæ inuenire, vt diligendum vel non odio habendum vllum mendacium habeatur, sed negationē
interdum mentiendo faciendum esse quod oderis, vt quod amplius detestandum est deuite-
tur. Sed in hoc errant homines, quòd subdunt pretiosa vilioribus: Cùm enim concesseris ad-
mittendum esse aliquod malum, ne aliud grauius admittatur, non ex regula veritatis, sed ex sua
quisque cupiditate atque consuetudine metitur malum, & hoc putat grauius quod ipse am-
plius exhorrescit, non quod amplius reuera fugiendum est. Et addit 27. consequenter; Quæ
sanctitatis religionisque causa seruantur, cùm hæc violare iniuriosi voluerunt, etiam peccatis
minoribus, non tantum iniurijs aliorum, si conditio proponitur, & facultas datur, redimen-
da sunt; & tunc, iam desinunt esse peccata quæ propter grauiora vitanda suscipiuntur. Sicut
enim in rebus vtilibus, velut in pecunia, alioue commodo non vocatur damnum, quod prop-

ter maius lucrum amittitur: sic & in rebus sanctis non vocatur peccatum, quod admittitur ne A
grauius admittatur; aut si & illud damnũ dicitur quod aliquis perdit, ne amplius perdat, vocetur & hoc peccatũ; dũ tamen suscipiendũ esse, vt amplius euitetur, ita nemo dubitet, sicut nemo dubitat cauendi maioris damni causa, patiendũ esse quod minus est. Itẽ 22.q.4. *Si aliquid*;
Beda. allegatur à venerabili Beda in homilia, 44. hoc modo, Si aliquid nos incautiùs iurasse contigerit, quod obseruatum peiorem vergat in exitum, liberè illud salubri consilio mutandum nouerimus ac magis instante necessitate peierandum nobis, quàm pro vitando periurio, in aliud crimen grauius esse diuertendum. Denique iurauit Dauid per Deum occidere Nabal, sed ad intercessionem Abigail mox remisit, nec aliquid culpæ se pro tali periurio contraxisse doluit. Et hoc idem ratio manifestat, nam quicunque eligit minus malum, vt sic fugiat maius malum, non censetur eligere minus malum, sed fugere maius malum; quarè nullum pec-
Philosophus catum incurrit. Dicit enim Philosophus. 9. Eth. 1. Propter delectationem & vtilitatem amicitia existente, dissolutio fit cùm non fiant, quorum gratia amabant; non enim ipsos ama- B
Anselmus. bant, sed existentia; Cui & concordantèr Anselmus de casu Diaboli: 13. Qui vult aliquid propter beatitudinem, non aliud vult, quàm beatitudinem; Et de concordia. 8. Qui solùm propter aliud rectitudinem voluntatis seruat, non eam diligit, sed illud propter quod eam ser-
Augustinus. uat, & ideò non dicendus est iustus, nec talis rectitudo nominanda est iustitia. Dicitque Augustinus, 11. de Trinit. 6. Quod si quis voluntatem videndi referat ad aliud, vult vtique aliud, nec iam videndi voluntas erit, aut si videndi, non hoc videndi, tanquàm si velit quis videre cicatricem, vt inde doceat vulnus fuisse, aut si velit fenestram videre vt per fenestram videat transeuntes. Et infrà, eodem, Rectè sunt voluntates omnes sibimet religatæ, si bona est illa quò cunctæ referuntur; si autèm praua est, prauæ sunt omnes. Et 83. quæst. 36. Si placere vis hominibus vt eis prosis ad diligendum Deum, non iam hoc sed aliud cupis. Et hæc videntur sonare Autoritates de mendacio iam præmissæ. Quod etiam ex Scriptura canonica
Esaias. videtur haberi; Dicit enim Esaias in persona Dei Holocausta Arietum, &c. talia nolui & certum est quòd illa aliqualitèr voluit, quia illa præcepit in lege, sed noluit ista propter se, sed propter alium finem, quem satis exprimit infra, eodem, cum sic dicit Lauamini, mundi estote C
Micheas. &c. quærite iudicium, & subuenite oppresso, &c. Et hoc est quod Michæas clariùs manifestat; Quid, inquit, dignum offeram Domino? Nunquid offerã ei Holocausta, & vitulos aniculos? Nunquid placari potest Deus in millibus Arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te; vtique facere iudi-
Psalm. 50. cium & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo. Et Psalmo. 50. Si voluisses sacrificium, dedissem: Vtique Holocaustis non delectaberis: Sacrificium Deo spiritus
Marc. 9. contribulatus. Et Marc. 9. Quisquis vnum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit; & quicunque me susceperit, non me suscipit, sed eum qui misit me. Et sic loqui-
Apostolus. tur Apostolus 1. ad Cor. sic dicens, Si volens hoc ago, scilicet Euangelizauero, mercedem habeo; Sin autèm inuitus, dispensatio mihi credita est, innuens quod si prædicet Euangelium D
pro lucro temporali, prædicet illud inuitus, scilicet non volens Euangelium, sed lucrum; quod patet ibi expresiùs per Augustinum in glossa dicentem, Si coactus inopia earum rerum quæ temporali vitæ sunt necessariæ, prædico Euangelium, alij per me habebunt mercedem, ego autem non, quià non ipsum Euangelium diligo, sed eius prætium in illis temporalibus constitutum. Quarè videtur quòd perplexus eligens suo iudicio minus malum, vt fugiat maius malum, ad mentem Autorum istorum non eligit vllum malum, sed quantum in eo est, fugit potius omne malum; quarè nec videtur peccare. Autoritates verò dicentes quòd talis debet eligere minus peccatum, intelligunt, quod debet eligere illud, quod videtur sibi minus peccatum, & quod in omni alio casu esset peccatum: Tantùm enim in hoc casu licet homini eligere & facere, quod credit esse peccatum, & cùm hoc sit ius naturale, vt omnis homo fugiat, & non eligat sibi malum, contra istud ius naturale dispensatio admittitur tantummodo, in hoc casu, sicut superius recitatur. Ampliùs autèm & istam sententiam Autoritates quamplures E
Aristoteles. Philosophicæ & Theologicæ innuunt & confirmant. Aristoteles siquidem, 1. Eth. 6. dicit, quòd bonum ęqualiter dicitur enti, & hoc ostendit inductiuè per omnia prædicamenta: Vbi
Auerroes. Auerroes sic dicit, Cùm nomen boni synonimè dicatur nomini entis, dicetur ambiguè de 10. prædicamentis, id est, non secundum intentionem vnam. Item 4^i. Eth. 12. Malum seipsum destruit, & si integrum sit, importabile fit. vbi Auerroes, malum corruptio est sui ipsius, quandò aggregatæ fuerint omnes eius partes, cùm non sit hoc tolerabile. Item Auicenna. 8. Metaph. 6. necesse esse per se est bonitas pura, & bonitatem desiderat omninò quicquid est; Id autem quod desiderat omnis res est esse, & perfectio in esse in quantũ est esse; Priuatio verò in quantum est priuatio, non desideratur, nisi in quantũ eam sequitur esse & perfectio. Id igitur quod

A quod verè desideratur est esse. Esse est bonitas pura & perfectio pura; & omninò bonitas est id quod desiderat omnis res iuxta modulū suū, quoniā per eam perficitur eius esse, malitia verò non habet essentiam, sed est priuatio substantiæ, & vtilitatis dispositionis suæ. Idem 9. Met. 7. & 8. distinguit de malo & dicit, quod dicitur quadrupliciter, scilicet opus abhorribile, principium eius, scilicet mores, tristitia & dolor, & defectus rei a sua perfectione: Et infra cap. 8. probat, quòd nulla actio est per se mala, quia quælibet actio est perfectio agentis, vt erat superiùs allegatum: Et infra eodem, facta definitione entis per bonum & malum, subdit, quòd autem totum est malum, vel in quo præualet, vel est æquale malum bono nondum inuenitur. Istam quoque sententiam Auicenna, & Algazel 5. Metaph. vlt. profitetur. Boetius quoque 3. de Consolat. Philosoph. prosa vlt. hoc sic probat, Deus omnipotens nihil non potest, & facere malum non potest; Malum ergo nihil est. Idem infra eiusdem 4. prosa 6ª. sic dicit; Naturarum omnium conditor Deus, ad bonum dirigens cuncta disponit, dumque ea quæ
Algazel. *Boetius.*

B protulit in sui similitudinem retinere festinat, malum omne de Reipublicæ suæ terminis, per fatalis seriem necessitatis eliminat. Venerabilis etiam Anselmus Cantuariensis, in De conceptu virginali idem probat diffusè, sicut superiùs erat tactum; Vnde cap. 4. dicit, Nihil enim siue substantia, siue actio, siue aliquid aliud per se consideratum est iustum nisi iustitia; vel iniustum, vel peccatum, nisi iniustitia. Et quinto, Ex his ergo facilè cognoscitur quia iniustitia nullam habet essentiam, quamuis iniustæ voluntatis affectus & actus, qui per se considerati aliquid sunt, vsus iniustitiam vocet. Hac ipsa ratione intelligimus malum esse nihil: sicut enim iniustitia non est aliud quàm absentia debitæ iustitiæ, ita malum non est aliud quàm absentia debiti boni: & de casu diaboli 8. Idem ex intentione demonstrat & in fine capituli sic concludit; Neque ergo voluntas praua, neque praua voluntatis conuersio est ipsum malum, quo Angelus vel homo fit malus, quod nihil esse dicimus. Et 9. dicit, quòd illud malum est iniustitia quæ est priuatio iustitiæ; & malum nihil aliud est quàm boni priuatio. Et 16. Omni-
Anselmus.

C no nihil aliud reprehendo in voluntate mali Angeli, quàm absentiam iustitiæ, siue non habere iustitiam. Et 19. ostendit idem per duas rationes superiùs recitatas, & concludendo dicit; Vnde sequitur nullam voluntatem esse malum sed esse bonum in quantum est, quia opus Dei est. Et 20. ponit distinctionem de malo, Est enim malum simplex, quod non est aliud quam malum, quod nihil est, scilicet ipsa iniustitia; aliud verò est malum, scilicet natura, in qua est iniustitia, quoniam est aliquid & aliud quàm iniustitia, quæ malum & nihil est: Et 26. iterum distinguens de malo, dicit, malum esse duplex, scilicet malum iniustitiæ quod semper nihil est, & malum incommoditatis, quod & subdiuidit; quoddam enim tale malum nihil est vt cæcitas, quoddam verò est, vt tristitia & dolor. Idem de Concordia 6. Bonum quod est iustitia, aliquid verè est; malū verò quod est iniustitia, omni caret existentia; quod in tractatu de casu diaboli, & in libello, quem de conceptu virginali, & de originali peccato titulaui, apertissimè monstraui, non est iniustitia qualitas, aut actio, aut aliqua essentia, sed tantùm absentia debitæ iustitiæ.

D Hoc idem & Hugo 1. de Sacram. 5. part. 26. docet. Item si malum esset aliquid, hoc maximè videretur de mala voluntate, & cum illa non sit æterna, haberet causam efficientem, quod negat Augustinus 12. de Ciuit. Dei 9. ostendens quòd Deus fuit causa efficiens voluntatis bonæ in Angelis iam beatis, & quod voluntatis malæ in Angelis reprobatis non fuit aliqua causa efficiens, sed deficiens, & quòd talem voluntatem nihil facit nisi defectio, qua deseritur Deus, cuius defectionis etiam causa vtique deficit. Et supra 8. post longam ratiocinationem concludit; Nemo ergo quærat efficientem causam malæ voluntatis. Non enim est efficiens sed deficiens, quia nec illa est affectio sed defectio. Idem quoque quasi per totum librum de Natura boni eandem conclusionem ostendens, quòd malum nihil est, & quod omnia in quantum sunt, bona sunt, & à Deo, vnde cap. 1. dicit, Bona omnia siue magna, siue parua per quoslibet rerum gradus non possunt esse nisi à Deo. Omnis natura in quantum natura est, bonum est; omnis igitur natura non potest esse nisi à Deo. Et infra 3. & 13. dicit, quòd à Deo est omnis
Augustinus. *Augustinus.*

E modus siue magnus, siue paruus, & ita de specie & ordine: Et 4. Malum nihil aliud est, quàm corruptio modi, speciei, vel ordinis naturalis; mala itaq; natura dicitur quæ corrupta est. Et 5. Corruptio autem si omnem modum, speciem, & ordinem in rebus corporalibus auferat, nulla ‖ *natura* remanebit. Idem 7. confess. quasi per totū, non breui disputatione ostendit malū non esse aliquid, & cap. 12. sic cōcludit; ergo si corruptibilia omni bono priuabuntur, omnino non erunt, ergo quamdiu sunt, bona sunt; ergo quæcunq; sunt, bona sunt, quia singula sunt bona, & simul omnia valdè bona. Et cap. 13. subdit, dicens; Tibi non est malum, nec vniuersę creaturæ tuæ, quia extra non est aliquid, quod corrumpat, & irrumpat ordinē quem imposuisti ei. Item 4. super Gen. ad literam 14. Si Deus bona facere non posset, ‖ *nulla esset potentia*, si autem posset nec faceret, magna esset inuidentia, quia ergo omnipotens & bonus, omnia valdè bona fecit.
‖ species. ‖ impotens esset.

fecit. Idem patet Enchirid. 6. & 7. tertij de libero arbitrio 19. 12ⁱ de Ciuit. Dei. 6. & alijs locis multis. Vnde & Ecclesiastici 39. Opera Domini vniuersa bona valde; Et infra eodem, Non est dicere, hoc illo nequius est, omnia enim in tempore suo comprobabuntur. Item Ambrosius in libro quem de Isaak, & Anima conscribebat, sic ait; quid ergo est malum nisi boni indigentia; & iterum, Ex bonis igitur mala orta sunt. Non enim sunt mala nisi quæ priuantur bonis. Item huic sententiæ fauet Lumbardus 2. Sentent. Dist. 25. dicens, Quidam autem diligentèr attendentes verba Augustini, nec indoctè tradunt voluntatem malam, & actus malos in quantum sunt, vel in quantum actus sunt, bona esse; & omnem voluntatem & actum, bonam Dei naturam esse dicunt: Et simile huic videtur sentire infra eodem, Dist. 36. & similiter Dist. 45. primi. Istam quoque sententiam planè docet beatus Dionysius de diuinis nominibus multis locis, per nonnullas rationes præmissas, specialiter autem 4°. Vt autem tractatum de malo quibusdam ambiguum certo fine concludam, ecce breuissimum & certissimum argumentum; Illud pro certo debet teneri Catholicum, cujus oppositum pro certo habetur B
Hieronymus. Hæreticum; Talis autem est præsentis capituli conclusio principalis. Dicit enim Ieronymus lib. 12. super Esaiam, exponens illud Esaiæ 45. Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum. Confundatur hæresis quæ malorum arbitratur conditorem Deum, cum hic malum non contrarium bono, sed pro afflictione ponatur & bello: secundùm illud quod in Euangelio scriptum est; Sufficit diei malitia sua. Confundatur Marcion duos Deos intelligens, vnum bonum & justum, alium malum & iniustum, alterum inuisibilium, & alterum visibilium conditorem, à quibus prior lucem faciat, secundus tenebras; ille pacem, hic malum, cum vtrunq; pro diuersitate meritorum vnus Deus idemque condi-
Hieronymus. derit. Et accipit hic Hieronymus malum non pro homine vel Angelo denominatiuè malo, & quodammodò subjecto malitiæ, sed pro per se malo, siue pro ipsa per se & pura malitia, juxta hoc quod alibi loquitur & definit. Nam suprà eodem, lib. 1. super illud Esaiæ 2. Quiescite ab homine, cujus spiritus in naribus ejus, quia excelsus reputatus est ipse, sic dicit in isto loco: Bama apud Hebræos non excelsus dicitur, sed excelsum, id est, ipsa altitudo atq; sublimitas, quasi diceretur, non est diuinus sed diuinatio, non riuus sed fons, non homo sed humanitas. Est ergò hæreticum arbitrari Deum conditorem malorum culpæ, vt Propheta & Ieronymus hic loquuntur, cum tamen secundum capitulum tertium, & secundum eos sit conditor omnium, etiam malorum, afflictionis & bellorum; quare & est hæreticum arbitrari ma- C
Isidorus. lum culpæ esse aliquam rem omninò. Isidorus etiam 8. Ethic. 5. seu 12. hæreses varias ab hæreticis varijs recitando, sic dicit; Colitani seu Colicitani, dicunt Deum non facere mala contra illud quod scriptum est; Ego Dominus creans mala, & statim subjungit, Floriani dicunt è contrario, Deum creasse mala, contra hoc quod scriptum est, Fecit Deus omnia bona, & recitatur in Canone 24. q vlt. Quidam autem, vbi Hæretici cum suis hæresibus numerantur, & Deum esse Creatorem omnium, & factorem allegata jam probant, nec quisquam Catholicorum ignorat; hoc enim Symbolum Nicenum nomine totius Ecclesiæ generaliter profitetur, credo inquit, in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium, sicut & capitulum tertium ostendebat. D

COROLLARIUM.

Et habeat Corollarium, quod bonum & per se malum, seu bonitas & pura malitia non sunt contraria propria, sed opposita priuatiuè.

VNdè manifestum est, quod bonum & per se malum, seu bonitas & pura malitia, non sunt contraria propriè, sed opposita priuatiuè: Si enim essent contraria propriè, essent sub eodem genere posita, & per differentias positiuas contrarias, & distantes maximè constituta, cum tamen per se malum, seu pura malitia nihil ponat; cùm ergo sint opposita, & vnum illorum tantummodò positiuum, constat hæc esse opposita priuatiuè. Nec quenquam debet mouere, quod Philosophus frequenter ponit bonum & malum quasi contraria, quia hoc facit ponendo exemplum: De exemplis verò quæ ponit, non semper supponit quod sit ita, sed vt sentiat qui addiscit, vt patet per eundem, 1. Prior. Vel aliter potest dici, quod cùm Autores quandoq; affirmant bonum & malum contraria, intelligunt per contraria opposita; vel per malum, malum afflictionis & pœnæ sensibilis, secundum distinctionem Auicennæ, & Anselmi superiùs recitatam. Sed obijciet aliquis forsitan contra dicta, dictum Philosophi, 2. Eth. 7°. in hæc verba; Non suscipit omnis operatio, neq; omnis passio medietatem: quædam enim confestim nominata conuoluta sunt cum malitia, puta gaudium de malo, inuerecundia, inuidia, & in operationibus adulterium, furtum, homicidium; hæc enim omnia & quæ talia, dicuntur E

cuntur

A cuntur ſecundùm ipſa, mala eſſe, ſed non ſuperabundantiæ ipſorum, neq; defectus. Non eſt igitur vnquam circa hæc dirigere, ſed ſemper peccare, neq; eſt benè vel non benè circa talia, in eo quod vt oportet, & quandò, & quomodò, puta adulterari, ſed ſimpliciter facere quodcunque horum, peccare eſt. Similem quoque ſententiam dicunt Doctores Catholici multis locis, & Lumbardus 2. Sent. diſt. 40. pro iſta ſententia recitat Auguſtinum. Pro iſtis dicendum, ſicut innuit Anſelmus de Conceptu virginali 4. quòd nomina poſſunt imponi dupliciter acti- *Anſelmus.* bus iſtis malis; vel ſic quòd abſolutè ſignificent ſubſtantiam talis actus; vel ſic quod cum actu conſignificent aliquam malam circumſtantiam comitantem. Quare dicit ibi Anſelmus; Dantur quibuſdam actionibus nomina, quibus ſignificatur eas iniuſtè fieri, vt fornicatio, & mendacium: ſed aliud intelligitur cùm ipſa actio vel prolocutio, aliud cùm vtrum iuſtè vel iniuſtè conſideratur. Denique omnis eſſentia eſt à Deo, à quo nihil eſt iniuſtum, & ſic ſoluuntur obiecta: Auguſtinus enim & Philoſophus accipiunt illa nomina ſupradicta ſecundo modo, non primo; quare non obuiant præoſtenſis. Quòd autem Auguſtinus ſic loquatur, apparet per *Auguſtinus.*
B hoc quod dicit; Ea quæ conſtat eſſe peccata, nullo bonæ cauſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nulla velut bona intentione facienda ſunt. Et quòd Philoſophus ſic loquatur, videtur. Non enim dicit, quòd aliquis talis actus eſt realiter per ſe malus, ſed quòd quædam confeſtim nominata conuoluta ſunt cum malitia, innuens, quòd quædam nomina ſignificant malos actus, non abſolutè ſecundum eſſentiam actuum, ſed conſignificant, & conuoluunt malitiam ſimul cum ipſis; & hoc ſatis patet per hoc quod nominauit homicidium inter illa, quod non eſt per ſe malum, vt patet per ipſummet, 10. Ethic. 14. à legis poſitoribus allegantem, quod oportet prouocare ad virtutem obedientes quidem boni gratia; inobedientes vero & degeneriores pœnis & punitionibus: inſanabiles autem exterminare, quod & omnium gentium legibus eſt ſancitum.

CAP. XXVII.

C

Quòd omnia à prouidentia diuina eueniunt.

Onſequens autem dictis videtur de prouidentia indagare. Recitante namque Lactantio primi inſtitutionum diuinarum aduerſus gentes. 1. Democritus eſt autor ſententiæ ponentis omnia fortuito fieri, & confirmator Epicurus; vnde & Philoſophus 2. Phyſic. 44. Sunt, inquit, quidam, qui cœli huius & mundanorum *Philoſophus.* omnium cauſantur eſſe caſum: à caſu enim fieri volutionem, & motum diſcernentem in hunc ordinem, omne. Hi autem, ſicut apparet ex primo De generatione & corruptione; & 1. Metaph. videntur fuiſſe Democritus & collega eius Leucippus, qui po-
D ſuerunt omnia fieri ex corporibus indiuiſibilibus, ſed concurrentibus differenter, ſecundum || *riſutos* diatigi, & tropi, id eſt, || riſimos ſecundum figuram, ordinem, & poſitionem; huiuſmodi autem concurſum dixerunt fieri fortuitò ſeu à caſu, quos & imitans Epicurus ſimiliter æſtimauit. Quare & Iſidorus 8. Ethic. 19. dicit, quòd Epicurus dixit; Nulla diuina prouidentia inſtructum eſſe, aut regi mundum; ſed originem rerum Atomis, id eſt, inſecabilibus ac ſolidis corporibus aſsignauit, quorum fortuitis concurſionibus vniuerſa naſcuntur: Aſſeruit autem & Deum nihil agere. Ioſephus quoque 10. Antiquit. Iudaicæ vlt. dicit; Quòd Epicurei prouidentiam vitæ negant, & Deum res hu- *Ioſephus.* manas curare non exiſtimant, neque à beata incorruptibilique ſubſtantia pro ſtabilitate cunctorum, gubernari iudicant vniuerſa, ſed hunc mundum ſine rectore, & ſine cura aliqua ferri ſponte confirmant. Alij vero non ita vniuerſaliter, ſed diuidentes dixerunt; Cœleſtia proui-
E dentia gubernari, inferiora verò quæcunque fortuitis motibus agitari. Alij autem irrationabilius opinantes, opinionem contrariam protulerunt. Verùm contra hos omnes, quin magis pro his omnibus oſtendendum, omnia quæ eueniunt à diuina prouidentia euenire, ac eius prouidentiæ legibus ordinari. Quid enim eſt prouidentia, niſi procul videntia, ſeu præuidentia intellectus, cum procul violentia, ſeu præuolentia voluntatis: Deus autem habet ſcientiam omnium, ſicut capitulum ſextum docet, & illa eſt quædam cauſa cuiuſlibet rei factæ, 17° atteſtante: habet quoque Deus volutionem ad omnia, ſicut 8. 9. & 22. oſtendunt, & neutra harum eſt noua per viceſimum tertium, & volutio Dei eſt efficax, nec poteſt fruſtrari per 10 Patet ergo omnia quæ eueniunt à diuina prouidentia euenire. Item per cap. proximum, omnia ſunt bona, quare & ſecundũ priora à primo bono deſcendunt, & non perperam & improuidè, ſed

ſed prouidè & diſcretè. Itẽ, bonus paterfamilias omnia eũ concernẽtia curat, & prouidet quã- A
tum ſcit & poteſt, nec quicquã relinquit inordinatũ in domo, ſed omnia ſuis locis & tempori-
Ariſtoteles. bus ordinat curioſè; Vnde & Ariſtoteles 1. Oeconomicæ ſuæ 3. ita dicit, Quotquot conue-
nit per ſe fieri, oportet & curam ſcilicet per ſe fieri, & ſequitur, Oportet priùs ſeruis Do-
minos ſurgere, & dormire vltimos, & nunquam ſine cuſtodia domum eſſe, ſicut & ciuita-
tem; & quæcunque oportet facere, nec nocte, nec die omittere. Et infra, eodem, Domum
etiam ad rerum cuſtodiam conſtruendũ, pro nutrimentis, indumentis, alijſque rebus anima-
tis, ſeruis, liberis; fœminis, maſculis; extraneis, & ciuibus; ad ſalutem & ad ſanita-
tem, pro æſtate, frigida; pro hyeme, calida; & oportet vnumquodque in loco ſuo poni.
Quanto magis ille magnus Paterfamilias, cuius magnitudinis non eſt finis, & ſapientiæ eius
non eſt numerus, cuius & bonitas eſt immenſa, totam magnam domum ſuam, cum om-
Matth 20. nibus eius contentis, omni tempore prouidè gubernabit? Vnde Matth. 20. Simile eſt reg-
Chryſoſtom, num Cœlorum homini Patrifamilias, Vbi Chryſoſtomus, Homo Paterfamilias Chri- B
ſtus eſt, cui cœlum & terra quaſi vna domus eſt; familia autem cœleſtium, terreſtrium, & in-
ferarum creaturarum. Item ſi Deus non omnia prouideret, hoc videretur imperitiæ, impo-
tentiæ, malitiæ, vel negligentiæ, quæ omnia longiſsimè ſunt à Deo: imò tam Deum quàm
Boetius. alia magis decet, vt per ipſum omnia prouide gubernentur. Vnde Boetius 4. de Conſolat.
Philoſophiæ proſa ſexta, Ita res optimè geruntur, ſi manens in diuina mente ſimplicitas in-
declinabilem cauſarum ordinem promat; hic verò ordo res mutabiles, & alioquin temerè
fluituras coercet, quo fit, vt tametſi nobis hunc ordinem minimè conſiderare valentibus,
confuſa omnia perturbata quæque videantur, nihilominus tamen ſuus modus ad bonum di
Auguſtinus. rigens cuncta diſponit. Cui concordat Auguſtinus 1. de libero arbitrio 13. ita dicens, Ae-
terna lex eſt qua iuſtum eſt, vt omnia ſint ordinatiſsima; & 3ⁱ. 7°. Quicquid tibi vera ra-
tione melius occurrerit, ſcias feciſſe Deum, tanquam bonorum omnium conditorem; & 4.
ſuper Gen. ad literam 14. Si Deus poſſet bona facere, nec faceret, magna eſſet inuidentia; C
|| vnitas Et de quantitate Animæ 18. Iuſtitia Dei hæc || *vniuerſitas* ſuſtentatur & regitur, qua factum
Algazel. eſt vt non modo ſint omnia, ſed ita ſint, vt omnino meliùs eſſe non poſsint. Algazel quo-
que 3. Metaph. ſententia ſeptima ita dicit, Omne quod eſt, ſcilicet numerus ſtellarum, &
menſura earum, diſpoſitio terræ & Animalium, & quicquid eſt quod habet eſſe, ſecundum
modum, quo eſt, fuit, quia ex omnibus modis eſſendi hic fuit conuenientior illi, & quicquid
aliud poſsibile eſt præter hoc, imperfectum eſt reſpectu huius quod nunc eſt: Completa igi-
|| eiuſdem tur eſt cura cum completudine bonitatis. Item ſimiliter videtur eſſe in omnibus entibus || *vni-*
Ariſtoteles. *us* ſpeciei, & generaliter in omnibus entibus omnium ſpecierum, quia ſecundum Philoſo-
phum 1. Oeconomicæ ſuæ primo capite; In minimis natura ſingulorum reperitur; ſed ita eſt
de hominibus, quod niſi haberent rectorem communem ipſos ad bonum publicum dirigen-
tem, ſed quilibet intenderet bono ſuo priuato, eorum reſpublica diſponeretur peſsimè, vel
periret; & licet in diuerſis prouincijs haberent diuerſos Principes & rectores, niſi adhuc ipſi D
haberent vnum ſuperiorem communem Principem, & rectorem, contingeret error, qualis
prior. Quomodo prouidentia indigens ab abundante congruè iuuaretur, niſi autoritate
Principis communis ambarum? Omnium igitur Prouinciarũ & hominũ eſt naturaliter vnus
Princeps; hoc enim eſt melius vniuerſis. Omnia namq; naturaliter bonum deſiderant, ſicut ex
Philoſophus. proximo huius patet, & maius bonũ magis. Quare & Philoſophus 1. Polit. 1. dicit, quod in ho-
minibus eſt principans & ſecundum naturam propter ſalutem. Et infra, eodem; probat quod
Ciuitas eſt cõmunitas naturalis, quia eſt finis duarum cõmunitatum naturalium, ſcilicet dom⁹
& viciniæ, & finis cuiuſlibet rei eſt ſibi naturalis. Secundò probat idem per hoc, quod optimũ
& ſufficientiſsimum cuiuſlibet eſt ſibi naturale, quia eſt finis eius; optimum autem & ſufficien-
tiſsimum dicit eſſe in communitate ciuili: Quare concludit ſic dicens, ex his igitur manifeſtum,
quod eorum quæ naturâ ciuitas eſt, & quod homo naturâ ciuile Animal eſt, & per eaſdem ra-
tiones poteſt oſtendi, quòd omnium hominum deberet eſſe naturaliter vna cõmunitas ab vno E
Principe gubernata; quare & vniuerſaliter omnium entium per ſimilem rationem, & hæc vi-
detur determinatio Ariſtotelis, 12. Metaph. vlt. vbi arguit contra Pictagoricos ponentes nu-
merum Mathematicum eſſe primum rerum principium, per hoc quia tunc ſubſtantia vniuerſi
eſſet inconnexa, nec entia mutuò ſibi conferrent, & eſſent multa principia non ſubinui-
cem nec ſub aliquo alio ordinata; ſed hoc eſt contra naturalem diſpoſitionem entium,
& vniuerſi. Non eſt ergo ita; & hoc eſt quod dicit his verbis, Entia non volunt diſponi ma-
lè, nec bonum pluralitas principatuum; vnus ergo Princeps; hic autem Princeps ſecundum
Damacenus totum ſuum proceſſum ibi eſt Deus; & hæc videtur ratio Damaceni 1. ſentent. 3. & Lumbardi
Lumbardus. 1. ſentent. diſt. 3. multorumq; Philoſophorum & Doctorum alijs locis multis. Item partes A-
nimalium

A nimalium & plantarum,& totius vniuersi sunt optimè & vtilissimè ordinatę;huius autem causa non potest esse aliquod elementum,nec aliqua causa particularis, quare secundum Philosophum natura vniuersalis,quæ est Deus. Et hæc fuit ratio Antiquorum Philosophorum,à 9° & 10 capitulis 1ⁱ Metaph. capitulo proximo allegata. Vnde Auicenna 10.Metaph.1. Cùm volueris scire quòd res vtiles quas intelligis,inducunt ad commoditates in natura, considera dispositionem vtilitatis membrorum in animalibus & plantis, & quomodò vnumquodq; eorum est causatum, & non est ibi causa naturalis vllo modo, sed principium eius est ex cura diuina, sicut etiam illa pendēt ex cura. Scias etiam quòd plus appropinquat vulgus, & tenet, & dicit, verum est; nec refugiunt hoc nisi illi qui volunt videri Philosophi, eò quòd ignorant causas seu alias istorum. Aristoteles quoque in de Animalibus assignans causam dispositionis membrorum Animalium, dicit quòd natura sic ordinauit propter melius & salutem Animalis, quod planè testatur eius Autoritas 11. de Animalibus superiùs recensita,& in hoc omnes Philosophi & Medici sunt concordes. *Auicenna.* *Aristoteles.*

B Frequenter quoq; supponit Aristoteles, quòd natura semper facit id quod est melius. Vnde 2. de generat. penult. In omnibus inquimus, quod melius desiderare naturam semper; & 2. de Cœlo 34. Natura semper facit contingentium quod optimum; & 50. Nihil, vt contingit, facit natura, & irrationabile est ipsam de animalibus curasse, & despexisse prætiosa, scilicet cœlestia, sed videtur studiosè factum quod facit: Et 59. Natura nihil irrationabiliter,neque frustra facit: Et supra 56. Neque animata,neque violenta feretur latione nullum ipsorum,cœlestium scilicet corporum,velut futurum prouidente natura, quoniam non hoc modo se habente motu, nihil vtique erit: Circa hunc locum, & alijs locis multis,talia multa dicit. Et quòd hæc natura apud Aristotelem sit Deus, patet per eius verba, quæ conuenire non possunt irrationali naturæ, nec rationali alicui, nisi primæ; quod & dictum suum ex libello de morte Aristotelis recitatum superiùs planè docet. Vnde 1. Oeconomicæ 1. dicit, Natura replet periodo procreationis prolis semper esse, cùm per vnum nequeat,

C per speciem tamen, sicut præordinata fuit à diuino vtriusque natura masculi & fœminæ ad communitatem. Auerroes quoque super 2. de Anima comment. 34. dicit quòd sollicitudo diuina cùm non potuit facere generabile & corruptibile permanere secundum indiuiduum, miserta est in dando ei virtutem quæ potest permanere in specie. Adhuc autem quid rectiùs æstimandum naturam vniuersalem, quàm animam mundi communem? Hæc autem est Deus, sicut præmissa 2° huius ostendunt, quod & multa similiter ibi tacta probare videntur. Ampliùs autem & principalis sententia per multa Philosophorū testimonia comprobatur. Arist. enim præter superius allegata in De secreto secretor. 1. part. 23. dicit, quòd Deus omnes impressiones, frigora, & calores in hyeme & æstate summa prouidentia ineuitabiliter stabiliuit. Idem in De mundo 13. Deo gubernante, semper immobiliter & diligenter regitur totus decor cœli & terræ diuisus secundum omnes naturas. Hoc etiam planè tenent Auicen. 8. Met. 9. & 10. & Algazel. 5. Phys. & 5. Met. Auerroes quoque super 12. Meta. comment. 37. dicit, quòd *Aristoteles.* *Auicenna.* *Algazel.*

D Deus habet curam & sollicitudinē circa omnia entia, tam circa indiuidua, quàm circa species; & comment. 52. dicit, quod principium voluntarij & naturalis oportet vt habeat intentionem actionis ordinatam ad 1am causam; & sciendum quòd hæc est sententia Aristotelis in sollicitudine, & recitatis duabus opinionibus contrarijs, quarum vna posuit Deum habere sollicitudinem circa quodcunque; & alia, quòd nulla est sollicitudo omninò, dicit; Et veritas est in hoc, quòd sollicitudo est, & quòd si aliqua sint sine sollicitudine, proueniunt ex necessitate materiæ, non ex diminutione agentis; sed nulla proueniunt ex necessitate materiæ nisi forsan sicut ipsemet loquitur, super 2. Phys. comm. 88. cùm dicit, Illa quæ inueniuntur in rebus naturalibus de necessitate non propter aliquid, vt mors Animalis, sunt propter materiā; & illa quę inueniuntur in eis propter aliquid, sunt propter formam; & tales priuationes licet aliquo modo intendantur à Deo, non tamen ita principaliter sicut habitus & forma: Hæ namq; propter illos intenduntur finaliter, non è contra. Vnde Sap. 1. Deus mortem non fecit: Et Eccles. 39. *Auerroes.* *Sapient. 1.*

E Fames & mors ad vindictam creata sunt. Adhuc autem Calcidius super 2am partem Timæi Platonis, sic ait, Priscorum hominum genus omnia quę ad vsum hominum vitæq; facultatem agendam, diuino consilio & prouidentia demanant, auxiliantibus atque operantibus tam potentijs quàm rationibus, hæc ipsa quæ auxiliantur deos putabat, propterea quòd rudibus animis nondum insederat vera Dei scitatio. Erant enim Pastores, & Syluacedi, cæteriq; huiusmodi sine studio humanitatis; vbi & ad prouidentiā affirmandā adducit Platonē, Pictagorā, Orpheum, Lipponem, & Musæum; totaq; secta Stoicorum diuinam prouidentiam concorditer profitetur, teste Lactantio vbi prius. Ad hoc etiā faciunt multæ Autoritates Philosophicæ, & Theologicę, 1° huius 2, 3, 4, 6, 9, & proximo allegatæ, quæ de sollicitudine, prouidentia, gubernatione, & similibus faciunt mentionē. Præterea Aug. 8. super Gen. ad lit. à cap. 11. vsq; *Ecclesiastici 39.* *Calcidius.* *Augustinus.*

ad

ad finē oſtendit,multumq; diffusè opus diuinæ prouidentię bipartitū,creationis ſcilicet & adminiſtrationis,cui tota ſubiacet creatura; & 9.24. idem & 1. de lib.arbitr. 11. Nihil rerum eſt A
quòd non adminiſtret diuina prouidentia; et idem 2. 28.34.& 3.2. ac alijs libris, & locis non paucis,quorum vnum nunc tangā alijs prætermiſſis 5. de ciuit.Dei 11. dicit ita, Deus qui fecit hominem rationale animal ex anima & corpore,qui eum peccantem nec impunitū eſſe permiſit, nec ſine miſericordia dereliquit, qui bonis & malis eſſentiam cum lapidibus, vitam ſeminalem cum arboribus, ſenſualem cum pecoribus, & intellectualem cum ſolis Angelis dedit, à quo eſt omnis modus, omnis ſpecies, omnis ordo, menſura, numerus, & pondus; & quicquid naturaliter eſt,cuiuſcunque generis eſt, à quo ſunt ſemina formarum, formæ ſeminum, motus ſeminum atque formarum, qui dedit carni originem, pulchritudinem, valetudinem, propaginis fœcunditatem, membrorum diſpoſitionem, ſalutem,concordiam, qui & animæ irrationali dedit memoriam ſenſum & appetitum, rationali autem mentem,intelligentiam,& voluntatem, qui non ſolum cœlum & terram, nec ſolum Angelum & hominem, ſed nec exigui & contemptibilis animantis viſcera, nec auis penulam, nec herbæ floſculum, nec arboris B
folium, ſine ſuarum partium conuenientia & quadam veluti pace dereliquit, nullo modo eſt credendus regna hominum, eorumque dominationes, & ſeruitutes à ſuæ prouidentiæ legibus alienas eſſe voluiſſe. Lactantius inſuper, vbi prius, oſtendit multipliciter & diffusè diuinam prouidentiam generalem. Huius autem Lactantij, & libri eius prædicti, qui continet 7. libros, beatus Ieronymus de viris illuſtribus 80. & beatus Auguſtinus 18. de Ciuit. Dei 24. laudabilem faciunt mentionem Nulli igitur videatur eius Autoritas contemnenda. Iſidorus etiam, vbi prius, recitat ab Epicuro nulla diuina prouidentia inſtructum eſſe mundum aut regi, tanquam hæreſin ſeu errorem, ſicut eius proceſſus euidenter oſtendit. Ioſephus quoque 2. Antiquit. Iudaicæ vlt. recitat Moſen ſic dixiſſe, De Dei prouidentia deſperare immenſæ veſaniæ eſt. Item Pſalmo 118. Ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi. Et 146. Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Et 148. ſtatuit ea in æternum,& in ſæculum ſæculi,præceptum poſuit & non præteribit. Et Sapient. 12. C
Non eſt alius Deus quàm tu, cui cura eſt de omnibus: Totaque Scriptura Canonica veteris Teſtamenti & noui dicit creberrimè Deum prouidere de rebus, curare, ordinare, ſtatuere,diſponere, præparare, facere, gubernare,& multa ſimilia, quæ tam ſecundum faciē literæ, quam ſecundum expoſitionem ſanctorum ad diuinam prouidentiam referuntur. Pro quibus omnibus ſufficiat adducere vnum irrefragabile teſtimonium veritatis dicentis, Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea,& pater veſter cœleſtis paſcit illa: Conſiderate lilia agri, quomodò creſcunt; Non laborant,neq; nent, neq; Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis;& fænum agri quod hodiè eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, Mat.6. Et infra 10. Nonnè duo paſſeres aſſe væneunt, & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro: Quod omnes expoſitores Catholici ad diuinam prouidentiam referunt, quorum vnius nunc pro omnibus memorabor. D
Dicit ſiquidem Auguſtinus in ſententijs Proſperi propoſitione 286. Cum Saluator dicit vnum paſſerem non cadere in terram ſine voluntate Dei,& quòd fœnum agri quod poſt paululum mittendum in clibanum eſt, ipſe tamen formet ac veſtiat, nonnè confirmat, non ſolum totam iſtam mundi partem mortalibus rebus & corruptibilibus deputatam, verum etiam viliſſimas eius abiectiſſimaſque particulas diuina prouidentia regi, ne fortuitis perturbari motibus,ea quorum cauſas comprehendere non poſſumus, æſtimemus.

Lactantius. *Hieronimus.* *Auguſtinus.* *Iſidorus.* *Ioſephus.* *Pſal.118.* *Auguſtinus*

CAP. XXVIII.

De Fato.

HIC autem pro iſta materia plenius pertractanda facienda eſt inquiſitio quædam breuis de Fato. Multi namq; aſſerunt Fatum eſſe; Multi quoque ac maximè Doctores Catholici negant Fatum. Stoici ſiquidem teſte Boetio ſuper 1. peri hermenias vlt. aſſerunt Fatum eſſe, E
& omnia geri Fato: quod & Auguſtinus 5. de Ciuit. Dei 8. & 9. ſimiliter atteſtatur quibus & conſentiunt multi Philoſophi & Poëtę. Quibus è contrario Auguſtinus 1. part. ſuper Iohan. homilia 37. O ſi cor tuum non eſſet fatuum, non crederes Fatum; quod & ſupra homilia 31. ſimiliter reprobat, & condemnat: Qui & 2. ſuper Gen. ad literam 25. dicit, quod Fatum eſt à ſanitate Fidei reſpuendum. Idem etiam de quæſtionibus veteris & nouæ legis,

Boetius. *Auguſtinus.*

A Quæst. 115. magno luctamine destruit fatum astrorum, & artis Matheseos, quia si ponatur, destruit liberum arbitrium in hominibus & in Deo, & Christum & eius facta necessitati supponit. Qui insuper 2. contra Faustum agens de stella Christi Magos ducente, reprobat fatum stellarum à Christo, & ab hominibus vniuersis. Beatus quoque Gregorius, homil. 10. quæ est de Epiphania, de eadem stella loquens, sic dicit; sciendum quòd Priscillianistæ hæretici, qui nasci vnumquemque sub constitutionibus stellarum putant, hoc in adiutorium sui erroris assumunt, quòd noua stella exijt, cùm Dominus in carne apparuit, cuius fuisse fatum eandem stellam putant. Sed absit à fidelium cordibus, vt esse aliquid fatum dicant, quod & rationibus multis redarguit consequenter. Ieronymus etiam lib. 11. super illud Esaiæ 38. In diebus illis ægrotauit Ezechias, &c. Fati, inquit, quæstio soluitur, ac necessitatis vincula, atque causarum, quòd nequaquam dies mortis singulis præstituta sit, sed voluntate Dei, & ignotis mortalibus causis, vel viuat aliquis, vel moriatur; præsertim cùm & in ista vita, nunc mortis necessitas differatur, & post mortem resuscitatos plurimos legerimus. Ambrosius insuper in suo Hexa- *Ambrosius.*
B meron, agens de opere 4. diei diffuso processu fatum redarguit & refellit. Gregorius quoque *Gregorius.* Nicenus, vt allegatur in Glossa, Mat. 2. arguit contra ponentes fatum per hoc, quod tunc ora- *Nicenus.* tiones essent insipientes, & natura contingentis destrueretur, nec esset liberum arbitrium voluntatis. Idem vult Chrysostomus super illum locum Matthæi, & multi Catholici tractato- *Chrysostomus.* res. Quibus & concordat ille Ouidius Naso Pelignensis, 1. de Vetula, vbi agit de ludo deciorum, & illum damnat, eo quòd non innititur ratione, sed casu fortuito deciorum, hominumque fortuna, seu fato, sic dicens; *Nec scis fortunas hominum, &c. Si Fatum ponas, fatui qui Fata sequuntur.* Nam posito fato, libertas arbitrij non esset, sed libertas est aliquid, *Nihil ergo - Est Fatum fatuum; fatui qui Fata sequuntur.* Horum autem, vt vtar verbis Philosophi, 1. Ethi. 12. hoc quidem multi, & veteres dicunt, hoc autem pauci & gloriosi viri. Neutros autem horũ rationabile peccare in vniuersis sed vnũ aliquid vel plurima dirigere. Ad illam ergo, quę magnos studiosis affert fructus, scientiam diuidendi secundum traditionem Peripateticæ disciplinæ recurro. Fatum igitur secundum Doctorum sententiam dupliciter dicitur; vno modo
C vis communis Astrorum, quæ generaliter omnia quæ fiunt in mundo ineuitabiliter necessitate regulat, & coercet; specialiter autem virtus quædam siderea consistens in constitutione siderum, horâ qua quis conceptus est aut natus, quæ & omnium futurorum circa tunc natum, necessitatem imponit. Aliter autem dicitur Fatum à fando, à famine scilicet seu fatione Iouis secundum Stoicos, & alios ethnicos Philosophos & Poetas, qui apud eos fuerat summus Deus, quod apud Catholicos potest dici Fatio, Famenuè Dei. Fatum siderum seu astrale, prę- sertim si necessitatem importet, non est ponendum, sicut præmissa circa 32. partem, & 39. corollarij primi docent; & sic Doctores superius recensiti, imò & omnes Doctores catholici concorditer Fatum damnant. Si tamen fatum siderum nequaquam necessitatem, sed quandam dispositionem, & inclinationem in hominibus ad quosdam actus importet, non videtur penitus abnegandum: Fatum verò diuinum est proculdubio concedendum. Nonne scrip-
D tum est in exordio creaturæ; Dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux? & ita de cæteris creaturis? & alibi; Ipse dixit & facta sunt: Omnia enim quæcunque voluit, fecit, quia voluntas eius perfecta; istud autem fatum diuinum est maximè voluntatis diuinæ, quæ est efficax rerum causa, sicut præcedentia docuerunt. Hæc autem distinctio patet per Augustinum 5 de Ciuit Dei, *Augustinus.* 1. 8. & 9. vbi & primo membro reprobato diffusè dicit de secundo, quòd Stoici omnem connexionem seriemque causarum, qua fit omne quod fit, Fatum appellant, quod totum Dei summi tribuunt voluntati & potestati, qui veracissimè creditur cuncta præscire, & nihil inordinatum relinquere; sed ipsam præcipuè Dei summi voluntatem, cuius potestas insuperabiliter per cuncta porrigitur Fatum appellare probantur, quoniam Iouem appellant, quem summum Deum putant, à quo connexionem dicunt pendere Fatorum. Et infra 9. Omnia, inquit, *Augustinus.* fato fieri non dicimus, imò nulla fieri fato dicimus, quoniam fati nomen, vbi solet à loquen-
E tibus poni, id est, in constitutione siderum, quo quisque conceptus aut natus est, quoniam res ipsa inaniter asseritur, nihil valere monstramus; ordinem autem causarum, vbi voluntas Dei plurimum potest, neque negamus, neq; fati vocabulo nuncupamus, nisi fortè vt fatum à fando dictum intelligamus, id est, à loquendo. Non enim abnuere possumus esse scriptum in literis sanctis; Semel locutus est Deus, duo hæc audiui, quoniam potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes vnicuique secundum opera eius: Quod enim dictum est; Semel locutus, intelligitur immobiliter, hoc est incommutabiliter est locutus, sicut nouit incommutabiliter omnia quæ futura sunt, & quæ ipse facturus est. Idemque supra eiusdem 1. Prorsus, inquit, diuina prouidentia regna constituuntur humana, quæ si propterea quisquam fato tribuat, quia ipsam Dei voluntatem vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam

Isidorus. guam corrigat. Cui concordat Isid.8.Eth.45.dicens; Fatū dicunt Gentiles esse, quicquid dij fantur, quicquid Iupiter fatur; à fando igitur Fatum dicunt, id est, à loquendo, quod nisi hoc nomen iam in alia re soleret intelligi, quo corda hominum volumus inclinare, Fatum à fando possumus rationabiliter appellare: Non enim possumus abnuere, &c. verba Augustini præmissa. Adhuc autem est alia distinctio à Fato bimembris: Vno enim modo accipitur Fatum actiuè pro famine seu fatione voluntatis diuinæ seu Dei omnia disponentis: alio modo passiuè, sicut & nomen magis sonat pro effectu & dispositione passiua huius fati ipsis rebus dispositis inhærente. Primum membrum patet per Augustinum 5. de Ciuitate Dei 8. ad hanc partem Senecam, Homerum, & Stoicos allegantem: Allegat enim à Seneca istos versus; A

Duc me summe Pater, altique poli dominator,
Quocunque placuit; nulla parendi mora est.
Assum impiger, fac nolle, comitabor gemens, B
Malusque patiar facere quod licuit bono.
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt:

Ab Homero autem allegat hos versos, quos Cicero vertit in Latinum:

Tales sunt hominum mentes, quali Pater ipse
Iupiter antiferas lustrauit lumine terras.

Dicitque Augustinus, quod per hos versus quos Stoici allegant pro opinione sua de Fato, apertissimè declaratur, quid sentiant esse Fatum, quoniam Iouem appellant, quem summum Deum putant, à quo connexionem dicunt pendere Fatorum. Vnde videtur quod Aristoteles 2. de Anima 148. iniustè reprehendit Homerum, imponens sibi, quod ipse opinatur intelligere esse corporeum, vt sentire, quia dixit vt recitat, quod talis intellectus est in terrenis hominibus, qualem ducit in die Pater virorum deorumque. Non enim per Patrem virorum atque Deorum intellexit Solem vel aliquid corporeum, vt Aristoteles tacitè innuit, & sui expositores dicunt expressè, sed ipsum Iouem tam hominum quàm aliorum Deorum summum Patrem, vt patet per versus eius prædictos, istam sententiam sapientes. Nec debet obstare quod dicit lumine, quasi velit dicere quod Iupiter hoc faciat aliquo materiali lumine mediante: Potest enim intelligere congruè per hoc lumen intellectum agentem, qui teste teipso 3. de Anima 18. lumini comparatur; Vnde & Psalmista 35. In lumine tuo videbimus lumen. Hoc etiam Primum membrum huius distinctionis de Fato patet per Philosophum in De mundo vlt. exponentem tria statuta Fatorum, sicut & Isidorus 8. Eth.45. præteriti Atropos, futuri Lachesis, præsentis Clotho, & dicentem, Perficitur autem fabula, scilicet de triplici Fato, non inordinatè. Sunt autem hæc omnia nihil aliud nisi Deus, quemadmodum & strenuus ait Plato: Vnde patet quod hæc opinio etiam sit Platonis. Secundum verò membrum distinctionis præmissæ patet per Philosophiam 4. de Consol. Phis. prosa 6ª. sic Boetium informantem; Omnis generatio rerum, cunctusq; mutabilium naturarū progressus, & quicquid aliud aliquo mouetur modo, causas, ordinem, formas ex diuina mentis stabilitate sortitur. Hæc in suæ simplicitatis arte composita multiplicem rebus gerendis modum statuit, qui modus cum in ipsa diuinæ intelligentiæ puritate conspicitur, prouidentia nominatur; Cùm verò ad ea quæ mouet atque disponit refertur, Fatum à veteribus appellatum est, quæ diuersa esse facilè liquebit. Nam prouidentia est ipsa diuina ratio, in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta disponit; Fatum verò inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam prouidentia suis quæque nectit ordinibus. Prouidentia namque cuncta pariter quamuis diuersa, quamuis infinita complectitur; Fatum verò singula digerit, in motu, locis, formis, ac temporibus distributa, vt hæc temporalis ordinis explicatio in diuinæ mentis adunata prospectu, prouidentia sit; eadem verò adunatio digesta atque explicata temporibus, Fatum vocetur, quæ licèt diuersa sint, alterum tamen pendet ex altero. Ordo namque fatalis ex prouidentiæ simplicitate procedit, sicut enim artifex faciendæ rei formam mente percipiens mouet operis effectum, & quod simpliciter præsentarièque prospexerat, per temporales ordines ducit: Ita Deus prouidentia quidem singulariter stabiliterque disponit facienda; Fato verò hæc ipsa quæ disposuit, multipliciter ac temporaliter administrat, Siue igitur famulantibus quibusdam prouidentiæ diuinæ spiritibus fatum exercetur, seu anima, seu tota inseruiente natura, seu cœlestibus siderum motibus, seu Angelica virtute, seu dæmonum varia solertia, seu aliquibus horum, seu omnibus fatalis series texitur, illud certè manifestum est immobilem, simplicemque gerendarum formam rerum esse prouidentiam; Fatum verò eorum quæ diuina simplicitas gerenda disposuit mobilem nexum, atque ordinem temporalem; quo fit vt omnia quæ Fato subsunt, prouidentiæque subiectę sunt, cui etiam ipsum quoque subiacet Fatum.

Margin: Aristoteles. (C) Psalmista. Philosophus. Boetius. (D) (E)

Ex

A Ex his autem videtur quod Boetius tantummodo ponit Fatum secundum effectum, non autem secundum efficientiam voluntatis diuinæ, sicut Theologi, & Philosophi supra dicti. Videtur etiam quòd voluntariè arguat Stoicos in expositione primi peri hermenias Aristotelis, vbi agit de futuris contingentibus, eo quòd posuerunt omnia prouenire à Fato: Ipsi enim loquebantur de Fato secundum efficaciam voluntatis diuinæ, vt ex prædictis apparet. Quare & ab omni errore reali, etsi non vocali forsitan sunt immunes, sicut præcedentia docuerunt. Hæc enim vox Fatum apud Catholicos est suspecta, licet res ipsa sit sincera. Ostenso ergo quomodo Fatum sit, vel non fit, & quid sit, iam restat ostendere quale sit. Primò igitur ostendendum est, quòd Fatum à fando, seu famine Dei dictum, est quodammodo causa cunctorum, quæ fiunt naturaliter voluntate, vel aliter quouismodo; hoc siquidem proximum huius probat. Quod autem omnia voluntaria à Fato proueniunt, scilicet à fando seu connexione causarum, per proximum & nonum huius apparet. Omnes etiam qui loquuntur de Fato, tantum vel magis ponunt ipsum in rebus humanis voluntarijs, quàm alijs quibuscunque. Quod &
B patet 5. de Ciuitat. Dei 6. & 9. vbi dicit Augustinus; Non est autem consequens vt si Deo certus est omnium ordo causarum, ideo nihil sit in nostræ voluntatis arbitrio; & ipsæ quippè nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, eiusque præsentia continetur; quoniam & humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt. Atque ita qui omnes rerum causas præsciuit, profectò in eis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse præsciuit: Qui & infra, distinctis tribus speciebus generibusue causarum, per fortuitum, naturale, & voluntarium, & iterum per causam quæ facit, & non fit; quæ facit & fit, & quæ fit magis quàm facit; & his omnibus speciebus ad voluntatem diuinam reductis, subiungit; Quomodo igitur ordo causarum, qui præscienti certus est Deo id efficit, vt nihil sit in nostra voluntate, cùm in ipso causarum ordine magnum habeant locum nostræ voluntates. Contendat ergo Cicero cum eis qui hunc ordinem causarum di-
C cunt esse fatalem, vel potiùs ipsum Fati nomine appellant, quod nos abhorremus præcipuè propter vocabulum, quod non in re vera consueuit intelligi. Quòd verò negat ordinem omnium causarum esse certissimum & Dei præscientiæ notissimum, plus nos quàm Stoici detestamur. Quapropter & voluntates nostræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, atque præsciuit, & ideo quicquid valent certissimè valent, & quod facturæ sunt, ipsæ omnino facturæ sunt, quia valituras ac facturas ille præsciuit, cuius præscientia falli non potest; quod etiam capit. 10 expresiùs manifestat: Cui concordat Autoritas Boetij supra dicta, sed infra eadem prosa expresiùs ita dicit; Hæc fati series seu prouidentia actus fortunasque hominum indissolubili causarum connexione constringit.

CAP. XXIX.

De Casu & Fortunâ.

D PErtinens autem dictis videtur simili modo inquirere de Casu & Fortuna. Multi enim hæc concedunt, & multi similiter ipsa negant. Democritus namque & Epicurus & eorum sequaces, nedum ista concedunt, verum etiam nimiam eis tribuunt dignitatem, dicentes casualiter seu fortuito fieri vniuersa, sicut ex 27° huius patet. Vnde & antiquus ille Salustius; Profectò, inquit, fortuna in omni re dominatur. Ista quoque concedunt quasi omnes Philosophi, Poëtæ, & vulgus. Aristoteles hæc concedit 2. Phys. diffusè, & in libro suo de bona fortuna, & alibi multis locis. Auicenna quoque, Algazel, Auerroes, & Boetius hæc concedunt. Ouidius etiam de Arte amandi; *Casus vbique valet, semper tibi pendeat hamus, Quo minime credis gurgite piscis erit.* Idem de Ponto, *Omnia sunt hominum tenui pendentia filo; Et subito casu, quæ valuere, ruunt.*
E Alia quoque multa satis sunt talia de Poëtis. Vulgus similiter ista ponit, quod monstrant aduerbia dubitandi, quæ quasi in omni sermocinatione creberrimè sunt adiecta. Literæ quoque sacræ de casu non tacent. Vnde 2. Reg. 1. Casu veni in montem Gilboæ; & 3. Reg. *2.Reg.1.*
vlt. Vir quidam in incertum sagittam dirigens casu percussit Regem Israel: Et Ecclesia- *3.Reg.vlt.*
stis 9. Vidi nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec Do- *Ecclesi.9.*
ctorum diuitias, nec artificum gratiam, sed tempus casumque in omnibus. Veteres quoque Gentiles, specialiter autem Aegyptij & Romani Fortunam pro Dea colebant, sicut historiæ multæ tradunt, quam & aliqui Iudæorum auersi à Domino aliquoties coluerunt: De quibus Esaiæ 65. Vos qui reliquistis Dominum, qui ponitis Fortunæ mensam &c. numerabo *Esaiæ 65*
vos in gladio. Quoties etiam in Sacra Scriptura ponuntur aduerbia dubitandi, quæ omnia

fortunæ conuenire videntur. His autem è contrario Stoici Casum & Fortunam penitus ab- A
negant, affirmantes omnia fato geri prouidentiaque diuina; quibus et consentiunt quidam
Antiqui Fortunam & Casum similiter destruentes, quoniam est inferre vnumquodq; eorum
quæ fiunt in aliquam causam determinatam & certam, sicut Philosophus 2. Phys. 42. bre-
uiter memoratur: His & videntur quidam Doctores Catholici consentire. Vt igitur isti
quasi in extremis contrarij ad medium concordiæ reducantur, sciendum, quòd omnes qui lo-
quuntur de Casu, & Fortuna, dicunt hæc esse, quandò aliquid accidit præter intentionem a-
gentis, vt patet per prædictos Autores, & per communem conceptum omnium de ipsis lo-
quentium. Aliquid ergo contingere præter intentionem agentis potest dupliciter cogitari;
vel prȩter intentionem cuiuslibet agentis omninò, ita quòd à nullo simpliciter intendatur, vel
præter intentionem alicuius causæ particularis, vel cuiuslibet causæ inferioris: Primum potest
vocari simpliciter casuale aut fortuitum; Secundum verò secundum quid; Nihil igitur est
simpliciter casuale, neque fortuitum, sed secundum quid tantum, sicque tollitur repugnantia B
supra dicta. Quòd autem nihil sit casuale simpliciter neque fortuitum, ostenditur isto modo.
Nihil quod fit à proposito, & ex intentione agentis, est simpliciter casuale aut fortuitum: sed
omne quod fit, fit à proposito, & ex intentione agentis: Istud autem agens putatur ab Astro-
logis esse cœlum, seu virtus cœlestis, quæ omnia etiam quæ videntur esse fortuita, certa rati-
one, & determinata causatione producit. Quare & quosdam planetas fortunatos, imò & for-
tunas appellant, puta Solem & Lunam: pars quoque fortunæ in Natiuitatibus, in inceptioni-
bus operum, & in omnibus rebus humanis valere quàm maximè æstimatur: quare & excel-
lentissima omnium partium reputatur. Hinc & decimam domum essentialem assignant. Hæc
autem à die accipitur à Sole in Lunam, in nocte verò è contrà, & proijcitur ab ascendente.
Albumazar De qua & Albumazar 8. maioris Introductorij, differentia 3ª. scribit ita; Proprietas significa-
tionis eius est significare animam & fortunam, illius atque eius virtutes, & significat vitam
& corpora, & substantiam ac profectum, & fortunam, ditationem quoq; ac paupertatem, au- C
rum & argentum, vtilitatemq; & grauitatem, fori laudem, & bonam famam, & sublimitatem
nati, & regni, atq; principatus; & significat diuites, & honorem, sublimitatem quoque, & bo-
num ac malum, præsentem quoque & absentem, apparentem, atq; occultum, significat quoq;
intentionem & initium operum & rerum, & hæc pars præponitur omnibus partibus, quemad-
modum præponitur Sol per splendorem omnibus planetis, & ipsa est sublimior & pretiosior
omnibus partibus. Et hinc est fortassis quòd bona huiusmodi apud multos, etiam apud Phi-
losophos, bona fortunæ creberrimè nuncupantur. Alij autem videlicet Antiqui Gentiles pu-
tabant esse vnam Deam distribuentem, aut subtrahentem omnia bona huiusmodi pro libito
voluntatis absque aliqua ratione; quare & depinxerant ipsam cæcam, ipsamq; fortunam dice-
bant. Sed hi ambo per proximo huius præmissa & superiora capitula refelluntur, præsertim
si Astrologi ponant actus humanos de necessitate subesse virtuti cælesti, aut ipsam quicquam
penitus agere sine Deo idem specialiter intendente, & similiter faciente. Quod est igitur il- D
lud agens, quod ex certa intentione, & determinato proposito cuncta facit, & efficit omnia,
nisi Deus, qui est omnium agentium primum agens, & omnia facit secundum propositum &
intentionem propriæ voluntatis, sicut 28. & 27. huius monstrant? Item Casus, & Fortuna
sunt causæ per accidens, vt patet 2. Phys. & omnis causa per accidens reducitur ad aliquam
causam per se, sicut secundum huius ostendit, & omnis causa per se ad Deum; Deus ergo est
prima causa istorum, & non temere & necessario, sed secundum suæ propositum voluntatis.
Sed nè in ista sententia videar singularis, ecce multi Philosophi, & Theologi sententiam hanc
tenentes. Aristoteles enim 2. Phys. inter opiniones recitatas de Casu & Fortuna, ostendit quo-
modo illa opinio habeat veritatem, quæ ponit nihil fieri à Fortuna, dicens quòd Fortuna est
causa nullius simpliciter, sed tantum per accidens sub his verbis; Et vt nihil à Fortuna vide-
bitur vtique fieri. Omnia quidem enim hæc rectè dicunt, quoniam rationabiliter est quidem
enim vt sit à Fortuna; secundum accidens enim fit, & est causa, vt accidens Fortuna, vt autem E
simpliciter nullius; vt domus ædificator quidem causa est, secundum accidens autem tibicen.
Quod autem omnis Fortuna reducatur ad Deum, patet per eundem in De mundo; vlt. osten-
dentem, quomodò, cum sit vnus, est tamen multinomius, ab omnibus passionibus quas inno-
uat, sicut inductiuè declarat, & in fine sic ait, & in summa loquendo, cœlestis & terrestris ap-
pellandus, & à qualibet Natura & Fortuna, velut ens ipse omnium causa. Et infra dicit, Deum
εἱμαρμένην vocari *heimarmenen* eo quod copulat & disiungit, & Nemesin à distributione vnicuique facta,
Damascenus. quæ videntur conuenire Fortunæ. Vndè & Damascenus 39. Sentent. exponit *heimarmenen*
per Fortunam. Hoc autem probat expressius in libro suo de bona Fortuna, vbi recitat 5. opi-
Aristoteles. niones de ipsa, scilicet quòd sit à Deo, à Natura, à rerum euentu, à ratione, & ab appetitu,
circa

A circa quas disputatiuè procedit. Et cap. 2. reprobat duas vltimas opiniones; Primò, illam de appetitu, quoniam illius est appetitus aliqua causa, illa vel est natura vel fortuna: si natura, ergo magis dicitur natura causa illius quàm fortuna, & talis magis diceretur bene naturatus, quàm bene fortunatus: si fortuna sit causa illius, tum fortuna erit causa omnium actuum humanorum, cùm sit causa eius quod sit intelligere & consiliari; & addit arguendo; Non enim consiliabatur consilians antequam consiliaretur, sed est principium quoddam, neque intellexit intelligens priusquam intelligeret, & hoc in infinitum. Non igitur eius, quod est intelligere, intellectus est principium, neque consiliandi consilium. Quid igitur aliud quàm fortuna? Itaque à fortuna omnia sunt; & respondet, dicens; Aut est aliquod principium cuius non est aliud extra ipsum, aut quia tale secundum esse, tale potest facere; quod autem quæritur, hoc est; Quid motus principium in anima? Palam, quemadmodum in toto, Deus; Mouet enim aliquo modo omnia quæ in nobis diuinum; Rationis autem principium, non ratio, sed aliquid melius: quid igitur erit melius & scientia & intellectu, nisi Deus? Vir-
B tus enim intellectus organum. Et propter hoc quod olim dicebantur, benè fortunati vocantur, qui si impetum faciunt, dirigunt sine ratione existentes, & consiliari non expedit ipsis; habent enim principium tale quod melius intellectu & consilio; qui autem rationem, hoc non habent, neque diuinos instinctus. Et capite primo dicit, In Anima inest naturâ tale, quo impetu ferimur sine ratione: ad quæ vtique benè habebimus. Et si quis interroget sic habentem, propter quid hoc placet sibi operari? Nescio, inquit, sed placet mihi, simile patiens his quæ à Deo aguntur. Etenim à Deo vecti, sine ratione impetum habent ad operari aliquid: qui & secundo Rhetoricorum, vicesimo tertio, agens de bonis Fortunæ, & benè fortunatis, sic ait; Magis impræmeditatiui propter bonam fortunam sunt: Vnus autem asseritur mos optimus bonæ fortunæ, qui amatores Dei sunt, & habent se ad diuinum aliqualiter credentes propter facta bona à Fortuna, sed quare hoc, nisi Deus esset Autor Fortunæ? Qui & decimo Ethicorum, decimoquarto, recitat triplicem opinionem,
C quomodo homines fiunt boni, sic dicens; Fieri autem bonos existimant hi quidem naturâ, hi autem consuetudine, hi autem doctrinâ; & determinans veritatem primæ opinionis, sic dicit; Quod quidem igitur naturæ, manifestum, quòd non in nobis existit, sed per aliquam diuinam causam, vt verè benè fortunatis existit: super quod dicit Auerroes; Quidam hominum putantur esse boni per naturam: & quod de hoc est per naturam, non est à nobis, sed per gratiam quandam diuinam illis, quorum fortuna bona est veraciter. Item Auicenna decimo Metaphysicorum, primo, dicit; Principium omnium vtilitatum est ex cura diuina, & scias quòd plus appropinquat vulgus & tenet, & dicit; Verum est, nec refugiunt hoc, nisi qui volunt videri Philosophi, eò quòd ignorant causas & occasiones istorum. Et loquens de aduersitatibus, & prosperitatibus, eleemosynis, & peccatis, & similibus, ita dicit; Causa istorum omnium non est hic, sed illinc: Principia autem horum omnium proueniunt ad naturam, voluntatem, vel casum: Naturæ verò principium est illic; sed voluntates nostræ
D sunt postquam non fuerunt; quicquid autem est, postquam non fuit, causam habet; ergo omnis nostra voluntas causam habet; causa autem huius voluntatis non intendit ad infinitum, sed ad aliqua quæ accidunt extrinsecus, terrena scilicet vel cœlestia; sed terrena perueniunt ad cœlestia. Collectio igitur horum omnium prouenit necessariò ex necessitate diuinæ voluntatis; casus autem fit ex concursu horum omnium. Cùm enim resolueris omnia, reducentur ad ea, quorum necessitas solummodò à Deo omnipotente dependet, iudicium autem Dei est prima positio simplex. Hoc etiam innuit Boetius in Expositione primi *Boetius.* peri hermenias vbi prius; vbi distincto triplici animali, scilicet, subiecto naturæ, Cœlo, ac rationi cum libero voluntatis arbitrio, declaratisque duabus prioribus speciebus: de tertia, ita dicit; Quæ nos sumus cuncti diuinæ prouidentiæ subiecti; ex ipsa quoque * Diuorum voluntate pendemus. Itaque nec cœlestium necessitas tota subruitur, nec ca- * diuinorũ
E sum disputatio hæc de rebus eliminat; per quod innuit, vt videtur, quòd in rebus sit casus respectu causarum particularium & inferiorum, non autem respectu diuinæ prouidentiæ, & voluntatis, quibus in cunctis subijcimur, & à quibus in omnibus dependemus. Quod & quinto de Consolatione Philosophiæ, prosa prima, diffusiùs & expressiùs manifestat: siquidem, inquit, aliquis euentum temerario motu, nullaque causarum connexione productum esse casum definiat, nihil omninò casum esse confirmo. Ecce quod nihil est simpliciter casuale, quia non præter intentionem Dei, quod litera sequens ostendit: Quis enim coercente in ordinem cuncta Deo, locus esse vllus temeritati reliquus potest? Et recitata definitione Aristotelis de Casu, & posito exemplo de fodiente humum causa colendi agrum, inueniente thesaurum absconditum, dicit, Fossio humi & absconsio thesauri sunt fortuito causæ

causæ compendij, id est, Casus, quod ex obuijs sibi, & confluentibus causis, non ex genentis intentione prouenit, neque vel qui aurum obruit, vel qui agrum exercuit, vt ea pecunia reperiretur intendit. Patet igitur secundum eum, quod nihil dicatur simpliciter casuale, sed tantum respectu alicuius causæ particularis, seu respectu inferiorum causarum, quod & verba eius sequentia pleniùs manifestant, cùm dicit; Liquet igitur definire Casum esse inopinatum ex confluentibus causis, in his quæ ob aliud geruntur, euentum; Concurrere autem atque confluere causas facit ordo ille ineuitabili connexione procedens, qui de prouidentiæ fonte descendens cuncta suis temporibus locisque disponit, quod & metrum sequens exem- A
Augustinus plariter manifestat. Hæc etiam planè videtur sententia Augustini 1. Retract. 1. dicentis, Non mihi placet toties me appellare fortunam, quamuis non aliquam Deam voluerim hoc nomine intelligi, sed fortuitum rerum euentum vel in corporis nostri, vel in externis bonis aut malis; vnde & illa verba sunt, quæ nulla religio dicere prohibet, fortè, forsan, forsitan, fortassis, fortassè, fortuitu, quod tamen totum reuocandum est ad diuinam prouidentiam. B
Hoc etiam ibi non tacui, dicens; Etenim fortassè quæ vulgò Fortuna nominatur, occulto quodam ordine regitur; Nihilque aliud in rebus casum vocamus, nisi cuius ratio & causa secreta, seu in occulto est. Dixi quidem hoc, veruntamen pœnitet me sic illic nominasse Fortunam, cùm videam homines habere in pessima consuetudine, vt vbi dici debet, hoc Deus voluit dicere, hoc voluit Fortuna. Idem 83. quæst. 24. Quicquid casu fit, temerè fit; quod temere fit, prouidentia non fit: si ergo casu aliqua fiunt in mundo, non prouidentia vniuersus mundus administratur: Nihil ergo casu fit in mundo. Idem 5. de Ciuit. Dei 9. Nos eas causas quæ dicuntur fortuitæ (vnde & Fortuna nomen accepit) non esse dicimus nullas, sed latentes, easque tribuimus, vel Dei veri, vel quorumlibet spirituum voluntati. Idem super illud Psalmi 9. Confitebor tibi Domine in toto corde meo, Non in toto corde confitetur Deo, qui de prouidentia eius in aliquo dubitat. Omnes cruciatus qui corporaliter inferuntur, aut exercent conuersos ad Deum, aut vt conuertantur admonent, aut iustæ damnationi vltimæ præparant obduratos, & sic omnia ad diuinæ prouidentiæ regimen referuntur, C
quæ stulti casu, & temere, & nulla diuina administratione fieri putant. Idem quoque super illud Psalmi 148. Ignis, grando, nix, &c. quæ faciunt verbum eius; Quare addidit, quæ faciunt verbum eius? Multi non volentes contemplari & discernere creaturam locis suis, & ordine suo sub nutu & iussu Dei agentem motus suos, visum est illis, quia superiora omnia Deus gubernat, sed inferiora non curat, non gubernat, non regit, sed casui dimittuntur. Sed non cosentias istis; blasphema enim sunt & execrabilia Deo, quia totum prouidentia Dei fit in terra. Omnibus itaque locis, regionibus, temporalibus, sua quæque distribuit & ordinat. Longum est commemorare diligentiorem considerationem omnium rerum; quis illam explicat? tamen qui oculos habent, vident visa quæ placent & laudantur, non tamen ipsa, sed ipse qui fecit: ita omnia laudabunt; hæc ergo quæ videntur casibus agitari, faciunt verbum e-
Apostolus. ius, & in omni motu suo seruiunt verbo Dei. Hoc idem apparet per Apostolum ad Eph. 1. dicentem; Nos sorte vocati sumus; Quid enim est sors nisi sors, fortuna, vel casus? Hæc autem sors est diuina electio & voluntas, vt patet ibi per glossam, & per Augustinum super illud Psalmi 30[i]. In manibus tuis sortes meæ, tractatu tertio sic dicentem: Sors dicitur Dei gratia, qua salui facti sumus, quæ bene dicitur sors, quia hominis non est electio, sed voluntatis Dei, quia nulla nostra merita inuenit, sed sorte voluntatis suæ nos ad salutem vocauit, quia voluit, non quia digni fuimus, non ex operibus ne fortè quis extollatur: Ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Iesu in operibus bonis. Hæc quodammodo sors occulta est; voluntas Dei in humano genere sors est; sors veniens de Dei occulta voluntate, apud quem non est iniquitas; Non enim ille personas accipit, sed occulta illius iustitia tibi sors est. Quid etiam magis casuale aut fortuitũ quàm sors, sortiumq; euentus, qui tamẽ voluntate diuina cog- D
Act. 1. noscitur moderari, sicut euidenter ostendit vtriusq; series testamenti. Quare & Apostoli in locum Iudæ Apostatæ alterum electuri dantes sortes dixerunt, Tu Domine ostende quem elegeris. Vnde & Parab. 16. Sortes in sinum mittuntur, sed à Domino temperantur. Quapropter & Augustinus super illud Psalmi 30[i]. vbi priùs, sic ait, Non in manibus hominum, sed in manibus tuis, quæ sunt istæ sortes? quare sortes? Audito nomine sortium non debemus Sortilegos quærere: Sors enim non aliquid mali est, sed res est in dubitatione humana diuinam indicans voluntatem: Nam & sortes miserunt Apostoli. Istud etiam recitatur in Canone 26. quæstione 2. Sors non est. Ampliùs autem pro casu & fortuna pleniùs indagandis, videtur quod vtrumque sumatur actiuè & passiuè, secundum efficientiam, & secundum effectum; secundum causam, & secundum causatum, sicut & de Fato superiùs dicebatur. Actiuè secundum efficientiam & causam loquitur de eis Philosophus 2. Phys. definiens vtrumque, E
quod

A quod est Causa secundum accidens,&c. ibi scripta; quod & patet specialiter de Fortuna per
hic præmissa. Quòd verò casus accipiatur passiuè,secundum effectum & causatum,etiam no-
men suum indicare videtur: Casus enim apparet significare passiuè; Quid enim est casus nisi
quod cadit ab alio,sicut effectus à causa? quare & cōmuniter dicimus, Mirabilis casus accidit,
seu contigit tali viro. Quapropter & definitio casus à Boetio recensita, dicit Casum esse inopi-
natum ex confluentibus causis, in his quæ ob aliud geruntur, euentum; Cui & concorditer
Augustinus superius recitatus; Nihil, inquit, aliud in rebus casum vocamus, nisi cuius ratio,
& causa secreta seu in occulto est. Casus autem actiuè secundum efficientiam & causam acce-
ptus potiùs,vt videtur,casuatio seu casuantia diceretur. Quòd etiam fortuna sumatur passiuè,
& secundum effectum & causatum,videtur similiter ex consueto modo loquendi; Dicimus e-
nim communiter mirabilis fortuna prospera vel aduersa accidit tali viro,volentes dicere quòd
aliquod enfortunium vel infortunium ipsi acciderit. Vnde & Philos.1. Ethic. ostendens quòd
B fœlicitas non consistit in bonis fortunæ, quia ipsa permanens, & nequaquam facilè transmuta-
bilis, fortuna autem contrariè; 15° dicit fortunam multoties recirculari circa eosdem, recir-
culari, inquit, passiuè: Et infra 16. loquens de Fœlice, cui contingunt prospera vel aduersa;
Vt, inquit, verè bonum & sapientem omnes existimamus, fortunas decenter ferre. Quare &
Augustinus superiùs recitatus, dicit quòd nomine fortunæ noluit intelligere aliquam deam,
sed fortuitum rerum euentum. Adhuc autem consideratis superioribus diligenter videtur;
quòd fortuna actiuè secundum efficientia & causam accepta,posset vlteriùs subdistingui. Po-
test enim sumi pro causa quæ agit ex proposito ad aliquem certum finem, & causat finem ali-
um non intentum, sicque loquitur Philosophus 2. Phys. de ipsa, & sic tantummodo compe-
tit causis inferioribus, Deo autem nequaquam, sicut præhabita monstrauerunt: Potestque ac-
cipi pro causa secreta nobisque occulta præter cognitionem, intentionem, & opinationem no-
stram, licet non suam, quippiam producente; & sic potest competere causis inferioribus, & si-
C militer superioribus, Angelis atque Deo. Vnde Philos.2.Phys.47. Sunt, inquit, quidam qui-
bus videtur esse quædam causa fortuna, immanifesta autem humano intellectui, tanquam di-
uinum quoddam ens & felicius. Istam quoque sententiam roborat August 5. de Ciuit.Dei 9.
superiùs recitatus; quam & specialiter de Deo, & de voluntate diuina testari videntur multa
Philosophica, & Theologica prælibata. Verùm hic fortassis quisnam mihi obijciet illum A-
uerrois, qui super 2. Phys.48. reprobat Auicennam, eo quòd 1. Phys. suæ 13. posuit aliquid
esse & dici casuale quia est casuale respectu vnius causæ, licet respectu alterius sit necessarium.
Sed istud non obstat, quoniam Auicenna loquitur de casuali secundum quid, non autem sim-
pliciter, quia sic secundum eum nihil est casuale, vt patet per Autoritatem eius: 10. Metaph.
suæ 1. superiùs allegatam. Auerroes verò, qui ex more, libenter capit hominem in sermone,
arguit contra verba Auicennæ, non contra intellectum, probando quòd ex illa causa nihil de-
beat dici simpliciter casuale, sicque concludit tantùm verbaliter, nihil verò realiter contra
D eum. Vnde Parab.19. Qui tantum verba sectatur, nihil habebit. Quare & Auicenna potest
dicere Auerroi, sicut Affratagoras Socrati quondam dixit, vt idem Auerroes recitat à The-
mistio super 3.de Cœlo comment.17. Si, inquit, tua contradictio contra me esset secundum
intellectū meę intentionis,certè concluderetur mihi;cùm autem tu non intelligis intentionem
mei sermonis, non reputo mihi concludi. Neutri tamen horum fauendo, sed præhonorando
veritatem,videtur mihi quòd nihil dicitur absolute nomine casuale secundū communē vsum
loquendi Philosophorum,aut vulgi, nisi quod est casuale respectu cuiuscunq; causæ suæ infe-
rioris nobis notæ, vel saltem respectu causæ principalis nobis notæ, non autem quod est ca-
suale,seu præter intentionem causæ instrumentalis & accessoriæ qualiscunque. Non enim si
quis ex industria occidat hominem gladio, illa occisio dicitur casualis, quæ tamen est præter
intentionem gladij,qui tantùm intendit descendere & secare, & præter intentionem aëris, qui
intendens principaliter aliud, accessoriè forsitan ad hoc agit.

E

CAP. XXX.

Quod res voluntariæ diuinæ prouidentiæ legibus gubernantur.

NE quis autem credat præhabita de prouidentia tantum in rebus naturalibus
vera esse,videtur specialiter ostendendum, quòd & voluntaria nequaquam
ab huiusmodi prouidentiæ legibus eximuntur: Hoc enim sequitur ex 27°
capitulo, & potest ostendi similiter per rationes & Autoritates illius; quod
etiam ex abundanti proxima duo capitula faciunt manifestum. Item quili-
bet sapiens Paterfamilias meliora & perfectiora magis & sollicitius proui-
det

det atque curat: Rationabilia autem & voluntaria sunt meliora & perfectiora alijs naturali- A
bus: Sunt enim finis eorum, sicut 21. docet. Et hæc videtur ratio Saluatoris contra Epicu-
ræos, sibi sollicitos, nec in diuina prouidentia spem ponentes salubriter admonentis, Ne sol-
liciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neq; corpori vestro, quid induamini, Nonne Ani-
ma plus est quàm Esca? Et corpus plus quàm vestimentum? respicite volatilia cœli, quoniam
non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cœlestis pascit illa.
Nonnè vos magis pluris estis illis? quis vestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cu-
bitum vnum? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodò cres-
cunt, non laborant, neque nent; Dico autem vobis, quoniam neque Salomon in omni glo-
ria sua coopertus est sicut vnum ex istis. Si autem foenum agri quod hodiè est, & cras in cli-
Matth.6. banum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei? Matth. 6. Ex quibus sic con-
cludit, Nolite ergo solliciti esse, dicentes, quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo
operiemur? hæc enim omnia Gentes inquirunt? scit enim Pater vester, quia omnibus his in- B
‖ vobis digetis? sed quid ‖ *nobis* valeret ista Patris scientia, nisi secundum eam filijs prouideret? In hoc
autem processu vt patet intuenti, & dicit Chrysostomus, arguit Christus duplici argumento,
seu loco, Primò à maiori ad minus descendens, cum præposuit, Nonnè anima plus est quàm
esca, & corpus plus quàm vestimentum? Secundo è contra à minori ad maius ascendens, cum
Chrysostomus. præponit, Respicite volatilia cœli, &c. additque Chrysostomus super illud, Nonnè vos plu-
ris estis illis? Omnia animalia Deus propter hominē fecit, hominem autem propter se: quanto
ergo pretiosior est hominis creatio, tanto maior est Dei sollicitudo de ipso: sicq; istum locum
exponunt multi sancti Doctores, quos pro parte recitat ibi Glossa. Item postquam Saluator,
Mat. 10. prædixit Apostolis persecutiones, quas erant passuri pro nomine suo, vt eos contra
timorem mortis per diuinam prouidentiam confortaret, sic dixit, Nolite timere eos qui oc-
cidunt corpus. Nonnè duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine
Patre vestro? vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere; multis C
passeribus meliores estis vos; vbi dicit Chrysostomus, quod rursus sermonem de prouiden-
Hieronymus. tia Dei inducit, Dicitque Ieronymus sicut allegatur in Glossa, & est sensus, Si parua animalia
absque Deo Autore non decidunt, & in omnibus est prouidentia, & quæ in his peritura sunt
sine Dei voluntate non pereunt, vos qui æterni estis non debetis timere, quòd absque Dei vi-
uatis prouidentia. Quod autem ait, vestri capilli capitis omnes numerati sunt, immensam
Dei erga homines ostendit prouidentiam, & ineffabilem significat effectum, quod nihil no-
Hillarius. strorum lateat Deum; Secundum verò Hillarium & Chrysostomum, numeratio capillo-
Chrysostomus. rum diligentiam diuinæ prouidentiæ circa nos ostendit. Hanc etiam rationem videtur Apo-
stolus confirmare 1. ad Cor. 9. vbi vult, quod prouidentia, seu cura Dei circa naturalia, & ir-
Apostolus. rationalia quasi nulla sit, respectu curæ eius circa nos, sic dicens; Scriptum est in lege, Non
alligabis os boui trituranti: nunquid de bobus cura est Deo? aut propter nos vtique dicit?
Nam propter nos scripta sunt. Quibus & concordat Philosophus 2. de Cœlo 50. vbi argu- D
endo contra ponentes astra moueri motu proprio, supponit quòd natura magis curat prætio-
sa, sic dicens; Adhuc autem irrationabile, nullum organum ipsis; scilicet astris naturam de-
disse ad motum; nihil enim, vt conuenit, facit natura, neque de Animalibus curasse, sic autem
pretiosa despexisse. Item alias euacuaretur tota Scriptura de Prædestinatione Sanctorum, &
Reprobatione malorum.

CAP. XXXI.

Quòd actiones voluntariæ diuinæ prouidentiæ supponuntur.

ADhuc autem posset aliquis proteruire dicendo, ipsas res voluntarias E
sub prouidentia contineri, sed non ipsas voluntarias actiones. Quare
videtur expediens istam proteruiam refrænare, quod per Capitula
proxima & probationes eorum fieri planè potest. Item per rationes
& Autoritates capituli proximi, Voluntaria prouidentiæ diuinæ sub-
‖ intellectum. duntur, & hoc specialibus cæteris, ergo secundum ‖ *mentem* Autorum,
hoc est secundum quod, vel quæ sunt voluntaria, scilicet secundū suas
voluntarias actiones; Nam ipsa potentia volutiua, & quæcunque alia
præter voluntarias actiones, sunt purè naturalia, & necessaria. In prouidentia ergo talium
non est per viros discretos tanta discretio facienda, à prouidentia naturalium cæterorum, imò
verius

A verius posset dici; Facies hominis quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem, Abacuc 1. nisi Deus etiam prouideret voluntarias actiones. Item per capit. nonum, Voluntas Dei est causa motiua cuiuslibet motionis, & non perperam sed cum sapientia disponente, & neutra earum noua, sed æterna, sicut præcedentia docuerunt: patet ergo propositum per definitionem prouidentiæ supradictam. Item omnes actiones naturales tam animatorum, quàm inanimatorum à prouidentia, quia ab eius voluntate & scientia producuntur, sicut ex prioribus satis patet, & quia naturaliter & necessariò fiunt; ergo reducuntur ad primum necesse esse, à quo effluunt & dependent; quod & de actionibus irrationalium, de quibus minus videtur, patet per Augustinum De fide, ad beatum Petrum, tricesimo primo dicentem; Illa animalia irrationalia præsentis sæculi cursum atque ornatum secundum Creatoris incomprehensibilem peragunt voluntatem, quę de suis factis nullam rationem reddituга sunt, quia rationalia non sunt; actiones autem voluntariæ sunt meliores & acceptiores Deo. Istis e-
B nim retributionem congruam præparauit, non illis, sicut tam Philosophi, quam Theologi dicunt concorditer vno ore. Quare & sollicitiori prouidentia disponuntur, sicut capit. proximum arguebat; quod & satis patet per Apostolum ad Eph. 1. & 2. vbi ponit duplicem præordinationem, seu prædestinationem; primam iustitiæ, & iustorum operum in præsenti; secundam gloriæ, & præmiorum in futuro. Vnde pro præordinatione iustitiæ cap. 1. dicit; Elegit nos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati, & pro præordinatione iustorum operum, cap. 2. sic dicit; Ipsius sumus factura, creati in operibus bonis, vt in illis ambulemus. Hoc autem totum patet ibi per glossam, hanc duplicem præordinationem seu prædestinationem latiùs prosequentem, & sub his verbis Ieronymi allegantem; Distinguit duas Dei præordinationes & earum effectus, quarum altera est de præsenti ad iustitiam, altera est de futuro ad coronam. Augustinus etiam De gratia & libero arbitrio, vicesimo primo, exponens autoritatem ex secundo capite allegatam, sic dicit; Quid est hoc quod dixit; Non ex operibus ne quis extollatur? Audi, & intellige; non ex operibus tuis ex te tibi existentibus, sed
C tanquam his in quibus Deus te finxit, id est, formauit, & creauit; hoc enim ait; Ipsius sumus figmentum creati in operibus bonis, non illa creatione qua homines facti sumus, sed illâ de qua ille dicebat, qui vtique homo erat; Cor mundum crea in me Deus. Idem De fide ad Petrum, tricesimo secundo sic dicit; Illi cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate sua prædestinauit ad regnum. Qui enim eos tales prædestinando præparauit, præparauit vtique secundum propositum vocandos, vt obediant, iustificandos, vt accepta gratia rectè credant, & benè viuant. Vnde patet clarissimè, quòd Deus præparauit prædestinatis ad regnum obedire, rectè credere, & benè viuere, quæ sunt voluntariè agere, seu voluntariæ actiones. Hæ igitur ad diuinam prouidentiam reducuntur. Item Augustinus octauo super Genesin ad literam 11. & post diffusè, ostendit Deum præesse vniuersæ creaturæ, rationali & irrationali, etiam voluntatibus quibuscunque, opere prouidentiæ bipartito, scilicet creatio-
D nis, & administrationis; Creationis quantum ad productionem cuiuslibet creaturæ; administrationis, quantum ad actiones & passiones, & cæteros eius motus, quod capite decimo tertio per locum à simili sic ostendit; Sicut motus cuiuslibet membri animalis est ab anima, & etiam innititur aliquo fixo in mouendo: sic motus creaturæ cuiuslibet est à Deo, & ipso velut fixo innititur, dum mouetur. Idem primo Confessionum, sext. Exceperunt consolationes lactis humani, nec mater mea, vel nutrices meæ sibi vbera implebant: sed tu mihi, Domine, dabas alimentum infantiæ, secundum institutionem tuam, & diuitias ad fundum vsque rerum dispositas. Et infra eiusdem 12. Vrgebar ad addiscendum literas, & benè mihi fiebat, nec qui vrgebant me, benè faciebant, sed bene mihi fiebat abs te, Deus meus. Illi enim non intuebantur quatenus referrem, quod me addiscere cogebant, præterquam ad satiandas insatiabiles cupiditates copiosæ, inopiæ, & ignominiosæ gloriæ: Tu verò cui numerati sunt capilli capitis nostri, errore omnium, qui mihi instabant vt discerem, vtebaris ad vtilitatem meam; & septimi 6°. De consulentibus Mathematicos, ipsisque Consultis, sic dicit;
E Tu iustissimè Moderator vniuersitatis consulentibus, consultisque nescientibus, occulto instinctu agis, vt dum quisque consulat, hoc audiat, quod eum oportet audire occultis meritis animarum ex abysso iusti iudicij tui. Item omnes voluntarię actiones sunt à fato diuino, & nihil penitus in actibus voluntarijs casuale aut fortuitum absolutè, sicut 28. & 29. docent; quare omnes voluntariæ actiones à diuina prouidentia deriuantur. Item omnia prospera vel aduersa quæ contingunt hominibus per voluntarias actiones, prouidentur à Deo, quare & omnes tales voluntariæ actiones: Si enim essent casuales respectu Dei, quicquid proueniret ab eis, esset similiter casuale. Arist. namque in De bona fortuna, 2. probat, quòd fortuna non est causa intellectionis & consilij, quia tunc omnia essent à fortuna. Omnia enim opera nostra ab intentione

Abacuc. *Augustinus.* *Apostolus.* *Glossa.* *Hieronymus.* *Augustinus.* *Augustinus.* *Aristoteles.*

intentione & consilio sunt causata, vel saltem de talibus intelligitur argumentum. Quare & A
Auerroes. Auerroes super 2. Phys. 44. redarguit opinantes motum Cœli esse à casu, quia cùm ipse largitur alijs entibus ordinem, omnes aliæ causæ inuenirentur ex Casu. Quod enim inuenitur ex illo, quod est ex casu, inuenitur ex Casu. Hoc idem ratio persuadet: Si enim Deus intendit rationabiliter aliquem finem prouenientem per voluntarias actiones, vel intendit ipsum immediatè facere per se solum, vel per alia media, vel neutro modo intendit; Non primo modo, quia non sic facit: si secundo modo, vel per eadem media per quæ producitur, & sic habetur propositum, vel per alia, & sic voluntas eius frustratur in aliquo, vel mutatur, contra priora: si neutro modo, non intendit rationabiliter illum finem. Quicunque enim intendit rationabiliter vllum finem, intendit similiter media per quæ proueniat talis finis, nisi velit illum immediatè facere per seipsum, vt patet 3. Ethic. 8. vbi sic dicitur,
Aristoteles. Ponentes aliquem finem, qualiter & per quæ erit, intendit, & ad hoc totum capitulum illud facit. Quod autem omnia prospera à diuina prouidentia deriuentur, ex prioribus satis constat; Potestque ex abundanti aliter sic ostendi. Alias recipiens talia, non teneretur reddere B
gratias Deo pro illis, quod nullus affirmare præsumet nisi inimicus gratiæ, vtriusque testamenti subuersor, sanctorum Patrum irrisor, & omnium Catholicorum Doctorum indoctissimus reprehensor; qui docent non fictas aut fatuas gratias, sed veras & discretas semper pro omnibus agere Domino Deo nostro. Nam gratiæ fatuorum effunduntur Eccles. 20 & secundum
Ecclesiast. 26. Aug. de prædestinatione Sanctorum 26. Si quis homini gratias ageret, pro eo quòd illum vel
Augustinus. putaret non præsciuisse, vel nosset, adulatio vel irrisio verius quàm gratiarum actio diceretur; sed nolite errare, inquit Apostolus, Deus non irridetur. Et secundum eundem de bono perseuerantiæ 2. Irrisoria est illa gratiarum actio, si ex hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donauit ipse, nec fecit. Item alias talia prospera non essent dona Dei, quod quia destruit vtriusque seriem testamenti, & fidem quasi communem animi conceptionem cunctis innatam, seu potiùs ab eis destruitur, nullus fidelis concedet, & vix aliquis infidelis. Item hoc patet de Potestatibus, Dignitatibus, & omnibus Prælatijs. Vt autem à sublimioribus & dignioribus inchoetur; Si aliquis posset esse Papa sine Domino prouidente, non esset nobis certum quòd C
Papam Dominus prouideret; quare nec scribere deberemus tali diuina prouidentia summo Pontifici, qui tamen stilus est omnibus consuetus, & admissus à curia, & hactenus comprobatus: Nec alij Prælati aut Reges deberent sic scribere. Talis Dei gratia Episcopus vel Rex, nec nos eis, ne forte inueniamur falsi testes Dei, dicendo testimonium aduersus Deum, quòd prouidit quem non prouidit, quod non est paruum periculum, sicut patet 1. ad Cor. 15. quia
Augustinus secundum Augustinum (& Glossa allegat) non minori sed maiori fortassis scelere in Deo laudatur falsitas, quàm vituperatur veritas. Item hoc est verum de sæcularibus Regibus, quare & de Ecclesiasticis quibuscunque; quod primò de Regibus Angliæ, declarandum. Refert siqui-
Malmesburiensis. dem Wilhelmus Malmesburiensis, de gestis Regum Anglorum & Pontificũ l. 2. c. 106. de Edwardo Confessore sanctissimo in hæc verba; Viderat quondam somni reuelatione sęculi illius felicitatẽ Brithwoldus Wintoniensis Episcopus; viderat, & annuntiauerat. Nam dum tempore Regis cunctationis, cælestibus apud Glastoniam lucubraret excubijs, subijssetq; eum cogitatio, quæ frequenter eum angebat, de regia stirpe Anglorum penè deleta; hæc meditanti sopor irrepsit, & ecce in superna raptus, videt Apostolorũ Principem Petrum, ipsum Edwardum qui tunc in Normannia exulabat in Regem consecrare, cælibe designata vita, & certo 24. annorũ regni numero computato, eidemq; conquerenti de posteritate, respondere, Regnum Anglorum est Dei, post te prouidit sibi Regem ad placitum suum. Omnes ergo Reges Anglorum diuina prouidentia sublimantur; quare & alij vniuersi. Domini enim est terra & plenitudo eius. Hoc idem patet de institutione & destitutione Regum, & diuisione ac translatione regnorum, in libris Regum & Paralip. multis locis; Primo de institutione Saul 1. Reg. 9. & de D
1. Reg. 9. 1. Reg. 15. eius destitutione 1. Reg. 15. De institutione Dauidis 1. Reg. 16. de diuisione regni tempore Salomonis prædicta, sed propter merita Dauidis dilata ad tempus Roboam, tuncque completa: De institutione Ieroboam in 10. tribubus, Roboam verò & filiorum eius in residuo, vt E
3. Reg. 11. 12. remaneret Lucerna Dauidi 3. Reg. 11. & 12. Ideoq; Roboam cum tribu Iuda & domo Beniamin volente pugnare contra Ieroboam, & domum Israel, vt reintegraret regnum, dixit eis Dominus per Prophetam, Non ascendatis, nec pugnetis; A me enim factum est verbũ hoc 3.
2. Paral. 11. Reg. 12. & 2. Paral. 11. Reuertatur vnusquisq; in domũ suam, quia hoc mea gestum est volun-
Parabol. 28. tate. Vnde Paral. 28. Propter peccata terræ multi Principes eius. Et Eccles. 10. In manu Dei
Eccles. 10. potestas terræ, vtilem rectorem in tempore suscitabit super eam, Regnum à gente in gentem transferetur propter iniustitiã, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos. Hęc autem ideo voluit Deus in regno suo peculiari, scilicet Hebręorũ facere manifesta, vt per pauciorẽ vel vnu doceret

A doceret in pluribus, & vniuersaliter in omnibus ita esse. Vnde Apostolus ad Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est autem potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordini resistit. Item 1. Pet. 2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis ad vindictā malefactorum, laudem verò bonorum. Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantū bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Adhuc autem hoc est verum de regnis de quibus minùs videtur, scilicet infidelium & malorum, quare & vniuersaliter quorumcunque. Vnde Amos 9. Nunquid non vt filij Aethiopum vos estis mihi filij Israel, dicit Deus? Nunquid non Israel ascendere feci de terra Aegypti, & Palæstinos de Cappadocia, & Sirios de Syrene? Ecce oculi Domini super regnum peccans, & conteram illud à facie terræ. Cui concordat Apostolus ad Rom. 3. An Iudæorum Deus tantùm, nonne & gentium? imò & gentium. Et infra 10. Non est distinctio Iudæi & Græci; Nam idem Dominus

Apostolus. *Amos.* *Apostolus.*

B omnium. Pro quo ostendit Aug. 5. de Ciuit. Dei, & alibi multùm diffusè, quòd Regnum Romanorum fuit à Deo. Vnde & 5° 11. ita dicit; Deus summus, qui singulas partes mundi magnas & paruas disponit, nullo modo est credendus, regna hominum eorumq; dominationes, & seruitutes à suæ prouidentiæ legibus alienas esse voluisse; & loquitur ibi principaliter de Regno & Imperio Romanorū, pro tempore infidelitatis eorum. Idem supra eiusdem 1. Causa magnitudinis & diuturnitatis Romani Imperij, nec fortunata est, nec fatalis, secundum opinionem dicentium esse fortunata, quæ nullas causas habent, vel non ex aliquo rationali ordine venientes, & fatalia, quæ præter Dei & hominum voluntatem, quadā necessitate contingunt, prorsus diuina prouidentia regna constitueret humana. Et idem patet 4° 33° manifestè. Item Hieron. lib. 5° super Esaiam, quem amabili propriè historica expositione conscripsit in 10. visiones Esaiæ 8. Babylon, Philistijm, Moab, Damasci, Aegypti, deserti maris, Idumeæ, Arabiæ, vallis visionis, & Tyri, quæ secundum eum ibi melius dicuntur 10. onera: Verbum enim Hebraicum (Messa) onus vel pondus intelligitur, pro quo septuaginta, visio, transferebant, tractat

Augustinus. *Hieronymus*

C materiam hanc diffusè; & super illud Esaiæ 22. Onus vallis visionis, sic dicit, Septuaginta manifestiùs transtulerunt, vallis Sion: Hæc enim ciuitas est seminarium Prophetarum, in qua extructum est templum, & visiones Domini multiplicatæ sunt, quæ licet fundetur in monte, nequaquam mons appellatur, sed vallis, eò quòd humiliata sit; quod etiam loquitur Ieremias, quando accipit calicem plenum vini, & dat vniuersis gentibus, ac nouissimè porrigit Ierusalem, vt bibat, ac vomat, & ruat, & insaniat, significans à Babylonijs hanc esse vastandam. Ex quo intelligimus omnium, Creatorem, æqualiter esse Deum, & eodem cuncta dispensare iudicio, iuxta hoc quod ipse loquitur per Amos, Nunquid non vt filij Aethiopum &c. superiùs recitata, ne putarent idcircò Iudæi se meritorum habere priuilegium, quia educti essent de Aegypto; Dicit etiam cæteras gentes ad alias terras translatas esse suo imperio. Item hoc patet specialiter de quatuor magnis regnis, nullique ignotis, primò Chaldæorum seu Babyloni-

D orum, secundò Medorum & Persarum, tertiò Græcorum, quartò Romanorum, de quibus habetur sparsim in Scriptura frequenter & coniunctim, Dan. 2. sub Metaphora quatuor partium statuæ ipsi Nabuchodonosor per somnium reuelatæ; & infra 7. Sub specie quatuor grandium bestiarum visarum per somnium Danieli. Vnde & Daniel ipse sic dicit, Ipse Dominus mutat tempora, & ætates, transfert regna atque constituit; vbi glossa, Non ergo miremur, si quandoque cernimus Regibus Reges, & Regnis Regna succedere. Omnia fiunt de arbitrio eius qui causas omnium nouit, qui omnia condidit & malos Reges patitur suscitari, vt puniant malos, emundent bonos. Et infra, dixit Daniel Nabuchodonosori primo Monarchæ Chaldæorum; specialiter isto modo, Tu Rex Regum es, & Deus Cœli, regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi, & omnia in quibus habitant filij hominum, & bestiæ agri, volucresque cœli dedit in manu tua, & sub ditione tua vniuersa constituit. Cui concordat sanctissimus Ieremias 27° capit. in persona Domini ita dicens; Ego feci terram,

Dan. 2. *Ierem. 27.*

E & hominem, & iumenta, quæ sunt super faciem terræ vniuersæ, in fortitudine mea magna, & in brachio meo extento, & dedi eam qui placuit in oculis meis; Et nunc itaque ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosoris Regis Babylonis serui mei, insuper & bestias agri dedi ei, vt seruiant ei, & seruient ei omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius, donec veniat tempus terræ eius & ipsius: Et infra 43. Ecce ego mittam & assumam Nabuchodonosor Regem Babylonis seruum meum, & ponam thronum eius super lapides istos, & statuet solium suum super eos, veniensque percutiet terram Aegypti. Hoc idem testatur vox de cœlo ruens, in hæc verba; Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, Regnum tuum transijt à te, donec scias quòd dominetur excelsus in regno hominum, & cuicunque voluerit, det illud, Dan. 4. & infra 5. habetur expressè de destructione huius primi regni, & institutione

secundi

secundi per Scripturam, Mane, Thechel, Fares, & interpretationem illius, Balthasari vltimo A
Regi dicentem, Numerauit Deus regnum tuum,& compleuit illud; diuisum est regnum tuum, & datum Medis & Persis, quod & statim completum est, capta Babylone à Dario & Cyro, Regibus Medorum & Persarum, & Baltazar interfecto. De Cyro etiam Darij successore dicitur, Esaiæ 45. Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram vt subijciam ante faciem eius Gentes,& dorsa Regum vertam,&c. Vnde & idem Cyrus 2. Paralip. vlt. & 1. Esd. 1. sic dicit, Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus Cœli. De tertio quoque regno, seu tertia Monarchia, puta Græcorum, cui præfuit Alexander, apparet idem specialiter per præmissa in ostensione 32. partis Corollarij, primi huius. De quarto regno Monarchico, videlicet Romanorum, Augustinus 5. de Ciuit. Dei diffusè, specialiter docet idem. De regnis istis magnis & Infidelium, hæc sufficiant ista vice. Per quæ, licet de regnis malorum, propositum satis appareat, potest tamen ex abundanti breuiter sic ostendi. Iob. 34. Regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Super quod dicit Gregorius 25. B
Moral. 15. Nullus qui talem rectorem patitur, eum, quem patitur, accuset, quia nimirum sui fuit meriti peruersi rectoris subiacere ditioni; Et infra 16. Secundum merita subditorum tribuuntur personæ regentium. Hoc etiam Augustinus 5. de Ciuit. Dei diffusè ostendit: Vndè 20. de Nerone sic ait, Cuius fuit tanta luxuries, vt nihil putaretur ab eo virile metuendum, tanta crudelitas vt nihil molle habere crederetur si nesciretur; etiam talibus tamen dominandi potestas non datur nisi summi Dei prouidentia, quandò res humanas iudicat talibus Dominis dignas. Aperta de hac re, vox diuina est, loquente Dei sapientia, Per me Reges regnant,& tyranni per me tenent terram. Sed nè Tyranni non pessimi atque improbi Reges, sed vetere nomine fortes dicti existimentur, vndè ait Virgilius, *Pars mihi pacis erit dextram tetigisse Tyranni:* Apertissimè alio loco de eo dictum est; Qui regnare facit hominem hypocritam propter peruersitatem populi. Et infra 22. dicit, quod verus Deus quandò voluit,& quantum voluit, regnum dedit Romanis, Assyrijs, & Persis, sic & Neroni & Domitiano crudelissimo, ac C
Apostatæ Iuliano. Hæc planè Deus verus regit,& gubernat vt placet; hæc ergo de Regnis & Regibus sufficiat induxisse.

Esaias. *Iob.34.* *Gregorius.* *Augustinus.*

Nec potest quis fingere, quòd Deus ista magna prouideat, & minora non curet: Hanc enim insipientiam redarguit Sapient. 6. dicens, Non subtrahet personam cuiusquam Dominus, nec verebitur personam cuiusquam, quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est ei de omnibus; Et Iob 34. Non accipit personas Principum; quod & ratio persuadet; Si enim Deus prouideat Papas,& Imperatores seu Reges, cur non Cardinales & Duces? Et si istos prouideat, cur non Archiepiscopos & Comites; et si istos, cur non Episcopos & Barones, & sic gradatim à maximis ad minimos descendendo. Vndè Parab. 29. A Domino egreditur iudicium singulorum; Et Iob 34. super gentem, & super omnes homines &c. Super quod Gregorius 25. Moral. 15. ita dicit; Hoc quod in maximis fieri cernimus, etiam in nobis singulis cautè timeamus. Sic enim intenduntur diuina iudicia super vnam animam, D
sicut super vnam vrbem; sic super vnam vrbem, sicut super vnam gentem; sic super vnam gentem, sicut super vniuersam generis humani multitudinem, quia & sic intendit Dominus singulis, ac si vacet à cunctis, & sic simul intendit omnibus, ac si vacet à singulis: Qui enim omnia administrando implet, regit implendo, nec vniuersis deest cum disponit vnum, nec vni deest cum disponit vniuersum, cuncta scilicet naturæ suæ potentia quietus operatur. Huius etiam prouidentiæ legibus bellorum victoriæ disponuntur. Hoc sequitur ex prioribus, & potest probari vt priora. Per victorias etenim, regna & dominationes plurimæ acquiruntur, quæ per prouidentiam Dei dantur. Item hoc patet in pugna Israel contra Amalech; In qua cum eleuaret Moses manus, vincebat; sin autem paululum remisisset, Amalech superabat Exod. 17. Item patet Iosue 7. de illis 3000. pugnaturis ascendentium contra Hay; qui statim terga vertentes ceciderunt, per prona fugientes, dixitque Dominus ad Iosue, non poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet, quia pollutus est anathemate, non ero vltra vobiscum. E
Ecce causa fugæ illorum & victoriæ inimicorum, Non ero vltra vobiscum, donec conteratis eum, qui huius sceleris reus est. Nonnè & sequens historia, specialiter autem 11. perspicuè docet idem? Nonnè 11. scribitur, Domini enim sententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra filios Israel & caderent, & non mererentur vllam clementiam ac perirēt. Nonnè & strenuissimus ille Dauid sic ait; Nouerit vniuersa Eccl. hęc, quia nō in gladio, nec in hasta saluat Dominus. Ipsius enim est bellum 1. Reg. 17. Nonnè & ad Amasiā regem Iuda habentē tantum 30. millia pugnatorū de proprijs, et ideò conducentē centum millia robustorū de Israel, vt pugnaret, contra Edom, Homo Dei sic ait, O Rex, nè egrediatur tecum exercitus Israel; non est enim Deus cum Israel; quod si putas robore exercitus bella consistere,

Sapient.6. *Iob.34.* *Parabol.29.* *Iob.34.* *Gregorius.* *Exod.17.* *Iosue 7.*

supra

A superari te faciet Dominus ab hostibus tuis. Dei quippe est adiuuare, & in fugam vertere, secundo Paralip. 25. Nonne & Ionathas cum Armigero suo tantùm, stationem Philisthijm audacissimè & fœlicissimè aggressurus, præmisit, quia non est Domino difficile saluare, vel in multitudine, vel in paucis, 1. Reg. 14? Hoc autem & benè intellexit ille strenuissimus militum Machabæus, qui suos paucos & ieiunio fatigatos contra multitudinem maximam sic armabat; Facile est concludi multos in manu paucorum, & non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis, & in paucis, quia non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est: ipse Dominus conteret eos ante faciem nostram, 1. Machab. 3. Et infra eodem; Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. Et 2. vlt. Dominus non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam. Nonne huic veritati testimonium perhibent, ille equus terribilem habens sessorem, duo iuuenes virtute decori, optimi gloria, speciosi amictu, 1. Machab. 3. Illi etiam quinque viri de cœlo, frænis aureis decori, ducatum Iu-
B dæis præstantes, 2. Mac. 10. Sanctus etiam Ieremias defunctus mundo, viuens cœlo, dans Iudæ gladium aureum, munus à Deo? infra vlt. Ille quoque Angelus Domini, qui vna nocte percussit in castris Assyriorum 185000. 4. Reg. 19. accedat & ille testis veridicus eximius Prophetarum, Regumque clarissimus sanctus Dauid totum Psalmum 43. in testimonium proferens veritatis; Deus auribus nostris audiuimus, &c. opus quod operatus es, &c. manus tua gentes disperdidit, &c. nec in gladio suo possederunt terram, & brachiũ eorum non saluauit eos, sed dextera tua, &c. singula quę sequuntur: & supra 32. Non saluatur rex per multam virtutẽ, & gygas non saluabitur in multitudine virtutis suæ. Fallax equus ad salutem; in abundantia autem virtutis suæ non saluabitur. Ecce oculi Domini super metuentes eum, &c. vt eruat à morte animas eorum. Et quia ipse fuit per inimicos maximè infestatus, & maximas victorias habuit, eas quasi in Psalmis omnibus, non sibi, sed Domino tribuit, cum actione humillima gratiarum. Quid etiam aliud est; Non in fortitudine sua roborabitur vir? &, Ne dixeris fortitudo mea, et robur manus meæ, hæc mihi omnia præstiterunt, sed recorderis Domini, quòd
C ipse tibi vires præbuit. Deuteronom. 8. Et infra tricesimo secundo; Propter iram inimicorum meorum distuli, ne fortè superbirent hostes eorum, & dicerent; Manus nostra excelsa & non Dominus fecit hæc omnia. Et Ierem. 46. Non fugiet velox, nec saluari se putet fortis. Quid etiam aliud sonat, quod occurrit toties in Scriptura, quòd Dominus immittet timorem suum super hostes, quòd ipse erit Dux belli: quòd erit cum suis in bello; pugnabit pro suis; præcedet eos; concludet inimicos in manibus suorum; conuertet eos in fugam; subuertet hostes; deponet, humiliabit, interficiet, conteret, & confringet cum suis similibus infinitis? Et vt in paucis multa concludam; ad hoc facit totius vtriusque series Testamenti, vbi fit mentio de pugna corporali, vel etiam spirituali. Sed, vt opinor, hoc Dominus in populo suo electo, & in pugna corporali, manifesta virtute ostendere dignabatur, vt quia in paucioribus via maior, & per corporalia spiritualia cognoscuntur, ostenderet saltem
D occulta sua virtute generaliter in omnibus ita esse, & in pugna præcipuè spirituali, vt sic doceret impotentes & miseros, vbi sperare, & quærere fortitudinem, victoriam, & salutem. Hæc enim omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram, primo ad Corinthios 10. Cui autem ista non placent, speret in principibus, confidat in homine, ponat carnem brachium suum, & à Domino recedat cor eius, speret in arcu suo, eius gladius saluet eum, & si quandoque contingat sibi victoria, non referat gratias, nec in hymnis & confessionibus Dominum benedicat; quia non fecit sibi magna, nec victoriam dedit illi: nec dubito si fuerit saltem nomine Christianus, quin erit ingratior Deo vero, quàm aliquis infidelis Deo falso, seu dijs falsis, cuius vel quorum gratiæ & virtuti suam ascribit victoriam & honorem; eique vel eis, secundum ritum suum, gratias referens, cædit victimas, & pingues hostias immolat ac solennes. Sperent tales, vt volunt, mihi autem in qualibet pugna mea adhęrere Deo, bonum est, ponere in Domino Deo meo spem meam. Turris enim fortissima nomen Domini, ad ipsam currit iustus & exaltabitur. Ponat me iuxta se, &
E cuiusuis manus pugnet contra me: Omnia namque possum in eo qui me confortat, in me autem nihil, quia nec minimum aliquid cogitare. Hoc autem totum Iustinianus Imperator Romanorum excelsus humiliter profitetur, Codice, de veteri iure enucleando, cùm dicit; Deo nostrum gubernante imperium, quod nobis à cœlesti Maiestate traditum est, & bella fœliciter peragimus, & pacem decoramus, & statum Reip. sustentamus, & ita nostros animos ad Dei omnipotentis erigimus adiutoriũ, vt neque armis confidamus, neq; nostris militibus, neq; bellorum Ducibus, neque nostro ingenio, sed omnem spem referamus ad solam summæ prouidentiã Trinitatis. Hoc etiã vniuersalis confitetur Ecclesia, quę cùm Dominum orat pro pace, prętendit veraciter nõ fallaciter istã causam, quia non est alius qui pugnat pro nobis, nisi

2. Paralip. 25.
1. Reg. 14.
1. Machab. 3.
2. Machab. 10.
4. Reg. 19.
Psalm. 43.
Deut. 8. & 32.
Ierem. 46.
Iustinianus.

Augustinus. tu Deus noster. Probatur quoque propositum per Augustinum 19. de Ciuit. Dei 15. sic dicentem; Omnis victoria cùm etiam malis prouenit, diuino iudicio victos humiliat, vel emendans peccata, vel puniens. A
Daniel. Testis est & homo Dei Daniel, cùm in captiuitate positus, peccata sua, vel peccata populi Domino confitetur, & hanc esse causam illius captiuitatis pio dolore testatur. Et licet constet ex prioribus, sapientiam, diuitias, & prosperitates cæteras per diuinam prouidentiam tribui, potest tamen per pauca testimonia confirmari.
3. Reg. 3. Tertio namque Reg. 3. dicit Dominus Salomoni, Dedi tibi cor sapiens & intelligens, diuitias & gloriam; Et
Eccles. 1. Ecclesiastici primo; Omnis sapientia à Domino Deo est; quod & Rex Dauid spiritu Dei plenus
1. Paral. vlt. plenissimè contestatur 1. Paralip. vlt. sub his verbis, Tua est, Domine, magnificentia, & potestas, & gloria, atque victoria: Cuncta enim quæ in cœlo, & quæ in terra, tua sunt, tuæ diuitiæ, & tua est gloria: Tu dominaris omnium, In manu tua virtus & potentia, magnitudo, & imperium: Quis ego, & quis populus meus, vt possimus tibi hæc vniuersa promittere? Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Et quia tota scriptura talibus testimonijs conuenientibus est repleta, sufficiat hæc breuiter tetigisse. B
Augustinus. Hoc etiam patet per Augustinum tractatu 2. super illud Psalmi trigesimi secundi; Confitemini Domino in cithara, in psalterio 10. chordarum psallite illi, dicentem, Cithara ex inferiori parte habet quod sonat, Psalterium verò ex superiori, vt Cithara significet vitam terrenam, Psalterium cœlestem, quæ est in 10. mandatis, & in vtraque laudandus est Deus. In vita terrena est prosperitas & aduersitas, in omnibus prosperis laudandus est Deus, & quisquis ex istis non laudat, ingratus est, quia Dei sunt, nec ab altero dantur. Aduersitates sunt in doloribus, languoribus, pressuris, tentationibus, tribulationibus; vbiq; laudet Deum qui citharizat, non attendat quia inferiora sunt, sed quia regi & gubernari non possunt nisi ab illa Sapientia, qui attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Non enim cœlestia regit & terrena deserit, aut non illi dicitur, Quo abibo à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiã? Si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero ad infernum, ades; vbi ergo deest, qui nusquam non est? In omnibus ergo prosperis vel aduersis, confitere Domino in cithara; si tibi abundet, gratias age danti; si tibi desit, aut damno auferatur, cithariza securus, & dic, Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, Sit nomen Domini benedictum. Item hoc est verum de prosperitate illa de qua minus videtur, scilicet malorum, quod tamen multi C
Ieremias. molestè ferunt; imo & Sancti aliqui, vt videtur. Vnde Ierem. 12. Iustus quidem es Domine si disputem tecum; veruntamen iusta loquar ad te; Quare via impiorum prosperatur; bene est omnibus qui præuaricantur & inique agunt; Plantasti eos, & radicem miserunt: Ecce tamen
Iob. quod tribuit ista Deo. Quod & Sanctus Iob vehementer admirans, non contra hominem, sed contra Deum disputare, Auditores sic reddit attentos; Attendite me & obstupescite, & supponite digitum ori vestro; & ego quando recordatus fuero, pertimesco, & concutiet carnem meam tremor. Deinde quæstionem talem proponit, Quare impij subleuati sunt confortatique diuitijs, Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum, domus eorum securæ sunt, & non est virga Dei super illos; bos eorum concepit & non abortiuit, vacca peperit, & non est priuata fœtu suo; egrediuntur quasi Reges paruuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus, tenent tympanum & citharam, qui dixerunt Deo, recede à nobis, viam scientiarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens vt seruiamus ei? & respondet, veruntamen quia non sunt in manu eorum bona sua, sed, supple, in manu Domini, sicut dixit superius, Dominus dedit, Dominus abstulit, concilium impiorum longe sit à me Iob 21. Hanc similiter quæstionem tractat Psalmista diffusè Psalmo septuagesimo secundo præmittens periculum videndo prosperitatem malorum; Erat enim penè prostratus, sicut plurimi prosternuntur; Mei, inquit penè moti sunt pedes, &c. quia zelaui super iniquos, &c. quia non est respectus morti eorum, &c. In labore hominum non sunt, &c. Ideo tenuit eos superbia, prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum, posuerunt in Cœlum os suum, &c. & dixerunt, Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso; Ecce ipsi peccatores & abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias: quasi argueret, ergo non scit Deus nec curat, nec distribuit prouidè res humanas: quod argumentum aliquando concludebat Psalmistæ, vel fortè alicui alij, in cuius persona ex iam præmissis, concludit, cùm dicit; Et dixi, Ergo sine causa iustificaui cor meum, &c. & fui flagellatus, &c. sed statim hanc conclusionem reprobat ex ipsa ad manifestum impossibile deducendo subiungens; Si dicebam, Narrabo sic, scilicet vt dicit illa conclusio, Ecce nationem filiorum tuorũ reprobaui, sci-
Augustinus. licet reprobandam ostendi, quod est impossibile manifestum: vbi dicit Augustinus, Si dicebam, Narrabo sic, scilicet quod Deus non curat res humanas, ecce generationem filiorum tuorum reprobaui, scilicet Abraham, Isaac, Iacob, & Prophetarum, qui omnes dixerunt Deum

D

E

A Deum curare res humanas. Hoc idem licet ex prædictis sit patulum, potest tamen ostendi specialiter de aduersitatibus omnibus & flagellis, malis & bonis contingentibus indistinctè. Omnia enim hæc sunt pœnæ patientium; omnis autem pœna est aliquo modo pœna peccati, & iusta, & à Deo, vt patet per Augustinum 1. Retract. 9. de concupiscentia carnis aduersus spiritum sic dicentem, Omnis autem pœna si iusta est, peccati pœna est; si autem iniusta pœna est, quam pœnam esse nemo ambigit, iniusto aliquo dominante, homini imposita est. Porro quia de omnipotentia Dei & iustitia dubitare dementis est, iusta hæc pœna est, & pro peccato aliquo impenditur; Omne autem iustum, à prima iustitia, quæ est Deus, est iustum, vt ex secundo capitulo satis constat. Idem 5° contra Iulianum, dicit Iuliano, Si non est hæc pœna peccati, profectò iniqua pœna est, & iniustum facis Deum, quo iubente vel sinente; aut infirmum, quo non auertente infligitur innocenti; & 83. quæst. 24. Deus iustus gubernans vniuersa nullam pœnam sinit immeritò infligi. Item aliter tolleretur afflictis magna causa patientiæ, spei, consolationis & gaudij, cùm in tribulationes varias incidunt. Quis enim ita patienter, speranter, consolatoriè & gaudenter talia sustinebit, si credat ea accidere ab inimico tantùm, vel à casu, nec per ea purgari peccata, & exerceri virtutes, aut præmia cumulari, sicut si crædat hæc immitti sibi à Deo, ad aliquod tale bonum? Vnde Seneca in libello quem specialiter de materia ista scripsit intitulato Seneca ad Lucilium, Cùm mundus prouidentia regatur, quare multa mala bonis viris accidunt? Bonus vir discipulus est Dei, æmulatorque & vera progenies, quem parens ille magnificus, virtutum non leuis exactor sicut seueri Patres, duriùs educat. Itaque cùm videris bonos viros acceptosque Dijs laborare, sudare, per arduum extendere, malos autem lasciuire, & voluptatibus fluere, Cogita filiorum non esse delectari vernularum licentia, illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de Deo liqueat, bonum virum in delicijs non habet, experitur, indurat, sibi illum præparat. Miraris tu, si Deus ille bonorum amantißimus, qui illos quam optimos esse atque excellentißimos esse vult, fortunam illis cum qua exerceantur, aßignat; Ego verò non miror si aliquando ‖ *impetum* capiant Dij dum spectant magnos viros colluctantes cum aliqua calamitate: Nobis interdum voluptati est, si adolescens constantis animi, irruentem feram venabulo excepit, si Leonis incursum interritus pertulit, tantoque spectaculum est gratius, quanto illud honestior fecit. Non sunt ista, quæ poßint deorum in se vultum conuertere; hæc puerilia & humanæ oblectamenta leuitatis; Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus; Ecce par Deo dignum, vir fortis cum fortuna mala compositus, vtique si & ‖ *prouocauit*. Non video, inquam, quid habeat in terris Iupiter Pulchrius, si conuertere animum velit, quàm vt spectet Catonem iam partibus non semel fractis, stantem nihilominùs inter ruinas publicas, rectum gubernatorem in tempestate, in acie militem intelligas. Ignis aurum probat, miseria fortes viros. Nihil enim videtur infelicius eo, cui nihil vnquam adueniт aduersi; Non enim licuit illi se experiri, vt ex voto illi fluxerint omnia, vt ante votum. Malè tamen de illo Dij iudicauerunt. Indignus visus est à quo vinceretur aliquando fortuna, quæ ignauißimum quemque refugit; quasi dicat, Quid ergo? istum mihi aduersarium assumam, statim arma submittet; Non opus est in illum tota potentia mea, leui comminatione pelletur, non potest sustinere vultum meum; alius circumspiciatur, cum quo possumus conferre manum; pudet congredi cum homine vinci parato; Ignominiam iudicat gladiator cum inferiore componi. Et infra, Veniamus ad Regulum, Quid illi fortuna nocuit? Quod illum documentum fidei, documentum patientiæ fecit? Figunt cutem claui, & quocunque corpus fatigatum inclinauerit, vulneri incumbit; In perpetuam vigiliam suspensa sunt lumina, quanto plus tormenti, tanto plus erit gloriæ. Malè tractatum Socratem iudicas, quòd illam potionem publicè mixtam non aliter quàm medicamentum immortalitatis obduxit? quasi diceret, Non est ita. Vbi & ostendit generaliter quòd mala, quæ videntur accidere bonis viris, non sunt mala ipsis, sed bona, vtilia, & pro ipsis, & alijs vniuersis, quorum dijs maior est cura. Nonne & hoc est quod Dominus ipse dicit, Non delebo Gentes, quas dimisit Iosue, vt in ipsis experiar Israelem, vtrum custodiant viam Domini, & ambulent in ea, annon? Iudic. 2. & sequitur, Hæ sunt Gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelem, & omnes qui non nouerant bella Cananæorum, & postea discerent filij eorum certare cum hostibus, & haberent consuetudinẽ præliandi quinq; Satrapas Philistinorũ &c. Iudic. 3. Quare & beatus Iacobus monet, dicens; Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiã operatur; patientia autem opus perfectum habet. Iac. 1. Quare & Apostoli ibant gaudentes à conspectu Cnocilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Iesu, contume-

Margin notes: *Augustinus.* (line 4); B, C, D, E section letters; ‖ volunta-tem. ; ‖ prouoca-tus. ; *Iudic. 3.* ; *Iacobus.*

Acts 5. contumeliam pati Act. 5. & ad Rom. 5. Gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit. Et 1. Pet. 1. In quo exultabitis modicum nunc, si oportet, contristati in varijs temtationibus, vt probatio fidei vestræ multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur. Hoc idem, quantum ad bonos, tribulationes variæ Iob ostendunt, ipsomet capitulo primo dicente, Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est: Vndè Augustinus, super illud Psalmi 32. quoniam ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt; Diabolus non potuit nocere Iob, nisi accepta potestate à Deo, quandò ille permisit, ille potuit; non ergo ille potuit, sed qui permisit; Ideoque Iob benè eruditus non ait, Dominus dedit, Diabolus abstulit, sed Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, non sicut Diabolo placuit, & hoc totum ad meritum & gloriam sancti sui. Pro quo dicit idem super illud Psalmi 34. Confundantur & reuertantur; Diabolus non habuit potestatem auferendi bona sancti Iob, nisi cum eam accepit à summa potestate: quare & dixit, Mitte manum tuam, id est da potestatem. Deus autē qui Diabolo permiserat vt illa tolleret, seruum suum interius non deserebat, sed ad Diabolum superandum animam serui sui frameam sibi fecit. Idem probat tribulatio sancti Tobiæ, teste Raphaele, quia, inquit, acceptus eras Deo, necesse erat vt tentatio probaret te. Pro quo dicit Augustinus in sententijs Prosperi, propositione 221. Profectus fidelium sine tentatione non prouenit, nec sibi quisquam innotescit, nisi probationis examine, nec coronabitur, nisi qui vicerit, neque vincet, nisi * certauerit: quis autem certat nisi inimicum habens & tentationi resistens? Idem quoque super illud Psalmi 148. Ignis, grando, nix &c. quæ faciunt verbum eius, de occisione Innocentis per fulmina, seu quodcunque aliud genus mortis sic dicit; Quicquid hic accidit contra voluntatem nostram, noueritis non accidere nisi de voluntate Dei, de ipsius prouidentia, ordine, nutu, & legibus. Et si nos non intellexerimus quid, quare fiat, demus hoc prouidentiæ ipsius, quia non fit sine causa, & non blasphememus: Omnia enim, quæ vanis videntur in rerum natura temere fieri, non fiunt nisi iussu eius. Idem super illud Psalmi 57. Sicut cera liquefacta auferentur, Sunt hic pœnæ, carceres, exilia, tormenta, mortes, diuersa genera dolorum & tribulationum, & ista Dei iudicio dispensantur; sed multis sunt ad probationem, multis ad damnationem. Idem super illud Psalmi 31. Gloriamini omnes recti corde. Quid est recti corde? non resistentes Deo; Quisquis homo quicquam patitur præter voluntatem, afflictiones mœrores, labores, & humiliationes non tribuit nisi voluntati Dei iustæ; Ipse est rectus corde. Peruersi autem corde praui & distorti sunt, qui mala, quæ patiuntur, iniquè se pati dicunt, dantes illi iniquitatem, per cuius voluntatem patiuntur; aut quia non audent ei dare iniquitatem, auferunt ei gubernationem. Et hi distorti corde tres habēt sententias; Aut quòd non est Deus, sicut dixit stultus in corde suo; Aut quòd iniustus est Deus, qui non distribuit peiora peioribus; Aut quòd Deus non gubernat res humanas. Item Ieronymus lib. 4. super Esaiam, tractans illud 28. capituli, Nunquid tota die arabit arans &c. ita dicit; Deus variè genus dispensat humanum; nunc punit, nunc miseretur; nunc corripit, nunc defendit, nunc arat, nunserit nunc maturas fruges metit, & demessas in areis terit, orbemque suum gubernat, vt voluerit. Cui concordat Boetius de Consulatione Philosophiæ prosa quarta, cum dicit; De hoc quidem tu iustissimum putas, omnia scienti prouidentiæ diuersum, id est, contrarium videtur; vndè & quædam causa victrix in bello placuit Dijs tanquam iusta, non Catoni; victa verò Catoni, non Dijs, sicut testatur Lucanus. Sed opinionem Catonis reprobat statim dicens, Igitur quicquid videas contra spem geri, rebus quidem rectus ordo est, opinioni verò tuæ peruersę confusio. Et infra eadem prosa ostendit; Quare ex diuina prouidentia quibusdam bonis non contingunt aduersa, quibusdam verò contingunt, & de malis similiter, quibusdam bonis non contingunt aduersa, quia sunt infirmi, nec sufficerent sustinere, sed forsan desinerent colere innocentiam per quam non possent retinere fortunam. Est alius ita perfectus, quòd prouidentia nefas iudicat quibuslibet aduersis ipsum contingi; Sunt quidam boni quandoque summè prælati, vt per eos malorum improbitas retundatur; alijs verò bonis mixta pro animorum distribuit qualitate. Quare quosdam bonos pronos tamen ad luxuriam, alia aduersitate remordet, ne longa fœlicitate luxurient; alios duris exagitat, vt animi virtutes patientiæ vsu, atque exercitatione confirment; Alij pusillanimes plusquam oportet metuunt, asperaque tamen possunt sufferre; alij * præsumptuosi plus æquo aduersitates quasi facillimas sibi despiciunt, quas tamen sufferre non possunt: Hos in cognitionem sui per experientiam tristium prouidentia Dei ducit. Quidam autem boni inexpugnabiles omni supplicio exemplum cæteris præbuerunt, inuictam esse virtutem: Et subdit, quanquam rectè atque dispositè, & ex eorum bono quibus accedere videntur, nulla dubitatio

Marginalia: *Augustinus.* — *Tobias.* — *Augustinus. Prosper.* — * qui — *Augustinus.* — *Hieronimus.* — *Boetius.* — * autem — A — B — C — D — E

A bitatio est; Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum, ad Rom. 8. Statimque ostendit, quòd ex causis similibus accidunt improbis prospera & aduersa; aduersa quidem tribus de causis; prima, quia talia meruerunt; secunda, vt eorum supplicia alios deterreant à peccato; tertia vt ipsi improbi per talia emendentur: prospera verò eis contingunt multis de causis: Prima, vt boni hoc videntes eliciant argumentum, quid de tali fœlicitate, scilicet diuitiarum & huiusmodi debeant iudicare, quæ etiam improbis famulatur: secunda, quia aliqui mali efficerentur peiores, si rei familiaris inopiam paterentur, cui morbo prouidentia diuina pecuniæ collectione medetur: Tertia, vt habens conscientiam sordidam, dum in pœnam dignam peccati pertimescit amittere bona fortunæ quæ habet, mutet mores & dum fortunam amittere metuit, nequitiam derelinquat: Quarta, vt quanto quorundam malorum talis fœlicitas amplius cumulatur, tanto eos in profundiorem infœlicitatem præcipitet, cùm fuerit eis ablata. Nam secundum eundem supra eodem, lib. 2. prosa 4. In omni aduersitatę B fortunæ infœlicissimum genus est infortunij fuisse fœlicem. Deinde consequenter ostendit, quare malis ius permittitur puniendi, & dicit hoc ideo fieri, vt exercitij bonis, & malis esset causa supplicij; ex quo sæpè illa summa prouidentia protulit insigne miraculum, vt malos mali bonos efficerent. Ad hoc facit similiter, quod narrat Iacobus de Vitriaco, de quodam Heremita spiritu aggresso blasphemiæ, in tantum quòd cœperat cogitare iudicia Dei iusta non esse, eò quòd malos prosperari permittit, & bonos affligi. Cui Angelus in specie hominis missus à Domino; Sequere, inquit, me, & videbis iudicia Dei occulta; quem cùm secutus fuisset ad domum cuiusdam boni viri, eis tota nocte lætæ hospitalitatis officijs exhibitis, furatus est cyphum hospitis, quem maximè diligebat, eumque cuidam maligno, qui eos secunda nocte exceperat, erogabat: Tertia verò nocte à benigno hospite sunt benigniùs hospitati, cuius famulum mane de quodam ponte præcipitans submergebat; & quarta nocte à bono similiter benè recepti, filium eius paruulum vagitantem, nec eos dormire sinentem occidit. Quibus visis Heremitæ volenti eum dimittere, ita dixit; Ego sum missus C tibi à Domino, vt occulta eius iudicia tibi prodam. Primus ergo hospes noster nimis dilexerat illum cyphum, ideoque pro bono suo abstuli sibi cyphum, illumque donaui hospiti nostro malo, vt mercedem suam recipiat in præsenti. Tertij verò famulum submergebã, quia in corde suo firmauit dominũ suum die crastina occidisse, sicq; bonũ dominũ à morte, & malum famulum ab homicidio operis pręseruaui, vt ille in inferno mitius puniretur. Quarto autẽ hospes priusquã haberet filium & heredẽ, largus eleemosynas faciebat; sed nato sibi filio & herede manũ retraxit. Quare & ab eo causam auaritiæ abstuli, & in paradisum attuli animã innocentis. Cuius etiam facti vel similium assignat Sapiens aliam causam, dicens; Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam eius, Sap. 4. Hæc & similia de sanctis Iob, & Tobia voluit Deus ostendere manifestè quòd fiebant ab eo; vt illud idẽ in omnibus similibus generaliter nos doceret, & sic contra aduersa omnia per patientiam nos armaret. D Vnde Tobiæ 2. Hanc temptationem ideo permisit Deus illi euenire, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob. Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturæ spem habeamus, ad Romanos 15. Quòd etiam tribulationes per malos malis & bonis illatæ immittantur à Deo, probat 77. Psalmus dicens; Misit in eos iram indignationis suæ; indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per Angelos malos. Vt autem tam longam seriem breui sermone concludam, sicut sparsim in Scriptura Canonica, & scriptis Patrum varijs continetur, quinque de causis flagella contingunt, sicut etiam 4. Senten. Lumbardi, dist. 15. recitatur: Primò, vt iustis merita per patientiam augeantur, vt Iob: Secundo, ad virtutum custodiam contra superbiam, sicut Paulo, vt patet, 2. ad Cor. 12. Tertiò, ad corrigenda peccata, sicut lepra Mariæ, vt patet Num. 12. Quartò, ad manifestandum opera Dei, vt patet de cæco nato, Ioh. 9. Quintò, ad inchoationem pœnæ in presenti, quatenus hic videatur quid in inferno sequatur, sicut illud Deut. 32. E Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsq; ad inferni nouissima. Vnde & Ier. 17. Duplici contritione contere eos; sicut fuit de Herode, vt patet Act. 2. & multis similibus multis locis. Item hoc est verum, nedum in adultis, sed in paruulis, de quibus minus videtur. Vnde Augustinus de bono perseuerantiæ, 35. sic dicit; Neque enim fato cogitur Deus illis infantibus subuenire, illis autem non, cùm sit vtrisque causa communis; aut res humanas in paruulis non diuina prouidentia, sed fortuitis agi casibus opinabimur, cùm rationales vel damnandæ vel liberandæ sint animę; quandoquidem nec passer cadit in terram sine voluntate Patris nostri, qui in cœlis est; aut parentum negligentię tribuendum est, quòd paruuli sine baptismate moriuntur, vt nihil ibi agant diuina iudicia. Quid dicam quòd paruulus aliquando ante baptisma expirat, etiam festinantibus parentibus, & paratis ministris, vt paruulus baptizetur,

Iacobus de Vitriaco. *Sapient.* 4. *Tobi.* 2. *Psal.* 77. *2 ad Cor.* 12 *Num.* 12. *Iohan.* 9. *Deut.* 32. *Ierem.* 17. *Act.* 2. *Augustinus.*

Deo tamen nolente non datur, qui eum paululum in hac vita non tenuit vt daretur? Quid est etiam quod aliquando paruulis infidelium filijs potuit, ne irent in perditionem, & filijs fidelium non potuit baptismate subueniri? vbi certè ostenditur, quod personarum apud Deum non sit acceptio; alioquin cultorum suorum potiùs quàm inimicorum filios liberaret. Qui & de Correptione & gratia 27. Mirum est & verum, quod filios quosdam amicorum suorum, * hoc est regeneratorum bonorum, quia fidelium, sine baptismo hic paruulos exeuntes, quibus vtique si vellet, huius lauacri gratiam procuraret, in cuius potestate sunt omnia, alienat à regno suo, in quod parentes mittit illorum; & quosdam filios inimicorum suorum facit in manus Christianorum venire, & per lauacrum introduci in regnum, à quo eorum parentes alieni sunt, cùm & illis malum, & istis bonum meritum nullum sit paruulis ex eorum propria voluntate. Certè hæc iudicia Dei quoniam iusta & alta sunt, nec vituperari possunt nec penetrari. Idem de gratia, & libero arbitrio 50. Aliquando filijs infidelium præsentatur hæc gratia, cùm occulta Dei prouidentia in manus piorum quomodocunque perueniunt; aliquando fidelium filij non eam consequuntur; aliquando impedimento existente ne posit periclitantibus subueniri. Fiunt verò ista per occultam Dei prouidentiam, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & inuestigabiles viæ. Hoc etiam totum vniuersalis Ecclesia in suis rationibus profitetur, Dirige, inquiens, actus nostros in beneplacito tuo, &c. Et iterum, Asit nobis virtus Spiritus Sancti, cuius & sapientiâ conditi sumus, & prouidentia gubernamur; Et iterum, Deus, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, te supplices exoramus, vt noxia cuncta submoueas, & omnia nobis profutura concedas, manifestè supponens, quod omnia noxia & similiter profutura diuina prouidentia disponantur.

Augustinus. — * bonorum

A — B — C

CAP. XXXII.

Quod omnia proueniant à Dei prouidentiâ actualiter disponente, non solummodo permittente.

SEd quia inter Autoritates Sanctorum, quæ de prouidentia Dei loquuntur, aliquæ de permisione faciunt mentionem; posset forsitan apparere, quod per prouidentiam solam permisionem intelligant. Iam restat ostendere omnia prouenire à prouidentia actuali præceptiua, seu etiam positiua, quæ scilicet ponit actualem voluntatem in Deo. Hoc autem similibus rationibus ostendetur, quibus superiora capitula sunt ostensa, maximè quia capitula loquentia de scientia & voluntate diuina, per quæ probatur vniuersalis prouidentia, loquuntur de scientia D & volutione Dei actuali & positiua, non tantummodo permissiua. Item alias non sapientissimè, nec perfectissimè, nec decentissimè disponeret vniuersum. Item omnia inanimata, & irrationabilia quæ non dependent à voluntarijs actionibus actualiter prouidentur, & omnes operationes eorum, sicut 27um. & 31um. docent, multo magis ergo omnia voluntaria, & omnes voluntariæ actiones, sicut ex 30. & 31. patet. Illa quoque testimonia Philosophica priùs adducta non possunt intelligi congruè de prouidentia permisiua, neque alia testimonia scripturæ, & Sanctorum possunt intelligi sub hoc sensu. Quomodo enim Saluator Matth. 6. à nobis solicitudinem rationabiliter remoueret, si nos curaret tantummodo permittendo, & nihil actualiter prouidendo? Quomodo etiam Matthæi decimo, contra timorem mortis pro nomine suo illa somnolenta prouidentia nos armaret? Quis enim fiducialius decertaret, quia Deus permittit tantummodo hoc vel illud? Qualis etiam confortatio esset ista, Vnus passerum non cadit sine Patre vestro permittente, & vos estis meliores illis; Nolite ergo timere quia vos non cadetis sine Patre vestro hoc maius permittente, & indifferentiùs negligente? E Imò non esset confortatio sed irrisio manifesta. Quid etiam nobis prodesset numeratio capillorum, si nihil nobis ampliùs actualiter prouideret, sed permitteret omnia currere in incertum, & fortuitis motibus agitari? Quomodo etiam in numeratione capillorum ineffabilis Dei affectus, & immensitas ac diligentia prouidentiæ notaretur, sicut superiùs allegatur? Loquela quoq; Dei actum importat; sed omnia sunt ab illa, quia à fando, seu famine summi Dei, sicut 28um. ostendit. Alias etiam multa fierent à casu simpliciter & fortuna: Non enim quicquid permittitur est intentum, quod 29um. damnat. Adhuc autem Iob, Tobias, & narratio Iacobi probant prouidentiam actualem; omnis quoque aduersitas

A uersitas quæ est iusta pœna peccati. Neque videtur modus loquendi Scripturæ, Doctorum, nec vulgi vocare nudam permisionem, prouidentiam, quia sic quilibet proximus cuilibet prouideret. Dicitque Anselmus de veritate 8. Secundum id quod agit, magis propriè videtur dici agentia & percutientia; & secundum id quod patitur actio, & percussio. Nam agentia & percutientia ab agente & percutiente dicuntur, sicut prouidentia à prouidente, & continentia à continente; quæ, scilicet agens & percutiens, prouidens & continens sunt actiua. Patet ergo quòd prouidentia ex sua significatione non tantùm permisionem, sed actum aliquem, siue agentiam quandam importat. Amplius autem si ista expositio sit Scripturæ conueniens, cùm Scriptura loquatur similiter de prædestinatione, creatione, gubernatione, gratiæ & cæterorum bonorum collatione, peccatorum remisione, & multis similibus, omnia possent per solam permisionem exponi, quod tamen quantum Christianæ fidei derogaret, vel potiùs ipsam totam subuerteret, nullus ambigit Christianus. Item tunc sancti Patres tam labo- *Anselmus.*
B riosè probantes, omnia prouidentia gubernari, inaniter laborarent: Non enim docerent aliquod dubium aut ignotum; Nullus enim ignorat omnia fieri Domino permittente. Item omnia quæ hic aliquo modo contingunt, aliquas causas habent, & omnes illæ causæ reducuntur ad aliquam primam causam, sicut secunda Suppositio, & secundum capitulum manifestant: & hæc omnium prima causa est Deus vt nulli est dubium: Deus ergo hæc omnia aliquo modo causat, & non necessitate naturali, nec casualiter, ignoranter, improuidenter, aut temerè; ergo per voluntatem cum certa scientia prouidentem. Item mater amans, prudens, & potens actualiter prouidet filijs vniuersa; Deus autem Pater noster cœlestis incomparabiliter est amantior, prudentior, & potentior omni matre; quare & prouidentia actuali non permissiua aut obliuiosa tantummodo prouidet nobis cuncta. Vnde & Esaiæ 49. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te, Glossa, vt semper *Esaias.*
C videam & memorem, ne te arbitreris penitus derelictam: quid tamen valeret illa visio vel memoria Intellectus solius, nisi adesset similiter prouida beneuolentia voluntatis? Ideoque infra eodem subiungit, Eos qui iudicauerunt te, iudicabo, filios tuos saluabo, Ego Dominus saluans te, & redemptor tuus. Item Esaiæ 10. dicitur de Senacherib Rege Assur; Væ Assur virga furoris mei, & baculus ipse est indignatio mea in manu eorum; ad gentem fallacem mittam eum, contra populum furoris mei; Mandabo illi vt auferat spolia, & diuidat prædam, & ponat illum in conculcationem. Dominus ergo in talibus est agens principale, & Tyrannus quilibet tantùm instrumentale: Ideo sequitur, Et erit cùm impleuerit Dominus cuncta opera sua in monte Sion & Hierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis Regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius; Dixit enim, In fortitudine manus meæ ego feci, & in sapientia mea intellexi, &c. Et sequitur, Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea, aut exaltabitur serra contra eum à quo trahitur? Quomodo si eleuetur *Esaiæ 10.*
D virga contra leuantem se, aut exaltetur baculus qui vtique lignum est; propter hoc &c. sequitur eius pœna, vbi dicit Glossa, quasi sicut hæc inanimata sunt instrumenta nihil per se facientia, sed per eum qui mouet ea: sic nec Senacherib per se, sed in Dei virtute operatus est; Vnde & gloriatio eius stulta & vltione digna. Super quod etiam dicit Hieronymus lib. 4. super Esaiam, O stultissime mortalium, Dei iram, tuam putas esse sapientiam, & illius iussionem ad tuam refers fortitudinem, quomodo si securis glorietur contra eum, qui securim tenet, & serra contra eum à quo trahitur, & dicant opera cuncta quæ per securim & serram fiunt sua esse se arte perfecta: Et si eleuet quispiam virgam, & exaltet baculum cum potentia ad percutiendum quem voluerit; & ipsa virga aut baculus glorientur & dicant à se percussum esse qui percussus est; sic & tu, cùm organum fueris Dei voluntatis, erigeris in superbiam, & cuncta quæ geruntur, tuæ gloriaris fuisse virtutis. Hæc eadem sententia multo pleniùs capitulo quarto patet. Item Esaiæ 13. Onus Babylonis &c. ego mandaui sanctifi- *Hieronymus.* *Esaias.*
E catis meis, & vocaui fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea, Dominus exercituum præcepit militiæ belli venientibus de terra procul à summitate Cœli, Dominus & vasa furoris eius, vt disperdat omnem terram. Super quod dicit Hieronymus super Esaiæ lib. 5. Nos historiæ ordinem prosequentes, hos sanctificatos & fortes dicimus esse Medos, de quibus in consequentibus apertiùs Scriptura testatur dicens, & est, Ecce ego suscitabo super vos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint: & subdit, Nec mirum, si Medos ad subuersionem Babylonis sanctificatos vocet, cùm per Ieremiam, ipsum Nabuchodonosor qui eius imperio seruiebat, destruens præuaricatricem Ierusalem, seruum suum dixerit & columbam. Porrò quod ait, Fortes in ira mea & exultantes in gloria mea, ostendit eos non suis viribus, sed Dei ira, tam sublimis regni potentiam subuertisse. Vnde & Dan. 1. Tradidit Dominus *Hieronymus.*

Dominus in manu eius, id est, Nabuchodonosor, Iaochin Regem Iudæ &c. Glossa, cuius, A
Ieremias. scilicet Domini, voluntate factum est, non viribus hostium. Item Ierem. 31. Qui dispersit Israel, congregabit eum, Glossa, Non ergo potentiæ hostium, sed Domini voluntas. Et supra 10. Scio Domine inquit Propheta, quòd non est hominis via eius, nec viri est vt ambulet; & dirigat gressus suos; vbi Glossa, Erubescant, qui aiunt vnumquemque suo regi arbitrio.
Dauid. Non est enim hominis via eius &c. Vndè Dauid, à Domino gressus hominis derigetur. Nec potest quis exponere istam autoritatem de hominis bonis vijs, & gressibus bonis tantum, propter Dei gratiam necessario requisitam, quæ non est totaliter in hominis potestate, quia Ieremias loquitur ibi ad literam de via hominis Babylonij, scilicet Nabucodonosor regis Babylonis, sicut infra multoties exprimit nomen eius venturi, tanquam flagellum & malleus iræ Dei, vt in pœnam peccati vastaret Iudæam, sicut litera præcedens & sequens ostendit. Dicit enim vox auditionis, Glossa, Babylonij venientis, Ecce venit, & commotio magna de terra Aquilonis, vt ponat Ciuitates Iuda in solitudinem, & habitaculum Draconum. Babylon namq; B
fuit ex parte Aquilonis respectu Iudeæ, dicente Hieronymo super illud Dan. 11. Conteretur regnum eius, & diuidetur in quatuor ventos Cœli, quòd Aegyptus est ad Meridiem, Macedonia ad Occidentem, Siria & Babylonia ad Septentrionem, & Asia ad Orientem respectu Iudeæ. Quare & Ierem. Dominus ad Ieremiam sic dixit, Ab Aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ: Glossa, Iudeæ: Quia ecce ego conuocabo omnes congregationes regnorum Aquilonis, Glossa, Regi Babylonis subiectas, Et venient & ponent vnusquisque solium suum in introitu portarum Ierusalem, & super omnes muros eius in circuitu, & super vniuersas vrbes Iuda, & loquar iudicia mea cum eis super omni malitia eorum, qui dereliquerunt me, & libauerunt Dijs alienis. Quapropter & infra 27. Dominus vocat Nabuchodonosor seruum suum, Nunc, inquiens, ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis serui mei. Et sequitur Ierem. 10. immediate post literam superius recitatam, Scio Domine, quòd non est hominis via eius, Glossa, hominis Babylonij, C
sed nostri meriti & tuæ indignationis. Et sequitur, nec viri est vt ambulet & dirigat gressus suos, Corripe me, Domine, veruntamen in iudicio, & non in furore tuo, nè fortè ad nihilum redigas me. Iste tamen homo Babylonis hoc non fecit ex charitate, sed ex crudelitate, nec zelo iustitiæ aut obedientiæ voluntati diuinæ, sed magis superbiæ, & libidinis dominandi. Quare non meruit, sed peccauit, sicut & fuit de Senacherib Rege Assur, vt superius est ostensum. Hoc enim patet expressè Ierem. 25. Vbi Dominus, Pro eo, inquit, quòd non audistis verba mea, ecce ego mittam & assumam vniuersas congregationes Aquilonis, & Nabuchodonosor seruum meum Regem Babylonis, &adducam eos super terram istam, & super habitatores eius, & interficiam eos & cætera cuncta mala. Et sequitur consequenter, & seruient Regi, seu Regibus Babylonis, 70 annis; Cumque impleti fuerint anni 70. visitabo super Regem Babylonis, & super gentem illam, iniquitatem eorum, & super terram Chaldæorum, & ponam illam in solitudines sempiternas. Quod & infra 50. habetur expressius, vbi & pec- D
catum eius & pœna clarius exprimuntur: Recedite, inquit, de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini, quoniam eccè ego suscito, & adducam in Babylonem, congregationem gentium magnarum, & præparabuntur aduersus eam, & in die capietur, & erit Chaldæa in prędam; omnes vastantes eam replebuntur, ait Dominus, quoniam exultatis & magna loquimini diripientes hęreditatē meam. Confusa est mater vestra nimis & adęquata pulueri quæ genuit vos. Eccè erit nouissima in gentibus, & deserta in via & arens, ab ira Domini, non habitabitur, sed redigetur tota in solitudinem. Properamini contra Babylonem, per circuitum debellate eam, quia Domino peccauit? Ceciderunt fundamenta eius, & destructi sunt muri eius, quoniam vltio Domini est, vltionem accipite de ea. Sicut fecit facite ei, dispergite satorem de Babylone, & tenentem falcem à facie gladij columbæ. Glossa, Nabuchodonosor columbam vocat, non per simplicitatem, sed pro stultitia superb æ. Et sequitur in Propheta, Grex dispersus Israel, Leones eiecerunt eum; Primus comedit eum Rex Assur, iste nouissimus exossauit eum, Nabuchodonosor Rex Babylonis. Propterea hæc dicit Dominus, E
Eccè ego visitabo Regem Babylonis, & terram eius, sicut visitaui Regem Assur; Et sequitur modus visitationis, dissipa & interfice, vox belli in terra, & commotio magna; quomodò confractus est & contritus malleus vniuersæ terræ. quomodò versa est Babylon in desertum? Et sequitur, Eccè ego ad te, superbe, Dicit Dominus, quia veniet tempus visitationis tuæ, & cadet superbus, & cętera non pauca similia post & ante. Hoc etiam totum planè testatur onus Babylonis non leue Es. 13. Prophetatum. Item Ierem. 47. dicitur ipsi Nabuchodonosor sub nomine mucronis in persona afflictorum. O mucro Domini, vsque quò non quiesces, ingredere in vaginam tuam, refrigereris & sile, & respondet Propheta pro eo, Quomodò quiescet

A escet cùm dominus præceperit ei aduersus Ascalonem, &c. vbi Glossa, quasi diceret, Non potest gladius quiescere, nisi Domino iubente, cuius vindictam exercet. Item Thren. 3. Quis est iste qui dixit, vt fieret Domino non iubente? Vbi Glossa, Quis est iste quàm stultus, quàm audax qui dixit, vt fieret Domino * non iubente, quo iustè disponente omnia fiunt. Et ostendit hoc multum diffusè, tam in malis quàm in bonis. Hæc omnia significant diuinam prouidentiam, non permissiuam tantummodò sed actualiter præceptiuam. Nec potest quis dicere, quòd Deus prouidet illa magna, sed aliqua parua non curat; si enim prouideat facta Paparum & Imperatorum vel Regum, cur non Cardinalium atque Ducum? & si horum, cur non Archiepiscoporum & Comitum? & si horum, cur non Episcoporum & Baronum, Rectorum & militum? & sic de maximis ad minimos, de superbis ad humiles, & de diuitibus ad pauperes descendendo, sicut capitulum proximum arguebat: maximè quia abscondit mysteria sua à sapientibus & prudentibus, & paruulis ea reuelat. Annon & Angeli pusillorum semper vident faciem Patris in cœlis, qui & humilia respicit de propinquo, & alta à longè cognoscit? *suo

B qui etiam ipse pauper elegit pauperes in hoc mundo? Item Apostolus, Augustinus, Ieronymus, Gregorius, & alij sancti Doctores supponentes, quod omnia in figura contingebant illis, & quòd scripta sint ad doctrinam & correptionem nostram, trahunt maiora huiusmodi ad minora, & ad alia similia vniuersa. Dicit quoque Ieronymus libro quarto, super Esaiam vbi prius: quicquid autem Assyrio dicitur, id est, Sennacherib Regi Assyriorum, ad hæreticorum superbiam, & ad Diabolum referri potest, qui securis, & serra, & virga in Scripturis appellantur, eò quòd per illum infructuosæ arbores succidantur, & diuidatur atque serretur incredulorum duritia, & percutiantur virgâ, qui non recipiunt disciplinam. Idemque onus Babylonis, quod libro quinto exponebat historicè, vt est dictum, libro sexto, exponens anagogicè, dicit; Quòd Babylon, quæ interpretatur confusio, significat istum mundum, qui in maligno positus est, & non solùm linguas, sed opera singulorum mentesque confundit; & Nabuchodonosor Rex eius significat Diabolum; & eius sanctificati fortes & Du-

C ces, Apostolos & Apostolicos viros ac Duces Ecclesiæ: omnesque Doctores totam sacram Scripturam in locis similibus simili modo intelligunt & exponunt. Item maxima & horribilissima mala quæ vnquam fuerant facta, scilicet persecutio, & occisio Christi & Apostolorum, ac cæterorum eius membrorum ab actuali Dei prouidentia emanârunt. Non est enim probabile quòd Deus Pater suum vnicum filium tam dilectum, de quo Angelis suis mandauit, vt custodirent eum in omnibus vijs suis, quem etiam ipsemet nunquam dimisit, quoniam vnum sunt, vnquam casui, vel fortunæ aut infortunijs maximis exposuerit negligenter; nec quenquam permisit tangere Christum suum, aut quicquam sibi accidere quouismodo, nisi ex sapientissimo consilio suæ prouidentissimæ voluntatis. Sic enim parens sapiens, bonus, & potens suo filio tenerrimo prædilecto, si posset, in omnibus prouideret. Hoc namque maximè decet, & congruit, nec aliter congruit, vt capit. 27. & sequentia docuerunt. Et hoc videtur Esaias 53 testari, cùm dicit; Oblatus est quia ipse voluit. Nec dubium quin Pater & Filius sint *Esaias.*

D inseparabilis voluntatis; quare & multi fideles hoc vnanimiter contestantur, dicentes; Domine, tu qui fecisti cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, qui Spiritu Sancto per os Patris nostri Dauidis pueri tui dixisti; Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Conuenerunt enim verè in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuũ Iesum, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israel, facere quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri, Act. 4. Et simile est quod dicit Apostolus ad Rom. 11. Secundum Euangelium quidem inimici propter vos. Et 1. ad Cor. 11. Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. Harum autem trium autoritatum duas primas tractat Augustinus De prædestinatione Sanctorum, 21. ad intellectum præmissum, & subdit; Tanta quippe ab inimicis Iudæis manus Dei & consilium * prædestinauit fieri, quanta necessa- *prædestinatione

E ria fuerunt Euangelia propter nos. Et idem De correptione & gratia, 22. dicit, quòd Deus elegit Iudam, ad effundendum sanguinem suum, & vt per eius opus damnabile Christi opus venerabile compleretur. Item Lumb. 3. Sen. dist. 20. ita dicit; De Christo legitur, quòd sit traditus à Patre, & quòd seipsum tradidit, & quòd Iudas eum tradidit, & Iudæi; Ipse se tradidit, quia sponte ad passionem accessit; & Pater eum tradidit, quia voluntate Patris, imo totius Trinit. passus est; Iudas tradidit prodendo, & Iudæi instigando; & fuit actus Iudæ, & Iudæorum malus, & actus Christi, & Patris bonus; opus Christi & Patris bonum, quia bona Patris & Filij voluntas. Malum fuit opus Iudæ & Iudæorum quia mala fuit intentio. Diuersa fuerunt ibi facta siue opera, id est, diuersi actus & vna res, siue factum, scilicet passio illa. Ideo Doctores aliquando vniunt in facto illo Patrem, Filium, Iudam, & Iudæũ, aliquando distinguunt,

Respici-

Respicientes enim ad passionem, vnum opus illorum dicunt; attendentes intentiones & a- A
Augustinus ctus facta diuersa discernunt. Vnde Aug. Facta est, inquit, traditio à Patre, facta est traditio à Filio, & à Iuda facta est traditio; vna res facta est, id est, passio; quid ergo discernit inter eos? quia hoc fecit Pater & Filius in charitate, Iudas verò in proditione. Videtis quod non quid faciat homo, sed qua intentione considerandum est. In eodem facto, id est, operatione inuenimus Deum, quo Iudam: Deum benedicimus, Iudam detestamur, quia Deus cogitauit salutem nostram, Iudas cogitauit pretium, quo vendidit Dominum suum; Filius pretium quod dedit pro nobis. Diuersa igitur intentio diuersa facta facit, cum tamen vna res sit ex diuersis. Ecce dicit vnam rem ibi fuisse, & diuersa facta, quia fuit vna ibi passio, sed diuersi actus; & actus quidem Iudæ & Iudæorum mali, quibus operati sunt Christi passionem, quæ bonum est, & opus Dei est. Passio igitur Christi & opus Iudæorum dicitur, quia ex actibus eorum prouenit: & opus Dei, quia eo Autore, id est, eo volente fuit. Vnde Augustinus, Nemo aufert animam Christi ab eo, quia potestatem habet ponendi & sumendi: Ecce habes Autorem operis. B Ponet Animam; ecce habes opus Autoris: & vt generaliter concludam quoties Christus in carne aliquid patitur, opus Autoris est: quia enim sua voluntate, non alio cogente perpetitur, ipse Autor est operis. Item Augustinus super illud Psalmi 103. Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt, ascendunt montes, & descendunt campi, &c terminum posuisti, &c. iussit Imperator; sed quis iussisset nisi Deus tonuisset? Quia Deus voluit, illi iusserunt & factum est: Ergo nullus hominum arroget sibi aliquid; formidabunt aquæ sed à voce tonitrui tui; Et infra, eodem, Ascendunt montes, scilicet potestates sæuiendo, & descendunt placando; quare non sæuiunt modo, quare non dant operam, si non possunt euertere terram nostram, saltem contegere eam? Audi, terminum posuisti, quem non transgredientur, neque reuertentur tegere terram. Ampliùs autem si non omnia prouenirent à prouidentia actuali, aliquis actus posset esse simpliciter malus, iniustus, & inordinatus; ordinatione scilicet præcedente. C Est enim duplex ordinatio, scilicet præcedens & subsequens; Ordinatio præcedens est quæ præordinat rem ad esse, sicut Deus præordinauit creare mundum; Ordinatio subsequens est, quæ posita re in esse, ordinat illam certo ordine per aliquid sibi conueniens, vt actum malum per miseriam & per pœnam. Talis igitur actus malus si non procedat à prouidentia præceptiua, sed tantummodo permissiua, est iniustus simpliciter & inordinatus, ordinatione scilicet præcedente. Nihil enim est iustum in talibus, nisi quòd primæ regulæ iustitiæ conformatur, quæ est actualis Dei voluntas, sicut vigesimum primum docet, nec aliquid præordinatum simpliciter, quod non præordinatur ab illa quæ est principium huius ordinis & primaria ordinatrix. Nullus autem actus quantumcunque malus est simpliciter iniustus aut inordinatus ordinatione præcedente, quoniam tunc totum vniuersum non optimè disponeretur, cuius contrarium vigesimum septimum capitulum allegauit. Meliùs autem & sapientiùs disponitur vniuersum, si tales actus disponantur ordinatione præcedente & subsequente, quam tantummodo subsequente. D Quilibet ergo talis actus iustus est respectu Dei illum volentis, & respectu patientis qui illum patitur propter peccata sua, vel propter aliquam aliam caussam approbatam à voluntate diuina, licet respectu agentis particularis, vt diaboli aut hominis sit iniustus, qui hunc facit animo maleuolo & nocendi, non animo diuinæ iustitiæ exercendæ, sicut si tortor aliquem suspendendum iustè traditum sibi à Iudice, non amore exequendi iustitiam, sed libidine vindicãdi suspendat, & sicut si seruus iussus verberare filium Domini, verberet eum animo vindicandi, non animo ex mandato Domini castigãdi. Quemadmodum dicitur Isa. 10. de Senacherib Rege Assyriorũ, qui fuit virga furoris Dei in populũ delinquentem; sed quia hic nesciuit, nec animo tali fecit, peccauit, Vę, inquit, Assur, virga furoris mei, ad gentẽ fallacem mittam eum, contra populũ furoris mei mandabo illi, vt ponat illum in conculcationẽ. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita ęstimabit, sed ad conterendum erit cor eius, non ad corrigendum: Dicit enim, Nunquid non Principes mei simul Reges sunt? &c. totum proprijs viribus superbè tribuendo. E Et ideo sequitur comminatio pœnæ sibi, Et erit, inquit, cùm impleuerit Dominus cuncta opera sua (non Senacherib) in monte Sion, visitabo super fructum magnifici cordis Regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius. Dixit enim, In fortitudine manus meæ, ego feci, &c. Et sequitur pœna eius; Propter hoc mittet Dominus in pinguibus eius tenuitatem, &c. Illa ergo conculcatio populi iusta fuit respectu Dei illam volentis, & per illam virgam suam illam facientis, fuit iusta similiter respectu populi patientis, sed non respectu Senacherib illam crudeliter & superbè quasi proprijs viribus inferentis. Idem patet de Nabuchodonosor sicut superiùs est ostensum, & de multis alijs flagellationibus populi Dei sæpissimè in Scriptura. Verùm ne

Esaias.

in

A in tanta sententia quicquam ex sensu proprio videat dicere insensatè, ecce Doctores sensati qui hoc sentiunt manifeste. Dicit igitur beatus Augustinus 83. quæstionum 27ª isto modo; *Augustinus.* Fieri potest vt per malum hominem diuina prouidentia vt puniat & opituletur. Nam Iudæorum impietas & Iudam supplantauit, & Gentibus saluti fuit. Item fieri potest, vt diuina prouidentia per hominem bonum & damnet & adiuuet, sicut ait Apostolus, Alijs sumus odor *Apostolus.* vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem. Sed cùm omnis tribulatio aut pœna impiorum sit, aut exercitatio iustorum, quia eadem tribula & paleam concidit, & frumentum à paleis exuit, vnde & tribulatio nomen accepit. Rursum cùm pax & quies à molestijs corporalibus & bonos lucretur, & malos corrumpat, omnia hæc diuina prouidentia pro meritis moderatur animarum. Sed tamen non sibi eligunt boni ministerium tribulationis, nec mali amant pacem: quare ipsi quoque per quos agitur id quod ignorant, non iustitiæ quæ refertur ad Deum, sed maleuolentiæ suæ mercedem accipiunt; quemadmodum nec bonis imputatur, quòd ipsis prodesse volentibus nocetur alicui, sed bono animo beneuolentiæ præmium tribuitur. Summo enim Deo cuncta benè administrante quæ fecit, nihil inordinatum in vniuerso, nihilque iniustum est, siue scientibus, siue nescientibus nobis: Sed cùm in parte offendit anima peccatrix, tum quia pro meritis ibi est, vbi esse talem decet, & ea patitur, quæ talem pati æquum est, vniuersum Dei regnum nulla sui fœditate deformat. Quamobrem quoniam non omnia nouimus, quæ de nobis benè agit ordo diuinus in sola bona voluntate, secundum legem agimus; in cæteris autem secundum legem agimur, cùm lex ipsa incommutabilis maneat, & omnia mutabilia gubernatione pulcherrima moderatur. Idem de Natura boni 11. Naturæ Dei omnino noceri non potest, nec alicui naturæ sub Deo iniustè noceri potest, quia & cùm peccando aliqui iniuste nocent, voluntas iniusta eis imputatur. Potestas autem qua nocere permittuntur non est nisi à Deo, qui & ipsis nescientibus, nouit quid illi pati debeant, quibus eos nocere permittit. Et infra eodem 32. quia nocentium potestas non est

B (margin letter at "tur, quòd ipsis")

C nisi à Deo, sicut scriptum est; Per me Reges regnant, & Tyranni per me tenent terram; Dicit & Apostolus, Non est potestas nisi à Deo. Et Iob; Qui regnare facit hypocritam prop- *Apostolus.* ter peruersitatem populi: Et de populo Israel dicit, Dedi eis Regem in ira mea; Iniustum *Iob.* non est vt improbis accipientibus nocendi potestatem, & bonorum patientia probetur, & malorum iniquitas puniatur. Nam per potestatem diabolo datam & Iob probatus est, vt iustus appareret, & Petrus tentatus ne de se præsumeret; & Paulus Colaphizatus, ne se extolleret; & Iudas damnatus vt se suspenderet. Cum ergo per potestatem quam diabolo dedit, omnia iustè ipse Deus fecerit, non tamen pro his iustè factis præmium, sed pro iniqua nocendi voluntate, quæ ipsius diaboli fuit, ei redderetur supplicium. Item Beatus Gregorius 2. Moral. 12. *Gregorius.* super illud Iob 1. Nudus egressus sum de vtero matris meæ &c. ita dicit; Quia verò consolatio non solum ex consideratione conditionis adhibenda est, sed etiam ex iustitia conditoris, rectè subiungit, Dominus dedit, dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est.

D Sanctus vir, tentante aduersario, cuncta perdiderat, sed tamen sciens, quia contra se Satan tentandi vires nisi permittente Domino non habebat; Non ait, Dominus dedit, diabolus abstulit; sed, Dominus dedit, Dominus abstulit. Fortasse enim fuerat dolendum, si quod conditor dederat hostis abstulisset; at postquam non abstulit nisi ipse qui dedit, sua recepit, non nostra abstulit. Vbi & benè subiungitur, Sicut Domino placuit ita factum est: Cum enim in hac vita, ea, quæ nolumus, patimur, necesse est vt ad eum qui iniustum velle nihil potest, studia nostræ voluntatis inclinemus. Magna quippè est consolatio in eo quod displicet, quòd illo ordinante erga nos agitur, cui non nisi iustum placet. Si igitur iusta placere Domino scimus, pati autem nulla, nisi quæ Domino placuerint, possumus, iusta sunt cuncta quæ patimur; & valdè iniustum est, si de iusta passione murmuramus. Hoc etiam testatur Anselmus de Veritate 7. ita dicens; Si omnia hæc sunt, quod in summa veritate sunt, *Anselmus.* sine dubio hæc sunt quod debent. Quicquid verò est quod debet, rectè est. Igitur omne

E quod est, rectè est. Et infra 8. mouet ‖*dubitationem* de peccato, quomodo ipsum rectè ‖disputationem. sit, cùm deberet non esse; & de actu malæ voluntatis specialiter ita quærit, An putas esse debere malæ voluntatis affectum? Et respondet, quod debet esse & non esse. Debet enim esse, quia benè & sapienter ab eo, quo non permittente fieri non posset, permittitur: & non debet esse, quantum ad illum cuius iniqua voluntate concipitur: Sicut cùm peccans, ab aliquo, ad quem non pertinet, percutitur, quoniam iste debet percuti, & ille non debet percutere, debet esse & non debet esse percussio, & ideò recta, & non recta, negari non potest. Quòd si ad supernæ sapientiæ & bonitatis consideres iudicium siuè ex altera parte tantum, siue ex vtraque, agentis scilicet & patientis esse non debeat percussio, quis audeat negare debere esse quod à tanta sapientia

Titus. pientia & bonitate permittitur? Neget qui audeat, ego non audio. Item Titus, ſicut allegatur A
in Gloſſa, ſuper illud Luc. 13. Adetant nuntiantes de Galilæis, quorum Pilatus ſanguinem
miſcuit cum ſacrificijs eorum, ſic dicit: Manifeſtat etiam hic, quia quæcunque ex iudicijs ac-
cidunt in reorum ſupplicium, non ſolum iudicantium poteſtate, ſed etiam nutu Dei contin-
gunt. Vndè ſiue iuſta conſcientia puniat Iudex, ſiue aliud intendens condemnet, commen-
Chryſoſtomus. dandum eſt negotium diuinæ cenſuræ. Et Chryſoſtomus ſuper illud infra, eodem, 18. Cecidit hic turris in Silo & occidit eos, ſic dicit; Non omnes punit dans alijs inducias pœnitendi,
nec tamen cunctos futuræ punitioni reſeruat, nè plures prouidentiam abnegarent. Licet ta-
men ſic facerent, nulli negarent prouidentiam permiſſiuam, talia ergo cuncta proueniunt à
prouidentia præceptiua. Tota quoque Scriptura tam veteris Teſtamenti quàm noui, tribuit
Deo omnia pœnè verba actiua, vt adducere inimicos, timorem immittere & pauorem, in fu-
gam conuertere, humiliare, deponere, euellere, diſperdere, diſſipare, deſtruere, flagellare,
percutere, vulnerare, occidere, ac eorum contrario cum multis nominibus ſimilibus, cuiuſ- B
modi ſunt ſaluator, adiutor, protector, defenſor, ſalus, virtus, protectio, defenſio, fortitudo,
cum ſuis ſimilibus infinitis, quod non eſſet niſi Deus aliquo modo hoc faceret, & non tan-
tum permitteret, vt videtur. Quare & hæc omnia continentur ſub ſua prouidentia non per-
miſſiua tantummodo ſed actualiter poſitiua, & quodammodò præceptiua. Hoc autem vide-
Apoſtolus. tur argumentum Apoſtoli ad Rom. 11. Quia enim dicit diuinum reſponſum, Reliqui mihi
ſeptem millia virorum qui non curuauerunt genua ſua ante Baal, arguit ipſe quòd fuit ſecun-
dum operationem & electionem Dei, ſic concludens: Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ ſe-
Gloſſa. cundum electionem gratiæ, ſalui facti ſunt. Et ſimiliter arguit Gloſſa ſuper illud Ierem. 31.
Qui diſperſit Iſrael, congregabit eum, dicens; Non ergo potentiæ hoſtium, ſed Domini vo-
Eſaie 45. luntas; Dominus ergo hæc omnia verè facit. Vndè & Eſai. 45. Ego Dominus & non alter,
formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum, ego Dominus faciens om-
nia hæc. Nec aliquis Propheticæ veritati contradicat, nè væ maledictionis incurrat; Sequitur C
enim ibi, Væ qui contradicit factori ſuo, teſta de ſamijs. Quicunque etiam hanc vniuerſalem
multitudinem operum virtutis Dei, mendaci gloſſa conantur reſtringere, inter inimicos Do-
Pſal. 65. mini computantur dicente Pſalmiſta, Pſalmo 65. Iubilate Deo omnis terra, &c. Dicite Deo,
quàm terribilia ſunt opera tua, in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui; et vſq;
ad finem Pſalmi proſequitur opera Domini communiter in proſperis & aduerſis. Alias inſu-
per detraheretur hominibus initium & finis Chriſtianæ Religionis, ſcilicet timor & amor; In-
itium namque ſapientiæ timor Domini, finis vero præcepti, imò & totius legis plenitudo eſt
amor & charitas. Per timorem quis recedit à malo, & per amorem perſeuerat in bono: Ti-
mor concipitur ex aduerſis, amor ex proſperis generatur. Qui ergo tollit à Deo proſpera &
aduerſa, niſi ſecundum illam improuidam prouidentiam tantummodò permiſſiuam, non
Auguſtinus. actualiter poſitiuam, tollit ab eo timorem pariter & amorem. Ideoque dicit Auguſtinus 83.
Quæſtionum 36. Nihil verius eo quod dictum eſt, Initium ſapientiæ timor Domini. Nemo D
eſt quippè, qui non magis dolorem fugiat, quàm appetat voluptatem. Eo fit, vt homines, quos
nondum delectat pulchritudo virtutis, pœnis à peccando deterreantur, quæ veriſſimè per
ſanctos viros & diuinos prædicantur. Vt ergo timeatur Deus, diuina prouidentia regi omnia
perſuadendum eſt, non tam rationibus quas qui poteſt inuenire, poteſt etiam & pulchritudi-
nem ſentire virtutis, quàm exemplis vel recentibus ſiqua occurrunt, vel de Hiſtoria maximè
veteris Teſtamenti & noui. Quicunque etiam iſtam prouideutiam Dei tollit, tollit & cuilibet
tribulato, patientiæ, ſpei, conſolationis, & gaudij maximam portionem? Quis enim tam pa-
tienter, ſpecialiter, conſolatoriè, & gaudenter ſuſtinebit aduerſa, ſi credat ea ſibi accidere ab
inimico tantummodò, vel à caſu, nec per ea purgari peccata, exerceri virtutes, aut præmia
cumulari, ſicut ſi credat hæc immitti ſibi à Deo actualiter prouidente, propter aliquod tale bo-
num? imò ſic firmiter credere, ſanctis Dei omnibus aſpera leniebat, retundebat acuta, &
dura quælibet molliebat, amara quoque & contraria ſingula dulciter temperabat, eratque in
triſtibus omnibus ſolatium ſingulare, quod & mihi etiam peccatori eſt principale remedium E
in aduerſitatibus quibuſcunque. O quàm facilè contraria ſuſtinet qui Deum timet vel amat,
credens Deum velle ipſum talia ſuſtinere, qui nihil niſi ſapientiſſimè & iuſtiſſimè poteſt velle.
Hoc, vt opinior, iugum Domini reddit ſuauè, & onus eius leue, & præſtat laborantibus re-
quiem animabus; quod & planè teſtatur Autoritas beati Gregorij 2. Moral. 12. ſuperius re-
citata. Spem quoque in Deo tollit ab hominibus, qui ſic ponit, & dat eis ſpem in Principibus,
in hominibus, & in carne; Hi enim hominem ab aduerſitatibus veraciter liberant, & in pro-
ſperitatibus verè locant, Deo quaſi dormiente quodammodo & tantummodo permittente;
in quorum conſilium non veniet anima mea, imò conſilium eorum longè ſit à me, quia
longe

A longè est à consilio veritatis, quoniam ipsum est consilium vanitatis. Omnia enim quasi aduersa vel prospera mandauit Deus antiquis Patribus nota facere filijs suis, vt cognoscat generatio altera, filij qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filijs specialiter ad hunc finem, vt ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei, Psalm. 77. Mihi igitur Deo *Psal. 77*
adhærere bonum est, ponere in Domino Deo spem meam; hæc enim spes non confundit. Item sic ponens, nedum tollit prædicta ab hominibus in aduersis, sed & in prosperis tollit Deo amorem, honorem, & actionem multiplicem gratiarum, sicut capitulum proximum arguebat. Quis enim Deum suum amabit, & honorabit, & gratias sibi aget, quia solummodò permittit sibi prospera euenire, sicut & quandoque facit latro, vel tyrannus, quantum faceret si ea sibi ex speciali amore positiuè, prouisa actualiter & veraciter sibi daret? Item sic ponere, ponit homines cum ingratis & insipiente in negatione Dei, & reddit eos ad mala omnia proniores. Vnde Iob vicesimo primo, recitata malorum prosperitate multiplici, sicut patet capi- *Iob.*
tulo proximo, dixerunt mali Deo; Recede à nobis, quasi dicerent; Satis benè nobis est sine
B te, & quasi cum insipiente, negantes Deum, dixerunt; Quis est Omnipotens vt seruiamus ei? Psalmo quoque 72. recitata similiter prosperitate malorum, vt patet capitulo proximo; Dixe- *Psal. 72.*
runt; Quomodo scit Deus, &c. Ecce ipsi peccatores obtinuerunt diuitias, quasi arguerent, ergo non scit Deus, vel non curat, nec iustè distribuit res humanas, & quasi vlterius dicerent saltem corde, ergo non est Deus; & ecce pronitas quæ suboritur ad peccandum: Et dixi, ergo sine causa iustificaui cor meum, &c. & supra, eodem; Mei autem pœnè moti sunt pedes, pœnè effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns, &c. Et Ecclesia- *Eccles. 9.*
stis 9. Vniuersa æquè eueniunt iusto, & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas & sacrificia contemnenti; sicut bonus sic & peccator, vnde & corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptu in vita sua, & post hoc ad inferos deducentur. Et supra eodem, octauo; Quia non profertur cito contra malos sententia, absque vllo timore filij hominum perpetrant mala. Contra hæc igitur & huiusmodi pericula, Dei actualis pro-
C uidentia est in omnibus prædicanda.

CAP. XXXIII.

Quòd respectu cuiuscunque est Dei permissio, est & eius volutio actualis.

HIs autem non impertinenter coniungendum existimo, quòd respectu cuiuscunque est Dei permissio, est & eius volutio actualis: Hoc siquidem ex capitulo proximo sequitur euidenter. Item per vicesimum secundum huius; Deus habet aliquem actum voluntatis respectu cuiuscunque permissi, & non actum nolutionis, quia, per decimũ, tunc non fieret, quare nec esset permissum. Hoc idem & probant autoritates ca-
D pitulo proximo allegatæ, ad hoc quod nihil est iniustum simpliciter, quia à Deo permissum; si tamen illa permissio nullum actum voluntatis haberet, non redderet quicquam iustum, sicut superius est argutum. Item dicit Augustinus *Augustinus.*
Enchir. 75. Non fit aliquid nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo. Et sequitur cap. 76. Nec dubitandum est Deum facere benè, etiam sinendo fieri quæcunque fiunt malè; Non enim nisi iusto iudicio sinit, & profectò bonum est omne quod iustum est. Quamuis ergo ea quæ mala sunt in quantum mala sunt, nõ sunt bona; tamen vt non solùm bona, sed etiam vt sint mala bonum est. Nam nisi esset hoc bonum vt essent mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono, cui sine dubio semper quàm facile est quod vult facere, tam facile est quod non vult esse, non sinere. Ex quo videtur, quòd Deus habet actum positiuum voluntatis, volendi actualiter vel nolendi circa quodcunque. Probat enim quod bonum est mala
E esse per hoc, quòd aliàs non permitterentur ab omnipotente bono; quod etiam probat per hoc, quòd quàm facile est ipsum facere quod vult, tam facile est non sinere esse quod non vult, innuendo quòd quidlibet vult esse, vel non vult illud esse. Vel ergo intelligit ibi, non vult positiuè, vt importat actum positiuum contrarium huius verbi, vult, vel purè negatiuè. Si positiuè, habetur propositum, scilicet quòd ipse supponit istam disiunctiuam in Deo circa quodcunque, Deus vult hoc, vel non vult hoc positiuè: si purè negatiuè, tunc per hoc non probat, quia nisi bonum esset mala esse, mala non essent, nec sinerentur esse, quod tamen intendit, cùm dicit; Tam facile est quod non vult esse non sinere, innuendo quòd si mala esse non esset bonũ, sed malum, Deus hoc nollet, & sic non sineret illa esse, quare nec ipsa essent. Si tamen intelligat, non vult, purè negatiuè, sic posset esse medium in Deo inter vult & non vult actualiter

 positiuè,

positiuè, sicut est in lapide, & homine dormiente; & sic non sequitur, non vult hoc, ergo A
hoc non fit, sicut non sequitur de homine qui potest impedire aliquod factibile, vel etiam promouere, non vult hoc, purè negatiuè loquendo, ergo hoc non fit, nec ‖ *finit* hoc esse; imò potest fieri ab alio, licet ipse non velit, dum tamen actualiter positiuè non nolit, quia tunc non impediet alium facientem. Item sicut per hoc, quod dicit, quàm facile est ipsum quod vult facere, intelligit aliquem actum; sic videtur, quod per hoc quod dicit, tam facile est ipsum quod non vult esse non sinere, intelligat aliquem actum æquè facilem, & æqualiter efficacem, nolle videlicet positiuè. Constat insuper quod ille sinit atque permittit, qui posset prohibere nec facit; quare & ille non sinit, qui potest prohibere & facit. Cùm ergo dicit Augustinus, Quàm facile est Deo quod non vult esse non sinere, per non sinere, intelligit prohibere, quod aliquem actum inportat; sed quem actum nisi nolle positiuè, quod per 10^{um}. tam efficax est ad impediendum seu prohibendum, sicut velle ad faciendum quodcunque? Quod etiam in modo loquendi Augustini, non vult, importet aliquem actum positiuum contrarium volutioni, patet per eum infra, eodem, 80. sic dicentem; Quantum ad Angelicam & humanam creaturam peccantes attinet, quod Deus noluit, fecerunt; quantum verò ad omnipotentiam Dei nullo modo id efficere valuerunt. Si tamen hoc verbum, Noluit, solam negationem importaret, videtur quod Angelus & homo potuit facere quod Deus noluit, nec hoc eius omnipotentiæ in aliquo derogaret. Item 1. cap. 80. infra, sic dicit, Miro & ineffabili modo non fit præter voluntatem Dei, quod etiam contra voluntatem eius fit, quia non fieret, si non sineret; nec vtique nolens sinit, sed volens; nec sineret bonis fieri malè, nisi omnipotens, & de malo facere posset bene. Idem 22. de Ciuit. Dei 4. Multa fiunt à malis contra voluntatẽ Dei: sed tantæ est ille sapientiæ, tantæq; virtutis, vt in eos exitus siue fines, quos bonos & iustos ipse præsciuit, tendant omnia, quæ voluntati eius videntur aduersa. Item 26. contra Faustum, illud sane scimus factum quod Dei voluntas habet; quod autem Dei voluntas non habet, fieri de quoquam omnino non posse: Ergo Deus nedum permittit, sed actualiter vult fieri omne factum. Idem super illud Psal. 61. Semel locutus est Deus, Deus suo consilio permisit filium suum occidi ab iniustis; Et infra, eodem, Deus non permisisset, nisi iustum esset; Iudicio permittit; mensura, numero, & pondere permittit. Permissio ergo Dei habet secum consilium, iudicium, mensuram, numerum & pondus, ergo & actum aliquem voluntatis. Idem de bono perseuerantiæ 56. allegat S. Gregorium sic dicentem; Vnius diuinitatis quæso vos confitemini trinitatem; si verò aliter vultis, dicite vnius essentiæ; & Deus vocem dari vobis à Sancto Spiritu deprecabitur, id est, rogabitur Deus, vt permittat vobis dari vocem, qua quod creditis, confiteri possitis. Illa tamen vox permissa vobis dari esset veraciter & propriè donum Dei: Ad hoc enim adducit ibi Gregorium, vt testetur, credere in Deum, &, quod credimus, confiteri, donũ Dei esse. Item B. Greg. 6. Moral. 11. super illud Iob 5. Qui comprehendit sapientes in astutia eorum, &c ita dicit: Sepè enim nõnulli humana sapientia inflati, dum desiderijs suis diuina iudicia contraire conspiciunt, astutis eius reluctari machinationibus conantur, & quo ad votum suum vim supernæ D
dispensationis intorqueant, callidis cogitationibus insistunt, subtiliora consilia exquirunt; sed inde voluntatem Dei peragunt, vnde hanc immutare contendunt, atq; omnipotentis Dei consilio dum resistere nituntur, obsequuntur, quia sepè & hoc eius dispositioni aptè militat, quod ei per humanum studium friuolè ‖ *resultat*. Sapientes ergo Dominus in ipsa eorum astutia comprehendit, quando eius consilijs humana facta etiam tunc congruè seruiunt, cùm resistunt. Et infra 12. Iustus namq; & misericors mortaliũ acta disponens, alia concedit propitius, alia permittit iratus, atq; ea quæ permittit, sic tolerat, vt hæc in sui consilij vsum conuertat. Vnde miro modo fit, vt & quod sine voluntate Dei agitur, voluntati Dei contrarium non sit; quia dum in bonum vsum mala facta vertuntur, eius consilio militant etiam quæ eius consilio repugnant. Hinc enim per Psalmistam dicitur, Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius. Sic quippe eius opera magna sunt, vt per omne, quod ab hominibus agitur, eius voluntas exquiratur. Hinc rursum dicit, Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit, in Cœlo & in terra. Hinc Salomon ait: Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Restat ergo, vt in cunctis quæ agimus, vim supernæ voluntatis inquiramus, cui videlicet cognitæ debet nostra actio deuotè famulari, & quasi ducem sui itineris persequi, ne ei etiam nolens seruiat, si hanc superbiens declinat. Vitari enim vis superni consilij nequaquam potest, sed magna sibi virtute hanc temperat, qui se sub eius nutibus refrænat, eiusque sibi pondera leuigat, qui hanc subiecto cordis humero volens portat. Ex quibus ostenditur euidenter, quod respectu cuiuscunque est diuina permissio, est & diuina volutio actualis, quod & plenè testatur eius Autoritas 2. Moral. 11. capitulo proximo recitata. Sed contra istud militare videntur multa dicta Sanctorum, distinguentium permis-

Margin notes: ‖ siuit; ‖ reluctat; *Psalmista.*; *Salomon.*; B; C; E

A permissionem contra voluntatem diuinam,& dicentium eum multa permittere quę non vult, nec amat. Vnde & Hosæ. 8. Ipsi regnauerunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognoui: & Ierem. 14. Falsò prophetæ vaticinantur in nomine meo, & non misi eos, & non præcepi eis, neque locutus sum ad eos. Et infra 23. non mittebam Prophetas, & ipsi currebant; non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Item tunc quicunque qualitercunq; intraret in ouile, *in Ecclesiam, intraret per ostium, quoniam per Deum & Christum, nec aliquis ascenderet aliunde, quod est contra illum bonum pastorem, Iohan. 10. Item tunc non esset nemesandum, & indignè ferendum, quòd indigni in magnis dignitatibus præferuntur, quod est contra communem consuetudinem & doctrinam Sanctorum. Vnde & Ecclesiastis 10. Est malum quod vidi sub Sole, quasi per errorem egrediens à facie Principis, positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum: Vidi seruos in equis, & Principes ambulantes quasi seruos super terram. Item tunc nullus deberet de aliqua dignitate, vel aliquo statu quocunq; deponi, Deus enim posuit eum ibi: Nec aliquis deberet scribere, Talis permissione diuina, talis, vel talis, sed prouidentia, vel voluntate, seu electione diuina Neq; esset resistendum in aliquo cuilibet quidlibet facienti, quia illud ex voluntate & ordinatione Dei facit. Vnde & Roboam cum domo Iuda & Beniamin, volentibus pugnare contra Ieroboam & suos, vt reintegraret regnum diuisum, dixit ad eos Dominus per Semeiam Prophetam: Non ascendetis, neque pugnabitis contra fratres vestros; reuertatur vnusquisque in domum suam, quia hoc mea gestum est voluntate. 2. Paral. 11. & 3. Reg. 12. Quibus consentit Apostolus ad Rom. 13. ita monens, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt: Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Item tunc esset obediendum præcepto cuilibet cuiuscunque, & cuilibet suggestioni & appetitui cuicunque; omnia enim ista nedum ex permissione, verùm & ex volutione Dei procedunt. Pro istis autem faciliùs dissoluendis, sciendum secundum Philos. 3. Eth. 1. quòd velle dupliciter dicitur, scilicet simpliciter, & secundum quid sicut Mercator in periculo naufragij simpliciter vult salutem, sed quia fortassis hanc habere non potest nisi merces eijciat. vult eijcere merces suas; non autem vult hoc simpliciter, sed propter salutem. Vnde & Parab 13. vult & non vult piger. August. quoque de spiritu & litera 26. ita dicit; Neque dici solet quispiā voluntate fecisse si quid fecit inuitus, quanquam si subtiliùs aduertamus, etiam quod quisque inuitus facere cogitur, si facit, voluntate facit: sed quia mallet aliud, ideo inuitus, id est, nolens facere dicitur. Malo quippe ‖*aliquo* quis facere compellitur, quod volens euitare, facit quod cogitur; ac per hoc si facit, non quidem plena & libera voluntate, sed tamen non facit nisi voluntate. Dicunt etiam iura, quòd coacta voluntas est voluntas: Tales autem operationes secundum Philos. vbi priùs, sunt mixtæ ex voluntario & inuoluntario, & ideo quandoque denominantur ab vno illorum & dicuntur voluntariæ, quandoq; ab alio & dicuntur inuoluntariæ, vel non voluntariæ, ita quòd secundum August. nunc allegatum, talis inuitus & nolens facere dicitur. Quare dicit Philos. 2. Topic. quòd desiderium respectu alicuius desiderati potest esse triplex; aut vt finis, vt ‖*sanitas*; aut vt eorum quæ sunt ad finem, vt consuere, vel conficere; aut vt eorum quę sunt secundū accidens, velut in vino ad mixtum dulce. Non enim quoniam vinum, sed quoniam dulce; nam per se, dulce desiderat, vinum autem per accidens. Si ‖*enim* austerum sit, iam non desiderat; per accidens ergo desiderat. Et 7. Ethic. 9. Si quis hoc propter hoc eligit aut persequitur, secundum seipsum quidem hoc eligit & persequitur, secundum accidens autem quod prius; simpliciter autem dicimus quod secundum seipsum. Et secundum eundem 6. Metaph. 4. Accidens videtur propinquum non enti; & ideo Plato non malè posuit sophisticam circa non ens, quia circa ens per accidens; quare & nulla est speculatio circa illud; nec vlla scientia actiua, factiua, vel Theologica studiosa est de eo. Et 1. Phys. 74. sic dicit, Quoniam maximè propriè dicimus Medicum aliquid facere, aut pati, aut fieri ex medico, si secundum quod Medicus, hoc patiatur aut faciat, manifestum quod ex eo quod non est, aliquid fieri, & hoc significat in quantum non est. Ideoque Autores, & Doctores Philosophici & Theologici, loquentes frequenter, vt decet, propriè, & in propositionibus non per accidens, sed simpliciter & per se veris, dicunt volentem aliquid tantùm per accidens dicto modo, non velle illud vel nolle. Quare & Philosophus 8. Ethic. 3. dicit, quòd amicitiæ propter vtile & propter delectabile sunt amicitiæ secundum accidens. Et infra 9. 1. propter hæc inquit, videlicet vtile & delectabile, amicitia existente dissolutio fit, cùm non fiant, quorum ‖*gratia* amabant. Non enim ipsos amabant, sed existentia: Et quid est amare, nisi velle bonum amato, dicente Philosopho 8. Ethic. 3. Amantes autem ad inuicem volunt bona adinuicem; Cui & concordanter Anselmus de Casu diaboli *13. Qui vult aliquid propter beatitudinem, non aliud vult

[Margin notes: *Hosæ.* 8. / *Ierem.* 14. / *id est, / *Eccles.* 10. / B / 2. *Paral.* 11. / *Apostolus.* / C / *Parab.* / *Augustinus.* / ‖alio / D / ‖sanitatis; / ‖autem / E / *Philosophus* / ‖ratione / *dicit]

hoc idem patet ex multis alijs &c. vult quàm beatitudinem, || *cum multis alijs* Autoritatibus 26. huius ad hoc idem adductis. Sic & Deus simpliciter vult Electos saluari, & æterna beatitudine præmiari; sed quia decet, quòd merita eorum præcedant, ordinauit eis tyrannos rebelles & multiplices inimicos, sicut Senacherib, Nabuchodonosor & alios, tanquam virgas furori sui, vt sic visitaret in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, sicque eos misericorditer castigaret, vel innocentes à peccatis taliter præseruaret, vel etiam virtutes eorum vtiliter exerceret. Quid enim mereretur patientia humilium & iustorum, nisi eam tribularet & pungeret iniuria malignorum, quæ omnia ex superioribus satis patent? quare & tales persecutores iustorum non vult Deus simpliciter esse vel persequi, sed tantum secundum quid & per accidens propter Electos; ideoque dicitur frequenter Deum nolle illos, nec operas eorum, sed tantum permittere, sicut infirmus, qui vt curetur, debet secari, vel vri, non dicit, volo, sed dicit, si sic oportet, permittam. Non dicit, volo, quia non vult simpliciter, vult tamen secundum quid & per accidens, scilicet gratia sanitatis, qui etiam modus loquendi habetur in sacra Scriptura expressè Gen. 47. dicente Ioseph Aegyptijs, Accipite & serite agros vt fruges habere possitis, quintam partem Regi dabitis, & quatuor reliquas permitto vobis in sementem & cibos, liberis & familijs vestris. Dixit, permitto: nec dubium quin voluit eos habere quatuor reliquas partes pro se & suis, sed principaliter magis voluit habere quintam partem ad vsus Regis, cuius negotijs specialiter intendebat. Et Tobiæ 2. loquens Scriptura de excæcatione Tobiæ, sic dicit: Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ ipsius, sicut & sancti Iob; Ecce dicit, quòd Dominus permisit, & tamen voluit illam tentationem, quia fuit bona, & nullo modo mala per culpam, quod patet testante Raphaele infra, eodem 12. Quia inquit, acceptus eras Deo, necesse erat vt tentatio te probaret, & hoc non fuit nisi ex voluntate diuina. Deus ergo hanc voluit non tamē simpliciter & propter se, sed secūdum quid & per accidens, in quantum scilicet fuit occasio patientiæ in Tobia, & posteris boni exempli. Patet ergo quomodò respectu eiusdē diuina permissio & eius actualis volutio non repugnant. Per hoc patet ad primum de Hosea, quòd Regnauerunt & non ex me, scilicet volente simpliciter, licet secūdum quid & per accidens, vt est dictum; vel aliter, Regnârunt, & non ex me, quantum scilicet in eis fuit, quia fortè contra conscientiam propriam, & contra iustitiam humanam & legalem, licet non contra iustitiam simpliciter quæ est diuina, sicut capitulum proximum ostendebat probando, quòd nihil est iniustum simpliciter. Ad alia verò de Ieremia & Iohanne patet per idem quòd Indigni prelati non sunt indigne ferendi, sed dignè quoad diuinam iustitiam, quæ sic disponit; possunt tamen indignè ferri quantum ad iustitiam propriam; si ascenderint minus iuste, nobis tamen subditis tutum reputo & salubre, nè murmuremur faciliter contra qualescunque prælatos, sed ipsos supportemus humiliter propter Deum, qui præposuit eos nobis: Si enim sint muti vel mali, hoc forsitan est in pœnam peccatorum nostrorum, qui tales meremur habere. Vnde Iob 34. Regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi: Super quod dicit beatus Gregorius 25. Moral. 15. Nullus, qui talem rectorem patitur, eum accuset, qui nimirum sui fuit meriti peruersi rectoris subiacere ditioni. Culpam ergo proprij magis accuset operis, quàm iniustitiam gubernantis. Et infra, eodem 16. Sic ergo secundum merita subditorum tribuuntur personæ regentium: Quandoque verò subditi propter peccata sua nedum malum prælatum suscipiunt, sed quod est magis mirabile, is quem bonum susceperant, permutatur in malum. Quare dicit Gregorius inferius vbi prius: sic pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regentium, vt sæpè pro merito gregis etiam verè boni derelinquat vita Pastoris. Ille, Deo attestante, laudatus Dauid Propheta, tumore repentinæ elationis inflatus, populum numerando peccauit, & tamen vindictam populus, Dauide peccante, suscepit. Cur hoc? quia videlicet secundum merita plebium disponuntur corda Rectorum: Iustus verò Iudex peccantis vitium ex ipsorum animaduersione corripuit, ex quorum causa peccauit; sed quia ipse, sua scilicet voluntate superbiens à culpa alienus non fuit, vindictam culpæ etiam ipse suscepit. Nam ira sæuiens quæ corporaliter populum perculit, Rectorem quoque populi intimo cordis dolore prostrauit. Prælatus etiam bonus admissus & permanens bonus continuè, propter subditorum peccata, quandoque à prædicationis & correptionis officio redditur obmutescens. Vndè Dominus Ezechieli sic dixit, Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir obiurgans, quia domus exasperans est. Vbi Glossa super verbum exasperans, quasi diceret, Tantæ amaritudinis sunt, & contra Deum contentionis, vt non obiurgationem tantum mereantur audire. Ex quo patet, vbi multitudo fuerit peccatorum, indignos peccantes esse, qui à Domino corrigantur. Corrigant ergo prius subditi vitam suam, & contra Prælatos suos non murmurentur; sed deuotè pro eis Dominum deprecentur, in cuius manibus corda sunt Regum,

Margin: A; B; C; *Iob. 34.* *Gregorius.* D; E

A Regum, & omnium Prælatorum. Neque procedit quod arguitur consequenter, quia sicut Deus posuit Prælatum in alto, ita, si deponatur, eum deponit. Ipse enim est, qui deposuit potentes de sede, nec posuit eum ibi pro suo perpetuo, sed ad tempus, sicut dedit regnum Nabuchodonosor, & semini eius post eum, non pro semper, sed donec veniret tempus terræ eius, & ipsius, sicut ex Ieremiæ vicesimo septimo, prius fuerat allegatum; non intelligendo per tempus terræ eius & ipsius, tempus durationis regni in aliqua magna, maiori, seu maxima coniunctione necessariò prætaxatum, quæ innouat sectas & regna, (sicuti mentiuntur Astrologi mentientes, qui nedum tempora magnorum regnorum præfinire conantur, sed etiam tempus fidei Christianæ, Albumazar de coniunctionibus attestante) sed tempus a Domino præstitutum. Ipse enim mutat tempora & ætates, transfert regna, atque constituit, Dan. 2. & regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias, Ecclesiast. 10 Et sicut à gente in gentem, ita de tribu in tribum, de persona in personam, cuius testes sunt Saul & Dauid, sicut superius tangebatur. Et sicut transfert regna, ita & minores quaslibet dignitates. Quia igi-
B tur aliqui minus digni, quandoque occupant dignitates, & hoc quantum ad eos attinet, scilicet secundum humanam & inferiorem iustitiam minus iustè, quamuis quantum ad diuinam & superiorem iustitiam aliquo modo iustè, benè possunt isti Iudices, secundum humanam & inferiorem iustitiam iudicantes, eo quòd circa futura ignorant diuinam & superiorem iustitiam, scilicet Dei iustißimam voluntatem, velle eos deponi, licet forsan non penitus absolutè, sed cum ista conditione expressa vel tacita; Si placitum fuerit coram Deo, & sic vlterius agere ad depositionem talium Prælatorum; & si contingat sic agi eosque deponi, hoc totum fit secundum diuinam & superiorem iustitiam, vt est dictum. Hoc autem totum confirmare videtur autoritas Augustini ad Simplicianum præscripta vicesimo quinto huius. Quintum argumentum potest in caput arguentis similiter retorqueri. Si enim quia aliqui scribunt; Talis permißione diuina talis vel talis, ideo pura permißione non voluntate Dei est talis vel talis: Simili ratione, quia aliquibus semper scribitur; Tali diuina prouidentia vel e-
C lectione diuina, vel Dei gratia summo Pontifici, Episcopo, siue Regi, omnes tales diuina prouidentia & gratia præferuntur, & nullus eorum pura permißione diuina, cum tamen aliqui eorum sint, aut esse possunt mali, sicut & in minoribus dignitatibus constituti. Item si quia Aliquis scribit, Permißione diuina talis, propterea pura permißione Dei est talis, cum omnes in cæteris paruis dignitatibus constituti semper sic scribant, omnes semper pura Dei permißione sunt tales, & nullus eius volutione seu electione, aut prouidentia actuali, quod ratio non permittit, cum inter eos sint multi sancti & boni, ac Deus ita curet pusillum gregem vt magnum, sicut præcedentia docuerunt. Quià tamen Dei permißio minor videtur quam eius gratia, prouidentia, electio, seu voluntas, ideò Minores humilitatis causa sic scribunt. Ad sextum verò de non resistendo cuilibet facienti, dicendum sicut ad quartum de depositione Præsidentium erat dictum: quoniam sicut Deus vult aliquem quodlibet facere, ita vult sibi resisti, si sibi ab aliquo resistatur &c, sicut ibi. Et si tu ar-
D guas, ergo frustra ordinauit primam actionem, quam ordinauit similiter destrui per secundam; vnus enim ædificans, vnus destruens, quid prodest illis nisi labor? Ecclesiastici tricesimo quarto. Respondeo, quod sic posset probari, quod non ignis & aqua nec vlla contraria deberent esse in Mundo: Nam vnum contrariorum impedit & destruit alterius actionem; imò, quod est magis mirabile, boni Angeli quandoque mutuo sibi resistunt, & inuicem præliantur; vnde Dan. decimo Princeps Regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus: Et infra eodem, Et nunc reuertar vt prælier aduersus Principem Persarum, qui ambo Angeli boni fuerunt, vt patet per Gregorium, & recitat ibi Glossa. Et aliqua est bona voluntas et iusta, contraria tamen quodam modò voluntati diuinæ; vt patet de bono filio, qui patrem suum vult viuere, quem Deus vult mori, vt patet per Augustinum Enchirid. 70. & recitat Lumbardus primo Sententiarum distinct. 48. 1. & 22. de Ciuitat. Dei 2. dist. duplici *Dan. 10.* *Gregorius.* *Glossa.* *Augustinus.*
E voluntate Dei, vna essentiali & æterna, qua vult Deus, alia temporali qua alios facit velle, de hac secunda sic dicit; Secundum hanc voluntatem qua Deum velle dicimus, quod alios efficit velle, à quibus futura nesciuntur, multa vult, nec facit. Multa enim volunt fieri Sancti eius ab illo inspirata sancta voluntate, nec fiunt, sicut cum orant pro quibusdam sancte pieque quod orant non facit, cum ipse in eis hanc orandi voluntatem sancto Spiritu suo fecerit. Quod & Dominus testabatur expresse cum dixit Dauidi; Quòd cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente tractans. 3. Reg. 8. Illa ergò voluntas seu cogitatio placuit Deo, & tamen opus in quod tendebat, finaliter non placebat. Statim enim subiunxit, veruntamen non ędificabis mihi domum. Vbi dicit & Glossa, argumentũ, quod voluntas actus placet, & si non actus. Ex omnibus istis patet, quod licet Deus aliquid ordinet, non oportet

oportet quod velit nihil sibi resistere, nec illud destruere; imò ipse omnia agentia & resistentia, A
generantia & corrūpentia, & vniuersaliter omnia contraria ordinauit, eisq; tam agendo quam resistendo, generando & corrumpendo & generaliter faciendo, & non faciendo proprios constituit terminos quos nullatenus præteribunt. Ad vltimum patet [per] idem: Præcepta namq; tyrannorum, suggestiones diaboli, & appetitus carnis vult Deus fieri, non vt eis obediatur ab omnibus, sed ad punitionem peccatorum, vel ad humiliationē & ad præcauendum peccata, vel etiā ad exercitationē virtutum, & cumulum meritorum. Nec mirum; Ipse enim Deus, aliquando præcipit aliquid, & prohibuit aliquid, nec tamen voluit hoc fieri, nec illud non fieri, vt patet Genes. 22. de Abraham, cui præcepit filium immolare, nec tamen eum voluit immolari: sed ad probandum fidem Abrahæ sic præcepit. Et Matthæi nono de duobus cæcis illuminatis, quibus dixit, Videte ne quis sciat; illi autem exeuntes diffamauerunt eum in totam terram illam, nec tamen in hoc secundum Patrum sententiam peccauerunt. Et hoc est quod docet Lumbardus 1. sententia distinctione 45. & 47. manifestè. His tamen B
nequaquam obstantibus, inficiari non potest, quin ratio permissionis & volutionis propriæ, scilicet actualiter positiuæ in Deo & hominibus sit diuersa, non tamen contraria. Homines namque volunt aliqua fieri, quæ & fieri permittunt, non tamen volunt quicquid permittunt, neque permittunt quicquid volunt: Nullus enim propriè permittere dicitur semetipsum quippiam operari, sed alium quem posset impedire si vellet. Quare & simili ratione videtur, quod Deus non quicquid vult, permittit; imò quicquid permittit fieri à quocunque, vult illud fieri ab eodem: Ipse namque voluntariè efficit illud, idem sicut 8um. huius; & 9um. perspicuè manifestant.

Gen. 22.

CAP. XXXIV.

Si, & quomodo Deus vult, & non vult, peccatum.

C

HIc restat consequenter inquirere, An Deus velit peccatum, Et videtur quod aliquo modo velit; Deus namque permittit peccatum; quare videtur per capitulum proximum quod aliqualiter || *illud velit.* Item per capitulum vigesimum secundū, Deus habet velle vel nolle respectu peccati, & non nolle; quia tunc non fieret per capitulum 10. ergo velle. Item Deus voluntariè prouidet atque facit omnia opera voluntaria tam mala quàm bona, cum omnibus suis circumstantijs positiuis, vt est ex prioribus manifestum, quæ necessariò peccatum important. Item peccatum esse est verum, & non est primum verum, sicut ex duodecimo huius patet; est ergo verum ex primo vero, sicut ex eodem 12°. & 13°. clarè liquet: Primum autem verum est || *in Deo*, vt patet ibidem; Deus ergo est causa huius veritatis, & non nisi voluntariè. Vult ergo Deus hanc esse veram, Peccatum est; quare & sic esse ex parte rei, sicut significatur per illam: vult ergo peccatum esse; quanquam Lumbardus 1. sentent. dist. quadragesima sexta reputet hoc argumentum sophisticum, & responsione indignum, cui tamen videtur indigniùs respondere, & responsionem per instantiam indignissimam confirmare. Nam secundum Philosophum 2. Topic. Instantia est argumentum ad oppositionem; hæc autem instantia nihil opponit contra positionem priorem: Dicit enim argumentum non tenere, sicut & in simili non sequitur, Deus prohibet furtum fieri, & furtum fieri verum est, ergo prohibet verum. Verum est, quòd non sequitur, nec est instantia, sicut credit. Prohibere namque importat negationem, scilicet velle aut præcipere quicquam non fieri aut non esse, quare & confundit terminum sequentem confusè & distributiuè, ita quod pro dici de nullo contingit descendere ad quodlibet suppositum negatiuè, vt patet ex primo Priorum; modo non sequitur, Deus prohibet furari, & omne furari est aliquid operari, ergo Deus prohibet aliquid operari; quia iste terminus, aliquid operari, in Minore supponit seu significat confusè tantùm, ita quod non contingit ibi descendere ad quodlibet eius suppositum; & in conclusione accipitur confusè & distributiuè vt est dictum, ex qua mutatione suppositionis oritur fallacia figuræ dictionis. Nec dubium quin illa conclusio non sequatur, quia si Deus prohibet aliquid operari, vult vel præcipit ne aliquid operetur, & sic non licet aliquid operari: Si tamen arguatur hoc modo, Deus prohibet furari, & furari est aliquid operari, ergo aliquid operari & aliqua operatio prohibetur à Deo, bene sequitur, & est conclusio illa vera. Et eodem modo videtur esse de vero & eius prohibitione; Veritas enim sequitur esse vel non esse rei: Si enim arguitur hoc modo; Deus prohibet hoc verum, vel hanc esse veram, Fur furatur, & hoc est verum, Fur furatur, ergo Deus prohibet verum, non sequitur; bene tamen sequitur, quod aliquod verum, vel aliquam propositionem esse veram

|| ipse velit peccatum.

|| Deus,

D

E

A ram Deus prohibet. Quilibet enim tenetur cauere tale verum de se ipso, Iste furatur; & hoc
est ratione alicuius prohibitionis diuinæ; Deus enim posset rationab liter prohibere, & ita
effectualiter & realiter videtur prohibuisse cuilibet de seipso, ne talis vnquam sit vera, Iste fu-
ratur, Iste mæchatur, & sic de omnibus malis similibus: Quare & Beati sunt illi aduersum
quos omne malum dixerunt mentientes. Ampliùs autem hæc est vera, Peccatum est; Aliqua
ergo est causa veritatis illius, & Deus est causarum omnium prima causa, & omnis causa se-
cunda causat in virtute primæ causæ, sicut præcedentia docuerunt. Item aliqua est causa ve-
ritatis illius, & non soli termini, nec ipsum solum peccatum, cùm ipsum nihil sit, vt patet
per 26um huius: Est ergo aliqua causa positiua *; & Deus est omnium talium prima causa. *eius;
Item peccatum est quædam priuatio, vt patet 26° huius, & omni negatione & priuatione
prior est affirmatio & habitus, & causa illius, sicut decimo tertio huius patet; & omnis affir-
mationis & habitus Deus est prima causa, vt patet ibidem. Item Deus est prima causa cuius-
B libet esse & non esse, sicut 11um, 12um, 13um, & 14um probauerunt: Quare & non esse iustitiæ
debitæ, & esse peccati. Item alias Deus non optimè disponeret vniuersum, nec perfectissi-
mè ordinaret. Melius enim & perfectius est ordinare, & disponere, imò prædisponere &
præordinare, sicut capitulo proximo erat dictum, de omnibus, tam malis quàm bonis, tam
priuatiuis quàm positiuis; quàm de bonis & positiuis tantummodo. ‖ *Alias enim* mala & ‖ aliasque
priuatiua relinquerentur inordinata, ordinatione huiusmodi præcedente; & esset aliquid in-
iustum & indecorum simpliciter, quod ordinem vniuersi iustissimum & pulcherrimum non
minimum deturparet, quod videtur contra præhabita capitulo præcedenti. Item omne quod
bonum est esse, à primo bono bonum est esse, & Deus vult illud esse; Peccatum autem esse
bonum est, vt patet per Autoritatem Augustini capitulo proximo allegatam. Hugo quo- *Hugo.*
que 1. de Sacramentis 4. part. 14. ostendit quòd Deus vult mala esse, quia hoc bonum est.
Et supra 13. ita dicit; Si dicitur Deus vult malum, graue est auditui, & non recipit hoc pia
C mens de bono, quia vult malum. Et ideo refutat hoc pia mens, non quia quod dicitur, non
benè dicitur, sed quia quod benè dicitur, non bene intelligitur: Habet enim zelum Dei, sed
non secundum scientiam. Item omne quod expedit hominibus, est à primo bono vtili om-
nibus, & Deus vult illud expedire, & esse; sed peccata expediunt hominibus, nedum alie-
na, sicut superius est ostensum, sed etiam propria. Vnde ad Roman. 8. Diligentibus Deum
omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt, sancti; Talibus
enim vt ait Augustinus de correptione & gratia 35. vsque adeo Deus omnia cooperatur in
bonum, vt si qui horum deuiant, & exorbitant, & hoc ipsum eis faciat proficere in bonum,
quia humiliores ‖ *redduntur* atque doctiores, vt Petrus; & Psalmo 82. Imple facies eorum ‖ redeunt
ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Augustinus quoque 14. de Ciuitate Dei 13. *Psalmus.*
Audeo dicere, superbis esse vtile incidere in aliquod apertum, manifestumque peccatum, vn- *Augustinus.*
de sibi displiceant, qui sibi placendo ceciderant: Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quan-
D do fleuit, quàm sibi placuit, quando præsumpsit. Hoc dicit & sacer Psalmus, Imple facies
eorum ignominia, &c. Item omne quod facit ad pulchritudinem vniuersi, Deus totius pul-
chritudinis pulcher Autor vult esse: Peccatum est huiusmodi; Nam secundum illam pro-
pheticam sententiam & famosam 2. de Cœlo 40. & 3. Meteor. & 1. Elench. Contraria, siue
opposita iuxta se posita magis apparent. Vnde & in De mundo 10. ita dicit; Quidam mira- *Philosophus*
tus est, quomodo mundus constans ex contrarijs principijs, dico autem siccis & humi-
dis, frigidis, & calidis, non corruptus est olim; quasi quis miraretur ciuitatem quo pa-
cto perseuerat, consistens ex contrarijs gentibus, egenis dico & diuitibus, iuuenibus, se-
nibus, debilibus, fortibus, ex reprobis atque probis; in alia translatione, ex malis atque
bonis; sed ignorant, quòd erat ciuilis vnanimitatis, in alia translatione, concordiæ mirabi-
lissimum, dico autem quod è multis vna, & similis suscipitur omnis natura, & fortuna.
Fortasis autem gliscit contrariorum natura, & ex his efficere consonum, non ex similibus.
E Velut ergo Marem fœminæ copulauit, nec vtrumque proprio sexui, & primum fœdus
coniunxit per contraria non per ‖ *similia sicut videtur. Ars* quoque naturam imitans facit ‖ similia.
hoc. Nam pictura alborum, nigrorum, citrinorum, & rubeorum colorum commiscens Sed & vi-
naturas, egit præcedentibus imagines consonas; Musica verò acutos pariter & gra- detur ars
ues, longos & breues sonos commiscens, in vocibus diuersis vnam harmoniam perfe-
cit: Grammatica verò ex vocalibus & consonantibus literis mixturam faciens, totam
artem ex eis constituit. Idem autem huic erat & quod ab obscuro dicebatur Heraclito,
Coniungit conuersa, & non conuersa, conueniens, & differens, consonum & abso-
num, & ex omnibus vnum, & ex vno omnia. Sic igitur & omnium constitutionem,
Cœli, dico, & terræ vndique totius permixtam, maximè contrariorum principiorum vna
decorauit

decorauit harmonia, ſiccum humido, calidum frigido, graue leui, rectum circulato decorauit: totam terram, & mare, ætherem, atque Solem & Lunam, & totum cœlum decorauit vna, quæ per omnia tranſit virtus; ex immixtis & diuerſis, ex aere, terra, igne & aqua totum orbem creans & diſponens vnius ſphæræ ſuperficiæ; ac maximè contrarias in eo naturas cogens adinuicem concordare, & ex his ingenians vniuerſo ſalutem. Et infra, eodem; De omnibus quaſi contrarijs ita dicit. Hæc autem omnia videntur cauſa boni facta, & præſtare ſalutem per ſæcula. *Alacen.* Alacen quoque 2. Perſpectiuæ ſuæ oſtendit; Quòd nedum lux & ſimilitudo, verum & vmbra, obſcuritas, & diuerſitas facit pulchritudinem aliquandò, vbi & exempli gratia dicit, quòd pulchritudo ſtellarum non apparet, niſi in nigredine noctis, & quòd ſtellę in noctibus obſcuris ſunt pulchriores, quàm in noctibus Lunæ. *Eccleſiaſtici. 33.* Cui concordat ſapiens Eccleſiaſtici 33. ita dicens: Quare dies diem ſuperat, & lux lucem, & annus annum, & Sol Solem? et reſpondet; A Domini ſcientia ſeparati ſunt, facto Sole, & præceptum cuſtodiente, per Dei ſapientiam diuiduntur; & immutauit, vel alias immutabit tempora & dies feſtos eorum, & ex ipſis poſuit in numerum dierum, & omnes homines de terra in multitudine diſciplinæ Domini ſeparauit eos, & immutauit vias eorum, & ex ipſis benedixit & exaltauit, ſanctificauit, & ad ſe applicauit; ex ipſis maledixit, & humiliauit, & conuertit illos ad ſeparationem ipſorum, quaſi lutum figuli in manu ipſius plaſmare & diſponere illud, omnes viæ eius ſecundum diſpoſitionem eius, ſic homo in manu illius qui ſe fecit, contra malum bonum eſt, & contra vitam mors, ſic & contra virum iuſtum peccator, & ſic intuere in omnia opera Altiſsimi, duo *Auguſtinus.* contra duo, & vnum contra vnum. Dicitque Auguſtinus 11. de Ciuitate Dei 18. Nullum Deus Angelorum vel hominum creaſſet, quem malum futurum eſſe præſciſſet, niſi pariter noſſet, quibus eos bonorum vſibus commodaret, atque ita ordinem ſæculorum, tanquam pulcherrimum carmen ex quibuſdam quaſi antithetis honeſtaret. Antitheta enim quæ appellantur in ornamentis locutionis, ſunt decentiſſima, quæ latinè appellantur oppoſita, vel contra poſita. Sicut ergo iſta contraria contrarijs oppoſita, ſermonis pulchritudinem reddunt; ita quadam non verborum, ſed rerum eloquentia contrariorum oppoſitione ſæculi pulchritudo componitur. Apertiſſimè hoc poſitum eſt in libro Eccleſiaſtici iſto modo; Contra malum, bonum; & contra mortem, vita; ſic contra pium, peccator. Et infra, eodem 23. Sicut pi- ** in* ctura cum colore nigro * loco ſuo poſita; ita vniuerſitas rerum, ſi quis poſſet intueri, etiam cum peccatoribus pulchra eſt, quamuis per ſeipſos conſideratos ſua deformitas turpet. Idemque de vera religione 73. dicit, quod pulchritudo vniuerſi non eſt conſideranda in vna parte tantum, ſed in omnibus, & in toto. Error quoque noſter parti mundi adhærens per ſe fœdus eſt: ſed ſicut niger color in pictura cum toto ſit pulcher, ſic totum iſtum agonem decenter edit ex contrarijs incommutabilis diuina prouidentia. Idem quoque Enchirid. 7. In vniuerſitate illud quod malum dicitur, bene ordinatum & loco ſuo poſitum eminentius commendat bona, vt magis placeant, & laudabiliora ſint, dum comparantur malis. Idem inſuper de Natura boni 16. ita dicit, Priuationes ſic in vniuerſitate naturæ ordinātur, vt non indecenter habeant vices ſuas. Nam & Deus certa loca & tempora non illuminando decenter tenebras facit; Si enim nos continendo vocem decenter interponimus ſilentium in loquendo, quanto magis ille quarundam rerum priuationes decenter facit, ſicut rerum omnium perfectus Artifex. Vndè & in hymno trium puerorum, etiam Lux & tenebræ laudant Deum, id eſt, laudem eius in benè ‖ *confidentium* cordibus pariunt. *‖ conſiderantium* Item omne iuſtum à primo iuſto ſcilicet Deo eſt iuſtum; et Deus vult illud eſſe iuſtum & eſſe. Omnis pœna peccati eſt iuſta, ſicut patet 31. huius, & vnum peccatum eſt pœna alterius: Dicit enim Propheta, Non veniat mihi pes ſuperbiæ, &c. Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare *Pſalmus 35.* Pſalm. 35. Quare & Salomon; Fouea, inquit, profunda os alienæ; cui iratus eſt Dominus, incidet in eam Parab. 22. *Parabol. 22.* Quod & patet ad Rom. 1. de illis qui cum cognouiſſent Deum, non *Rom. 1.* ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Quapropter tradidit illos Deus in deſideria *Auguſtinus.* cordis eorum, in immunditiam. Vndè & Auguſtinus ſuper illud Pſalmi 35. præmiſſum, Audite, inquit, pedem ſuperbiæ, Qui cum cognouiſcent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt. Venit ergo illis pes ſuperbiæ, vndè venerunt in profundum. Tradidit illos Deus in diſideria cordis eorum, facere quæ non conueniunt. Qui & ſuper illud Pſalmi 57. Sicut cera liquefacta auferentur, ſic dicit, Iſtas pœnas pauci vident, propterea eas maxime commemorant Spiritus Dei. Audi Apoſtolum dicentem; Tradidit illos Deus, &c. Et enumerat multa quæ peccata ſunt, & pœnas dicit eſſe peccatorum. Nam primum peccatum ſuperbia eſt, vltima pœna ignis aut Infernus. Peccata verò damnatorum media inter illud primum peccatum, & hanc vltimam pœnam, & peccata ſunt, & pœnę, vt adulter ſit, iam pœna eſt, vt mendax, vt auarus, ** peccatoris* vt fraudulentus, vt homicida iam pœnę ſunt. * Cuius pecati pœnę? prioris Apoſtaſiæ, illius ſuperbiæ,

A superbiæ, qua dixerunt se esse sapientes, quia à se habere dicebant, quod à Deo acceperant: Quod & docet similiter, quinto contra Iulianum 3. & post diffusè & similiter libro sexto; Dicit quoque Gregorius super Ezechielem homil. 11. Peccatum quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est, & causa peccati, aut peccatum, & pœna peccati, aut peccatum simul & causa & pœna peccati. Vnde Moses: Nondum completa sunt peccata Amorræorum: & Dauid; Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: & alius Propheta; Sanguis sanguinem tetigit, id est, peccatum peccato redditum est. Paulus quoque ait; Propterea tradidit illos, &c. Iohanni quoque per Angelum dicitur; Qui in sordibus est sordescat adhuc. Quem sequitur Isidorus secundo De summo bono 19. dicens; Quòd peccatum præcedens est causa sequentis peccati, sequens verò peccatum pœna est præcedentis delicti, neq; dum quicunque iusti sunt à Deo impelluntur vt mali fiant, sed dum mali iam sunt, indurantur, vt deteriores existant, sicut dicit Apostolus, Quoniam veritatem Dei non receperunt, vt salui fierent; *Gregorius.* *Moses.* *Dauid.* *Hosea.* *Paulus.* *Iohannes.* *Apostolus.*

B immisit illis Deus spiritum erroris. Facit ego Deus quosdam peccare, sed in quibus iam talia peccata præcesserunt, vt iusto iudicio eius mereantur in desiderijs ire. Respondebitur forsitan quòd vnum peccatum est pœna alterius, sed secundum substantiã puram actus, non secundum deformitatem ipsius; sed quomodo est hoc verum de actu peccati, cui magna delectatio, & nulla penitus tristitia admiscetur? cùm etiam nullus actus sit essentialiter per se malus, per 26. huius. Et siquis dixerit, quòd talis actus peccati est nociuus homini & pœnalis, in quantum aufert ab eo iustitiam debitam quam habebat, & oppositam priuationem inducit, habet dicere consequenter, quòd ablatio & priuatio talis passiua, est potius eius pœna, & illa per se & propriè est peccatum, sicut 26. huius & Doctores plurimi contestantur: Alioquin etiam post peccare non remaneret peccatum. Quare & Petrus 2. Sent. dist. 35. vlt. dicit, quòd priuatio & corruptio boni dicitur pœna secundum effectum, id est, secundum passionem, quæ est effectus peccati, id est, peccare, ipsum & ipsam causantis, & dicit quòd hæc pœna est Dei. Vnde & Augustinus de vera religione, 24. Defectus, inquit, iste qui peccatum vocatur, si tanquam *Lumbardus.*

C febris inuitum occuparet, rectè iniusta pœna videretur quæ peccantem consequitur, & quæ damnatio nuncupatur. Qui & 5. contra Iulianum 14. loquens de malo homine malè operante sic ait; Quòd profectò illi peccatum est, quia malum facit, & pœna peccati quia malum se patitur. Et si quis adhuc respondeat ad dictum Apostoli, & similia, sic glossando; Deus tradidit illos, &c. id est, deserendo tradi permisit, sicut etiam quidam Doctores glossare videntur, potest argui per cap. proximum, si permisit eos sic tradi, quòd voluit eos sic tradi. Item dicit Augustinus, & concordant alij duo sancti, quòd vt adulter fit, & mendax, &c. sunt pœnæ peccati prioris. Sunt ergo aliquo modo iusta, volutaque à Deo. Item peccatum secundum est aliquo modo pœna peccati prioris, vt patet per testimonia Scripturæ, & Doctores prædictos; & si hoc non sit per intentionem nec voluntatem Dei, nec per intentionem nec volutionem peccantis, nec alicuius alterius hoc esset purè casualiter contra 29. huius; & etiam tunc non ordi- *Augustinus.*

D natè nec iuste puniret illud: Nihil enim ordinatè vel iustè punit aliud, nisi ab aliquo iusto Iudice ordinetur in pœnã illius. Item tunc Deus non aliter traderet malos in desideria seu peccata quàm bonos: Ambos enim tradit tantummodò permittendo, quod est contra Scripturam & Doctores præmissos. Propter namque pedem superbiæ præcedentem ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare. Quare & dicit Isidorus; Neque dum quicunque iusti sunt à Deo impelluntur vt mali fiant, &c. innuendo quòd aliqui dum iniusti sunt, sic impellantur à Deo, vt deteriores existant; & ideò dicit expressè quòd Deus facit tales peccare non alios; quod etiam sapiunt verba Apostoli allegata; Quoniam veritatem Dei non receperunt, immisit illis Deus spiritum erroris; vbi translatio Ieronymi dicit expressiùs; Ideò immittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, 2. ad Thes. 2. Et Scriptura vbique loquens de talibus dicit; Propter quod, Ideo, Eò quod, vel aliquod simile, quod significat causam, ostendendo per hoc quòd peccatum præcedens est causa sequentis. Item Lumb. 2. Sent. dist. 30. ostendit, quòd vnum peccatum est pœna alterius, & dicit; quòd pec- *Isidorus.* *Apostolus.*

E catum in quantum est pœna peccati prioris est à Deo, non autem in quantum peccatum. Vel ergo intelligit, quòd vt est pœna peccati, est à Deo tantummodò permittente, & sic est, vt est peccatum; differentia ergo nulla: vel quòd est à Deo volente & ordinante, & tunc Deus vult peccatum fieri & esse, saltem in quantum est pœna peccati prioris. Item ista videtur periculosa responsio, nisi per permissionem intelligat voluntatem Dei secundum quid, sicut capitulum proximum exponebat, sicut & Doctores, sic quandoq; glossantes dictum Apostoli & similia, possunt exponi: Hæc est enim responsio & expositio Iuliani hæretici, 5. libro contra eum ab Augustino diffusiùs reprobata. Iulianus enim sicut ibi 4. capitulo recitat Augustinus, sic exposuit dictum Apostoli; Tradidit illos Deus, &c. id est, tradidit deserendo, & non potentia, sed patien-

patientia. Contra quem sic inuehit Augustinus, Quæris inaniter, quomodo intelligendus sit tradere Deus, multum laborans, vt ostendas eum tradere deserendo. Et infra, eodem, Dixit Apostolus quid mali ante fecissent, & adiunxit, Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum. Proinde hæc præcedentis est pœna peccati, & tamen etiam ipsa peccatum. Sed tu contra differens eo modo tibi videris istam soluisse quæstionem, quia desiderijs suis Apostolus traditos dixit. Iam enim flagitiorum iniquis desiderijs æstuabant, & adiungis quomodo per potentiam tradentis Dei, putandi sunt in talia facta cecidisse. Et Augustinus contra eum, Quid ergo plus factum est, obsecro te? aut vt quid diceret Apostolus, Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, si iam erant possessi quoquomodo malis desiderijs cordis sui? Nunquid autem consequens est, vt si quis habeat mala desideria, iam etiam consentiat eis ad committenda eadem mala? * ac per hoc, aliud est habere mala desideria, aliud tradi eis, vt consentiendo eis possideatur ab eis, quod fit cùm diuino iudicio traditur eis. Et infra 5. recitat multa de scriptura, per quæ ostendit vnum peccatum esse pœnam alterius. Dominus, inquit, miscuit illis spiritum erroris, & seduxerunt Aegyptum; Iterum, Quid errare fecisti nos, Domine, à via tua, obdurasti corda nostra vt non timeremus te; Iterum, Ecce tu iratus es, & nos peccauimus, propterea errauimus; Iterum, Per Dominum confortatum est cor gentium, vt obuiam irent Israel, vt exterminarentur; Iterum, Non audiuit Rex Roboam, &c. vt Dominus statueret verbum Prophetæ; Iterum, Non audiuit Amasias, quoniam à Domino erat vt traderetur; Iterum, Pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt, &c. Mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio; Iterum, Propheta si errauerit, ego Dominus seduxi Prophetam, &c. Et iterum, Misit iram & indignationem per Angelos malos; & post testimonium de Amasia, dicit alia multa se posse commemorare, in quibus liquido apparet, occulto iudicio Dei fieri peruersitatem cordis, vt non audiatur quod verum dicitur & inde peccetur, & sit ipsum peccatum præcedentis etiam pœna peccati. Nam credere mendacio, & non credere veritati, vtique peccatum est: Venit tamen ab ea cæcitate cordis, quæ occulto iudicio Dei, sed tamen iusto etiam peccati pœna monstratur. Et infra, eisdem, sic alloquitur Iulianum, Quid est autem quod dicis, cùm desiderijs traditi dicuntur, relicti per diuinam patientiam intelligendi sunt, & non per potentiam in peccata compulsi, quasi non simul posuit hæc duo idem Apostolus, & patientiam & potentiam? vbi ait, Si autem volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in interitum. Et Infra 6. Quis dicat non peccasse Achab spiritui credendo mendacij? Quis dicat hoc peccatũ non fuisse pœnam peccati venientem de iudicio Dei, ad quem legit mendacem spiritum siue missum, siue permissum? quis horum aliquid dicit, nisi qui dicit quod vult, & quod verum est audire non vult? quis verò ita desipiat, vt cùm audierit quod in Psalmo canitur, Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori, hoc dicat orasse hominem, ne Deus sit patiens erga eum, si Deus non tradit vt mala fiant, nisi patientem bonitatem præbendo cùm fiunt? Quid est autem quod quotidie dicimus, Ne nos inferas in tentationem, nisi vt non tradamur concupiscentijs nostris? vnusquisque enim temptatur, à concupiscentia sua abstractus & illectus. An fortè hoc à Deo petimus, vt non sit erga nos patiens bonitas eius? Non ergo eius inuocamus misericordiam, sed potiùs iracundiam prouocamus. Quis ista sapiat sanus, imò vel quis furiosus hæc dicat? Tradit ergo Deus in passiones ignominiæ, vt fiant quæ non conueniunt, sed ipse conuenienter tradit, & fiunt eadem peccata & peccatorum supplicia præteritorum, & suppliciorum merita futurorum: Si quis autem dixerit cum Lumbardo, quod Deus vult peccatum sub ratione, qua est pœna, non sub ratione qua est peccatum, potest sic argui contra eum; Ista pœna & peccatum per se, scilicet sub ratione qua est peccatum necessario & inseparabiliter coniunguntur, & illa necessitas & inseparabilitas est à Deo, sicut ex præcedentibus satis patet: Ipse enim est prima necessitas, & primum necesse esse. Vult ergo illa sic coniungi & esse coniuncta, & esse; vult ergo peccatum esse. Item quicunque scit aliqua duo esse necessario & inseparabiliter copulata, & vult illa taliter copulari, & scienter ac rationabiliter vult vnum, vult reliquum, maximè si circa vtrumque habeat aliquem actum voluntatis, sicut vigesimum secundum ostendit de Deo; Deus autem scit & vult ista duo taliter copulari, & scienter ac rationabiliter vult vnum, scilicet pœnam peccati, ergo & peccatum. Hoc statim potest patere, quia si *A* & *B* taliter copulentur, & Deus vult *A* fieri & potest, *A* fit, & *B* necessario fit cum eo; & Deus nihil casualiter operatur, sed totum ex intentione sapientissima omnia suauiter disponente, sicut vigesimum nonum docet. Deus ergo vult *B* & quodammodo facit illud. Adhuc autem in consequentia necessaria qui vult antecedens vult consequens vt videtur, saltem in vniuersali, licet non in particulari, & sub propria forma sua.

Marginalia: A (line 1); * desideria? (beside "sentiat eis"); B (beside "infra 5."); C (beside "credere mendacio"); *Apostolus.* (beside "si, quasi non simul"); *Augustinus* (beside "entia vasa iræ"); D (beside "Ne nos inferas"); E (beside "inseparabiliter copulata").

A sua. Qui namque vult aliquod totum, vult aliquo modo omnes necessarias partes eius: Docet quoque Philosophus 2. Priorum, quòd quicunque opinatur aliquod antecedens, & quodlibet eius consequens similiter opinatur, saltem in vniuersali, licet fortasis quandoque in particulari, & sub forma propria opinetur oppositum cuiuspiam consequentis. Cur ergo nequaquam de volutione similiter iudicandum? Sed absit quòd Deus quicquam velit in vniuersali & confusè, & illud nolit in particulari & distinctè, aut sic oppositum eius velit, sicut præcedentia clarè monstrant. Scit enim Deus distinctißimè quicquid in antecedente quolibet continetur: Omnem enim consequentiam bonam nouit, vultque omnem bonam consequentiam esse bonam. Quomodo ergo Deus quodlibet suum volutum rationabiliter summè volens, vult aliquod antecedens, & aliquod consequens eius non vult, non solummodò priuatiuè, sed etiam positiuè, per actum videlicet volutioni contrarium positiuum. Si enim quicquam non velit, cur non potest rationabiliter illud sic nolle? Sed quis tantam con-B trarietatem & irrationabilitatem in Deo vel leuiter suspicatur? Nonne & si Deus velit quicquam, cui multa necessariò sunt annexa, quomodolibet fieri à quocunque, illud sic fiet ab eo cum annexis huiusmodi vniuersis, decimo huius teste? & si aliquod tale annexum Deus non velit, potest rationabiliter illud nolle, nolutione videlicet positiua; quod si ponatur per idem decimum illud non fit. Simul ergo illud fit & non fit, & similiter illud totum. An non & si Deus vult aliquod antecedens, illud est iustum saltem respectu voluntatis iustitiæque diuinæ? quare & quodlibet consequens eius est simili modo iustum. Quapropter & a Deo totius Autore iustitiæ volutum & amatum, sicut priora testantur, & Psalmus 10. contestatur, Iustus, inquiens, Dominus, & iustitias dilexit: Alioquin etiam posset Deus simul velle aliquod antecedens, & aliquod consequens eius nolle, imò & velle oppositum consequentis, quare & aliquod iustum nolle, & oppositum iusti velle. Nonne & secundum omnem rationem & legem, Logicam, Philosophicam, humanam, & diuinam, qui concedit, fatetur, dat, aut di-C cit aliquod antecedens, facit & similiter omnia & singula, quæ necessario consequuntur, nec debet admitti, neque permitti in opposito alicuius huiusmodi consequentis. Quis enim opposita, repugnantia, contradictoriaue admittet rationabiliter ab eodem, quia nec veritas hæc admittit? Quomodo ergo Deus per suam rationabilißimam voluntatem aliquid ordinat, dat, aut dicit, & aliquid ipsum necessariò consequens nullatenus ordinat, nec dat, aut dicit; quinimo vult, & dicit oppositum huius consequentis? & licet ista per se satis perspicua videantur; Ecce tamen testimonium Philosophi 2. Topic. dicentis, Omnis qui dixit quidlibet, quodammodo multa dixit, eo quod plura sunt vnumquodque ex necesitate consequentia, vt si hominem esse dixit, & quoniam animal est, dixit, & quoniam animatum est, & quoniam bipes, & quoniam mentis & disciplinæ susceptibile. Quare quolibet vno interempto consequentium, interimitur & quod in principio est. Vnde & Thomas 1. contra Gentiles 81. sic ait; Sapientis voluntas ex hoc quod est de causa est de effectu, qui ex causa de D necesitate sequitur: Stultum enim esset velle Solem existere super terram, & non esse diei claritatem. Et infra 83. Quicunque vult aliquid, necessariò vult ea quæ necessariò requiruntur ad illud, nisi sit ex parte eius defectus, vel propter ignorantiam, vel quia à recta electione eius quod est ad finem intentum, abducitur per aliquam pasionem, quæ de Deo dici non possunt. Si ergo Deus volendo se, vult aliquid aliud à se, necessarium est eum velle omne illud quod ad volutum ab eo de necesitate requiritur, sicut necessarium est Deum velle animam rationalem esse, supposito quod velit hominem esse. Et infra 84. Si igitur Deus necessario vult ea quæ requiruntur ad hoc quod supponitur velle, imposibile est eum velle ea quæ eis repugnant. Hoc etiam testatur Philosophus 3. Ethic. 12. sub his verbis, Irrationabile iniusta facientem non velle iniustum esse, aut stuprantem, incontinentem. Si autem non ignorans aliquis operatur ex quibus erit iniustus, volens iniustus vtique erit. Item alias posset quis simili ratione, duorum taliter coniunctorum, puta vnius rei spiritualis & alte-E rius temporalis, emere vnum vel vnam rem scilicet temporalem, reliquum vel reliquam non emendo, sed eam quasi gratis recipiendo, sine aliqua Symonia, cuius contrarium videtur determinatum per Dominum Papam Paschalem, sicut recitatur in Canone, Causa 1. quæst. 3. Si quis obiecerit, in hæc verba: Si quis obiecerit, non consecrationes enim, sed res quæ ex consecratione proueniunt, penitus desipere probatur. Nam quisquis eorum alterum vendiderit sine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum dereliquit. Et recitat hoc Lumbardus 4. sentent. distinct. 25. Ad hoc etiam facit Augustinus 83. quæst. 15. arguens isto modo; Intellectus intelligit se, ergo est finitus sibi, nec infinitus esse vult, quamuis posit, quia notus sibi esse vult. Amplius autem potest similiter argui de actibus homicidij, furti, & similibus, [cum quibus] cum suis omnibus circumstantijs positis ne-

cessario

Philosophus. *Philosophus* *Thomas.* *Philosophus.* *Augustinus.*

cessario coniunctum est peccatum. Quod si Deus sic vult illos, imò & facit, sicut præceden- A
tia docuerunt, quòd etiam vult peccatum. Istam quoque sententiam & Iohannes Scotus,
super 1. Sentent. distinct. 41. tenere videtur 18. huius præscriptus. Oppositum autem hu-
ius multipliciter suadetur: Si Deus vult peccatum, Deus est Autor peccati, teste Augustino
83. Quæst. 3. sic dicente, Deo Autore cum dicitur, illo volente dicitur; Et tunc Deo Autore
fieret homo deterior, contra Augustinum supra, eodem, taliter arguentem; Nullo homine sa-
piente autore, fit homo deterior; est autem Deus omni homine sapiente præstantior, multo
minus: Igitur autore Deo non fit homo deterior. Et infra Quæst. 21. probat, quòd Deus
non est autor mali, quia non est causa deficiendi, nec tendendi ad non esse quod fit peccando,
cum ipse sit summum bonum & causa essendi. Item si Deus vellet peccatum, cum per deci-
mum voluntas sua non possit esse non efficax, ipse esset aliqua causa peccati, & cum in omni
causatione ipsius cum creatura, ipse sit causa prima; vt videtur, sequeretur, quòd Deus esset
prima causa peccati, contra Augustinum 3. De libero arbitrio 28. disputatione inuestigantem B
primam causam peccati, & sic finaliter concludentem; Aut igitur voluntas est prima causa
peccandi, aut nullum peccatum est causa peccandi, nec est cui rectè imputetur peccatum nisi
peccanti: Non est ergo cui rectè imputetur nisi volenti. Et infra 35. Peccata, vt
(|| suasum est) iamdiu || *disseruimus*, non nisi propriæ voluntati animatum tribuenda sunt, nec vlla vlterior
peccatorum causa quærenda est. Item si Deus vult peccatum, & per 10. voluntas sua est effi-
cax, Deus facit peccatum, & qui facit peccatum seruus est peccati, Ioh. 8. Deus ergo est seruus
Augustinus. peccati & peccat. Item August. in de Confutatione hæreticorum 16. falsa capitula sibi impo-
nentium, responsione 5. dicit; Quòd à Deo prorsus non est peccatum, nec cuiusquam peccati
autor est, sed naturæ Creator; et ferè in qualibet responsione, dicit expressè, quòd nullus ex Dei
voluntate cadit in peccatum, nec prædestinauit aliquos ad peccandum. Item tunc posset qui-
libet licitè gaudere de peccato proprio, & similiter alieno quocunque: Scit enim quòd Deus
vult illud. Item tunc omnis malè volens habet rectitudinem voluntatis; hæc enim est velle si- C
Anselmus. cut Deus vult eum velle, vt patet per Anselmum de libero arbitrio 8. & de concordia 5. & qui-
libet talis vult sicut Deus vult eum velle. Item tunc quilibet sciens hanc partem deberet, vel
saltem licitè posset velle peccare; quia illa est voluntas Dei iusta cui cognitæ debet homo quan-
tum potest, se licitè conformare. Quare & sic faciens non peccaret, simul ergo peccaret & eti-
Augustinus. am non peccaret. Vndè & Augustinus 3. de libero arbitrio 26. Si hoc debet quisque quod ac-
cepit, & sic homo factus est vt necessario peccet, hoc debet vt peccet. Cum ergo peccat, quod
debet, facit; quod si scelus est dicere; neminem natura sua cogit vt peccet, sed nec aliena. Et
infra 28. loquens de prima causa malæ voluntatis, sic ait; Quæcunque illa causa est voluntatis,
Anselmus. aut iusta profectò est, aut iniusta; si iusta, quisquis ei obtemperauerit, non peccabit. Et Ansel-
mus De veritate duodecimo. Quicquid debet esse rectè & iustè est, nec aliquid rectè & iustè
est nisi quod debet esse. Item nullus iustè est accusator, aut vltor facti, cuius est autor; sed Deus
Psalm. 5. & 44. iustè est accusator & vltor peccati. Item Psalmo quinto; Non Deus volens iniquitatem tu D
es; & 44. dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem; & Parab. 6. Sex sunt, quæ odit Deus, & sep-
Parabol. 6. timum detestatur anima eius &c. Et Abacuc 1. Domine, mundi sunt oculi tui, ne videas ma-
Abacuc. lum, & respicere ad iniquitatem non poteris; Et Ioh. 1. Sine ipso factum est nihil, id est, pec-
Iohan. 1. catum, secundum Augustinum homilia prima. Imò & istam sententiam tota Scriptura Ca-
Augustinus. nonica, & omnes sancti, & doctores videntur profiteri concorditer, & vnanimiter sustinere.

Hæc igitur quę videtur discordia, si per distinctionem de voluntate præmissam capit. proxi-
mo, reducatur ad medium, forsitan concordatur: Deus enim nequaquam simpliciter vult
peccatum, sed secundum quid tantummodò, vt est dictum. Deum namq; velle simpliciter ali-
quod factũ, vt sonat in communi modo loquendi, est diligere illud approbare tanquã bonum
& finaliter pręmiare, & quia Scriptura & Sancti sic loquuntur, negant Deum velle peccatum.
Vulgus etiã intelligit sic & non aliter, ideoq; illud non est dicendũ coram eis, quia illud nimis
abhorrent; & benè, secundũ intellectum quẽ habent. Tantum enim intelligunt Deum velle E
Hugo. secundum primum membrum distinctionis pręmissæ. Vndè dicit Hugo 1. de Sacr. 4. part. 13.
Cum dicitur, Deus vult bonũ, bene sonat, si verò dicitur Deus vult malũ, graue est auditui, &
non recipit hoc pia mens de bono, quia vult malũ. Videtur enim hoc solum dici cum dicitur,
Deus vult malũ, quia bonus malum diligit, & approbat quod prauũ est, & amicam sibi reputat
(|| refugit) iniquitatem, & gaudet de consimili & bonum putat quod malum est; & ideo || *refutat* hoc pia
mens, non quia quod dicitur non benè dicitur, sed quia quod benè dicitur, non benè intelligi-
tur. An non etiam dici posset, quod in toto vniuerso non est inordinatio, deformitas aut pec-
catum simpliciter, sed secundum quid tantum? non simpliciter, quia non in respectu causæ
primæ & summæ, omnia positiua & priuatiua, entia & non entia cum summa sapientia, pul-
chritudine,

A chritudine, & iustitia suauiter disponentis, sicut præmissa decimo tertio huius, 14°. & 33°. suaserunt. Nonne & 33. huius ostendit, quòd nullus actus est iniustus simpliciter, imo quòd omnis actus est iustus respectu voluntatis diuinæ, licèt aliquis sit iniustus respectu voluntatis creatæ, à voluntate diuina, (quantum ad ipsam attinet licèt non possit simpliciter) delirantis: Docetque vicesimum sextum huius, quòd omnis actus secundum substantiam ipsam actus, non est malus, sed bonus, & factus à Deo, quod & nonum huius confirmat. Quilibet ergo actus respectu Dei autoris est iustus; quare & omne necessariò consequens actum quemcunq;: Si enim antecedens est iustum, & quodlibet ipsum necessariò consequens iustum erit, sicut & verum; Et aliquis talis actus, & aliquod ipsum necessariò consequens est peccatum. Videtur ergo quòd non sit aliqua inordinatio, deformitas, aut peccatum simpliciter in toto vniuerso, sed secundum quid tantummodo, respectu videlicet inferiorum causarum, ordinationem superioris causæ volentium, licèt non valentium perturbare. Quare & quantum in eis est, ipsam violant & perturbant, sicut ex vicesimo sexto, & proximo huius patet. Quapropter &
B potest non improbabiliter æstimari, quod Deus saltem secundum quid vult peccatum, licèt non simpliciter, quia non secundũ seipsum, sicut tricesimum tertium hoc verbum simpliciter exponebat. Non enim vult peccatum nisi forsan sicut Medicus in medicaminibus suis * venenum, in quantum scilicet valet ad exercitium bonorum, ad punitionem malorum, ad pulchritudinem vniuersi per antiperistasin contemplandam, & ad similia superiùs recitata. Quare & Ammonius superius recitatus dicit; quod Dij habent cognitionem omnium, etiam contingentium, velut omnia, quæ in mundo producentes, nedum substantias, sed & operationes earum, eas quæ secundum naturam, & eas quæ præter naturam. Et addit; Quod quidem præter naturam simul intrauit cum necessario ordine subiecto decurrentiæ entium, in his quæ nata sunt hoc participare, non principaliter, sed secundum modum qui dicitur, parypostaseos, scilicet, secus existentiæ. Algazel etiam quinto Metaphysicorum vlt. agens de prouidentia

* vult

Ammonius.

Algazel.

C Dei, & malo, sic ait; Bonum prouisum est per se, malum vero prouisum est accidentaliter. Vnumquodq; igitur ordinatum est, & hæc est similiter sententia Auicennæ. Nonne & Scriptura & Ecclesia sic loquitur, sæpè dicens; Deum nolle mortem peccatoris aut impij, nec in hominum perditione lætari? An non Dominus ipse dicit; Nunquid voluntatis meæ est mors impij? Eze. 18. An non & Sap. 1. sic scribitur; Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorũ; quibus & occurrunt multa similia in Scriptura. Annon & cõsimilia Ecclesia sępè canit?

Ezechiel. 18
Sapient. 1.

Sed quomodo debent ista sanè intelligi? certum est enim quòd Dominus damnabit impios, maledictos, & filios perditionis, ad mortem & perditionem æternam, & hoc volendo non volutione noua sed æterna, nec volutione tristi sibi, sed læta, quinimò summè læta, sicut 39ª. pars corollarij primi huius, 9. huius, & 23. cum tertia parte corollarij primi huius, Scriptura Canonica, & fides Ecclesiæ clarè docent. Annon & Scriptura testatur, quòd fames & mors ad vindictam creata sunt, Ecclesiast. 39. Annon & Deuteronom. 28. Moses ita dicit;
D Quòd si audire nolueris vocem Domini tui, &c. venient super te omnes maledictiones istæ, &c. Et sicut ante lætatus est Dominus super vos, benè vobis faciens, sic lætabitur disperdens vos atque subuertens. Annon & Sapientia Dei dicit rebellibus; Ego in interritu vestro ridebo? Parabol. 1. nec mirum: Lætabitur enim Dominus in omnibus operibus suis, Psalm. 103. Et quomodo ista contrarietas, vt videtur, ad concordiam reducetur, aut nulla esse monstrabitur, nisi suffragio distinctionis præmissæ? Quare & Augustinus 5. contra Iulianum 15. Hæc, inquit Iuliano, asseueras esse contraria, quasi fieri non possit, vt vnum atque idem malum, & Diaboli iniquitate, & Dei æquitate peccantibus ingeratur; neque hinc sibi ipsa diuina aduersantur eloquia, quia scriptum est; Deus mortem non fecit; itemque scriptum est; Vita & mors à Domino Deo, quia deceptor hominis causa mortis est Diabolus, quam non vt primus autor eius, sed vt peccati vltor intulit Deus. Huic quoque modo loquendi de velle, & nolle, concordant nonnulla Philosophica, & Theologica proximo huius scripta. Secundum di-

Ecclesiastici 39.
Deut. 28.
Parabol. 1.
Psal. 103.
Augustinus.

E stinctionis igitur biuium prælibatæ, currunt, vt videtur, nec obuiant iam obiecta. Illud nempe Augustini, Deo autore, non fit homo deterior, videtur posse intelligi modo dicto, videlicet Deo autore principaliter, id est, principaliter hoc volente. Et si cuipiam hoc non placet, dicat mihi quomodo, Deo autore, facit homo omnem actum peccati, secundum substantiam totam actus, sicut tertium huius, & 4. 26. 27. & sequentia manifestant? & quomodo istud Deo conueniat, & non illud? & si Deo autore homo hæc facit, quomodo Deo autore non fit homo deterior? & certè per hoc vnum potest ad omnia pœnè obiecta quodãmodo responderi. Verum est tamẽ & aliter, & veraciter dici posse, quòd videlicet, Deus nõ est autor peccati, sicut rectè facti; huius enim sic est autor, quòd ipse solus supernaturaliter creat, & dat rectè facienti fidẽ, spem, & charitatẽ, & forsitã alios habitus ad meritũ inclinantes, & omne meritũ facientes,

non sic autem ex parte peccati. Vt tamen intentio Augustini & aliorum Sanctorum magis apareat, aduertendus est modus eorum loquendi & intelligendi, cùm negant Deum velle peccatum, & causa negationis huius est pensanda. Causa autem huius negationis videtur ista, quia Apostolus, & Augustinus, ac alij Sancti posuerunt prædestinationem, præscientiam, & similia ex parte Dei, voluerunt Pelagiani, & alij hæretici excusare peccantes à suis peccatis, & retorquere causam & culpam in Deum, qui sic prædestinauit vel præsciuit. Volunt igitur Sancti dicere, quod Deus per suam prædestinationem, præscientiam vel aliquid huiusmodi non cogit eos contra voluntatem suam ad peccandum; sed quod ipsi peccant libere & propria voluntate; & quod Deus prædestinando, præsciendo, seu volendo peccata non peccat, nec facit iniustè, nec est prima causa imputabilis, seu culpabilis peccatorum, sed quod prima causa imputabilis & culpabilis est propria voluntas peccantis. Vnde Anselmus de Concordia 5. dicit; Conqueruntur multi quia putant ad salutem vel ad damnationem nihil valere liberum arbitrium, sed solam necessitatem propter Dei præscientiam. Et infra 7. Quidam clamant, dicentes, Sic præscitum & prædestinatum erat à Deo, & ideo necessitate factum est, nec aliter fieri potuit, quos & redarguit consequenter. Et infra vlt. dicit, quod solâ culpâ hominis mala fiunt, quæ operatur, non culpâ Dei. Quare & Augustinus 3. de libero arbitrio 4. & in sententijs Prosperi 381. Deus, inquit, neminem ad peccandum cogens, præuidet tamen eos qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non iudicet iustus, quæ fieri non cogit præscius? Sicut enim memoriâ tuâ non cogis facta esse, quæ præteriere; sic Deus præscientia sua non cogit facienda quæ futura sunt. Et sicut tu quædam, quæ fecisti, meministi, nec tamen quæ meministi omnia fecisti: Ita Deus omnia quorum autor est, præscit, nec tamen omnium, quæ præscit, ipse autor est: quorum autem non est malus autor, iustus est vltor. Ecce quod negat Deum præscium peccatorum cogere ad peccandũ; & quod priùs dixit simpliciter, quod Deus non omnium, quæ præscit, quia non malorum est autor, statim determinat & exponit, Quorum, inquiens, non est malus autor; & subdit, Iustus est vltor: sicque Deum à peccato excusat, & peccatorem accusat. Item Apostolus ad Rom. 9. tractans de prædestinatione Iacob, & reprobatione Esau, non ex operibus, sed secundum electionem Dei vocantis. Quid ergo dicemus, nunquid iniquitas apud Deum? Absit; Et supra, 3. Quid siquidẽ illorũ non crediderunt, nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit? Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? nunquid iniquus est Deus, qui infert iram? Absit: Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius, quid adhuc & ego tanquam peccator, iudicor? Vbi remouet à Deo iniquitatem, infidelitatem & iniustitiam; vbi Glossa recitat quosdam carnaliter sapientes, qui ex illo dicto prophetico, Peccaui, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris, arguebãt, quod Deus voluit nos peccare, vt comparatione nostri, iustus appareret, & dum dimitteret nobis peccata, misericors; & quod peccata nostra illi proficiunt atque prosunt; & quanto ampliùs peccamus, tanto magis ei placet, & ampliùs iustitia & sanctitas eius crescit. Vbi & dicit Ambrosius sicut recitat ibi Glossa, Manifestum est, quod si ad gloriam Dei proficit mendacium hominum, vt ille solus verus appareat, peccatores non sunt dicendi, qui peccant, quia non voluntate, sed impulsu eius videbuntur peccare, quod absit; & est sensus, Si Deus meo mendacio, id est peccato, verax appareat, quare me iudicat tanquam peccatorem? Item Augustinus Enchirid. 78. Cum, inquit, respondisset Apostolus, Absit, id est, Absit vt sit iniquitas apud Deum; mox vt probaret, nulla hoc Dei iniquitate fieri dicit: Mosi enim ait, Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero. Idem de prædestinatione contra Pelagianos 9. sic ait, Qui absque prædestinationis gratia sunt, id est, alieni à proposito Dei, & perdurant in operibus malis; si etiam ex hac migrauerint vita, vt vos putatis, non eos dicimus ita à Deo hominum opifice ordinatos, vt perirent, tanquam ipse illis mores malæ vitæ creauerit, ipse ad omne opus mortis inuitos præcipitauerit. Absit hoc à diuino proposito: Non enim volens iniquitatem est Deus, nec mandauit cuipiam impiè agere. Ecce intellectus & glossa autoritatum talium in scriptura. Et infra vlt. Quoniam hic ||*liquide* vtraq; pars dicere nihil valemus, credamus tantum reũ mortis ex Iudicis voluntate pendere, ne quisquã putaret, diuino vitio fieri, non omnes saluari, dixit Apost. Qui vult omnes saluos fieri. Quapropter omnes homines qui saluantur, Deo volente saluantur: Deus enim noster, Deus saluos faciendi, & Domini, exitus mortis, & quia ira in furore eius, & vita in voluntate eius. Et de prædestinatione Sanctorum 12. Prædestinatione quippe Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturus. Præscit autem quæ non facit, sicut quæcunque peccata, quia etsi sint quædam, quæ peccata sunt & pœnæ peccatorum, vnde dictum est, Tradidit illos Deus

Anselmus. *Augustinus.* *Apostolus.* *Glossa.* *Ambrosius.* *Augustinus.* || lucidè

A B C D E

A Deus in reprobam mentem vt faciant, quæ non conueniunt, non ibi peccatum Dei est, sed
iudicium. Et 5. contra Iulianum 5. loquens de Achab decepta per falsos prophetas, sic dicit,
Rex ipse peccauit, falsis credendo prophetis: At hæc ipsa ||*erat* & pœna peccati, Deo iudi- || ira
cante & mittente Angelum malum, vt apertius intelligeremus, quomodo in Psalmo dictus sit
misisse iram indignationis suæ per Angelos malos. Sed nunquid errando? nunquid iniustè
quicquam, vel temerè iudicando, siue faciendo? Absit: Sed non frustra illud dictum est, Iu-
dicia tua, sicut multa abyssus, & ô altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei &c. Idem 1.
Retract. 21. dicit, Dixi, nullius mortem Deus quærit, quod sic accipiendum est, quia homo ac-
quisiuit sibi mortem, deserens Deum, vel non recurrens ad Deum secundum quod scriptum
est, Deus mortem non fecit. Ecce, secundum quid, id est, non secundum illud, seu illum mo-
dum qui peccatum importat, est mors à Deo, secundum ||*quid*, vel ||*quod* est ab homine; & || quod,
addit, Sed etiam illud non minùs verum est vita & mors à Domino Deo est. Et infra 26. Ne || quem
B malè intelligatur quod dixi, Deus mali autor non est, quia omnium quæ sunt, autor est, quia
in quantum sunt omnia, in tantum bona sunt, & ne hinc putetur non ab illo esse pœnam ma-
lorum, quæ vtique malum est his qui puniuntur; sed hoc ita dixi, quemadmodum dictum est,
Deus mortem non fecit, cùm alibi scriptum sit, Mors & vita à Domino Deo est. Malum est qui-
dem malum, sed in bonis operibus Dei, quoniam iustum est, vt mali puniantur; & vtique bo-
num est omne quod iustum est. Item Greg 25. Moral. 15. super illud Iob 34. Regnare facit hy- *Gregorius.*
pocritam, &c. quòd ergo tunc Antichristus super impios regnabit, non est ex iniustitia iudi-
cantis, sed ex culpa patientis. Et infra, Qui malum rectorem patitur, culpam proprij magis ac-
cuset operis, quàm iniustitiam gubernantis. Lumbardus quoq; tales autoritates intelligit mo- *Lumbardus.*
do dicto, pro quo 1. sent. dist. 38. adducit Augustinum super Iohannem dicentem, Deus futu- *Augustinus.*
rorum præscius per Prophetam prædixit infidelitatem Iudæorũ, sed non fecit: Non enim ideò
quenquam ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata prænouit; Illorum enim pec-
cata præsciuit, non sua. Idemq; de gratia, & libero arbit. 3. contra excusantes peccantes, & ac-
C cusantes Deum, sic dicit; Sunt homines, qui etiam de ipso Deo se excusare conantur, quibus
dicit Iacobus Apostolus, Nemo, cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur; Deus enim in- *Iacobus.*
tentator malorum est. Item de ipsis se excusare volentibus respondet liber Prouerb. Salomo- *Prouerb.*
nis, Insipientia viri violat viam eius, Deum autem causatur in corde suo: Et liber Ecclesiastici *Ecclesia-*
dicit, Ne dixeris, quia propter Deum recessi; ne dixeris, quia ipse me induxit. Et infra 5. Ne- *sticus.*
mo causetur Deum in corde suo, sed sibi imputet quisque cùm peccat, neq; cùm aliquid sæuum
operatur, alienet hoc à propria voluntate. Et si quis arguat, quòd eadem ratione esset dicendũ,
quòd Deus non vult, nec facit merita nostra bona, quia neminem cogit inuitè mereri; Dicen-
dum quòd merita aliter tribuuntur Deo quàm peccata, scilicet propter habitus à solo Deo
creatos, & nobis infusos ad merita excitantes, & merita omnia facientes; & quia Deus in me-
rito cuiuscunq; est 1ª causa imputabilis & laudabilis, propter illud & meritum diligit & appro-
D bat, & præmium ei parat; non sic ex parte peccati. Vnde Ansel. de concordia 6. Facit, inquit,
Deus in omnibus volũtatibus, & operibus bonis, & quòd essentialiter sunt, & quòd bona sunt;
In malis verò non quòd mala sunt, sed tantùm quòd per essentiam sunt. Quomodo autẽ Deus
bona faciat sola sua bonitate, & mala solâ culpâ hominis, vel diaboli; & qualiter homo bona
faciat, per liberum arbitrium præstante gratia, & malum sola sua operante propria voluntate;
& quid habeat Deus in malis sine culpa sua, & homo in bonis cum laude sua, vt tamen bona
hominis videantur apertè imputanda Deo, & mala homini, cùm de gratia & libero arbitrio
tractabimus, vt puto, Deo donante apertiùs patebit. Similiter intelligendum est quod dicit
Scriptura Sacra & Doctores sæpisimè, scilicet pœnam esse à Deo, non culpam: Pœna e-
nim est à Deo tantùm sine homine coagente, non sic culpa; & pœna similiter est à Deo pu-
niente, imò prima & principali causa puniente; sed culpa vel peccatum non sic est à Deo,
tanquam à prima causa culpabili vel peccante. Et si adhuc dicatur quòd semper malè sapit
multis dicere, Deum qualitercunque velle peccatum, pro certo verum est, & hoc forsan
E secundum Hugonem vbi prius, non quia quod dicitur, non benè dicitur, sed quia quod
benè dicitur, non bene intelligitur. Vtinam igitur acciperent sal sapientiæ, saperent & in-
telligerent sapidam sano gustui veritatem, scirentque nullum esse malum in mundo, quod
non est propter aliquod magnum bonum, & forsitan propter aliquod maius bonum. Cur
ergo subtraheretur à mundo & à Deo totius mundi autore, iste modus benefaciendi, seu
benefactionis mirus & magnus; Imò miraculosius videtur, & maius facere bona ex ma-
lis, quàm ex bonis, aut facere bona sola. Et proculdubio ita malè sapit multis, si dicatur
Deum velle & facere actum incestus patris cum filia, filij cum matre, professi continen-
tiam cum professa, parricidij, seditionis, blasphemiæ, & cæterorum similium; & tamen

tam Sancti, quàm Philosophi ita dicunt, sicut præhabita manifestant: Quis enim in tali A
incæstu præparat semen & mouet, creat & infundit animam fætui, nisi Deus? Et quomodocunque sonet, sic loquuntur Sancti Dei, imò Spiritus Dei qui loquitur in eis, sicut erat superius recitatum. Et Esaiæ 26. Domine, omnia opera nostra operatus es in nobis; Et infra 45. Ego Dominus formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & || *creans* malum, Et Amos 3. Si erit malum in Ciuitate quod Dominus non fecit? Dicitque Apostolus 2. ad Corinth. 5. quòd Christum pro nobis peccatum fecit Deus, quod non paucorum simplicium auribus secundum superficiem literæ iudicantium multum horribilius insonaret; Ideoq; Iudex noster iustissimus sic prohibuit, & aliter docuit iudicare, Nolite inquit, iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate Ioh. 7. Per hæc patet ad obiecta, quæ arguunt de autorizatione peccatoris à Deo, & quomodò Deus non sit prima causa peccati, quia non est prima causa imputabilis ad culpam, & de tali loquitur ibi planè autoritas Augustini, & sumitur fortassis modus ille loquendi ex illo Psalmi 31. Beatus vir, cui non imputauit Dominus B
peccatum. Ad aliud quod arguit, quòd Deus facit peccatum, redarguendum similiter de actu reali peccati: Respondendum tamen per distinctionem penes secundum modum amphiboliæ. Potest enim illa sumi propriè vel transmutiuè, & secundum vsualem modum loquendi, & sicut dicit Philosophus 1. Elench. quandò soliti sumus sic dicere. Primo modo non est vera, quia peccatum propriè nihil est nec esse potest per 26. huius; quare nec est factibile à quocunque; Quapropter & sicut idem 26. recitat ab Augustino, Peccatum sic non habet aliquam causam efficientem, sed tantum deficientem. Transumptiuè potest adhuc intelligi dupliciter; Primò, sicut est vsitabilior modus loquendi, secundum quod dicimus, quod facere peccatum est peccare, & qui facit peccatum peccat; & sic loquitur Euangilista, & sic Deus non facit peccatum; Secundò quòd Deus facit aliquẽ actum positiuũ in creatura rationali, ex quo consequitur, vel cum quo coniungitur peccatũ illius creaturæ, non Dei, & sic Deus facit peccatum: Ipse enim omnia opera nostra facit, sicut superius est ostensum. Ad aliud Aug. de con- C
fut. hæret. respondetur similiter instantiuè per actum positiuum peccati; alia tamen responsio patet ex processu ibi & alibi, sicut iam fuerat allegatum: Cum enim dicit peccatum non esse à Deo & similia, intelligit modo dicto, scilicet quòd peccatum non est *Deo cogente, seu impellente quenquam inuitè, & ita quòd reddat hominem excusatum, & Deum accusatum. Vndè responsione 16. ita dicit, Non perseueraturi, cum à pietate deficiunt, non ex Dei opere, sed ex sua voluntate deficiunt. Eccè non ex Dei opere, secundum quod voluntatem eorum excludat, aut ei contrarietur, sed aduersatiuè, & contrariè ex sua voluntate deficiunt. Et sequitur, Nec impelluntur vt cadant, nec eijciuntur vt deserant. Ecce per hoc negat coactionem aut violentiam à Deo inferri talibus ad peccandum. Item supra, ponitur hæc obiectio vndecima contra eum, quòd quandò incestant patres filias, & filij matres, ideo fiat, quia Deus ita prædestinauit vt fieret. Respondet Augustinus, Si Diabolo obijceretur, quòd talium facinorum ipse autor, ipse esset incentor, puto quòd aliqua ratione exonerare se D
hac posset inuidia, & alium scelerum patratorem, de ipsorum voluntate vinceret, quia & si delectatus est furore peccantium, probaret tamen se non intulisse vim criminum. Qua ergo insipientia, quauè dementia definitur ad Dei esse referendum consilium, quòd nec Diabolo in totum ascribi potest? Ecce quòd ad intellectum Augustini, Diabolus etiam non est autor peccati humani, ita quòd homo per illum se posset totaliter excusare, quia non infert vim criminum, nec peccatum Diabolo potest ascribi in totum, quia homo consentit, & cooperatur liberè & propria voluntate. Aliud quòd quilibet posset licitè gaudere, procedit similiter de essentia actus mali, & nihilominus non procedit. Ponatur enim quòd Deus velit te tristari & non gaudere, & facias hoc scienter, ergo debes de hoc gaudere; quomodò sequitur? Et sicut forsan bonus filius & gratus non debet gaudere de morte patris sui temporali vel æterna, quamuis sciat illam sibi à || *Deo* infligi, sicut nec fortè beata Maria, neque Discipuli de occisione Christi gaudebant, sed magis dole- E
bant, sicuti & cæteri Christiani deuoti, scientes nihilominus nihil circa Christum casualiter aut fortuitu contigisse, sed totum ex voluntate diuina & prouidentia disponente. Et si adhuc forsitan replices, Si Deus vult peccatum, debes tu aut potes similiter licitè illud velle, quare & similiter gaudere de illo, dicente Scriptura, Desiderium si compleatur, delectat animam, Parabol. 13. Potest secundum Anselmi, Augustini, & aliorum Patrum sententiam responderi, quòd rectitudo voluntatis non semper est quenquam velle quod Deus vult, sed quod Deus vult eum velle cum circumstantijs requisitis, quapropter & similiter de gaudere. Vel forsitan posset dici, quòd peccatum in quantum est pœna, & à Deo, est illius tamen quodam modo, sicut ex præmissis hic & tricessimo secundo huius apparet,

& sic

Esai. 26.
|| causans
Amos.
Apostolus.
Iohan. 7.
* à Deo
Augustinus.
|| Domino

A & sic forsan potest homo gaudere de illo, non autem in quantum est peccatum liberæ voluntatis. Pro quo dicit Gregorius, vicesimo secundo, Moral. 10. super illud Iob tricesimo primo, Si gauisus sum ad ruinam eius qui me oderat; Cùm peruersum quenquam omnipotens Deus percutit, condolendum est miseriæ pereuntis, & congaudendum iustitiæ Iudicis. Illud autem Anselmi, quòd rectitudo voluntatis est quenquam velle, sicut Deus vult eum velle, procedit similiter de ipsa substantia actus mali. Constat quoque quòd illa definitio secundum illa verba præcise non est conuertibilis cum rectitudine voluntatis, illa, inquam, rectitudine, quæ reddit volentes rectos corde, & iustos moraliter: Sic enim equus, pueri, moriones, & similes, quodcunque volentes, essent moraliter recti corde & iusti, sicut ex nono huius, 27. & sequentibus planè constat. Neque si Deus velit quippiam fieri per Iohannem, & ipse voluntariè, sed ignoranter, & non intendenter hoc facit, ignorando videlicet, quòd Deus hoc velit fieri per eum, neque habendo intentionem directam ad Deum, sed præter eum vel contra, sicut frequenter contingit, sicuti 32. huius præmissa testantur, dicendus est velle rectè moraliter neque iustè, sicut Philosophis moralibus, & Theologis satis constat: Quis enim nesciat opera ex intentione operantium iudicanda, sicut tota secta Stoicorum concorditer attestatur. Philosophus etiam septimo Politicorum 15. Duo, inquit, sunt in quibus fit bene omnibus; vnum quidem in eo quod est intentionem & finem actionum poni rectè; vnum quidem inuenire actiones ferentes ad finem. Et sexto Ethicorum 10. Opus perficitur & secundum prudentiam, & secundum moralem virtutem: Virtus quidem enim intentionem facit rectam, prudentia autem quoad hanc. Et infra; Iusta dicimus operantes quosdam nequaquam iustos esse, puta à legibus ordinata facientes, vel nolentes, vel propter ignorantiam, vel propter alterum quid, & non propter ipsa, quamuis operantur quidem quæ oportet, & quæcunque oportet studiosum, sed vt sic videtur, & qualiter habentem operari singula, velut sit bonus. Dico autem puta propter electionem, & ipsorum || *gratiam* operatorum. Qui & secundo Ethicorum, quarto, ponit conuenientiã artis & virtutis in isto, quòd ad hoc, quòd aliquis sit artifex, puta Grammaticus, non sufficit quod faciat opus artis, puta opus grammaticum, sed & requiritur, quòd faciat illud artificialiter, puta grammaticè secundum grammaticam scilicet existentem in eo: Dicit enim; Contingit grammaticum quidem facere & à casu, & alio supposito. Tunc igitur grammaticus, si grammaticum quidem faciat, & grammaticè, hoc autem est secundum eam, quæ in ipso est, grammaticam, innuens quòd contingit similiter in virtute. Vbi & statim ponit differentiam artis & virtutis sic dicens; Adhuc neque simile est in artibus & virtutibus. Quæ enim ab artibus fiunt, bene habent in eis, sufficit igitur hæc qualiter habentia fieri: quæ autem secundum virtutes fiunt, neque si hæc qualiter habeant, iuste vel temperatè operata sunt, sed & si operans qualiter habens operetur: Primum quidem si sciens, deinde si eligens, & eligens propter hoc. Quis insuper nesciat operationes morales nequaquam ex sola substantia operis, sed multo per amplius ex circumstantijs discernendas; quarum vna est, nec minima, qua intentione, cuius finis obtentu, cuius finaliter gratia opus fiat. Quare & Philosophus tertio Ethicorum. 3. septem circumstantias morales enumerat, quis, quid, circa quid, & in quo, quo, cuius gratia, & qualiter. Istam quoque sententiam planè monstrant multæ autoritates Catholicæ recensitæ in ostensione 32. partis corollarij primi huius; imo & totius fidei Catholicæ summus Autor, sub Metaphora oculi simplicis atque nequam: Hanc enim quis vspiam dubitat ad intentionem interioris oculi referendam. Quapropter & ipsemet Anselmus qui de veritate 12. docet, quòd veritas, rectitudo & iustitia sunt idem realiter, imo & quod inuicem sese definiunt, De libero arbitrio 3. & 8. & de concordia, 5. & 8. definit iustitiam esse rectitudinem voluntatis propter se seruatam, videlicet propter ipsam rectitudinem siue iustitiam, quod fieri nusquam potest nisi per intentionem directam finaliter ad rectitudinem seu iustitiam propter ipsam. Quare & de concord. 8. sic ait; Sed ne quis existimet autoritate diuina dici iustum illum vel rectum, qui non nisi propter aliud tenet rectitudinem voluntatis, Dicimus iustitiam esse rectitudinem voluntatis propter se seruatam: Qui enim solum propter aliud illam seruat, non eam diligit, sed illud propter quod illam seruat, & ideo non est dicendus iustus, nec talis rectitudo nominanda est iustitia. Idem & de veritate 12 præmisso, quod quicquid debet esse rectè & iustè est, nec aliquid rectè & iustè est nisi quod debet esse; quærit, an lapis descendens debeat dici iustus, quia facit quod debet? & respondet quod non, quia non vult quod facit. An etiam equus volens pascere, valeat dici iustus quia volens facit quod debet? & respondet, quod non, quia iustitiam seu rectitudinem non agnoscit. An insuper quicunque homo volens quod debet, recte velit & habeat rectitudinẽ voluntatis? & respondet quod non, quia potest hoc facere nesciens, vt si quis vult claudere ostium contra illum, qui, ipso nesciente, vult alium in domo occidere. Amplius autẽ an ille qui scit

Marginalia: *Gregorius.* (beside "Pro quo dicit Gregorius"); *Philosophus.* (beside "Philosophus etiam septimo Politicorum"); ||gratia (beside "ipsorum gratiam"); section letters B, C, D, E in the left margin.

ſcit ſe debere velle quod vult, ſemper rectè velit, & habeat rectitudinem voluntatis? & reſ- A
pondet quod non, quia poteſt contingere vt intelligens velit quod debet, & nolit ſe debere,
ſicut cùm latro cogitur ablatam pecuniam reddere. Adhuc autem, An omnis qui ſcit & vult
ſe debere velle quod vult, habeat rectitudinem voluntatis, & reſpondet quod non, ſicut eſt de
illo qui cibat pauperem eſurientem, propter inanem gloriam conſequendam. Et addit, Om-
nis voluntas ſicut vult aliquid, ita vult propter aliquid; Nam quemadmodum conſiderandum
eſt quid velit, ſic videndum eſt cur velit; quippe non magis recta debet eſſe volendo quod
debet, quàm volendo propter quod debet. Quapropter omnis voluntas habet & cur, &
quid. Omnino namque nihil volumus, niſi ſit cur volumus; Iuſtus autem cùm vult quod
debet, ſeruat voluntatis rectitudinem, non propter aliud, in quantum iuſtus dicendus eſt,
quàm propter ipſam rectitudinem. Ex his igitur omnibus clarè patet, non omnem volen-
tem, ſicut Deus vult eum velle, ideo ſemper neceſſario ſimpliciter rectè velle, niſi ſcienter,
ſcientiâ ſaltem in moralibus requiſitâ, & intendenter hoc velit, vt ſcilicet credat Deum ſic B
velle, & ideo finaliter, ſecundum intentionem & propoſitum ſuum ſic velit, vt diuinam non
ſuam perficiat voluntatem. Poſſet autem qui vellet, multò breuius exponere ſic Anſel-
mum, cùm dicit; Quod rectitudo voluntatis, eſt quenquam velle, ſicut Deus vult eum vel-
le; quod accipit ibi, vult, pro vult ſimpliciter, diligit, & approbat, non ſecundum quid,
vt eſt dictum; & non quilibet qui vult aliquid, vult ſicut Deus vult, ſimpliciter diligit, &
approbat eum velle. Et ſi adhuc replices contra iſtud ponendo quenquam ſcire, Deum velle
ipſum committere peccatum adulterij, quod ideo ſcienter & intendenter modo prædicto
committat, qui tunc peccat, & non peccat; peccat enim peccatum adulterij committendo,
non peccat cùm hoc agendo rectè velit & agat, & habeat rectitudinem voluntatis & opera-
tionis, ſicut ex præmiſsis videtur. Si per peccatum adulterij intelligas actum, qui ſolet eſſe
adulterium & peccatum, videtur quod aliquis ex diſpenſatione ſeu iuſsione diuina poſſet ip-
ſum committere, non peccando, ſicut videtur fuiſſe ad literam de Hoſea; qui Domino im- C
perante accepit vxorem fornicationum, & fecit filios fornicationis ex ea, ſicut Hoſeæ pri-
mo apparet, ſicut & quidam Doctores intelligunt, quanquam & quidam ſentire contra-
rium videantur: Conſtat ſiquidem ex præmiſsis vigeſimo ſexto huius, talem actum non
eſſe per ſe peccatum. Et ſi adhuc obſtare coneris, ponendo quenquam ſcire, Deum velle
ipſum committere aliquod peccatum exiſtens peccatum, actum peccati cum malitia conuolu-
tum; qui ideo ſcienter & intendenter modo prædicto ipſum committat, tunc peccat, ſicut hy-
potheſis clarè probat, & non peccat ſecundũ reſpõſionem præmiſſam: Poſitio tua repugnan-
tiam & contradictionem patenter includit, videlicet ipſum peccare, & ſimiliter non pecca-
re. Quilibet enim cognoſcens voluntatem diuinam, & faciens aliquid propter eam tantum-
modo & ſecundum eam in omnibus, videtur bene facere & non peccare. Sed ex hoc forſitan
argues, Deum habere aliquam voluntatem circa hominem & liberum actum eius, cui homo
non poteſt ſe meritoriè conformare, quantumcunque Deus illam cognoſcendam illi reuelet, D
& reuelare conetur, volũtatem videlicet qua vult hominem peccare, committereuè peccatum,
exiſtens peccatũ. Nonne & tu fateberis Deum habere aliquã voluntatẽ circa Angelum & ho-
minẽ confirmatos, cui ſe ſcienter non poſſunt meritoriè conformare? Conſtat enim confirma-
tos in beatitudine conſummata, non poſſe vlterius in merito proficiſci, & ſi pro meritoriè, po-
ſueris, rectè ſeu iuſtè, conſtat adhuc Deum poſſe velle quẽpiam non ſe conformare iuſtè & re-
ctè voluntati diuinæ, cui voluntati quomodo ſcienter, iuſtè & rectè ſe poterit conformare?
Poteſt quoque Deus velle quempiam facere quippiam ignoranter, cui voluntati quomodo
poſſet quis ſe ſcienter aptare? Poteſt etiam Deus velle hominem errare, credendo hoc fal-
ſum vel illud, & quomodo huic voluntati poteſt ſe ſcienter aliquis conformare? Quomo-
do namque poteſt quis ſcienter errare credendo in particulari, & ſub propria forma ſua di-
* ſcienter ſtinctè falſum quodcunque? Quis etenim ita * ſciens aliquid eſſe falſum, credit illud ſimili-
ter eſſe verum? Poteſt inſuper Deus velle, quempiam velle & orare meritoriè, ſanctè, E
& iuſtè, iuſtè, inquam, reſpectu ipſius volentis aliquid fieri, credendo ignoranter &
erroneè illud fieri, Deo placere, aut Deum hoc velle, Deo volente contrarium &
non illud, cui voluntati quomodo quiſquam conformauerit ſe ſcienter? Adhuc autem for-
taſsis non deſines obiectare, ponendo quenquam ſcire Deum velle, peccare ipſum, tunc
talis debet, aut licitè poteſt peccare. Debet namque poteſtuè licitè diuinæ ſe ſubdere volun-
tati; & ipſi ſe plenariè conformare, præſertim cùm eam cognoſcit. Sed iſtud procedit ſi-
militer de eſſentia actus turpis, & nihilominus ſoluitur per præmiſſa. Neque adhuc fortaſsis
ceſſabis, ſed dices, Tu bene ſcis aut credis, quod aliquando peccabis; ſcis ergo aut credis
ſecundum præmiſſa Deum hoc velle. Quare & tu ipſe debes aut potes licitè idem velle.
Sed

A Sed istud procedit similiter de substantia actus mali; soluitur etiam per præmissa. Ad aliud patet per idem, per substantiam scilicet actus turpis, & per alia iam præmissa. Consequentia insuper claudicat, nec procedit: Ponatur enim quòd scias, Deum velle te nihil velle, vel quòd velit te velle ipsum solum, ergo debes hoc velle, quomodo sequitur? Illud autem Augustini & Anselmi de debere, ad confirmationem huius adductum, soluitur per præmissa: Procedit enim similiter de ipsa essentia actus mali: neque etiam quicunque facit quod debet, ideo statim iustè facit, aut rectè, nisi scienter & intendenter hoc faciat modo dicto, sicut præcedentia manifestant; quod & testatur Anselmus superiùs recitatus. Veruntamen debitum fieri, potest dupliciter attendi, respectu videlicet voluntatis diuinæ, & respectu voluntatis rationalis creatæ; Respectu voluntatis diuinæ omnia debent fieri sicut fiunt, & iustum & rectum est cuncta sic fieri sicut fiunt, sicut præhabita clarè monstrant; Respectu verò voluntatis rationalis creatæ, illud solùm in actionibus eius est debitum fieri, iustum, & rectum, quod facit scienter, &
B intendenter ad Deum, & ex eius amore finaliter propter eum, sicut per hic præmissa, & per 30um partem Corollarij, primi patet. Ad illud etiam Augustini; Si voluntas est iusta, quisquis ei obtemperauerit, non peccabit, similiter respondendum: Pro alio autem constat, quòd quis potest iustè & rationabiliter accusare atque vlcisci aliquod factum, cuius est aliquo modo autor, puta si faciens nequaquam hoc faciat scienter, intendenter, & animo exequendi autoritatem, seu voluntatem sui autoris, sed modo contrario, & animo malignandi, sicut præhabita docuerunt. Ad autoritates Scripturæ patet per prædicta: Potest tamen sic obijci, Deus vult peccatum, ergo aliquo modo diligit peccatum, & odit omne peccatum; ergo idem diligit atque odit: Dicendum, quòd loquendo de diligere & odire secundum quid, conclusio est vera de Deo, sicut & de homine: Potest enim quis diligere aliquem tanquam patrem, & odire eum tanquam punientem; Deum autem diligere aliquem, est velle sibi bonum, & odire eum, velle sibi malum, sicut ex 25° constat, & sic vult electis suis bonum æternum & malum
C temporale; reprobis autem contrariè; & ipsi diabolo vult magnum bonum naturæ, & magnum malum pœnæ, & miseriæ sempiternæ: Vel potest dici in his omnibus, sicut dicitur à nonnullis, quòd sicut peccatum & omnis priuatio non intelligitur per se, sed in comparatione ad suum habitum, & non propriè positiuè, sed quodammodo priuatiuè, sicut 26um tradit; sic etiam peccatum est à Deo volutum priuatiuè; quilibet tamen actus secundum id quod est, quia, vt sic, bonus est, est volutus a Deo propriè positiuè. Hæc autem responsio, si plenè sufficiat, & maioribus placeat, placet mihi: Mallem enim in huius magnitudine quæstionis maiores audire, quam ipse minimus respondere.

CAP. XXXV.

D ### *Contra Pelagium, quòd gratia gratis datur à Deo, non præcedentibus meritis comparatur.*

AMpliùs autem, quia sub prouidentia Dei magnifica diuina munera continentur; necesse videtur, qui de prouidentia Dei vult agere, de diuinis muneribus non silere. Omnia siquidem præter Deum, quinimo etiam Deus ipse, diuina munera || *computantur*, sicut tertium huius, & 4, 2 9, 27, & sequentia manifestant. Quare dicit Apostolus quòd ipse dat omnibus vitam, & inspirationem, & omnia. Hoc igitur cognito, vlteriùs ostendendum quòd Deus dat omnia munera sua gratis. Non enim est cupidus, neque indigens alicuius, sicut tertia pars, & quinta Corollarij, primi docent: Sic etiam dare est magnificentius & liberalius, melius & perfe-
E ctius, quàm alio modo dare, seu potiùs vendere, pro aliquo commodo prouenturo ex munere donatori. Hic igitur modus dandi Deo incunctanter est dandus, per primam Suppositionem, & tertiam partem Corollarij primi huius, sicut & vicesima nona pars eiusdem Pelagianos redarguit. Quapropter & quodlibet donum Dei potest non incongruè, gratia Dei dici, gratia scilicet gratis data: Hæc autem gratia communis est omnibus creaturis irrationalibus & rationalibus, gratis pariter & ingratis. Nec sine gratiarum actione gratissima vlterius aduertendum, quòd est quædam gratia, quædam species gratiæ iam prædictæ, gratis omnibus multùm grata, quæ nedum gratis datur à Deo, verùm etiam cui datur, efficit gratum Deo, charum, amicum, & filium in præsenti, & consortem gloriæ in futuro. De hac igitur gratia, ipsa me dirigente, per omnia, contra Pelagianos ingratos, & gratiæ inimicos, paululum

|| comprobantur, *Apostolus*

paululum differendum. Dicunt nempè Pelagiani pestiferi, quòd hæc gratia Dei summa, ne- A
quaquam gratis datur à Deo, sed præcedentibus meritis comparatur. Verum hi Pelagiani per
hic præmissa, & per 29. partem Corollarij primi, huius, pelluntur in pelagus & plectuntur.
Præterea si Deus det merita aut quæcunque adiutoria alicui prædestinato ad Regnum, non dat
ea propter aliquam vtilitatem Dei secundum priora, sed vt ille prædestinatus consequatur
Regnum per ea, quia rationabiliter vult; & potest ostendi per 22um istius; & si vult ipsum
habere merita, vt per ea consequatur Regnum, prius naturaliter vult ipsum habere Regnum;
hæc enim est causa finalis quodammodò, quare vult ipsum mereri, scilicet vt per hoc acqui-
rat sibi Regnum, & gratis acceptat eum ad Regnum prius quàm velit aut acceptet merita eius.
Quia ergo primò ex sua liberalitate magnifica, gratis acceptat ad regnandum, nec decet
quòd ad tantum regnum ascendat immeritus, vult eum mereri, & dat sibi adiutorium, &
gratiam ad merendum. Gratia ergo gratificans & gratia gratis data, secundum distinctionem
25. scriptam, præcedit naturaliter omnia merita cuiuscunque. Hoc posset probari à simili: Si B
enim pater velit filium mercari, vt emat agrum, prius naturaliter vult ipsum habere agrum,
quàm mercari; hæc enim est causa finalis illius, ideoque gratis dat sibi pecuniam, non prop-
ter hoc quòd mercatus est, sed vt mercetur, & sic agrum acquirat. Hoc etiam totum con-
firmatur per illud Philosophicum vulgatum ex 2. Phys. 89. & 3. de Anima 49. & 3. Eth. 8.
In operabilibus, primum in intentione est vltimum in executione. Item voluntas fertur in fi-
nem per se & primò, in tantum quòd non consulit circa ipsum, sed non fertur in media, nisi
tantummodò propter finem; ideoque de ipsis consulit studiosè. Quare prius vult finem
Philosophus. quàm media. Vndè Philosophus 2. Eth. 8. Consiliamur autem non de finibus, sed de his
quæ ad fines: Neque enim Medicus consiliatur, si saluabit, nec Rethor si persuadebit; nec
Politicus si pacem faciet; neque illorum aliquis de fine, sed ponentes finem aliquem, quali-
ter, & per quæ erit, intendunt. Item Deus benè præscit & vult, quòd quicunque habet perse-
ueranter bona merita, regnabit; nec aliquis potest habere bona merita perseueranter, nisi ip- C
semet velit, operetur, donet, & seruet, per nonum istius; Prius ergo tempore & naturâ vult
Deus quenquam regnare, quàm debet sibi bona merita; quare & priusquam habeat bona
merita. Non ergo propter merita, tanquam propter causam priorem, ipsum gratificat & ac-
ceptat ad Regnum, sed gratis omnino, & propter hoc dat sibi gratiam ad merendum.

Ego autem stultus à scientia Dei & vanus, quando Philosophicis literis intendebam, er-
rore contrario seducebar. Quandoque enim audiui Theologos istam tractare materiam, &
pars Pelagij mihi verior videbatur. In Scholis enim Philosophorum, rarò solebam quicquam
audire de gratia, nisi æquiuoce forsan dicta; sed tota die audiui, quòd nos sumus Domini no-
strorum actuum liberorum, & quòd in nostra potestate est, operari benè vel malè, habere
virtutes vel vitia, cum similibus suis multis. Et si quandoque in Ecclesia audiui lectionem A-
Apostolus. postoli gratiam extollentem, & liberum deprimentem arbitrium, cuiusmodi est illud ad Rom.
9. Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, & multa similia, ingrato mihi gra- D
tiæ displicebat. Cum Manichæis quoque credebam Apostolum, velut hominem, potuisse in
aliquo, à veritatis semita deuiasse. Postea verò adhuc nondum Theologiæ factus auditor,
prædicto argumento velut quodam gratiæ radio visitatus, sub quadam tenui veritatis ima-
gine, videbar mihi videre à longe gratiam Dei omnia bona merita præcedentem tempore &
natura, scilicet gratam Dei voluntatem, qui prius vtroque modo vult merentem saluari, &
prius naturaliter operatur meritum eius in eo, quam ipse, sicut est in omnibus motibus primus
Augustinus. Motor; vndè & ei gratias refero, qui mihi hanc gratiam gratis dedit. Augustinus etiam hoc
errore Pelagij se fatetur quandoque deceptum, in tantum quòd textus Apostoli gratiam com-
mendantis, testimonijs Legis & Prophetarum nequaquam sibi videbatur congruere, sed eti-
am aduersari; à quo errore ad veritatis notitiam similis ratio deducebat: Dicit enim de præ-
destinatione Sanctorum quarto. Cum similiter vt Pelagius errarem, putans fidem, qua in
Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis in nobis. & per illam nos impetrare Dei E
dona, neque fidem putabam Dei gratia præuenire, hoc præcipuè Apostoli testimonio ictus,
conuictus sum, Quid habes, quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non
acceperis? Et septimo Confess. vlt. postquam confessus est, quomodò per libros, sapien-
tiam, & scientiam sæculares erat inflatus, & postea diuina gratia visitatus, sic dicit; Auidissimè
arripui venerabilem stilum Spiritus tui, & præ cæteris Apostolum Paulum, & perierunt illæ
||conclusiones. ||*questiones*, in quibus aliquandò visus est mihi aduersari, & non congruere Testimonijs Le-
gis & Prophetarum textus sermonis eius, & apparuit mihi vna facies eloquiorum castorum,
& inueni quicquam verum illac legerem, hac cum commendatione gratiæ tuæ dici, vt qui vi-
det non sic glorietur quasi non acceperit; Quorum etiam vestigia in tota ista materia quan-
tum

A tum possum, specialiter insequor, quia vnus mihi videtur tam Logicus, quam Philosophus Apostolorum, aliusque Doctorum. Multi quoque, vt timeo, moderni Philosophi, hanc falsam insaniam sub specie veræ sapientiæ chariùs amplectuntur. Videtur enim multis, multum verisimiliter colorata, conueniens experientiæ & consona rationi (falsa enim quandoque probabiliora sunt veris) quam tamen si verè philosophari voluerint, possunt philosophicè confutare, non dico per rationes hîc positas, aut ponendas, sed fortè per alias fortiores, quas preueniente Dei gratia poterunt inuenire. Amplius autem gratia Dei duce, proceditur isto modo: Nullus potest habere merita, nec perseuerare in eis, nisi Deus det & seruet, vt proximo est ostensum; & si vellet dare malo bona merita & seruare ea, sicut facit bono, ipse mereretur, & perseueraret similiter sicut bonus, sicut decimum clarè probat. Non ergo propter merita, sed gratis eligit hunc, non illum. Item si Deus propter bona merita priora det gratiam, quare ergo dat illa merita? non propter alia merita priora, ne forte sic processus fieret infinitus; gratis ergo dat illa, quare & gratiam. Hæc enim ex vi nominis sui, inter omnia data, gratissimè
B dari videtur. Nec potest dici, quòd dat huic bona merita, quia præscit quòd bene vsurus est illis, quia ita faceret quilibet, si Deus vellet quòd bene vteretur illis, vt patet per decimum. Nec aliàs poterit, sicut capitulum nonum probat; quomodo etiam posset quis bonis meritis malè vti, aut non bene, cùm bonum meritum bonus vsus, seu actus existat? Item si Deus daret alicui gratiam propter merita, ergo quia merebitur, vellet ipsum regnare, & quia merebitur, vellet ipsum habere merita. Ipsum ergo mereri esset causa volutionis diuinæ mouens voluntatem diuinam, & ipsa, patiens à mereri, contra vicesimum, & quod ipse merebitur, esset causa, quare Deus vult ipsum mereri, quod falsum est; contrarium enim est verum. Propter hoc enim, quòd Deus vult ipsum mereri, ipse merebitur, sicut 14. ostendebat. Adhuc autem, tunc Deus, quantum est de se, esset in potentia, & in differentia pura, ad volendum hunc habere gratiam, vel carere, & pateretur, actuaretur, & determinaretur per meritum huius bonum vel malum, quod perfectioni, & actualitati eius summæ repugnat, sicut ex vice-
C simo huius patet. Item, si Deus non daret gratissimè gratiam, sed propter aliquam causam inferiorem contingentem & liberam, non certe præsciret se daturum illam, sicut decimum octauum huius ostendit: Eâdem enim causa præcisè qua Deus primò præscit se daturum gratiam, pro tempore dationis scit se dare illam. Nam propter quamcunque causam tunc dat gratiam, semper præsciuit & voluit dare gratiam propter illam; alias enim haberet mutabilem voluntatem, contra vicesimum tertium. Item si Deus daret gratiam pro meritis, hoc vellet & faceret, quia sic fieri iustum esset, cùm tamen sit è contra & non ita, sicut vicesimum primum docet. Item tunc collatio gratiæ, & meritum hanc præcedens non continerentur sub diuina prouidentia, cùm per capitulum decimum ipsa sit efficax, sed relinquerentur casui & fortunæ contra 27[um], & alia quæ sequuntur. Item per primam suppositionem Deus est tantum bonum, quod non potest intelligi aliquid maius eo, & bonum est sui ipsius communicatiuum, & maius magis; Deus ergo est ita liberaliter communicatiuus & datiuus,
D quòd liberalius communicari vel dari non poterit cogitari: sed liberalius est dare gratis omninò nullo penitus merito præcedente; sic ergo Deus dat, maximè cùm non indigeat bonis nostris; & quid liberalius vel gratius dabit quàm gratiam? dat ergo gratiam Deus gratis. Hoc autem & significatio nominis gratiæ significare videtur, quod sit videlicet gratis data, in quo fundans se Apostolus ad Romanos, vndecim. probat per demonstrationem ducentem ad impossibile, scilicet ad abnegationem eiusdem à se, gratiam non esse ex operibus: Si, inquit, gratia, non ex operibus, alioquin, id est, si detur oppositum, Gratia, iam non est gratia. Et supra 4. Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Item aliqui homines virtuosi, vt liberalis & magnificus, dant purè liberaliter & gratis omninò, secundum exigentiam suæ virtutis sine aliquo merito præcedente, vel etiam subsequente, vt 4. Eth. docetur; ergo & Deus cùm sit omni homine virtuosior, liberalior, & magni- *Apostolus.*
E ficentior infinitè; imò & si isti virtuosi hoc faciant amicis, vel etiam non inimicis tantummodo, ipse nedum hoc faciet amicis, & non inimicis, si qui tales sunt medij, sed etiam inimicis. Nam secundum Augustinum, Enchir. 56. Minus bonum est erga eum esse beneuolum, sine etiam beneficum, qui tibi nihil mali fecerit, sed illud multò grandius, atque magnificentissimæ bonitatis est, vt tuum quoque diligas inimicum, & ei bonum velis & facias. Vnde Apostolus ad Romanos, quint. Commendat, id est, commendandam ostendit, Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est & cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius. Item decentius videtur, quod bona dispensentur secundum voluntatem sapientioris & melioris, quàm secundum voluntatem minus sapientis & boni; Deus autem omni homine est sapientior & melior infinitè; *Augustinus.* *Apostolus.*

nitè; decentius ergo videtur, quod omnia dispensentur secundum voluntatem diuinam, quàm causaliter à priori secundum merita voluntatis humanæ. Vnde ad Ephes. 1. Qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ. Item nulli dubium, quin Deus posset conferre gratiam suam gratis, & hoc esset misericordius atque decentius; quis ergo in tantum nouit sensum Domini, aut consiliarius eius fuit, quod audeat negare Deum sic facere, cùm debeat hoc potiùs affirmare, qui & in paruulis ita facit notoriè, sicut trigesimum primum huius allegat? Etsi quis dicat, Non est iustum sic fieri; quare non sic facit; sciat ex vigesimo primo huius, nihil esse iustum in talibus, nisi quia volitum est à Deo, non è contra: Non enim quia iustum est, ideo volitum est à Deo. Item si quis meruit gratiam suam dignior est illa, quàm si illam non meruisset; Dignus est enim operarius mercede sua, Luc. 10. & ad Rom. 4. Ei, qui operatur, merces imputatur non secundum gratiam, sed secundum debitum; quilibet ergo homo habens gratiam quam meruit, dignior est illâ, quàm Christus gratiâ vnionis, vel quacunque alia gratia sibi in principio gratis data, (Non enim meruit hanc vel illam) quod quicunque concesserit, monstrabit se non esse membrum Christi, sed potius Antichristi, cùm se efferat supra caput. Vnde Augustinus de prædestinatione Sanctorum 19. Est præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Saluator Christus Iesus, qui, vt hoc esset, nullis præcedentibus meritis comparauit. Aperiat itaque nobis in capite nostro ille fons gratiæ, vnde vnicuique secundum mensuram per cuncta eius membra se diffundit; ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicunque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus. Et sequitur capitulo vigesimo; Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis inuenerit, ipse in nobis membris eius præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat. Et Enchirid. 27. & de bono perseuerantiæ penult. & vlt. similia multa dicit; vbi capite vltimo ita dicit, Qui hunc fecit hominem iustum sine vllo merito præcedente, ipse ex iniustis facit iustos, sine vllo merito præcedente ipsorum, vt ille caput, illi membra sint eius. Item positio huic contraria aufert à Deo gratiarum actionum & laudum, timoris & honoris maximam portionem; spem quoque hominis eradicat à Deo, & fundat in seipso: Quis enim gratias aget æqualiter, & laudabit, timebit Deum & amabit, si reddat meritis suis prœmium debitum, sicut si gratis ipsum etiam inimicum præueniat, & conferat cuncta bona? Quare etiam non sperabit in seipso, cùm sufficiat ipse sibi? quæ tamen quàm perniciosa sunt omnia, & Christianæ doctrinæ contraria, quis ignorat? Hoc etiam testatur copiosissimè vtriusque series Testamenti, vnde pauca testimonia nunc adducam. Deuteronomij nono; Neque enim propter iustitias tuas ingredieris, vt possideas terram. Iob 31. Si lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum: Super quod dicit beatus Gregorius 22. Moral. 9. Per manum quippe operatio, per os autem locutio designatur. Manum ergo suam osculatur ore suo, qui laudat quod facit, & virtutem suæ sibi tribuit operationis. Sancti autem viri sciunt, non virtute propria, sed præueniente gratia, ad meliora se vota vel opera commutatos. Et quia Autoris sui gratiam negare conuincitur quisquis sibi tribuit quod operatur, protenus subdit, quæ est iniquitas maxima, &c. quia illum negat, cuius despecta gratia, sibi vires boni operis arrogat. Psalmo 55. Pro nihilo saluos facies eos, & pro nihilo habuerunt terram desiderabilem Psalmo 105. & supra 67. Pluuiam voluntariam segregabis hæreditati tuæ, &c. Super quod Augustinus in expositione præmissa, subiungit; Multò congruentiùs intelligitur ipsa gratia pluuia voluntaria, quia nullis præcedentibus operum meritis, gratis datur. Si enim gratia, non ex operibus; alioquin gratia, iam non est gratia; Non enim dignus sum, inquit, vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei; Gratiâ autem Dei sum, id quod sum; hoc est pluuia voluntaria. Voluntariè quippe genuit nos verbo veritatis, hæc est pluuia voluntaria. Adhuc autem & Esaiæ 52. Gratis, (glossa, id est vestra sponte) venundati estis, & sine argento redimemini; Glossa, id est, nullo merito vestro, sed gratuito Dei beneficio. Et Hos. vlt. Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontaneè; glossa, id est, sola misericordia, quia ipse prior dilexit nos. Quod & in Nouo Testamento, in tempore gratiæ clarius demonstratur. Ipse enim autor omnis gratiæ per Ioannem, Dei gratiam, plane dicit; Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit illum; &, Nemo potest venire ad me, nisi datum ei fuerit à Patre meo, Ioh 6. Et infra 15. Sine me nihil potestis facere; Et supra 3. Spiritus vbi vult, spirat; & infra 5. Filius, quos vult, viuificat; & Marc. 3. Vocauit ad se quos voluit, & venerunt ad eum; Et Iacobi 1. Voluntariè genuit nos, verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius, & similia multa valdè. Testis est & Apostolus ipse Paulus, vas electionis gratuitæ, in quo effectus gratiæ gratis datæ euidentissimè || *patuit*, quem non insistentem bonis operibus

[Margin notes: A; B; *Augustinus*; C; *Deut. 9.*; *Iob 13.*; *Gregorius.*; D; *Psal. 55.*; *Esa. 52.*; *Hos. vlt.*; E; *Ioan. 6.*; *Marc. 3.*; *Iacob. 1.*; || apparuit]

A operibus, imò nec desistentem à malis, sed adhuc spirantem minarum, & cædis in discipulos Domini, ac Christianorum sanguinem, vt vir Belial, sitientem, ac ipsum Dominum persequentem subitò circumfulsit lux de Cælo cum qua & ipsum præuenit gratia Iesu Christi, vt Act. 9. patet. *Act. 9.* Hic igitur specialiter quodammodo filius gratiæ, nec ingratus, ipsam gratiam matrem suam in omnibus penè Epistolis deuotius honorat, extollit, & prædicat, præcipueque defendit; qui ad Romanos quasi per totam Epistolam prolixè disputans & acutè, principaliter ista facit. Vnde capitulo 3. ita scribit, Omne os obstruatur & subditus fiat omnis mundus Deo; Glossa, totum ei tribuens, nihil meritis proprijs, quia ex operibus legis non iustificatur omnis caro, & iustificati gratis per gratiam ipsius: Et ad Ephes. 2. Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur: *Ephes. 2.* Et ad Titum 3. Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. *Tit. 3.* Hoc idem ad Rom. 9. *Rom. 9.*
B & 11. nedum dicit, sed probat per Autoritates veteris Testamenti, & per rationem similiter. Nono enim allegat illud Exodi 33. quod Dominus dixit ad Mosen, Miserebor cuius voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit. Vnde concludit Apostolus, Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: Si tamen gratia & misericordia esset ex operibus, potius diceretur, Miserebor & clemens ero ei, qui hoc meruerit; &, Est volentis & currentis, id est, in merito operantis, vt Deus misereatur, & gratiam largiatur: Et 11° probat idem per *Rom. 11.* vnam autoritatem. 3. Reg. 19. dicentem, quòd Deus reliquit sibi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua sua ante Baal. Vnde concludit, Sic ergo in hoc tempore reliquiæ, secundum electionem gratiæ, saluæ factæ sunt, & statim post probat idem per demonstrationem ducentem ad impossibile, scilicet ad abnegationem eiusdem à se, scilicet, Si gratia sit ex operibus, iam non est gratia, sicut erat superiùs allegatum. In hac etiam sententia omnes Doctores Catholici vnanimiter sunt concordes, inter quos Augustinus, quia sicut Apostolus
C primò fuit infidelis & blasphemus & inimicus gratiæ Iesu Christi, postquam præuentus eadem gratia, similiter est conuersus quodammodo singulariter imitatus Apostolum, factus est gratiæ laudator, gratiæ magnificus ac strenuus propugnator. Item ad hanc partem potest adduci vnum peremptorium argumentum; Pars enim contraria, quæ ponit gratiam secundum merita nostra dari, est hæresis Pelagiana quam nedum Patres Catholici in Episcopali iudicio Palæstino damnârunt, verùm & Pelagius ipse hæreticus ibidem damnari metuens, similiter condemnauit, vt patet per Augustinum de hæresibus 88. & de prædestinatione Sanctorum 2. & de gratia & libero arbitrio 11. & per Isidorum 8. Ethic. 19. & recitatur in Canone 24. quæst. vlt. Quid autem. Hanc etiam hæresin plenè & sollicitè destruit Augustinus, in diuersis libris contra Pelagianos in genere, & contra quosdam eorum, vt contra Iulianum & Cœlestium in specie per libros alios speciales, vt satis nôrunt, qui libros Augustini nouerunt. Pro hac quoque sententia, & contra hæresin Pelagianam, adducit Lumbardus 2. *Lumbardus.*
D sentent. distinct. 24. & multis distinctionibus sequentibus, multa & efficacia testimonia veritatis, quæ gratiam operantem & cooperantem similiter clarè probant. Contra hæc autem Pelagius obijcit sic quærendo, Si gratia gratis detur, cùm omnes homines de se sint pares, quare datur huic, non illi? Quæro etiam ego à sic quærente, quare Deus de infinitis animabus, & quibuslibet alijs rebus æquè possibilibus, & æque bonis per omnia, si crearentur, creat has non illas? Quærat etiam iste, sicut in persona talium quærit Augustinus de prædestinatione Sanctorum 19. Ego sum homo sicut Christus est homo, cur non sum quod ille? Dei enim gratia ille talis ac tantus est; cur diuersa est gratia, vbi natura communis? certè non est personarum acceptio apud Deum. Et quasi respondendo quærit Augustinus; Quis, non dico Christianus, sed insanus hoc dicat? Idem in homilia vicesima sexta super illud Iohan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit illum, sic quærenti, quasi non respondendo respondet; Magna, inquit, gratiæ commendatio; Nemo venit nisi tractus,
E quem trahat & quem non trahat, quare illum trahat & illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare: Huic tamen quærenti respondet 21^um^ huius. Adhuc autem Pelagiani ingrati gratiæ, non desinunt obuiare, sed sicut falsigraphi errantes, non intelligentes Scripturas, neque veritatem Dei, sicut beatus recitat Augustinus, de gratia & libero arbitrio 11. talia testimonia de sacra Scriptura ad roborationem sui erroris colligunt, & proponunt: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: & 2° lib. Paral. Dominus vobiscum ‖ *si* vos estis cum eo. & ‖ cùm si quæsieritis eum, inuenietis eum; ex quibus nituntur arguere gratiam secundum merita nostra dari. Sed frustra, cum alibi sic scribatur, Deus virtutum conuerte nos, Deus, tu conuertens viuificabis nos; &, Postquam conuertisti me, ego egi pœnitentiam, Ier. 31. & Thren. vlt. conuerte

uerte nos Domine ad te & conuertemur, Innoua dies nostros sicut à principio. Ecce quòd A
Dominus nos lapsos ad gratiam innouat, sicut & per eam in principio nouos facit. In talibus tamen præceptorijs, Conuertimini ad me &c. secundum Augustinum ibidem, capit 11. & 12. manifestat liberum arbitrium voluntatis. Et insra 23. Quandò iubetur, vt operentur, liberum præuenitur arbitrium, sed ideò cum timore & tremore, ne quis sibi tribuat quòd benè operatur; imò si Pelagius haberet dimidium oculum, posset videre, quòd Deus eo ipso quòd sic ||*præcipit*, peruenit voluntatem, ipsam excitans ad agendum, non tamen vt sine ipso hoc faciat, sed cum ipso, sicut præcedentia docuerunt. Quapropter & dicit, Sine me nihil potestis facere, Ioh. 15. Et Apostolus 1. ad Cor. 15. Abundantius omnibus laboraui, non autem ego, sed gratia Dei mecum. Similem quoq; falsigraphiam recitat Augustinus, de prædestinatione Sanctorum 13. in hæc verba; Cum dicitur, inquiunt, Si credideris, saluus eris, vnum horum exigitur, alterum offertur; quod exigitur in hominis, quod offertur, in Dei est potestate; & quærendo, sic obijcit contra eos; Cur non vtrumque in Dei est potestate, & quod B
iubet, & quod offertur? Et statim probat quòd sic. Rogatur enim vt det, quod iubet; Rogant enim credentes vt sibi augeatur fides; Rogant pro non credentibus vt eis donetur fides; Et in suis igitur incrementis, & in suis initijs, Dei donum est fides quamuis & ipsa, cum dicitur, Si credideris, saluus eris, proposito præmio salutis, à nobis exigatur. Ideò enim hoc & similia nobis præcipiuntur, & Dei dona esse monstrantur, vt intelligatur, quòd & nos ea faciamus, & Deus facit, vt illa faciamus, sicut per Prophetam Ezechielem apertissimè dicit; Ego faciam vt faciatis. Attendite, & videbitis Deum promittere se facturum vt faciant, quæ iubet vt fiant. Vndè Ezechiel 36. Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum adducam vos in terram vestram, effundam super vos aquam mundam & mundabimini; & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos, & dabo vobis cor nouum, & Spiritum nouum ponam in medio vestri; auferam cor lapideum, & dabo vobis cor carneum, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini. Possetque non inconueni- C
enter intelligi, Conuertimini ad me & ego conuertar ad vos, hoc modò; Conuertimini ad me per gratiam operantem & liberum arbitrium voluntatis, & ego conuertar ad vos per gratiam cooperantem, gratiam pristinam conseruando, vel pleniorem donando, secundum quod Apoc. vlt. scribitur, Sanctus sanctificetur adhuc. Vndè & Anselmus de Concordia 10. Dicitur, inquit, conuersis, conuertimini, aut vt magis conuertantur, aut vt seruent quod conuersi sunt. Adhuc autem & quidam Pelagij aduocati non desinunt oblatrare, multa quidem & manifesta verba Epistolæ, sicut dicunt, beati Ieronymi ad Demetriadem de Institutione virginis, allegando, contra adiutorium gratiæ, & pro sufficientia liberi arbitrij ad opera quælibet virtuosa. Sed hi, vt videtur, negligentes in hac parte scripta maiorum, Scripturam Pelagianam, quàm Augustinianam, Scripturam Hæreticam, quàm Catholicam charius amplectuntur. Constat nempè legentibus, & non negligentibus Epistolarium beati Ieronymi, duas esse Epistolas intitulatas Ieronymo ad Demetriadem, quarum vna scilicet 94. tale habens initium, D
Inter omnes materias, proculdubio est ipsius, in qua nihil de excellentia liberi arbitrij continetur; altera autem videlicet 93. incipiens isto modo, Si summo ingenio parique fretus scientia, quæ liberum arbitrium patenter extollit, conceditque gratiam, sed ambiguam, fatuam, & fallacem, nequaquam Ieronymi Doctoris Catholici est credenda. Neque enim stilum eius sapit, processum, nec sensum, sed alios multum distantes, sicut lectoribus facile est videre; concordatque multum in sententia, & in stilo, Epistolæ magnæ Pelagij directæ ad Paulinum Episcopum, libro eius pro libero arbitrio, qui quatuor libros tenet, & alijs opusculis eius multis. Quare & ipsius Pelagij verisimiliter æstimanda. Nonnè & ipse Pelagius in libello fidei suæ, quem misit Romam ad Papam Innocentium, scribit ita? Legant Epistolam quam ad sacram Virginem Christi Demetriadem in Oriente conscripsimus, & inuenient ita nos hominis laudare naturam, vt Dei semper gratiæ addamus auxilium; & quæ est illa Epistola, nisi illa superius memorata? Quare & Augustinus primo contra Pelagium, & Cœlestium, de E
gratia Christi, & peccato originali 23. 28. 29 30. & 31. asserit illam Epistolam esse Pelagij, recitans, discutiens, & condemnans quasdam particulas eius plane; Qui & cum Alypio, Epistola 71. ad Iulianam, Ad sanctam, inquit, Demetriadem quisnam scripsit librum? & recitat discutiendo quasdam particulas Epistolæ supradictæ. Adhuc autem & Guido Prior Carthusiæ, in Epistola sua missa ad Lazarum Priorem Durbonensem, & fratres, pro Epistolis beati Ieronymi, dicit planè prædictam Epistolam, non esse Ieronymi, imò Pelagij. Venerabilis verò Beda 1. super Cant. Canticorum, (qui est specialiter contra Iulianum) de gratia Dei, 12. Multas particulas huius Epistolæ recitans & condemnans, affirmat hanc esset Iuliani, filij Pelagij, & alumni; Vndè & sic ait in libro quem ad Demetriadem Virginem Christi, de institutione

|| præcepit

Iohn. 15.
2. *Cor.* 15.
Augustinus
Ezechiel.
Apocalipsis.
Anselmus.
Augustinus
Guido.
Beda.

A stitutione virginis, scripsit, hæc eadem de potentia liberi arbitrij, quomodo sentiat, pandit; quem videlicet librum nonnulli nostrum studiosè legentes, sancti & catholici Doctoris Ieronymi esse, temerè arbitrantur, minimè prouidentes, quòd suauitas eloquentiæ demulcentis, & hæreseos peruersitas seducentis manifestè probet, illius hoc opusculum non esse. Quin potius ipse fidem eius vel magis perfidiam in dialogo Attici & Critaboli, quem, viuente Pelagio, edidit, cùm adhuc Iulianus ab eo paruulus quasi in cauerna colubri nutriebatur regulus, diuinis expugnauerit ac perculerit eloquijs. Quidam tamen respicientes ad pauca, enuntiant facilè, nihil tale in primo libro Bedæ super Cantica reperiri. Sed hi nimirum falluntur, putantes primum librum Bedæ expositorium super Cantica, esse simpliciter primum librum, sed non est ita. In primo namque libro, non exponit textum Cantici, sed priusquam ad expositionem Cantici accedat, per totum illum primum librum, errores & hæreses librorum Iuliani discutit, & diuellit: quare & in multis codicibus iste primus liber nullatenus reperitur. Quicunque tamen initium vltimi libri eius super Cantica viderit, manifestè videbit ipsum dicen-
B tem se primum illorum librorum contra Iulianum scripsisse, qui & in non defectuosis codicibus crebriùs reperitur. Hic autem liber in quibusdam codicibus initium tale habet: Primo admonendum putaui lectorem, vt opuscula Iuliani, &c. in aliquibus verò tale; Scripturus Dei iuuante gratia, in Cantica Canticorum, primò admonendum, &c. sicut supra. Nec quisquam existimet Bedam, dicentem illam Epistolam esse Iuliani, contradicere Augustino dicenti illam esse Pelagij: hæc enim non repugnant. Frequenter namque contingit, quòd multi coniuncti vnam Epistolam mittant, aut forsitan ambo simul dictârunt, & Pelagius quia senior & magister, illam nomine suo misit, quàm postea Iulianus sibi voluit vsurpare. Omnes tamen hi testes concorditer attestantur, quòd illa Epistola non est beati Ieronymi, sed Pelagij, aut alicuius Pelagiani hæretici, & profani.

COROLLARIVM.

C

Contra Casianum mediantem, dicendo, Deum dare quibusdam gratiam suam gratis absque merito præcedenti, quibusdam vero non nisi prius ipsam recipere mereantur: quare & quod nullus seruus peccati mortalis potest proprijs tantum viribus liberari.

EX his igitur euidenter apparet, Casianum mediare volentem inter Catholicos, (affirmantes vniuersaliter in omnibus Deum primam gratiam gratis dare, & Pelagium æstimantem Deum dare cuilibet gratiam pro merito præcedenti, & nulli simpliciter, purè gratis) dicendo Deum aliquibus dare gratiam gratis purè, aliquibus verò pro merito præcedenti, grauiter delirare: quamobrem & quod nullus seruus peccati mortalis, potest proprijs tan-
D tùm viribus liberari. Istud autem totum porisma patentèr consequitur ex præmissis. Errorem quoque Casiani prædictum sanctus Prosper, per totum pœnè libellum intitulatum sancti Prosperi pro prædicatoribus gratia Dei, contra librum Casiani Presbyteri, qui prænotatur de protectione Dei, discretè redarguit, & diffusè repellit: Huius autem Casiani errores in ista materia in collationibus Patrum scribuntur: Altera verò pars eius per hoc specialiter suadetur, quòd omnis seruus peccati mortalis ingratus est Deo, & sine gratia gratificari non potest, nec hanc proprijs tantùm viribus potest acquirere per priora. Infœlix ergo homo, quis eum liberabit à corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum, ad Roman. 7. quod & Autoritates omnium Catholicorum Doctorum materiam istam tractantium vnanimiter contestantur.

E

A

CAP. XXXVI.

Contra Procuratores Pelagij asserentes, quod etsi merita non sint causa collationis gratiæ principalis, sunt tamen causa sine qua non confertur.

Licet autem Sancti Patres istam Pelagianam hæresin succederunt, ex venenata tamen eius radice in multorum cordibus profundata, quædam non penitus spuria, sed pestifera vitulamina, quia non saporem sed colorem mutantia, non desinunt pullulare: Dicunt enim aliqui B
talium, quod merita non sunt causa principalis gratiæ nobis datæ, sed causa sine qua non datur. Sed quis non videat istos & eorum similes hæresin Pelagianam tantum vocaliter declinare, & ipsam realiter prędicare? Mutant vocem propter horrorem nominis hæretici euitandum, vt sic eandem prauitatis sententiam sophisticè palliatam, & laruatam fallaciter, cautiùs introducant, sicque corda simplicium corrumpant facilius & seducant. Vox quidem vox Iacobi est, scilicet viri fidelis, Deoque dilecti, sed manus iniquam sententiam inserentes, manus sunt Esaui, viri scilicet infidelis & Deo odibilis. Quis etiam mentis tam inops, vt non percipiat, quàm læto corde tales reconciliarent Pelagium, Cœlestinum, Iulianum, & cæteros Pelagianos hæreticos, si auderent, ac Paulum, Augustinum, Gregorium, & cæteros catholicos condemnarent? Igitur si merita nostra sunt causa sine qua non gratiæ nobis datæ, per capitulum decimum sextum potest ostendi, quòd merita sunt aliquo modo causa, vt concausa, & causa partialis gratiæ nobis datæ. Nec Pelagius vnquam desipiebat in tantum quòd voluit dicere, merita esse causam totalem gratiæ datæ à Deo, quia hoc esset ponere & excludere C
Deum datorem gratiæ nobis datæ. In quo ergo dissentiunt isti à Pelagio? Item tunc gratia esset ex meritis & operibus contra capitulum proximum. Item omnia argumenta ibi probantia, quod gratia datur gratis, non pro præcedentibus meritis, istam falsigraphiam reprobabunt similiter, si debitè proferantur. Item si intelligant per causam principalem, causam principalissimam omnium & supremam, sic nec mala merita sunt causa damnationis & pœnæ, nec aliqua cāusa inferior est causa alicuius effectus, sicut præcedentia manifestant. Rursumque secundum istud, iniustus similiter mereretur primam gratiam, sicut iustificatus secundam, scilicet gratiæ primæ augmentum; cùm tamen primum negetur ab omnibus, sicut capi-
Parabol.4. tulum proximum docuit, secundum verò catholice concedatur. Vnde Parab. 4. Acquire
Augustinus. prudentiam, & dabit capiti tuo augmenta gratiarum. Et Augustinus ad Bonifacium Papam, D
Lumbardus. sicut recitat Lumbardus 2. sentent. dist 26. sic scribit; Non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici; Et in sententijs Prosperi,
Prosper. propositione 95ª. Crescit semper charitatis facultas, dum vsu maior, & largitate fit ditior. Itē si merita sint prior causa dationis gratiæ quàm sit Deus, tunc qui sic meretur, priùs venit ad Deum quàm è contra, & potiùs trahit Deum ad eum quàm è contra; Quomo-
Ioan.6. do ergo dicit, Nemo venit ad me, &c. Ioan. sexto? Quomodo ergo dicit, Non vos me
Ioan.15. elegistis, sed ego elegi vos, Ioan. 15? Et sine me nihil potestis facere; & quomodo tunc di-
Apostolus. cit Apostolus, Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quod & Philosophicè statim probat, quoniam, inquit, Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. ad Rom. 11. Et quomodo ergo dicit ad Ephes. 2. Gratia saluati estis, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, cùm tamen originaliter sit ex vobis? Item si merita sint concausa, vel causa partialis dationis gratiæ, ista datio partim tribuenda est Deo, partim nobis; imò E
& pars prior est nostra, sicut iam fuit ostensum; posterior verò Dei contra glossam verbi Apostolici allegati dicentem, Gratia præeunte, id est, gratuita Dei voluntate, non ex vobis, id est, ex vi naturæ vestræ, quia Dei Donum est purè, non partim ex operibus. Item dicit Augustinus de prædestinatione Sanctorum 3. Nolens Pelagius tam claris testimonijs Apostolicis repugnare, & tamen volens à seipso sibi esse quod credit, quasi componit homo cum Deo, vt partem fidei sibi vendicet, atque illi partem relinquat; & quod est elatius, primam tollit ipse, sequentem dat illi; & in eo quod dicit esse amborum, priorem se facit, posteriorem Deum. Ecce quomodo sic dicentes, mentē & verba Pelagij amplectuntur. Item tunc bene posset quęri, quare hunc trahit Deus, & hunc non trahit: Habet enim veram causam, scilicet meritum

A aliquod antecedens, contra Augustinum superius recitatum. Quomodo etiam saluant isti gratiam operantem, quæ in omnibus præuenit peccatores? Si autem isti obijciant illud Augustini, Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te, & similia: ergo oportet quod aliquid coagas ad hoc, quòd gratia tibi detur; dicendum, quòd verum est forsitan in adultis; non tamen oportet me aliquid agere antecedenter, sed subsequenter, ita quòd infusa mihi gratia benè velim & faciam; sed infusio gratiæ est prior naturaliter, me autem bene velle & facere, illam naturaliter consequitur, sicut efficiens suus effectus, & causam suum causatum. Sic autem respondet Lumbardus 2. sent. dist. 26. (cùm obijcitur quòd gratia non præcedit hominis voluntatem) per illud Augustini super Iohannem, vbi priùs, Nemo potest venire ad me, & reliqua: Cætera potest homo || *nolens*, credere autem non nisi || *volens*; & per illud glossæ super illud Gen. 24. Vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem, quia fides est voluntatis, non necessitatis: Dicit igitur, Ad quod respondentes dicimus, hæc omnia dicta esse, *Lumbardus.* || volens, || nolens;
B quia non est fides, nisi in eo qui vult credere, cuius bonam voluntatem fides præuenit, non tempore, sed causa, & natura; quam responsionem confirmat per Augustinum Enchirid. 23. dicentem, quòd bona voluntas in eis donis est, quæ non præcedit, & ipsa iuuat quibus præuenitur, dum eis consentit, quod & supra capitulis multis expressiùs continetur. Quærit enim sic, Cùm proculdubio, si homo eius ætatis est, vt ratione vtatur, non possit credere, sperare, diligere, nisi velit, nec peruenire ad palmam vocationis Dei, nisi voluntate cucurrerit: quomodo ergo non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei? nisi quia voluntas, vt scriptum est à Domino præparatur: alioquin si propterea dictum est, Non volentis &c. sed miserentis, &c. quia ex vtroque fit, id est, ex voluntate hominis & misericordia Dei, vt sic dictum accipiamus, Non volentis &c. quasi diceretur non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei; nec sufficit sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis; ac per hoc, si rectè dictum sit, Non volentis hominis, sed miserentis est Dei, quia illud voluntas hominis sola non implet; cur non è contrario rectè dicitur, Non miserentis Dei, sed
C volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? Porrò si hoc dicere nullus Christianus audebit, ne Apostolo apertissimè contradicat, restat vt propterea rectè dictum intelligatur, Non volentis, sed miserentis est, vt totum detur Deo, qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam: Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia, quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa. Item eadem dist. 26. allegat Augustinum dicentem, Cùm fides impetrat iustificationem, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed hoc fit voluntate comitante non ducente, pedissequa, non præuia. Idem supra, dist. 25. vlt. dicit, quòd Dei gratiam non adiuuat voluntas hominis vel operatio, sed ipsa gratia voluntatem præuenit præparando vt velit bonum, quod & diffusè ostendit distinct. 26. & 27. consequenter. Augustinus quoque de prædestinatione contra Pelagianos 3. scribit ita; Stulte, Deus est, qui iustificat impium, non præuentus humana voluntate, sed ipse præueniens hominis voluntatem misericordia sua: Deus enim, in- *Lumbardus* *Augustinus.*
D quit, meus, misericordia eius præueniet me. Audi & alium Prophetam loquentem, Conuerte me, Domine, & conuertar; Sana me, & sanabor: vnde & Apostolus, Iustificati, inquit, gratis per gratiam ipsius. Audi gratis, & tace de meritis: Qui & de natura & gratia 32. loquens de iustificatione nostra, sic ait; Vbi quidem operamur & nos, sed illo operante nos cooperamur, quia misericordia eius præueniet nos: Et de bono perseuerantiæ 48. dicit, quòd Deus eorum præuenit voluntatem, quibus datur gratia, ideo vtique ne non gratis dari videatur, sed secundum præcedentis merita voluntatis, sicut contra veritatem Pelagianus error obloquitur. Idem Hypog. 52. In omni opere facto prior est voluntas Dei, posterior liberi arbitrij, id est, operatur Deus, cooperatur homo. Quòd si dicas vt dicere consueuisti, quia ego prior volui, Deus voluit, iam meritum facis, vt gratia ex operibus iam non sit gratia, sed merces: hoc loco redarguit te Apostolus, dicens; Si ergo gratia, iam non ex operibus, alioquin *Propheta.* *Apostolus.* *Augustinus.*
E gratia iam non est gratia, gratia mihi donatur, non redditur. Qui & de hæresibus 88. dicit, quòd Pelagius non || *præposuit* gratiam libero arbitrio, sed infideli calliditate supposuit. Isidorus insuper 8. Eth. 5. sent. 14. tractans de diuersis hæreticis & eorum hæresibus, dicit, quòd Pelagiani liberum arbitrium diuinæ gratiæ anteponunt, & recitatur in Canone 24. quæst. vlt. Quidam autem; vbi Gratianus sequens Isidorum enumerat multos hæreticos, cum hæresibus eorundem. || proposuit

A

CAP. XXXVII.

Contra quosdam Pelagianos dicentes hominem posse ex se tantum debitè præparare; quod si faciat, Deus dabit sibi gratiam suam gratis.

SVNT adhuc alij opinantes quòd homo non potest ex se mereri propriè gratiam; potest tamen se debitè præparare, & tunc Deus sibi dabit gratiam suam gratis: sicut in naturalibus, cum materia fuerit debitè præparata, inducitur statim forma. (B) Hæc autem præparatio vel iuuat in aliquo, vel non iuuat: Si non iuuat, non præparat, nec disponit; si iuuat, est aliquo modo laudabilis & meritoria, & aliqua causa gratificationis contra duo capitula proxima; & sic redeunt contra hunc errorem omnia argumenta facta hic & ibi. Item secundum hoc, principium fidei est à nobis, supplementum verò à Deo, quod recitat Augustinus & reprobat, de Prædestinatione Sanctorum 2. dicens: (*Augustinus.*) Si non pertinet ad Dei gratiam, quòd credere cæpimus, sed illud potius quod propter hoc nobis additur, ac per hoc principium fidei nostræ priores damus Deo, vt retribuatur nobis supplementum eius; sed quis dicat eum qui iam cæpit credere, ab illo, in quem credidit, nihil mereri? Vndè fit, vt iam merenti, cætera dicantur addi retributione diuina, ac per hoc gratiam Dei secundum merita nostra dari, quod obiectum sibi Pelagius, nè damnaretur ipse, damnauit. (C) Et de præparatione potest argui similiter omni modo. Simili modo arguit de gratia & libero arbitrio capitulo 12. 17. 18. Item ipsa præparatio est gratuitum donum Dei, vt 9^um & 20^um capitula manifestant, quod & 27^um cum 10° & eodem 20° comprobabit, & satis patet per summum Autorem nostrum Iohan. 15. sic dicentem, Sine me nihil potestis facere, & per Discipulum suum Paulum 2. ad Corinth. 3. confitentem; Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum, quòd non sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. (*Ioh. 15.* *2. Cor. 3.*) Et 1. ad Corinth. 4. Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Et ad Rom. 11. Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia; Vndè & Augustinus virtute istarum autoritatum suffultus procedit per totum librum de Prædestinatione Sanctorum, ostendens quòd principium fidei, complementum, & finis, & totum penitus est à Deo. (*1. Cor. 4.* *Rom. 11.* *Augustinus.*) Vndè capit. 7. (D) dicit de Electis gratis consecuta est electio, quod consecuta est, non præcessit eorum aliquid quod priores darent, & retribueretur illis, quod probat per illud Psalmi superius allegatum, Pro nihilo saluos fecit illos; Et infra 14. Omnis hæc ratio, qua defendemus gratiam verè esse, id est, non secundum merita nostra dari, quamuis euidentissimè diuinorum ‖ *testimonijs eloquiorum* asseratur, (‖ testimoniorum eloquijs.) tamen apud eos, qui nisi sibi aliquid assignent quod priores dent & retribuatur eis, ab omnis studio pietatis reprimi se putant, laborat aliquanto in ætate maiorum vtentium voluntatis arbitrio, sed vbi venitur ad paruulos, & ad ipsum mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum, omnis deficit præcedentium gratiam humanorum assertio meritorum. Idem de bono perseuerantiæ 67. Attendant, quomodò falluntur qui putant esse à nobis, vt petamus, quæramus, & pulsemus; Et hoc esse dicunt, quòd gratia præceditur merito, vt sequatur illa, cum accipimus petentes, & inuenimus quærentes, aperiturq; pulsantibus, nec volunt intelligere, etiam hoc diuini esse muneris vt petamus, quæramus atque pulsemus. (E) Accepimus enim Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater: ad quod etiam allegat beatum Ambrosium, sic dicentem, (*Ambrosius.*) Et orare Deum, gratiæ spiritualis est, sicut scriptum est, Nemo dicit, Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto. Item tunc recipere gratiam esset volentis & currentis, contra Apostolum ad Romanos 9. quoniam eius est se debitè præparare. Et confirmatur per Augustinum Enchirid. 23 super hac autoritate Apostoli disputantem, (*Augustinus.*) & ipsam præparationem voluntatis nostræ Deo totaliter tribuentem, vt erat contra errorem proximo allegatum. Idem patet per eum de duabus animabus 15. & recitatur 2. Sentent. Petri dist. 26. dicentem, quod voluntas vt non admittat malum & adipiscatur bonum, præuenitur & præparatur Dei gratia, quòd & confirmat per illud Apostoli,

Non

A Non volentis, neque currentis,&c. Idem patet per eundem 1. Retractat.23. & de prædestinatione Sanctorum quarto, dicentem, quod Deus præparat voluntatem; & infra sexto. Licet credere vel non credere sit in arbitrio voluntatis humanæ, tamen in electis præparatur voluntas à Domino: Et inferius septimo; Cum multi audiunt verbum veritatis, alij credunt, alij contradicunt, cum in alijs præparatur, in alijs non præparatur voluntas à Domino. Et De gratia & libero arbitrio, vicesimo primo; Formamur & creamur in operibus bonis, quæ non præparauimus nos, sed præparauit Deus omnipotens, vt in illis ambulemus. Nonne & regalis Propheta dicit Deo; Præparans montes in virtute tua, Psalm. sexages. quarto. montes, scilicet in statu vitæ excelsos, sed ipse præparans montes, non montes seipsos, & hoc virtute tua, non sua. Quare & infra; Flumen, inquit, Dei repletum est aquis; hoc est secundum Augustinum, populus Dei repletus est Spiritu Sancto, id est, spiritualibus donis eius. Parasti cibum illorum, scilicet spiritalem, quoniam ita est præparatio eius. Vbi Psalterium Romanum, quod Augustinus exponit, sic habet; Quoniam ita est præ-
B paratio tua: super quod Augustinus; Non quia te promeruerunt, quibus peccata donasti, (merita enim illorum mala erant) sed tu propter misericordiam tuam, quia ita est præparatio tua; ita parasti cibum illorum. Quomodo etiam præparauit se Paulus crudelissimè sæuiens contra Christum ad Christi gratiam promerendam? quomodo Matthæus? & quomodo alij similes? Nonne quosdam infirmos legimus Dominum curauisse, à quibus, aut pro quibus non fuerat deprecatus, neque qui se in aliquo præparabant, ex misericordia sua sola? Nonne & homo misericors, pius, & bonus, sciens & potens sic faceret? Cur ergo non Deus in omnibus melior infinitè? & si infirmitates corporales sic sanet, cur non similiter, imò potius spiritales? Nonne anima plus est quàm corpus? similior Creatori & charior Redemptori? Sed obijcient forsan isti, quòd illud Psalmi 9. Præparationem cordis audiuit auris tua: & Parabol. *Psal.9.*
16. Hominis animum est præparare, & Domini gubernare linguam; & 1. Reg. 2. Ipsi præparantur cogitationes. Item orationes & eleemosynæ Cornelij non dum baptizati, nec fidelis, *Parab.16.* *1.Reg.2.*
C ascenderunt in memoriam in conspectu Dei; quare præcepit sibi per Angelum, vt Simonem accerseret, qui accersitus & veniens ipsum Cornelium baptizau t, vt patet Act. 10. Ergo propter illam præparationem per orationes & eleemosynas meruit baptizari. Item in tali adulto baptizando ante baptismum sunt multæ cogitationes, & deliberationes de baptizari, & tandem consensus, & hac tota præparatione completa, datur gratia baptismalis. Primum autem istorum nihil concludit, quoniam ita Deus exaudit orationes nostras, quæ tamen non sunt tantùm nec primo à nobis, sed à Deo in nobis. Accepimus enim spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater, ad Rom. 8. quod exponens Apostolus ad Gal. 4. dicit; *Apostolus.* Misit Deus spiritum Filij in corda nostra clamantem Abba pater, id est, clamare nos facientem, sicut patet per expositiones Sanctorum, & per Augustinum de bono perseuerantiæ, 66. per quem cum beato Ambrosio, cap. 67. responsio tota patet, sicut erat superius allegatum.
D Ad aliud cùm allegant, quòd Hominis est animum præparare, & Domini gubernare linguam: verum est certè, sed non solius hominis est animum præparare, sed etiam Domini, sicut superius est ostensum: Ideo vtrumque istorum est Domini. Quis enim ignorat maius esse, & melius animum præparare ad sapienter loquendum, quàm eloqui præparata? Quoniam secundum Catonem; Sermo datur cunctis, animi sapientia paucis. Et quis non dico Christianus, sed vel Pelagianus audeat sibi ipsi tribuere quod melius est & maius, Domino vero Deo quod deterius est & minus? Vnde Iacob. 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum. Et Augustinus de verbis Apostoli serm. 15. *Augustinus.* Eris opus Dei, non solum quia homo es, sed etiam quia iustus es: melius est enim hominem iustum esse, quàm hominem esse. Si hominem te fecit Deus, & iustum tu te facis, melius aliquid facis, quàm Deus fecit. Idem super illud Psalmi, 144. In iustitia tua exultabunt. Nemo Deo tribuat quòd est, & sibi quòd iustus est; Melius enim tribuis tibi quàm Deo; melius enim est iustum esse, quàm hominem esse. Et Bernardus de gratia, & libero arbitrio, 10. Absit vt
E naturæ voluntatis ipsi perfectionem, Deo autem tantùm creationem tribuamus, cùm longè nimirum melius sit esse perfectam, quàm factam; & cum dictum ipsum nefas videatur Deo quod minus, nobis quod excelsius sit attribuere. Augustinus quoque 12. de Ciuit. Dei 9. arguit isto modo; Si boni Angeli fuerint prius sine bona voluntate, eamq; in se ipsi Deo non cooperante fecerunt, ergo meliores à seipsis quàm ab || *ipso* facti sunt. Absit autem, si non poterunt seipsos facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo melius quicquam facit, profecto & bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adiutorio creatoris habere non possent. Qui & 1. contra Pelagium & Cœlestium de gratia Christi, & de peccato originali 22. redarguens Pelagium æstimantem cogitationem immitti à Deo, sed dilectionem esse || illo

 à nobis

à nobis, sic ait, Cogitationem & dilectionem, sicut sunt discernenda discernat, & cùm sit vtrumq; donum Dei, sed vnum minus, alterum maius, non hic iustitiam nostram per laudem iustificatoris nostri extollat, vt horum duorum quod minus est diuino tribuat adiutorio, quod autem maius est humano vsurpet arbitrio; & si consenserit, nos gratia Dei accipere charitatē, non sic sentiat, tanquam vlla meritoria bona nostra præcesserint. Nam vnde merita bona tunc habere poteramus, quando Deum non diligebamus? Vt enim acciperemus dilectionem, qua diligeremus, dilecti sumus, cùm eam nondum haberemus. Hoc Ioan. Apost. apertissimè dicit, non quod dilexerimus Deum, sed quia ipse dilexit nos; optimè omnino atq; verissimè. Non enim haberemus, vnde eum diligeremus, nisi hoc ab illo, cum prior nos diligeret, sumeremus. Quid autem boni faceremus, nisi diligeremus? aut quomodo bonum non facimus, si diligam⁹? Etsi enim Dei mandatum videtur aliquando à non diligentibus, sed à timentibus fieri, tamen vbi non est dilectio, nullum opus bonum imputatur, non rectè bonum opus vocatur, quia omne quod non est ex fide, peccatum est, & Fides per dilectionem operatur. Quia tamē Salomon videtur ponere differentiam aliquam inter animum præparare, & linguam gubernare; sciendum quod gubernare est alicuius rectoris superioris, respectu alicuius inferioris per illum directi; Agere autem est cuiuscunq; causæ actiuæ siue superioris siue inferioris, & ideo potest dici, quod ignis calefacit ferrum; sed fabri est gubernare, & moderari calorem & calefactionem: sic & hominis est animum præparare, non tamē solius, sed sicut causæ inferioris actiuæ cum causa superiori actiua, & in virtute illius qui est Dominus; sed Domini solius tanquam supremi rectoris est gubernare linguam, tamen homine subagente, sicut fabri est gubernare malleum sonos varios concitantem. In manu enim Dei & nos & sermones nostri. Multum etiam congruè diceretur, Domini ‖ *est* animum ‖ *gubernare*, & hominis ‖ *præparare* linguam. Illud autem 1. Reg. 2. Ipsi præparantur cogitationes, intelligit Glossa sic, id est, cogitationi eius, quasi diceret, Nullæ cogitationes latent eum, & hoc videtur prætendere totus versus: Recedant, inquit, vetera de ore vestro. quia Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes. De Cornelio verò dico, quod quantamcunque bonam præparationem habuit, accepit iam gratis à Deo, sicut præcedentia docuerunt. Nec etiam erat penitus infidelis. Quomodo enim Deum orasset, & pro eius amore eleemosinas erogasset, nisi aliquo modo credidisset in eum? non tamen habuit plenam fidem, vel non reuelatam in omnibus, sed velatam, & his modis respondit Aug. obijcientibus eandem instātiam, de prædestinatione Sanctorum 8. Solet, inquit, dici, Ideo credere meruit, quia vir bonus erat, & antequam crederet, quod de Cornelio dici potest, cuius acceptæ sunt eleemosynæ, & exauditæ orationes antequam credidisset in Christum, nec tamen sine aliqua fide donabat & orabat. Nam quomodo inuocabat, in quem non crediderat? sed si posset sine fide Christi esse saluus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apost. Petrus, quamuis nisi Dominus ædificet domum, in vanum ‖ *laborauerunt* ædificantes eam. Quicquid igitur & antequam in Christū crederet, & cum credidisset, bene operatus est Cornelius, totum dandū est Deo, ne forte quis extollatur. Ad vltimum patet per idem; omnes enim tales cogitationes fiunt gratis à Deo, sine quo nihil possumus facere, cùm non sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis. Pro quo dicit Aug. de prædestinatione Sanctorum 2. Quis non videat prius esse cogitare, quàm credere? Nullus quippe credit nisi prius cogitauerit esse credendum. Quamuis enim raptim, quamuis celerrimè credendi voluntatem, quædam sanctæ cogitationes ante volent, moxq; illa ita sequatur, vt quasi coniūctissima comitetur, necesse est tamen, vt omnia quæ creduntur, præueniente ‖ *cogitatione* credantur. Quod ergo ad religionem pertinet atq; pietatem, nō sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobisinetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Verum licet ista ita se habeant, non est tamen intentionis meæ negare omnem præparationem & dispositionem præuiam charitati, & gratiæ in adultis: Scio enim quod timor seruilis, timor pœnæ, timor incommodi, amor commodi, & virtutes morales, multum retrahunt à peccato, inclinant ad opera bona, & sic ad charitatem & gratiam, & ad opera verè grata præparant & disponunt, sicut satis ostendunt autoritates quamplurimæ 3. sentent. Petri dist. 34. scriptæ. Nullus tamen aliquid horum potest, nec se quouismodo disponere sine Deo specialiter id agente, sicut præcedentia manifestant. Veruntamen collatio gratiæ non semper sequitur præparationem huiusmodi, sicut nec ipsam gratiam collatam perseuerantia, prædestinatiuè ad vitam, sicut præhabita clare docent.

Margin letters: A, B, C, D, E.

Margin notes: ‖ esse ‖ præparare. ‖ gubernare, ‖ laborant ‖ cognitione

CAP.

A

CAP. XXXVIII.

Contra quosdam Pelagianos dicentes quòd Deus præuenit hominem in gratiæ collatione pulsando, & homo ipsam acceptionem gratiæ aperiendo & consentiendo, ex se tamen pulsanti, & sic ipsam quodammodo promerendo.

ADhuc autem sunt alij tam validis testimonijs non audentes resistere;
ideoque dant Deo primitias extrinsecas gratiæ & fidei, ac bonorum si-
B milium, sed hominibus gratiam ipsam & fidem cum cæteris bonis hu-
iusmodi: Dicunt enim Deum semper præuenire pulsando & excitando
ad gratiam, fidem, & ad bona similia, & hominem subsequi aperiendo,
& consentiendo, & hoc ex proprijs viribus per seipsum, iuxta illud A-
poc. 3. Ecce sto ad ostium, & pulso: Si quis audierit vocem meam, &
aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse
mecum. Hi autem faciunt Deum suæ gratiæ publicum venditorem, hominesque emptores.
Dicunt enim eum sicut mercatorem pauperculum clamare, & pulsare ad ianuas, & ad ostia
singulorum; aperienti verò pro sua apertione gratiam suam dare, quod tamen veriùs com-
mutare, seu vendere diceretur. Faciunt quoque Deum scriptorem pauperculum & conducti-
tium suam operam publicantem, & pro precio paruulo, pro apertione & cœna, aperientium
nomina in libro vitæ scribentem, sicque gratia ex præcedentibus operibus nostris erit, contra
C 35um huius, cuius & omnia redeunt argumenta. Pro quo & dicit Augustinus de verbis Apo- *Augustinus.*
stoli, vt allegat Lumbardus in Glossa super illud ad Eph. 2. Gratia saluati estis, &c. non ex ope-
ribus, Ne putes te promerendo accepisse, qui nihil promereris nisi accepisses; gratia præces-
sit meritum tuum; non gratia ex merito, sed meritum ex gratia: Nam si gratia ex merito,
emisti eam, non gratis accepisti. Item homo non potest aperire, nec consentire in talibus ex
seipso, sed ex voluntate diuina, vt capitulum nonum docet, quod & probant Autoritates su-
periùs allegatæ, Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum. Secundum istos
tamen, homo licet pulsatus à Deo, non habens adhuc Patrem, aperiendo pulsanti, veriùs tra-
heret ad se Patrem; &, Sine me nihil potestis facere, ergo nec aperire, nec sufficientes sumus
cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, ergo nec aperire credendo: Minus est enim cogitare
quàm credere. Quod licet satis appareat, ecce testis idoneus Augustinus de prædestinatione *Augustinus.*
Sanctorum 2. sic dicens, Credere nihil est aliud, quàm cum assensione cogitare; Non enim
D qui cogitat, credit; cùm ideo cogitant plerique ne credant; sed cogitat omnis qui credit.
Quod ergo ad religionem pertinet atque pietatem, si non sumus idonei cogitare aliquid quasi
ex nobismet ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est; profecto non sumus idonei credere ali-
quid quasi ex nobismet ipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra qua
credere incipiamus ex Deo est. Quocirca, sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perfi-
ciendum ‖ *quodcunque* opus bonum, vnde & in omni opere bono & incipiendo & perficien- ‖ aliquod
do sufficientia nostra ex Deo est: Ita nemo sufficit ad incipiendam & perficiendam fidem,
quoniam fides, si nec cogitatur, nulla est; & non sumus idonei cogitare aliquid, quasi ex
nobismet ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Quomodo etiam verum est, Non volen-
tis, neque currentis, sed miserentis est Dei; &, Gratia saluati estis per fidem; & hoc non ex
vobis, donum enim Dei est, non ex operibus? Et, Quid habes quod non accepisti, si autem
accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? quod humiliter sapiens, & veraciter profitens ille
E Doctor egregius, & Martyr gloriosissimus Cyprianus Epistola sua vndecima, quæ intitu- *Cyprianus.*
latur De disciplina Christianæ religionis ad Quirinum capite quarto dicit; In nullo nobis
gloriandum, quia nostrum nihil est; quod probat quia in Euangelio secundum Iohan-
nem scribitur, Nemo potest quicquam accipere nisi datum illi fuerit de Cœlo: Item in E-
pistola Pauli ad Corinth. Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloria-
ris, quasi non acceperis? Quod & Beatus Augustinus frequenter allegat ab eo, De correp-
tione & gratia, decimo nono; De bono perseuerantiæ 43. De prædestinatione Sancto- *Augustinus.*
rum 3. Item licet Deus sic pulset, non per hoc nos eligit, quoniam pulsat similiter non
electos, sed nos aperientes eligimus eum, contra ipsummet dicentem, Non vos me elegistis,
sed ego elegi vos. Vnde Augustinus de prædestinatione Sanctorum 23. Si propterea electi
erant,

erant, quia crediderant, ipsi enim prius vtique elegerant, credendo in eum vt eligi mererentur: Aufert autem hoc omnino qui dicit, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos; electi & ipsi proculdubio elegerunt eum, quandò crediderunt in eum; vndè non ob aliud dicit, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, nisi quia non eligerunt eum vt eligeret eos; sed vt eligerent eum, elegit eos, quia misericordia eius præuenit eos secundum gratiam, non secundum debitum. Et licet sic pulset, nihil dat nobis, sed nos aperientes damus sibi consensum, contra illud Apostoli, Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Item secundum quod superius est argutum, hæc positio tribuit nobis quod melius est & maius, Deo verò quod deterius est & minus: Quis enim dubitauerit aperire melius & vtilius nobis esse quam pulsare, cum pulsare sine apertione non prosit, sed obsit. Item si homo potest ex proprijs viribus aperire pulsanti, & consentire excitanti, cum infidelis adultus, qui satis audiuit loqui de fide Christi, & retinuit in habitu seu memoria quæ audiuit, potest eadem ratione secundum sententiam Philosophi 2. de Anima exire de actu primo ad actum secundum, & intelligere, & cogitare actualiter talia quandò voluerit, & potest ex se consentire; Ergo ex se sine Deo potest acquirere sibi gratiam & fidem, & omnia requisita contra iam præmissa. Item quandò Deus sic pulsat, quid intendit? Vel intendit, quòd pulsatus aperiat, vel quòd non aperiat, vel medio modo; Neutrum intendit: Si intendat quòd aperiat, per capitulum decimum omnis pulsatus aperit, quod non est verum; multi enim frequenter resistunt Spiritui Sancto Dei: Si intendat quòd non aperiat, per idem decimum aperire non potest: Si neutrum intendit, per Capitulum nonum non poterit aperire; Et etiam si aperiret, illa apertio esset casualis respectu Dei, quia præter eius intentum, nec sub prouidentia diuina contenta, sed fieret à Deo tantummodò permissiuè, contra Capitulum 27. 28. 29. 30. 31. 32. & 33. manifestè: Hoc etiam est contra 22. istius. Item sic aperire pulsanti est meritorium, ergo per prius naturaliter procedit à gratia, quàm à voluntate humana, sicut allegatum est prius; Non ergo prima gratia sequitur illam apertionem vt præmium meritum cui debetur. Item iste fuit error Pelagij, vt patet per Augustinum de Prædestinatione sanctorum 25. dicentem; Ipsi Pelagiani putant acceptis præceptis iam per nos ipsos fieri liberæ voluntatis arbitrio sanctos & immaculatos; sed rectè hoc testimonio Pelagianus error arguitur, vbi dicit Apostolus, Ideo nos electos in Christo, & prædestinatos ante constitutionem mundi, vt essemus sancti & immaculati. Cum ergo nos prædestinauit, opus suum prædestinauit, quo nos sanctos & immaculatos facit. Hoc quoque errore ipse etiam Augustinus aliquandò errauit, ipsomet testante supra, eodem 4. Cum, inquit, similiter errarem vt Pelagius, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, illo præcipuè testimonio Apostoli, Quid habes, quod non accepisti, &c. ictus ipse conuictus sum. Neq; enim fidem putabam gratia præueniri, nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis; vt autem prædicato nobis Euangelio consentiremus, nostrum esse propositum & nobis ex nobis esse arbitrabar, quem errorem non nulla opuscula mea satis indicant. Hunc autem errorem indicare videtur liber suus de Spiritu & litera; In cuius Capitulo 26. quærit, An fides sit in potestate nostra? Et magna disputatione præmissa, capitulo 31. per quandam distinctionem respondet, scilicet quòd partim enim est diuino muneri tribuenda, partimque nobis; Est diuino muneri tribuenda propter duo; Primò quia fides de libero existit arbitrio, quod à Deo cum creamur accepimus; Secundò, quia visorum suasionibus agit Deus vt velimus, & vt credamus, siuè extrinsecus per Angelicas exhortationes, siue per mandata legis, siuè intrinsecus, vbi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem; & addit, Sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est. His ergo modis quandò Deus agit cum anima rationali vt ei credat, (neque enim credere potest quodlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio cui credat) profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos; Consentire autem vocationi Dei vel dissentire ab ea, sicut dixi, propriæ voluntatis est, quæ res non solum non infirmat quod dictum est, Quid habes quod non accepisti, verum etiam confirmat. Accipere quippè & habere anima non potest dona de quibus hoc audit, nisi consentiendo, ac per hoc quid habeat, & quid accipiat, Dei est; accipere autem & habere vtique accipientis & habentis est. Cuius erroris retractationem ex primo Retract. suarum 23. recitat Augustinus de Prædestinatione Sanctorum 4. Dixit enim exponendo quasdam propositiones Epistolæ ad Romanos, Quod credimus, nostrum est, quod bonum operamur, illius est, qui credentibus dat Spiritum Sanctum; Et retractando, dicit; Quòd profectò non dicerem, si iam scirem ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem Spiritu. Vtrumque ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis, & vtrumque tamen datum est

propter

A propter spiritum fidei & charitatis. Et quod paulò prius dixi, nostrum est credere & velle, illius autem dare credentibus facultatem benè operandi; verum est quidem, sed eâdem regulâ, & vtrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem, & vtrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis. Ad hoc etiam facit quod ex decimo tertio capitulo de prædestinatione Sanctorum, tricesimum quintum huius allegat. Videtur tamen quòd Augustinus de spiritu & litera, responsionem prædictam non dixerit determinando finaliter, sed potius dubitando, & disputatoriè inquirendo. Illo namque capitulo tricesimo primo dicit; Hæc disputatio si quæstioni illi soluendæ sufficit, sufficiat: Et infra; Cui responsio ista displicet, quærat doctiores. Item tunc secundum istos, non esset nisi vna vocatio, scilicet pulsans & excitans, non aperiens, & inducens, & faciens consentire, quod est planè contra Augustinum de prædestinatione Sanctorum, vicesimo secundo distinguentem duplicem vocationem, Vnam, quâ dictum est; Multi sunt vocati; Et aliam vnde agit, qua vocantur electi & fiunt, de qua dicit A-

B postolus; Sine pœnitentia sunt dona Dei & vocatio, id est, sine mutatione stabiliter fixa. Ad hanc vocationem qui pertinent, omnes sunt docibiles Dei: Nec potest eorum quisquam dicere; Credidi vt sic vocarer; præuenit eum quippe misericordia Dei, qua sic vocatus est vt crederet. Hanc etiam vocationem capitulo vicesimo tertio dicit; Vocationem secundum propositum Dei, secundum illud Apostoli ad Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti, secundum propositum scilicet voluntatis diuinæ non suæ. Vnde & capitulo vicesimo sexto, magna disputatione contra Pelagianos præhabita, sic concludit; Ergo Deus operatur in cordibus hominum vocatione illa secundum propositum suum, de qua multum loquuti sumus, non vt inaniter audiant Euangelium, sed eo audito, conuertantur, & credant. Item hoc est contra Apostolum, primo ad Corinthios, tertio, sic scribentem; Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, quia secundum Glossam, isti non dant aliquid ex se, sed solus Deus

Apostolus.

Apostolus. Rom.8.

1.Cor.3.

C qui dat intrinsecus incrementum. Item Augustinus de Fide ad Petrum, 64. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, posse quidem hominem, quem nulla aduersitas prohibet, verba sanctæ Legis & Euangelij legere & audire, sed diuinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratia sua præuenerit, vt quod audit corpore, corde etiam percipiat, & accepta diuinitùs bona voluntate mandata Dei facere velit & possit. Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, qui etiam operatur in nobis, & velle & perficere pro bona voluntate, scilicet sua, non nostra, secundum glossam ad Philippenses, secundo: Item primo ad Thessalonicenses secundo; Gratias agimus Deo sine intermissione quia cum accepistis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed sicut est, verbum Dei, qui operatur in nobis qui creditis in id ipsum. Si tamen Deus non aliter operaretur in pulsando & vocando aperientes & credentes, quàm alios, non diceret Apostolus; Qui operatur in vobis qui creditis: Imo satis videtur exprimere, quid Deus in

Augustinus.

D eis specialiter operatur, cùm dicit in id ipsum, scilicet idipsum quod creditis. Vnde Augustinus tractans hoc verbum de prædestinatione Sanctorum, vicesimo sexto, dicit; Quid est quòd hinc gratias Deo agit? nempe vanum est atque inane, si cui gratias agit, hoc ipse non fecit; sed quia hoc vanum & inane non est, profectò Deus, cui de hoc opere gratias agit, ipse fecit, cùm percipissent ab Apostolo verbum auditus Dei, cùm exciperent illud non vt verbum hominum, sed sicut est, verbum Dei. Igitur Deus operatur in cordibus hominum non vt inaniter audiant Euangelium, sed eo audito conuertantur & credant. Nonne & hoc est quod veritas ipsa dicit; Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit illum? Scriptum est in Prophetis; Et erunt omnes docibiles Dei: Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me, Ioh. sexto. Super quod Augustinus, prima parte super Iohannem homilia vicesima sexta, dicit; Omnes regni illius homines docibiles Dei erunt, non ab hominibus audient, & si ab hominibus audiunt, tamen quòd intelligunt, intus datur, intus coruscat, in-

Augustinus.

E tus reuelatur; quid faciunt homines forinsecus annuntiantes? Quid facio ego modò cùm loquor? strepitum verborum ingero auribus vestris. Nisi ergo reuelet ille qui intus est, quid dico? aut quid loquor? exterior cultor arboris, interior est creator; qui plantat & qui rigat extrinsecus operatur, hoc facimus nos, sed neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, hoc est, Erunt omnes docibiles Dei. Qui omnes? omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me. Videte quomodo trahit Pater. Idem decimo quinto de Ciuitate Dei, sexto loquens de multiplici correctione hominum facta per homines, Hoc, inquit, modo curantur ciues ciuitatis Dei, in hac terra peregrinantes, & pacem supernæ patriæ suspirantes; Spiritus autem sanctus operatur intrinsecus, vt valeat aliquid medicina quę adhibetur extrinsecus; alioquin etiã si Deus ipse vtens creatura sibi subdita in aliqua specie humana

mana

mana sensus alloquatur humanos, siue istos corporis, siue illos quos istis simillimos habemus in somnis, nec interiore gratia mentem regat atque agat, nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis. Facit autem hoc Deus, à vasis misericordiæ iræ vasa discernens, dispensatione qua ipse nouit multum occulta, sed tamen iusta. Venerabilis quoque Beda 2. super Luc. 4. tractans illud Luc. 5. Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cœpimus, in verbo autem tuo laxabo rete, sic ait: Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam; nisi Dominus cor illustrauerit auditorum, Doctor in nocte laborat; nisi in verbo gratiæ supernæ relaxata fuerint instrumenta disputationum, frustra vocis suæ prædicator iaculum mittit, quia fides populorum non in sapientia verbi compositi, sed diuinæ vocationis munere prouenit. Gregorius etiam 11. Moral. 5. super illud Iob 12. Si destruxerit, nemo est qui ædificet, ita scribit, Omnipotens Deus humanum cor destruit cùm relinquit, ædificat cùm replet. Vnde plerumque fit vt cùm audientis cor, exigentibus culpis, omnipotentis Dei gratia non repletur, incassum exterius à prædicatore moueatur, quia mutum est os omne quod loquitur, si ille interius in corde non clamet, qui aspirat verba quæ audiuntur. Hinc Propheta ait, Nisi Dominus ædificauerit, &c. Hinc Salomon dicit, Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit. Nec mirum si à corde reprobo prædicator minime audiatur, dum nonnunquam ipse quoque Dominus, in his quæ loquitur, resistentium moribus impugnatur. Hinc est enim quod Cain, etiam diuina voce admoneri potuit, & mutari non potuit, quia exigente culpa malitiæ, iam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat. Qui & homilia 30. super Euangelium exponens illud Ioan. 14. Ille vos docebit omnia, ita scribit; Quia nisi isdem spiritus cordi assit audientis, otiosus est sermo Doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat quod ex ore docentis intelligat, quia nisi virtus intus sit, quâ doceat, Doctoris lingua exterius in vanum laborat. Ecce vnam loquentis vocem omnes pariter auditis, nec tamen pariter sensum auditæ vocis percipitis. Cum ergo vox dispar non sit, cur in cordibus vestris dispar est vocis intelligentia, nisi quia per hoc quod vox loquentis communiter admonet, est magister interior, qui de vocis intelligentia quosdam specialiter docet? De hac vnctione spiritus rursus per Ioannem dicitur, Sicut vnctio eius nos docet de omnibus. Per vocem ergo non instruitur, quando mens per spiritum non vngitur. Sed cur ista de doctrina hominũ loquimur, quando & ipse conditor non ad eruditionem hominis loquitur, si eidem homini per vnctionem spiritus non loquatur. Certè Cain priusquam fratricidium opere perpetraret, audiuit, Peccasti, quiesce; sed quia culpis suis exigentibus, voce est admonitus, non vnctione spiritus, audire verba potuit, sed seruare contempsit. Glossa quoque super illud Ierem. 36. Ex ore suo loquebatur, &c. & ego scribebam, sic ait; Etiam auditoribus necessaria est gratia Spiritus Sancti: Nisi enim assit spiritus, sermo Doctoris est otiosus; vnam loquentis vocem omnes pariter in Ecclesia audimus, sed non omnes pariter intelligimus, sed sicut vnctio Dei docet nos de omnibus. Ipse quoq; conditor non ad eruditionem homini loquitur, si per vnctionem spiritus non loquatur. Dictum est enim ad Cain, Peccasti, quiesce; sed quia culpis prohibentibus non est vnctus, verba Dei audire potuit, sed non seruare. Sic Ioachim & serui eius verba Dei audire poterant aure corporis, sed non cordis. Cui & concordat Aug. de Correptione & gratia 10. ita dicens, Tunc salubris est correptio quando supernus medicus * respicit: Non enim aliquid proficit, nisi cum facit, vt quantumcunq; peccati sui pœniteat; & quis hoc facit, nisi qui respexit Petrum Apost. negantem, & fecit flentem? & istam sententiam per totum librum ostendit. Amplius autem si homo ex se tantũmodo aperiret Deo sic pulsanti, vocanti, & gratiam offerenti, videtur quod quidam obstinati, vel alij, ex causis varijs nullatenus aperirent, quod falsum est, quoniam quicunq; iuxta sententiam Apost. secundũ propositum Dei vocati sunt sancti, necessario veniunt sine mora; Nam alias frustraretur diuinæ propositum voluntatis, quod capitulum 10um. non permittit; ideoq; Marc. 3. dicitur, vocauit ad se quos voluit, & venerunt ad eũ. Nec potest dici, quod Deus vocando electos non proponit, nec vult quod veniant, sed hoc eorum relinquit arbitrio; Nam per cap. 22um. vel vult illud, vel eius oppositum; & non eius oppositum, quia tunc per cap. 10um. non venirent, nec etiam Apost. & Aug. tunc eos specialiter nominarent vocatos secundum propositum, scilicet Dei vocantis, vt patet ad Rom. 8. & per Aug. de prædestinatione Sanctorum superius allegatum: & si cap. illud ‖ 22um. non esset, non deceret, quod Deus pulsaret indeterminatus quid faceret, & determinaretur ab alio, sicut superius est argutum; & quia tunc haberet volutiones nouellas, & aliqualiter mutaretur contra capitulum 23. & 5. nec deceret etiam vllo modo, quod aliqui casualiter aut fortuito respectu Dei, fierent sancti filij Dei & hæredes regni, propter capitulum 27. & alia quæ sequuntur. Non ergo videtur quòd aliquis qualiscunque quantumlibet obstinatus secundum propositum Dei vocatus, resistat. Vnde Augustinus de prædestinatio-

Marginal notes: *Gregorius.* (A) · *Propheta.* *Salomon.* (B) · *Gregorius.* · *Glossa in Ierem. 36.* (C) · *Augustinus.* * cor (D) · *Marc. 3.* · ‖ *23um.* (E)

A destinatione Sanctorum 9. loquens de gratia huius vocationis sic dicit; Hæc itaque gratia quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur: ideò quippe tribuitur, vt cordis duritia primitùs auferatur. Quando ergo Pater intùs auditur & docet, aufert cor lapideum, & creat cor carneum, sicut Propheta prædicente promisit. Item Iohan. 6. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet; id est, omnis prædestinatus & electus: si tamen hoc dependeret originaliter ab illorum libera voluntate, non Dei, aliqui ipsorum forsitan non venirent. Ideo dicit ibi Beda, Hi autem sunt quos Pater dat filio, quos per occultam inspirationem facit credere in filium. Cui consentit Augustinus de prædestinatione Sanctorum 9. sic dicens; Omne quod dat mihi Pater, &c. Quid est, ad me veniet, nisi credet in me? sed vt fiat, Pater dat. Videtur etiam quòd si ipsi crederent per seipsos, magis ipsimet darent se filio, quàm Pater tantùm pulsans: Per solum namque pulsare, nequaquam de sorte filij sunt effecti, sed per credere fidem eius. Ad idem facit, quod infra dicitur, eo- *Beda.* *Augustinus.*

B dem, Omnis qui audit à Patre & didicit, venit ad me; ergo Pater docet eos & facit eos credere in filium. Vnde cùm immediatè præmisit, Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit illum, quasi exponendo illum modum trahendi, subiungit, Scriptum est in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei; Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me, quasi diceret, Pater trahit ad me sic docendo. Hoc etiam satis exprimit Augustinus de prædestinatione Sanctorum; vbi priùs, Quid est, inquiens, Omnis qui audiuit à Patre, &c. nisi nullus est qui audiat à Patre, & discat, & non veniat ad me? Si enim omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit; profectò omnis qui non venit, non audiuit à Patre nec didicit. Valdè remota est à carnis sensibus schola hæc, in qua Pater auditur, & docet vt veniat ad filium; ibi est & ipse filiùs, quia ipse est verbum eius per quod sic docet, nec agit hoc cum carnis aure sed cordis. Simul est & spiritus Patris & Filij; neque enim ipse non docet aut separatim docet; Inseparabilia enim sunt opera Trinitatis. Item si peccator posset per se credere prædicanti, *Augustinus.*

C & peccata dimittere, posset se per se discernere & separare ab alijs peccatoribus, audientibus, nec facientibus modo dicto, contra Apostolum 1. ad Corinth. 4. Quis enim te discernit? scilicet à perditis, vel perdendis, quasi dicat, solus Deus; quod textus sequens ostendit, cùm dicit, Quid enim habes, quod non accepisti? &c. quem intellectum testatur Augustinus de correptione & gratia, & allegatur ibi in Glossa Lumbardi, sic dicens; Quis enim te discernit à massa perditorum? Nullus, nisi Deus: solus ipse separat te à perditis: Sed quia homo inflatus posset respondere voce vel cogitatione & dicere, discernit me fides mea, iustitia mea, & oratio mea, occurrit Apostolus dicens, Quid enim habes quod non accepisti? Idem de prædestinatione Sanctorum 6. sic dicit, Natura in qua nobis data est possibilitas habendi fidem non discernit ab homine hominem; ipsa verò fides discernit ab infideli fidelem; ac per hoc, vbi dicitur, Quis enim te discernit? quid habes quod non accepisti? *quisquam audet dicere, habeo fidem ex meipso, non ergo accepi; profectò contradicit *Augustinus.* *quisquis

D apertissimè veritati; non quia credere vel non credere non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis præparatur voluntas à Domino; ideo ad ipsam quoque fidem, quæ in voluntate est, pertinet. Quis enim te discernit? quid habes quod non accepisti? & sequitur capitulo septimo; Multi audiunt verbum veritatis,, sed alij credunt, alij contradicunt; volunt ergo isti credere, nolunt illi, quis hoc ignoret? sed cùm in alijs præparatur, in alijs non præparatur voluntas à Domino; discernendum quid eueniat de misericordia eius, quid de iudicio. Idem de gratia & libero arbitrio 16. Dicunt Pelagiani vitam æternam meritis nostris reddi; etsi merita nostra sic intelligerent, vt etiam dona Dei ipsa ||*agnoscerent*, non esset reprobanda ista sententia: quoniam verò merita humana sic prædicant, vt ea ex semetipso habere hominem dicant, rectissimè respondet Apostolus, Quis enim te discernit? quid habes quod non accepisti? si autem acceperis, quid gloriaris, quasi non acceperis? prorsus talia cogitasti. Verissimè dicitur, dona sua coronat Deus, non merita tua, si tibi à teipso, non ab ||cognoscerent.

E illo sunt merita tua; Hæc enim si talia sunt, mala sunt, quæ non coronat Deus; si autem bona sunt, Dei dona sunt, quia sicut dicit Iacobus, Omne datum optimum &c. dicit, & Iohannes præcursor Domini, Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum desuper; vtique de cœlo in terram venit Spiritus Sanctus, quando Iesus ascendit in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus; & sequitur capitulo decimo septimo. Si ergo Dei dona sunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua, tanquam merita tua, sed tanquam dona sua. Istam quoque sententiam diffusè persequitur consequenter; Qui & super illud Psalmi 118. Retribue seruo tuo &c. Nusquam, inquit, se extollat humana superbia: donis suis Deus retribuit bona præmia, sed iste qui iam orat, & dicit, Retribue seruo tuo, viuam, si penitus

penitus iam esset mortuus, non oraret, sed ab illo accepit initium bonæ concupiscentiæ, à quo vitam poscit obedientiæ. Idem ad Sixtum Presbyterum, recitante Petro 3. Sentent. dist. 27. Cum, inquit, Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quàm munera sua; vndè vita æterna quæ à Deo in fine præcedentibus meritis redditur, quia & eadem merita, quibus redditur, non à nobis sunt, sed in nobis facta sunt per gratiam, & ipsa rectè gratia nuncupatur, quia gratis datur, nec ideo gratis quia non meritis datur, sed quia data sunt per gratiam & ipsa merita quibus datur. Amplius autem sicut ex 2. capitulo poterit apparere, in genere aperientium est aliquod primum aperiens principale, in cuius virtute aperiunt aperientia cætera, veluti instrumenta cetera; vt hæc sint quasi claues possibiles, ipsum verò potentia vtens claue: Ipsum enim est ille sanctus & verus, qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, qui claudit, & nemo aperit Apocalipsis tertio sicut prædictum erat Esaiæ 22. Dabo clauem domus Dauidis super humerum eius, & aperiet, & nemo erit qui claudat, & claudet & nemo erit qui aperiat. Ideoque tota deuotè orat Ecclesia cum Psalmista, Domine, Labia mea aperies, & cum Machabæis, Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis. Ipse igitur Dominus aperit corda nostra, & vniuersaliter quaslibet vires nostras, quod in apertione aurium surdi, & solutione vinculi linguæ eiusdem muti, geminato miraculo ostendere dignabatur, dum digitos suæ potentię in auriculas eius misit, & sputo suæ clemētiæ tetigit linguam eius, & suspiciens in cœlum ingemiscendo sic ait, Effata, quod est adaperire, Marc. 7. qui surdus & mutus secundum Bedam, in quadam homilia, significat genus humanum, quod, postquam contempto diuino mandato suasioni serpentis obediuit, & lignum vetitum degustauit, surdum & mutum spiritualiter est effectum. Et secundum eundem recitat ibi Glossa, Suspexit in cœlum, vt indè mutis loquelam, indè auditum surdis, indè cunctis infirmitatibus medelam doceret esse quærendam. Item Act. 14. Aperuit Deus gentibus ostium fidei. Huius etiam apertionis diuinæ testis est illa ‖ *Lydia* purpuraria, cui Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo, Act. 16. Quod & contestatur Apostolus ad Coloss. 4. dicens, Orationi instate, vt Deus aperiat vobis ostium sermonis, & multa similia occurrunt sæpissimè in Scriptura. Super hoc autem verbum Apostoli dicit Augustinus de prædestinatione sanctorum 27. per hunc modum, Quomodò aperitur ostium verbi, nisi cum sensus aperitur audientis vt credat, & initio fidei facto, ea quæ ad ædificandam salubrem doctrinam prædicantur, & disputantur admittat, nè per infidelitatem corde clauso ea quæ dicuntur improbet ac repellat? Vndè & ad Corinth. ait. Ostium mihi apertum est magnum & euidens, & aduersarij multi. Quid hic aliud potest intelligi, nisi prædicato ibi per eum primitus Euangelio credidisse multos, & multos fidei ejusdem aduersarios extitisse, secundum illud Domini, Nemo venit ad me, nisi cui fuerit datum à Patre meo: Et vobis datum est nosse mysterium regni, illis autem non est datum. Ostium ergò apertum est in eis quibus datum est, aduersarij autem multi ex eis quibus non est datum. Dicitq; idem Apostolus; Cum venissem Troadem in Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, &c. valefaciens illis, exij in Macedoniam. Quibus vale fecit nisi eis qui crediderant, in quorum scilicet cordibus Euangelizanti apertum est ostium? & facta parua digressione subjungit; Verùm redeamus ad apertionem ostij, quasi initium fidei audientium significat Apostolus; Quid est, orantes simul, vt Deus aperiat vobis ostium verbi, nisi apertissima demonstratio, etiam ipsum initium fidei esse donum Dei? Non enim orando peteretur ab eo, nisi ab eo fieri crederetur. Hoc donum cœlestis gratiæ in illam purpurariam descenderat, cui sicut Scriptura dicit in actibus Apostolorum; Deus aperuerat sensum, & intendebat in ea quæ à Paulo dicebantur: Sic enim vocabatur vt crederet. Agit quippe Deus quod vult in cordibus hominum, vel adjuuando, vel judicando, vt etiam per eos impleatur, quod manus ejus & consilium prædestinauit fieri. Melius igitur mihi videtur & tutiùs, totum regimen ostiorum nostrorum ostiario tali committere, qui nunquam sopore deprimitur, nulla illusione decipitur, nulla corruptione allicitur, nec vlla vincitur potestate, qui aperiendo vel claudendo nunquam errare potest in minimo: quam totum nobis, vel partem sibi, & partem nobis impotentibus, fatuis, & corruptis, qui vix vnquam aperimus vel claudimus non errantes: Non tamen vt nos somnolentiæ vacemus & otio, sed vt sub ejus fœlici regimine, non supra, nec secus, semper operibus gratia vigilantissimè insistamus. Vndè Augustinus de bono perseuerantiæ, 9. Tutiores viuimus, si totum Deo damus, non nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus. Ipsi ergo me totum tota deuotione committo, ac eius gratissimæ gratiæ totaliter me submitto. Et si objiciant illud Apoc. 3. Si quis aperuerit &c. Et illud dilecti pulsantis, Aperi mihi soror mea Cantic. 5. dicendum, sicut ad similia 35. cap. dicebatur, quòd per huiusmodi liberum arbitrium excitatur, nec ex hoc sequitur; quòd possit solis proprijs viribus aperire, sicut nec implere omnia alia diuina mandata, quæ similiter imperantur.

Margin notes: *Apoc. 3.* — *Marc. 7.* — *Act. 14.* — ‖ Lidda — *Act. 16.* — *Coloss. 4.* — *Augustinus.* — *Augustinus.*

CAP.

A

CAP. XXXIX.

Contra quosdam putantes hominem ex se tantum posse mereri primam gratiam de congruo, non de condigno.

PRæter istos autem sunt alij non contenti gratia gratis data, sed volunt quòd vendatur à Deo, & ematur ab eis aliquo precio licèt vili, congruo tamen vt asserunt, non condigno. Dicunt enim homines ex solis proprijs viribus gratiam Dei mereri de congruo, non autem de condigno.
B Et quia iste error est famosior cæteris his diebus, & nimis multi per ipsum in Pelagianum præcipitium dilabuntur; necessarium videtur ipsum diligentiori examine perscrutari. Porro hic error non multum differt realiter ab alijs superius recitatis, potest cum illis similiter confutari: Nam omnes pœnè rationes, & autoritates contra illos adductæ, contra hunc procedunt similiter recta fronte. Sequitur enim ex ista, quòd gratia sit ex operibus & meritis, cum errore Pelagij radicali; sequitur etiam quòd gratia sit ex meritis saltem, vt ex causa partiali & concausa cum primo errore sequente; & quòd merita illa de congruo sint saltem causa & dispositio præparatoria gratiæ cum secundo, & quod quis possit mereri de congruo per se solum, sicut tertius error ponit, quòd homo potest solis proprijs viribus aperire. Præterea si quis de congruo primam gratiam mereatur, hoc est priusquam habeat gratiam saltem prioritate naturæ; sed priusquam habeat gratiam de qua loquor, scilicet gratificantem ad regnum, non habet etiam charitatem. Ipsa enim sola diuidit inter filios perditionis, & regni, vt dicit Augustinus 15. de Trinit. 18. & patet per Apostolum 1. ad Corinth. 13. quare nec diligit Deum omninò, vel saltem non amore gratuito, sed liberè & principaliter propter illum. Quapropter nec aliquid meretur ab eo, & maximè nullum bonum gratuitum arram certam boni maximi sempiterni: Nam qua fronte vendicat quis remunerationem à Deo, cui nullum munus donauit? aut quo titulo exigit retributionem ab eo, cui nunquam aliquid tribuit? & quomodo meretur quis quicquam à Deo, qui nihil facit pro eo? Vnde Matth. 6. Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est: vbi Chrysostomus; Quid autem à Deo recipies, qui Deo nihil dedisti? Nam quod propter Deum fit, Deo datur, quod autem propter homines fit, in ventos effunditur. Ad hoc & facit efficaciter Augustinus, 1. contra Pelagium & Cælestium de gratia Christi, & de peccato originali, 22. sicut 37^{um} recitauit. Adhuc autem & si quis amet Deum, & faciat pro eo, non propter se, sed vt prospera sibi concedat, vel aduersa prohibeat, redit idem. Quomodo namque talis plus meretur à Deo, quàm venditor ab emptore? & præter hoc, magis diligit concessionem istorum, & prohibitionem illorum, quàm Deum, & cùm ista diligat propter seipsum, magis diligit seipsum quàm Deum. Semper enim propter quod vnumquodq; illud magis est: vt propter quod amamus, illud magis amicum est, 1. Post. 2. Imo sicut 26. capitulo fuerat declaratum; Qui diligit aliquid propter aliquem certum finem, non diligit hoc, sed finem; ergo nedum sic diligens non meretur, sed peccat; facit enim contra rectum & debitum ordinem diligendi, teste parte 30. corollarij, primi, huius; & contra præceptum de diligendo Deum ex toto corde, & tota anima, & tota fortitudine atque mente, Deuteron. 6. & Mat. 22. Talis quoque se fruitur, & vtitur ipso Deo; ergo constat eum peccare, vt patet diffusè per Aug. De doctrina Christ. cap. 1. & post: & recitat Lumb. 1. Sent. dist. 1. Patet etiam quòd talis non meretur. Nullus enim operando meretur, nisi habeat intentionem rectam, scilicet recti finis: Nam sicut in naturalibus motus denominatur à fine, sic & in moralibus, sicut & patet ex 34. huius. Talis autem extra charitatem non habet intentionem rectam: Nulla enim est intentio recta, nisi quæ finaliter immediatè tendit in Deum, vel forsitan mediatè, quę fortè immediatè fertur in creaturam, & per illam finaliter in Deum, & hoc super omnia gratuito propter ipsum, sicut 30. pars corol. 1. docet. Si enim propter aliquid aliud finaliter appetatur, iam illud aliud magis est finis intentus, sicut præhabita manifestant; & cum cætera naturalia in quantum acceperunt à natura, in tantum per inclinationẽ naturalem hoc faciant; homo qui ad hoc accepit potentiam intellectualem, & liberè volutiuam, debet hoc facere scienter & liberè secundũ potentias ad hoc finaliter sibi datas. Homo ergo quicunq; agẽdo non sic dirigit actualiter nec habitualiter intentionẽ suã finaliter in Deum, & hoc gratuitò

Matth. 6.

Chrysostomus.

Augustinus.

C, D, E (margin letters)

propter ipſum, facit contra naturalem ordinem vniuerſi; quare & peccat innaturaliter contra naturam, & contra Deum, principium, & finem, ac ſummum autorem totius naturæ, & ordinis naturalis, vel ſaltem non meretur. Hoc etiam patet per Auguſtinum 1. de doctrina Chriſtiana, vbi prius; Si enim intentio illa ſit recta, intendens fruitur Deo, vel per illam vtitur creatura: & ſi fruitur Deo, patet propoſitum; Si autem vtitur creatura, cùm ſecundum Auguſtinum ibidem, vti ſit id, quod in vſum venerit, referre ad obtinendum illud quo fruendum eſt; alias abuti eſt, non vti; Nam vſus illicitus abuſus, vel abuſio nominari debet. Adhuc patet, Nam vſus creaturæ, ſi non referatur in Deum, eſt vſus illicitus; ergo peccatum, vel ſaltem non eſt recte factum; ergo illa intentio non eſt recta; nec alicuius intentio ſine charitate & gratia gratuito ſuper omnia fertur in Deum; quoniam ſicut nullius intellectus ſine fide fideliter fertur in Deum, ita nullius affectus ſine gratia gratè fertur in Deum, ita quod habeat Deum gratuito ſuper omnia ſibi charum: Eadem enim eſt proportio hic & ibi. Item ſi homo ſine gratia charitatis poſſet Deum amare gratuito ſuper omnia alia, & poſſet ſimiliter cognoſcere omnia alia mandata, & ſeruare ea; quia qui poteſt maius, poteſt & minus; ſed mandatum de dilectione Dei eſt primum & maximum, Matt. 22. Imò quicunque ſic Deum diligeret, nullo modo ſcienter eum offenderet, nec aliquod eius mandatum contemneret. (Hoc enim tantæ dilectioni repugnaret expreſſè) ſed ea omnia pro viribus conſeruaret. Dicit enim Philoſophus 9. Eth. 4. Ponunt amicum volentem & operantem bona vel apparentia illius gratia, puta amati; & 2. Rhetor. ſuæ 5. Sit, inquit, velle, amare alicui quæ putat bona, illius gratia, ſed non ſui, & ſecundum poſſe actiuum eſſe horum: Vnde & Sapientiæ ſexto; Dilector, cuſtodia, ſeu cuſtoditio legum illius eſt: Quare & veritas ipſa dicit, Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, Ioan. 14. Super quod Gregorius hom. 30. Probatio dilectionis exhibitio eſt operis. Hinc in epiſtola ſua, iſdem Ioannes dicit, Qui dicit, quia diligo Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt; verè enim diligimus, ſi mandata eius ſeruamus; verè diligimus, ſi à noſtris voluptatibus nos coarctamus. Nam qui adhuc per illicita deſideria defluit, profecto Deum non amat, quia ei in voluntate ſua contradicit. Apoſtolus ad Rom. 13. ſimiliter arguens, ſic concludit; Plenitudo ergo legis eſt dilectio; quare nec ſine gratia charitatis, poſſet quis eſſe in ſtatu ſalutis. Nam Luc. 10. dicit Saluator, Hæc fac, id eſt, ſerua mandata, & viues. Fruſtra ergo ponuntur hi tres habitus, ſcilicet fides, ſpes, & charitas ſupernaturaliter nobis infuſi, cùm ſine his naturalia noſtra nobis ſufficiant ad faciendum & ſeruandum omnia diuina mandata, ſicut Pelagius aſſerebat, vt recitat Auguſtinus de hæreſibus 88. & Petrus 2. ſentent. diſt. 28. & Iſidorus 8. Eth. 14. & Canon. 24. quæſt. vlt. Quidam autem. Sed Doctores noſtri Catholici dicunt nos iſtis tribus habitibus, vel alijs proportionalibus indigere, quia cùm animæ noſtræ aſpectus & affectus per molem corporis ſeu peccati, vel per naturalem impotentiam deprimantur, in tantum quod non poſſunt Deum videre debitè, nec amare, vel etiam propter improportionem tam excellentis obiecti, neceſſariò indigent fide vel lumine gloriæ, & charitate ſeu gratia, quæ ipſos eleuent ad Deum videndum debitè & amandum. Vnde & Papa Clemens quintus damnat hæreſin Begardorum dicentem, quod anima non indiget lumine gloriæ ipſam eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum, Extra de hæreticis, Ad noſtrum. Et hoc nedum nos in ſtatu præſentis miſeriæ, ſed etiam Angeli & primi parentes in ſtatu primæ innocentiæ ſimiliter indigebant, quando nullum obicem poſuerunt mortalem, nec minimum venialem, vt dicit Lumbardus, & probat per autoritates Auguſtini 2. ſentent diſt. 5ª. 24ª. & 29ª. planè. Et ſi quis dicat, quod virtutes morales ſatis eleuent affectum ad Deum gratè amandum, contradicetur ei faciliter per priora: Incidit enim in errorem Pelagij ſupra dictum, quod videlicet homo ſolius liberi arbitrij viribus ſine gratia poſſit omnia Dei mandata efficaciter adimplere, ſicut præcedentia monſtrauerunt. Adhuc autem quid ſimile, ſic eleuat Angelos ad amandum? Amplius autem virtutes morales ex operibus generantur, vt patet 2. Eth. 1. & 2. nec ſpeciem ſuam aut terminos ſuos excedunt, ſed ad ſimiles operationes tantum inclinant, ex qualibus generabantur. Vnde dicit ibi Philoſophus cap. 2. Operationes & virtutes in eiſdem erunt: Sicut enim ex recedere à voluptatibus efficimur temperati, ſic effecti maximè poſſumus recedere ab ipſis; & ſicut aſſueti contemnere terribilia & ſuſtinere ipſa efficimur fortes, ſic effecti maximè poterimus ſuſtinere terribilia. Cùm ergo nullus ex puris naturalibus diligat Deum gratuito ſuper omnia propter ſeipſum, ſed propter aliquem alium finem, habitus ex talibus multiplicatis dilectionibus generatus tantummodo inclinabit ad Deum ſimiliter, & non aliter diligendum. Quapropter & idem Philoſophus 8. Eth. & 9. oſtendit, quod quilibet etiam virtuoſus, primo & maximè diliget ſemetipſum, & quod ab hac dilectione omnis alia dilectio & amicitia deriuatur. Octaui namque 2. ſic ait, Videtur autem & quod ipſi bonum amare vnuſquiſque; & in-

Philoſophus · *Sapient.* · *Ioan. 14.* · *Gregorius.* · *Apoſtolus*

A · B · C · D · E

A &infra 7. Sibi ipsi maximè vnusquisque vult bona; & noni libri 4. Amicabilia autem quæ ad amicos, & quibus amicitiæ determinantur, videntur ex his quæ ad seipsum venisse: & infra 8. quærit, Vtrum oportet amare seipsum maximè, & arguit pro, & contra, & determinat quòd oportet; vbi & infra 9. Omnis, inquit, intellectus eligit optimum sibi ipsi; epieikes autem obedit intellectui: verum enim quòd de studioso, & amicorum gratia multa agere, & pati, & si oporteat, mori: Proijciet enim & pecunias & honores, & totaliter circumpugnabilia bona, procurans sibi ipsi bonum. Paucum enim tempus valdè delectari magis vtique eliget, quàm multum quiete; & viuere bene annum, quàm multos annos qualitercunque; & vnam actionem bonam, & magnam, quàm multas & paruas. Morientibus autem & hoc fortè accidit, eligunt vtique magnum sibi ipsis, & pecunias proijciunt vtique, in quo plura recipient amici. Fiunt enim quidem amico pecuniæ, ipsi autem bonum, maius autem bonum tribuit sibi ipsi. Ecce secundum doctrinam Philosophi quòd virtuosus in operatione
B sua maximè virtuosa intendit, & amat finaliter, non Deum gratuito propter Deum, sed proprium bonum suum, proprium commodum & seipsum, & Deum fortassis propter se hominem. Vnde & Sixtus Pictagoras in sententiolis suis ait; Sine Deo non poteris viuere Deo; & infra, Sapientem fatum non facit; gratia enim Dei fato non subiacet. Quapropter & Anselmus de Concord. vlt. dicit, quòd voluntas quæ est instrumentum, & naturalis libertas arbitrij sine iustitia otiosa est & ancilla facta est suæ affectionis quæ ad commodum est, quia remota iustitia nihil potest velle, nisi quod illa vult, affectio scilicet commodi; hæc autem iustitia proculdubio est gratia Dei ipsa, ex gratia ue dependet. Iustitia namque tribuit vnicuique quod est suum; quare & Deo amorem gratuitum super omnia propter ipsum, secundum partem 30am Corollarij, primi huius; quod fieri sine gratia nusquam potest, sicut præcedentia suaserunt. Hoc idem Anselmus, & alij Doctores Catholici sæpius contestantur: Dicit enim *Anselmus.*
Apostolus, Iustificati gratis per gratiam ipsius, ad Rom. 3. & iterum, Iustificati gratia ipsius, *Apostolus.*
C hæredes simus, ad Titum 3. & iterum, Gratia regnet per iustitiam, ad Rom. 5. & infra 10. de *Rom.* 3.
quibusdam opinionis contrariæ scribit ita; Ignorantes Dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti; quod tractans Augustinus de verbis Apostoli, serm. 15. *Tit.* 3. *Rom.* 5. & 10.
Iustitia, inquit, sit, sed ex gratia sit; à Deo tibi sit, tua non sit: qui & exponens illud Psalmi 118. Feci iudicium & iustitiam, scribit ita; Iustitiæ nomine hoc loco non ipsa virtus sed opus *Augustinus.*
eius significatum est. Quis enim facit in homine iustitiam, nisi qui iustificat impium? hoc est per gratiam suam ex impio facit iustum. Vnde Apostolus, Iustificati gratis per gratiam ipsius: *Apostolus.*
Facit ergo iustitiam, id est, opus iustitiæ, qui habet in se iustitiam, quibus & multi Autores similia multa dicunt. Quapropter & euidenter apparet nullam virtutem Philosophicam seu moralem esse veram virtutem, simpliciter rectam, aut iustam, sine charitate & gratia ipsam perficiente, erigente in Deum & ad ipsum finaliter propter ipsum gratuitò dirigente. Non enim parum deest virtuti, cui deest vera causa finalis, recta intentio, iustus finis, & præcipuè talis finis, qualis cognoscitur esse Deus. Vnde nec minùs clarè perpenditur, nullum opus virtu-
D tis huiusmodi per charitatem & gratiam non formatæ; & vniuersaliter nullum opus cuiuspiam, veram virtutem charitatis & gratiæ non habentis, esse simpliciter virtuosum, rectum, aut iustum; quinimò & quodlibet tale opus, est aliquo modo peccatum. Nam quomodò posset opus esse virtuosum, rectum, & iustum simpliciter, quod non à tali virtute procedit, quæ rectam causam finalem simpliciter, rectam intentionem, & iustum finem non habet? imò quomodo posset opus non esse quouismodo obliquitas aut peccatum, quod à recto, debito, & iusto fine simpliciter ad alium distorquetur, & ibi requiescit finaliter vltimatè? Quare & Plato atque Platonici Philosophi excellentes veras virtutes non esse dicebant, nisi quæ menti quodammodo imprimuntur à forma illius æternæ immutabilisque substantiæ, qui est Deus: An & hæc est virtus de qua Aristoteles 7. Ethic. 1. dicit, Quandam esse super nos virtutem heroicam & diuinam? Quapropter & Augustinus 4. contra Iulianum 4. recitat opi- *Plato.* *Aristoteles.* *Augustinus.*
E nionem contrariam tanquam errorem Pelagianorum, sic alloquens Iulianum; Soletis, negantes Dei dona esse virtutes, quibus rectè viuitur, & eas naturæ voluntatique humanæ non gratiæ Dei tribuentes, hoc vti argumento, quòd eas nonnunquam habeant infideles. Et infra 5. Acerbissimi, inquit, gratiæ inimici, exempla nobis opponitis impiorum, quos dicitis alienos à fide abundare virtutibus, in quibus sine adiutorio gratiæ solum est naturæ bonum, licet superstitionibus mancipatum, qui solius libertatis ingenitæ viribus, & misericordes crebrò, & modesti, & casti inueniuntur, & sobrij. Sed horum errorem, erroneum argumentum redarguit consequenter, ostendens diffusè quòd nulla est in infidelibus vera virtus, nec aliquod opus rectum; imò & quòd omne opus infidelium est peccatum; quòd etiam virtutes infidelium sunt veraciter dona Dei; quare & sexto sic ait,

 Absit

Absit vt sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit iustus verè, nisi viuat ex fide; Iustus enim ex fide A
viuit. Quis porrò eorum qui se Christianos haberi volunt, nisi soli Pelagiani, aut in ipsis etiam fortè tu solus, iustum dixerit infidelem, iustum dixerit impium, iustum dixerit Diabolo mancipatum? Porrò si veram iustitiam non habent impij; profectò nec alias virtutes comites & socias, si quas habent, veras habent; ac per hoc nec continentia, siuè pudicitia, vera virtus est impiorum, quia cum non ad suum referuntur autorem dona Dei, hoc ipso malo, his vtentes efficiuntur iniusti. Et infra 8. Noueris, inquit, non officijs sed finibus à vitijs discernendas esse virtutes; officium est autem quod faciendum est; cum itaq; facit aliquid homo vbi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare conuincitur; quæ tamen non attēdens fines ab officijs separasti, & virtutes veras officia sine finibus appellāda esse || *dixisti*; ex quo te tanta absurditas sequitur, vt veram appellare cogaris iustitiam, etiam cuius Dominam repereris auaritiam. Siquidem manus abstinere ab alieno, si officium cogites, potest videri esse iustitiæ; si tamen quæritur, quare fiat, & respondetur, nè plus pecuniæ litibus B
pereat, quomodò iam hoc factum verè poterit esse iustitiæ, cum seruiat auaritiæ, quales virtutes Epicurus induxit voluptatis ancillas, quæ omninò quicquid facerent, propter illam vel adipiscendam facerent, vel tenendam? Absit autem, vt virtutes veræ cuiquam seruiant nisi illi, vel propter illum, cui dicimus, Deus virtutum conuerte nos. Proindè virtutes quæ carnalibus delectationibus, vel quibuscunque commodis & emolumentis temporalibus seruiunt, veræ prorsus esse non possunt; quæ autem nulli rei seruire volunt, nec ipsæ veræ sunt. Veræ quippè virtutes Deo seruiunt in hominibus, à quo donantur hominibus; Deo seruiunt in Angelis, à quo donantur etiam Angelis; quicquid autem bonum fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia pręcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est. Et infra 12. recitat replicationem Iuliani hæretici, & respondet sic dicens; Ecce eadem commemoro quæ ipse posuisti. Si gentilis, qui non viuit ex fide, nudum, operuerit, periclitātem liberauerit, ęgri vulnera fouerit, diuitias honestæ amicitiæ C
impenderit, ad testimonium falsum nec tormentis poterit impelli; quæro abs te, vtrum hæc opera bona benè faciat an malè, si enim quamuis bona, malè tamen facit, negare non potes eum peccare, qui malè quodlibet facit; sed quia eum non vis peccare cum ista facit, profectò dicturus es, & bona facit, & benè. Fructus ergo bonos facit arbor mala, quod fieri non posse veritas dicit. An dicis hominem infidelem arborem bonam? placet ergo Deo, & vbi erit quod scriptum est, Sine fide impossibile est placere Deo? Vide itaque vtrum infidelē voluntatem audeas dicere bonam voluntatem: Sed fortè dicturus es, misericors voluntas bona est; rectè istud diceretur, si quemadmodum fides Christi, id est, fides quæ per dilectionem operatur semper est bona, ita misericordia semper est bona: si autē & reperitur mesericordia mala, qua persona pauperis accipitur in iudicio; propter quam postremò rex Saul meruit à Domino & vtique misericordiæ damnari, quia contra eius præceptum captiuo regi per humanum peperit affectum; attente cogita, nè fortè misericordia bona non sit, nisi quæ bonæ huius fidei fuerit; imò re- D
sponde, vt hoc sine dubitatione prospicias, vtrum bonam misericordiam existimes infidelem? Porrò si vitium est malè misereri, proculdubio vitiū est misereri infideliter; quòd si & ipsa per seipsam naturali compassione opus est bonum, etiam isto bono malè vtitur, qui infideliter vtitur; & hoc bonum malè facit, qui infideliter facit; qui autē malè facit aliquid profectò peccat, ex quo colligitur etiam ipsa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius qui benè vtitur malis; ipsorum autem esse peccata, quibus & bona malè faciunt, quia non fideli sed infideli, id est, stulta & noxia hoc faciunt voluntate. Et infra 13. Intellige quod ait Dominus, Si oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit; Si autem oculus tuus est simplex, totum corpus tuum lucidum erit; & hunc oculum agnosce intentionem qua quisq; facit quod facit, & per hoc disce eum qui non facit opera bona, intentione fidei bonæ, hoc est quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis, velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est plenum nigredine peccatorum. Amor enim mundi quo quisque ami- E
cus est huius mundi, non est ex Deo; amor fruendi quibuscunque creaturis sine amore creatoris non est à Deò; Amor autem Dei, quo perueniatur ad Deum, non est nisi à Deo patre per Iesum Christum in Spiritu Sancto. Per hunc amorem Creatoris benè quisq; vtitur creaturis; sine hoc amore Creatoris nullus quisquam benè vtitur creaturis. Quem imitatus & Beda contra Iulianum 13. Quod, inquit, dicit (scilicet Iulianus) multos Philosophorum patientiam, castitatem, modestiam, aliasque de Naturæ bono habuisse virtutes, constat quòd quicunque Philosophorum Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam nescierunt, hi nullam verè virtutem, sicut nec veram sapientiam habere nulla ratione potuerunt. Vndè & in sententijs Prosperi propositione 106. Omnis infidelium vita peccatū est; Bonum enim nihil est sine

summo

|| duxisti

A summo bono. Vbi enim deest agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus. Quapropter & Apostolus, primo ad Corinthios, decimo tertio, Omnes virtutes in charitate radicari demonstrat. Ex his igitur plane constat, quòd nulla virtus Philosophica aut moralis, sine gratia charitatis, est simpliciter vera virtus, recta, aut iusta, nec valet erigere voluntatem creatam ad Deum super omnia propter Deum gratuitò diligendum, quin potius ipsam deflectit, deflexamue detinet, ad cuiuslibet commodum proprium, & seipsum. De necessitate ergo requiritur aliqua virtus superior supernaturalis, heroica, & diuina, puta gratia gratis data à Deo, ad erigendum voluntatem creatam insufficientem ex seipsa, ad diligendum Deum super omnia gratuitò propter Deum, & finaliter propter eum. Hoc autem videtur & congruè figurari Ezechielis primo, vbi Propheta sic ait; Vidi & cecidi in faciem meam, & audiui vocem loquentis, & dixit ad me; Fili hominis, sta super pedes tuos, sicut & omni homini ex peccato, seu conditione naturæ cadenti, seu iacenti longè inferius, imperatur; sed quia per seipsum non sufficit surgere, neque stare, rectè subiungitur, & ingressus est in me spiritus postquam locutus est mihi, & statuit me supra pedes meos, &c. Quis enim est hic spiritus, nisi spiritus gratiæ, spiritus Dei sanctus? Quare & Gregorius primo super Ezechielem, homilia nona, sic ait; Ecce diuina vox iacenti Prophetæ iussit, vt surgeret; sed surgere omninò non posset, nisi in hunc Omnipotentis Dei spiritus intrasset. Huic & concordanter Daniel ita dicit; Iacebam consternatus super faciem meam, vultusque meus hærebat terræ, & ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & super articulos manuum mearum, &c. Danielis decimo: Quæ enim est hæc manus, nisi manus diuinæ gratiæ adiutricis? Quapropter & Augustinus De spiritu & litera, vndecim. dicit ita; Demonstrare nitimur non in eo nos diuinitus adiuuari ad operandam iustitiam, quòd legem Deus dedit plenam bonis sanctisque præceptis; sed quia ipsa voluntas nostra sine qua operari bonum non possumus, adiuuetur, & erigatur, impertito spiritu gratiæ, sine quo adiutorio doctrina illa litera est occidens. Petrus quoque secundo Sent. suarum distinct. 24. Est, inquit, in anima rationali voluntas, vel qua naturaliter vult bonum, licèt tenuiter & exiliter nisi gratia iuuet, quæ adueniens iuuat eam & erigit, vt efficaciter velit bonum. Et infra Distinct. 25. vltim. Voluntas, inquit, hominis quam naturaliter habet, non valet erigi ad bonum efficaciter volendum, vel opere implendum, nisi per gratiam liberetur, & adiuuetur; liberetur quidem vt velit, & adiuuetur vt perficiat, quia vt ait Apostolus; Non est volentis velle, neque currentis currere, id est, operari, sed miserentis Dei, qui operatur in nobis velle & operari bonum, cuius gratiam non aduocat hominis voluntas vel operatio; sed ipsa gratia voluntatem præuenit præparando, vt velit bonum, & præparatam adiuuat, ne frustra velit, id est, vt perficiat. Amplius autem secundum omnes Philosophos, naturales & morales, omnis forma, & omnis habitus moralis vel intellectualis per operationem suam cognoscitur, & per operationes distinctas & varias, formæ distinctæ & variæ demonstrantur. Cur ergo per operationem charitatis & gratiæ, quæ est Deum super omnia charè & gratis diligere, forma seu habitus charitatis & gratiæ non probatur? Item omnes Doctores de baptismo, & eius effectu scribentes tenent concorditer, quòd cuilibet ritè baptizato in suo baptismo, tres virtutes Theologicæ, scilicet fides, spes, & charitas infunduntur, vnà cum gratia informante. Et vt de cætero, nullus super hoc audeat dubitare, sancta Ecclesia istud certissimè definiuit. Nam Iohannes Papa Extra, In constitutionibus Clementis, de summa Trinitate, & fide Catholica, recitata vna opinione dicente per virtutem Baptismi paruulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri; & alia asserente, quòd culpa ipsis in baptismo remittitur, ac virtutes, & informans gratia infunduntur quoad habitum; etsi non pro illo tempore quoad vsum, subiungit; Nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quæ dicit tam paruulis quàm adultis conferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem, sacro approbante consilio duximus eligendam. Item nullus potest exercere operationem propriam alicuius formæ nisi præhabita illa forma, sicut nullus potest percutere fortiter, nisi præhabita fortitudine, nec videre acutè nisi præhabito visu acuto; & in intellectualibus, & moralibus similiter; Nullus enim potest facere sapienter aut prudenter nisi præhabita sapientia vel prudentia; nec in moralibus potest quis generaliter benefacere, nisi præhabita aliquali virtute in genere, à qua tanquam à forma bona seu bonitate actio bona procedat. Vnde secundo Ethicorum sexto ostendit Philosophus quòd virtus habentem perficit, & eius opus bonum reddit; cui & simile ex sexto Ethicorum, 10. recitat tricesimum quartum huius, & idem videtur de qualibet virtute in particulari, & operatione illius.

Ezechiel. *Daniel.* *Augustinus.* *Lumbardus.* *Philosophus.*

B C D E

Nullus ergo potest iustè velle, nisi præhabita iustitia, nec diligere Deum charè nisi præhabita charitate. Quicunque ergo caret iustitia, charitate, & gratia, non potest ex se iustè vel charè aut gratè velle nec facere, nec hanc potest ex se habere sicut præcedentia docuerunt; & potest probari; quia si posset, hoc esset gratè merendo, seu volendo, vel non sic faciendo; sed non gratè merendo, seu volendo, quia hoc non potest nisi præhabita gratia per proximam rationem; nec non gratè aliquid faciendo; Non enim congruit rationi, quod gratia detur in præmium & mercedem ei, qui nihil gratum fuerit operatus. (Nam secundum Apostolum 1. ad Cor. 3. Vnusquisque propriam mercedem accipit secundum suum laborem) nec carens ea potest eam recipere à sola alia creatura. Nullus enim potest gignere aut facere filios Dei, & constituere hæredes regni cœlestis, nisi Deus Pater, & Dominus huius regni. Restat igitur vt gratia secundum nomen suum, sine vllis meritis præuijs gratis detur ingratis, à Deo datore liberalissimo gratiarum. Et propter hanc rationem Anselmus de Concordia, eandem sententiam profitetur; vbi postquam ostendit capitulo octauo; quod rectè velle est finis rationalis creaturæ, & quod iustitia est rectitudo voluntatis propter se seruata, quoniam qui solum propter aliud illam seruat, non illam diligit, sed illud propter quod eam seruat, & ideo non est dicendus iustus, nec talis rectitudo nominanda est iustitia, nono capitulo sic adiungit; Dubium non est, quia voluntas non vult rectè nisi quia recta est: Sicut namque visus non est acutus, quia videt acutè, sed idcirco videt acutè quia est acutus; Ita voluntas non est recta, quia rectè vult, sed rectè vult quoniam recta est; Cùm autem vult hanc rectitudinem, proculdubio rectè vult. Non ergo vult rectitudinem nisi quia recta est; Idem autem est voluntati rectam esse & rectitudinem habere; palam igitur est, quia non vult rectitudinem, nisi quia rectitudinem habet. Idem de veritate 12. Rectitudinis acceptio prius est naturâ quàm habere aut velle illam, quoniam illam habere aut velle, non est causa acceptionis, sed acceptio facit illam velle, & habere. Et sicut patet per eundem De causa Diaboli 17. Desertor Angelus amissâ iustitiâ, non potest ex se habere voluntatem iustitiæ; Imò & sicut apparet supra eiusdem 12. Angelus dispositus ad volendum, non potuit ex se habere suam primam voluntatem, neque beatitudinis aut iustitiæ, sed voluntatem commodi naturalem. Huic & consonat dictum eius De concordia vlt. superius recitatum; qui & supra 9. post superius recitata, ostendit quod nullus potest rectitudinem illam recipere nisi à Deo; Consideremus nunc, inquit, vtrum aliquis hanc rectitudinem non habens, aliquo modo eam à se habere possit; vtique illam à se habere nequit nisi aut volendo, aut non volendo; volendo quidem nullus valet eam per se adipisci, quia nequit eam velle, scilicet rectè, nisi eam habeat; quod autem nolendo valeat eam assequi mens nullius accipit: Nullo ergo modo potest eam habere ex se; sed neque ab alia creatura: Sicut namque creatura nequit creaturam saluare, ita non potest illi dare per quod saluetur. Sequitur ergo quod nulla creatura rectitudinem habeat, nisi per Dei gratiam. Deo ergo largiente inuenimus gratiam eius ad saluandum hominem cum libero arbitrio concordare; ita vt gratia sola possit hominem saluare, nihil eius libero arbitrio agente; sicut fit in infantibus & in intelligentibus, vt ipsa semper adiuuet liberũ arbitrium naturale, quod sine illa nihil valet ad salutem, dando voluntati rectitudinem, quam seruet per liberum arbitrium. Et quamuis non omnibus det, quoniam cui vult miseretur, & quem vult indurat; Nulli tamen dat pro præcedenti aliquo merito, quoniam, quis prior dedit Deo & retribuetur ei? Si autem voluntas per liberum arbitrium, seruando quod accepit, meretur aut augmentum acceptæ iustitiæ, aut potestatem pro bona voluntate, aut præmium aliquod, hæc omnia fructus sunt primæ gratiæ; & gratia pro gratia, & ideo totum imputandum est gratiæ, quia neque volentis est quod vult, neque currentis est quod currit, sed miserentis est Dei. Nonne & hoc est quod dicit Propheta, Scio, inquiens, Domine quod non est homins via eius, nec viri est vt ambulet & dirigat gressus suos. Ierem. 1. Cuius est ergo, nisi illius de quo alius Propheta sic ait, Apud Dominum gressus hominis dirigetur, & viam eius volet, Psalmo trigesimo sexto; Imò sicut alia litera clarior, A Domino gressus hominis dirigentur primò, & post directionem iam factam, viam eius scilicet Domini volet homo secundò. Hoc enim Aug. exponens sic ait, Ipse homo vt velit viam Domini, ab ipso Domino eius gressus dirigentur: Nam si Dominus non dirigeret gressus hominis, tam praui erant vt semper per praua irent, & semitas curuas sequendo redire non possent. Ipse est ergo qui direxit gressus nostros, vt viam eius vellemus. Qui & 1. ad Simplicianum 24. ait; Ad frangendam atque deijciendam superbiam hominum ingratorum gratiæ Dei, & audientium gloriari de meritis suis, ista commemorantur: Cùm enim nondum nati fuissent, neque aliquod egissent bonum aut malum, non ex operibus sed ex vocante dictum est, Quia maior seruiet minori. Vocantis est ergo gratia; percipientis verò gratiam consequenter sunt opera bona, non

quæ

Apostolus. 1. Cor. 3. — *Anselmus.* — *Ierem. 1.* — *Psal. 36.* — *Augustinus.*

A B C D E

A quæ gratiam pariant, sed quæ gratia pariantur. Non enim vt ferueat, calefacit ignis, sed quia feruet; nec ideo benè currit rota, vt rotunda sit, sed quia rotunda est: sic nemo propterea benè operatur vt accipiat gratiam, sed quia accepit. Non enim potest justè viuere, qui non fuerit justificatus, nec omninò viuere, qui non fuerit viuificatus; Iustificat autem gratia, vt justificatus possit justè viuere. Prima est igitur gratia, secunda opera bona. Idem de fide ad Petrum, 18. dicit, quod Deus intellectuali naturæ, Angelis scilicet & hominibus cognoscendi ac diligendi se facultatem voluntatemque donauit, vt eam vnusquisque & habere posset & perdere; si quis tamen eam sponte perderet, suo eam deinceps arbitrio resumere non valeret, vt illius esset, illius sanctæ cogitationis initia gratuitæ dono bonitatis denuò renouandis quibus vellet infundere, cujus fuit in ipso creationis exordio, nullis præcedentibus meritis, spiritus & corpora, locis atque affectionibus, prout ipse sapiens voluit congruis, mirabiliter
B ordinare. Et infra 21. Bonæ inquit voluntatis & cogitationis initium non homini ex seipso nasci, sed diuinitùs & præparari & tribui, in eo Deus euidenter ostendit, quod neque diabolus, neque aliquis Angelorum ejus, ex quo ruinæ illius merito in hanc sunt inferiorem detrusi caliginem, bonam potuit aut poterit resumere voluntatem. Quod si possibile esset, vt humana natura, postquam à Deo auersa bonitatem perdidit voluntatis, ex seipsa rursus eam habere potuisset; multò possibilius hoc natura haberet Angelica, quæ quanto minus grauatur terreni corporis pondere, tanto magis hac esset prædita facultate: Sed ostendit Deus vndè bona voluntas hominibus detur, quam sic amiserunt Angeli cum haberent, vt amissam deinceps habere non possent. Idem 12. de Ciuit. Dei, 9. probat, quod si boni Angeli fuerunt prius sine bona voluntate, non potuerunt eam habere ex se; quia si eam ipsi, Deo non operante, fecerunt, meliores à seipsis, quam ab illo facti sunt; quod absit: & si non potuerunt seipsos facere meliores, quam eos ille fecerat, quo nemo melius quicquam facit; profectò & bonam voluntatem qua meliores essent, nisi operante adjutorio creatoris habere non possent. Sed
C obijcietur fortassis per illud, 2. Eth. 1. & 2. quod virtus moralis generatur ex operibus similibus præcedentibus, vt justitia, temperantia, & fortitudo, ex justè, temperatè, & fortiter operari; ergò aliquis potest virtuosè operari non habendo virtutem. Item aliàs fatuum videretur & vanum appetere & desiderare virtutes: Nullus enim hoc potest nisi eas habendo; sed superfluum videtur & fatuum aliquem desiderare, & appetere hoc quod habet. Item hoc videtur in artibus manifestum: Nullus enim habet artem citharizandi, aut ædificandi, nisi prius citharizando, aut ædificando, vt patet per Philosophum, 2. Eth. 1. & 9. Metaphys. 14. Ad hæc potest responderi sicut respondet Philosophus 2. Eth. 4. ad similem quæstionem. Quia enim dictum erat prius, quod virtus ex operibus generatur; quæreret aliquis, inquit, qualiter dicimus, quoniam oportet iusta operantes iustos fieri, & temperata temperantes? Si enim operantur iusta & temperata, iam sunt iusti, & temperati. Et respondet quod tales non operantur iustè & temperatè, sed iusta & temperata: & dicit quod opera
D iusta & temperata dicuntur, quandò sunt talia, qualia iustus & temperatus operabitur. Aliter tamen nec improbabiliter potest dici, quod quicunque talia operatur, & non omninò casualiter, sicut bos inuenit leporem aut perdicem, hoc facit ex aliqua forma virtutis, & virtute, quam habet, largè loquendo. Nam secundum eundem Philosophum, 6. Eth. vlt. duplex est virtus, vna principalis, alia naturalis; vel vna acquisita, alia vero innata: & hoc probat per communem experientiam, ita dicens; Omnibus enim videtur singulos morum existere natura; aliqualiter enim iusti, & temperati, & fortes, & alia habemus confestim à natiuitate. Etenim pueris & bestiis naturales existunt habitus, sed sine intellectu nociui videntur, quemadmodum corpori forti sine visione moto accidit falli fortiter, propter non habere visum, sic & hic. Si autem accipiat intellectum habitus similis existens, tunc erit propriè virtus Et ratio hoc conuincit: Si enim propter hoc, quod homo post multa tristia opera sentit se fortiter inclinari ad talia faciliter & delectabiliter operandum, concludit se habere virtutem mora-
E lem taliter inclinantem. Quare si quis naturaliter, similiter, vel vehementiùs, faciliùs, & delectabiliùs inclinetur, non || *concludit* se habere virtutẽ huiusmodi naturalem? & hanc forsan || probat.
virtutem contra virtutem acquisitam quam hic vocat principalem, in prædicamentis distinguens, sub nomine dispositionis posuit in prima specie qualitatis. Has etiam virtutes nedum naturales aut morales, sed etiam intellectuales & artificiales, Mathematici videre se reputant in natiuitatibus puerorum; Ideoque antiqui prudentes, inuestigata diligenter & cognita naturali habilitate pueri cuiuscunque secundum illam quemlibet ad quodlibet congruè applicabant. Quare & inter eos tunc temporis omnes artes excellentissimè viguerunt. Vndè & 3. Eth. 13. scribitur isto modo, Innasci oportet quemadmodum visum habentem, quo iudicat benè, & quo secundum veritatem bonum desiderabit, & est bene natus, cui hoc innatum

innatum est benè: Quod enim maximum & optimum, & quod ab alio non possibile accipere, A neque discere; sed quale innatum est, tale habebit, & quod benè & optimè hoc innatum esse perfecta & vera erit vtique bona natiuitas. Quare & Aristoteles 5. Polit 9. recitat Socratem affirmantem naturam producere prauos & meliores disciplina; & addit, Hoc ipsum dicens fortè, non malè: Contingit enim esse aliquos, quos disciplinari, & fieri studiosos impossibile est. Quapropter & in secret. secret. 3. part. 10. scribit ita; Est consideranda genesis in quibusdam, quia generatus sæpè disponitur juxta vim Planetarum, qui sunt in regione suæ geneseos, & si fortè contingat, quod genitores genitum doceant aliquam artium, natura superior attrahet eum multoties ad artem sideris conuenientem. Nam simile huic accidit quibusdam hominibus, qui conuenerunt in quadam villa, & hospitati fuerunt apud quendam textorem, cui natus est in illa nocte filius, cuius genesin hospites acceperunt, & ordinauerunt eius Planetas. Fuit ergo eius genesis in Venere, & in Marte, gradu suo existente Geminis cum Libra; sidera verò contraria & pessima nondum fuerunt orta: Ostendit ergo eis genesis, quod Puer B erat futurus sapiens, curialis, velocis manus, boni consilij, diligendus à Regibus: Occultauerunt ergo hoc, cœlantes à Patre. Creuit ergo natus in prosperitate & crediderunt, ac nisi sunt genitores instruere eum aliquam artem de operibus suis, sed nihil potuit ex his addiscere: Verberantes autem ipsum, & flagellantes grauissimè, exposuerunt ipsum voluntati suæ. Inclinauit ergò se juuenis ad homines possidentes disciplinas, & acquisiuit scientias, & sciuit cursus & tempora supercœlestia, & mores, ac regimina Regum, & ecce factus est bajulus Regis. Vbi & immediatè subjungit; Contrarium huic accidit ex mirabilibus operibus & dispositionibus Planetarum, & naturis eorum, illud quod conuenit, vt duobus natis Regis Indiæ, facta comparatione ad genesin, sed occultum fuit Regi. Quandò ergo creuit vnus puerorum, credidit Rex eum instruere scientijs; Misit ergo eum per Indiam, & per alias Prouincias honorificè, sicut decet filium tanti Regis; sed nihil profuit diligentia Patris, quia non potuit inclinare animum & naturam, nisi ad fabrile artificium. Propter quod turbatus est Rex valdè, C conuocauitque sapientes omnes sui Regni, qui requisiti, omnes conueniunt in hoc quod relinqueretur his ad quæ natura pueri reducebat ipsum; factum est ergo ità, & multoties accidit huic simile. Quamobrem & Ouidius 1. de vetula refert ità:

Tempus erat cum Philosophos Respublica quondam
Quærebat magnis in sumtibus, vtilitati
Communi vigilans, & eos tractabat honestè
Vt sibi consulerent summis in rebus agendis.
Tunc visum senioribus est, in qualibet vrbe
Vt pueros dociles ex pluribus ingeniosis
Eligerent mittendos ad gymnasia, causâ
Discendi, quibus ad victum stipendia grata
Præstarent vrbs quæque suis. Et ibi faciebant D
Discerni per iudicium Pysiognomicorum,
Quæ quibus ars discenda foret, sic ars sua cuique
Aßignabatur, sic nissæ quilibet arti
Semper adhærebat, & in vna quemlibet esse
Perfectum sat erat, nec eum mutare licebat.
Tunc viguere artes, perfectè cognita quæque
Tunc erat, & poterat perfectè posteritati
Tradi, scribendisque libris per magna vacabat:
Tunc matheseõs solæ doctrinæ nomine dignæ
Sectores habuere suos, tunc vtilitatis
Quæque quid afferret clarebat apud studiosos.

E

Potest igitur homo ex virtutibus talibus sibi innatis talia operari, sed non charè, nec gratè modo prædicto: Charitas enim & gratia non sunt nobis innatæ: Eramus enim naturâ filij iræ ad Ephes. 2. Et per hæc patet ad obiecta, & maxime ad primum & vltimum obiectorum; Secundum verò non procedit: Licet enim aliquis habeat virtutem, potest desiderare virtutem dupliciter, scilicet vt sibi plenius augeatur, sicut Apostoli à Domino petierunt, Adauge nobis fidem Luc. 17. vel vt stabiliter conseruetur iuxta illud Psalmi 15. Conserua me, Domine, & 67. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis; & sic respondet Ansel De concordia vbi prius. Si autem adhuc aliquis instantius vrgeat, supponendo, quod non quilibet habet

Ephes. 2. *Luc. 17.* *Psal. 15. & 67.*

A habet virtutem quamlibet naturalem, vel si habeat, tollat Omnipotens sibi vnam, puta artem citharizandi, & adhuc potest addiscere, citharizare, & non nisi artificialiter operando, quia si inartificialiter, & multiplicet talia opera, ipsa generabunt similem habitum in eo, vt patet 2. Eth. vbi prius; non ergo acquiret artem, sed magis inertiam & errorem. Potest ergo non habens artem, artificialiter operari; quare & carens virtutibus, virtuosè. Dicendum quòd || *ad hoc* quòd talis citharizet exiliter quantumcunque, habet in anima sua ex propria inuentione, aut imaginatione vel exauditione & aliquali doctrina, aliquod idolum, & aliqualem similitudinem citharizationis, quę ipsum aliqualiter dirigit citharizando; aliter enim non magis à proposito tangeret vnam chordam quàm aliam, nec magis à proposito citharizaret quam saltaret sed forsan purè casualiter, sicut bos cornibus citharam ventilando, & ex tali tactione chordarum quantumcunque multiplicata, nunquam fieret citharœdus. Dico ergo quòd talis ex propria imaginatione vel auditione alterius habet aliquam speciem & formam citharizationis à qua sua citharizatio procedit, & per vsum crescit continuè ad perfectum; & hæc videtur res- || adhuc

B ponsio Philos. 9. Met. 14. dicentis; Videtur impossibile esse citharœdum esse, qui non citharizauit: nam addiscens citharizare citharizando addiscit. Vnde sophisticus elenchus factus est, quia non habens quis scientiam, faciet cuius est scientia; addiscens enim non habet scientiam; & respondet; Sed quia, inquit, eius quod fit, factum est aliquid, & totaliter eius quod mouetur, motum est aliquid; palam autem in his quæ de motu, hoc & discentem necesse habere aliquid scientiæ forsan; vbi textus Auerrois dicit expressiùs & sine forte, & addit; Non ergo mouetur aliquod ad aliud, nisi de illo ad quod mouetur in se; vbi dicit Auerroes; Omne quod generatur & fit aliquid, impossibile est hoc fieri nisi habeat aliquid, ex eo quod habebit in postremo: verbi gratia, quoniam impossibile est vt citharizet, nisi qui habet aliquid de arte citharizandi; & ideo asinus non addiscit citharizare, neque homo qui non est innatus citharizare. De charitate autem & gratia non possumus habere minimam scintillam à nobis, nec ab aliqua creatura, sicut superius est ostensum; quare nec aliquid gratè facere propter Deum; quapropter nec aliquid mereri ab eo, nisi prius eam dederit nobis gratis. Adhuc autem forsitan quisnam dicet, quòd gratia multum facilitat hominem ad implendum Dei mandata, & dicitur necessaria homini hac de causa; sed tunc posset homo sine gratia, licèt difficilius hæc implere contra priora. Cur etiam non possent Angeli, mole corporis deprimentis nullatenus aggrauati sine gratia facillimè hæc implere, contra præmissa? Amplius autem & iste est Pelagij filius in hac parte. Ipse enim dixit gratiam ad hoc dari hominibus, vt quæ facere per liberum iubentur arbitrium, facilius possent implere per gratiam, sicut de ipso recitat August. de hæres. vbi prius, primi contra Pelagium & Cælestium de gratia Christi, & de peccato originali, 7. & 23. de verbis Apostoli sermone 13. & alijs locis multis. Item hæc hæresis fuit damnata solenniter in Concilo Mileuitano, cui interfuit Augustinus, contra Pelagianos, sicut recitatur in Canon. de Consecrat. dist. 4. ca. vlt. in hæc verba; Placuit, vt quicunq; dixerit ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, faciliùs possimus implere per gratiam, tanquam & si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere mandata diuina, anathema sit. Et hoc idem recitat sanctus Prosper in libro suo de prædicatoribus gratiæ Dei contra Cassianum 21. vnà cum ratione Pontificum, propter quam illud dictum Pelagij tanquam hæreticum damnauerunt, atque inquit; In illius damnatæ sententiæ foueam cadat, qua dicitur à Deo nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiã; tanquam etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possemus etiam sine illa implere diuina mandata; quod & Catholici Pontifices dignum anathemate censuerunt. Vtendum est nobis eo, quo vsi sunt testimonio dicentes; De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, vbi non ait; Sine me difficilius potestis facere, sed ait; Sine me nihil potestis facere. || *Adhuc* vicarius Pelagij forsitan respondebit, & dicet, ideo gratiam esse necessariã ad implendum diuina mandata, quia per ipsam diuina mãdata reuelantur hominibus, & boni ac mali discretio demonstratur; qua reuelatione & discretione per gratiã habita, potest homo ea implere viribus propriæ voluntatis: Sed istud reuincitur per præmissa. Rursum & secundũ istam sententiam; Ante legem datam hominibus vel Angelis, gratia non fuisset eis necessaria ad Deum super omnia gratuitò diligendum; vel si nunc legis potẽtia tolleretur, & homo lege naturali naturalis rationis iudicio traderetur, gratia Dei nullatenus indigeret, quorum opposita superius patuerunt. Adhuc autem & hoc dato, Pelagij error redit. Augustinus namque primo contra Pelagium & Cælestium de gratia Christi, & de peccato originali, secundo, loquens de Pelagio, scribit ita; Gratiam Dei & adiutorium, quo adiuuamur à Domino ad non peccandum, aut in natura & libero ponit arbitrio, aut in lege aut doctrina; vt videlicet cùm adiuuat Deus hominem vt declinet à malo

Margin notes: *Philosophus.* (B) — *Auerroes.* — *Augustinus.* (C) — *Prosper.* (D) — || Ad hæc. (E)

malo, & faciat bonum, reuelando, & ostendendo quid fieri debeat, adiuuare credatur, A
non etiam cooperando, & dilectionem inspirando, vt illud quod faciendum esse agnouerit, faciat. Et infra 7. recitat verba Pelagij sub hac forma; Adiuuat nos per doctrinam & reuelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat; qui hoc dicit, gratiam tibi negare videtur, an & liberum hominis arbitrium & Dei gratiam confitetur? Et infra 8. Hoc, inquit, est gratiam Dei ponere in lege aut doctrina. Hic itaque apparet hanc eum gratiam confiteri, qua demonstrat & reuelat Deus, quid agere debeamus, non qua donat atque adiuuat vt agamus, cùm ad hoc potiùs valeat legis agnitio, si gratiæ desit opitulatio, vt fiat mandati præuaricatio. Vbi enim non est lex, ait Apostolus, nec præuaricatio; & concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret; Non concupisces. Ac per hoc vsque adeo aliud est lex, aliud gratia, vt lex non solum nihil prosit, verùm etiam plurimum obsit, nisi adiuuet gratia, & hoc ostendatur legis vtilitas, quoniam B
quos facit præuaricationis reos, cogit confugere ad gratiam liberandos, & vt concupiscentias malas superent adiuuandos: Iubet enim magis, quàm iuuat; docet morbum esse, non sanat; Imò ab ea potius, quod non sanatur, augetur; vt attentius & solicitius gratiæ medicina quæratur, quia litera occidit, spiritus autem viuificat. Idem de gratia & libero arbitrio 25. Quid est, inquit, quod vanissimi homines, & peruersissimi Pelagiani, legem dicunt esse Dei gratiam, qua iuuamur ad non peccandum? Quid est quod miseri dicunt, qui sine vlla dubitatione tanto Apostolo contradicunt? Ille dicit peccatum vires aduersus hominem accepisse per legem, & eum per mandatum, quamuis sanctum, & iustum, & bonum, tamen occidere, & per bonum operari ei mortem, de qua non liberaretur, nisi viuificaret eum spiritus, quem litera occiderat, sicut alio loco dicit, Litera occidit, spiritus autem viuificat; & isti indociles contra lucem Dei cæci, & contra vocem Dei surdi, occidentem literam viuificare dicunt, & viuificanti spiritui contradicunt. Et infrà 28. Quis ita scit surdus aduersus Apostolicas voces? quis ita desipiat, imò insaniat nesciens quid loquatur, vt audeat dicere legem esse gratiam, cùm clamet, qui sciebat quid loqueretur, Qui in lege iustificamini à gratia excedistis? Idem adhuc de spiritu & litera 2. sic ait, Illis acerrimè ac vehementissimè resistendum est qui putant sine adiutorio Dei per seipsam vim voluntatis humanæ, vel iustitiam posse perficere, vel ad eam tendendo proficere: & cùm vrgeri cœperint, quomodo id præsumant asserere fieri sine ope diuina, reprimunt se, nec hanc vocem audent emittere, quoniam vident quàm sit impia & non ferenda; sed aiunt, ideo ista sine ope diuina non fieri, quia & hominem Deus creauit cum libero voluntatis arbitrio, & dando præcepta ipse docet, quomodo homini sit viuendum, & in eo vtiq; adiuuat, quod docendo ignorantiam aufert, vt sciat homo in operibus suis, quid euitare, & quid appetere debeat, quo per liberum arbitrium naturaliter insitum viam demonstratam ingrediens, continenter, & piè, & iustè viuendo ad beatam eandemque æternam vitam peruenire mereatur. Nos autem dicimus humanam voluntatem D
sic diuinitus adiuuari ad faciendam iustitiam, vt præter quod creatus est homo cum libero voluntatis arbitrio, præterque doctrinam quâ ei præcipitur, quemadmodum viuere debeat, accipiat Spiritum Sanctum, quo fiat in animo delectatio, dilectioque summi illius, atque incommutabilis boni quod Deus est; etiam nunc cùm adhuc per fidem ambulatur, nondum per speciem, vt hac sibi velut arra data gratuiti muneris, inardescat inhærere Creatori, atque inflammetur accedere ad participationem illius veri luminis, vt ex illo ei bene sit, à quo habet vt sit. Nam neque liberum arbitrium quicquam, nisi ad peccandum, valet, si lateat veritatis via; & cùm id quod agendum, & quo intendendum est cœperit non latere, nisi etiam delectet, & ametur, non agitur, non suscipitur, non bene viuitur; vt autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, non per liberum arbitrium quod surgit ex nobis, sed per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Adhuc autem & Concilium superius allegatum, sicut recitatur in canone vbi prius, cap. penult. ita dicit, Quisquis dixerit eandem gratiam Dei per E
Iesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipsum nobis reuelatur & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere debeamus, aut valeamus, anathema sit. Si quis autem in insaniam tantam proruperit, vt dicat gratiam Dei necessariam homini ad implenda diuina mandata esse liberum arbitrium à Deo homini gratis datum, à Pelagiani voragine pelagi absorbetur. Constat enim ex autoritatibus Augustini præmissis, hanc esse Pelagianæ vesaniæ vanitatem; qui & 1. contra Pelagium & Cœlestium de gratia Christi, & de peccato originali 2. Cum, inquit, Pelagius tria constituat, atque distinguat, quibus diuina mandata dicit impleri, possibilitatem

A litatem, volūtatem, actionem; possibilitatem scilicet qua potest homo esse iustus; voluntatem qua vult esse iustus; actionem qua iustus est; horum trium primum, id est, possibilitatem datam confitetur à creatore naturæ, nec esse in nostra potestate, sed eam nos habere si nolimus; duo verò reliqua, id est, voluntatem & actionem nostram esse asserit, atque ita nobis tribuit, vt nobis non esse, nisi a nobis contendat. Ecce patenter quid Pelagius gratiam Dei vocat, possibilitatem videlicet naturalem à creatore naturæ, beneficio creationis *gratuito* nobis datam. ‖ gratis. Hanc etiam hæresin recitat Augustinus de natura & gratia 53. & de gratia & libero arbitrio 28. & eam redarguit hic & ibi. Iste quoque sic errans incidit in hæresin Pelagij supradictam, quæ ponit hominem per liberum suum arbitrium posse implere diuina mandata, qui & potest faciliter corrigi per præmissa. Præterea dicit Apostolus 1. ad Cor. 15. Abundantiùs illis omnibus laboraui, non autem ego, sed gratia Dei mecum: Et quomodo non ipse, sed gratia, si ipse vel liberum eius arbitrium gratia nuncupetur. Adhuc autem Pelagiani quidam moder-
B ni respondent, dicendo, quòd homo ex naturalibus suis puris potest diligere Deum super omnia gratis propter seipsum, secundum substantiam ipsam actus, non tamen meritoriè, vel saltem non meritoriè de condigno, licet forsan de congruo, sine gratia comitante: Sed istud non congruit rationi, & refellitur per præmissa. Præterea, secundum istos, habens gratiam diligendo Deum, & seruando eius consilia ac mandata potest mereri etiam de condigno; cur ergo si carens gratia faciat pro Deo similia vel maiora æque recta intentione vel rectiori, æquè sincero affectu vel sinceriori, æquè grato amore vel etiam gratiori, non similiter vel magis meretur? Nam quantum est ex parte operum vel operantium, opus huius est æque bonum cum opere illius vel melius; quare & æquè acceptabile pro solutione antiqui debiti pro peccato, & pro redemptione animæ suæ, & pro mercatione regni cœlestis. Si ergo Deus pretium huius acceptet, & æquè iustum vel iustius pretium illius repellat, est personarum acceptor, nec iudicat æquitatem. Item secundum omnes Catholicos, imò & secundum inimicos gratiæ ip-
C sos Pelagianos hæreticos, gratia multum alleuiat cuiuslibet operis grauitatem: Reddit enim iugum Domini suaue, & onus eius leue. Carens ergo gratia, similia operans, cum habente difficiliùs operatur; plus ergo meretur. Dicit enim Philos. 2. Eth 3. circa difficile autem semper ars fit & virtus; etenim bene, melius in hoc; id est, quod sine difficultate est bene, in hac est melius; & 3. Eth. 18. probat, quòd fortitudo magis consistit circa timores, quàm audacias, & quòd hæc laudabilior est quàm illa, & secundū quosdam, quàm temperantia, per hoc quòd difficilius est tristia sustinere, quàm à ‖ *delectabilibus* abstinere; & 5ᵗ. libri 2°. Pessimus, inquit, qui ad seipsum & ad amicos vtitur malitia; optimus autem non qui ad seipsum virtute, sed qui ad alterum; hoc enim opus difficile. Venerabilis quoque Beda 2. de Temporibus 1. ad hoc idem allegat Hieronymum super Euangelia ponentem nuptias in 30. fructu, & viduas in 60. hac de causa: Quanto, inquit, maior est difficultas ab expertæ quondam voluptatis illecebris abstinere, tanto maius & præmium. Ampliùs autem tunc carens gratia, posset diligere Deum
D ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute, & mente finaliter propter ipsum: & proximum, sicut seipsum similiter propter Deum, & cætera præcepta atque consilia in omnibus obseruare; quare & esse in statu salutis, finaliterq; saluari secundum præmissa & contra præmissa: Sola namq; Dei gratia efficit Dei filios & amicos, sicut priora testantur; dicitque Propheta, Qui coronat te misericordia & miserationibus, Psal. 102. Et Apostolus magis planè, Gratia autem Dei vita æterna ad Rom. 6. quod & tenet fides Ecclesiæ generalis. Alij adhuc fingunt, quod homo sine gratia ex seipso potest perficere diuina mandata secundum substantiam operis, non tamen secundum intentionem mandantis, quæ est quod fiant in gratia: sed horum fictio confringetur vt aliæ præcedentes. Istud quoque videtur mirabile, quia respiciendo vetus Testamentum & nouum, & omnes Doctores & expositores eorum, non apparet aliud esse de intentione mandantis, nisi gratis hæc facere propter Deum; & eo ipso videtur eis, quòd talis sit in gratia, scilicet arguendo à posteriori ad prius, & ab effectu ad suum efficiens;
E & eodem modo omnes Doctores, & prædicatores veteres, & moderni, prædicando & docendo populum Dei viam salutis, nihil aliud prædicant, nisi quòd gratis propter Deum faciant eius mandata, & consilia; nec dicunt, faciatis hæc in gratia; imò dicunt, vt videtur, quòd eo ipso, quòd hæc sic faciant, gratiam Dei habent, illam scilicet de qua loquor, quæ gratificat nos ad vitam, velut radicem à qua pullulant isti rami. Et huius contrarium non videtur mihi sine periculo prædicandum, scilicet quòd licet quis diligat Deum gratis ex toto corde &c. & exerceat omnia opera pietatis erga proximum propter Deum, & sustineat propter eum omnia pœnalia & aduersa perseueranter vsq; ad finem, & tunc ardentissimo & purissimo Dei amore, propter defensionem legis Dei, morte durissima consummetur, adhuc tradetur morti secundæ, & tormentis infernalibus sine fine. Prædicent hoc qui velint, ego non auderem talia prædicare,

Philosophus. Propheta. Apostolus. ‖ delectationibus.

dicare, ne fortè cùm alijs prædicarem, ipſe reprobus efficerer, dum ſpem piorum ſubruerem, A
& multorum refrigeſcere facerem Charitatem. Eccè quam expreſſa ſunt ad hoc teſtimonia veritatis; Ecce teſtimonium Ioelis 2. Quicunq; inuocauerit nomen Domini ſaluus erit; quod & Apoſtolus ad Rom. 10. conteſtatur; Et Luc. 10. quæſiuit quidam à Domino, Magiſter, quid faciendo vitam æternam habebo? At ille dixit, In lege quid ſcriptum eſt? ille reſpondit, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. & proximum tuum ſicut te; dixitque illi, rectè reſpondiſti, hæc fac & viues. Si tamen potuiſſet hæc feciſſe ſine gratia gratificante ad vitam, non fuit vera iſta doctrina veritatis; Non enim ſequitur, Hæc fac, etiam perſeueranter vſque ad finem, ergo viues; hoc enim poſſet facere ſine gratia, ſine qua vtique nullus viuet; Et ſi tu dicas, quòd Saluator intellexit, quòd hæc faceret in gratia; cum ergo ille modus faciendi ſit magis neceſſarius quàm ipſum factum, nec eſt homini per ſe notus, nec ipſe docendo, & præcipiendo iſtum modum expreſſit, videtur quòd talis doctrina ſit nimium diminuta, & quòd inijciat hominibus laqueum, & eos in damnationis æternæ periculum introducat. Ta- B
cet enim gratiam, ſine qua nullus gratificatur, nec intrat ad vitam, & exprimit vnum factum mortuum; innuendo patenter quòd hoc facere ſufficiens eſt ad vitam; velut ſi medicus infirmo ſimplici, ipſum conſulenti quid faciendo vitam temporalem haberet, abſolutè reſponderet dicendo, Comede carnes || *tiri*, nec diceret ſibi modum quo in || *tiriaca* ſalubriter præparantur, faciliter huiuſmodi ſimplici mortis ferculum pararet, quod quilibet zelans medicus euitabit: ſed abſit quòd medcus corporum, ſit zelantior noſtro medico animarum. Dominus enim zelotes nomen eius Exod. 34. Ad hoc idem eſt totus ille longus ſermo Dominicus Iohan. 15. Ego ſum vitis vera, &c. vbi docet diſcipulos quomodò fructificare debent, ſcilicet manendo in ipſo, vbi & conſequenter exponit, quomodo debent manere in ipſo: Manete, inquit, in dilectione mea; & adhuc ſicut Magiſter bonus, docet quomodò debent in dilectione eius manere, Si inquiens, præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea; & poſt exponit ſingulariter quomodò ſeruare debent præcepta ſua, de quibus pluraliter dixit eis, C
cum dicit, Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos. Quam adhuc ſimilitudinem noluit inexpoſitam pertranſire, ſed dixit, Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis *. Quicunq; ergo hanc dilectionem habet, manet in Deo, & fert in gratia fructum multum. Item Cyprianus, Auguſtinus, & vnanimiter omnes Doctores, & tota ſancta Dei Eccleſia indubitanter affirmant, quòd quicunq; licet non renatus ex aqua, pro confeſſione Chriſti fuerit interfectus, baptiſmo ſanguinis proprij baptizatus, ſtatim in Cœlo cum Sanctis Martyribus corona gloriæ coronatur, & hoc eſt quod Chriſtus ipſe teſtatur, Matth. 10. ita dicens; Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis eſt. Huic quoque ſimilem tenent ſententiam, de adulto baptizari volente & morte præuento, ſicut allegat Lumbardus 4. Sent. diſt. 4. & alibi ſæpè claret; quòd tamen temerariè nimis affirmare præſumerent, ſi poſſent hæc fieri ſine gratia charitatis, ſine qua conſtat neminem poſſe ſaluari. Item gratia iſta eſt quidam D
habitus, & diligere Deum ſuper omnia gratuitò propter ipſum proprius actus eius; actus autem eſt finis, & perfectio habitus, ſicut viceſſimum primum capitulum oſtendebat; Quare & habitus eſt propter actum non è contra. Ad hoc ergo vult Deus, quod homines habeant gratiam, vt per eam faciant gratuitò opera prætaxata. Si ergo poſſent ſine gratia iſta ſic facere, ſufficeret Deo, & illis; Imò nulla ratio, nulla cauſa, nulla vtilitas Deo nec homini videretur, quare hæc fieri deberent in gratia, cum poſſent æqualiter fieri ſine ipſa, ſed potius videretur quantum ad omnem actionem, ſuperflua penitus & inanis, ſicut quantum ad omnem ſignificationem cifra cum fuerit vltima figura: Et ſiquis dicat quòd ad hoc vult Deus, quòd opera noſtra fiant in gratia, quia ſic poſſunt facilius fieri, incidit in errorem Pelagij ſupradictum, & etiam tunc qui faceret ea ſine gratia, propter difficultatem maiorem amplius mereretur, ſicut ſuperius eſt argutum. Item quilibet habitus moralis vel alius cognoſcitur per ſuum effectum, ſcilicet per hoc, quod aliquis opera talis virtutis promtè & dilectabiliter operatur; Vndè ſecundo Ethic. tertio. Signum autem oportet facere habituum ſuper venientem voluptatem, vel triſtitiam operantibus. Qui enim recedit à voluptatibus corporalibus, & hoc ipſo gaudet, temperatus eſt, & qui ſuſtinet pericula & gaudet, vel non triſtatur, fortis; Et ſecundo Poſt. vlt. arguit Ariſtoteles contra Platonem ponentem habitus || *cognitiuos* principiorum ineſſe nobis à natura, ſed latere, ſic dicens; Si quidem habemus ipſos, inconueniens eſt; Contingit enim certiſsmas babentem cognitiones principiorum demonſtrantem latere. Cum ergo charitas & gratia ſit habitus perfectiſſimus, poteſt per operationes cognoſci, & hoc videtur ipſa veritas docuiſſe, cum dixit, A fructibus eorum cognoſcetis eos. Mat. 7. Et infra 12. Ex fructu arbor cognoſcitur. Et Ioh. 13. dat pro E
hac

|| θηριων vipere

|| theriaca

* ſuis

|| cognitionis

A hac cognitione habenda regulam generaliter specialem, & specialiter generalem; in hoc, inquit, Cognoscent omnes, quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem, quod & infra 15. prosequitur planius multum & plenius, sicut superius erat allegatum. Et in ista sententia videntur Doctores, & Tractatores Scripturæ Canonicæ vnanimiter concordare: Quicunque ergo talia operatur, & taliter habet gratiam charitatis. Item si operans in gratia aliquid mereatur, ergo et carens gratia, si similia similiter operetur: Nam actus illius per omnia est æquè bonus, sicut actus alterius gratiosi, maximè cùm gratia sua nullo modo informet, nec efficiat aut dirigat actum suum. Si dicatur, quòd gratia, eo ipso quòd stat ibi, reddit actum meritorium, hoc non videtur, cùm in actu facto ex puris naturalibus nihil penitùs faciat, sicut in cucumerario formido nihil custodit, sed stat ibi cæca, surda, & muta, ac mortua, nec plus facit ad talem actum gratia illa in anima, quàm faceret in || *calce*, in bursa, vel in arca. Item, si actus gratiosus propter hoc reddatur meritorius, quia fit à gratioso, licèt non à gratia, sequitur quòd actus sui indifferentes, imò & peccata venalia, & || calce,
B vniuersaliter omnes actus sui sint meritorij regni Dei, & hoc etiam de condigno, cùm tamen possit diligere vxorem ex affectione carnali, mentiri iocosè, dare eleemosynam propter inanem gloriam venialem, & multa similia ex puris naturalibus, non ex gratia sibi data. Posset quoque talis gratia poni realiter in non grato, imo peccante || *mortaliter*, nec tamen eius opera propter ipsam meritoria redderentur. Vnde manifestum est non esse idem, fieri in gratia, & fieri ex gratia, sed omne quod fit ex gratia fit in gratia, non è contra. Manifestum est quoque non propterea opus esse meritorium, quia fit in gratia, sed quia fit ex gratia; & omne opus factum ex gratia esse meritorium, non autem omne opus factum in gratia: Hæc omnia patebunt faciliter ex præmissis. Item ad hoc est totus ille processus Anselmi superius recitatus; dicit enim planissimè, quòd quicunque vult rectitudinem, rectè vult, & ideò prius naturaliter illam habet, sicut causam effectiuam illius effectus; & loquitur ibi de rectitudine gratiæ, vt patet De Concordia, nono, & De gratia, sine qua nullus saluatur, vt patet supra, octauo, sicut & superius tangebatur, & ad idem vadit processus Augu- || realiter
C stini prætactus. Est adhuc alia similis cauillatio quæ dicit; Quòd homo ex se potest Deum diligere ex toto corde, &c. & facere omnia alia secundum substantiam operum, nihil tamen omnino merebitur, vel saltem nihil de condigno, quia non facit ea secundum intentionem mandantis, quæ est, vt dicunt, quòd faciat ea aliquo modo meritoriè, vel meritoriè de condigno: Hæc autem ineptia potest refelli similiter cum priori. Item quid intelligit per meritoriè facere? si facere in charitate & gratia propter Deum, tunc non differt à positione priori; si facere sic quòd merces sibi aliqua debeatur, hoc est omninò irrationabile & contrarium rationi. Si enim opus sit meritorium, propter hoc quod merces sibi debetur, prius est mercedem sibi deberi quàm opus esse meritorium, cùm tamen sit è contra? Propter hoc enim quod opus est meritorium, merces sibi debetur: aliter etenim nulla foret causa, nec
D ratio, cur huic operi deberetur merces, & non illi. Prius ergo naturaliter est opus esse meritorium, & dignum mercede, quàm mercedem sibi deberi. Item mercedem deberi, vel dependet ab opere, vel ab aliquo alio impertinenti: Si ab opere, quicunque facit congruè tale opus, meretur; & iste secundum hanc positionem sine gratia ita facit: Si ab impertinenti; hoc videtur contra omnem rationem & legem. Item in toto Veteri Testamento, & Nouo, facientibus mandata promittit Deus mercedem: Si tamen intelligat sic; Fac mandata mea meritoriè, & eris dignus mercede, & habebis mercedem, ridiculosa esset illa promissio seu doctrina; Non enim docet aliquod dubium aut ignotum nisi forsitan dubitanti, An sit Deus, vel, An sit iustus. Constat enim cuilibet, quod quilibet potens, tenetur reddere mercedem meritoriè operanti pro eo, & reddet nisi sit iniustus: Videtur ergo, quòd Deus intelligat ad communem modum intelligendi hominum, quos docebat, scilicet, Fac hoc, & habebis mercedem, id est, Fac hoc propter me, & propter amorem meum, & habebis mercedem, & sic potest non habens gratiam secundum istos prædictos. Item exi-
E stenti in gratia debetur merces pro opere, & iste extra gratiam secundum istos potest facere simile opus, vel maius pro Deo, amore simili vel maiori; Cur ergo non meretur iste quantum ille, vel maius? Item non est aliquo modo probabile, quòd Deus summè liberalis & diues, misericors atque iustus, qui reddet vnicuique secundum opera sua, diligentem eum gratuitò propter eum ex omnibus viribus mentis & corporis, & proximum sicut seipsum similiter propter Deum, qui & abhorret omnia mala, amplectitur cuncta bona, sustinet omnia tristia, & tandem mortem amarissimam propter Deum, sine omni mercede abijciet, & contemnet, maximè cùm ipsemet hoc testetur planissimè, etiam interposito iuramento, Matth. 10. in hæc verba; Quicunque potum dederit vni ex

minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, Amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Sed obijcient forsan isti, quod si nullus posset diligere Deum ex toto corde,&c. & facere omnia facienda, & dimittere omnia dimittenda gratuito propter Deum, nisi esset in gratia charitatis; tunc posset homo scire quando esset in gratia charitatis, contra illud Eccles. 9. Nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit. Item talia opera magnalia possunt fieri absque gratia charitatis: Potest enim quis absque charitate, vt patet 1. ad Cor. 13. habere omnem fidem, & facere miracula maxima, ita vt montes transferat, distribuere omnes facultates suas in cibos pauperum, & tradere corpus suum ita vt ardeat. Ad primum obiectum patet per dicta vigesimo quinto huius, quod aliquis prædestinatus ad vitam, existens in peccato mortali grauissimo, sicut fuit Dauid, quando propter adulterium, dolosum homicidium committebat, non minus tunc amabatur à Deo, quàm amabitur in futuro; & similiter præscitus ad mortem existens in maxima charitate, non minus tunc oditur à Deo, quàm vnquam odietur post lapsum profundissimum in peccatum, & pœnam, sicut fuit de Iuda Domini traditore, nisi forsan secundum præsentem iustitiam, & plurimum transmutiuè. Ideoque nullus hominum potest scire, vtrum odio vel amore dignus sit, quia qualiscunque sit modo, nescit exitum quem habebit, nec vtrum sit prædestinatus finaliter filius vitæ vel mortis. Et hoc est quod eadem Scriptura testatur: Cùm enim præmisit, Nescit homo vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta; Nulli autem dubium, quin homo possit scire se esse dignum odio secundum præsentem iustitiam: Potest enim scire se esse in peccatis grauissimis, & in actuali voluntate grauissima committendi, & in desperatione salutis, sicut fuit de Iuda & Cayn. Simili quoque modo est mihi probabile quod homo verisimiliter potest scire, saltem secundum præsentem iustitiam se esse in gratia & dignum Dei amore, per hoc scilicet quod diligit Deum ex toto corde,&c. ita quod nollet eum in minimo saltē offendere pro omni fugibili euitando, nec pro omni desiderabili consequendo, velletque voluntatem diuinam in omnibus adimplere, etiam etsi nunquam foret pœna vel præmium, sed tantum gratuito propter ipsum, & per alia signa multa. Vt autem expediam me breuius licet non verius, potest dicta Autoritas sic exponi; Nescit homo vtrum amore vel odio dignus sit, id est, finaliter, sicut ipsemet se exponit continuò vt est dictum. Quantum ad aliud, verum est, quod sine gratia charitatis fiunt opera multa magnalia, sed non opus dilectionis Dei ex toto corde,&c. modo dicto, nec illa fiunt amore gratuito propter Deum. Et ideo bene dicit Apost. Si fecero hæc & illa, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest; & statim per suos effectus definit quodammodo & notificat charitatem; Charitas, inquit, patiens est, benigna est, &c. quasi velit patenter innuere, qui veraciter hæc non habet, charitatem non habet, & qui veraciter ista habet, habet similiter charitatem: Nam secundum eundem ad Rom. 11. Si delibatio sancta est, & massa. Hoc autem totum argumentum à principio eius vsq; huc tam longe protensum, tam breui restringitur syllogismo, quicunque meretur de congruo gratiam à Deo, facit ante acceptionem gratiæ tempore vel natura, aliquid gratè pro eo; Nullus facit sic ante aliquid gratè pro eo.

Item si quis carens gratia potest mereri gratiam primam de congruo, & habens gratiam potest mereri augmentum suæ gratiæ tantum de congruo, non autem de condigno; carens gratia posset similiter primam gratiam promereri, sicut habens gratiam, gratiam suam augeri; cùm tamen primum istorum sit Hæresis Pelagij à Patribus reprobata; secundum verò ab omnibus Catholicis est concessum: Non ergo similiter possunt mereri primus primum, & secundus secundum: Quod autem gratia habita mereatur augeri, probat Autoritas Augustini superius allegata, Gratia meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici. Vnde & Parab. 4. Posside sapientiam, & dabit capiti tuo augmenta gratiarum. Et quod hoc non sit de condigno, potest ostendi per rationes trigesimi quinti capituli ostendentes quod gratia non ex meritis aut operibus præuijs, quoniam tunc non esset gratia, sed debitum, cùm omne augmentum gratiæ sit gratia, & omnis gratia vniuocè dicatur cum alia gratis data. Item si quis potest mereri augmentum gratiæ de condigno, potest mereri altiorem sedem in Cœlo & intensiorem beatitudinem, & magnam latitudinem, & portionem illius æternam similiter de condigno, quod falsum est. In iustitia enim commutatiua de condigno requiritur ad minus æquale pro æquali, vt patet 5. Ethic. 6. & post diffusè, sed operatio momentanea gratiosi non est æque bona, sicut tanta portio beatitudinis sempiterna; Vnde Apostolus ad Rom. 8. Existimo quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis; Glossa, existimo, & scio, quod passiones huius temporis, id est, temporales & momentaneæ, non sunt condignæ, id est sufficientes, si districtè ageretur nobiscum, ad promerendam futuram gloriam: Tribulatio namque ipsa est cum

Apostolus. Rom. 8. Glossa.

A cum fine, merces erit sine fine; & multo maior erit ibi gloria quam hic labor. Istam quoque
sententiam docet expresſiùs Augustinus super illud Psalmi 36. A Domino gressus hominis
dirigetur, & viam eius volet, Noli, inquiens, tantùm attendere qua iturus es, sed quo venturus
sis; tolerabis dura temporalia, sed ad læta peruenies sempiterna; si vis ||*sustinere* laborem, at- || suscipere
tende mercedem; miraberis tantum dari pro tanto labore. Nam vtique, fratres, pro æterna
requie labor æternus subeundus erat, & æternam felicitatem accepturus, æternas passiones
sustinere deberes; sed si æternum sustineres laborem, quando peruenires ad æternam felicita-
tem? quo fit vt necessariò temporalis sit tribulatio tua, qua finita venias ad felicitatem infini-
tam. Sed tamen, fratres, posset esse tribulatio longa pro æterna felicitate, verbi gratia, vt cùm
felicitas nostra finem non habebit, miseria nostra, & labor noster, & tribulationes nostræ diu-
turnæ essent: Nam etsi millia annorum essent, appende mille annos contra æternitatem; quid
appendis cum infinito quantumcunque finitum? decem millia annorum, decies centena mil-
B lia si dicendum est, & millia millium quæ finem habent, cum æternitate comparari non pos-
sunt. Dicitur forsitan, quòd quia Deus promisit operantibus regnum æternum, merentur il-
lud de condigno, & alias non mererentur illud de condigno: Sed istud non videtur, quia il-
lam promisionem nullus de condigno potuit promereri, nec sine hac ||*potuit* mereri de con- || possunt
digno regnum æternum; Nullus ergo simpliciter de condigno potuit, aut potest mereri reg-
num æternum. Nec operatio alicuius post promisionem est melior, quàm fuit similis ante
promisionē; sed nulla operatio ante promisionem meruit regnū de condigno: Nec illa pro-
missio facit opus melius, vt patet per substantiā operis, & per omnes eius circumstantias indu-
ctiuè; imò forsitan minus bonum: Facit enim intentionem minùs sinceram; Qui enim priùs
operabatur purè propter Deum solum, nunc forsitan operatur propter retributionem pro-
missam. Item tunc Deus non ita libero modo confert vitam æternam, sicut fecit ante pro-
misionem; quia tunc omnino liberè contulit, nunc autem ex necessitate promisionis, & de
C necessitate iustitiæ conseruandæ, quod videtur eius summæ libertati, & immutabilitati perfe-
ctæ plurimum derogare. Tunc etiam meritoriè operans cogeret Deum ad resuscitandum ip-
sum, & æternaliter præmiandum, vel ad offensam iustitiæ incurrendum; vbi est ergo eius
summa libertas, insuperabilisq; potestas? Item non minùs obligat Deum promisio sua æter-
na mentalis interior in verbo, vel spiritu suo sancto æterno, quàm temporalis verbalis exte-
rior, ministerio forsan Angeli alicuius; sed quicquid temporaliter, vocaliter exteriùs promit-
tebat, æternaliter, mentaliter interiùs in verbo, vel spiritu suo sancto æterno promisit, quod
immutabilitas eius omnimoda per 5^{am} & 23^{um} capitula demonstrabit. Item ita Deus promi-
sit, quòd quicquid peteremus in nomine suo daret nobis, & Samuel orauit pro Saule, & Iere-
mias pro populo, & multi pro multis reprobis exorabant. Meruerunt ergo de condigno au-
diri, & Deus eos non audiuit, sicut vicesimum quintum huius allegat; fecit igitur eis iniu-
riam manifestam, quod nullus nisi manifestè iniustus audebit vel tacitè cogitare. Item prin-
D cipaliter, si quis meretur augmentum gratiæ de condigno; vel ergo meretur augmentum
eius continuum, vel discretum; si discretum tantummodo, & per vices, tunc per vnum mag-
num meritum, meretur vnum certum augmentum; quare per medietatem meriti, medieta-
tem præmij & augmenti, & ita proportionaliter secundum singulas partes suas. Meretur
ergo de condigno gratiam suam continuè augmentari. Omnis etiam ratio quæ probat ali-
quem mereri de condigno gratiam suam augeri per vices & discretè; & quòd continuè si-
militer comprobabit: Quod si detur, dabitur consequenter quodlibet opus gratiæ mereri
de condigno remissionem cuiuscunque pœnæ temporalis hic & in purgatorio, imò & om-
nium talium pœnarum quorumlibet punitorum, si debitè offeratur & detur ad illum effe-
ctum; quod non videtur, quia tunc superfluum videretur facere multa & magna opera gra-
tiæ pro pœnis, vel etiam pro peccatis venialibus redimendis, cùm de condigno sufficeret bre-
uis salutatio virginis gloriosæ, imò & minimus cogitatus. Et idem sequitur de peccatis mor-
E talibus quantiscunque. Minima enim contritio, vt videtur [nonnullis] * ex gratia, tollit cul- * facta
pam & commutat pœnam æternam in temporalem. Cùm ergo quælibet contritio forsitan
sit intensior, quàm necessariò requiratur, medietas intensiua illius non necessario requisita au-
fert totam pœnam temporalem relictam; vel saltem si contritio continueretur vlteriùs per
quantumlibet paruum tempus, auferret totam pœnam: Quodlibet enim opus gratiæ me-
retur de condigno incomparabiliter maius omni tali remissione temporali, scilicet augmen-
tum gratiæ, & proportionaliter augmentum gloriæ sempiternum; quodlibet ergo tale meri-
tum de condigno, etiam pro quocunque minori sufficiet de condigno; sicut 5. Ethic. docent
commutatiuæ iustitiæ sanctiones: Dicitq; Anselmus 2. Cur Deus homo 20. Quid iustius in-
telligi valet, quam vt cui datur pretium maius omni debito, si debito datur affectu, dimittat

 omne

omne debitum? Si autem dicatur, quod commutare tale meritum quo meretur augmentum A
gratiæ & gloriæ sempiternæ, pro remissione pœnæ temporalis, temporaliumue pœnarum, esset sibi præiudicium sempiternum; ideoque Deus æquius iudicans hoc non facit; Adhuc stat ratio prius facta, maximè cum volenti non fiat iniuria, secundum Iuristas, & secundum Philosophum 5. Eth. 17. Nullus patitur iniustum volens. Imò videtur quòd quilibet potest dispensare egenis pio affectu illud quod est sibi debitè acquisitum, nulli alteri præiudicium inferendo; vel ponatur quòd offerat meritum illud Deo pro aliquo mortuo & damnato ad tantam miseriam vel minorem, & ratio dicta stabit. Etiam secundum responsionem prædictam nullus posset per aliquod opus gratiæ mereri plenam remissionem, nec etiam mitigationem pœnæ leuissimæ temporalis, semper eodem præiudicio prohibente, quod constat esse falsissimum iudicio totius Ecclesiæ indulgentias concedentis, & pœnitentias in alia pietatis opera permutantis. Item sine omni commutatione, quicunque meretur continuè, & condignè incomparabiliter maius, scilicet augmentum gratiæ & gloriæ sempiternum, citius vel saltem B
æque citò meretur condignè incomparabiliter minus, scilicet remissionem quantæcunq; pœnæ temporalis; Quicunque ergo incipit ex gratia meritoriè operari, statim in primo instanti, vel immediate post remittitur sibi de debito & condigno quælibet pœna temporalis. Item quòd nullus mereatur augmentum continuum gratiç de condigno, videtur, quia tunc cuilibet operi gratiæ, certum augmentum gratiæ deberetur, maiori maius, minori minus, ac æquali æquale. Sint ergo duo filij gratiæ pares in gratia, & in omnibus alijs, hoc excepto, quod vnus pro peccato mortali, vel solummodò veniali, sit debitor pœnæ temporalis, & agant æqualia opera gratiæ, ita quòd debitor pœnæ per illud meritum penitus absoluatur; vel ergo vltra illam absolutionem à pœna, meretur aliquod præmium in vita futura, vel nihil omninò; Non nihil omninò, quia tunc posset contingere quòd adultus baptizatus, diligens actualiter Deum summè, & in Sanctis operibus actualiter se exercens magno tempore vitæ suæ, etiam martyrium sustinens pro Christo, & lege ipsius, æqualiter præmiaretur, in vita futura cum vno par- C
vulo baptizato, qui nunquam aliquid boni fecit. Hoc enim consequitur euidenter, si hæc omnia iungantur in pœnitentiam congruam peccatori, aut si hæc omnia æquè sufficiant pro satisfactione peccati seu peccatorum suorum; vbi est ergo quod vtrumque testamentum creberrimè repromittit, quod Deus vnicuique secundum opera sua reddet? Secundum istam quoque sententiam videretur, quòd magis expediret peccantibus differre satisfactionem sibi iniunctam, vel saltem prouenialibus debitam, vsque ad purgatorium post terminum vitæ præsentis, & alijs bonis operibus non satisfactorijs, neque factis animo satisfaciendi pro peccato, sed simpliciter directis in Deum, & meritorijs simpliciter insudare. Sic etenim faciendo, & sic finaliter decedendo, acquireret sibi magnum præmium sempiternum, & sustineret post mortem paruam pœnam purgatoriam temporalem. Sed quis hoc præsumserit affirmare? Adhuc autem si sit ita, talis æternaliter puniretur, saltem pœna damni, per subtractionem videlicet portionis gloriæ sempiternæ, quam fuisset alias habiturus; Sed quis præsumserit fa- D
cere cœlum carcerem, seu locum pœnalem? Quomodò etiam verum erit, quòd Iacobus protestatur de Deo, qui, iuquiens, dat omnibus affluenter & non improperat; si tamen sic faceret, daret opprobrium sempiternum homini pœnitenti pro peccato commisso, & dimisso, diminutionem videlicet gloriæ sempiternæ. Imò & si sic esset, nullus vnquam satisfaceret, aut posset satisfacere in vita præsenti pro aliquo peccato licet paruo & minimo: Si enim saluetur, punietur pro illo peccato pœna damni æterna in cœlo, per subtractionem aliquam gloriæ sempiternæ, quam pro illo bono opere per quod satisfacit, fuisset alias habiturus; quod quis præsumserit dicere, vel etiam cogitare? Mirum insuper & nimis admirabile videretur; quòd qui ex charissima charitate, & charissima gratia, charissimè & gratissimè Deum diligeret super omnia propter seipsum, & sic opera sua licet satisfactoria pro peccato faceret propter Deum, nihil perpetui præmij mereretur, nec quicquam boni omninò, nisi paruam dimissionem pœnæ paruulæ temporalis. Quomodò namque æquitati congrueret aut iustitiæ conueniret, vt E
prætium dignissimum maximo premio sempiterno, pro debito minimò, pro pœna minima temporali solummodò acceptaret, cum plus valeat infinitè? sic enim vsuras exigeret nimis graues. Quapropter fortasiis dicetur, quod talis meretur aliquod præmium sempiternum; vel ergo minus quàm alius liber à debito pœnæ huiusmodi, æqualiterve cum illo: Si minus aut ergo minus æternaliter, aut temporaliter tantum minus; Non minus æternaliter propter rationes præmissas. Ponatur enim quòd Petrus paruulus baptizatus factus adultus, peccando mortaliter cadat à gratia baptismali, quæ sit A, & Paulus adultus in gratia constitutus, per aliquod pium opus mereatur B. gratiam, quæ sit æqualis A vel minor, vltra gratiam suam priorem, vel tantùm eius augmentum: Petrus verò carens,

gratia,

A gratia, qui secundum hypothesin potest eam mereri de congruo, faciat simile pium opus, merendo de congruo primam gratiam post peccatum, quæ sit C; aut ergo C est æqualis A, vel minor, vel maior: si æqualis, redit inconueniens prætaxatum, quòd videlicet adultus laudabiliter operans, beatificetur æqualiter cum paruulo solummodò baptizato. Si autem C sit minor A inconuenientia maior erit. Si verò sit maior, cur Petrus minus dispositus ad merendum quàm Paulus, per simile pium opus plus meretur quàm ipse? Paulus enim meretur B, gratiam æqualem A, tantummodò vel minorem; Imo ponatur, quòd Paulus per aliquod bonum opus mereatur B gratiam minorem quantumuis A gratia, & consequens erit, Petrum per simile bonum opus mereri æqualem gratiam vel minorem; imo videtur rationabiliter quòd minorem, cùm sit minus dispositus ad merendum. Adhuc autem si C sit maior A, hoc est secundum aliquam proportionem finitam; Ponatur ergo quòd meritum Petri per quod meretur C gratiam proportionaliter minoretur, vel infra; & redeunt inconuenientia prælibata; præsertim si secundum Pelagianam hypothesin, Deus nullam gratiam gratis det Petro,
B sed tantùm propter & secundum meritum antecedens. Adhuc autem ponatur Petrum & Paulum in gratia æquali constitui, & Petrum debitorem pœnæ paruulæ pro peccato, Paulum verò nequaquam, & ambos æqualia opera meritoria operari, &c. sicut supra contra responsionem priorem. Sequitur enim planè, quòd magis expediret Petro satisfactionem illam differre, vsque purgatorium post hanc vitam; quòd etiam Petrus saluatus in cœlo, æternaliter punietur; quòd Deus dat ei parcè, & improperat ei semper; quod nunquam satisfaciet, nec vnquam potest satisfacere pro peccato quocunque; quod insuper Deus immisericorditer, crudeliter, & iniustè agit cum eo, portionem videlicet meriti, cui dignè debetur portio gloriæ sempiterna pro satisfactione pœnæ paruulæ compensando, cùm hoc infinitè plus valeat de condigno, & tam iniquè eius præmium defalcando. Adhuc autem si aliquod bonum opus excedat pro satisfactione huius, & aliquod minus sufficiat secundum præmissa & sicut Pelagiani fatentur, aliquod æqualiter sufficit, &c. sicut supra. Amplius autem
C quantum minus æternaliter meretur Petrus quàm Paulus, secundum quid debet quantitas illius minoritatis attendi, nisi fortassis secundum quantitatem pœnæ æternæ prius sibi debitæ pro peccato mortali; sed illa forsitan fuit intensior gloria quàm Paulus meretur: quare & Petrus per illud opus satisfactorium nihil meretur de gloria sempiterna contra hypothesin: imo nec plenè se exuit à toto debito pœnæ antiquæ. Neque necesse est, quòd peccatum Petri præcedens fuit mortale, aut pœna perpetua puniendum. Nonne & si Petrus sit iam in ‖*gloria* constitutus, liber est à debito pœnæ æternæ, & debitor forsitan pœnæ solummodò temporalis? Quomodo ergo Deus iustus exigit nunc ab eo debitum, & satisfactionem pro pœna æterna? Ideo fortassis dicetur in primis quòd in casu priori, Petrus meretur aliquod præmium sempiternum, temporaliter tantùm minus quàm Paulus, tantum videlicet minus & breuius extensiuè, per aliquod certum tempus finitum, quanta fuit pœna temporalis per ‖ gratia
D meritum suum dimissa, & ex tunc æquale extensiuè & intensiuè similiter in æternum; sed nequaquam talis deformitas, imo plena conformitas reputatur à Patribus ponenda in sanctis, in fœlicitate futura, & beatitudine consummata, neque tempus meriti, aut profectus putatur in cœlo post finale iudicium à Patribus Orthodoxis; nec etiam locus carceralis aut pœnalis in cœlo à sanctis Patribus æstimatur. Quis etiam dixerit nullum satisfacere, neque posse satisfacere per pia opera quantacunque, pro quantulocunque peccato in vita præsenti, quin post hanc vitam, si transeat ad futuram, punietur ibi aliqua pœna damni? Simili etiam ratione videtur, quòd duorum æqualiter meritorum non simul decedentium, sed huius, in principio quasi mundi, & illius in fine, prior expectaret posteriorem, nec vllum beatitudinis gustum perciperet ante eum. Quamobrem & fortassis dicetur, quòd in casu præmisso, Petrus & Paulus æqualiter omninò merentur, ergo æquale augmentum gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro; quare & Petrus simpliciter plus meretur; dimissionem videlicet pœnæ suæ, contra hypothesin iam præmissam. Si autem dicatur cum Apostolo ad Romanos,
E 5. Quòd vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia, ideo quia Iesus Christus, per quem gratia & veritas magis applicat virtutem suæ benedictissimæ & immaculatissimæ passionis ad meritum illius, qui est debitor pœnæ temporalis, propter suum delictum, sicque ei vltra meritum suum commune cum alio, etiam pœna remittitur temporalis. Hoc autem non soluit, quia sicut dicit Apostolus, vbi abundauit delictum superabundauit & gratia; est ergo remissio illa pœnæ ex gratia, non ex merito de condigno; neque responsio ista iuuat Pelagianos ingratos debitum meritorum in talibus nullam gratuitam gratiam profitentes; nec ratio vlla cogit Christum passum magis sibi assistere, cùm sit indignior, vel saltem non dignior, quàm sit alter imò cùm assistat voluntariè, potest assistere minus vel æqualiter,

liter, ſicut placet: Aſsiſtat ergo æqualiter, & ſtat argumentum incolume, ſicut priùs. Tunc etiam ſecundum iſtud, quantacunque eſſet pœna temporalis quam deberet, paſsio Chriſti quantolibet paruo merito copulata tolleret illam totam. Nulla enim videtur ratio quare tantam tolleret nec maiorem; imo ſi propter hoc quod in aliquo tantum ſuperabundauit delictum, tanta ſuperabundauit & gratia, eadem ratione in alio, vbi magis ſuperabundauit delictum, maior proportionaliter ſuperabundauit & gratia tollens illud, nec minus aliquid meretur de augmento gratiæ & gloriæ ſempiternæ. Dicunt alij quod ille debitor pœnæ, habebit neceſſario vnam circumſtantiam meriti, quam alius non habebit, ſcilicet quod opus ſuum ſit pœnitentia & Eccleſiaſticum Sacramentum, & illa circumſtantia tollit pœnam temporalem, & meritum principale acquirit augmentum gratiæ & gloriæ ſempiternum. Sed iſtud non ſoluit: Ponatur enim, quod reus peccati venialis, & pœnæ temporalis ſine confeſsione & ſacramentali pœnitẽtia pro illis tollendis faciat aliquod pium opus, & alius immunis omnino æqualiter mereatur: Vel ponatur quod ille immunis credat ſe reum ſimilis peccati, & tantæ pœnæ debitorem, & pro illis tollendis faciat ſimiliter ſimile opus omnino: Vel ponatur adhuc quod ſic credens conteratur, confiteatur, & faciat ex gratia omnia æqualiter ſicut reus, & reuertitur argumentum: Vel adhuc ponatur quod talis reus peccati mortalis tempore legis priſcæ, quæ forſitan ad oris confeſſionem nullatenus obligauit, per gratiam Dei, contritionem, & alia opera ſancta ſatisfecerit pro peccato; aut quod aliquis tempore nouæ legis non habens copiam Confeſſoris, ſimiliter ſatisfaciat pro peccato ſuo mortali, ſine pœnitentiæ ſacramento, & tollitur reſponſiuncula iam præmiſſa. Amplius autem ſi quis meretur augmentum gratiæ de condigno, tunc opera æquè grata æquale merentur augmentum; faciat ergo Ioannes aliquod opus gratiæ tantummodo pro ſeipſo, dicendo cum ſancto Dauide, Miſerere mei Deus; Petrus verò faciat opus gratiæ æquè meritorium pro alijs, & ipſorum gratia intendatur, dicendo cum Apoſtolo, ad Philip. 1. Hoc oro, vt charitas veſtra magis ac magis abundet; tunc gratia Ioannis ſecundum aliquid certum augetur, & gratia Petri tantum; æqualiter enim meretur; & gratia illorum pro quibus Petrus orat, augetur in aliquo: Quicquid enim petierimus Patrem in nomine Filij dabit nobis; Petrus ergo ſimpliciter plus meretur, quod contradicit hypotheſi manifeſtè. Videtur etiam quod oratio Petri in gratia eſſet meriti infiniti: Sint enim multi infideles diſpoſiti ad gratiam fidei Chriſtianæ, pro quibus oret Petrus tantum generaliter, vt conuertantur ad fidem, & fiat vnum ouile, & vnus paſtor. Cùm ergo quicquid petierimus Patrem in nomine Filij, dabit nobis, aliquem vel aliquos illorum conuertet; & cùm nulla ſit cauſa maior pro vno quàm pro alio, (eſto quod æqualiter diſponantur) ſequitur quod ſinguli conuertentur; & eadem ratione ſic fieret, ſi eſſent centum, vel mille, vel in aliquo numero quantocunque. Oratio ergo Petri, quantum eſt de ſe, non eſt meriti limitati, ſed potiùs infiniti. Confirmatur hæc ratio, quia ſi oratio Petri tantum vni valeret, eſſet certi meriti; ſi valeat duobus, eſt maioris, & ſic deinceps; & quanto eſt maioris meriti, tanto dignior eſt, vt pro pluribus acceptetur: Quanto ergo pro pluribus orat, & auditur, tanto adhuc pro pluribus digniùs audietur. Rurſum cùm nullo modo rationabile videatur, quod meritum orationis Petri plus valeat ex debito, alij, vel alijs, quàm ipſi Petro, cum Pſalmus trigeſimus quartus dicat, Oratio mea in ſinu meo conuertetur, videtur quod illa oratio ſit etiam ipſi Petro meriti infiniti. Si autem dicatur, quod quanto pluribus meretur gratiam, tanto cuilibet illorum minorem meretur; quare ratio illa non procedit; hoc ſtare non poteſt: quia tunc mereretur aliquibus minorem gratiam gratia baptiſmali, & minorem gloriam ſempiternam, quàm ſit minima gloria paruulorum, aut quæ per ſe poſſit ſentiri. Amplius autem quod opera æquè grata non mereantur condignè gratiam augeri æqualiter, ſuadetur; quia tunc eadem ratione mererentur æqualiter cætera bona cuncta; cum tamen duorum æqualium prior decedens ſemper æquè intenſè, & cum hoc diutius alio glorietur. Item tunc exiſtens in gratia poſſet per orationes ſuas mereri de condigno primam gratiam alteri gratiam non habenti; non ergo eſſet gratia per prædicta; imò & poſſet mereri de condigno ſibi ipſi gratiam primam dari: Oret enim in gratia; quod ſi contingat eum cadere ab ea peccando mortaliter, Deus infundat ſibi gratiam reſurgendi, & ſit oratio ſua tam efficax, quod hoc impetret de condigno, tunc ſi peccet mortaliter, Deus tenetur ex merito ſuo condigno priori, dare ſibi gratiam primam qua reſurgat. Item tunc adultus in primo inſtanti, quo ſibi infunditur gratia, poteſt meritoriè illa vti. ſicut planè docet Anſelmus, De veritate, 12. quod & multis rationibus, & autoritatibus aliàs erat ſuaſum, &, vt æſtimo, perſuaſum. Quare & poteſt mereri condignè, & recipere in eodem inſtanti augmentum illius. Et cum in qualitate intenſa non ſit cumulus partium remiſſarum, ſed ſit ſemper tantùm || *vnica* qualitas purè ſimplex, vt hic ſuppono, quia hoc vt arbitror alibi eſt oſtenſum;

|| vniuoca

A ostensum; potest ergo mereri condignè gratiam suam primam, quod est contra positionem istorum, & contra Catholicam veritatem, sicut 35um cap. declarauit. Rursum si in instanti mereatur condignè certum augmentum gratiæ sibi dari, sequitur quòd si similiter mereatur continuè per aliquod totum tempus, merebitur condignè augmentum gratiæ infinitum; vel per aliquod totum tempus continuum, merendo similiter, sicut in instanti æqualiter tantùm merebitur condignè sicut in instanti, & per aliquod totum tempus continuum adhuc minus. Ampliùs autem tunc aliquis gratiosus posset mereri condignè cuilibet viatori, etiam reprobo gratiam conuersionis, & gloriam sempiternam cum aliquibus prædestinatis peioribus illis possit; cuius oppositum patuit de Samuele orante pro Saule, & Ieremia orante pro populo Iudæorum, & per Augustinum 21. de Ciuitate Dei 25. vniuersaliter de omnibus reprobis, sicut 25um capitulum allegauit. Item aliquis finaliter reprobatus habet aliquoties charitatem, qui postea respicit, & similiter abit retrò, vel saltem hoc est possibile, alioquin omnis habens

B charitatem & gratiam necessariò saluaretur; quod & fuit verum de Saule, & Iuda, sicut Doctores affirmant: Talis autem existens in gratia quantacunque, non potest mereri condignè, quòd Deus eum amet ad vitam; Exerceat enim se talis reprobatus in operibus gratiæ quantumcunque, etiam decies millies plusquam faciat vnus prædestinatus; nec adhuc Deus amat eum ad vitam, sed tantum odit eum ad mortem, sicut vnquam faciet in futuro; Cùm enim talis post omnia merita sit mortuus & sepultus in Inferno, finaliterque damnatus, certum est Deum non amare ipsum ad vitam, sed odire ad mortem; quare nec vnquam eum amauit, nec etiam non odiuit, sicut 23. & 25. docent. Præterea si talis possit mereri condignè, quòd Deus eum amaret, posset mouere voluntatem diuinam de reprobatione ad prędestinationem, de odio ad amorem, vel saltem posset eam à priori & ‖*efficienter* mouere, contra 20um. & si vnus existens in gratia non potest mereri condignè quòd ametur ad vitam *æternam*, ergo nullus. Similiter quoque potest ostendi, quòd nullus existens in gratia potest mereri de congruo ‖ efficaciter ‖ perpetuã;

C causaliter & antecedenter voluntati diuinæ, quòd ametur à Deo ad vitam æternam, vel quòd magis ametur ab eo. Amplius autem videtur, quòd nullus potest mereri de condigno, & de rigori iuris aliquid boni à Deo, nisi forsitan sit tale bonum, quod ad meritum inseparabiliter consequatur, sicut est fortassis esse merentem bonum & iustum simpliciter vel in parte; Alias enim qui mereretur, cogeret Deum & voluntatem diuinam necessariò ad reddendum, vel ad reddere volendum mercedem, vel ad perdendum iustitiam. Si enim iustus Dominus in omnibus vijs suis permaneat, & aliquis mereatur condignè quicquam ab eo, iustum est vt hoc habeat, & omne tale iustum à voluntate Dei est iustum, sicut 21um docet. Quare necesse est vt velit reddere illud sibi; maximè cùm per 22um habeat actum voluntatis circa retributionem mercedis, quapropter & cùm non deficiat sibi posse, necesse est vt reddat, sicut decimum ostendebat; sicque creatura cogeret Deum velle, & etiam extrinsecus operari, quod nullo modo permittet prima Suppositio, & eius perfectio infinita, neque 20um poterit consentire.

D Item ponatur secundum aduersarios, quòd Iohannes heri meruit de condigno *A* bonum cras sibi reddi à Deo; Heri ergo fuit iustum, & volutum à Deo, quòd *A* cras redderetur Iohanni; ponatur etiam quòd hodiè demereatur *A*; Deus ergo hodie non vult reddere *A* Iohanni; quare & per 23um nec heri volebat; imò hodiè vult quod nunquam habebit *A*, quapropter & per idem 23um volebat heri similiter. Adhuc autem si quis potest quicquam condignè mereri à Deo potest, vt videtur, mereri condignè sibi vel alteri existenti in gratia, vt perseueret finaliter & saluetur; quod si fecerit, talis viator non potest peccare mortaliter nec damnari. Item per 20um huius, nullum meritum est motiuum voluntatis diuinę quare nec causa, quare Deus vult dare cuiquam hoc vel illud. Et per eadem argumenta potest ostendi, quòd nullus causaliter & antecedenter meretur de congruo quicquam boni à Deo, supposito quod nullum congruum sit iniustum, sicut nullum iniustum videtur congruum, & quòd omne congruum sit iustum, volutumq; à Deo. Item nullus meretur condignè quicquam ab alio, qui nihil prius facit pro eo,

E aut dat sibi. Nam opus proprium laborantis debet mercedem præcedere tempore vel natura. Si enim omnem operationem à Deo priore recipiat, & in eius virtute continuet, non videtur per hoc mereri condignè quicquam ab eo, sed magis teneri sibi post operationem suam quàm ante; quia tunc plus boni benignè recepit ab eo, quàm ante, & maximè qui nihil proprium dantis donat, sed tantùm bonum illius cui donatur. Nullus autem homo priùs facit pro Deo; Ipse enim in qualibet factione & motione est ‖*primus* factor & motor, sicut ex superioribus clarè patet. Quid ergo meretur homo condignè per huiusmodi factionem? Hæc autem videtur ratio Apostoli ad Rom. 11. Quis, inquit, prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniã ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Vnde constat, quod ex gratia sola dat bona, non ex merito præcedenti. Quare & Aug. super illud Psal. 32. Omnia opera eius in fide, innuens distinctio- ‖principalis *Apostolus.* *Rom. 11.* *Augustinus,*

distinctionem de debitore & debito ita dicit; Teneamus Deum fidelissimum debitorem, quia tenemus misericordissimum promissorem: Neque enim aliquid ei mutuum commodauimus, vt debitorem teneamus, cùm ab illo habeamus quicquid ei offerimus. Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ab ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: Ergo non ei aliquid dedimus, & debitorem tenemus. Vnde ergo debitorem? quia fidelissimum promissorem; Cui concordat Anselmus de Concordia 9. dicens, Deus nulli dat pro præcedenti merito. Quando quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Idemq; 1, Cur Deus homo 20. Deus nulli quicquam debet, sed omnis creatura illi debet, & ideo non expedit homini, vt agat cum Deo quemadmodum par cum pari. Lumbardus etiam 1. Sentent. dist. 43. sequens Augustinum, dicit Deum non esse debitorem nostrum nisi forsitan ex promisso, non ex commisso. Hoc idem sentit Cypryanus superius allegatus, cum dicit, in nullo nobis gloriandum, quoniam nostrum nihil est. Et Glossa super illud ad Rom. 4. Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum, Quod, inquit, benè operamur accepta gratia, non nobis sed illi tribuendum est, qui per gratiã nos iustificauit: Nam si debitam ante gratiam mercedem vellet reddere, peccatoribus pœnam redderet debitam. Non igitur tibi || *blandiaris* de meritis, cum tibi reddi mercedem secundum debitum operis audis, tanquam non sit in opere gratia retribuentis, sicut in fide est gratia iustificantis. Vix enim mihi suadeo vllum opus dici ex debito, remuneratione Dei deposcere, cum etiam hoc ipsum quod agere aliquid possumus, vel cogitare, vel proloqui, ipsius dono & largitione faciamus. Beatus quoque Bernard. de gratia & lib. arbit. vlt. tractans de corona iustitiæ reddenda Apostolo vult hoc idem. Item per primam Suppositionem & tertiam partem Corollarij primi huius, nihil, quod aliquo modo minuit libertatem tribuendum est Deo; sed debere de condigno, & puro iuris rigore minuit libertatem, & aliquo modo subijcit seruituti; Nam liberior esset Dominus, qui haberet seruos operantes, & nihil teneretur eis ex debito vel rigore, sed tantum ex spontanea libertate, quàm qui teneretur seruis suis operantibus ex necessario debito & rigore, & ad reddendum posset compelli inuitus, qui etiam alias subiaceret iniuriæ seruituti. Item per eadem nihil quod minuit libertatem donantis, tribuendum est Deo, sed debitum minuit; Liberalius enim est dare gratis quam debitè. Item nullus meretur aliquid ab alio de condigno, qui non facit aliquid, quod sibi aliquo modo sit bonum, sed tantummodò facienti; sed per quintam partem Corollarij primi huius, nullus homo facit aliquod bonum Deo. Quare & Iob 22. Quid prodes Deo, si iustus fueris, aut quid ei confers, si immaculata fuerit vita tua? sed quicquid boni facit homo, proficit sibi ipsi. Vndè & August. 3. de lib. arbit. 25. Deus nulli debet aliquid, quia omnia gratuitò præstat, & si quis dicat aliquid ab illo deberi meritis suis, certè vt esset non ei debebatur. Non enim erat cui deberetur, & tamen quod meritum est conuerti ad eum ex quo es, vt ex ipso etiam melior sis, ex quo habes vt sis? quid ergo ei prærogas vt tanquam debitum poscas, quando si nolles ad eum conuerti, nihil ei deesset, tu autem miser esses? omnia ergo illi debent, primo quòd sunt, in quantum naturæ sunt; deindè quicquid melius possunt esse si velint quæcunque acceperunt vt velint, & quicquid oportet eas esse. Item nullus carens gratia, potest ex se satisfacere Deo condignè pro peccato originali, aut minimo actuali sicut videtur ex præmissis circa 32^am^ partem, 38^am^ & 39^am^ Corollarij primi huius; quare nec mereri quicquam ab eo de debito & condigno. Quicquid enim boni talis poterit facere, minus est debito pro peccato. Nam alias talis possit ex se mereri condignè gratiam in præsenti, & gloriam in futuro contra priora. Hoc etiam probat Anselmus 1. Cur Deus homo 21. & 22. quod & beatus Iob videtur sentire cum dicit, Peccaui, quid faciam tibi ô Custos hominũ? Iob 7. quasi dicat, Peccaui, quid faciam tibi pro satisfactione condigna? innuendo, quòd nihil. Super quod beatus Greg. 8. Moral. 21. dicit; Eccè fatetur malum quod fecit, sed bonum, quod Deo in recompensationem debeat offerre, non inuenit; quia ad abluendam culpam, quælibet humanæ actionis virtus infirma est, nisi hanc misericordia parcentis foueat, & non iustitia rectè iudicantis premat. Itẽ nullus potest reddere plenariè debitũ quod accepit à Deo; quare nec quicquam mereri ab eo ex purè debito, & condigno; Filius enim non potest reddere patri carnali quantũ debet; quanto minus potest quis reddere quantũ debet Patri cœlesti. Si enim filius possit reddere patri quantũ debet; reddat, & est absolutus ab omni obligatione naturali & debito erga patrẽ, ita quòd nullo casu emergente plus tenetur patri, quàm extraneo cuicũq; quod lex naturæ, & gratitudinis non permittit. Vndè Philos. 8 Eth. vlt. Reddendum || *tribuentem* quod contingit; Posse enim amicitia requirit, non quod secundũ dignitatem. Neq; enim in omnibus est, quemadmodum & in his, quæ ad Deos, hominibus, & parentes. Nullus enim secundum dignitatem aliquandò vtique retribuet: in potentiam autem famulans epieikes esse videtur; debentem enim reddendum; nihil autem faciens dignum eorum, quæ subfuerunt,

[Margin notes: *Anselmus.* — *Cyprianus.* — *Glossa.* — || confidas — *Iob.* 22. — *Augustinus* — *Anselmus.* — *Gregorius.* — *Philosophus.* — || retribuendum; margin letters A, B, C, D, E]

A fuerunt, operatus est; quare semper debet. Item quicunque recepit aliquid ab alio, tenetur ad æquale si posit, sicut lex gratitudinis clarè probat; vnde dicit Philosophus, 8. Eth. 13. Potenti retribuendum secundum dignitatem eorum quæ passus est, & sponte; cui & concordat autoritas proximo allegata. Et 5. Eth. 8. ponitur quædam species iustitiæ commutatiuæ retribuere proportionaliter beneficio præaccepto: Dicitur enim ibi; In contra facere proportionale commanet ciuitas, si autem non, seruitus videtur esse; si enim non, retributio non fit, retributione autem commanent: propter quod & gratiarum sacramentum promptè faciunt, vt retributio fit, hoc enim proprium gratiæ: refamulari enim oportet ei qui gratiam fecit, & rursus ipsum incipere gratiam facientem, quod & septem libri Senecæ de beneficijs sæpissimè cõtestantur. Quare & si plus recepit, quàm retribuere valeat, tenetur retribuere quantum potest, quod & prima autoritas Philosophi planè dicit. Sed Deus plus fecit pro nobis quàm possumus reddere ad condignum, sicut vult prima autoritas Philosophi memorata, & patet, quia
B Deus dedit homini totum seipsum, & omnes suas potentias, ac habitus siue actus sicut præcedentia manifestant: Hæc ergo omnia debet Deo. Adhuc autem vltra ista, Deus dedit homini, & pro homine misero, & captiuo, flammis perpetuis obligato, seipsum incarnatum, passum, mortuum & sepultum in preciũ temporaliter redimendo; promittit insuper & dat seipsum totum in præmium fœliciter consummando, quod excedit quemlibet purum hominem infinitè: Quilibet ergo homo debet Deo infinitè plusquam est, & potest, vel ad minimum quantum potest. Confirmatur hæc ratio per Anselm. in illa Meditatione sua de redempt. humanæ animæ, ‖*Christiana* anima de graui morte resuscitata, dicentem; Certe Domine, quia me fecisti, debeo amori tuo meipsum totum; quia me redemisti, debeo meipsum totum, imo tantum debeo amori tuo plusquam meipsum, quantum tu es maior me pro quo dedisti teipsum, & cui promittis teipsum. Respondetur fortè secundum eundem Anselm. 2. Cur Deus homo, 18. dicentem; Cùm dicis creaturam debere Deo quod melius scit ac potest, si intelligis ex debito, & non sub-
C audis, si Deus iubet, non est semper verum. Siquidem non debet homo virginitatem ex debito, sed si vult debet vti coniugio: sed istud non soluit; Deus enim non iubendo, non destruit lege gratitudinis, quàm sanciuit, & hac lege quilibet benefaciatus tenetur benefactori ad æquale vel maius, vel saltem ad id quod potest, vt volunt autoritates priores. Item si Deus exigeret, homo teneretur facere quantum posset; si autem non exigat, sed voluntati propriæ liberũ derelinquat, plus facit pro eo, cùm libertatem maiorem concedat; quare & hoc ipso, homo plus vel saltem tantum obligatur Deo, quàm vel quantum esset aliàs obligatus. Hic aliquis forsitan respondebit, quòd Deus potest totam illam obligationem remittere: Dicit enim Philos. 8. Eth. vlt. statim post autoritatem allegatam de retributione dijs & parentibus facienda, quibus autem debetur, potestas dimittere & patri vtique. Sed rursum contra istum reuertitur argumentum: nam tantum debitum, & tantam obligationem remittere est beneficium vnum non paruum. Pro illo ergo cum alijs amplius obligatur, sicut si creditor omnem pecuniam accom-
D modatam debitori liberè condonaret, & quantum posset, omnem obligationem remitteret, tanto ipsum sibi arctius obligaret, quanto secundum beneficium primum excederet. Verùm ne Anselmo & Arist. videar contraire, dico, quòd sicut potest elici ex sententia vtriusque; Debere est dupliciter, scilicet potentialiter seu habitualiter, & actualiter; actualiter debere, intelligo actualiter obligari ad aliquid faciendum sub pœna peccati, sicut est de operario conducto ad certam operam faciendum, sicq; non tenemur facere quicquid poterimus propter Deum; & hæc est fortè mens Anselmi, & sic secundum Arist. pater potest dimittere filio, & Deus homini, ne sibi, quantum potuerit, obligetur. Potentialiter verò siue habitualiter debere intelligo quenquam beneficiatum ex beneficio præaccepto, habere obligationem in potentia & in habitu ad aliquid faciendum, quæ cùm benefactori placuerit, potest reduci ad actum, scilicet si exigat hoc ab eo; velut si Iohannes traderet Petro, 10. interposita tali conditione; Habeas liberè ista 10. nisi contingat me ipsa repetere; quæ si repetam, mihi resoluere tenearis; & sic quę-
E libet rationalis creatura tenetur Deo per omnia quantum potest, scilicet si velit exigere hoc ab ea. Quapropter nihil boni potest ex stricto, debito, & violento rigore mereri ab eo, sicut nec Petrus pro illis, 10. quicquam emere à Iohanne. Quod enim habeat quodammodo liberum, & proprium hoc vel illud ad merendum, emendum, vel aliquid faciendum non ex se, sed ex Deo, & hoc non ex aliquo debito præcontracto, sed omnino de gratia & permissione libera suæ gratuitæ voluntatis. Amplius autem quod nullus de congruo primam gratiam mereatur, quia vel hoc esset congruitate antecedente voluntatem diuinam, & mouente eam ad gratiam faciendam; vel consequente illam, & dependente ab ea: si congruitate antecedente, cum omnis talis congruitas sit quædam ratio, & iustitia, rationabile est & iustum ratione & iustitia antecedentibus voluntatem diuinam, quòd Deus det gratiam suam tali; quare & per 21. hoc est ne-
cessariò

Anselmus.
‖ Christi

Philosophus.

cessariò rationabile & iustum;necesse ergo est Deum hoc facere,vel facere contra necessariam rationem & iustitiã,& peccare;& etiã tunc talis congruitas inferior moueret voluntatẽ diuinã cótra 20.& ipsam de se indifferentẽ determinaret,essetq; à diuina prouidentia penitus aliena, contra 27.& alia quæ sequuntur.Si congruitate consequente voluntatem diuinam,tunc illa est posterior voluntate diuina; quare & per 20.nullo modo mouet illam ad volendum conferre gratiam, tanquam meritum excitans & inducens. Item, si sit ita, congruum est Deum dare gratiam sic merenti,quia hoc volutum est à Deo;ergo hoc nedum est congruum vt hi dicunt, sed etiam est condignum, quicquid Deus vult fieri, dignum & iustum est fieri, sicut vigesimum primum capitulum demonstrauit, nec aliquis dubitat, qui de diuina iustitia est securus, & scit quod omne iustũ est dignum. Dicent fortassis quod bene est dignũ, sed non condignũ; sed quid estcondignum,nisi cum ratione & iustitia dignũ? Quare & Hest.6.scribitur isto modo, Hoc honore condignus est,quemcunq; Rex voluerit honorare. Itidem sic ad idem,omne sufficiens est condignum (sic enim exponit Glossa, illud ad Rom.8. Non sunt condignæ passiones,&c. condignæ, id est, sufficientes) sed tale opus est sufficiens ad gratiam impetrandam. Nam nihil sibi deest; Impetrat enim illam. Illud etiam est sufficiens, quod Deus vult & discernit sufficere ex parte operantis, & tale est opus huiusmodi secundum positionem istorum: Si autem dicatur, quod non est condignum, id est, æquè bonum, ita nec opus in gratia est æquè bonum cum augmento gratiæ temporalis & gloriæ sempiternæ, sicut superius est argutum. Item si hoc sit congruum congruitate consequente voluntarem diuinam, scilicet quia Deus vult sic fieri, tunc etiam qui nihil boni facit, sed peccat mortaliter & grauissimè, sicut fecit Paulus, quando adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini, nomen Christianum conabatur delere, meretur de congruo gratiam sibi dari; quia Deus vult quod sic fiat: Ipse enim per gratiam suam operantem gratuitè præuenit peccatores sicut superius est ostensum. Et si dicatur, quod Deus dat talibus gratiam, sed non pro talibus malis factis, ideoq; per talia non merentur de congruo gratiam sibi dari; ergo secundum istos, illis qui merentur gratiam primam de congruo, Deus dat illam propter merita sua priora; ergo gratia iam non est gratia, sicut superius est argutum, & etiam tunc illa merita antecedenter & causaliter à priori mouent voluntatem diuinam, & causant volutionem in ea, cuius contrarium dicebatur, scilicet quod congruum est Deum sic facere congruitate tantummodo consequente voluntatem diuinam: huius quoque contrarium vigesimum capitulum ostendebat. Item *Augustinus.* Augustinus super illud Psalmi 118[i]. Retribue seruo tuo, quadruplicem retributionem distinguens, ostendit, quod Deus retribuit bona pro malis: Dicit enim, Quatuor retributiones sunt: Aut mala pro malis retribuuntur, sicut Deus ignem æternum retributurus est impijs; aut bona pro bonis, sicut regnum æternum retributurus est iustis; aut bona pro malis, sicut Christus per gratiam iustificat impium; aut mala pro bonis, sicut Iudas per malitiam persecutus est Christũ. Harum quatuor retributionum duæ priores pertinẽt ad iustitiam, tertia ad misericordiã;quartam Deus nescit: Hæc autẽ tertia primitꝰ est necessaria;nisi enim retribueret bona pro malis,nullo modo essent,quibꝰ retribueret bona pro bonis. Potest autẽ hæc ratio aliter fieri sub hac forma, cùm quis Dei gratiam meretur de congruo, vel quia Deus vult sic esse, ideo hoc est congruum;vel quia hoc est congruũ,ideo Deus vult sic esse: Si detur primũ, ita similiter est cõdignum, & ita est de pessimè operante,& etiam tunc,est iustũ posterius voluntate diuina;quapropter non est causa illius;Prius enim naturaliter Deus vult sic esse,& sic volendo facit illud esse congruum;non ergo quia hoc est congruum,Deus vult sic esse: Si detur secundũ, tunc per vigesimum hoc non est iustum positiuũ & contingens aliter se habere,quia omne tale iustum dependet à voluntate diuina; sed est iustum necessarium absolutè, vel saltem est iustum mixtim, & sic, supposito quod tale factum sit de necessitate, est iustum, & sic Deus de necessitate seruandæ iustitiæ daret gratiam sic merenti. Item Deus potest liberè non dare gratiam sic operanti: Ponatur ergo quod non faciat, tunc non est congruum; vel si vni sic operanti dat gratiam, & alteri operanti similiter non dat illam,non ergo est hoc per se congruum, & ideo volutum à Deo, sed è contra. Item facilius est cuicunque existenti in gratia mereri de congruo quod Deus eum amet, vel quod plus eum amet ad vitam, quàm carenti gratia mereri primam gratiam,& quod ametur à Deo ad vitam æternam; sed præscitus ad mortem existens in gratia, hoc non potest, sicut superius est argutum. Item cùm quis meretur à Deo quicquam de congruo,cum omne congruum sit iustum,quia omne iniustum est incongruum, illud est iustum, & oppositum eius iniustum; quare & impossibile circa Deum, sicut prima Suppositio, & 3. pars corollarij primi probant; dicitque Anselmus 1. Cur Deus homo 10. In Deo quantumlibet paruum inconueniens sequitur impossibilitas, & si oppositum eius sit impossibile, hoc est necessarium, & omne iustum necessarium est condignum: Quicunque ergo

A ergo meretur à Deo quicquam de congruo, meretur etiam de condigno. Dicitur fortè quod aliquis meretur à Deo quicquam de congruo, quia si Deus hoc reddat, congruum est, & pro certo ita est si Deus reddat sibi pœnam: non magis ergo meretur de congruo gratiam quam pœnam; & similiter si peccanti grauissimè Deus reddat gratiam, congruum est, ergo meretur eam de congruo; & si duo omnino similiter operentur, & Deus det vni gratiam, alteri non det || *vllam*, vnus meretur eam de congruo, & non alius, cùm tamen per omnia similiter operetur; & etiam si Deus sic reddat, sic fieri est condignum; nihil enim in talibus dignum est aut condignum, nisi quia volutum est à Deo, quia nec rationabile, neque iustum, sicut 21. capitulum ostendebat, & Hest. 6. Tali honore condignus est, quemcunque Rex voluerit honorare. Item secundum istos, homo carens gratia, potest mereri aliquid de condigno, sed gratiam tantùm de congruo; vel ergo est aliquod maximum, quod potest mereri de condigno, vel minimum quod non potest; Si detur maximum quod potest, sit illud *A*, vel ergo *A* est bonum fi-

|| illam; *Hest.* 6.

B nitum, vel infinitum: Si finitum, potest adhuc aliquid mereri vlterius, *A* ergo non est maximum quod potest mereri: Si infinitum, hoc non videtur, quia quilibet actus suus fuit finitus, & omnes simul finiti in merito & valore, & quia adhuc posset plus mereri, nec Deus posset eum præmiari condignè, quia non potest facere infinitum, sicut ex ostensione 40ª partis Corollarij, primi patet; nec potest negari prima diuisio, Si aliquod bonum posit de condigno mereri, aliquodq; non posit; Capiatur enim paruum bonum quod potest mereri condignè, quod imaginariè crescat continuè, donec sit tantum, quantum condignè mereri non posit. Tunc *A* in aliquo instanti, quod sit *B* incipiet esse tantum quantum talis condignè mereri non posit: Vel ergo *A* incipiet in *B*, intrinsecè esse tantum, scilicet quòd tunc primò erit tantum, & tunc est aliquod nimirum quod mereri condignè non potest: Non enim potest condigne mereri, quantum tunc erit *A*, & quantumlibet minus potest; vel *A* incipiet extrinsecè esse tantum, quantum talis condigne mereri non posit, scilicet quod tunc non erit tan-

C tum, sed immediatè post erit, & tunc *A* erit maximum quod talis potest condigne mereri: Quoniam tantum potest mereri condignè, quantum *A* erit in *B*, vt datur, & nihil vlterius maius eo. Item mereantur de || *congruo* Iohannes & Petrus infideles æqualiter, & æque diu primas gratias sibi dari, & Iohannes post certum tempus in *A* instanti recipiat gratiam, secundum quod meruit; Petrus verò in *A* decedat: Ex quo ergo meruit æqualiter cum Iohanne, nec per eum stat, quod decedit, vt pono, Deus ipsum de congruo æquali gratia præmiabit, finaliterque saluabit, cùm nullo baptismo fluminis, flaminis, aut sanguinis fuerit baptizatus, quod videtur contra Euangelium, & omnes Doctores, & fidem Ecclesiæ generalem. Vnde Iohan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei, & hoc ad literam realiter, vel saltem spiritualiter, & virtualiter, sicut Doctores exponunt, quod fit in adultis, credendo, & baptizari volendo, vel pro Dei amore sanguinem proprium effundendo. Item dicit Augustinus de gratia & libero arbitrio 50. Suspicentur homines quęlibet

|| condigno *Iohan.* 3. *Augustinus.*

D merita bona, quæ putant præcedere, vt iustificentur per Dei gratiam, non intelligentes, cùm hoc dicunt, nihil aliud quàm negare se gratiam: Qui ergo merita de congruo gratiæ Dei præponunt, gratiam Dei negant. Obijciet forsitan aliquis contra dicta: Primò probando quòd aliquis potest mereri condignè gloriam sempiternam: Nam Sapient. 3. dicitur sic de Iustis, In paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus temptauit illos, & inuenit illos dignos se: Et Ecclesiastici 26. Omnis ponderatio non est digna continentis animæ, ergo anima continens meretur condignè præmium infinitum: & Luc. 10. Dignus est operarius mercede sua; merces autem operariorum in vinea Christi est denarius gloriæ infinitæ: Et infra eiusdem 20. Illi qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis &c. Et Apoc. 3. Ambulabunt mecum in albis, quoniam digni sunt, cum suis similibus satis multis. Hoc idem ratio manifestat; omnis enim actus virtuosus melior est incomparabiliter omni bono vtili, vel delectabili distincto contra bonum honestum, virtuosum, & iustum; alias enim bonum v-

Sapient. 3. *Eccles.* 26. *Luc.* 10.

E tile vel delectabile posset tantum augeri, quòd esset æquè bonum cum felicitate quæ consistit in actibus virtuosis, vt patet 1. Eth. 9. & pòst, imò & quòd esset melius, & sic cùm felicitas sit maximum bonum humanum, vt patet ibi & alibi, per omnes vulgares Philosophicos, & Theologicos, ipsa esset in pecunijs aut voluptatibus statuenda, contra omnes sanè sapientes, & contra totum processum Philosophi memoratum. Tunc quoque tantum acceptaretur à Deo magnum bonum datum, vel delectabile derelictum, quantum actus maximus virtuosus; & etiam tantum vel magis secundum rectam rationem posset homo eligere diuitias, & voluptates æternas sine iustitia & virtute, etiam ad quam tenetur sicut actum || *virtutis*, cùm tamen eligendo sic peccet, & faciat contrariū rationi. Videtur insuper, quòd illud sit melius homini, quod habitum necessariò efficit ipsum bonum, quàm quod habitū non sic facit, sed ipsum malum & miserum

|| veritatis

miſerum eſſe ſinit; Actus autem virtuoſus habitus à quocunque neceſſariò efficit ipſum bonū; A
Philoſophus. ſed omnis pecunia & voluptas poteſt adeſſe malo & miſero cuicunq; ſic autem probat Philoſ. 1. Eth. 12. fœlicitatem non in poſſeſsione vel habitu, ſed in operatione ponendam. Dicit enim, differt autem non parum in poſſeſſione vel vſu, optimum exiſtimare, & in habitu vel operatione. Habitum quidem enim contingit nullum bonum perficere exiſtentem, vt puta dormienti & aliter otioſo, operationem autem non poſſibile eſt; operabitur enim ex neceſſitate & benè operabitur. Item qui diligit Deum ſuper omnia toto corde, & facit omnia propter eum, non poteſt remunerari condignè minori quàm Deo; Nullus enim amor videtur recompenſandus condignè bono minori quam tanto, quanto amans amatum ſuum præponit, & quantum citius relinqueret quàm amatum; Si enim amor eſt recompenſandus amore, ergo & maior maiore, & æqualis æquali; Nam alias proportio debita claudicaret. Amor autem in potente otioſus eſſe non poteſt: Amare enim eſt velle bonum amato & facere, ſicut docent præmiſſa 39. huius; Deus ergo omnipotens amatus ab homine ſuper omnia toto corde, ip- B
ſum de condigno æqualiter redamans vult ſibi bonum, ſuper omnia bona bonum, & hoc poteſt, hoc ergo ſibi retribuit, vel retribuet pro tempore opportuno. Tale autem bonum ſuper omnia alia bona bonum, eſt tantummodò ipſe Deus. Deus ergo ſeipſum de condigno retribuet ſic amanti; ſicut & patet ex oſtenſione 32. & 34. partis Corollarij primi huius. Vndè &
Anſelmus. Anſelmus Monol. 70. Nihil poteſt eſſe præmium huius amoris, niſi quod ſupereminet in omnibus naturis: Quid enim ſumma bonitas retribuet amanti, & diſideranti ſe niſi ſeipſam? Nam quicquid aliud retribuat, non retribuit, quia nec compenſatur amori, nec conſolatur
Philoſophus. amantem, nec ſatiat deſiderantem. Pro quo & dicit Philoſophus 9. Eth. 1. Contendunt autem cum altera fiunt ipſis, & non quæ appetunt. Simile enim eſt, quod eſt nihil fieri, cum eo quod appetit, non potitur. Hoc iterum confirmatur; Amicitia enim & amor talem proportionalitatem, vt videtur, condignè requirit, quòd quantum proportionaliter per vires ſuas, vel ſupra, ſi poſſet, amans faceret pro amato; tantum proportionaliter ſecundum vires ſuas, amatus fa- C
ciat pro amante; ſed homo ſic amans Deum, faceret pro eo, & daret ſibi ſi poſſet bonum, ſuper omnia bona bonum, & melius: Deus ergò cum ſit omnipotens, de condigno faciet ſibi tantum. Item quòd homo poteſt mereri condignè aliquod bonum, videtur. Nam quodlibet opus bonum eſſentialiter & inſeparabiliter ſequitur quædam bonitas, quædam rectitudo, quædam iuſtitia, pulchritudò, decentia, ſeu honeſtas, vel etiam actualiter bonum eſſe, rectum & iuſtum; & hæc videtur aliqua ſua merces, quam de condigno meretur. Ampliùs autem non decet ſummam iuſtitiam, & clementiſsimam bonitatem, promptiùs punire peccantes, quam præmiare benè operantes, ſicut & videtur ex 31. parte corollarij, primi, huius: ſed quemlibet peccantem ſtatim, & inſeparabiliter ſequitur ſua pœna, ſcilicet iniuſtitia, peccatum, & ſeruitus peccati, priuatio iuſtitiæ, & libertatis quam prius habebat, ſaltem reſpectu illarum iniuſtitiæ, & ſeruitutis, quas nouiter tunc incurrit; ſicut & patet per eandem 31^am^
partem; quare & è contrario, in quolibet bono facto. Licet autem ſatis conſtare debeat, quod D
quicunque peccans eo ipſo neceſſariò & inſeparabiliter incurrit peccatum, iniuſtitiam, & ſeruitutem peccati, eſſe peccatorem, iniuſtum, & ſeruum peccati, cum priuationibus ſuprà dictis, & multis malis ſimilibus, quæ remanent in eo etiam poſt peccare, ſicut inhæſerunt ſibi quandò actu peccauit, quæ omnia ſunt digna pœna prioris peccati, ſeu peccare; Poteſt tamen hoc ex abundanti aliquibus teſtimonijs authenticis confirmari. Autor enim Autorum
Iob. 7. Iohan. 8. ſic dicit; Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Vndè & Iob. 7. Peccaui: Quid faciam tibi, O cuſtos hominum? quare poſuiſti me contrarium tibi? videlicet per peccatum, & factus ſum mihimet ipſi grauis, ſcilicet per pœnam. Super quod dicit Gregorius 8. Moral. 22. Hæc contrarietas culpæ facta eſt homini pondus pœnæ, vt corruptioni ſuæ malæ liber ſeruiat, qui benè ſeruus de incorruptionis libertate gaudebat. Hoc idem vult Auguſtinus 1. de libero arbitrio, 20. & 2. 1. ſed manifeſtiùs 3. 19. & poſt oſtendit, quod omne vitium & peccatum eſt corruptio naturæ, & alicuius boni naturalis; & idem patet per E
eundem, 12. de Ciuit. Dei 6. & Enchirid. 7. Manifeſtiſsimè verò hoc oſtendit 3. de libero arbitrio, 24. dicens, quia nemo ſuperat leges omnipotentis Creatoris; non ſinitur anima nòn reddere debitum: Aut enim reddit benè vtendo quod accepit, aut amittendo, quod vti benè noluit. Itaque ſi non reddit faciendo iuſtitiam, reddet patiendo miſeriam: Nullo autem interuallo temporis iſta diuiduntur, vt quaſi alio tempore non faciat quod debet, & alio patiatur quod debet, ne vel puncto temporis vniuerſalis pulchritudo turpetur, vt ſit in ea peccati dedecus ſine decore vindictæ. Hoc etiam patet conjunctim in bonis factis & malis: Dicit e-
Hermes. nim Hermes de Deo; Qui nullius malefactoris opus juſtificat, & nullum benefactorem præ-
Ariſtoteles. mijs priuat: Cui & Ariſt. cōcordanter in De Mundo vlt. Hunc inquit, ſemper comitatur vltio,

vel

A vel iustitia, puniens, vel cruciatiua, derelinquentium diuinam legem; beatus autem & fœlix à principio confestim particeps esset. Gen. etiam 4. dicit; Nonne si benè egeris, recipies, scilicet statim, sin autem malè, statim peccatum in foribus adarit? Dicitq; Augustinus 8. super Genesin ad literam 31. Diuina prouidentia regens vniuersam creaturam, administrat naturas, vt sint volentes, vt nec infructuosæ bonæ, nec impunitæ malæ sint: Nam in seipsis malè volentes habent interiorem pœnam suam, eandem ipsam iniquitatem suam. Ergo sic bonæ habent interiorem mercedem suam, ipsam æquitatem & rectitudinem facti sui. Idem De quantitate animæ, vltim. Deus summus & verus incorrupta lege omne quod condidit, regit; animam in nullo actu deserit sine pœna vel præmio. Idem super illud Psalmi 118. Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ; Fide custodiuntur iudicia iustitiæ Dei, cùm sub Deo iusto iudice, nec rectum factum infructuosum, nec peccatum creditur impunitum. Item amari vel odiri à Deo, videtur præmium non paruum, vel pœna; Deus autem amat benè facientes, & odit peccantes. Dicit enim Aristoteles, secundo, suæ Rhetoricæ, 28. Si iusta dixeris, homines te odient; si iniusta, dij; si autem iusta dixeris, dij te amabunt; si iniusta, homines. Idem de bona Fortuna, primo; Deum dignificamus, Dominum existentem talium, vt dignis distribuat & bona, & mala. Idemque decimo Ethicorum, decimo tertio; Secundum intellectum operans, & hunc curans, & dispositus optimè, & Dei amantissimus videtur esse: Si enim quædam cura humanorum a dijs fit, quemadmodum videtur, & erit vtique benè rationabile, & gaudere ipsos de optimo, & cognatissimo, hic autem erit intellectus, & diligentes maximè hoc & honorantes, & rebeneficiare vt amicis ipsis curatis. Vbi Auerroes; Si cura sit Deo de hominibus, vt creditur, & vt debitum est, gaudet de meliori, & dignius est vt benefaciat eis, qui amant eum plus, & honorificet eos, & visitet eos, sicut est dispositio amici cum amico. Dicitque Boetius 4. De consolatione Philosophiæ, prosa 1. Ipso, de cuius nunc regno loquimur, autore, cognosces semper quidem potentes esse bonos, malos verò abiectos semper atq; imbecilles; nec sine pœna vnquam esse vitia, nec sine præmio virtutes. Idemque specialiter de virtute, & operibus virtuosis, supra eiusdem tertij prosa 4. Inest dignitas propria virtuti, quam protinus in eos, quibus ipsa fuerit adiuncta transfundit; & intelligit, vt videtur, hîc & prius per virtutem, nedum solum habitum, sed & actum; cui & concordanter Ouid. de Ponto, sic ait;

Gen. 4. *Augustinus.* *Aristoteles.* *Auerroes.* *Boetius.*

Non facilè inuenies multis in millibus vnum,
Virtutem precium qui putet esse sui:
Ipse decor rectè facti, si præmia desint,
Non mouet, & gratis pœnitet esse probum.

Vnde & Auerroes super 1. Eth. 12. Actus qui fit secundum exigentiam virtutis, virtus est. Et Augustinus super illud Psalmi 36. Iustus autem miseretur, & commodat; si habet foris facultatem, dat ipsam charitas, si autem non habet dat beneuolentiam; habet semper vnde det, cui plenum pectus est charitatis. Ipsa est charitas, quæ dicitur & voluntas bona, & accipit ibi voluntatem pro actu voluntatis, sicut totus processus ostendit; qui & tertio De doctrina Christiana, 10. sicut & recitat Petrus primo Sententiarum, distinct. 17. Charitatem, inquit, voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se, ac proximo propter Deum. Idem, in libro de moribus Ecclesiæ Catholicæ, tractans illud verbum Apostoli; Nec mors nec vita poterit nos separare à charitate Dei; Charitas Dei, inquit, hîc dicta est virtus, quæ animi nostri rectissima affectio est, quæ coniungit nos Deo, qua eum diligimus. Simili quoque modo videtur loqui Propheta, cùm dicit; Feci iudicium & iustitiam, id est, actum iustitiæ, siue opus, quòd ideò Augustinus exponens sic ait; Iustitiæ nomine hoc loco non ipsa virtus, sed opus eius significatum est. Dicitur quoque communiter, & tricesima prima pars corollarij primi docet, quòd Deus præmiat bona merita vltra condignum; bonum ergo meritum exigit aliquid de condigno. Præterea quod Deus vult fieri, & promittit rectè operantibus, dignum est fieri, & condignum; sed ipse vult & promittit, quòd qui perseueranter benè faciunt, habebunt pro mercede gloriam sempiternam; ergo illam condignè merentur. Adhuc autem, Christus meruit sibi, & nobis multa bona, sicut allegat Lumbardus 3. Sentent. dist. 18. 19. & post; & quis || *audebit asserere*, quòd hæc non meruit de condigno, maximè cùm sicut Christus excedit quemlibet purum hominem infinitè, sic & meritum Christi, meritum cuiuslibet puri hominis videtur excedere? potuit ergo Christus mereri quantumlibet de condigno. Pro quo dicit Anselmus, secundo, Cur Deus homo, 14. Putasne tantum donum, tam amabile posse sufficere ad soluendum quod debetur pro peccatis totius mundi, & respondet; imo plus potest in infinitum: ergo meruit de condigno omnibus saluandis gloriam sempiternam. Vnde Apocalyps. quinto; Dignus es, Domine, accipere librum & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, & fecisti nos Deo nostro regnum.

Auerroes. *Augustinus.* || asseret, *Anselmus.* *Apocal. 5.*

B, C, D, E (margin section letters)

num. Ecce quid meruit nobis condignè. Et sequitur; Dignus est agnus, qui occisus est, A
accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem; Ecce quid condigne meruit sibi ipsi. Amplius autem sicut argutum est priùs, quod nullus meretur quicquam boni condigne, similiter omnino poterit argui, quod nullus meretur quicquam mali condignè, quod si quis concesserit, cogetur concedere consequenter Deum esse iniustum, qui punit tam grauiter peccatores, cùm nullam pœnam
Iob 11. meruerint de condigno; Scripturam quoque veritatis mentiri fatebitur: Vnde Iob 11. vtinam Deus loqueretur tecum, & intelligeres, quod multò minora exigaris ab eo, quàm mere-
Gregorius. tur iniquitas tua: Super quod dicit Gregorius 10. Moral. 6. Qui multiplicitatem intelligit
*Iob.*33. legis Dei, cuncta quæ patitur, quàm sint minora perpendit, & Iob 33. Peccaui & verè de-
*Psal.*84. liqui, &, vt eram dignus, non recepi; Et Psalmo 84. Mitigasti omnem iram tuam: Et Aba-
*Abacuc.*3. cuc 3. Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis: quibus & sunt alia multa similia in
Rom.6. Scriptura. Dicit quidem Apostolus ad Rom. 6. Stipendia peccati mors, gratia autem Dei, B
vita æterna; Glossa; Mors æterna est stipendium peccati, id est digna retributio pro peccato; vita autem æterna sola gratia Dei datur, quam expositionem per multas multorum autoritates confirmat. Præterea vnum argumentum præmissum volens ostendere, quod quicquid homo meretur de congruo, meretur etiam de condigno, est contra communem scholam, vel saltem contra magnam eius partem, hæc ab inuicem distinguentem. Vt autem obiecta facilius dissoluantur, sciendum, quod non eodem modo se habent Deus & homo ad reddendum præmium pro merito qualicunque bono vel malo: Homo namque sicut Rex vel alius publico edicto promulgat, quod qui fecerit tale quid bonum vel malum pro congrua mercede recipiet hoc vel illud, manetque ipse indifferens & indeterminatus in voluntate sua, circa sibi subiectos, quis quid habebit; & si vnus faciat tale bonum, alius verò malum, iam per hoc determinatur eius indifferentia voluntatis; per hoc quoque antecedenter, causaliter, & efficienter mouetur ei voluntas ad volendum & ad præmiandum, & puniendum secundum præcedentia merita hunc & illum: Non sic autem Deus, ex se solo nihil à posterioribus mendi- C
cando, semper æquè determinatè vult, & non vult quæcunque, sicut 20^{um}. huius 21^{um}. 23^{um}.
Rom.9. 25^{um}. 27^{um}. & sequentia docuerunt. Quod & planisimè testatur Apostolus ad Rom. 9. de Iacob & Esau sic dicens, Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid egissent boni aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Et si quis obijciat, quod tota sacra Scriptura, & omnes Doctores, imò & vniuersalis Ecclesia indubitanter affirmant Deum præmiaturum bonos propter merita sua bona, & malos propter mala sua merita puniturum; Quia propter, quia, ideo & similia aliquam causam vt frequenter significant, ostendendum in primis, quod meritum non est aliqua causa æterni præmij subsequentis: Non enim est causa materialis, quia ipsa necessario simul est cum suo materiato, sed actus meritorius, quo illud præmium meruit, tunc non manet: Nec est causa formalis; Ip- D
sa enim est simul necessario cum formato: Nec finalis, quia magis videtur è contra, sicut apparet ex 35. huius: Nec efficiens, quæ tamen magis apparet, quia nec in actu, nec in potentia: Non in actu; Nam secundum Philosophum 5. Metaph. 3. Agentia singularia simul sunt & non sunt, & ipsa quorum sunt causæ, vt hic medicus cum hoc conualescente, & hic ædificator cum hoc ædificato: sed actus meritorius præcedit præmium tempore, nec est simul cum eo: Nec est causa efficiens præmij in potentia, quia tunc aliquando exiret in actum, & actualiter efficeret præmium sempiternum, & tunc vt præmittitur esset simul cum eo: Nec potest quis dicere quod ideo meritum est causa efficiens præmij, quia nunc primum mouet voluntatem Dei prius naturaliter indeterminatam, & determinat eam, efficiendo in ea volutionem actualem & certam ad præmium conferendum, quia 20^{um}. 23^{um}. 25^{um}. & 35^{um}. huius prohibent ita dici. Est igitur vlterius aduertendum quod hæc dictio, Propter, est multiplex penes secundum modum æquiuocationis. Nam primo & principaliter significat cau- E
sam essendi; secundario verò & aliqualiter transumtiuè significat causam cognoscendi, siue innotescendi; & adhuc aliquando significat ordinem: Quod autem significet causam essendi nullus ignorat; & quod significet etiam causam cognoscendi, patet per Philosophum 1. Post. 12. dicentem, quod si causæ & effectus æquè prædicantium, id est, conuertibilium, vt Planetas esse propè, quod est causa, & non scintillare, quod est eius effectus, non causa, id est, effectus sit notior, tunc demonstratio per hanc erit, vt quod propè sunt Planetæ, propter id
‖ significat quod non scintillant. Ecce secundum eum, quod propter, non ‖ *signat* ibi causam essendi, sed effectum, qui est causa tantummodo cognoscendi; quare & ordinato syllogismo demonstratiuo per terminos *A B C* subdit; quare demonstratum est, quod erraticæ propè sunt. Hic igitur

A tur ſyllogiſmus non eſt propter quid, ſed propter quia: Non enim ex eo, quod non ſcintil-
lant, propè ſunt; ſed propter id quòd propè ſunt, non ſcintillant. Ecce quomodo primò con-
cedit, & ſecundo negat Planetas eſſe propè, propter id quòd non ſcintillant; & hoc eſt, quia,
propter, primò ſibi ſignificat cauſam tantummodo cognoſcendi, ſecundo verò cauſam eſſen-
di. Hoc etiam concordat cum toto proceſſu illius capituli, & ſequentium, vbi demonſtratio
ab effectu vocatur demonſtratio quia; cùm tamen hæc dictio, quia, ſignificet cauſam, ſicut &
propter: Quare ibi ſignificat cauſam tantummodo cognoſcendi, licet Donatus poteſtati con-
iunctionis non cauſali, ſed rationali irrationabiliter ſupponat quia, quapropter, propterea, &
multa ſimilia, quæ ſunt cauſalia manifeſtè, ſicut & poteſtati eius cauſali ſupponit, ſi, niſi, & ta-
lia, quæ poteſtati conditionali fuiſſent potiùs ſupponenda, quam penitus prætermiſit. Hoc e-
tiam ſatis probat illud frequens exemplum Philoſophi, & vulgatum, videlicet propter quid
anguli trianguli valent duos rectos? propter id quòd angulus extrinſecus valet duos intrinſe-
B cos ſibi oppoſitos, cùm tamen quantitas anguli extrinſeci nullo modo ſit cauſa, imò nec ef-
fectus, quare tres anguli trianguli valent duos rectos: Neutrum enim illorum eſt cauſa mate-
rialis, efficiens, formalis, nec finalis alterius, cum vtrumque poſſit ſine reliquo ſemper eſſe.
Angulum tamen extrinſecum valere duos extrinſecos ſibi oppoſitos eſt cauſa tantùm cogni-
tionis noſtræ, quare tres anguli trianguli valent duos rectos: Per hoc enim demonſtratiuè
docetur ſic eſſe, ſicut 2ª pars 32.æ primi elementorum Euclidis oſtendit. Ideoque dicit Auer-
roes ſuper 8. Phyſ. comment. 58. quòd tres ſunt demonſtrationes, ſcilicet cauſæ, & eſſe tan-
tum, & cauſæ & eſſe. Sed ne in cauſa Catholica teſtes tantummodo Ethnicos videar mini-
ſtrare, ecce quid fideliſsimus Paulus dicit, Chriſtus factus eſt obediens vſque ad mortem, mor-
tem autem crucis; propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper
omne nomen, ſcilicet quòd nominetur Deus. Hoc tamen nomen habuit ante ſuam paſsionē;
imò & naturaliter ante omne meritum ſuum habuit illud nomen: Ille enim homo prius natu-
C raliter fuit, & prius naturaliter Deus fuit, quam fecerit aliquid, aut meruerit quouiſmodo. Nam
omne agens præcedit naturaliter ſuam quamlibet actionē. Chriſtus ergo non meruit eſſe De-
us, ſed hoc fuit datum ſibi gratiſsimè, ſine quouis merito præcedente, ſicut ex 35° huius patet.
Lumbard. quoq; 3. ſent. diſt. 6. multas autoritates ad hoc idem adducit; & infra 18. tractans
autoritatem Apoſtoli ſupradictam, dicit quòd homo ille non meruit hic tantum bonum, ſci-
licet nomen Dei; non ergo videtur, quòd aliquo modo per obedientiam paſsionis meruit il-
lud nomen, niſi quantum ad cognitionem & manifeſtationem non Deo, ſed hominibus hoc
primo ignorantibus, & per eius paſsionem, reſurrectionem, aſcenſionem, & ſimilia addiſcen-
tibus, & verè ſcientibus, ipſum eſſe non tantummodo hominem, ſed & Deum *; & hoc eſt *hominem,
quod dicit ibi Lumbardus; Quomodo ergo hoc, inquit, dicitur, per obedientiam donatum eſt
ei hoc nomen? & reſpondet ſecundum tropum illum in Scriptura creberrimum, hoc accipien-
dum eſt quo dicitur res fieri, quando innoteſcit. Poſt reſurrectionem verò, quod ante fuit in
D obſcuro, in euidenti poſitum eſt, vt ſcirent homines & dæmones. Vnde & Saluator ipſe Io-
han. 13° ita dicit, In hoc cognoſcent omnes, quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueri- *Iohan.* 13.
tis ad inuicem. Poſſet ergo dici, quòd cùm dicitur, Iſte propter tale meritum tale præmium
conſequetur, hæc dictio, Propter, non ſignificat cauſam eſſendi, ſed cognoſcendi. Per meri-
tum enim innoteſcit hominibus, dæmonibus, & forſitan Angelis quale præmium quis habe-
bit. Hoc etiam verbum, propter, ſignificat ordinem aliquando, nec incongruè: Nam ſecun-
dum præmiſſa 35° huius, Deus primò vult homini præmium & gloriam tanquam finem, &
ideo vult ſibi & facit merita congrua, velut quædam media præuia ad hunc finem: quare & vt
tandem rectè finaliter ordinentur, tribuit eis finem; propter quem & ad quem ipſe finaliter
ordinauit. Poteſt ergo, propter, aliquoties ordinem deſignare, vt dictum Apoſtoli intelligatur
hoc modo, Factus eſt obediens &c. propter quod & Deus exaltauit illū, id eſt, poſt quod præ-
cedens ordinatum à Deo, ad iſtud ſubſequens, quod non niſi poſt illud fieri ſtatuebat. Pro
E quo Anſelmus tractans eandem autoritatem Apoſtoli 1. Cur Deus homo 9. ſic dicit, Quòd *Anſelmus*
autem cùm dixiſſet Apoſtolus, Humiliauit ſeipſum &c. propter quod Deus &c. non ita di-
ctum eſt, quaſi nullatenus potuiſſet peruenire ad hanc exaltationem, niſi per hanc mortis
obedientiam, & hæc exaltatio non niſi in retributionem huius obedientiæ collata ſit (Prius
enim quam pateretur, ipſe dixit omnia ſibi eſſe tradita à Patre, & omnia Patris eſſe ſua)
ſed quoniam ipſe cum Patre, ſanctoque ſpiritu diſpoſuerat ſe non aliter quàm per mortem,
celſitudinem omnipotentiæ ſuæ mundo oſtenſurum, quippe quod non niſi per illam mor-
tem fieri diſpoſitum eſt, cùm per illam fit, non incongruè dicitur propter illam fieri? Si
enim intendimus facere aliquid, ſed proponimus nos prius facturos aliud per quod illud
fiat, cum iam factum eſt quod volumus præcedere, ſi fit quod intendimus, rectè dicitur

propterea fieri, quoniam factum est, propter quod differebatur, quia non nisi per illud fieri dispositum erat. Nam si fluuium, quem equo & naui transire possum, propono me non nisi naui transiturum, & idcirco differo transmeare, quia nauis abest; cum iam præsto est nauis, si transeo, rectè de me dicitur; Nauis parata fuit, propterea transiuit. Et non solum ita loquimur, quando sequens fit per id quod præcedere volumus, sed etiam quandò non fit per illud, sed tantummodò post illud facere aliud aliquid statuimus: Si quis enim differt cibum sumere, quia nondum ea die missę celebrationi affuit, peracto quod prius facere volebat, non incongruè illi dicitur; Iam sume cibum, propterea quia jam fecisti, propter quod sumere differebas; Multò igitur minus inusitata est locutio, cum Christus dicitur exaltatus propterea quia mortem sustinuit, per quam & post quam illam exaltationem facere decreuit. Ponitque aliam expositionem, || *eiusdem dicti Apostolici* in hæc verba; Potest hoc & eo modo intelligi, quo idem Dominus legitur profecisse sapientia, & gratia apud Deum, non quia ita erat, sed quia ille sic se habebat, ac si ita esset. Nam sic per mortem exaltatus est, quasi propter illam hoc fieret. Si quis igitur de merito & pręmio capitis nostri Christi, & membrorum suorum Christianorum, quantum ad causalitatem propositam velit dicere consequenter, ecce tres modi dicendi præmissi authenticorum Patrum nostrorum, sed quia ista sententia ambigua videtur & dubia, & posset probabiliter contradici, maximè si à capite transferatur ad membra, vellem libenter || *sine* præiudicio aut reprehensione venerabilium Patrum & Autorum meorum, propter minus sapientes, inter quos plus ego qui non sufficio profunda Dei scrutari, desiderarem etiam vehementer si esset possibile sententiam clariorem, vel ipsam eandem clariùs tamen dictam, & magis à contradictione remotam. Vndè & Alexander, vt recitat Auerroes super 2. de cœlo, comment. 1. de sententia Aristotelis ita dicit; Nos non sumus sustentati super sententiam huius hominis inter omnes alios, nisi quia videmus ipsam minoris ambiguitatis, & remotiorem à contradictione. Videtur igitur mihi, quod remota omni lege retributionis per voluntatem Dei statutæ, non est verum quod propter tale factum bonum vel malum, præmium tale debetur, quia tunc esset necessarium absolutè, nec Deus posset in contrarium sine offensione iustitiæ, sed de necessitate absoluta sic vellet & faceret sic ad extra, sicut superiùs est argutum: sed quod tale factum, tale præmium mereatur, hoc est, quia Deus sic voluit, & statuit tale in lege, quæ voluntas & lex perseuerant continuè, non mutatæ, sicut 23. capitulum ostendebat. Cum ergò dicitur, iste propter tale meritum, tale præmium consequetur, distinguendum est, eò quod hæc dictio, Propter, potest significare causam, quæ sit virtus & efficacia meriti talis solius, & sic non est verum, sicut proximo est ostensum: si autem in illo merito, imò suprà & ante meritum importet causam quæ sit voluntas diuina, & lex eius de retributione cuilibet operi bono vel malo similiter facienda, verum est & catholicè concedendum. Propter hoc enim quod iste sic meruit, & legem iam positam tale præmium consequetur, hoc est, quia Deus vult quemlibet secundùm sua opera præmiari; & iste sic operatur, ideò tale præmium consequetur. Et cum dicitur, Deus vult istum propter sua merita præmiare, si, Propter, significet causam posteriorem in merito mouentem voluntatem diuinam, determinantem ipsam & educentem de potentia ad actum volendi, non est verum, sicut superiùs est ostensum: Si autem significet voluntatem diuinam verè causam præcedentem omne meritum & præmium, quæ ipsum, vt meruit præmiabit, verum est, & certum. Verum est enim quod Deus habet voluntatem, quæ est prima causa omnium meritorum & similiter præmiorum. Potest autem & aliter congruè satis dici, quod meritum est causa efficiens præmij, non propriè, sed solummodò transumptiuè, quia scilicet efficit formam in merente, qua secundum præsentem justitiam fit idoneus ad præmium vel ad pœnam; vel sic breuiùs, Quia efficit merentem talem, qualicunque & soli est præmium ordinatum. Nam secundùm ordinationem præsentis justitiæ, nullus adultus prætaxatam gloriam consequetur, vel pœnam, nisi priùs per merita sua bona adepta quadam formosa forma, qua formetur idoneè ad gloriam consequendam; vel per merita sua mala, quadam deformi forma, qua idoneè deformiter quodammodò formetur ad pœnam, Sic ergò propter meritum debetur præmiū, & est meritum causa præmij effectiua, quia inducit formam qua quis fit idoneus ad præmium capiendum, sicut sacerdos & miles propter hoc quod ordines receperunt, hic celebrat, ille militat, & honoribus propriis honorantur. Et cum dicitur, Deus vult istum propter sua merita præmiare, si, Propter, significet causam posteriorem effectiuam volutionis diuinæ, negandum; si autem significet causam in merito effectiuam quodāmodò formæ cuiusdā, vel etiam ipsam formā, qua iste fit idoneus præmio voluto sibi a Deo, secundum præsentem iustitiam, concedendū. Deus ergò vult istum propter sua merita præmiare, hoc est, iste propter merita sua modo dicto talis est, quales Deus vult & statuit præmiare. Pro quo B. Bern. de grat. & lib. arbit. cap. vlt. ita dicit; In eo Deus Paulum coronæ

statuit

|| illius dicti Euangelici

|| absque.

A statuit promeritorē, cùm operū, quibus illa erat repromissa corona habere dignatus est coadjutorem; Porro coadiutorē; fecit volentem, hoc est suæ voluntati consentientem; itaq; voluntas in auxilium reputatur in meritū. Si igitur à Deo voluntas est & meritū, nec dubium quod à Deo sit velle & perficere pro bona voluntate; Deus ergo autor est meriti, qui & voluntatē applicat operi, & opus explicat voluntate: Alioquin, si propriè appellentur ea quæ diximus, nostra merita, spei sunt quædam seminaria, charitatis incentiua, occultę prædestinationis indicia, futuræ fœlicitatis præsagia, via regni, non causa regnandi. Adhuc autem & 3. non incongruè dici potest; Iste est propter merita præmiandus, id est, propter merita ordinanda, ita quod; Propter, significet ibi causam finalem ordinis vniuersi à Deo decentissimè prædestinati: Non enim decet, quòd vniuersalis ordo in minimo perturbetur, sicut tractatus de Prouidentia manifestat. Dicitque Augustinus 1. De libero arbitrio, 13: Lex Dei æterna est, qua iustum est, vt omnia sint ordinatissima; & Anselmus 1. Cur Deus homo, 12. Deum non decet aliquid inordina- *Augustinus.* *Anselmus.*
B tum in suo regno dimittere; & secundum eundem supra, eodem; Rectè ordinare peccatum sine satisfactione, non est nisi punire, & per hoc ostendit, quòd omne peccatum sine satisfactione est necessariò puniendum: & Augustinus simili ratione suffultus, 3. De libero arbitrio, 24. ostendit idem; Imo & quòd peccatum & pœna nullo interuallo temporis diuiduntur, ne vel puncto temporis vniuersalis pulchritudo turpetur. Quare & in rectè factis similiter constat esse, sicut præsens capitulum superius ostendebat. Et iste modus dicendi concordat cum secundo modo dicendi recitato superius ab Anselmo. Cùm ergo dicitur, iste est propter merita præmiandus, hoc est, iste est præmiandus propter merita finaliter ordinanda, id est, propter finalem ordinem meritorum prætaxatum à Deo. Et cùm dicitur, Deus vult istum propter merita præmiare, hoc est, Deus vult istum præmiare propter merita finaliter ordinanda, id est, vult quòd talis sit finis talium meritorum, secundum ordinem ab ipso talibus ||*præstitutum*, ita quòd merita nullo modo antecedenter, causaliter, à priori, mouent, determinant, vel actuant ||prædestinatum.
C voluntatem diuinam ad præmia rependenda. Vnde Auicen. 8. Met. 7. Deus, inquit, diligit ordinem bonitatis vniuersi, sed non patitur ab eo, nec concupiscit. Et si quis adhuc quærat, si non propter merita, quare ergo eligit, vel reprobat hunc vel illum? cap. 21. & alia hîc respondent: quare autem semper quærit causam, causa autem formalis volutionis illius, est quodammodo ipse Deus, efficiens verò causa prior quodammodo est sua voluntas, posterior verò inter res creatas, nulla est omninò. Et hoc est quod dicit Apostolus ad Rom. 9. cùm prædixit, quòd Deus Iacobum dilexit, & Esauum odio habuit, & hoc non ex operibus, sed ex voluntate, vt secundum electionem propositum Dei maneret, inducit quærentem quæstionem prædictam, cui sic respondet; Voluntati eius quis resistet? O homo, tu quis es qui respondeas Deo? quasi diceret; Non est talis causa prohibens aut efficiens voluntatem diuinam, per quam valeat responderi, quare hunc dilexit, & illum odiuit; & hoc statim per locum à simili, seu per locum à minori, sic probat; Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? id est, *Auicenna.*
D propter quam rationem præponderantem, motiuam, & effectiuam volutionis tuæ? certè non: imo sine omni ratione priori præponderante potest liberè ex eadem massa facere vnum vas tale, aliud verò tale; & hoc est quod subdit; Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Et infra, 11. planius dicit idem; O altitudo, inquiens, diuitiarū sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? scilicet per aliquam rationem effectiuam priorem, quia nulla est talis omninò. Et hoc est quod statim subiungit; Quis enim cognouit sensum Domini, scilicet rationem aliquam præcedentem, quare sic fecit, quasi diceret, Nullus; quia hoc non est cognoscibile, cùm non sit verum: & subdit expresśiùs; Aut quis consiliarius eius fuit, scilicet quæ posterior res causata fuit causa prior, & quasi offerens rationem, cui innitebatur diuinum consilium operando; ideoq; planissimè statim subdit; Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quasi dicat, nullus, nec aliqua res posterior ipso Deo, quod & statim ostensiuè demonstrat,
E cùm dicit; Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, quo modo cap. 20. & alia eandem conclusionem ostendunt. Vnde & Aug. De correp. & gratia 12. ita dicit; Quare sic isti, illi aliter, atq; aliter alij innumerabilibus & diuersis modis vocentur? Absit, vt dicamus iudicium luti esse debere, non figuli. Augustinus autem in hac parte sequitur nedum Apostolum, sed etiam Sapientem, Sap 15. sic dicentem; Figulus de eodem luto fingit vasa munda, & his contraria; horum autem vasorum quis sit vsus, iudex est figulus. Et iterum De correpť & gratia, 25. Si à me quæritur; Cur eis Deus perseuerantiam non dedit, quibus eam qua maximè viuerent, dilectionem dedit, me ignorare respondeo; Vnde Apostolus; O homo, tu quis es, qui respondeas Deo; &, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, &c. Idem de bono perseuerantiæ, 16. Cur, inquis, in eadem causa, me quàm illum potius puniet? aut illum, quàm me potius *Augustinus.* *Sapient. 15.*

 tius

tius liberabit? hoc non dico, si quæris quare? quia fateor me non inuenire quid dicam, quia in hac re, sicut iusta est ira eius, sicut magna est misericordia eius, ita inscrutabilia iudicia eius. Si autem quæratur, per quare, causa finalis, & hoc de reprobatione malorum, quia hoc plerosque magis sollicitat; dicendum secundum vigesimum primum capitulum, quòd causa finalis vltima est Deus: Vniuersa namque propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum, Parabol. 16. Ecce quòd impium ad diem malum operatus est Dominus, propter semetipsum finaliter vltimatè. Causa autem finalis media est tam multiplex, quàm multa bona ex reprobatis proueniunt, quorum aliqua trigesimum primum huius, & 34^um^. pandunt; quorum & vnum est manifestatio Dominij; & virtutis illius, ipsomet testante Exod. 9. Idcirco posui te, scilicet Pharaonem, mihi contrarium, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra. Si enim Pharao nequaquam Domino restitisset, quomodo Deus tot miracula ostendisset? & Psal. 105. Saluauit eos propter nomen suum, vt notam faceret potentiam suam. Per hanc quoque autoritatem similiter respon- B
Rom. 9. det Apostolus ad Rom. 9. cùm ait, Dicit enim Scriptura, quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuntietur nomen meum in vniuersa terra; Et sequitur, Quod si volens Deus ostendere iram suam, & notam facere potentiam suam; sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, &c. sed quia secundum 21^um^. huius, homo est finis omnium aliorum, & hominum electi sunt finis quodammodo reproborum; ideo repro-
Rom. 11. bati ordinantur finaliter ad vtilitatem electorum: Vnde Apostolus ad Rom. 9. Maior seruiet minori, scilicet reprobatus electo; & infra 11. Inimici propter vos, scilicet electos; &
2. Cor. 4. 2. ad Cor. 4. Omnia propter vos; & 2. ad Tim. 2. expressius, Omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur: & ad hoc idem est testimonium Dei quod maius est,
Exod. 10. Exod. 10. Mosi de Pharaone sic dicit, Ego indurau cor eius, & seruorum illius, vt faciam signa mea hæc in eo, & narres in auribus filij tui & nepotum tuorum, quoties contriuerim Ægyptios, & signa mea fecerim in eis, & sciatis quod ego Dominus. Ecce causa finalis, vt sciatis, scilicet vos electi, quia ego sum Dominus: Quomodo enim mali Deum timerent, bonique amarent in tantum, nisi vidissent, vel audissent tam validam manum Dei, malorum tam potentem vltricem, bonorum verò tam strenuam adiutricem, sicut omnia illa miracula circa Ægyptios & Hebræos terribiliter & amabiliter manifestant. Est insuper alia causa finalis non parua, sed magna vtilitas electorum, vt videlicet pœna vnius sit metus multorum, imò verius, vt pœna multorũ sit metus paucorum, (Multi enim sunt vocati, pauci verò electi) quatenus scilicet electi scientes culpas & pœnas perpetuas reproborum, ad timoris & humilitatis officia prouocentur, & ad iugis orationis instantiam conuertantur. Quapropter Augustinus de bono perseuerantiæ 17. Hominibus, inquit, videtur; omnes qui boni apparent fideles perseuerantiam vsque in finem accipere debuisse; Deus autem melius esse iudicauit, miscere quosdam non perseueraturos certo numero sanctorum suorum, vt quibus non expedit in huius vitæ temptatione securitas, non possint esse securi: Multos enim à perniciosa elatione reprimit, quod ait Apostolus; Quapropter qui videtur stare, videat ne cadat. Et infra 37. Ideo quippe non perseueraturi perseueraturis prouidentissima Dei voluntate miscentur, vt esse discamus non alta sapientes, sed humilibus consentientes, & cum timore & tremore nostram ipsorum salutem operemur: Deus est enim qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate. Qui & de sancta virginitate 16. An non propter aliud credendum est permittere Deum vt misceantur numero vestræ professionis, multi & multæ casuri & casuræ, nisi vt his cadentibus timor vester augeatur, quo superbia comprimatur, quam sic odit Deus, vt contra hanc vnam tantum se humiliaret altissimus. Est adhuc & tertia causa non parua, vt scilicet filij gratiȩ & electi, videntes se non meritis proprijs, sed gratia Dei gratis à reprobis separari, gratia Dei grata magis appareat, & electi filij gratiȩ reddãtur Autori gratissimo
Augustinus. gratiæ gratiores. Quare & Augustinus super illud Psalmi 87. Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua? &c. Occurrebat, inquit, quæstio, quisnam sit vsus istorum mortuorum, quid ex his agat Deus ad vtilitatem corporis sui, quod est Ecclesia, vt in eis demonstretur, quæ sit Dei gratia in prædestinatis, qui secundum propositum vocati sunt: Vnde ipsum corpus in alio Psalmo dicit, Deus meus, misericordia eius præueniet me. Isti etiam reprobi nedũ in via, verum etiam in patria, vtiles sunt electis, vt scilicet visa illorum miseria, horum gloria gratior habeatur. Opposita namque iuxta se posita magis apparent, sicut 34^um^. pandit, & horum
|| gloriosissimus quàm gratuitus liberator, & || *gratiosissimus* præmiator, qui hos æqualiter sicut illos potuit æternaliter damnauisse, charius diligatur. Vnde Psalmus 57. ita dicit, Lætabitur iustus
Psal. 57. cùm viderit vindictam; Et Esaiæ vlt. Egredientur & videbunt cadauera virorum, qui præ-
Esaiæ vlt. uaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt vsq; ad

A ad satietatem visionis omni carni; vbi Glossa, super verbum ad satietatem visionis, Quia videbunt eos à se iusto iudicio separatos, amissa potentia qua sæuiebant contra bonos, & vindictā in illos tantam, vt maiorem non exposcant, qui modo dicunt, vsquequo Domine non vindicas sanguinem nostrum? Satiabuntur quoq; de beatitudine sua agentes gratias, visa impiorum ineffabili pœna. Quare & Gregor. hom. 40. tractans illam historiam Euangelicam de diuite sepulto in inferno, & Lazaro mendico portato in sinu Abrahæ, ita scribit, Iusti in tormentis semper intuentur iniustos, vt hinc eorum gaudium crescat, quia malum conspiciunt quod misericorditer euaserunt, tantoque maiores redemptori suo referunt gratias, quanto vident quod in alijs, ipsi perpeti, si essent relicti, potuerunt: nec illam tantæ beatitudinis claritatem apud iustorum animum fuscat aspecta pœna reproborum, quia vbi iam compassio miseriæ non erit, minui proculdubio bonorum lætitia non valebit. Quid autem mirum, si dum iusti iniustorum tormenta conspiciant, hoc eis veniat in obsequio gaudiorum; quando & in pi-
B ctura niger color substernitur, vt albus vel rubeus clarior videatur. Sic ergo vt dictum est, tanto bonis sua gaudia excrescunt, quanto eorum oculis damnatorum mala subtus iacent quæ euaserunt; & quamuis eis sua gaudia ad perfruendum plenè sufficiant, mala tamen reproborum absque dubio semper aspiciunt; quia qui Creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur, quod videre non posint. Qui & 4. dial. 46. Petro quærenti, Sed nullus iustus crudelitate pascitur delinquentis: seruus à iusto Domino idcirco cædi præcipitur, vt à nequitia corrigatur; Ad hoc ergo vapulat, vt emendari debeat; Iniqui autem gehennæ ignibus traditi, si ad correctionem non perueniunt, quo fine semper ardebunt? Ita respondet; sed omnipotens Deus, qui pius est, miserorum cruciatu non pascitur, quia autem iustus est, ab iniquorum vltione in perpetuum non sedatur; sed iniqui omnes æterno supplicio deputati, sua quidem iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid ardebunt, scilicet vt iusti omnes & in Deo videant gaudia quæ percipiunt, & in illis respiciant supplicia, quæ euaserunt, quatenus tanto
C magis diuinæ gratiæ in æternum debitores se esse cognoscant, quanta in æternum mala puniri conspiciunt, quæ eius adiutorio vicerunt. Quapropter & Augustinus de gaudijs Iustorum, & pœnis malorum sic ait; Tunc communis reus & hostis diabolus in conspectu omnium electorum Dei damnabitur, cuius damnatio & intolerabilis pœna delectabile spectaculum præstabit electis; tunc ardentissimo amore liberatorem suum & omnium bonorum datorem amabunt, & sine fine, & sine fastidio clamore cordis laudabunt. Istam quoque sententiam Petrus 4. sentent. dist. vlt. profitetur. Supposito ergo, quòd miseria damnatorum aliquo modo valeat gloriæ saluandorum, potest argui, quòd Deus hanc ad illam finaliter ordinauit: Alias namque hoc fieret à casu vel fortuna, nec à prouidentia diuina procederet; quare nec saluandi de illa suæ gloriæ portione, Deo gratias agere tenerentur, contra 27^um & alia quæ sequuntur. Quare & hæc planè videtur sententia Apostoli ad Roman. 9. in solutione eiusdem quæstionis dicentis, Sustinuit Deus in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt
D ostenderet diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Vnde Augustinus de prædestinatione Sanctorum 10. Cur Deus non omnes doceat, aperuit Apostolus, quia volens ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, & vt notas faciat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam. Idemque expresius 5. contra Iulianum 6. Ex numero electorum nemo perit; cæteri autem mortales, qui ex hoc numero non sunt, & ex eadem quidem massa, ex qua & isti, sed vasa iræ facti sunt, ad vtilitatem nascuntur istorum: Non enim quenquam eorum Deus temerè ac fortuitò creat, aut quid de illis boni operetur ignorat, cùm & hoc ipso bonum operetur, quòd in eis humanam creat naturam, & ex eis ordinem sæculi præsentis exornat. Ecce triplex bonum ex reprobis, vtilitas electorum, bonum naturæ, sæculique ornatus. Ponatur quoque secundum pium zelum multorum, licet non secundum scientiam, quòd totus infernus, cum omnibus suis domesticis reprobatis tolleretur de
E medio, essetq; cœlum tantummodo cum ciuibus suis sanctis, tunc sæculum esset multum perfectum, & si Deus sic fecisset, multum bene fecisset; Nunc autem tanto perfectius & tanto melius facit Deus, quantum perfectionis & bonitatis continent in se illæ nobiles creaturæ damnatæ, quantum etiam resplendentiæ & apparentiæ purioris || *illa comparatio* veluti contrarietatis extremæ confert Iustis, tanquam scintillæ fulgentibus, & vt stellæ: Quis enim, vel cuius ratio prohibuisset Dominum ab initio, si fuisset placitum coram eo, creasse cœlum plenum electis in gloria, & Infernum plenum reprobis in pœna, vt hoc illi comparatè apparuisset gloriosius & fuisset? Non deerunt tamen, qui hos humano miserarentur affectu, & pia compassione contenderent sic fieri non debere. Sed cur non miserantur paruulos, nedum non peccantes, sed peccare penitùs nescientes, sine Sacramento baptismatis decedentes, æterni ignis supplicio puniendos,

Glossa. *Gregorius.* *Augustinus.* *Lumbardus.* *Augustinus.*

|| illorum operatio

puniendos, vt dicit August. de Fide ad Petrum 59. & 24. planè? Cur etiam non contendunt cum Deo, vt iudicium suum retractet, quo talium paruulorũ non Fato aut fortuitu, sed ex suæ consilio voluntatis, hunc assumit ad baptismum, ad regnum, ad gloriam; illum relinquit, imò & repellit quodammodo à baptismo ad carcerem & ad pœnam, sicut planè testatur autoritas Augustini de bono perseu. 35. cum alijs sibi similibus 31. huius præmissis? Cur etiã non miserantur bestias innocentes, tot miserijs & tot mortibus subiacere? Cur hinc Deum non causantur? cur etiam nequaquã figulum criminantur ex eadem massa luti facientem vnum vas in honorẽ, aliud vero in contumeliã, & contemptum? Annon est Deus ita liber dominus suorum sicut figulus est suorum? Et hæc videtur ratio Apostoli ad Rom. 9. in solutione huius, quæ in manibus vertitur, quæstionis. Imò audi, & diligenter exaudi; cogita, & vigilanter recogita *Augustinus* Augustinum in libello de Prædestinatione & gratia Dei, qui in libro Sermonum suorum præscribitur quintus Sermo 18. ita scribentem; Qua tandem impudentia homo de Deo lutum de figulo iudicabit, non solum dicens, Quid me fecisti sic, sed etiam de alijs damnabili curiositate perscrutans, & dicens, quare de eadem massa fecisti alium quidem sic, alium verò sic? Si humanum genus quod creatum primitus constat ex nihilo, non cum debito mortis & peccati origine nasceretur, & tamen ex eis Creator omnipotens in æternum nonnullos damnare vellet in interitum, quis omnipotenti Creatori diceret, quare fecisti sic? qui enim, cum non essent, esse donauerat, quo fine essent habuit potestatem, nec dicerent cæteri, cur paribus omnium meritis diuinum discreparet arbitrium? quia potestatem habet figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam. Qui & super titulum Psalmi 70. ita dicit; In omnibus sanctis Scripturis, gratia Dei quæ liberat nos, commendat se nobis, vt commendatos habeat nos: Quis enim ei diceret, quid fecisti, si damnaret justum? || vt. quanta ergò misericordia eius || *si* iustificet iniustum? Et si adhuc obijcias, quod Deus potuit ordinasse mundum, & gloriam electorum sufficienter benè & congruè per alium modum magis benignum, & sine perditione alicuius tam nobilis creaturæ; non ergò decuit tam pium & iustum, aliquem Angelum aut hominem æternæ gratis miseriæ præparare: Fateor indubitanter, quod potuit sic, & potuit aliter reparasse genus humanum, quam per passionem & mortem Christi. Cur ergò ex tota compassione non quæreris tam celsi Regis filium vnicum, tam innocentem, tam delicatum, tam tenerum, imo & Dominum Deum tuum pro e nocente & misero seruo suo, tam contemptibiliter apprehendi, tam crudeliter flagellari, vulne- || istud. rari, lacerari, & tandem morte turpissima consummari? cur non || *ibidem* Dei iudicium reuocas, irritas, & annullas? Et licet Deus voluntatem tuam secutus, benigniùs & meliùs ordinasset, cum adhuc semper meliùs posset, & meliùs sine fine, semper remaneret eadem querela, cur sic ordinauit, & non melius, cum ita faciliter potuit meliùs ordinasse. Compescat ergò se ista querulosa temeritas contra Deum, nec irrationabiliter quærītet rationem superiorem voluntate diuina, cum ipsa in talibus volutis posterioribus sit summitas rationis, non rationis pedisequa vel ancilla, sed è contra; hanc enim ratio sequitur, vt Dominam *Ecclesiast. 8.* & Magistram, sicut vigesimum primum capitulum demonstrauit. Vndè Ecclesiastis 8. Intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem eorum quæ fiunt sub Sole. Eccè pro volutis posterioribus, & quanto plus laborauerit ad quærendum, tanto minus inueniet, etiamsi dixerit Sapiens se nosse, non poterit reperire. Compescat ergo se omnis humana querimonia contra Deum, & pro ratione in cunctis sibi sufficiat, sic Deum & *Ecclesiast. 7.* Dominum voluisse. Vndè & Ecclesiastis 7. Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere quem ille despexerit; In die bona fruere bonis, & malam diem præcaue: Sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus, vt non inueniat homo contra eum iustas querimonias. Amplius *1. Tim. 2.* autem ad autoritates canonicas forsitan te conuertes, obijciesque illud Apostoli 1. ad Tim. 2, *Ezech. 18.* qui vult omnes homines saluos fieri; & illud Ezech. 18. Nunquid voluntatis meę est mors im- *Act. 10.* pij? dicit Dominus, & non vt conuertatur, & viuat? Et illud Act. 10. Non est personarum *Gregorius.* acceptor Deus; Et illud Marc. vlt. Prædicate Euangelium omni creaturæ &c. Dicitque Gregorius 4. Moral 24. super illud Iob 3. Nunc dormiens silerem &c. Si parentem primum nulla peccati putredo corrumperet, nequaquam ex se filios gehennæ generaret: sed hi qui nunc per redemptionem saluãdi sunt soli ab illo electi nascerentur. Ad hæc autem dicendum, Autoritates sacræ Scripturæ obiectas non posse intelligi secundum superficiem literalem, sicut decimum & vicesimum tertium huius probant. Harum igitur primam, non ego, sed Patres Catholici multis modis exponunt: Ambrosius enim ibi exponens Apostolum, primò quærit. Si Deus, qui omnipotens dicitur, omnes homines vult saluos fieri, cur non impletur eius voluntas? secundo respondet, Sed in omni locutione sensus & conditio latet. Vndè dicit Petrus Apostolus, Omnis scriptura indiget interpretatione: Vult enim Deus omnes homines

A nes saluos fieri,sed si accedant ad eum. Non enim sic vult, vt nolentes saluentur, sed vult ipsos saluari, si & ipsi velint: Nam qui legem omnibus dedit, nullum excepit à salute. Et super illud ad Rom.9. Miserebor cui misertus ero, Non iniustè iudicat,qui omnes vult saluos esse, manente iustitia. Augustinus quoque Enchirid. 77. mouet eandem quæstionem, & longa disputatione super insuperabilitate voluntatis diuinæ præmissa cap. 83. sic respondet; Debemus ita intelligere quod scriptum est, Qui vult omnes homines saluos fieri, tanquam diceretur nullum hominem fieri saluum, nisi quem saluum fieri ipse voluerit; Non quòd nullus sit hominum,nisi quam saluum fieri velit, quod cap. 84. confirmat per simile, ita dicens;Sic enim intelligimus quod in Euangelio scriptum est,Qui illuminat omnem hominem, non quia nullus est hominum qui non illuminatur,sed quia nullus nisi ab ipso illuminatur.Deinde subiungit aliã quęstionẽ eiusdem;aut certè,inquit sic dictum est,Qui omnes homines vult saluos fieri, non quòd nullus hominum esset, quem fieri saluum nolit, qui virtutes miraculorum noluit facere apud eos, quos dicit acturos pœnitentiam, si fecisset; sed vt omnes homi- *Augustinus.*
B nes, omne genus hominum intellgamus per quascunque differentias distributum, Reges,nobiles,& ignobiles,priuatos, sublimes, humiles, doctos & indoctos, integri corporis, debiles, ingeniosos, tardiores, fatuos, diuites, pauperes, mediocres,mares,fœminas,infantes,pueros, adolescentes, iuuenes, senes, in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in professionibus omnibus, in voluptatum & concupiscentiarum varietate innumerabili constitutos,& si quid aliud differentiarum est in hominibus. Quam expositionem cap. 85. monstrat cum processu Apostoli concordare; Præceperat, inquit Apostolus, vt oraretur pro omnibus hominibus, & specialiter addiderat, pro regibus & his qui in sublimitate sunt, qui putari poterant fastu potentiori, & superbia sæculari fidei Christianæ humilitatem abhorrere.Proinde dicens;Hoc enim bonum est coram Saluatore Domino nostro,id est,vt etiam pro talibus oretur,statim vt desperationem tolleret, addidit; Qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; quod confirmat per simile statim dicens; Isto locutionis modo
C & Dominus vsus est in Euangelio,vbi ait Pharisæis; Decimatis mentham, & rutam,& cuminum, & omne olus. Neque enim Pharisæi & quæcunque aliena, & omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant. Sicut ergo omne olus, omne olerum genus, ita & illic omnes homines, omne hominum genus intelligere possumus; & hoc est quod logicè solet dici, quod potest in talibus distributio fieri pro singulis generum, vel pro generibus singulorum,sicut hic; Omne animal fuit in arca Noë. Vnde Gen.7. Ingressi sunt ipsi, & omne animal secundum genus suum. Et istam eandem expositionem eiusdem dicti ponit de correptione & gratia,61.quam etiam roborat per illud Euangelicum iam præmissum; Qui decimatis omne olus, & per illud quod dicit Paulus; Omnibus per omnia placeo. Et infra 74. aliter hoc exponit; Vult,inquiens,Deus omnes homines saluos fieri,id est,facit omnes homines velle saluos fieri,quia ipse operatur velle; & similem modum loquendi habet 22.de Ciu.Dei 2.si-
D cut erat superius allegatum. Idem quoque De prædest.Sanctorum,10.simile dictum sic exponit; Sicut integrè loquimur,cùm de aliquo literarum magistro, qui in ciuitate solus est Dominus;Omnes iste hîc literas docet, non quia omnes discunt,sed quia nemo nisi ab illo discit quicunque ibi literas discit: Ita rectè dicimus; Omnes Deus docet venire ad Christum, non quia omnes veniunt,sed quia nemo aliter venit. Idem quoque de natura, & gratia dicit idem, scilicet quòd omnes viuificantur per Christũ,quia nullus nisi per ipsum,sicut dicimus, quòd Magister literarum in ciuitate docet omnes,quia nullus discit nisi quem ipse docuit. Illud autem Ezechielis obiectum soluitur per illam distinctionem de velle quam 34. fecit, & si quis vltimum eius verbum voluerit ponderare,scilicet,& non vt conuertatur & viuat,quasi hoc sit voluntatis diuinæ,vt omnis peccator conuertatur & viuat, respondendum est secundum iam dicta. Et illud Act. supradictum; Non est personarum acceptor Deus, si debet exponi ad mentem dicentis, debet intelligi modo dicto, scilicet quòd Deus non est acceptor personarum se-
E cundum genus,non secundum speciem seu numerum: Non est,inquam,Deus acceptor personarum secundum genus,quin ex omni gente & natione vocet & recipiat ad salutem; & ista videtur mens Petri Apostoli,qui hoc dixit. Ipse enim prius credidit,vt videtur,quòd soli Iudæi essent accepti à Deo ad fidem Christi & regnum, iuxta illud Mat. 15. Non sum missus nisi ad oues quæ perierant domus Israel; & supra 10. In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorũ ne intraueritis, sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israel. Sed postquam audiuit quanta gratia Dominus etiam illum Gentilem Cornelium visitauit, aperiens os suum, dixit; In veritate comperi,quoniam non est personarũ acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Vult ergo tantùm dicere S.Petrus, quòd Deus non est personarum acceptor, quæ ex circumcisione sunt tantum, exclusis alijs quibuscunque *Mat. 15.* *Mat. 10.*

cunque, sed in omni alia gente, natione, vel lingua, qui timet Deum & operatur iustitiam, acceptus est illi; & eiusdem opinionis cum Petro erant fideles cæteri ex Iudæis; & etiam Apostoli alij, vt videtur; vnde infra eodem; Obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus S. effusa est: & infra 11. Audierunt autem Apostoli & fratres, qui erant in Iudæa, quoniam & gentes receperunt gratiam Dei, & honorificabant Deum. Vnde dicit Aug. De bono perseu. 35. Quid est quòd aliquando paruuli infideliũ baptizantur, fidelium verò non? vt certè ostendatur, quòd personarum apud Deum non est acceptio; alioquin fidelium potius quàm infidelium filios liberaret: cui & concordat eius autoritas de correptione & gratia, 27. De gratia & lib. arbit. 50. quas 31. habet. Et quòd Deus sit personarũ acceptor secundũ numerũ, patet per eundẽ, infra eodẽ, sic dicentẽ; Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eũ manifestũ fieri non omni populo, sed testibus pręordinatis à Deo. Et infra 13. Crediderunt, quotquot pręordinati erant ad vitã æternã. Vnde & Apost. ad Rom. 4. secundum propositum gratiæ Dei, sicut & Dauides dicit beatitudinẽ hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus. Et infra 9. Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid egissent boni aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex voluntate dictũ est, quia maior seruiet minori. Et infra eodem, Miserebor cui miserebor, &c. Et non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, cum toto processu capituli ad hoc idem. Quod tractans Augustinus Enchirid. 78. sic dicit; Ambo gemini naturâ iræ filij nascebantur, nullis quidem operibus proprijs, sed originaliter ex Adam vinculo damnationis astricti; sed qui dixit, Miserebor cui misertus ero, Iacob dilexit per misericordiam gratuitam, Esau autẽ odio habuit per iudicium debitum, quod cùm deberetur ambobus, in altero alter agnouit non de suis distantibꝰ meritis sibi esse gloriandũ, quod in eadem causa idem supplicium non incurrit, sed de diuinæ gratiæ largitate, quia, Neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Et de bono perseuerantiæ 26. Duorum geminorum, quorum vnus assumitur, vnus relinquitur, dispar est exitus, merita communia. Et supra eiusdem 19. Ex duobus paruulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur, & ex duobus ætate iam grandibus impijs, cur iste ita vocetur, vt vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, Inscrutabilia sunt iudicia Dei; Ex duobus autem pijs, cur huic donetur perseuerantia vsque in finem, illi autem non donetur, Inscrutabilia sunt iudicia Dei. Idemque Enchirid. 75. Tunc non latebit, quod nunc latet, cur de duobus vnus esset assumendus per misericordiam, alius per iudicium relinquendus, in quo is qui assumeretur agnosceret, quid sibi per iudicium deberetur, nisi misericordia subueniret, cur ille potius quàm iste fuerit assumptus, cùm causa vna esset amborum. Dicitque beatus Gregorius 25. Moral. 14. super illud Iob trigesimo quarto, Ipso concedente pacem, quis est qui condemnet, nemo discutiat, cur alius trahatur ex dono, alius repellatur ex merito. Quibus & concors est Anselmus Prosolog. 11. Deo sic dicens, Si vtcunque capi potest, cur malos potes velle saluare; illud certe nulla ratione comprehendi potest, cur de similibus malis, hos magis salues quàm illos per summam bonitatem, & illos magis damnes quàm illos per summam iustitiam. Hoc etiam plane probant Ieremias, Ioannes Baptista, & beata virgo Maria, quæ sine omni merito præcedente sanctificabantur in vtero, alijs omnino similibus derelictis. Si quis autem huiusmodi sanctificationis qualiacunque merita sibi fingat, ponatur quòd alia virgo similis virgini gloriosæ similiter omnino vixisset; & si nullo modo Deus sit acceptor singularium personarum, sequitur quòd Deus ex ea fuisset similiter incarnatus, sicque multas matres vnicus Dei Filius habuisset: Ego autem credo firmissimè, quòd etsi omnes filiæ domus Iacob, sicut & domina mea vixissent; nulla tamen earum talis fuisset in acceptatione diuina, & quod ipsi soli præ omnibus virginis & matris donasset gaudium & honorem, ex ipsa singulariter incarnatus; Nullo tamen modo videtur, quod tanta sapientia, quæ omnia disponit suauiter, vnicam sibi matrem studiosa prouidentia non singulariter & æternaliter præelegit, sed quæ foret mater eius, quasi negligenter reliquit meritis & voluntatibus hominum varijs, & tanquam casui & fortunæ, ac velut casui taxillorum. Verùm quia Domino reuelante dideceram, quòd opera Dei reuelare, & confiteri honorificum est & gratum; Ecce breuis historia ad hoc idem. Sciui quendam clericum iuuenem, seruitorem deuotum virginis gloriosæ, qui vt purissimæ virgini non habenti maculam neque rugam mentis aut corporis acceptius deseruiret, castitatem perpetuam nedum carnis sed & cogitationis, & voluntatis munditiam ei vouit; & idem votum in deuotionibus suis quotidiè renouabat. Cui inuidens callidus ille serpens, qui mille per mæandros fraudesque fluxuosas quieta corda non desinit agitare, tantum virus temptationis infudit, vt inciperet sollicitè cogitare, & dubius quodammodo disputare de valore, merito, & præmio castitatis, qui tandem fallaciter est delusus in tantum,

A tantum, vt paruipenderet castitatem etiam virginis benedictæ, & consequenter totam sanctissimam vitam eius, æstimans quòd si alia fœmina similem vitam aut sanctiorem duxisset, similis ei in cæteris, beatiorue fuisset. Quapropter & amando, & obsequia solita exhibendo, remissus & tepidus est effectus, qui dum quadam nocte dedisset oculis suis somnum, medentis gratiæ radio visitatus, ductus sibi videbatur per quendam in locum vnum amœnum, veluti paradisum, vbi & ostensa fuerat ei arbor incomparabiliter speciosa, & similiter pretiosa, quæ radicata in terra, erigebatur in cœlum, in cuius summitate, quasi in nidulo puer paruulus quiescebat, eratque arbor secundum longitudinem spaciatim pulcherrimis nodis distincta; volentique scire quæ, & qualis esset hæc arbor, responsum est ita: Hæc est virginitas sanctæ Mariæ, statimque vno nodorum arboris ad instar oris aperto, facta est vox dicens, Etsi omnes filiæ domus Iacob, sicut illa vixissent, nulla tamen talis fuisset. Hoc etiam totum de acceptatione & præpositione vnius personarum æqualium & etiam minus dignæ 21°. capitu-
B lo magis patet. Ad id vltimum de prædicatione obiectum, dicendum, sicut de oratione 23^um^. & 25^um^. dicunt; Christus enim qui ipsemet prædicauit hominibus ore proprio benedicto, vel per suos Apostolos, vel alios prædicatores quoscunque, noluit quod omnes audientes compungerentur, & acquiescerent veritati; Imò noluit quòd aliquid aliud, aut aliter in minimo fieret vnquam per aliquem suum sermonem, quàm plenè fiebat, sicut capitulum 10. manifestat. Vnde Esai. 55. Quomodo descendit imber & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, *Esaia 55.* sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quodcunque volui, & prosperabitur in his ad quę misi illud. Et si tu quæras, quare ergo voluit prædicare omnibus indistinctè; Responsio patet per prædicta: Dicendum tamen quod hoc voluit propter eruditionem electorum, & punitionem reproborum. Vnde Mat. 13. *Matth. 13.* & alibi frequenter, Qui habet aures audiendi, audiat: & Matt. 19. Non omnes capiunt ver-
C bum istud, sed quibus datum est; qui potest capere, capiat. Et Iohan. 9. In iudicium ego in *Iohan. 9.* hunc mundum veni, vt qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant. Et Matth. 13. Interrogatus à discipulis, quare turbis in parabolis prædicaret, respondit, quia, Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum. Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt, vt adimpleatur in eis Propheta Esaiæ dicentis, Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis; Incrassatū est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, ne quando oculis videant, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Et est Esaiæ 6. sub verbis parum distantibus à prædictis. Et Marc. 4. expressiùs patet idem; *Esaia 6.* vbi postquam Dominus turbæ in parabolis prædicauit 12. Apostolis ita dixit, Vobis datum *Marc. 4.* est nosse mysteria regni Dei; Illis autem qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt, vt Videntes videant, & non videant, & audientes audiant & non intelligant, ne quando conuertantur, &
D dimittantur eis peccata. Sed puri homines, qui nesciunt distinguere inter electos & reprobos, debent omnibus prædicare, optando eis salutem, sicut & orare pro omnibus, sicut 23^um^ & 25^um^ capitula monstrauerunt. Vnde Ecclesiastis 11. Mane semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua, quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud, &. si vtrumque simul, melius erit. Ideoque debet prædicatio fieri omnibus indistinctè, vt electi ædificentur ad vitam, reprobi verò vt minus noceant, & vt minus mali fiant, minusque damnentur, vel vt per prædicationem huiusmodi, velut per quendam gladium spiritus, seu quandam virgam spiritualem oris Domini feriantur, & vt nobis meritum augeatur: Dicit enim Apostolus ad Eph. 6. Assumite gladium spiritus quod est verbum Dei. Et Esaiæ 11. Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et 2. ad Corinth. 2. Christi bonus odor sumus *2. Cor. 2.* Deo in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt; alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ in vitam. Et Luc 10. In quamcunque domum intraueritis, primum dicite,
E Pax huic domui, & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur. Vnde August. de correptione & gratia 68. Patiantur se homines corripi, quan- *Augustinus.* do peccant, nec de ipsa correptione argumententur contra gratiam, nec de gratia contra correptionem; quia & peccatis iusta pœna debetur, ad ipsam pertinet iusta correptio; quæ medicinaliter exhibetur, etiam si salus ægrotantis incerta est, vt si is, qui corripitur, ad prædestinatorum numerum pertinet, sit ei correptio salubre medicamentum; si autem non pertinet, sit ei correptio pœnale tormentum; sub isto ergo incerto ex charitate adhibenda est. Idem infra 75. Quantum ad nos pertinet, qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, omnibus, ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda nobis medicinaliter seuera correptio; Dei autem est facere eam illis vtilem, quos ipse præsciuit, & prædestinauit conformes fieri

fieri imaginis filij sui. Et sequitur 76. Si enim aliquando timore corripimus, ne aliquis inde pereat, cur non timore etiam corripimus, ne aliquis inde plus pereat; & supra 73. tractans Autoritatem Lucæ præmissam, Ad nos, inquit, cum nescimus quisnam sit filius pacis secundum prædestinationem Dei, aut non; sic pertinet nullum exceptum facere, nullumque discernere, sed velle omnes saluos fieri, quibus prædicamus hanc pacem. Neque enim metuendum ne perdamus eam, si ille cui prædicamus, non est filius pacis, ignorantibus nobis; Ad nos enim reuertetur, id est, nobis proderit. Dictum autem Gregorij non contradicit præmissis: Si enim primus parens perseueranter stetisset, Deus aliter ordinasset: His igitur prælibatis, iam restat prosequi quæ sequuntur. Cùm ergo inprimis arguitur, quòd quis potest mereri à Deo aliquid de condigno, pro solutionis materia est sciendum, quod mereri est facere aliquid præmiandũ, id est, dignum vel debitum præmiari; omne autem debitum, dignum, vel condignum est rationabile atque iustum; Ideoque sicut 21. capitulum de rationabili, & iusto distinxit; sic est de debito, digno, & condigno similiter distinguendum; quod de condigno, quia de ipso arguitur, sufficiat demonstrare, ipsoque cognito reliqua non latebunt. Est igitur condignum priùs naturaliter & antecedenter voluntati diuinæ, vel posterius & subsequenter, vel etiam mixtum quodammodo ex ambobus: Vel sub alijs verbis idem; Est condignum per se absolutè, & de inflexibili rigore iustitię: est condignum per accidens & respectu voluntatis diuinę, & de iustitia dependente ab ea; Est condignum mixtum quodammodò ex vtrisque. Pro modo quoq; loquendi communi omnium, proprioq; Doctorum vlterius est sciendum, quòd mereri de condigno diuersimodè sumitur in bono & in malo; dicitur enim quòd quis peccans meretur condignè pœnam æternam, quia tam malum est illud peccatum, quòd ex sola eius malitia pœna æterna sine omni iuris iniuria infligi poterit sic peccanti. Dicitur autẽ quòd nullus meretur condignè vitam æternã quia nullius opus est tam bonũ aut tam meritorium apud Deum, vt ei ex illius solius bonitate aut merito vita ęterna sine omni gratia debeatur, imò nec quicquã boni distincti omninò, sicut superius est argutum. Hi tamen duo modi eius quod est mereri condignè, possunt reduci ad aliquod vnum commune vniuocum, analogumuè ambobus, quod forsan est facere aliquid, cui iustè potest retribui pura merces; ita quòd hæc dictio, pura, excludat in mercede omne gratis illatum bonum, vel malum, & hoc est condignum potentiale, quia iustè potest retribui sibi merces. Possum ergo à principio altius ordiendo, distinguere aliter de mereri, & demereri condignè, scilicet actualiter & potentialiter: Actualiter mereri, est facere aliquid præmiandum, scilicet cui præmium actualiter debeatur, & sic nullus peccans meretur pœnam aliam quàm habebit; Non enim est dignum aut debitum, quòd aliter puniatur, quàm Deus ipsum statuit puniendum; & istud, mereri, potest subdistingui tribus modis prædictis: Mereri autem potentialiter est facere aliquid præmiabile, scilicet cui præmium posset reddi; sicq; omnis peccans mortaliter tam damnandus quàm saluandus meretur maiorem pœnam quàm habebit, & forsan pœnam æternam quantamlibet intensiue: Posset enim Deus iustè punire quemlibet sic peccantem maiori pœna quàm puniet, & forsitan quantacunq;. Istud autem mereri, seu mereri condignè potentialiter est mixtum quodammodò ex mereri condignè antecedenter, & subsequenter voluntati diuinæ, sicut 21. huius in suo simili planius exponebat: Quod enim faciat hoc vel illud, dependet à voluntate diuina secundum 9. cap. sed quòd facto hoc vel illo posset vel non posset dignè sibi retribui pura merces, necessarium est omninò. Loquendo ergo de mereri condignè actualiter primo modo, scilicet antecedenter voluntati diuinę per se & absolutè, videtur quòd nullus potest quicquam mereri à Deo bonum nec malum sicut ostendebant alia argumenta; secundo autem modo potest, nam omne quod Deus vult & statuit, dignum est & condignum, sicut superius monstrabatur. Tertio modo similiter potest quis mereri condignè actualiter bonum & malum à Deo, scilicet tale bonum vel malum quod supra probatum est sequi inseparabiliter suum opus. Quòd enim faciat tale opus pendet ex voluntate diuina, sicut 9. cap. ostendebat: sed quòd facto tali opere cum suis circumstantijs vniuersis comitetur tale bonum vel malum non dependet a voluntate diuina, sed de necessitate consequitur, sicut ad hunc currere, hunc moueri. Quare & vnum de prioribus argumentis non tenet, illud scilicet quod arguebat, istud præmium necessariò consequens necessitare voluntatem diuinam ad ipsum volendum reddere, & reddendum, qui ipsum meretur; quoniam sicut ipsa liberè vult & facit tale meritum in quocunq;, sic & omnia quę necessariò consequuntur. Per hanc etiã distinctionẽ pręmissam multa soluuntur, quæ superius sunt arguta. Ad illud autem quod arguit, actũ virtuosum mereri condignè omne bonum vtile & delectabile distinctum contra bonum honestum, quia melior est hoc & illo; Dicẽdum hoc non sequi, sicut si Ioha. saluet vitam Petri, non propterea Petrus tenetur sibi reddere omnia bona sua, cum tamen quantumcunq; multa sint, & magna, sint multum minora benefi-

cio

A cio pręaccepto; ſicut etiam ſi Iohannes doceat Petrum ſcientias; & virtutes licet ſint incomparabiliter meliores omnibus bonis Petri, non ideo tenetur Petrus retribuere Iohanni omnia bona ſua; imò ſufficit retribuere in talibus ſicut poteſt, & ſolet retribui competenter. Vnde Phi.9.Eth.1. In quibus autem non fit propter confuſionem, id eſt, promiſſionē miniſtrationis, id eſt, certæ retributionis, hi quidem propter ſeipſos, id eſt, accipientes aut dantes, dictum eſt, quoniam inaccuſabiles ſunt: Talis enim ſecundum virtutem amicitia, & retributio facienda ſecundum electionem; hoc enim amici & virtutis. Sic autem videtur & Philoſophia communicantibus; Non enim ad pecunias dignitas menſuratur, pretiumq; ęquè ponderans non vtiq; fiet, ſed fortè quod ſufficiens, quemadmodum ad deos & parentes contingens. Et hoc forſan eſt quia Petrus ſine ſuo magno detrimento non ſufficit retribuere ęquè ponderanter Iohanni; & licèt Deus ſufficiat, non tamen tenetur; Nullus enim merendo facit aliquid boni Deo, ſed ſibi; quare ergo tenetur Deus hoc retribuere de condigno? Et ſi tu dicas, quòd ego ſic arguebam ſuperius; Fateor, ſed hoc contra ponentes gratum mereri à Deo augmentum gratiæ de *Philoſophus.*

B condigno; & ſic videtur argumentum procedere quòd mereatur condignè remiſsionem pœnæ temporalis cuiuſlibet quæ eſt minor. Aliud verò quod arguit, illum qui ſuper omnia amat Deum, debere ab eo ſimiliter redamari, non benè aduertit analogiam in alijs amicitijs obſeruandam: Non enim quantum dignior amatur ab aliquo, tantum readamare tenetur; ſufficit enim quòd minus redamet ſecundum excellentiam ſtatus ſui. Dicit enim Philoſophus 8. Eth. 7. Analogum autem in omnibus ſecundum ſuperabundantiam exiſtentibus amicitijs, id eſt, vno extremo amicitiæ ſuper aliud abundante in bonitate, & amationem fieri oportet puta meliorem magis amari quàm amare, & vtiliorem, & aliorum vnumquemque ſimiliter. Cùm enim ſecundum dignitatem amatio fiat, tunc fit aliqualiter æqualitas, quod vtique amicitiæ eſſe videtur; & cùm Deus ſit melior & dignior infinitè quocunque, videtur proportionalitatē ſequendo, quòd ipſe ſub nullo gradu amoris tenetur amantem quempiam redamare; & maximè quia ‖ *ille* liberè dat ſibi totum illum amorem, teneturq; Deum diligere quantum poteſt, ſicut *Philoſophus.* ‖ipſe

C ſuperiùs probabatur; & hoc poteſt breuis ratio ſuadere. Sint enim Iohannes, & Petrus, cum multis alijs Deum ſuper omnia æqualiter diligentes; tunc ſi Deus teneretur rediligere ſuper omnia quemcunq; illorum, teneretur rediligere Iohānem ſuper Petrum, & è contra, & quemlibet ſuper quemlibet, & ſuper cæteros vniuerſos, & ſuper B. Mariam, & ſicut vnicum verbum ſuum. Congruit tamen multum & decet Deum purè gratuitò ſuos tales amatores ineffabiliter redamare, imò verius præamare; & hoc eſt quod teſtatur ille fidelis amicus Iohannes plurimùm dilectus & diligens, primæ ſuæ Epiſt. 4. dicens; In hoc eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos. Ad Anſel. & Ariſt. reſpondendum quòd talis tantùm meretur ſecundum propriam præſtitutionem, non ſecundum rigorem iuſtitiæ abſolutum; confirmatio verò huius rationis infirmabitur per prædicta. Ad cætera verò argumenta ſequentia, vſq; ad argumentum de merito Chriſti factum præhabita reſpondebunt: Et illud

D poteſt ſolui per diſtinctionem pręmiſſam de mereri condignè. Nam primo modo, antecedenter videlicet voluntati diuinæ, & de abſolutè neceſſario & inflexibili rigore iuſtitiæ videtur, quòd Chriſtus non meruit ſibi, nec nobis reſurrectionem à morte & vitam æternam, nec quicquam huiuſmodi: Si enim feciſſet, eſſet neceſſarium abſolutè quòd Deus hæc redderet ſibi & nobis, cùm non poſsit eſſe iniuſtus; ſicque Deus ſuſcitaret, & beatificaret electos de neceſsitate ſimpliciter abſoluta, & non de beneplacito liberæ voluntatis, quod 9. cap. non permittit. Videtur quoq; poſsibile, licèt nullus homo peccaſſet, Filium Dei aſſumpſiſſe hominem paſsibilem, & omnia vel ſimilia, aut maiora vel pluries feciſſe, & paſſum fuiſſe, ſicut nunc fecit, non propter aliquod præmium ſibi, vel alijs applicandum, ſed ſinceriſsima charitate tantummodò propter Deum, & poſt hæc omnia depoſuiſſe, & annihilaſſe hominē ſic aſſumptum nunquam poſtea reſumendū, & omnes alios homines, ac quamlibet creaturā, nunquā aliquid creaturus; & idem videtur poſsibile, ſuppoſito lapſu hominis in peccatum, quoniam contradictionē formaliter nullatenus infert; & ſi ita fuiſſet, Chriſtus nec ſibi nec alijs meruiſſet aliquid de condig-

E no primo modo prædicto; quare nec nunc, quia quantum meriti ſeu boni operis nunc habebat, tunc tantum vel amplius habuiſſet. Chriſtus inſuper non meruit per naturam ſuam diuinam ſed humanam, & hoc non ex naturalibus ſuis tantùm, ſed ex gratia gratis data, ſicut 35. capitulum allegauit; quod & Lumbar. 3. Sent. diſt. 13. & 18. ſimiliter atteſtatur. Hoc quoque videtur ſentire Apoſtolus ad Rom 1. dicens de Chriſto; Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri. Vbi Gloſſa; Ipſe ſecundum quod homo eſt, prædeſtinatus eſt, id eſt, ſine meritis ſola gratia præelectus, non ſolum vt eſſet caput noſtrum, ſed vt nec originem traheret, nec voluntate perpetraret peccatum, & vt ex mortali natura clarificaretur immortaliter. Si ergo immor- *Apoſtolus Rom. 1.*

talitatem sibi non meruit de condigno, nec aliquid aliud vt videtur; quare nec nobis. Ipse etiam Dominus Iesus Christus videtur hoc testari realiter & in facto, agendo gratias Deo Patri quoniam audiuit eum, Iohan. 11. Si tamen meruit de condigno, & puro debito audiri à Patre, nullæ gratiæ fuissent ei reddendæ, sicut tricesimum primum capitulum arguebat: Quis enim verus & sapiens illi gratias aget aut retribuet, qui nunquam sibi fecit aliquid gratiosum aut tribuit quicquam gratis, cùm proprium sit gratiarum actionis huius, vt sit retributio beneficij gratis facti. Pro quo dicit Philosophus 5. Eth. 8. In contrafacere proportionale commanet ciuitas; retributione autem commanent; propter quod & gratiarum sacramentum promptè faciunt, vt retributio sit; hoc enim proprium gratiæ; refamulari enim oportet ei qui gratiam fecit, scilicet reagendo ei gratiam, qui primo aliquid gratis fecit. Cui concordat Tullius 2°. veteris suæ Rhetoricæ, definiendo gratiam isto modo; Gratia est, in quâ, amicitiarum & officiorum, id est, beneficiorum alterius memoria, & alterius voluntas remunerandi continetur: Vnde & Poeta, *Gratia pro rebus merito debetur inemptis.* Si autem gratia esset rationabiliter referenda ei qui non facit aliquam gratiam, sed debitum purum tantum, emptor & venditor, locans & conducens, mercenarius seu seruus & dominus deberent mutuò gratias agere sibi ipsis, quod ratio prohibet, quia sine gratiarum actione huic inde est plenariè satisfactum, & in omnibus retributum; quare ergo expectaretur vlterius gratiarum actio, quæ est quædam retributio vt dictum est: Nec consuetudo hoc habet; & absit quod omnes tales sint mutuò ingrati, cùm nullus possit esse ingratus nisi gratiæ gratis factæ; sed secundum Apostolum ad Rom. 4. Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum; quare non videtur quòd à tali operario sit aliqua graria suo domino referenda: Vnde Luc. 6. Si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? Et infra 17. Quis vestrum habens seruum arantem aut pascentem, qui regressus de agro dicit illi statim; Transi, recumbe; & non dicit, Para quòd cænem, & præcinge te, & ministra mihi donec manducem, & bibam, & post hæc, tu manducabis & bibes; Nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit quod imperauerat ei? Non puto. Ex quo ergo Christus gratias egit Patri quia eum audiuit, videtur quod non meruit de condigno, vt permittitur, exaudiri; quare nec quicquam omnino simili ratione. Et cùm arguitur quòd meritum Christi excedit meritum cuiuslibet puri hominis infinitè, quia sic Christus excedit quemlibet hominem; forsitan non oportet; quia sic potest argui de eius intellectione, volutione, locutione, ambulatione, & alia eius operatione quacunque: Meritum tamen Christi potest considerari dupliciter; vno modo quantum ad actum ipsum merendi, qui propriè dicitur meritum, & sic videtur fuisse tantum finitum, sicut anima, potentia, actus, & habitus vnde processit: Nam secundum præmissa 40ª. parte corollarij, primi, huius, Nulla creatura est, nec esse poterit infinita: nec valet illa causalis; quia Christus excedit quemlibet hominem infinitè, ideo meritum Christi similiter; quia sic Deus excedit quamlibet creaturam, & tamen non quilibet motus factus, vel possibilis fieri immediatè à Deo, similiter excedit motum factum à qualibet creatura. Et specialiter hæc causalis de merito Christi non tenet, quia Christus habet duas naturas, diuinam scilicet infinitam, & secundum illam non meruit; & humanam finitam, & secundum illam tantummodo meruit. Aliter potest considerari meritum Christi, scilicet quantum ad pretium, quod per illud obtulit Deo Patri, & sic potest dici congruè infinitum; Per actum enim meritorium propriæ voluntatis humanæ, se ipsum totum filium Dei perfectum Deum & hominem obtulit Deo Patri in pretium pro hominibus redimendis. Quapropter licet assumpsisset naturalia humana imperfectiora quantumlibet, & sic per actum voluntatis meritorium remissiorem in proportione quacunque seipsum similiter obtulisset; vel licet forsitan in naturalibus iam assumptis per actum voluntatis meritorium remissiorem quantum volueris se obtulisset similiter pro hominibus redimendis, ipsos sufficientissimè redemisset, non ratione infinitatis actus, voluntatis, aut meriti propriè, sed ratione infiniti huius pretij infinities infiniti per meritum illud oblati; sicut si duorum volentium emere eandem rem vænalem, vnus cum feruentissima voluntate offerat pretium minus iusto, alter cum remississima voluntate offerat pretium iustum, vel maius, hic rem habebit, ille carebit, & hoc non ratione diuersitatis actuum voluntatum, sed prætiorum tantummodo oblatorum. Vnde & 1. Tim. 2. Vnus, inquit, Apostolus Deus, & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Et secundum istam sententiam potest intelligi dictum Anselmi 2. Cur Deus homo 14. superiùs allegatum, & hoc apparet per eundem infra eodem 20°. sic dicentem; Quid misericordius intelligi valet quàm peccatori tormentis æternis damnato, & vnde se redimat non habenti, Deus Pater dicit, Accipe vnigenitum meum, & da pro te; & ipse Filius, Tolle me, & redime te; Quasi enim hoc

Rom. 4. *Luc.* 6. *Luc.* 17. *Anselmus.*

A B C D E

A hoc dicunt, quando nos ad Christianam fidem vocant, & trahunt: Quid etiam iustius, quàm vt ille cui datur precium maius omni debito, si debito datur affectu, dimittat omne debitum. Sed dato quòd meritum Christi fuisset infinitum in specie meriti propriè, adhuc non sequitur quòd meruisset aliquid de condigno primo modo, scilicet antecedenter voluntati diuinæ; quia adhuc voluntas diuina priùs natura fecisset in voluntate Christi humana meritum eius quodcunque, & priùs æternaliter & tempore, & natura voluisset Christum, & quemlibet Christianum habere quicquid per illud meruit sibi vel suis, sicut ex præmissis capitulo isto & alijs poterit apparere. Et si mihi non creditis, saltem credite veritati dicenti, Ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me, Pater ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar, Iohan. 12. Et supra 5. Non possum ego à meipso facere quicquam, sed sicut audio, iudico, & iudicium meum verum est, quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me, Patris. Quod tractans Augustinus super Iohan. parte 2ª. homilia 45. seu. 99. totius sic B dicit, Propter personam Filij vnam ex duabus substantijs diuina humanaque constantem, aliquando secundum quod Deus est loquitur, vt est illud quod ait, Ego & Pater vnum sumus; aliquando secundum id quod homo est, vt est illud, Quoniam Pater maior me est, secundum quod accepimus ab eo dictum & hoc vnde nunc disputo, Non possum à me ipso facere quicquam, sed sicut audio, iudico. His tamen non obstantibus, quidam conantur astruere, quòd Christus meruit de condigno tam sibi quàm nobis. Illud enim meretur quis condignè quod si exigat est necessarium sibi reddi: sed si Christus exigat gloriam sibi & nobis, est necessarium eam reddi. Christus quoque merendo voluit gloriam reddi sibi & suis, & quicquid voluit, necesse erat impleri; Aliter enim voluntas diuina posset frustrari, quod capitulum 10um prohibet manifestè. Quibus breuiter respondendum, quoniam primum assumptum non est verum vniuersaliter intellectum. Si enim Christus secundum quod possibile fuit ei sicut omnipotentia Dei monstrat, & patet per Lumbardum 3. sentent. dist. 18. assumpsisset corpus impas- C sibile & perfectè gloriosum, quale nunc habet, & sine omni merito exegisset gloriam sibi vel nobis, fuisset necessarium illam reddi, non quia illam meruisset condignè, sed quia ita voluisset, & voluntas sua humana necessariò fuisset conformis voluntati diuinæ sicut ex præmissis apparet, & quia peccare non potest, & voluntas diuina necessario semper est iusta, & efficaciter adimpleta; vel si potuit voluntate humana voluntati diuinæ contraire aut difformiter voluisse, non fuisset necessarium tale volutum sibi reddi, quia nec iustum, sicut 21um capitulum ostendebat. Quicquid etiam Pater vel Spiritus Sanctus exigit est necessarium sibi reddi, sicut 10um huius probat, & tamen nihil merentur. Si autem illud primum assumptum intelligatur hoc modo, quòd omne illud meretur quis condigne, quod si exigat ratione meriti de condigno primo modo, scilicet antecedenter voluntati diuinæ, & de rigore absolutæ iustitiæ, est similiter necessarium sibi reddi; dicendum vt priùs, quòd nec Christus, nec alius potest sic mereri actualiter quicquam à Deo; quare nec Christus potest ratione huius meriti exigere quic- D quam à Deo, nisi Christus posit errare, & velle contrariè aut difformiter voluntati diuinæ: & si exigendo quicquam sic faceret, non esset necessarium sibi reddi, quia nec iustum, sicut 21um capitulum demonstrabat. Alterum quoque argumentum præmissum per iam habita potest solui: Residua verò obiecta superiùs per præcedentia sunt reiecta, vsque ad vltimum eorum quod fuit de distinctione meriti de congruo, & condigno, pro quo videtur talis distinctio facienda, quòd meritum de condigno accipitur tripliciter vt est dictum; meritum verò de congruo est meritum potentiale de quo superius dicebatur, scilicet tale opus bonum vel malum quod de congruitate seu congruentia operis est præmiabile, scilicet possibile & habile præmiari; non quod de congruitate seu congruentia aliqua priori voluntate diuina sit actualiter præmiandum, sicut superius est ostensum.

Iohan. 12.

Iohan. 5.

Augustinus.

COROLLARIUM.

E *Coroll. contra quosdam alios recentissimos Pelagij defensores, fingentes quòd licet homo nullo modo posit primam gratiam promereri, potest tamen ipsam proprijs tantùm viribus impetrare.*

EX his autem clarè conuincitur error quidam recentissimus Pelagianorum fingentium, quòd licet homo nullo modo neque de condigno, neque de congruo valeat gratiam promereri; potest tamen ipsam proprijs tantum viribus impetrare. Vnde & nec minùs clarè potest retundi error quidam Pelagianus fictorus forsitan & dicturus, quòd Deus non dat gratiam homini propter aliquod meritum antecedens, sed propter merita sua futura præuisa ab eo: sicut sator seminat bonum semen in terra quam præuidet fructus vberes allaturam: Hi autem

errores poſſunt faciliter corrigi per hîc & ſuperioribus capitulis prælibata. Multi quoque vt A
paruuli baptizati continuò decedentes, effectiuè grandes recipiunt gratiam, qui nunquam ex ea proferunt fructum bonum, nunquam fructus dulces afferunt, ſed amaros; nunquam vuas faciunt, ſed labruſcas; aut ſi quandoq; faciant opera quædam grata, reuertentes ad vomitum & gratiam ſuffocantes, faciunt plura mala, & in ipſis proficiunt & perdurant finaliter || *obdurati.* (|| obſtinati)

CAP. XL.

Quòd gratia, quæ eſt habitus gratis datus à Deo vna cum voluntate humana eſt cauſa efficiens propriè cuiuſlibet boni & meritorij actus ſui.

B

POST hæc autem gratia Dei mecum oſtendet, vt ſpero, quòd ipſa eſt cauſa efficiens propriè cuiuſlibet actus boni; gratia ſcilicet gratis data, quæ eſt habitus animæ à Deo gratis infuſus, iuxta diſtinctionem de gratia 25. factam, de qua etiam capitula proxima loquebantur. Si nempè gratia non eſſet cauſa efficiens propriè actus boni, poſſet homo ex naturalibus proprijs ſine ipſa implere Dei mandata, & perficere quemlibet actum bonum contra proximo præoſtenſa: Si enim habens gratiam efficit quemlibet actum ſuum, gratia nihil penitus coagente, ſic poſſet & ipſâ remotâ; Non enim remoueretur cauſa efficiens totalis, nec etiam partialis. Item ſi gratia ſeu charitas non faciat actum dilectionis humanæ quo implet mandatum de dilectione, eadem ratione nec fides & ſpes, habitus infuſi, vt patet per capitulo proximo allegata, faciunt actus credendi, & ſperandi. Poſſet igitur homo ex ſe & ſuis naturalibus, & naturaliter acquiſitis, credere, ſperare, diligere, & facere quicquid debet, quod eſt error Pelagij manifeſtus, & C
contra proximo præoſtenſa. Item virtutes Theologicæ & ſupernaturales non ſunt minus efficaces ſimilum actuum, quam virtutes naturales, morales, & intellectuales; ſed hæ omnes efficiunt propriè actus ſuos: Quis enim dubitat formas & virtutes naturales efficere ſuos actus? Et quis neſciat virtutes morales efficere actus morales, & virtutes intellectuales conformiter actus tales? cur aliter, non ſimiliter operarentur carentes iſtis virtutibus, ſicut eas habentes, ex quo eis non deeſt aliquod principium effectiuum? Quare & Philoſ. 2. Eth. 1. 2. & 3. oſtendit (*Philoſophus.*) virtutes morales ex operibus generari, ipſaſq; generatas ſimilia opera generare; vbi & cap. 3. poſt oſtenſionem huius multiplicem, ita dicit; Supponitur ergo virtus eſſe talis circa voluptates & triſtitias optimorum operatiua, malitia autem contrarium; Et infra finaliter concludendo, ſic ait, Quoniam quidem igitur eſt virtus circa delectationes & triſtitias; & quoniam ex quibus fit, ab his & augetur, & corrumpitur non ſimiliter factis; & quoniam ex quibus fit, D
circa hæc & operatur, dictum ſit. Qui & ſupra 1° 7° definit Felicem ſecundum virtutem perfectam operantē, quod & ſæpiſſimè innuit alijs locis multis. Itē gratia ſeu charitas facit intentionem rectā, eleuat & erigit voluntatē, ſicut capitulo proximo eſt oſtenſum, ſicuti & in moralibus facit virtus moralis, teſte Philoſ. ibi, & 34. huius plenius allegato. Item virtus, & maxime ſumma virtus ſcilicet gratia ſeu charitas non eſt minus efficax quam vitium; vitiū autem efficit actus malos: quare & gratia ſeu charitas actus bonos. Vt autem taceā de vitijs moraliter acquiſitis, quis neſciat, quis non ſentiat quales actus efficiat vnum vitium radicale, lex membrorum tyrannus naturæ, fomes peccati, concupiſcentia ſeu concupiſcibilitas carnis noſtræ, quod & plerunque peccatum originale à Doctoribus appellatur? teſtis eſt experientia nimis crebra, nimium violenta; Teſtis eſt Apoſtolus, Ego inquiens, carnalis ſum venundatus ſub peccato; (*Apoſtolus.*) quod enim operor non intelligo: Non enim quod volo, hoc ago, ſed quod odi, illud facio; Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Condelector enim E
legi Dei ſecundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, ad Rom. 7. Teſtes ſunt Gloſſæ & (*Rom. 7.*) expoſitiones ſanctorum hanc literam exponentes. Teſtis eſt penè tota 40. diſtinctio ſecundi ſententiarum Lumbardi, vbi & iſtam ſententiam planè tenet, & per Auguſtinum confirmat; (*Auguſtinus.*) Ait enim, Originale peccatum dicitur fomes peccati, ſcilicet concupiſcentia, vel concupiſcibilitas, quæ dicitur lex membrorum, ſeu languor naturæ, ſiuè tyrannus qui eſt in membris noſtris, ſiuè lex carnis. Vndè Auguſtinus in libro De baptiſmo paruulorum; Eſt in nobis concupiſcentia, quæ non eſt permittenda regnare; ſunt & eius deſideria, quæ ſunt actuales concupiſcentiæ, quæ ſunt arma Diaboli, quæ veniunt ex languore naturæ;

A Languor autem iste est tyrannus qui mouet mala desideria. Et infra; Nomine autem concupiscentiæ non actum concupiscendi, sed vitium prauum significauit, cùm eam dixit carnis legem. Vnde idem in Tractatu de verbis Apostoli, ait; Semper pugna est in corpore mortis huius, quia ipsa concupiscentia cum qua nati sumus, finiri non potest quamdiu viuimus; quotidiè minui potest, finiri autem non potest. Quæ est autem concupiscentia cum qua nati sumus? vitium vtique est, quod paruulum habilem concupiscere facit; adultum etiam concupiscentem reddit. Cùm ergo cupiditas sit tam pugnax, tam efficax, & tam multipliciter actuosa, quomodo eam reprimit, minuit, & superat charitas, si penitus nihil agat, si nihil penitus moueat, si sit penitus otiosa? Non sic autem, non sic sentit Apost. 1. ad Cor. 13. Charitas, inquiens, patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, quasi diceret euidenter; Non hæc sed contraria horum facit; quare & statim subiungit; Congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Quod & 1. Cor. 13.

B Aug. de 4. virtutibus charitatis; Quod omnia tolerat, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, pulchrè monstrat. Vnde inter cætera, in persona Abrahæ, cui secundam harum virtutum attribuit, ita dicit; Virtus charitatis in me manens omnia credit, & facit, & dicit. Audio enim eam sine strepitu vocis intus ad cor loquentem, & infra; O charitas quæ tantum potes in hac pugna mortalitatis adhuc sollicita, quantum poteris in illa perfecta pace secura? Qui & Enchirid. penult. Minuitur, inquit, cupiditas charitate crescente, donec veniat hic ad tantam magnitudinem qua maior esse non posit; ibi autem quis explicet quanta charitas erit, vbi cupiditas, quam coërcendo superet, nulla erit? quando sanitas summa erit, quando contentio mortis nulla erit? Idem ad Anastasium sicut allegat Petrus 2. Sent. dist. 26. Sine spiritu non est voluntas hominis libera. Cùm enim cupiditatibus vincatur, non est libera ad bonum, nisi liberata fuerit, non autem liberatur, nisi per Spiritum charitas diffundatur in cordibus. Non est libera voluntas nisi gratia eam liberet per legem fidei, id est, non est libera sine fide operante per Augustinus.

C dilectionem, & illa sufficienter & verè bona est: Non enim est fructus bonus, qui de charitatis radice non surgit: Si verò asit fides operans per dilectionem, fit delectatio boni. Qui & de spiritu & litera, 13. Non est, inquit, fructus bonus, qui de charitatis radice non surgit; qui & recitante Petro, 3. Sentent. dist. 31. sic ait; Radix omnium malorum est cupiditas, & radix omnium bonorum est charitas. Sed qualis radix est charitas? viua, an mortua? non mortua; constat planè: & quomodo viua si nihil viuidi operis siue fructus germinet, aut producat? Qui etiam super Psalmum 31. Sermon. 1. tractans illud Apostoli ad Rom. 13. Plenitudo legis est dilectio seu charitas, secundum aliam translationem, sic ait; Nunquid charitas permittit aliquid mali te facere ei quem diligis? sed fortè tantummodò mali nihil facis, nec aliquid boni. Ergo nec charitas permittit te non ‖ *præstare* quicquid potes ei quem diligis. Nonne illa est charitas quæ orat etiam pro inimicis? ergo non deserit amicum, qui benè optat inimico. Itaque ‖ patrare

D si fides sine dilectione sit, sine opere erit. Ne autem multa cogites de opere fidei adde illi spem & dilectionem, & noli cogitare quod opereris; nam ipsa dilectio vacare non potest. Cui etiam concordanter Greg. hom. 27. super Euang. exponens illud Iohan. 15. Hoc est præceptū meum vt diligatis inuicem, ita dicit; Omne mandatum de sola dilectione est, & omnia vnum præceptum sunt, quia quicquid præcipitur in sola charitate solidatur. Vt enim multi arboris rami ex vna radice prodeunt, sic multæ virtutes ex vna charitate generantur, nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis. Præcepta ergo dominica & multa sunt, & vnum; multa sunt per diuersitatem operis, vnum in radice dilectionis. Qui & infra hom. 30. Nunquā, inquit, Dei amor est otiosus; operatur enim magna, si est; si verò operari renuit, amor non est. Dicitq; Petrus 2. Sent. dist. 26. Quòd ipsa gratia non est otiosa, sed meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici. Rursum Apost. ad Gal. 5. dicit; Quòd fides per charitatem operatur; & iterum 1. ad Cor. 15. Gratia, inquit, Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia Dei mecum. Quis Gregorius. Lumbardus Gal. 5. 1. Cor. 15

E ergo dixerit charitatē seu gratiam nihil penitus operari? Si quis sic senserit, legat libros, & expositiones Augustini & aliorum Doctorum super autoritates istas, & plurimas alias similes, & desinet sic sentire. Hoc idem testantur autoritates quamplurimæ capitulis proximis allegatæ; inter quas ille Aug. Hypognost. 60. De bono perseu. 48. 36. huius, & 1. ad Simplic. 24. & ille Anselmi De concordia, & de veritate tactæ capitulo proximo sunt expressæ. Quis etiam vel atrium exterius Theologiæ parum ingressus, illam diuisionem communissimam de gratia operante & cooperante ignoret? cùm omnes pœnè Doctores atque discipuli creberrimè hanc affirment. Vnde & Petrus, secundo Sententiarum, Distinct. 5. 26. 27. & 29. ipsam diligenter explanat. Qui & distinct. 25. vlt. loquens de libertate naturæ & gratiæ. Vtramque inquit,

inquit, Libertatem notat Apostolus, cùm ex persona hominis non redempti, ait, velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio, ac si diceret; Habeo libertatem naturæ, sed non habeo libertatem gratiæ, ideo non est apud me perfectio boni. Nam voluntas hominis quam naturaliter habet, non valet erigi ad bonum efficaciter volendum, vel opere implendum, nisi per gratiam liberetur, & adiuuetur, vt perficiat, quia, vt ait Apostolus, Non est volentis velle, neque currentis currere, id est operari, sed miserentis Dei, qui operatur in nobis velle & operari bonum, cuius gratiam non aduocat hominis voluntas, vel operatio, sed ipsa gratia voluntatem præuenit præparando vt velit bonum, & præparatam adiuuat ne frustra velit, id est vt perficiat; & dist. 26. immediatè subiungit, Hæc est gratia operans & cooperans; Operans enim gratia præparat hominis voluntatem vt velit bonum, gratia cooperans adiuuat ne frustra velit: Vnde Augustinus in libro de gratia & libero arbitrio, Cooperando Deus in nobis perficit, quod operando incipit, quia ipse vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens: Vt ergo velimus operatur; cùm ergo volumus, & sic volumus, vt perficiamus, nobis cooperatur; tamen sine illo vel operante vt velimus, vel cooperante cum volumus, bona pietatis opera, nihil valemus. Et subdit Petrus, Ex his verbis satis aperitur, quæ sit operans gratia, & quæ cooperans; Operans enim est quæ præuenit voluntatem (Ea enim liberatur & præparatur hominis voluntas vt sit bona, bonumq; efficaciter velit) Cooperans verò gratia voluntatem iam bonam sequitur adiuuando; vbi & infra allegat Augustinum de prædestinatione Sanctorum dicentem, quod gratia non datur secundum alia merita, sed efficit omnia bona merita. Distinctione quoque vigesima septima ita scribit, Quidam non inerudite tradunt, virtutem esse mentis bonam qualitatem siue formam, quæ animam informat, & ipsa non est motus, vel affectus animi, sed ea liberum arbitrium iuuatur, vt ad bonum moueatur, & erigatur; & ita ex virtute & libero arbitrio nascitur bonus motus vel affectus animi; vbi & statim ‖ *dicit* sic esse de gratia & voluntate humana. Et infra, In bonis merendis causæ principalitas gratiæ attribuitur, quia principalis causa bonorum meritorum est ipsa gratia, qua excitatur liberum arbitrium, & sanatur atq; iuuatur voluntas hominis vt sit bona, quæ ipsa etiam donum Dei est, & hominis meritum, imò gratiæ, quia ex gratia principaliter est, & gratia est: Vnde Augustinus ad Sixtum Presbyterum, Quid est meritum hominis ante gratiam, cum omne bonum meritum nostrum non in nobis facit nisi gratia? Ex gratia enim, vt dictum est, quæ præuenit & sanat arbitrium hominis, & ex ipso arbitrio procuratur in anima bonus affectus, siue bonus motus mentis, & hoc est primum hominis bonum meritum; sicut verbi gratia ex fide, virtute, & hominis arbitrio generatur in mente bonus quidam motus, & remunerabilis, scilicet ipsum credere, ita ex charitate & libero arbitrio alius quidam motus prouenit valde bonus, scilicet diligere: sic de cæteris virtutibus intelligendum est. Idem 3. sentent. dist. 36. dicit, quòd charitas est mater omnium virtutum, sed qualis mater? sterilis, an fœcunda? & quomodo sterilis cùm sit mater? si autem sit fœcunda, quomodo nihil parit? Hic autem multi Pelagianorũ amici conantur multipliciter respondere, qui tamen omnes in hoc vno concordant, quod gratia virtus creata seu charitas non verè & propriè efficit actus bonos secundũ substantiam actuũ, sed vel omninò non efficit, vel tantum efficit aliquo modo improprio & transũpto. Aliqui namq; dicunt quòd gratia seu charitas virtus creata nullo modo efficit actus bonos, sed gratia & charitas increata quæ est Deus & Spiritus Sanctus Dei, & sic intelligunt omnes autoritates dicentes gratiam seu charitatem efficere quenquam actum. Sed isti etsi possent vtcunque subterfugere isto modo quasdam autoritates præmissas, rationes tamen non possunt. Quisquis etiam catholicus Authoritates huiusmodi quasdam in superficie literæ, quasdam verò parum interius sanis oculis intuetur, statim potest percipere alium intellectum, de gratia scilicet & charitate creata. Vnde & Petrus 2[i]. sent. dist. 27. inter cætera superiùs allegata, Cùm, inquit, ex gratia dicuntur esse bona merita & incipere, aut intelligitur gratia gratis dans, id est, Deus, vel potiùs gratia gratis data, quæ voluntatem hominis præuenit, (Non enim esset magnum, si hæc à Deo dicerentur esse, à quo sunt omnia) sed potius eius gratia gratis data intelligitur, ex qua incipiunt bona merita, quæ cùm ex gratia sola esse dicantur, non excluditur liberum arbitrium, quia nullum meritũ est in homine adulto quod non sit per liberum arbitrium, sed in bonis merendis ‖ *causæ* principalitas gratiæ attribuitur, quia principalis causa bonorum meritorum est ipsa gratia qua excitatur liberum arbitriũ, & sanatur atq; iuuatur voluntas hominis, vt sit bona. Alij verò dicunt, quod ideo dicitur gratia efficere bonũ actum, quia excitat voluntatem vt ipsa efficiat bonũ actum. Sed hi etiã per rationes præmissas rationabiliter conuincuntur. Itẽ si gratia excitet voluntatẽ, mouet aliqualiter voluntatẽ, & aliquem actum agit, & si hoc faciat præueniendo voluntatẽ nondum agentẽ, cur non potest simili ratione coagere actũ meritorium cum ipsa agente? quis etiam nisi ingratus

Margin: A; *Augustinus.*; B; C; ‖ ostendit; D; E; ‖ esse

A ingratus gratiæ, dabit gratiæ Dei actum peiorem seu minus bonum, & proprijs naturalib, magis bonum? quis enim ignorat actum meritorium esse incomparabiliter meliorem, quam nudam excitationem ad illum, cum qua stat nihil mereri, imò peccare; hoc autem non sinunt superioribus capitulis allegata. Posset quoque homo vel Angelus velle, & facere sine huiusmodi excitante, cùm nihil coagat hic nec ibi; quare & sine gratia implere omnia Dei mandata, quod est error Pelagij, sicut capitulum proximum recitauit. Posset insuper voluntas humana similiter à non gratia excitari, puta à ratione, à virtute morali, à Doctore, ab instinctu seu inclinatione naturali, ab alijsque diuersis; hæc igitur alia sine gratia sufficiunt ad faciendum mandata. Secundum hoc etiam voluntas creata esset principalior causa meriti, quàm gratia; hæc enim principaliter imò singulariter efficit meritum, illa verò tantummodò excitat ad agendum: hoc autem est planè contra Apostolum superiùs allegatum, Abundantiùs illis omnibus laboraui, non autem ego, sed gratia Dei mecum. Quomodo namque debet istud intelli-
B gi, nisi quòd non ego principaliter & gratia instrumentaliter, sed è contra, quod & planè testatur dictum Lumbardi contra responsionem proximam allegatum. Alij æstimant quòd gratia facit actus bonos, non effectiuè, sed tantùm formaliter, sicut albedo facit subiectum album, & anima animatum, & quælibet forma suum formatum: Sed ista possunt refelli per rationes & autoritates præmissas. Item gratia quæ est habitus infusus, non est forma naturalis & essentialis actus volendi ipsius grati, sicut nec aliquis habitus sui actus; est enim actus actualior habitu, nec subiectum habitus naturale, nec compositus ex habitu & ‖ *actu* sicut ex forma & materia, sed est simplex; nec gratia est causa materialis actus boni, puta debitæ dilectionis Dei & proximi, nec causa finalis sicut nullus ignorat; nec causa efficiens vt hi dicunt; posset ergo homo facere illum actum, & implere mandata sine gratia, ex naturalibus suis tantum sicut Pelagius delirabat; nulla enim causa deficeret requisita. Siquis autem dixerit, quòd gratia est forma impropriè, & ‖ *actualis* quodammodo actus boni, quia videlicet informat voluntatem
C illum agentem, incidit in pelagus Pelagij supra dictum. Habet etiam dicere consequenter quòd omnis actus à tali voluntate procedens est bonus & gratus, quia gratia similiter informatus, quod non est verum de actibus paruulorum, nec de actibus omnibus adultorum, quia non de actibus indifferentibus venialibusq; peccatis. Eadē etiam ratione omnis actus sapientis esset sapiens, sapienterue factus, temperati temperatus, temperatèue factus, & eodem modo de virtutibus & vitijs vniuersis, quod nullus dubitat esse falsum. Isti quoque contra Apostolum ponunt gratiam vacuam, id est otiosam, sicut glossa exponit; quare videntur gratia vacui & inanes. Alij adhuc putant, quòd ideò gratia dicitur agere bonos actus, quia ligat & reprimit concupiscentiā repugnantem, qua ligata grata voluntas efficit gratos actus. Sed istos rationes & autoritates præmissæ conuincunt. Quomodo etiam gratia ligat & reprimit concupiscentiam repugnantē, si penitus nihil agat, sicut superius tangebatur? aut si gratia ad repressionem concupiscentiæ quicquam agat, cur non ad productionem actus boni simili ratione, sicut
D contra 2am responsionē superius est argutum? Item homines in gratia constituti habent quandoq; concupiscentiam ita fortem, & aliquoties fortiorem quàm homines gratia destituti, sicut vita multorum sanctorum, & specialiter S. Paulus 1. ad Cor. 12. de seipso euidenter ostendunt. Possunt ergo tales homines gratia destituti facere actus bonos, & implere Dei mandata sicut & tales in gratia constituti. Quare & isti sicut priores pelagi Pelagiani voragine absorbentur. Hoc idem potest & aliter sic ostendi; quia quantum concupiscentia ligatur, & sedatur per gratiam, tantum posset sedari per virtutes morales, per medicinam, per alterationem naturalem, & in quibusdam per complexionem propriam naturalem. Possent ergo tales virtute naturæ, sine huiusmodi gratia seruare omnia Dei mandata; quare & isti in pelagus Pelagij relabuntur. Ad idem, si gratus, concupiscentia per gratiam parùm repressa, potest producere magnum actum, magnumque meritum potest & non gratus per concupiscentiam in modico ampliorem modicum amplius impeditus, similem actum producere, licet proportionaliter fortè
E minorem, & fortè tanto meliorem quanto difficiliorem, sicut capitulum proximum arguebat: causæ namque similes inæquales producunt effectus similes inæquales. Vnde Philosophus 3. de Cœlo 72. reprobans ponentes ignem ardere propter angulos, propter acutiem scilicet angulorum; Si, inquit, calefacit & ardet ignis propter angulos, omnia erunt elementa calefactiua; magis autem fortè alterum altero; Omnia enim habent angulos puta & quod octo basium, & quod duodecim basium, & pyramis, Democrito autem & sphæra, angulus quidem ens ardet; quare differunt eo quòd magis & minùs. Item tunc Angelus & homo in statu innocentiæ ante lapsum, nequaquam indiguit gratia ad merendum; non enim habebat concupiscentiam reluctantē, cuius oppositum cap. proximum ostendebat. Vnde & August. Enchir. 87. *Augustinus.*
Illam, inquit, immortalitatem in qua posset non mori natura humana perdidit per liberum arbitrium;

‖ alio

‖ accidentalis

bitrium; hanc in qua non posſit mori, eſt acceptura per gratiam, quam fuerat, ſi non peccaſſet, A acceptura per meritum, quamuis ſine gratia nec fuerat tunc, nec vllum meritum eſſe potuiſſet. Quia etſi peccatum in ſolo erat libero arbitrio conſtitutum, non tamen iuſtitiæ retinendæ ſufficiebat liberum arbitrium, niſi participatione immutabilis boni diuinum adiutorium præberetur. Hoc idem & Petrus 2. Sentent. diſt. 5.24. & 29. probat, & tenet. Alij opinantur quòd ideo gratia dicitur facere actus bonos, quia characterizando animam Domino, & veſte Domini induendo, reddit eam terribilem aduerſariæ poteſtati, vt eam non audeat aggredi, ſicut aliam, quæ his caret; ſicq; poteſt anima talis grata, grata opera liberè operari. Sed hi vt proximi in puteum interitus, in Pelagij pelagus propellentur. Alij arbitrantur, quòd ideo gratia dicitur efficere actus bonos, quia liberat & iuſtificat hominem à peccato, quod impediuit eum nè faceret actus bonos. Sed iſti per rationes & autoritates principales; & etiam contra 4^tam^ reſponſionem præmiſſas, cum Patre eorum Pelagio refellentur. Pelagiani etiam propter iſtam ſententiam ſpecialiter reprobantur: Ponunt enim, vt recitat Auguſtinus de gratia & lib. B arbitrio 16. quòd illa gratia ſola non ſecundum merita noſtra datur, qua nobis dimittuntur peccata; illam verò quam expectamus in fine, ſcilicet vitam æternam ſecundum merita noſtra dari, intelligentes merita noſtra exiſtere nobis à nobis, non à gratia Dei neque à Deo. Vndè Auguſtinus recitato iſto Pelagianorum errore, ſubiungit, reſpondendum eſt eis, Si merita noſtra ſic intelligerent, vt etiam ipſa dona Dei eſſe cognoſcerent, non eſſet reprobanda iſta ſententia quoniam verò merita humana ſic prædicant, vt ea ex ſemetipſo habere hominem dicant, prorſus rectiſſimè reſpondet Apoſtolus, Quis enim te diſcernet? quid autem habes quod non accepiſti? ſi autem acceperis, quid gloriaris quaſi non acceperis? Prorſus talia cogitanti veriſſimè dicitur, dona ſua coronat Deus, non merita tua. Si tibi à te ipſo non ab illo ſunt merita tua, mala ſunt quæ coronat Deus; ſi autem bona ſunt, Dei dona ſunt, per eius ſcilicet gratiã gratis datam. In Mileuitano quoq; concilio contra Pelagianos celebrato, cui interfuit Auguſtinus vt patet Epiſtola 134. inter eius Epiſtolas, & habetur in Canone de Conſe- C crat. diſtinct. 4. concorditer eſt ſancitum, vt quicunque dixerit gratiam Dei qua iuſtificamur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ iam commiſſa ſunt, non adiutorium vt non committantur, anathema ſit. Sunt autem & multę alię reſponſiunculæ tortuoſæ, quæ per prȩmiſſa hic & prioribus capitulis iuuante Dei gratia, imò principaliter operante, faciliter dirigentur. Poſt hæc autem obijcitur contra iſta; Nam ſi gratia propriè efficiat actum gratum, gratus facilius & fortius * operabitur quam non gratus. Iſte namq; habet magnum adiutorium gratiæ, ille nullum; cuius oppoſitum, vt videtur, per experimentum oſtendunt ingratiſsimi peccatores. Item ſit A totus vnus actus meritorius factus à gratia & voluntate humana; Et B. pars A facta à gratia; C verò pars eius facta à voluntate humana tantum; ergo C eſt meritorium, ſeu A pro C tantum, quia C tantum fit ab hominis libera voluntate; In ipſa namque meritum omne conſiſtit. Item præſtituat ſibi homo certum gradum dilectionis, quem haberet ſine gratia coagente; tunc ſi diligat gratia coagente, diliget D vltra illum gradum; diliget ergo ſaltem tam intenſè, violentè & inuitè; quare non meritoriè. Gratia ergo ſi ponatur actiua, tollit meritum & arbitrij libertatem. Item gratia & voluntas humana vel ſunt æquè potentes, vel non æquè; ſi æquè, vtraq; poteſt impedire reliquam nequid agat, ſicque gratia poſſet violenter prohibere hominem nè peccaret, & nè vellet hoc vel illud: ſicq; omnis habens huiuſmodi gratiam, eſſet finaliter confirmatus: ſi non æquè, aut ergo gratia eſt potentior vel voluntas; ſi gratia, redit abſurditas proxima; poteſt quoque gratia facere voluntatem velle inuitè, inuitamque detinere in actu volendi: Si voluntas ſit potentior gratia, poteſt debilitari voluntas, vel fortificari gratia, donec ſit æquè potens vel potentior, quod ſi ponatur reponitur difficultas. Item cum gratia ſit agens || *irrationale*, & non ex electione, ſi ſit agens, neceſſario ſemper agit ſecundum vltimum ſuæ potentiæ quantum poteſt; quamcunque ergo actionem cuiuſcunq; ſpeciei vel gradus agit ſemel gratia ſiuè gratus, & ſemper. Nec etiam videtur conſonum rationi, quòd agens irrationale agat actum liberum, & liberè, ſed neceſ- E ſitate naturȩ. Item tunc non eſſet in poteſtate hominis ſeruare mandata, neq; ſaluari; cum non ſit in poteſtate ſua habere huiuſmodi gratiam neceſſariò requiſitam. Multa quoq; ſimilia poſſent opponi, ſed iſtis ſolutis patebit ſolutio aliorum ſimilium Dei gratia reuelante. Ad has autem ingratas inſtantias iuuante gratia reſpondendum. Pro prima igitur quis Theologus dubitat charitatem & gratiam facere iugum Domini ſuaue, & onus eius leue, cum tot Doctores doceant hoc, tot locis? Quod & videns ille Dei ſecretarius Eſaias, Qui, inquit, dat laſſo virtutem & his, qui non ſunt, fortitudinem & robur multiplicat. Deficient pueri, & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent. Qui autem ſperant in Domino mutabunt fortitudinẽ, aſſument pennas ſicut Aquilæ, currẽt & non laborabunt; ambulabunt & non deficient, Eſa. 40. Quocirca de

*& delectabilius

|| irrationabile,

Eſaias.

A ca de malis in persona malorũ Sapiens ita dicit, Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles; vias autem Domini ignorauimus; quibus & multa similia profert Scriptura. Verum pro sufficientiori & subtiliori solutione huius instantiæ aduertendum, quòd secundum capitulo proximo præostensa, operatio propria charitatis & gratiæ est diligere Deum charè & gratuitè super omnia finaliter propter ipsum, & sic facere reliqua propter Deum; huiusmodi autem dilectionem & operationem nullus carens charitate & gratia potest habere; sed quamdiu his caret, necessariò diligit maximè proprium commodum & seipsum, & propter commodum proprium & seipsum finaliter reliqua operatur. Dilectio ergo & operatio charitatis seu gratiæ, siue chari & grati, procedens à charitate & gratia differt specificè à dilectione & operatione non chari & non grati. Sicut enim obiecta dilectionum & dilecta finaliter differunt specie, sic & propriæ dilectiones eorum: sic enim est in cognitione & visione propria & distincta; alias etiam omnes volutiones & dilectiones essent eiusdem speciei *Sapiens.*
B specialissimæ, & omnes cognitiones & visiones similiter; & ita de potentijs alijs, & operationibus proprijs quibuscunq;. Vnde & Philosophus, 8. Eth. 3. Ex hoc quòd sunt tres species amabilium, scilicet vtile & delectabile, honestum seu virtus, oportet tres esse species amationum & amicitiarum: Dicit enim, differunt autem hæc adinuicem specie; & amationes ergo & amicitiæ æquales numero amabilibus. Et infra 7. Altera autẽ est amicitiæ species, quæ secundũ superabundantiam, puta patri ad filium, & totaliter seniori ad iuniorem, viroque ad vxorem, & omni imperanti ad imperatum: Differunt autem hæ adinuicem; non enim eadẽ parentibus ad filios, & imperantibus ad imperatos, sed neque patri ad filium, & filio ad patrem; neque viro ad vxorem, & vxori ad virum; Altera enim vnicuique eorum virtus & opus, altera autem & propter quæ amant, alteræ igitur & amationes & amicitiæ. Anselmus quoque De libero arbitrio, 7. facta distinctione de voluntate, in instrumentum naturale, quo volumus, & in vsum seu opus illius, subiungit; Illa quæ opus est tam multiplex est quàm multa, & quàm *Philosophus.* *Anselmus.*
C sæpe volumus, sicut & visus qui est opus, & visio nominatur tam numerosus est quàm numerosa, & quàm numerosè videmus. Hoc idem potest & breuiter Theologicè sic ostendi; Si non gratus posset diligere & facere quodlibet dilectione & factione eiusdem speciei cum grato, posset sine gratia similiter implere omnia mandata, sicut gratus, quod est error Pelagij, sicut capitulum proximum manifestat. Dilectio ergo grati ex gratia & non grati sunt specie differentes. Potest tamen gratus quandoque diligere & operari, non ex gratia sed ex amicitia naturali, ex affectione commodi, ex appetitu delectabilis & vtilis sibi ipsi faciendo actum indifferentem, vel etiam veniale peccatum. Vel ergo instantia comparat actum grati ex gratia procedentem ad actum quemcunque non grati, & tunc illi differunt specie, nec aliquod experimentum ostendit, quòd non gratus potest ita fortiter agere actum eiusdem speciei cum actu grati ex gratia procedente; quare non instat; vel comparat actum grati non ex gratia procedentem ad actum non grati similem specie, & sic benè possunt æquè fortiter agere, quia
D gratia non coagit, nec adiuuat ibi gratum; quare nec instantia ista instat. Pro secunda, sciendum quod illa nullo modo procedit, quia similiter posset ostendi, quòd Deus non agit actum meritorium voluntatis, cuius oppositum patet ex tertio huius, & quarto, & multis capitulis alijs prælibatis. Imaginatur etiam vnum falsum: Si enim A habeat, & sicut habet, partes diuersas, tam gratia quàm voluntas efficit ipsum totum, & quamlibet eius partem non diuisim sed coniunctim, non successiuè sed simul, sicut Deus & voluntas; sicut etiam duo homines trahunt nauem. Vnde Bernardus De gratia, & libero arbitrio, vicesimo tertio; Ad hoc, inquit, gratia præuenit liberum arbitrium, vt iam sibi deinceps cooperetur, ita tamen quod à sola gratia cæptum est pariter ab vtroque perficitur, vt mixtim non singillatim, simul non vicissim per singulos effectus operetur, non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere indiuiduo peragunt, totum quidem hoc, & totum illa, sed vt totum in illa, sic totum ex illa. Tertia tollitur, sicut secunda: Similiter namque posset ostendi, quòd Deus non
E agit actum liberum & meritorium voluntatis. Quæ & ex abundanti nihilominus soluitur, sicut prima: Non enim potest homo sine gratia diligere sub aliquo gradu dilectione illius speciei, cum dilectione à gratia procedente. Vt tamen radicem eius effodiam, dico quòd licet non gratus posset diligere similiter specie, sicut gratus ex gratia, instantia non instaret: Non enim ipsum faceret violentè & inuitè velle aut tam intensè velle; sed de volente & reluctante faceret gratis volentem, & voluntariè diligentem; Hoc enim est propriũ gratię, sicut pręmissa hic de gratia manifestant. Quod & specialiter manifestat conuersio S. Pauli, & ille quem ad preces Sancti Stephani fundatoris Grandimontensis ordinis, diuina gratia conuertebat. Refert siquidem Williamus de Aluernia partis tertiæ sui tripartiti 22 hoc modo, pro quodam tali, qui etiam prohibebat, ne pro eo oraretur, & qui dicebat se nolle vllo modo obtinere gratiam

tiam pœnitentiæ vel conuersionis, eo inuito & renitente orationem fecit pro eo sanctus Stephanus institutor Grandimon. ordinis cum conuentu suo, & exauditus fuit. Cùm enim pro illo orassent, venit ad eos homo ille annuntians eis, qualiter visitatus esset, & faciens confessionem de peccatis cum multa deuotione & lacrymis pœnitentiam egit: Peccat etiam grauiter eò quòd ignorat elenchum. Quomodo namque repugnant, quod aliquis nunc vult vnum, & prius noluit illud, aut voluit eius oppositum? quæ repugnantia? aut quare vult talis inuitè? Exempli siquidem causa, ponatur quòd iste præstituit sibi heri, quod hodiè pasceret vnicum pauperem; & quòd hodie vberiori gratia visitatus velit pascere duos, & pascat, quæ violentia? quæ repugnantia inter ista? Videtur quoque multum probabile quod homo potest cum gratia & ex ipsa velle quantumcunque remissè: Potest ergo homo ex gratia diligere sub tanto gradu, quantum sibi præstituit, & quantum fuisset sine gratia habiturus, & etiam sub minori. Quarta peccat vt tertia, & secunda: sic enim posset probari quòd Deus non agit liberos actus nostros, & etiam quod gratia confirmationis violentaret voluntatem confirmati ad non peccandum, & ad beatificum actum suum, quæ tamen vt tertia potest solui. Quinta si quid probaret, probaret similiter quòd nec finis, nec species eius in anima, nec eius cognitio mouerent volentem, nec aliquo modo efficerent actum liberum voluntatis contra præmissa 19. & 21°. huius. Quis etiam Philosophiam parum ingressus, non legit illud capitulum 3ⁱ. de Anima, De mouente; vbi satis ostenditur quòd phantasia est vna causa mouens animalia, & intellectus homines processiuè; quod quomodo debet intelligi, nisi quod phantasia est vna causa efficiens appetitus in illis; intellectus verò, scilicet species obiecti in intellectu, seu actus intelligendi, ipsa scilicet intellectio, voluntatis in istis, quo & qua mouentur animalia & homines processiuè, sicut euidenter colligitur ex processu? Quis non videt illum processum 12. Metaphys. vbi ostendit Philosophus quòd primum mouens quod est Deus, mouet, vt dicit noua translatio, sicut appetibile & intelligibile mouent non mota, & sicut amatum; & sicut dicit translatio quam Auerroes exponit, mouet sicut desideratum & intellectum, & sicut amatum. Super quod Auerroes comment. 36. Hoc, inquit, mouens est mouens quia agit motum, & quia est finis motus; hæc autem differunt in nobis, scilicet id quod mouet nos in loco, secundum quod est agens, & quod mouet nos secundum quod est finis; & habet duplex esse; in anima, & extra animam: Quod enim est in anima, est agens motum, secundum verò quod est extra animam est mouens secundum finem; verbi gratia, quoniam balneum duplicem habet formam, in anima, & extra animam; & extra illlam formam quæ est in anima desideramus aliam formam, quæ est extra animam, & propter illam formam quæ est in anima desideramus aliam formam quæ est extra animam; Forma igitur balnei in quantum est in anima, est agens desiderium & motum; secundum autem quod est extra animam, est finis motus non agens. Hoc idem & ratio manifestat; Agnitio namque est necessario præsupposita volutioni; est ergo aliqua causa eius sicut in superioribus est ostensum; & non causa materialis, formalis, neque finalis; est ergo efficiens causa eius: & hæc videtur ratio Philosophi tertio de Anima, vbi fuerat allegatus. Est etiam cognitio naturaliter & essentialiter prior volutione, quare & aliqua causa eius, sicut decimo tertio huius patet, &c. sicut prius. Ex his autem cognoscitur quod non est dissonum rationi sicut sexta supponit, quod agens irrationabile liberum actum agat, imò necessaria ratio hoc requirit; quod tamen solum agens irrationabile hunc faceret, esset, sed quod cum rationabili hunc faciat, nullo modo dissonat rationi. Vltima verò instantia est purè Pelagiana. Probaret enim gratiam non esse necessario requisitam ad obseruantiam mandatorum, nec ad salutem perpetuam consequendam, nec magis obuiat dicenti gratiam esse actiuam, quàm non actiuam, dum tamen dicat ipsam requiri necessariò ad salutem, sicut necesse est quemlibet dicere, qui Pelagianam hæresin noluerit profiteri, sicut priora capitula manifestant.

CAP.

A

CAP. XLI.

Quòd gratia prius naturaliter quàm voluntas humana efficiat actus bonos.

OStenso quidem quòd gratia cum voluntate efficit bonos actus; vlterius inquirendum nunquid ambæ æquè primò secundum naturam, vel altera priùs naturaliter reliqua; & si sic, quæ illarum. Puto autem quòd gratia gratis infusa priùs naturaliter voluntate faciat actus bonos: Voluntas enim humana peccati grauedine seu naturæ in tantum
B deprimitur, quòd non potest nisi se & commodum suum diligere finaliter propter semetipsam, scilicet voluntatem, nisi virtute gratiæ erigatur ad Deum super omnia propter seipsum tantummodo gratuito diligendum, sicut 39^{um} probat. Huiusmodi autem erigens necessario præuenit sic erectum in ascensione illius, sicut videtur patere de lapide superiùs eleuato; maximè autem quia anima sic depressa non potest ‖*ex* se in ascensionem aliquam illius speciei, sicut proximo huius patet: ‖ per
Sicut enim homo grauis & debilis iacens in terra, non potens multum nec modicum se per se erigere, potest tamen cum alio ipsum præueniente & continuè præerigente, & ne recidat continuè sustinente, quodammodo coerigere semetipsum & ad hoc quòd se erigat, indiget necessario in principio, & continuè huiusmodi præerigente, & continuè sustinente, sic voluntas creata gratia destituta, gratiaue adiuta. Hoc autem nedum est verum propter depressionem liberi arbitrij per peccatum, verùm propter grauedinem liberi arbitrij naturalem, qua ad prin-
C cipaliter diligendum se & proprium commodum &c. propter ista naturaliter alligatur, nec ‖*valet* ascendere ad aliquid supra se, puta Deum super se &c. gratuitè diligendum, nisi per gra- ‖ valeret
tiam præueniatur & erigatur continuè, & ne recidat, continuè sustentetur, sicut ex 39° & 40° huius patet. Hoc autem totum videtur Daniel congruè figurasse cùm dixit, Non remansit in *Daniel.*
me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quicquam virium, & audiui vocem sermonum eius, & audiens iacebam consternatus super faciem meam, & vultus meus hærebat terræ, & ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & super articulos manuum mearum, & dixit ad me, Daniel, vir desideriorum, Intellige verba, quæ ego loquor ad te, & sta in gradu tuo; nunc enim sum missus ad te. Cumque dixisset mihi sermonem istum, steti tremens, & ait ad me: Noli metuere Daniel, Dan. 10. Vnde Gregorius 22. *Dan. 10.*
moralium 18. super illud Iob 31. Per singulos gradus meos pronuntiabo illum, Nemo, inquit, infima deserens repentè fit summus, quia ad obtinendum perfectionis meritum, dum *Gregorius.*
D quotidie mens in altum ducitur, ad hoc proculdubio velut ascensionis quibusdam gradibus peruenitur: vnde hoc aptè subiungitur, per singulos gradus meos pronuntiabo illum. Hinc Propheta dicit, Excitatus sum, & defecit paulisper spiritus meus: Quid est itaque quod ait, Spiritus meus, nisi spiritus hominis, videlicet spiritus elationis? & quia per occultam gratiam ad amorem Dei temperata desuper mensura proficimus; quanto in nobis quotidiè de Dei spiritu virtus crescit, tanto noster spiritus deficit; qui spiritus erroris, quia non à nobis subitò funditus amputatur, benè paulisper defecisse perhibetur: Tunc verò in Deo plenè perficimus cùm à nobis ipsis funditus defecerimus: Hæ itaque crescentium mensuræ virtutum, sancti viri vocibus gradus dicuntur. Quod & infra sequenti capitulo, per illud factum Danielis superius allegatum confirmans; Bene, inquit, Daniel Propheta, loquente ad se Domino, dum positionem nobis sui corporis insinuare studuit, hæc meritorum incrementa significauit: Ait enim, Audiui vocem verborum, & audiens iacebam consternatus super faciem meam, vul-
E tusque meus hærebat terræ, & ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & super articulos manuum mearum, & dixit ad me, Daniel, vir desideriorum, Intellige verba, quæ ego loquor ad te, & sta in gradu tuo, Nunc enim missus sum ad te. Cumque dixisset mihi sermonem istum, steti tremens, & ait ad me, Noli metuere: Quam videlicet positionem sui corporis, dum verba intrinsecus loquentis audiret, nequaquam nobis tanta cura exprimeret, si à mysterijs vacare cognouisset; In Scriptura enim sacra, Iusti viri non solum quod dicunt, prophetia est, sed & plerumque quod agunt. Vir itaque Sanctus interiùs mysterijs plenus, per positionem quoque corporis exprimit virtutem vocis; & per hoc quòd primùm in terra prostratus iacuit, per hoc quod se postmodum manuum suarum articulis, & in genibus erexit, per hoc quòd ad extremum erectus quidem sed tremens

tremens constitit in semetipso, nobis omnē ordinem nostri prouectus innotescit. Vbi & verbis A
Propheticis expositis ordinatè, super vltimum, scilicet Noli timere, Aptè, inquit, diuina voce subiungitur, Noli metuere, quia cum plus ipsi, quod timeamus, agnoscimus, plus nobis de Deo per internam gratiam infunditur quod amemus, quatenus & contemptus noster paulisper transeat in timorem, & timor transeat in Charitatem; vt quia quærenti nos Deo per contemptum resistimus, per timorem fugimus, & contemptu quandoque & timore postposito solo ei amore iungamur: Paulisper enim eum timere didiscimus, eique vi solius dilectionis inhæremus. Appositis igitur quasi quibusdam gradibus prouectus nostri mentis pedem prius per timorem in imo ponimus, & postmodum per charitatē ad alta amoris leuamus. Huic
* etiam etiam consonat dictum eiusdem 22. Moral. 9. præmissum 35. huius. Huic * similiter satis
Ezech. 1. concordat Ezechiel, Cecidi, inquiens, in faciem meam, & audiui vocem loquentis, & dixit ad me, Fili hominis, sta supra pedes tuos, & loquar tecum; & ingressus est Spiritus in me, postquàm locutus est mihi, & statuit me super pedes meos, Ezech. 1. His & concordat Apostolus, B
Gratiâ, inquiens, Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius
1. *Cor.* 15. illis omnibus laboraui, non autem ego sed gratia Dei mecum, 1. ad Cor 15. Hæc autem prioritatem gratiæ insinuant euidenter. Certum est enim Apostolum laborasse, ipsomet testante. Cur ergo dicit non ego, sed gratia, nisi vt innuat gratiam primò & principaliter quasi efficiens principale efficere bonos actus, hominem verò non sic, sed secundariò instrumentaliter
Gregorius. & subseruienter gratiæ sic agenti? Quare Gregorius 1. super Ezechielem homilia 9. tractans verba Ezechielis & Apostoli iam præmissa, sic ait, Ecce diuina vox iacenti Prophetæ iussit vt surgeret, sed surgere omninò non posset, nisi in hunc omnipotentis Dei Spiritus intrasset; quia ex omnipotentis Dei gratiâ ad bona opera conari quidem possumus, sed hæc implere non possumus, si ipse non adiuuat qui iubet. Sic Paulus cum discipulos admoneret, dicens, Cum metu & tremore vestram ipsorum salutem operamini, illicò quis in eis hæc ipsa bona operaretur adiungit, dicens, Deus enim est, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona C
voluntate. Hinc est quòd ipsa veritas discipulis dicit, Sine me nihil potestis facere. Et infra, sed sciendum est quòd mala nostra solummodò nostra sunt; bona autem nostra, & omnipotentis Dei sunt, & nostra, quia ipse aspirando nos præuenit vt velimus, qui adiuuando subsequitur, nè inaniter velimus, sed possimus implere quæ volumus. Præueniente autem gratia & bona voluntate subsequente, hoc quod omnipotentis Dei donum est, fit meritum nostrum; quod benè Paulus breui sententia explicat dicens, Plus illis omnibus laboraui, qui nè videretur suæ virtuti tribuisse quod fecerat, adiunxit, Non autem ego, sed gratia Dei mecum. Quia enim cœlesti dono præuentus est, quasi alienum se à bono suo opere agnouit, dicens, Non autem ego; sed quia præuenientis gratia liberum in eo arbitrium fecerat in bono, quo libero arbitrio eandem gratiam est subsecutus in opere, adiunxit, Sed gratia Dei mecum; ac si diceret, In bono opere laboraui non ego, sed & ego. In eo enim quòd solo Domini dono præuentus sum, non ego; In eo autem quòd Deum voluntate subsecutus, & ego. His igitur bre- D
uiter contra Pelagium & Cœlestium dictis, ad exponendi ordinem redeamus. Fili hominis, sta super pedes tuos & loquar tecum. Notandus nobis est ordo locutionis & operis; quia prius similitudo gloriæ Domini apparet vt deijciat; postmodum alloquitur vt reuelet; deindè superabundantis gratiæ Spiritum mittit, & leuat, ac supra pedes statuit. Nisi enim aliquid De
|| penitus æternitate in mente videremus, nunquam in facie nostra || *pœnitendo* caderemus. Sed iam iacentes vox Domini consolatur, quod tamen nos facere nostra virtute non possumus; ipsius ergo nos Spiritus implet & leuat, & super pedes nostros statuit, vt qui proni in pœnitentiam pro culpa iacuimus, recti postmodum in bono opere stemus. Ex his autem verbis Gregorij diligenter inspectis, euidenter apparet, quòd est hæresis Pelagij, dicere gratiam non præcedere liberum arbitrium, sed è contra, quod & planè testantur Augustinus, Isidorus, & Canon,
|| allegatum sicut 36. huius fuerat || *recitatum*. Vndè etiam Lumbardus 2. Sent. dist. 26. allegans Augusti-
Lumbardus. num etiam ad hoc idem, sic ait, Bona voluntas comitatur gratiam, non gratia voluntatem. E
Augustinus. Vndè Augustinus ad Bonifacium Papam scribens contra Pelagianos, inquit, Cum fides impetret iustificationem, sicut vnicuique Deus partitus est mensuram fidei, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipso meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici, voluntate comitante non ducente, pedissequa non præuia; & subdit Lumbardus, Ecce expressè hic habes quòd gratia præuenit bonæ voluntatis meritum, & ipsa voluntas bona pedissequa est
Fulgentius. gratiæ non præuia. Fulgentius etiam Ecclesiæ Imspensis Episcopus, referente Isidoro in Catalogo virorum illustrium decimo quarto scripsit, & misit ad Episcopos duos libros de veritate Prædestinationis, in quibus demonstrat quòd gratia Dei in bonis voluntatem humanam præueniat. Istam quoque Sententiam Apostolus planè docet, Non, inquiens,

volentis,

A volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, ad Rom 9. Cur enim diceret, non esse volentis velle, neque currentis currere, scilicet operari, sed miserentis Dei, nisi vt ostenderet, hoc esse Dei, & diuinæ misericordiæ & gratiæ primò & principaliter, & tanquam prioris agentis; volentis autem & currentis non sic, sed secundariò & instrumentaliter, & vt posterioris agentis, sicut & de simili dicto eius superius est ostensum. Hunc etiam intellectum Apostolici dicti huius satis ostendunt expositiones Augustini Enchir. 23. & de duabus animabus, 15. 36. & 37. huius scripræ. Vnde & Petrus 2. Senten. dist. 25. vlt. Voluntas, inquit, hominis quam naturaliter habet, non valet erigi ad bonum efficaciter volendum, vel opere implendum, nisi per gratiam liberetur & adiuuetur; liberetur quidem vt velit; & adiuuetur vt perficiat; quia vt ait Apostolus; Non est volentis velle, neque currentis currere, id est, operari, sed miserentis Dei, qui operatur in nobis velle & operari bonum; gratiam non aduocat hominis voluntas vel operatio, sed ipsa gratia voluntatem præuenit præparando, vt velit bonum, & præparatam B adiuuat, ne frustra velit, id est, vt perficiat. Qui & infra dist. 26. tractans quasdam autoritates, quæ videntur asserere fidem & actum fidei esse liberæ voluntatis; Hæc, inquit, ita sunt dicta, quia non est fides nisi in eo qui vult credere, cuius bonam voluntatem fides præuenit non tempore, sed causa, & natura. Vnde Augustinus supra congruenter dixit, quòd Bona voluntas in eis donis est, quæ non præcedit, & ipsa iuuat, quia ea iuuat, quibus præuenitur, dum eis consentit ad effectum boni, & in eis est, quia tempore ab eis non præceditur. Item quis nesciat causam priorem esse principaliorem posteriori? gratia autem est causa principalis cuiuslibet boni actus, sicut proximo huius contra responsionem secundam apparet. Istam quoque sententiam planè docent autoritates quamplurimæ, 36. huius & sequentibus allegatæ, quam & Ecclesia tota Catholica Catholicè profitetur, orans hoc modo; Tua nos, Domine, gratia semper præueniat & sequatur, ac bonis operibus iugiter præstet esse intentos; si tamen nos prius naturaliter operemur quàm gratia, cur petimus vt ipsa nos præueniat ope- C rando? Nos etiam potius præstamus illam bonis operibus esse intentam, quàm ipsa nos præstet. Si autem dicatur quòd gratia nos præuenit liberando à peccato, non autem actus meritorios propriè faciendo, contradicit ei capitulum proximum, ostendendo gratiam efficere propriè bonos actus; cui etiam potest specialiter contradici, sicut sextæ responsioni eiusdem fuerat contradictum. Aliter dicitur, quòd gratia prius naturaliter efficit primum bonum actum humanum; alios autem sequentes voluntas prius naturaliter operatur. Sed cur tam variè, quæ ratio diuersitatis, cùm totum agens & actum sint primo & post similis rationis? Contra istam quoque responsionem procedunt rationes & autoritates iam præmissæ; specialiter autem illa Apostoli; Non ego, sed gratia Dei mecum. Loquitur enim Apostolus de seipso, non pro instanti suæ conuersionis, sed pro tempore subsequenti quo semper fuit in gratia, & cum gratia laborauit; quod & planè testatur Gregorius ipsam exponens, sicut superius allegatur. Hoc idem contestatur similiter Augustinus superius allegatus, dicendo, quòd gratia D meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici voluntate comitante, non ducente; pedissequa, non præuia: Loquitur enim expressè de merito, quo gratia meretur augeri, quod primo actui bono succedit.

COROLLARIVM.

Corollarium quòd tam Deus, quàm gratia eius creata efficit propriè, prius naturaliter quemlibet actum bonum creaturæ rationalis, quàm ipsa; & quòd auctores dicentes Deum facere opera nostra bona, non excludunt, sed includunt Dei gratiam eadem || similiter *facientem, dicentesq́ gratiam Dei facere opera nostra bona, non excludunt, sed includunt Deum eadem similiter operantem.* || *simpliciter*

E EX his autem euidenter infertur quòd tam Deus quàm gratia Dei creata efficit propriè & prius naturaliter quemlibet actum bonum creaturæ rationalis, quàm ipsa; & quòd autores dicentes Deum facere opera nostra bona, non excludunt sed includunt Dei gratiam eadem similiter facientem; dicentesque Dei gratiam facere opera nostra bona, non excludunt sed includunt Deum eadem similiter operantem. Quòd autem Deus efficiat propriè quemlibet actum bonum, patet ex tertio huius, & quarto. Patet similiter ex 27. & sequentibus cum decimo huius planè. Et quòd gratia similiter faciat, & etiam prius natura, quàm creatura rationalis, patet per 40. & 41. huius. Quòd autem Deus priùs naturaliter faciat, quàm creatura rationalis in bona factione amborum communi, quis non concesserit, concesso, quòd gratia

Dei ibi prius naturaliter faciat, quàm huiusmodi creatura? Quis enim vel leuiter cogitabit A
gratiam Dei creatam priùs naturaliter agere in actione eis communi, quàm eius autorem?
quàm eius & omnium primum motorem? Hoc idem rationes & Autoritates trigesimi quin-
ti huius, & sequentium, & specialiter Gregorij super Ezechielem allegata superius satis pro-
bant: Reliquæ verò partes sequuntur lucidè ex præmissis. Patent quoque creberrimè in
Scriptura sacra & in tractatoribus eius sacris, qui mixtim & indifferenter affirmant, nunc
gratiam Dei facere opera nostra bona, & nunc Deum; ista pro eodem habentes. Exponentes
quoque Sacram Scripturam dicentem Dei gratiam facere in homine actum bonum, dicunt sę-
pissimè Deum facere illum actum & similiter è contrario; volẽtes quoque ostendere Deum fa-
cere bonos actus humanos, ostendunt Dei gratiam illos facere, & è contra; sicut multæ Auto-
ritates in capitulis iam præmissis, & alibi in Sacra Scriptura, & in scriptis Sanctorum planissi-
mè contestantur; quas non oportebat hic tangere, quia nedum diligenti, verum etiam negli-
genti lectori se offerunt copiosè. B

CAP. XLII.

Quod Deus prius naturaliter efficit quemlibet actum bonum voluntatis creatæ, quàm gratia.

POstquam autem Deo, & Dei gratia deducente, ostensum est proximo,
Deum & gratiam Dei creatam efficere propriè quemlibet actum bo-
num voluntatis creatæ, & vtrumque priùs natura voluntate creata; vl-
terius ostendendum, quod Deus & Spiritus Sanctus Dei priùs natu-
raliter efficit quemlibet talem actum, quàm gratia eius dicta. Quis hoc C
tanquam principium notorium non admittit? quis non annuit? quis
dissentit? Verùm propter aliquos tardiores, ecce ostensio huius breuis:
Cùm siquidem Deus & gratia efficiunt actum bonum voluntatis crea-
tæ; aut ergo ambo æquè primò secundum naturam, vel Deus priùs naturaliter gratia, vel è
contra; non ambo æquè primò, quia tunc illa duo agentia, & mouentia reducerentur ad
aliquod tertium prius vtroque illorum virtute cuius ambo agerent, & mouerent, sicut Philo-
sophia plenè testatur, sicut ex secunda Suppositione, ex duodecimo & decimo tertio huius
potest ostendi. Nec Deus posterior naturaliter gratia, sicut in ostensione corollarij proximi
breuiter monstrabatur. Quis etiam nesciat quod sit dignius & perfectius esse causam priorem
& principalem naturaliter, quàm posteriorem & instrumentalem atque subseruientem? Deus
ergo est talis, sicut Suppositio prima monstrat. Quis insuper nesciat Deum esse vniuersali- D
ter omnium primam causam, & primum motorem? Item verum est gratiam agere, & non
est primum verum simpliciter, sicut ex vndecimo, duodecimo & decimo tertio huius patet,
sed causatum ab eo; Deus ergo est causa veritatis istius, & efficit istam veram; Deus ergo
prius naturaliter agit quod gratia agit, quàm ipsa: Videtur ergo imaginandum hoc modo in
productione boni actus humani; quòd sicut trigesimum nonum tangit Deus gratissimè & li-
beralissimè nullo modo præuentus, nec ab alio excitatus, primò vult homini vitam æternam,
& quia non vult eam adulto sine proprijs meritis, gratissimè & liberalissimè vult ea merita, &
etiam gratiam per quam mereatur, quam & gratissimè & liberalissimè ei infundit, ipsam cre-
ans, & mouens, & per ipsam hominem ad bene agendum, ita quod Deus in ista motione est
simpliciter primum mouens & non motum; gratia secundum mouens & motum voluntas
creata, seu creatura rationalis tertium mouens & motum; actus verò bonus productus mo-
tum & non mouens. Sicut etiam peccatum separat nos à Deo, sic charitas & gratia con- E
iungit nos cum eo, & est quodammodo vnio Dei cum homine, hominisque cum Deo, per
quam & sanat infirmum, erigit elisum, excitat otiosum, & dirigit operantem. Ostensum est
autem capitulo proximo, quod gratia præuenit hominem, & prius naturaliter efficit actus
bonos; sed irrationabile videretur, quod res inanimata, & irrationalis scilicet gratia, seu
charitas regularet rem animatam, & rationalem maximè in actibus suis liberis, & rationabi-
libus, nisi ipsa ab aliqua re rationali principaliter regularetur, & superius regeretur: Re-
gulatur autem gratia seu charitas in agendo à Spiritu Sancto tanquam à principaliori & supe-
riori agente. Vnde Apostolus, Charitas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris per Spi-
Rom. 5. ritum Sanctum, ad Rom. 5. Et iterum, Dominus dirigat corda vestra in charitate Dei

2. ad

A 2. ad Thess.3. Et rursum, Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto: Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus; & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; & diuisiones operationum sunt, idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus 1. ad Cor.12. Et adhuc, Quicunque, inquit, spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei ad Rom.8. Et infra, Accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus, Abba Pater: Et inferius; Spiritus adiuuat infirmitatem nostram, & postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, id est, postulare nos facit secundum Glossam & expositiones sanctorum. Vnde & August. de perfectione iustitiæ 21. Graue, inquit, non est, quod diligendo fit, non timendo: Laborant autem Iudæi præceptis, qui ea timendo conantur implere; sed perfecta charitas foras mittit timorem, & facit ‖ *præcepti sarcinam* leuem, non solùm non prementem onere ponderum, verum etiam subleuantem vice pennarum; quæ tamen charitas vt habeatur etiam tanta, quanta in corpore mortis huius haberi potest, parum est nostræ voluntatis arbitrium, nisi adiuuet gratia

2. Thess.3.

1. Cor.12.

‖ timorem

B Dei per Iesum Christum Dominum nostrum: diffunditur quippe in cordibus nostris, quod sæpè dicendum est, non per nos ipsos, sed per S. Sanctum qui datus est nobis. Et infra 22. charitati Dei non est graue mandatum Dei, qui non nisi per S. Sanctum diffunditur in cordibus nostris, non per arbitrium humanæ voluntatis, cui plus dando quam oportet, ignorant iustitiam Dei. Et inferius 33. dicit, quòd Deus facit, & adiuuat vt simus perfecti, & sine infirmitate peccati: & subdit, & hæc nobiscum agit gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum non solùm præceptis, sacris exemplis, sed etiam Sp. Sancto, per quem latenter diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ interpellat gemitibus inenarrabilibus, donec in nobis sanitas perficiatur, & Deus, sicuti est videndus, in æterna veritate monstretur. Idem de libertate arbitrij ad Hilarium 2. Illud, inquit, quod dicunt sufficere homini liberum arbitrium ad dominica implenda mandata, quamuis Dei gratia, & Spiritus Sancti dono ad opera bona non adiuuetur, omni modo anathematizandum est, & omnibus execrationibus detestandum: qui enim hoc

Augustinus.

C asserunt, à gratia Dei penitùs alieni sunt, quia ignorantes Dei iustitiam, sicut de Iudæis dicit Apostolus, & suam volentes constituere, etiam iustitiæ Dei non sunt subiecti. Plenitudo quippe legis non est nisi charitas, & vtique charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, non per nos ipsos, seu per vires propriæ voluntatis, sed per Sp. Sanctum qui datus est nobis. Idem de spiritu, & litera 13. Quid sunt, inquit, leges Dei ab ipso Deo scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Sp. Sancti, qui est digitus Dei, quo præsenti diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ plenitudo legis est, & finis præcepti? Idem 6. contra Iulian. 26. sic alloquitur Iulianum; Tu à vestro dogmate non recedis, quo putatis gratiam Dei per Iesum Christum Dom. nostrum sic in sola remissione peccatorum versari, vt non adiuuet ad vitanda peccata, & desideria vincenda carnalia, diffundendo charitatem in cordibus nostris per S. Sanctũ, qui ab illo datus est nobis. Idem de gratia & libero arbitr. 36. Charitas, inquit, quamuis parua & imperfecta Petro non deerat, quando dicebat Domino, Animam meam pro te ponam: Putabat enim se posse, quod se velle

D sentiebat; & quis istam etsi paruam dare cœperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit, quoniam ipse vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens? Propter quod ait Apostolus, Certus sum quòd qui operatur in nobis opus bonum, perficiet vsq; in diem Iesu Christi. Hoc idem ostendit Augustinus diffusè de verbis Apostoli serm. 13. tractans autoritates Apostoli tactas, & alijs locis multis.

COROLLARIVM.

Corollarium, quòd Deus & Spiritus Sanctus dicuntur quoquomodo charitas & gratia, qua charè & gratis nedum Deus diligit se & hominem, verum etiam qua homo similiter diligit Deum & proximum.

EX his autem potest colligi quoquomodo, quòd Deus & Spiritus Sanctus dicitur charitas

E & gratia, qua charè & gratis nedum Deus diligit se & hominem, verùm etiam qua homo similiter diligit Deum & proximum. Secundum distinctionem namque de charitate & gratia 25° præmissam, charitas & gratia purè & summè dicitur chara & grata Dei voluntas, siue dilectio qua chare & gratis diligit semetipsum. Secundo accipitur pro eadem voluntate seu dilectione, quatenus per eam charè & gratis, scilicet non propter aliqua præcedentia merita, nec propter commodum suum diligit creaturam. Tertiò secundum illum tropum creberrimum in Poëtria, in Philosophia, & in Theologia, quo effectus nominatur nomine facientis, qui & est vnus color rhetoricus, quem Tullius vltimo nouæ suæ rhetoricæ denominationem appellat, dicitur charitas & gratia habitus à secunda charitate, scilicet à voluntate diuina creaturæ charè & gratis infusus, qui & ex alia causa, ex similitudine scilicet ad charitatem primo

modo, vel secundo acceptam potest similiter transumtiuè quodammodò charitas & gratia A nominari. Nam secundum Philosophum 6. Top. Translatio facit notum quodammodò quod signatum est, per similitudinem: Omnes enim transferentes secundum aliquam similitudinem transferunt: In hoc autem sunt similes, quia sicut Deus charè & gratis diligit se & creaturam per charitatem & gratiam primo vel secundo modo acceptam, sic & creatura per huiusmodi habitum sibi gratis infusum. Quarto propter easdem causas potest dici charitas & gratia actus quo charè & gratis diligitur Deus & proximus à tertia charitate, scilicet ab habitu charitatis & gratiæ deriuatus. Quinto secundum similem transumptionem, dicitur gra-
|| gratia tia quod || *gratis* repēditur pro gratia gratis facta, sicut docent Poëtę Philosophi, Theologi, & modus loquendi creberrimus apud omnes. Hæc autem patent quodāmodò ex 25. huius. Patent similiter per Robertum Lincolniensem Episcopum, qui in quodam tractatu de gratia & iustificatione peccatoris, sic ait; Gratia, est bona voluntas Dei, qua vult nobis dare quod non meruimus, vt nobis ex dato benè sit, & non vt ipsi donanti aliquid indè proueniat. Sic etiam B consueuit dici gratia, talis voluntas vnius hominis erga alium. Consequēter à gratia sic dicta,
|| affectio dicitur etiam gratia ipsum donum quod datur à tali voluntate. Tertio dicitur gratia, || *affectus* & laus debita repensa ab ipso recipiente. Patet itaque quòd omne bonum quod in nobis est, siuè sit gratuitum, siuè naturale, à gratia Dei est, quia nullum est bonum quod ipse non velit esse, & eius velle est facere. Non est ergo bonum, quod ipse non faciat bonum, & perseuerantiam in bono ipse facit: Nihilominus tamen hæc eadem facit nostra voluntas libera, sicut granum germinat, & vi intrinseca quadam germinatiua, & Solis calore cum terræ humore. Et infra, Bona voluntas, qua homo conformis est voluntati diuinæ, est gratia data à gratia, quæ est voluntas diuina, & tunc dicitur gratia infundi, cum voluntas diuina in nostrā voluntatem incipit operari; Omne autē bonum quod in nobis operatur Dei bona voluntas, vt dictum est, gratia data dicitur, sed sola conformitas voluntatis nostræ voluntati diuinæ est gratia data, quæ nos reddit gratos Deo; & bona voluntas Dei hanc conformitatem in nobis efficiens, & C conseruans, inter cæteras Dei voluntates sola dicitur gratia gratificans; & hæc voluntas Dei quæ est gratia gratificans prior est natura, quàm sit voluntatis nostræ ad bonū conuersio. Alia est gratia gratificans, voluntas scilicet diuina conseruandi in bono voluntatem conuersam ad bonum: Charitas autē seu gratia quę est Deus, dupliciter sumitur, scilicet essentialiter, & communiter toti Trinitati, & cuilibet personarum; aliter autē personaliter & propriè, & sic appropriatur Spiritui sancto tantū, sicut docet Aug. 15. De Trin. 17. 19. & 20. manifestè. Vndè illo vicessimo Voluntas, inquit, Dei, si propriè dicenda est aliqua in Trinitate persona, magis hoc nomen Spiritui Sancto competit, sicut charitas; Nam quid est aliud charitas quàm voluntas? Est igitur Spiritus Sanctus charitas prima & summa, qua Deus charè diligit se & hominem, qua & homo charè diligit Deum & proximum; per ipsum summam charitatem datur homini habitus charitatis, diffunditurque in actum, quo charè Deum, proximumque amamus. Hunc autem arbitror intellectum Augustini octauo, & decimo quinto de Trinitate, & alibi, D vbi intentissimè conatur ostendere quòd charitas est Deus, & Spiritus Sanctus Dei, sicut Lumbardus primo Sentent. distinct. decimo septimo recitat copiosè: Qui & ipse similiter fortasis posset intelligi & exponi, quanquàm pertinacissimè moliatur probare, non esse aliam charitatem in homine, quàm Spiritum Sanctum tantum, sicut processus suus, & verba inglossabiliter astruunt, vt videtur. Obijcietur fortassis quòd simili modo posset Deus, & Spiritus Sanctus, dici fides, & spes nostra, quia ab ipso est fides, spes, habitus, atque actus,
Lumbardus. quibus credimus & speramus. Petrus quoque primo Sentent. distinct. decima septima dicit, Non esse dictum per expressionem causæ, Deus charitas est, eo scilicet quòd charitas sit ex Deo, & non sit ipse Deus, sicut dicitur Patientia & Spes nostra, non quia ipse sit, sed quia ista sunt nobis ab eo, ad quod probandum adducit autoritatem Augustini 15. de Trinitate & est decimo septimo capitulo eius scripta. Ad primū horum dicendū, quòd si modus loquendi admitteret, posset Deus secundum tropum prædictum dici fides nostra, sicut dicitur E spes nostra, patientia quoq; nostra: Verum vlterius aduertendum, quòd Deus & Spiritus Sanctus potest dici charitas nostra multo conuenientius & propinquius propriæ veritati, & minus transumptè, minusq; Metaphoricè, quàm fides, vel spes nostra; Nam sicut superius tetigi, vna causa huius tropicæ locutionis, & denominationis vnius rei nomine alterius est, quia vna earum est causa efficiens alterius earundem; Alia autem causa secundum Philosphum est vnius rei ad aliam similitudo; vtroque autem istorum modorum, Deus et Spiritus Sanctus charitas hominis dici potest: Nam charitas hominis tam habitus quàm actus fit ab illo; Deus quoque seu Spiritus Sanctus, & charitas hominis sunt plurimum similes in re & in nomine, in tantum quòd vterque quodammodo vnivoce, quia concorditer

in re

A in re & in nomine charitas nuncupatur. Quis enim ignorat, quòd Deus & Spiritus
Sanctus charitas est, & quòd charitas hominis creata, charitas est? & quis nescit, quòd
Deus & Spiritus Sanctus sua charitate charè diligit primò Deum, secundò hominem
propter Deum; quòd etiam homo sua charitate charè diligit primò Deum, secundò homi-
nem propter Deum? Non sic autem vniuocè potest Deus dici fides vel spes nostra: Non e-
nim in ænigmate quicquam credit, sed omnia clarè videt; nec etiam quicquam sperat, sed
plenissimam certitudinem de omnibus semper habet; nos tamen facit credere & sperare;
quare & primo modo prædicto, posset dici quodammodo fides & spes nostra. Ad secundum
posset dici quòd Petrus intelligit Deum dici charitatem, non per expresionem causæ || ***tan-*** ||quodam-
tummodo, sicut dicitur patientia, & spes nostra, sed etiam propter similitudinem vniuocam modo
supradictam. Veruntamen aduertendum quòd autoritas Augustini nihil facit ibi pro Petro,
nec capit eam ad debitum intellectum. Intendit enim per illam ostendere, quòd Spiritus San-
B ctus est charitas qua nos diligimus Deum & proximum, & hoc non per expresionem causæ,
sed propriè secundum seipsum. Vnde & recitatis verbis Augustini subiungit; Ex prædictis
clarescit, quòd Spiritus Sanctus charitas est, qua diligimus Deum & proximum. Sed sine du-
bio respicienti diligenter illud capitulum decimum septimum, 15. De Trinitate quod allegat,
euidenter apparet, quòd Augustinus principaliter tractat illud, primo Iohan. 4. & ostendit,
quòd non dicit significatione causæ, sicut Deo dictum est; Tu es patientia mea, & Domine,
spes mea; & ideo non est dictum; Domine, charitas mea, aut Tu es charitas mea; sed verè &
propriè per substantiam, sicut dicitur; Deus, Spiritus est, ostenditque quòd charitas sumitur
communiter, vt quælibet persona in Trinitate, Charitas nuncupetur, & propriè vt conueniat
Spiritui Sancto tantùm. Intelligit quoque ibi, & loquitur de charitate, qua Deus diligit se,
& hominem, non è contra, sicut verba sua præmissa testantur; Non, inquit, dictum est, Do-
mine, charitas mea, aut Tu es charitas mea; sed ita dictum est; Deus charitas est: Et infra eo-
C dem, dicit, Iohannem Apostolum commemorasse Dei dilectionem, non qua nos eum, sed
qua ipse dilexit nos, & hanc dilectionem Spiritum Sanctum esse.

CAP. XLIII.

De pœnitentia salutari secundum opiniones diuersas, & de clauium potestate.

POst hæc autem videtur agendum de iustificatione iniusti, & pœniten-
tia salutari, circa quam multiplex versatur opinio, principaliter autem
D duplex; quarum vna est Pelagianorum, quæ ponit peccatorem primò
naturaliter pœnitere, & per hoc secundo gratiam & iustificationem
mereri, recipere, & habere: Alia est aliorum quorundam, quæ dicit
Deum primò naturaliter gratis infundere gratiam peccatori, ipsum-
que secundò salubriter pœnitere. Prima autem istarum dupliciter va-
riatur: Nam quidam Pelagianorum affirmant gratiam præcedere na-
turaliter iustificationem: Quidam verò è contra; Primi namque ponunt peccatorem primo
naturaliter pœnitere: secundo per hoc recipere gratiam, & tertio per hanc iustificari: Alij
autem è contra dicunt peccatorem primo naturaliter pœnitere, secundo per hoc iustificari,
& sic tertio recipere gratiam. Et isti adhuc vlterius bifariè diuiduntur: Aliqui namque putant,
quod solus peccator per contritionem peccatum suum expurget, & sic iustificet semetipsum:
Alij vero existimant, quod Deus hoc facit, propter meritum tamen contritionis temporali-
E ter & naturaliter antecedens. Est ergo opinio Pelagianorum generaliter tantùm vna, specia-
liter autem trina. Has autem eorum opiniones communem, & proprias multis testimonijs
Scripturæ sacræ, & alijs astruere moliuntur. Talia namque, vt refert Augustinus De gratia & *Augustinus.*
libero arbitrio, vndecimo, Pelagiani colligunt de Scripturis; quale est, Conuertimini ad me,
& ego conuertar ad vos, vt secundũ meritũ conuersionis nostræ ad Deum, detur nobis gratia
eius, qua ad nos & ipse conuertatur. Et Dominus vobiscum, cùm vos estis cum eo; &, Si quæ-
sieritis eum, inuenietis eum, & similia. Qui & De prædest. Sanctorum 13. ita scribit; Cùm dici-
tur, inquiunt Pelagiani; Si credideris saluus eris, vnum horum exigitur, alterum offertur; quod
exigitur in hominis, quod offertur in Dei est potestate. Quis etiam, sicut dicunt, ignorat pœni-
tentiam esse remissoriam peccatorum, & causam iustificationis iniusti, & reconciliationis,

 & accep-

&c aceptationis diuinæ? quare & priorem tempore vel natura remissione peccati, iustificatione iniusti, & acceptatione diuina: hoc enim ostendunt communiter vetus testamentum & nouum; omnes Doctores Catholici de pœnitentia pertractantes, iuraque diuina, canonica, & humana. Vnde Ierem. 18. Repente, inquit Dominus, loquar aduersum gentem, & aduersum regnum, vt eradicem, & destruam, & disperdam illud: si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum aduersum eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei. Item Ionæ 3. Vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit. A

Glossa. Glossa, Quotidie populis comminatur Deus, vt agant pœnitentiam; quod si conuersi fuerint,
Augustinus. ipse quoque conuertit sententiam, & populi conuersione mutatur: Vnde & Augustinus super illud Psalmi 50[i]. Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi, Ad hoc incertum Niniuitæ pœnitentiam egerunt, & certam misericordiam meruerunt. Idem de vera & falsa pœnitentia 1. sic ait. Quanta sit appetenda gratia pœnitentiæ omnis Autoritas clamat, omnis beatorum vita conatur ostendere. Languores enim sanat, leprosos curat, mortuos suscitat, sanitatem auget quam conseruat, claudis gressum, aridis copiam, cæcis restituit visum, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit & roborat, omnia sanat, omnia reintegrat, omnia lætificat, temperat successus, constringit impetus, moderatur excessus, ignorans se per hoc recognoscit, quærens semper hanc inuenit, hæc est quæ homines ad Angelos ducit, & creaturam reddit creatori. Ista ouem perditam monstrauit quærenti; & decimam drachmam obtulit anxianti, hæc dissipatorem filium ad patrem reduxit, & vulneratum à latronibus custodi curandum reseruauit, in hac omne bonum inuenitur, per hanc omne bonum conseruatur; fugat tenebras, inducit lucem, excoquit omnia, ipsa ignis consumens. Item medicina præcedit medicatum, pœnitentia est medicina sicut patet per autoritatem proximam Augustini; Qui & infra 13. Credat, inquit, pænitẽs hanc scilicet pœnitentiam esse medicinam. Qui & de pœnitentia 1. dicit, Quàm sit vtilis & necessaria pœnitentiæ medicina, &c. Qui & infra 8. dicit, Peccata medicamento pœnitentiæ desiccari: Quare & Ecclesia tota orat, Sana me Domine medicamento pœnitentiæ Deus. Item Ambrosius sicut allegatur in glossa super illud Lucæ 5. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam; Vsurpatores, inquit, iustitiæ non vocantur ad gratiam: Nam si gratia ex pœnitentia, vtique qui fastidit pœnitentiam abdicat gratiam. Item Chrysostomus sicut allegatur in glossa super illud Lucæ 3. Prædicans baptismum pœnitentiæ, Venit, inquit Ioannes hortans illos pœnitentiam agere, vt per pœnitentiam effecti meliores atque contriti, ad recipiendum veniam satagant: Aptè ergo cùm dixisset, quòd venit prædicans baptismum pœnitentiæ, adiecit, In remissionem peccatorum, quasi diceret, Idcirco suadebat illis pænitere, vt subsequentem veniam facilius impetrarent, credentes in Christum: Nam nisi pœnitentia ducerentur, nequaquam exposcerent gratiam. Item Psalmista, Dixi, inquit, Confitebor aduersum me in iustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei Psal. 31. Prius ergo dixit in corde, & proposuit confiteri, & post tempore vel natura, & propter hoc peccati impietas est remissa. Vnde Aug. illud exponens, Magna, inquit, res; dixi, pronunciabo, non dixit pronuntiaui, & tu dimisisti; dixi, pronuntiabo & tu dimisisti; quia eo ipso quod dixit pronuntiabo, ostendit quod nondum ore pronuntiauerat; sed corde pronunciauerat hoc ipsum dicere pronuntiabo, pronuntiare est, ideo tu dimisisti impietatem cordis mei. Cui & concordat Cassiodorus idem exponens: Dicitque Ioannes Chrysostomus sicut allegatur in canone de pœnitentia dist. 1. Nunc autem. Si recorderis peccatorũ tuorũ, & frequenter ea in conspectu Dei pronunties, & pro eis clementiã eius depreceris, citius illa delebis. Item sicut allegatur supra, eadem, & 4. sent. dist. 17. Non potest, inquit, quisquam gratiam Dei recipere nisi purgatus fuerit ab omni sorde peccati, seu ab omni peccato per pœnitentię confessionem, per donum baptismi salutaris, seu etiam per baptismum. Item Ezec. 18. Si, inquit Dominus, impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, &c. vita viuet; Et infra, Cum auerterit se impius ab impietate sua, &c. Ipse animam suam viuificabit; Considerans enim & auertens se ab omnibus iniquitatibus suis quas operatus est, vita viuet. Item Propheta, Lauabo, inquit, per singulas noctes lectũ meum lacrymis meis Psal. 6. Super quod Aug. Lectũ lauabit per singulas noctes, vt tantis lachrymis impetret efficacissimã de Dei misericordia medicinam. Item Psal. 84. planissimè dicitur, Iustitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos, Quod August. exponens, Iustitia, inquit, illa est in confessione peccatorum; veritas enim ipsa est; Iustus enim debes esse in te, vt punias te; Ipsa est prima hominis iustitia vt punias te malum, & faciat te Deus bonum. Quia ergo ipsa est prima hominis iustitia, ipsa fit via Deo, vt veniat ad te Deus. Ibi illi fac viam in cõfessione peccatorum. Vnde & Ioannes cùm baptizaret in aqua pœnitentię,

Ambrosius. *Chrysostom.* *Psal. 31.* *Augustinus* B C D E

& vel-

A & vellet ad se venientes pœnitere de suis prioribus factis, hoc dicebat; Parate viam Domino, Rectas facite semitas eius. Placebas tibi in peccatis tuis, ô homo, displice tibi quod eras, vt possis esse quod non eras: Parate viam Domino; præcedat ista iustitia vt confitearis peccata, veniet ille & visitabit te, quia ponet in via gressus suos: est enim vbi ponat gressus suos, est vbi ad te veniat. At antequam confitereris peccata, intercluseras à te viam Dei; non erat qua ad te venisset; confitere vitam & aperis viam, & veniet Christus, & ponet in via gressus suos, vt te informet vestigijs suis. Item Psalmo 103. Confessionem & decorem induisti, confessionem primò, & per illam decorem secundò, quod & testatur expositio Augustini. Quis etiam nesciat illam historiam Euangelicam famosissimam, de Magdalena fœlicissima peccatrice, quæ perhibet ipsam feruenti dilectione, & lachrymis plurimis remissionem peccatorum & veniam, diuinamq; amicitiam meruisse. Vnde Luc. 7. Remittuntur, inquit Dominus, ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et infra, dixit autem ad mulierem, Fides tua te

B saluam fecit, vade in pace; In pace, inquit Theophilus, id est, in iustitia; nam iustitia est pax hominis ad Deum. Vnde & Apostolus ad Rom. 2. Factores legis iustificabuntur. Et Iacobi 2. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, non ex fide tantùm. Item Petrus 4. sent. dist. 14. Pœnitentia, inquit, longè positis à Deo necessaria est vt appropinquet; vbi & allegat à Ieronymo quòd poenitentia est secunda tabula post naufragium, quia si quis vestem innocentiæ in baptismo perceptam corrumpit peccando, pœnitentiæ remedio reparare potest. Prima tabula est baptismus vbi deponitur vetus homo, & induitur nouus; secunda pœnitentia qua post lapsum resurgimus, dum vetustas reuersa repellitur, & nouitas perdita resumitur. Post baptismum prolapsi per pœnitentiam renouari valent, sed non per baptismum; additq; Petrus, de pœnitentia dicitur & sacramentum & virtus mentis: Est enim pœnitentia interior & exterior; exterior sacramentum est, interior virtus mentis est, & vtraque causa salutis est, & iustificationis. Hoc idem videtur & ratio confirmare; nam si gratia iustificans gratis detur

C ante contritionem, & pœnitentiam tempore vel natura, non oportet peccatorem ampliùs conteri, nec vlteriùs pœnitere, cum iam sit iustificatus & iustus. Item si Deus vnum peccatorem non pro aliquo merito præcedenti, sed purè gratis iustificet, cur non alium, & alium, & sic omnes. Item si Deus purè gratis nunc quenquam iustificet, cur potiùs nunc quàm alias pòst, vel ante. Item specialiter pro opinione secunda sequitur manifestè; Iste habet gratiam, ergo est sine peccato mortali, & non conuertitur, quia aliquis sine gratia posset esse sine peccato, sicut forsitan Angeli & primi homines in sua creatione fuerunt; hoc ergo est naturaliter prius illo. Rursum, si habere gratiam sit prius naturaliter deletione peccati, potest esse sine illa; potest ergo peccator simul esse in gratia & in peccato mortali. Hunc autem generalem Pelagianorum errorem, 35um & sequentia generaliter dirigunt & reducunt: Ostendunt enim nullum posse mereri primam gratiam vllo modo. Item qui conteritur & pœnitet de peccatis, vel hoc facit iustè, bene, meritoriè, & laudabiliter, sicut debet, vel aliter: Si aliter non meretur iustifi-

D cationem nec amicitiam iusti Dei: si iustè & bene, iam prius habet iustitiam, charitatem, & gratiam iustificantem, ex qua sicut ex causa efficiente naturaliter præcedente, & velut originali radice procedit, & pullulat huiusmodi iustus actus, sicut ex 39°, 40°, & 41° constat; specialiter autem ex dictis Anselmi de Concordia 9. de veritate 12. & August. ad Simplicianum 24. & rursum Anselmi de casu diaboli 17. & 12. ac de Concordia 9. & vlt. & Augustini de Fide ad Petrum 18 & 21. præmissis 39. huius. Qui & super illud Psalmi 110. Confessio & magnificentia opus eius, sic ait, Quid magnificentius quàm iustificare impium? sed opus fortasse hominis præuenit istam magnificentiam Dei, vt cùm fuerit peccata confessus iustificari mereatur, non inquit ex operibus, ne fortè quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum creati in Christo in operibus bonis: Iustitiam enim homo non operatur nisi iustificatus: Credens autem in eum qui iustificat impium, à fide incipit vt bona opera, non præcedentia quod meruit, sed consequentia quod accepit, ostendant. Ostensum est etiam 40° huius planè, non esse fructum bo-

E num, qui de charitatis radice non surgit; vnde & Ose. vlt. Ex me, inquit Dominus fructus tuus inuentus est; Glossa, Omnis operatio, & veteris & noui Testamenti obseruatio ex meo processit dono; dicitq; August. super illud Psalmi 50. & Sp. Sum tuum ne auferas à me; est autem S. Sanctus in confitente; iam ad donum S. Sancti pertinet quia tibi displicet quod fecisti; immundo spiritui peccata placent, sancto displicent. Quamuis igitur adhuc veniam depreceris, tamen ex ea parte qua tibi displicet malum quod cõmisisti, Deo coniungeris: Hoc enim & tibi displicet, quod & illi: Iam duo estis ad expugnandã febrẽ tuam, & tu & medicus: quia ergo nõ potest esse confessio peccati, & punitio peccati à seipso in homine, cùm quisque sibi irascitur, & sibi displicet sine dono S. Sancti, non est, nec ait S. Sum tuum da mihi, sed ne auferas à me. Item qui pœnitet, vel pœnitet amore iustitiæ, vel timore pœnæ, aliaue ex causa: si amore iustitiæ, amore

amore scilicet gratuito Dei super omnia propter Deum, iam prius natura habet charitatem & gratiá, vndè diliget ita Deum, sicut proximo est argutum: si timore pœnæ aliauè de causa, puta propter commodum propriũ, & non amore iustitiæ supradicto, quomodò per hoc iustificationem & amicitiam Dei meretur, sicut 39. plenius Philosophicè & Theologicè docebatur? Intentio namq; recta efficit opus rectum, & ipsam secundum Philosophum 6. Eth. 10. efficit rectam virtus; Nulla autem virtus est recta sine charitate & gratia, quæ efficit gratum Deo, sicut || *idem* 39. monstrat. Quis enim dubitat in dilectione Dei super omnia gratuita propter ipsum, & proximi propter Deum totam legem & Prophetas pendere, cum Mat. 22. veritas hoc testetur? Quare & dicit Apostolus, Finis pręcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Et 1. ad Tim. 1. Vndè & Augustinus Ench. penult. Omnis inquit, præcepti finis est charitas, id est, ad charitatem refertur omne præceptum. Quod verò ita fit, vel timore pœnę vel aliqua intentione carnali, vt non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus nostris, nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamuis fieri videatur. Charitas quippè ista Dei est & proximi, & vtiq; in his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ. Adde Euangelium, adde Apostolos; Non enim aliundè vox ista est, finis præcepti est charitas. Quæcunq; ergo mandat Deus, & quæcunq; non iubentur, sed speciali consilio monentur, tunc rectè fiunt, cum referuntur ad diligendũ Deum, & proximum propter Deum; quod & planè testatur eius autoritas 1. contra Pelagium & Cœlestium de gratia Christi, & de peccato originali 22. quam 37. huius habet. Qui & de Spiritu & litera 13. Mandatũ, inquit, si fit timore pœnę, non amore iustitię, seruiliter fit non liberaliter, & ideo nec fit; Non enim fructus bonus est, qui de charitatis radice non surgit. Porrò autem si assit fides quę per dilectionem operatur, incipit condelectari legi Dei secundum interiorem hominem, quæ delectatio non literæ, sed Spiritus donum est, etiam si alia lex in membris adhuc repugnat legi mentis, donec in nouitatem, quæ de die in diem in interiore homine augetur, tota vetustas mutata pertranseat, liberante nos de corpore mortis huius gratia Dei. Ex isto autem loco videtur transumi regula illa Iuris in fine 5[i] Decretalium, quę ascribitur Augustino sic dicens; Qui ex timore facit præceptum, aliter facit quàm debet, & ideo iam non facit. Item quicunq; salubriter pœnitet, hoc facit ex grato Dei amore naturaliter præcedente. Nam propter aliquem finem hoc facit; si propter Deum, diligit Deum gratis propter se, quod non potest nisi præhabita charitate, sicut 39. patet; si propter alium finem, non salubriter pœnitet, nec vitam meretur, sicut ex eodem 39. & alijs præmissis patet. Item per Corollarium 41. huius, Deus operatur, & præoperatur in homine quodlibet opus bonum, & per idem Corollarium hoc facit per gratiam gratis infusam, & prius naturaliter operantem voluntate humana, quare & omnem contritionem & pœnitentiam salutarem. Item si quis, vt dicunt, per contritionem meretur remissionem peccati mortalis, meretur similiter remissionem pœnæ æternæ debitæ pro peccato, vel secundum totum, vel secundum partem eius infinitam duratione, quia saltẽ meretur translationem illius pœnæ æternæ in pœnam aliquam temporalem; & si hoc meretur in vno instanti vel breui momento, vna vice scilicet pœnitendo; si alio instanti, vel tempore, scilicet alia vice simili modo pœniteat, merebitur plenã remissionem pœnæ cuiuslibet temporalis, cum pœna quælibet temporalis sit incomparabiliter minor æterna; sicque superflueret pœnitentia quæ in Ecclesia pœnitentibus solet imponi in vita præsenti, & etiam ignis purgatorius post hanc vitam: Sequitur etiam quòd quælibet contritio quantumcunq; remissa vel breuis tollat omnem culpã venialem, & omnem pœnam debitã veniali, vel etiam venialibus quibuscunq; cum sufficiat tollere omnem culpam mortalem, & pœnam æternam debitam pro mortali, seu portionem eius aliquã infinitam, quæ sunt incõparabiliter his maiores, quod nullus nescit esse contrarium rationi, & Catholicæ veritati. Imò & sequitur euidenter quamlibet contritionem quantumlibet tepidam, & remissam, dum tamen circumstantijs debitis fulciatur, mereri plenã remissionem quanticunq, peccati mortalis, quoad culpam, & quoad pœnam quamcũq; æternam & etiam temporalem. Quòd autem quantulacunq; contritio circumstantijs debitis comitata omne peccatum mortale quoad culpam deleat seu excludat, & ipsi Pelagiani, & alij communiter confitentur, quod & tam rationibus, quàm Autoritatibus multipliciter posset ostendi? Sed quia vix aliquis hæsitat super ista, sufficiat vnica ratione, & vnico, imò trino testimonio hoc probare. Omnis namque talis contritio procedit à charitate & gratia, quæ omne peccatum mortale perimit & excludit. Iohannes quoq; Chrysost. de reparatione lapsi, & allegatur in Can. de pęnit. dist. 3. Talis; & 4. Sent. Petri dist. 14. Talis, inquit, crede mihi, talis est erga homines pietas Dei, nunquàm spernit pœnitentiam, si ei sincere & simpliciter offeratur; etiam si ad summum quis perueniat malorum, & tamen indè velit reuerti ad virtutis viam, suscipit libenter, amplectitur, facit omnia quatenus ad priorem reuocet statum, quodque

|| ibidem

A B C D E

A que est adhuc prestantius & eminentius, etiamsi non potuerit quis explere omnem satisfaciendi ordinem, quantulamcunque tamen & breui quantumlibet tempore gestam non respuit pœnitentiam, suscipit etiam ipsam, nec patitur quamuis exiguæ conuersionis perdere mercedem. Amplius autem & sequitur contra istos, quòd quantulacunque contritio deleat omne peccatum mortale plenariè quoad pœnam: Ponatur enim Petrum habere A peccatum, cui debeatur B pœna æterna, & per C contritionem mereri remissionem A quoad culpam, & quoad D pœnam, partem B infinitam, & non quoad totum B: Ponaturque Paulum habere duo similia peccata vel plura, & similiter conteri pro suis multis, sicut Petrum pro suo vno; Tunc Paulus per suam contritionẽ meretur sibi remitti vnã partẽ infinitam vnius pœnæ ęternæ æqualis B debitæ pro vno suo peccato, & aliam partem infinitam alterius pœnæ æternæ æqualis B debitæ pro alio suo peccato, quæ duæ partes simul iunctæ excedunt, imo & quodammodò infinitè excedunt totum B. Si ergo Paulus per suam contritionem || *tantam* remissionem sibi meretur, & Petrus per suam æqualem; multo rationabilius & dignius meretur sibi || totam
B remissionem totius B longe minorem, maximè cùm Petrus sit innocentior & dispositior ad merendum. Vt autem hoc idem breuius & clarius ostendatur, supponatur veritas ista nota; Omnium duarum pœnarum vniformium & similium specie habentium principium & non finem, inæqualium in intensione & duratione, intensior quantumlibet quantumcunque duratione sit minor seu breuior, est simpliciter tamen maior. Veruntamen, ne quis dicat hanc suppositionem non esse satis notoriam, ecce demonstratio eius breuis; sit K vna pœna ignis vniformis intensa incipiens in L instanti futuro interminabiliter duratura; & M alia pœna similis vniformis remissior, incipiens in N instanti præsenti æternaliter permansura. K igitur non est æqualis M, nec minor, ergo maior. Si namque aduersarius dixerit K esse æqualem M, sit O pars M, incipiens in L & ex tunc æternaliter duratura, & P reliqua pars illius; Q vero pars intensiua K imaginaria vel vera, vt aliqui opinantur, æqualis O & R residua pars K, cùm ergo K & M sint æquales, si ab eis demantur æqualia, puta O & Q, partes residuæ sunt æquales, sicut cuilibet per se patet, & Euclides primo Elementorum suorum hoc pro manifesto
C supponit. P ergo & R sunt æquales, quod esse falsissimum nullus nescit, cùm P sit omni modo finita, R verò infinita secundum durationem, & vniformis per totum, sicut lucidè sequitur ex præmissis, quod & potest ostendi faciliter esse falsum. Quia vel P & R sunt æqualis intensionis vel non: si sic P est æqualis omnino parti finitę R tantæ in duratione, quanta est P; est enim similis specie, & æqualis ei intensiuè, & similiter extensiuè; quare & illa pars R est æqualis suo toti, cum sint æquales tertio, puta P. Si autem P & R non sint intensionis æqualis, vna harum est intensior: si R remittatur ad æqualitatem P, vel intendatur P ad æqualitatem R, & tunc non erunt æquales, sed R maior P, sicut iam proximo docebatur; multo magis ergo nunc R est maior. Si autem P sit intensior, hoc non est infinitè sed tantùm finitè. Ponatur ergo exempli gratia quod in aliqua proportione multiplici, puta in decuplo, vel centuplo, vel in alia, si-
D cut placet, & diuidatur P in partes intensiuas æquales secundum numerum denominationis proportionis datæ, puta in decem, vel centum, & tunc quælibet illarum erit intensionis æqualis cum R, coniunganturque singulæ in longum secundum durationem, & sit T tota pœna vniformis congregata ex eis: Tunc T est finita simpliciter in duratione vt constat, & intensionis æqualis cum R, ergo minor R, sicut superius monstrabatur, quod & in quantitatibus continuis permanentibus potest facillimè demonstrari. Adhuc autem sensibilius forsitan sic ad idem; P pœnæ intensæ potest aliqua pœna similis specie remissior, sed prolixior, finita tamen duratione anterius & posterius adęquari omnibus ponderatis: aliqua namque talis pœna potest esse maior in pœnalitate, punientior, & fugibilior illâ simpliciter, omnibus scilicet ponderatis; quare & aliqua ei æqualis, talis videlicet, quæ quanto ex remissione est leuior, tanto ex duratione fit grauior. Huic quoque pœnæ secundæ remissiori seu prolixiori potest & simili ratione aliqua tertia pœna remissior hac secunda, sed prolixior, finita tamen duratione
E ante & post similiter adæquari, quæ si ponatur, necessario est æqualis ipsi P, cum ambæ ponantur æquales pœnæ secundæ. Huic etiam tertiæ pœnę potest sumi quarta remissior, sed prolixior simili modo æqualis; & huic quartæ quinta, & ita deinceps, donec veniatur ad aliquam æquè intensam, imo & minus intensam R pœnâ, finitamque tempore hinc & inde, quę secundum præmissa necessario erit æqualis P, & minor R; quare & P similiter minor R necessario comprobatur. Si autem falsigraphus non desinat proteruire, dicendo P non excedere R in aliqua proportione multiplici, sed alia qualicunque; intendatur P vel remittatur R, donec fiat proportio multiplex inter illas, &c. sicut supra. Si verò dicatur in primis K esse minorem M, & M maiorem K, intendatur K, vel remittatur M vniformiter, donec sint pœnæ æquales, quantitate durationis priori seruata, &c. sicut prius. Nulli enim

enim eſt dubium, quin K poſsit per ſolam intenſionem fieri maior pœna ſimpliciter, A
quàm ſit M & M per ſolam remiſsionem minor quàm ſit K. Aliqua namque intenſio vni-
formis per totum K plus auget K quàm vna extenſio omnino finita per vnum tempus vtrobi-
que finitum, ſicut ex præcedentibus clare patet; ſed aliqua extenſio K finita puta ab L ad N
vel vltra, auget K vltra M, ſicut certiſſimè conſtat cunctis; quare & aliqua intenſio ſimiliter
ipſum auget: Si ergo K nunc ſit minor pœna quàm M; & poteſt per ſolam intenſionem fie-
ri maior pœna, poteſt ſimiliter fieri & æqualis, & idem contingit de M per remiſſionem, &
reciſionem ad L vel vltra. Item aliter ſic ad idem, Si K ſit minor pœna quàm M, ſeruetur
intenſio & vniformitas eius prima, & extendatur verſus N continuè donec ſit æqualis pœna
ſimpliciter omnibus adæquatis cum M, hoc enim poteſt. Poteſt namque ſic per ſolam ex-
tenſionem verſus N fieri maior pœna: Si enim ſic extendatur ad N quis non videt K eſſe
maiorem pœnam quàm M, cùm ſit æqualis extenſiuè & maior intenſiuè? Extendatur ergo
K cum intenſione & vniformitate priori ad aliquod certum inſtans, ita quod ſic fiat æqualis B
pœna cum M omnibus ponderatis; tunc illud inſtans non poteſt poni N nec prius N, quia
tunc K eſſet notoriè maius M, ſicut nunc proximo docebatur; nec poteſt poni inter N & L
ſicut erat ſuperius demonſtratum: Patet ergo ſuppoſitio præaccepta. Quæ & poteſt inſu-
per oſtenſiuè ſic breuiter demonſtrari: K componitur præciſè ex Q & R; M verò ex O & P;
& Q eſt æquale O, & R maius P, ſicut nullus ignorat, ſicuti etiam ſuperiùs monſtrabatur;
eſt ergo totum K maius toto M; eſt enim pars K æqualis M, illa videlicet quæ componitur
ex Q & vna parte R æquali P, ſicut cunctorum oculis eluceſcit, patetque per illud commu-
ne principium per ſe notum, Si æqualibus æqualia addas, tota fient æqualia, quod ideo Eu-
clides primo elementorum ſuorum inter communes animi conceptiones enumerat: Si ergo
pars K eſt æqualis M, cum K ſit maius illa parte, ſicut illud vulgatum principium, Omne to-
tum eſt maius ſua parte lucidè manifeſtat, eſt ſimiliter maius M ſicut omnibus clarè patet, ſi-
cuti etiam 7um. 5i. elementorum Euclidis clarè demonſtrat, Si, inquiens, duæ quantitates C
æquales ad quamlibet tertiam comparentur, earum ad illam erit vna proportio: item illius
ad ambas proportio vna. Patet igitur veritas prælibata; Retento igitur caſu præmiſſo de Pe-
tro, & A eius peccato, & B pœna eius æterna, & C contritione eiuſdem, & D parte infini-
* eius ta * B per C remiſſa; Ponatur Paulum habere E peccatum maius A, cui & debeatur F pœ-
na æterna ſimilis ſpecie B ſed intenſior, & ſic maior, & per G contritionem æqualem C mere-
ri remiſſionem H partis infinitæ F; igitur per veritatem præmiſſam, H eſt maior pœna quàm
B: Si ergo Paulus per G contritionem meretur quod maius eſt, videlicet remiſsionem H,
multo magis Petrus per C contritionem æqualem meretur quod minus eſt, videlicet remiſ-
ſionem totius B pœnæ maximæ, cùm ipſe ſit melior, innocentior, & habilior ad merendum.
Quis enim iuſtus creditor Dominus ſiue Iudex illud recuſat à ſuo debitore oblatum pro ſolu-
tione debiti minoris, quod non de gratia ſed de iure ſufficit pro ſolutione maioris, quod & ab
alijs debitoribus non de gratia, ſed de iure acceptat pro plena ſolutione maioris, maioris in- D
quam, non in minimo, ſed quantum volueris cogitare, ſicut faciliter poteſt oſtendi. Item
ponatur, quod Petro debeatur pœna æqualis pro aliquo peccato illi parti pœnæ remiſſæ
Paulo per ſuam contritionem, & quod Petrus æqualiter conteratur: Petrus ergo per ſuam
contritionem meretur remiſsionem plenariam pœnæ ſuæ: Quælibet ergo contritio ſufficit
ad remiſsionem plenariam cuiuſlibet culpæ & pœnæ. Item medietas intenſiua C contritio-
nis in Petro, & quælibet parua pars eius, ſeu alia contritio quantumcunque remiſsior fulta cir-
cumſtantijs requiſitis mereretur deletionem A quoad culpam, & quoad partem infinitam,
B licet minorem D; quare & altera medietas C in Petro, ſeu tota C contritio, quæ eſt in duplo,
vel quantum-vis intenſior & melior illa contritione remiſsiori prędicta, multò magis meretur
remiſsionem paruæ partis B reſiduæ, imò & aliquid magnum vltra. Alias etenim contritio
illa tota non plenè remuneratur à Deo, nec etiam aliqua pars illius. Cuiuſlibet enim partis
ſignatæ medietas mereretur remiſsionem A quoad culpam, & quoad partem infinitam B, E
& cur non meretur vna medietas quantum altera? Cur ergo non meretur remiſsionem par-
uæ partis pœnæ reſiduæ, & aliquid vltra, tantum quantum remiſsio A quoad culpam, &
quoad partem pœnæ infinitam dimiſſam excedit reſiduam partem pœnæ? Sed quis præ-
ſumpſerit dicere Deum non remunerare plenariè quemlibet actum bonum, contra 31am. par-
tem corollarij primi huius? Vnde & Dominus ipſe dicit, Omnis qui reliquerit domum,
Matth. 9. &c. propter nomen meum, centum accipiet: Matth. 9. & Marc. 10. Nemo eſt qui reliquer-
Marc. 10. rit domum, &c. propter me, qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc; & Luc. 6.
Luc. 6. Date, & dabitur vobis; menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperfluentem
Sapient. 3. dabunt in ſinum veſtrum; Dicitque Sapiens, In paucis vexati, in multis bene diſponentur

Sapient.

A Sapient, 3. quod & euidenter ostendit vtriusque series testamenti. Non solum autem sequitur contra istos, Deum non remunerare plenariè quemlibet actum bonum, verùm etiam hoc non posse: Si enim * posit, remuneret Deus plenè C contritionem Petri: vel ergo hoc faciat remittendo ei totam culpam A, & totam pœnam B vel D, & dando sibi gloriam infinitam extensiuè & intensiuè similiter, vel aliquid minus isto, aliquaue minora; Non totum hoc sicut nullus ignorat, & quia Petrus adhuc per actum remissiorem tantùm æqualiter meruisset, quia plus non posset, sicque C actus non remuneraretur ad plenum; omnes etiam qui merentur vitam æternam infinitam gloriam extensiuè & intensiuè similiter merentur, sicque periret differentia cœlestium mansionum, nec minus: Dicatur enim quòd meretur remissionem culpæ A, & pœnæ B vel D, & O gloriam infinitam extensiuè, sed intensiuè finitam: Tunc O gloria vel est magis bona, & eligibilis quàm A & B, seu D sunt mala, & fugibilia, vel æquè, vel minùs: Si magis & non infinitè, sed tantùm finitè, dicatur ergo exempli causa quòd in centuplo, diuidaturque C in plures partes imaginarias intensiuas, puta in mille, & secundum prius ostensa vna illarum partium per se sola mereretur remissionem plenariam A culpæ, & alicuius pœnæ infinitæ: Quare & alia æqualis mereretur ad minus remissionem pœnæ residuæ temporalis, & quælibet aliarum simili ratione gloriam infinitam extensiuè tam bonam & eligibilem, quàm mala & fugibilis fuit culpa & pœna remissa: Omnes ergo hæ partes virtualiter concurrentes merentur gloriam infinitam extensiuè, intensiorem O; & sic per vlteriorem diuisionem C in plures partes & plures, potest procedi vltra omnem intensionem gloriæ assignandam. Ex hoc autem & euidenter apparet quòd O non potest poni æquale A & B, seu D, nec minus. Item secundum istos quælibet contritio quantumlibet paruula meretur remissionem plenariam quantorumlibet venialium, & quantarumlibet pœnarum temporalium debitarum: Quia si non, detur A contritio quæ hæc nullatenus mereatur, & sit B alia contritio minor; tunc secundum priùs ostensa, B in peccatore mortaliter meretur remissionem peccati

* hoc

C mortalis quoad culpam, & quoad partem pœnæ debitæ infinitam, & hæc incomparabiliter excedunt quantalibet venialia, & pœnas quantaslibet temporales: Sed quæ iustitia, quæ æquitas, quæ lex dictat acceptare aliquod pretium pro solutione iusta, legali, & plenaria maximi debiti, & maius pretium pro solutione plenaria minimi debiti recusare. Item adhuc secundum istos quælibet contritio meretur remissionem plenariam omnis culpæ & pœnæ: quælibet enim culpa mortalis & forsitan venialis peior est, & fugibilior omni pœna sensus vel damni non includente culpam, sicut 30ª pars Corollarij primi docet; & quælibet contritio meretur remissionem plenariam omnis peccati mortalis, & quorumlibet mortaliū quoad culpam, ergo & similiter quoad pœnam: Sit enim Petrus reus duorum, & quorumlibet mortalium peccatorum, & Paulus tantùm vnius minoris quolibet peccato Petri, & vnius pœnæ debitæ pro illo; tunc si Petrus pœniteat, meretur dimissionem duorum, vel quotlibet plurium maiorum malorum, (quia tot mortalium peccatorum) quàm sint illa duo mala Pauli: cur ergo Paulus

D similiter pœnitendo, non merebitur dimissionem plenariam totius culpæ suæ & pœnæ? Item secundum istos quælibet contritio est efficaciæ infinitæ, & meriti infiniti. Quotcunq; namque peccata mortalia, & quantumcunq; grauia quotcunque & quantiscunque infernalibus pœnis digna quis habeat, ad quamlibet contritionem meretur remissionem omnium peccatorum mortalium quoad culpam, & quoad abscisionem partis infinitæ à qualibet pœnarum infernalium debitarum. Item contra istos similiter sequitur, quemlibet actum bonum in gratia & ex gratia procedentem esse similiter meriti infiniti, cùm quilibet actus bonus in gratia, ex gratiaq; procedens sit melior, vel saltem ita bonus & meritorius, sicut similis actus sine gratia, ex gratiaue non factus, & aliquis talis actus, puta contritio præuia gratiæ est meriti infiniti, sicut nunc proximo est argutum. Item si quis per contritionem meretur 1am gratiam post peccatum, videtur quòd meretur tantam gratiam, quantā priùs habuit & amisit peccando, si habuit gratiam ante peccatum: Alias enim pœnitentia diminutè non perfectè sanaret & viuificaret pœnitentem, nec plenariè reconciliaret ipsum Deo, sed Deus illi improperaret peccatum suum præce-

E dens, per subtractionem portionis gratiæ præcedentis, contra illud Iac. 1. Dat omnibus affluenter, & non improperat. Aliter quoq; talis si sic decederet puniretur in cœlo æternaliter pœna damni, ex subtractione videlicet portionis gratiæ & gloriæ debitæ sibi priùs; imò & quantumcunque diu viueret & mereretur, adhuc in cælo æternaliter puniretur huiusmodi pœna damni; semper enim minus haberet quàm similiter operans fuisset alias habiturus, & hoc propter peccatum suum præcedens. Videtur etiam si resurgat in gratia minori quàm cadendo amisit, quòd peccatum suum non est plenè dimissum: Peccauit enim tantam gratiam amittendo, & à Deo & Domino suo quodammodo subtrahendo quam semper debuit custodisse, & cum vsuris etiam reddidisse; nec est absolutus ab ista obligatione propter suum peccatum,

quia si non peccasset non fuisset absolutus: nec congruit quòd ex suo peccato reportet lucrum & libertatẽ maiorem: sed certũ est, quod non plenè dimittitur peccatũ, donec plenè restituatur ablatum, maximè si obligatio non soluatur. Vndè Matt. 5. Esto consentiens aduersario tuo cito, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te aduersarius Iudici, & Iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris; Amen dico tibi, Non exies indè, donec reddas nouissimum quadrantem: Et Luc. 12. Non exies, donec etiam nouissimum minutum reddas. Scribitq; Augustinus ad Macedonium, sicut allegatur in Canone 14. Quæst. vlt. Si res, quòd non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Et infra, illud fidentissimè dixerim, eum qui pro homine ad hoc interuenit nè malè ablata restituat, & qui ad se confugientem quantum honestè potest, ad reddendum non compellit, socium esse fraudis & criminis. Vbi & sequenti capitulo allegatur Gregorius, Districtè præcipiens, quòd si res ablata non possit restitui, pretium eius detur. Quare & Anselmus primo. Cur Deus homo vicessimo. Tene, inquit, certissimè quòd sine satisfactione, id est, sine debiti solutione spontanea, nec Deus potest peccatum dimittere impunitum, nec peccator ad beatitudinem, vel talem, qualem habebat antequam peccaret, pervenire; & vicessimo primo, Secundum mensuram peccati oportet satisfactionem esse; & vicesimo quarto dialogizans sic scribit, Intende in districtam iustitiam, & iudica secundum illam, vtrum ad æqualitatem peccati homo satisfaciat Deo, nisi id ipsum quod permittendo se vinci à Diabolo, Deo abstulit, Diabolum vincendo restituat; vt quemadmodum per hoc quod victus est, rapuit Diabolus quod Dei erat, & Deus perdidit; ita per hoc quod vincat, perdat Diabolus & Deus recuperet B. Nec districtius nec iustius potest aliquid cogitari A. Putasnè summam iustitiam, hanc iustitiam posse violare? B Non audeo cogitare. A Nullatenus ergo oportet, aut potest accipere homo à Deo, quod Deus illi dare proposuit, si non ‖ *reddit* Deo totum quod illi abstulit, vt sicut per illum Deus perdidit, ita per illum recuperet. Imò videtur quòd oportet plus reddere, quàm simplex ablatum, aliquid videlicet satisfactorium pro contemptu, iniuriauè illata: Quare & in lege diuina scilicet, Exod. 22. Præcipitur, quòd qui furatus fuerit aliquid, reddat in casu quintuplum, quadruplum, siuè duplum, cui & consonat lex ciuilis. Leuiticorum etiam 5^to^ iubetur, quòd si quis fecerit damnum in rebus Domino consecratis, in rebusuè proximi, restituat integrè omnia, & insuper quintam partem offerat etiam Sacerdoti iuxta mensuram & æstimationem peccati. Quare & Ansel. 1. Cur Deus homo 11. Quamdiu, inquit, peccator non soluit quod rapuit, manet in culpa, nec sufficit solummodo reddere quod ablatum est, sed pro contumelia illata plus debet reddere, quam quod abstulit. Nec potest quis dicere quòd impotentia reddendi totam gratiam amissam excusat, quia non soluit obligationem habendi gratiam, & reddendi, sicut superius est ostensum; & quia sic quilibet damnatus homo & Diabolus excusaretur à debito, & peccato. Hoc idem probat Ansel, 1. Cur Deus homo 25. lucidè & diffusè. Etiam considerando subtilius, noua impotentia soluendi antiquum debitum fortassis excusat à nouo peccato & continuo, propriè accipiendo peccatum, ita quòd non soluendo non peccat propriè, nouiter, & continuè alio, alioq; peccato, sicut loquitur August. 3. de lib. arbit. 30. & sicut est de hominibus dæmonibusq; damnatis, sed non sic excusat nec exonerat impotentem à debito suo antiquo. Quis ‖ *etiam* nesciat secundum omnia iura diuina pariter & humana, impotentiam descendẽtem ex culpa nulla tenus excusare, sed forsitan potius aggrauare, maximè culpa non remissa, sed ipsa manente? Et quomodò remittitur culpa iustè & plenè nisi per satisfactionem plenariam præcedentem sicuti etiam omnia iura dictant? Et si quis dixerit, culpam quandoq; dimitti de gratia & misericordia Domini, non iuuat Pelagianos dicentes homines mereri dimissionem & veniam peccatorum, & sic gratiam & misericordiam Domini consequenter, & non per gratiam remissionem fieri peccatorum. Et si quis fortè vellet indagare profundius, videretur Deum non posse dimittere plenarie peccatum quoad culpam, nisi prius satisfacto pro illo plenarie quoad culpam. Nam sicut potest haberi ex 26. huius, & omnes Doctores concordant, Peccatum proprie non est aliquid positiuum, sed tantummodò priuatiuum; priuatio autem tolli non potest nisi per positionem habitus præcedentem saltem naturâ; nec tanta vel tanta priuatio plenarie potest tolli sine positione tanti vel tanti habitus præcedente, Si enim ponatur minor habitus, & non tantus, tota illa priuatio nequaquam plenarie tollitur, sed aliqua portio eius manet, sicut patet in naturalibus, inartificialibus, & in moralibus euidenter. Non potest ergo Deus, vt videtur, dimittere & tollere ‖ *plenariè* peccatum quoad culpam, nisi prius naturâ ponendo plenarie habitum quem priuauit, seu priuat. Nec semper est verum, quòd resurgens in gratia minori quàm amisit, est impotens ad gratiam tantam reddendum: Potest enim diu viuendo, & bene operando, tantam gratiam promereri, sicut Pelagiani fatentur. Non ergo peccatori mortaliter nunc contrito, & sic merenti,

Marginalia: *Matth. 5.* — *Augustinus* — *Gregorius.* — ‖ restituat — *Exod. 22.* — *Leuit. 5.* — *Anselmus.* — *Anselmus.* — ‖ enim — ‖ plene

A renti, & reddenti minorem gratiam quam amisit, dimittitur plenarie peccatum suum mortale quoad culpam; nec etiam dimittitur donec tantam gratiam plenarie meruerit, & meruerit, & reddiderit plenariè tantam; sicque culpa mortalis & gratia iterum stabunt simul, sicque aliquis simul esset gratus Deo & charus, & non gratus nec charus, sed inimicus Dei, odio habitusq; à Deo, viuus & mortuus, filius regni æterni, & perditionis æternæ. Si ergo secundum præmissa, resurgens ad gratiam resurgat ad tantam à quanta cecidit per peccatum, quantulacunque contritio meretur gratiam, & consequenter gloriam quantamcunque; sicque omnis contritio quantumlibet paruula & remissa, esset quodammodo efficaciæ infinitæ, & meriti infiniti, quia quantamcunque gratiam & gloriam posset homo statim per illam mereri; potest enim peccando amittere quantamcunque. Ponatur quoque Petrum, gratiam paruam habentem, parùm peccando mortaliter illam gratiam amisisse, & statim post paruulam morulam in peccato, in qua adhuc se ad pœnitendum disposuit, multum intensè & feruidè pœnitere, & sic gratiam promereri. Vel ergo meretur sic infinitam gratiam intensiuè, vel tantùm fi-
B nitam: Si infinitam, eadem ratione & quilibet pœnitens, cùm pœnitentia Petri non excedat pœnitentiam alterius infinitè: Si tantùm finitam, sit illa A, ponaturque vlterius Paulum habentem B gratiam, quantum volueris, maiorem A quantumuis grauius peccando mortaliter B gratiam perdidisse, ac in peccato diutisimè permansisse, " *seque indisponendo* pro viribus scelera semper sceleribus cumulasse, & tandem multùm remissè & tepidè pœnitere, tamen cum circumstantijs opportunis. Paulus ergo secundum præmissa qui in principio peccauit grauissimè, diutisimè perstitit in peccato, indisposuitque se continuè ad pœnitentiam, & ad gratiam toto corde semper, vt potuit, scelera cumulando, ad minimam contritionem meretur B gratiam maximam sibi reddi. Cur ergo Petrus qui in principio minus peccauit, minus in peccato permansit, non adiecit peccatum super peccatum, sed se ad pœnitentiam & gratiam disponebat maximè, feruentisimè, & perfectisimè pœnitendo, meretur minorem gratiam & non tantam? quæ ratio, quæ æquitas, quæ iustitia hoc dictaret? quinimo potius videretur è con- || sicque disponendo
C tra, cùm omnes circumstantiæ malæ pœnitentiæ, & gratiæ derogantes sunt multo minores cum Petro; circumstantiæ quoque bonæ pœnitentiam & gratiam promouentes multò maiores. Dicetur fortasis hanc circumstantiam meliorem esse cum Paulo, quòd primò habuit gratiam ampliorem: Verum haud dubiè, illa circumstantia potius aggrauat, quàm alleuiat eius peccatum; Quis enim nisi fortasis ingratus negauerit legem gratitudinis naturalem insolubiliter obligare beneficiatum, & amatum suo benefactori & amatori ad similia rependenda, & magis beneficiatum & amatum ad hoc arctius obligari? quare & tanto magis peccare, si bonum gratitudinis non rependat, multoque peramplius si ingratitudinis malum reddat, ac offensam incurrere grauiorem? Vnde Philosophus 7. Polit. 7. Ad consuetos, inquit, & ad amicos animus attollitur magis quàm ad ignotos, paruipendi putans; propter quod & Archilolus conuenienter amicis querelans, disputat ad animum; Non enim ab amicis, à lanceis per- *Philosophus.*
D forationes. Et infra, Aristoteles ipse dicit; Magnanimi naturâ non sunt agrestes, nisi ad iniusta agentes; hoc autem magis adhuc ad consuetos patiuntur, si iniustè pati putant, & hoc accidit secundum rationem: Apud quos enim deberi beneficentiam putant cum nocumento, & hac priuari putant: Vnde dictum est; Sæui inimici fratrum, & hi quidem vltra diligentes, hi autem & vltra odiunt; dicitque Propheta; Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique, & si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo; tu verò homo vnanimis dux meus, & notus meus, &c. Psal. 54. Augustinus similiter de vera & falsa pœnitentia, 14. & allegatur in Canone de pœnit. dist. 5. Consideret; & 4. Sent. Petri dist. 16. Ingratus, inquit, existit, qui plenus virtutibus Deum omnino non timuit: In hoc enim quisque peccator fit culpabilior, quo Deo est acceptabilior; Ideo enim Adam plus peccauit, quia maiori seu omni bono abundauit. Et si quis adhuc dicat in magis amico & grato peccante culpam esse maiorem; veruntamen si pœniteat, ipsum nihilominus recipi ad amicitiam pristinam pleniorem, vel hoc est de gratuita gratia recipientis huiusmodi pœnitentem, vel de de- *Psal.54.* *Augustinus.*
E bito, & merito præcedenti. Si de gratia, hoc non iuuat Pelagianos in aliquo gratuitam gratiam recusantes, & ipsam secundum debitum meriti venditantes; si de debito, meritique valore, multò magis videtur eum qui minus peccauit, & feruentius pœnitet tantam gratiam & amicitiam promereri. Maxime quoque videtur indignum reconciliatione perfecta, cum qui fuit amicisimus, & inimicisimè peccando discesit per contritionem minimam, ac frigidisimam quærere reconciliationem perfectam, & amicitiam maximam præcedentem. Si enim hanc debitè quæreret, deberet rationabiliter pœnitere secundũ magnitudinẽ offensæ & amicitię præcedentis, vel amplius si valeret. Iste ergo frigidisimè pœnitens, videtur nimis paruipendere offensam, & carentiam amicitiæ, quam requirit. Vnde & Philosophus 2. Rhetoricæ

toricæ suæ 4. ostendens per quæ mitescunt, & mansuescunt irati, sic ait; Sit itaque mansuefactio, destitutio, & quietatio iræ. Si ergo irascuntur paruipendentibus, paruipendere autem voluntarium, manifestum quòd & his qui nihil horum faciunt, aut inuoluntariè faciunt, mites sunt, & his qui confitentur & pœnitent: tanquam enim habentes satisfactionem id quod est testari de factis, cessant ab ira: Satisfactio autem debet esse secundum qualitatem, & quantitatem peccati, sicut superiùs erat tactum. Cui & concordanter Ioannes Baptista, Genimina, inquit, viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira; facite ergo dignos fructus pœnitentiæ Luc. 3. quasi dicat, Non est alia via fugę. Super quod Gregorius, sicut allegatur in Glossa, Nec solum, inquit, fructus pœnitentiæ admonet esse faciendos; neque enim par fructus esse boni operis dicitur eius qui minus, & eius qui ampliùs deliquit, aut eius qui in nullis, & eius qui in quibusdam facinoribus cecidit: Per hoc ergo cuiuslibet conscientia conuenitur, vt tanto maiora quærat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto grauiora sibi intulit damna per culpam. In sententijs quoque Petri 4. dist. 16. scribitur isto modo, Satisfactio à Ioanne præcipitur, vbi ait, Facite dignos fructus pœnitentiæ, scilicet vt secundum qualitatem & quantitatem culpæ sit qualitas & quantitas pœnæ: Non enim par debet esse fructus boni operis eius, qui nihil vel minus peccauit, & eius qui grauius cecidit. Si etiam illa circumstantia quæ est maiorem gratiam habuisse pœnitentiam Pauli vltra pœnitentiam Petri in aliquo, ‖ *melioretur*, deterioretur, seu minoretur tantum vel amplius per remissionem actus pœnitentialis in Paulo, subtus intensionem actus pœnitentialis in Petro, & reuertitur argumentum. Ampliùs autem si peccator cadens à maxima gratia, statim cùm pœnitet totam illam subito mereatur, multo magis si sine peccato in sua gratia permansisset, & quilibet iustus in tanta gratia perseuerans diligendo Deum super omnia, & propter eum vitando peccatum, & similia faciendo, in singulis instantibus seu momentis tantam gratiam promeretur, maximè cùm habeat circumstantias alias magis idoneas ad merendum, sicque in breuissimo tempore quisquis merebitur infinitam gratiam intensiuè. Idem potest similiter argui de pœnitente continuante actum pœnitentiæ quem incæpit, vel ipsum continuè intendente, quod in quolibet breuissimo tempore merebitur gratiam infinitam: Cùm enim in principio subito meruit tantam, & in quolibet instanti, seu particula temporis subsequenti, iterum tantam nouiter meruit, quia actus est pœnitentialis, æqualiter vel magis meritorius semper fuit. Amplius autem, quantam ergo gratiam statim meretur peccator qui nunquam fuit in gratia, nunc contritus? Certum est quod aliquam eo quod nunc per contritionem efficitur gratus Deo; si dicas quod magnam, vel paruam secundum quod sua contritio fuit magna vel parua; potest ergo per aliquam contritionem puta per A statim mereri gratiam sub B gradu, quæ vel est minor gratia baptismali quæ sit C, æqualis, vel maior: Non minor, quia tunc adultus qui per seipsum actualiter meruit, in casu, decederet cum minore gratia, & transiret ad minorem gloriam quàm paruulus tantummodo baptizatus: Quomodo ergo Deus vnicuique secundum opera sua reddet, sicut vtrumque Testamentum sæpè testatur. Secundum istud quoq; videretur possibile, aliquem posse tam remissè mereri quod haberet in vita futura minorem gloriam intensiuè, quàm sit vna delectatio paruula in præsenti, puta videre aliquod delectabile minimum vel gustare, quod quis Christianus non respuit vel profanus, cum secundum Philosophos, & Theologos, fœlicitas & beatitudo sit bonum sufficiens & perfectum? Nam secundum Philosophum 1. Eth. 9. Fœlicitas est bonum perfectum, & per se sufficiens, quod facit vitam nullo indigentem. Dicitque Boetius 3. de consolatione, prosa secunda, quod beatitudo est bonum, quo quis adepto, nil vlterius desiderare queat, quod quidem est omnium summum bonorum, cunctaque bona intra se continens, cui si quid abforet, summum esse non posset, quoniam relinqueretur extrinsecus quod posset optari. Liquet igitur esse beatitudinem, statum bonorum omnium congregatione perfectum. Dicitque Propheta, Adimplebis me letitia cum vultu tuo, delectationes in dextra tua vsque in finem; Psal. 15. Et infra 16. ‖ *Satiabor* cum apparuerit gloria tua: Vnde & Apoc. 7. Non esurient neq; sitient amplius; & 1. ad Cor. 2. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum. Si autem dicatur quod B est æqualis C, consequens est quod in casu, adultus qui per seipsum actualiter meruit, æqualiter præmietur cum paruulo tantummodo baptizato, qui nunquam aliquid meruit: Quomodo ergo Deus vnumquemque secundum opera sua & merita præmiabit? Rursum ponatur quempiam, qui nũquam habuit gratiam, conteri minori contritione quã A, & tunc, per hypothesin, meretur minorẽ gratiã, quàm sit B vel C, quod erat proximo reprobatum. Si verò dicatur B esse maiorem C, hoc est in certa proportione finita: Ponatur ergo quempiam conteri contritione minori A proportionaliter, vel infra, & tunc, secundum hypothesin, merebitur gratiam

Margin notes: *Gregorius.* ‖ meliorq; *Philosophus.* *Boetius.* *Psal. 15.* *Psal. 16.* ‖ Sanabor, *Apo. 7.* *1. Cor. 2.*

Section letters: A B C D E

A gratiam æqualem C vel minorem, quorum vtrumq; fuerat iam destructum. Si autem dicatur imprimis, quod quilibet contritus huiusmodi, meretur ad minus tantam gratiam, quanta est gratia baptismalis; vel ergo semper meretur tantam æqualiter, vel semper maiorem, vel quandoque tantam, quandoque maiorem, nunquam tantam æqualiter, sicut superius est ostensum; & quia tunc inæqualiter pœnitentes æqualem gratiam mererentur, quod repugnat omni iustitiæ, maximè vbi nulla gratuita liberalitas admiscetur, sicut est in iustificatione iniusti, secundum Pelagianorum hypothesin supradictam; semper ergo maiorem: sed si per certam contritionem, puta per *A* mereretur *B* maiorem gratiam *C* gratia baptismali, cur non per *D* contritionem minorem proportionaliter *A*, sicut *C* est minor *B*, vel infra, merebitur *E* gratiam æqualem *C* vel minorem? Semper ergo proportionaliter meritis præmia sunt reddenda, sicut dictat omnis iustitia humana pariter & diuina, maximè vbi pura præmia rependuntur, & nihil de gratia gratis datur. Item qui peccando grauissimè maximam gratiam perdidit, &
B continuò post peccauit grauissimè per minimam contritionem maximam gratiam promeretur, cur ergo non ille qui nunquam habuit gratiam, nec in gratitudinem tantam exercuit, per contritionem maiorem non meretur tantam gratiam, vel maiorem, & sic gratiam quantamcunque etiam infinitam? Item si omnis huiusmodi pœnitens, statim cùm meretur, meretur maiorem gratiam baptismali, cur non si continuet illum actum, continueue intendat, in quantolibet paruo tempore merebitur gratiam infinitam? Cur etiam non quilibet iustus in gratia constitutus per quemlibet actum suum æquè bonum cum actu huius pœnitentis, vel quantum volueris, meliorem, meretur tantam gratiam vel maiorem, & sic in quantalibet particula temporis gratiam infinitam? sicut superiùs est argutum: Et idem potest similiter argui de excessu gratiæ quam meretur vltra gratiam baptismalem. Si quis autem contra præmissa omnino voluerit proteruire, dicendo cadentem à magna gratia per peccatum, nequaquam per quantulamcunque contritionem resurgere semper ad tantam, sed semper vel aliquoties ad minorem;
C præter rationes præmissas oppositum ostendentes, potest & per præmissa iam proximo specialiter castigari; talis enim vel resurgit ad minorem gratiam baptismali, æqualem, vel maiorem &c. sicut priùs. Amplius autem quomodo potest mortuus vitam mortuis impetrare, & mortuum quodammodo suscitare, alium vel seipsum? vel enim hoc faceret per opus viuum, vel mortuum; non per mortuum, nullus nescit; si per viuum, priùs naturaliter habet vitam: Omnis enim operatio præsupponit naturaliter formam à qua procedit, sicut 39. patet. Non ergo per huius opus viuum tribuit mortuo vitam gratiæ spiritualem: Nam sicut arbor non priùs natura profert fructum viuum, & post naturaliter & ideo est viua, sed è contra; ita & homo quę arbor euersa à Philosophis nominatur. Vnde Saluator Ioh. 15. sicut palmes inquit, non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis, & vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere, nihil scilicet boni, sine mea gratia faciente. Super quod August. part. 2.
D serm. 27. seu. 81. totius; Præciso, inquit, palmite potest de viua radice alius pullulare; qui autem præcisus est, sine radice non potest viuere. Deinde adiungit, & dicit, Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic & vos nisi in me manseritis. Magna gratiæ commendatio, Fratres mei, corda instruit humilium, ora obstruit superborum. Ecce cui si audent respondeant, qui ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti: ecce cui respondeant sibi placentes, & ad bona opera facienda Deum sibi necessarium non putantes. Nonne huic resistunt veritati homines mente corrupti, reprobi circa fidem, qui respondent & loquuntur iniquitatem, dicentes, A Deo habemus quòd homines sumus, à nobis ipsis autem quòd iusti sumus? quid dicitis qui vos ipsos decipitis, non assertores, sed præcipitatores liberi arbitrij, ex alto elationis, per inania præsumptionis, in profunda submersionis? Nempe vox vestra est, quòd homo ex semetipso facit iustitiam, hoc est altum elationis vestræ: sed quid vos sequatur videte, &, si est in vobis vllus sensus, horrete.
E Qui enim à semetipso fructum existimat ferre, in vite non est; qui in vite non est, in Christo non est; qui in Christo non est, Christianus non est, hæc sunt || *profunda submersionis vestræ*. Etiam atque etiam considerate, quid adhuc veritas adiungat, & dicat, Ego sum, inquit, vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere; ne quisquam putaret saltem paruum aliquem fructum posse à semetipso palmitem ferre, cum dixisset hic fert fructum multum, non ait, quia sine me paruum potestis facere, sed nihil potestis facere. Siue ergo paruum, siue multum, sine illo fieri non potest, sine quo fieri nihil potest: quia &, si paruum attulerit palmes, eum purgat Agricola, vt plus afferat; tamen nisi in vite manserit, & vixerit de radice, quantumlibet fructum à semetipso non potest ferre: Quamuis autem Christus vitis non esset, nisi homo esset, tamen istam gratiam palmitibus non

[Margin notes: *Iohan. 15.* — *Augustinus.* — || signa reprobationis vestræ.]

Alquinus. bus non præberet, nisi etiam Deus esset. Super quod & Alquinus sicut allegatur in Glossa, Omnis, inquit, fructus boni operis ab illa radice procedit, qui nos sua gratia liberauit, & suo auxilio prouenit, vt fructum plus afferre valeamus. Huic & concordat illud Matth. 7. Non potest arbor mala fructus bonos facere? Super quod Augustinus 2. De sermone Domini in monte 36. Arbor, inquit, est ipsa anima, id est, ipse homo, fructus verò opera hominis. Non ergo potest malus homo bona operari, neque bonus mala. Malus ergo si vult bona operari, prius bonus fiat. His etiam simile est exemplum de terra, semine, pluuia, & calore. Non enim quia semen viuificatur, & crescit ideo terra est bona, nec ideò recipit pluuiam, & calorem cœlestem; sed prius naturaliter est terra bona habens humorem & calorem de Cœlo, & ideò ac post naturaliter germinat fructum bonum, ideoque semen seminatum in ea viuificatur & crescit: sic & de terra arida cordis nostri, & semine verbi Dei in peccatoris anima seminato, iuxta parabolam & expositionem Dominicam, Mat. 13. & Luc. 8. plenius recitatam de pluuia gratiæ, & calore charitatis, de Cœlo cœlitus descendente. Nec tamen gratiam & charitatem essentialiter separo, sed coniungo, vt tam gratia quam charitas sit calida & humida, habens virtualiter caliditatem & humiditatem quę sunt principia vitę, in quibus & vita consistit, sicut tam Philosophi naturales, quam Medici attestantur. Quod autem charitas sit quidem calor cœlestis, & quidam ignis diuinus, quis dubitat? quis non sentit? Vndè & Autor charissimus charitatis, Ignem, inquit, veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? Luc. 12. Quare & Sanctus Spiritus in specie ignis super discipulos mittebatur, sicut historia Actorum 2° testatur. Primum quoque istorum tractans Gregorius primo super Ezechielem homilia quinta. Cum, inquit, carnalis mens Sanctum Spiritum accipit, spirituali amore succensa malum plangit quod fecit, & terra ardet quandò accusante se conscientia, cor peccatoris vritur, atque in dolore pœnitentiæ crematur. Hinc rursus scriptum est, Deus tuus ignis consumens est: Quia enim mentem quam repleuerit, eam à peccatorum rubigine mundam reddit creator noster, & ignis dicitur, & consumens. Qui & super Euangelia, homilia tricessima, Spiritus, inquit, Sanctus repentino sonitu super discipulos venit, mentesque carnalium in sui amorem permutauit, & foris apparentibus linguis igneis, intus facta sunt corda flammantia, quia dum Deum in ignis visione suscipiunt, per amorem suauiter arserunt. Et infra, Ignis est Deus, attestante Paulo, Deus noster ignis consumens est. Deus quippè ignis dicitur, quia per hunc peccatorum rubigo consumitur. De hoc igne veritas dicit, Ignem veni mittere in terram; Et quid volo nisi vt ardeat? Terra enim vocata sunt corda terrenna, quæ dum semper infimas in se cogitationes congerunt, à malignis spiritibus conculcantur; sed ignem Dominus in terram mittit, cum flatu Sancti Spiritus cor carnalium incendit. Non solum autem charitas ignis dicitur, sed & aqua, teste veritate Ioh. 4. dicente, Si scires donum Dei &c. dedisset tibi aquam viuam, Et infra, Aquam quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam; Vbi Chrys. sicut allegatur in Glossa; Spiritus Sancti gratiam quandoq; Scriptura ignem, quandoq; aquam vocat, ostendens quoniã non substantię sunt hęc nomina repræsentatiua, sed actionis, per ignis quidem appellationem, erectiuum, & calidum gratiæ, & consumtiuum peccatorum ænigmaticè insinuat; per aquæ verò nuncupationem purgamentum quod est ex Spiritu, & multum refrigerium recipientibus eum mentibus ostendit. Vbi & Theophilus in Glossa similiter allegatus gratiam Spiritus Sancti dixit aquam viuam, id est, viuificatiuam, refrigeratiuam, & motiuam: Nam gratia Spiritus Sancti semper mouet illum qui bonum operatur, assensiones in corde suo disponens. Sed quis melior expositor Sancto Euangelista, qui super pectus Domini in cæna recubuit, qui infra septimo recitato dicto Christi, Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, exponendo subiungit, Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Quòd autem charitas aqua seu aquæ dicatur, Augustinus super illud Psalmi 103. Qui tegit aquis superiora eius, sermone primo & secundo diffusè satis ostendit. Quòd etiam gratia nomine pluuiæ, humoris, roris, & similium designetur, sacra Scriptura, & sacri Doctores sæpius manifestant: Dicit enim Propheta pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ; & Infirmata est, tu verò perfecisti eam, Psalmo 67. Tu, inquit, non ipsa se, sed tu perfecisti eam, id est, sanasti eam per huius pluuiæ medicinam. Super quod Augustinus, vna expositione præmissa alteram adiungendo, Multo, inquit, congruentius intelligitur ipsa gratia pluuia voluntaria, quia nullis præcedentibus operũ meritis gratis datur; Si enim gratia, non ex operibus, alioquin gratia iam nõ est gratia: Non enim dignus sum, inquit, vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei, gratia autem Dei sum id quod sum; hæc est pluuia voluntaria, voluntariè quippè genuit nos verbo veritatis, hęc est pluuia voluntaria; Hanc ergo pluuiam voluntariã nullis pręcedentibus meritis operum bonorum segregauit Deus hæreditati suæ; & infirmata est; agnouit enim

Marginalia: *Alquinus.* (A) — *Matth. 7.* — *Augustinus.* — (B) — *Luk. 12.* — *Act. 2.* — *Gregorius.* — (C) — *Iohan. 4.* — *Chrysostomus.* — (D) — (E) — *Psal. 67.* — *Augustinus.*

A enim non esse se aliquid per seipsum, non viribus suis, sed gratiæ Dei tribuendo esse quod est. Vnde & Apostolus qui dixerat legem infirmatam esse per carnem, quia caro non implet quod per Spiritum impletur, id est, per gratiam spiritualem, ipse item dicit, vt iustitia legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum, hoc est ergo Tu verò perficisti eam, quia plenitudo legis charitas, & charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, non per nos ipsos, sed per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Qui & infra Psalmo, 146. dicit de Deo; Parat terræ pluuiam, id est, terrenis cordibus gratiam, cuius pluuiæ effectum subiungens; Qui, inquit, producit vel secundum literam Augustini; Exoriri facit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum; Qui, inquam, principaliter producit in montibus, id est, hominibus prius terrestribus per peccatum, sed post hanc pluuiam factis cœlestibus & excelsis, vel in montibus, id est, elatis hominibus fœnum & herbam seruituti hominum, id est, fructus bonos hominibus valituros; super quod Augustinus; Ecce, inquit, fructus pluuiæ, qui exoriri facit, &c. Cui & simile est illud Psalmi, 84. Dominus dabit benigni-
B tatem, vel suauitatem secundum literam Augustini, & terra nostra dabit fructum suum; Dominus, inquam, dabit benignitatem gratiæ suæ primò, & terra nostra dabit fructum suum secundò. Super quod Augustinus; Cogitate, inquit, de verbo quod audistis, ne semen rapiant volatilia, vt possit ibi germinare quod seminatum est, sed nisi Deus pluerit, quid prodest, quod seminatur? hoc est, Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum; veniat imber Dei, & fructificet quod ibi seminatum est. Cui & concordat illud Esaiæ, 55. Descendit imber & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti. Hæc ergo pluuia gratiæ facit semen verbi Dei in audientibus germinare. Dicit quoque Robertus Lincolniensis, sicut capitulo proximo allegatur, Deus & gratia Dei, ac etiam nostra voluntas facit bonum in nobis, sicut granum germinat & vi intrinseca quadam germinatiua, & solis calore, cum terræ humore. Vnde & Petrus, secundo Sententiarum, distinct. 27. Sicut, inquit, pluuiâ rigatur
C terra, vt germinet, & faciat fructum: ita gratis terræ mentis nostræ, id est, arbitrio voluntatis infunditur pluuia diuinæ benedictionis, id est, inspiratur gratia, quod solus Deus facit, non homo cum eo, qua rigatur voluntas hominis, vt germinet & fructificet, id est, sanatur, & præparatur vt bonum velit, secundum quod operans dicitur, & iuuatur vt bonum faciat, secundum quod dicitur cooperans; & illa gratia virtus non incongruè nominatur, quia voluntatem hominis infirmam sanat & adiuuat. Et infra; Ex gratia quæ præuenit, & sanat arbitrium hominis, & ex ipso arbitrio procreatur in anima bonus affectus, siue bonus motus mentis, & hoc est primum hominis bonum meritum. Hoc autem totum congruè figuratur in illa virga Iesse, Virgine benedicta, quæ prius quàm proferret fructum salutis, plena gratia perhibetur, sicut docet historia, Luc. 1. Quem ordinem præuidens Esaias; Rorate, inquit, cæli desuper, & nubes pluant iustum; Aperiatur terra, & germinet Saluatorem, Esaiæ 45. Hoc etiam to-
D tum saluberrimus ille fructus, salus vera, & veritas, quæ orta est de hac terra, veraciter attestatur: Ipsa namque Matth. decimo tertio, sicut superius tangebatur, parabolizans de semine; Alia, inquit, ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum: Quia ergo semen cecidit in terram bonam, ideo dedit fructum, non è contra; erat ergo prius naturaliter terra bona, quod sine charitate & gratia esse non potest: Quælibet enim terra quæ hanc virtutem non habet, sterilis est & mala, sicut nullus Theologorum ignorat, sicuti etiam Apostolus 1. ad Corinth. 13. planè docet; Charitas namque diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ, teste Augustino 15. de Trinitate 18. Est etiam charitas fons proprius bonorum & sanctorum, de quo dicitur; Nemo alienus communicet tibi, teste similiter Augustino super illud Psalmi 103. Qui tegit aquis superiora eius, Sermone 1. Habuit ergo hæc terra prius naturaliter charitatem, quàm fecerat fructum bonum. Quare & dicit, quòd alia ceciderunt in terram bonam, non quòd fecerunt terram bonam. Terra ergo fuit bona, priusquam semen cecidit in eam. Vnde & Luc. 8. Quod autem in terram bonam, hi sunt, qui corde bono & op-
E timo audientes verbum retinent, & fructum afferunt. Quamobrem & Mat. 12. Facite, inquit, arborem bonam, & fructum eius bonum; arborẽ bonã primò, & fructũ bonũ secundo; quare & subdit; Siquidem ex fructu arbor bona cognoscitur. Progenies viperarum. quomodo potestis bonum loqui, id est, benè loqui, cùm sitis mali? Ex abundantia enim cordis, os loquitur; bonus homo de bono thesauro suo profert bona. Sed quis est iste bonus thesaurus boni hominis, nisi charitas quæ sola hominem bonum facit. Vnde Aug. de verbis Dom. Serm. 12. Admonet, inquit, nos Dominus, vt bonæ arbores simus, vt bonos fructus habere possimus; Ait enim, aut facite arborem bonam, &c. vbi ait, aut facite arborem bonam, &c. hoc vtique est præceptum salubre, cui obedientia necessaria est: quod autem dicit, Aut facite arborem malam, &c. non

Esaiæ 55.
Lincolniensis.
Lumbardus.
Esa. 45.
Matth. 13.
Luc. 8.
Matth. 12.

&c. non est præceptum vt facias, sed monitio vt caueas; contra hos enim dixit, qui putant se, cum mali essent, bona loqui posse, vel bona opera habere; hoc Dominus Iesus dicit non posse: Prius enim mutandus est homo, vt opera mutentur: sit ergo vnusquisque arbor bona, non se arbitretur habere bonos fructus, si manet arbor mala; non erit fructus bonus nisi arboris bonæ; muta cor, & mutabitur opus; extirpa cupiditatem, planta charitatem: sicut enim est radix omnium malorum cupiditas, sic est radix omnium bonorum charitas. Quare & Anselmus de Concordia 10. Sicut, inquit, terra innumerabiles herbas & arbores, sine quibus natura humana non alitur, aut etiam quibus perimitur, sine omni hominis cura profert; illas verò quæ nobis ad vitam nutriendam maximè sunt necessariæ non sine magno labore atque cultore, nec absque seminibus: Ita corda humana sine doctrina, sine studio, sponte quasi germinant cogitationes & voluntates nihil vtiles saluti, aut etiam noxias; illas verò sine quibus ad salutem animæ non proficimus, nequaquam sine sui germinis semine, & laboriosa cultura concipiunt, aut germinant; vnde illos homines quibus talis cultura impenditur, agriculturam Dei vocat Apostolus. Est autem semen agriculturæ huius verbum Dei, imò non verbum, sed sensus, qui percipitur per verbum; vox autem sine sensu nihil constituit in corde, nec solum sensus verbi, sed omnis sensus, vel intellectus rectitudinis, quoniam mens humana siue per auditum, siue per lectionem, siue per rationem, siue quolibet alio modo concipit, semen est rectè volendi. Nullus namque rectè velle potest, quod priùs corde non concipit; velle autem credere quod est credendum, est rectè velle. Quod autem dicit Apostolus Fidem esse ex auditu, intelligendum est quod Fides est ex hoc quod concipit mens per auditum, neque ita vt sola conceptio mentis facit fidem in homine; sed quia fides nequit esse sine conceptione. Addita namque rectitudine volendi, conceptioni, per gratiam fit fides, quia credit quod audit; Et infra, Verum missio, prædicatio, auditus, intellectus nihil sunt, nisi velit voluntas quod mens intelligit, quod voluntas facere nequit nisi accepta rectitudine: Rectè namque vult, cùm vult quod debet. Ita quod mens ex auditu verbi concipit, est semen prædicantis, & rectitudo est incrementum quod dat Deus, sine quo neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus. Et inferius, Videamus in exemplis, quomodo verbum fit semen, cum audiunt quibus dicitur, Si volueritis, & audieritis me, intelligunt & cogitant, quod dicitur velle audire, hoc est obedire; Qui enim audit, & non obedit, dicitur non audire; sed obedire nequeunt nisi velint; velle autem obedire est rectè velle; Rectè verò velle nemo potest, nisi habeat rectitudinem voluntatis, quam nullus habet homo nisi per gratiam. Itaque quod dictum est, Si volueritis, &c. semen est, nequaquam per se aliquem fructum germinans sine adiectione rectitudinis. Ex quibus & potest patere, quod duplex est rectitudo voluntatis, habitualis, & actualis; scilicet habitus gratiæ, & actus inde procedens; quod & potest per exemplum congruum apparere. Prius natura est, habere aurem sanam quàm sanè audire, & hæc causa illius non è contra; Auris autem spiritualis cordis humani, sine charitatis & gratiæ medicina sana esse non potest. Quare & noster Medicus salutaris surdum sanaturus, primo imposuit digitos suos in auriculas eius, quod gratiæ collationem significat, & secundo dixit ei ‖*Euphata*, quod est Adaperire, & sic statim apertæ sunt aures eius, sicut Marc. 7. recitatur: quod & congruè innuens post sermonem suum parabolicum de seminante, semine, &c. Matth. 13. statim adiunxit, Qui habet aures audiendi audiat, & similiter Luc. 8. Quare & Ioan. 8. dixit malis Iudæis, Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis quia ex Deo non estis. Qui, inquam, ex Deo est prius, verba Dei audit posterius, & supra, eodem, Quare loquelam meam non cognoscitis? quia non potestis audire sermonem meum. Super quod Chrysostomus, sicut allegatur in glossa, Primò ergo captanda est virtus quæ verbum diuinum exaudiat, quoniam quamdiu quis curatus non est in auditu proprio, à verbo, quod dicit surdo, Aperiaris, auditu percipere nequit. Et infra 18. Omnis qui est ex veritate audit vocem meam, qui, inquam, est ex veritate priùs, ex hoc audit vocem meam posterius, non è contra. Super quod, Augustinus super Ioan. parte secunda serm. 61°. sent. 115°. totius, quòd, inquit, ait; Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam, gratiam commendauit, qua secundum propositum vocat, de quo proposito dicit Apostolus, Scimus, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt, propositum scilicet vocantis non vocatorum, quod alibi apertius ita positum est, Collabora Euangelio secundum virtutem Dei, saluos nos facientis, & vocantis vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam. Nam si naturam cogitemus in qua creati sumus, cùm omnes veritas creauit, quis non est ex veritate? sed non omnes sunt, quibus vt audiant veritatem, & credant ex ipsa veritate præstatur nullis proculdubio præcedentibus meritis, ne gratia non sit gratia. Si enim dixisset

Marginalia: A; *Anselmus.*; B; C; D; ‖ Effeta, *Marc.* 7. Matt. 13. *Ioan.* 8. *Luc.* 8.; *Chrysostom.*; *Augustinus.*; E

A dixiſſet, Omnis qui audit vocem meam ex veritate eſt, ideo dictus ex veritate putaretur, quia obtemperat veritati. Non autem hoc ait, ſed ait, Omnis qui eſt ex veritate audit meam vocem, ac per hoc non ideo eſt ex veritate quia eius audit vocem, ſed ideo audit quia ex veritate eſt, id eſt, quia hoc illi donum ex veritate collatum eſt. Vnde & 376ª propoſitio ſententiarum Proſperi eſt excerpta. Hoc idem & planè teſtantur Autoritates Auguſtini de Fide ad Petrum 64. 15ⁱ de Ciuitate Dei 6. Gregorij 11. moral. 5. Bedæ 2. ſuper Lucam 4. ſicut 38ᵘᵐ plenius recitauit. Quod etiam videtur innuere illud Lucæ 10. In quamcunque domum intraueritis, *Luc.10.* primum dicite, Pax huic domui, & ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra. Non igitur quia ſuper illum requieſcit pax illorum, ideò ille filius pacis efficitur, ſed è contra. Vnde Auguſtinus de correptione & gratia 73. Non, inquit, dictum eſt ſuper quem requieuerit pax veſtra, fiet filius pacis, ſed ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum, ſeu ſuper il- *Auguſtinus.* lam domum pax veſtra. Iam ergo & antequam illi annuntiaretur hæc pax, filius pacis erat,
B ſeu ibi erat. Ex his autem euidenter ‖ *cognoſcitur*, quòd in illa ſacra Scriptura, quam Pater ‖ agnoſcitur, ſanctificauit & miſit in mundum, de qua nec iota vnum, aut apex vnicus præteribit, non eſt otioſus ordo verborum, neque factorum, ſed cauſis profundis & myſterijs plurimis totus plenus. Hoc idem poteſt & aliter ſic oſtendi, Prius natura eſt hominem recipere medicinam, quàm ab infirmitate ſanari; Non enim quia ſanatur, ideo recipit medicinam, ſed è contra; & prius natura eſt hominem eſſe ſanum, quàm facere opera ſanitatis propter ſimilem rationem. Sola autem gratia eſt languidæ animæ medicina, ſicut ex præmiſsis apparet, dicitque Auguſtinus de verbis Apoſtoli, ſerm. 13. Gratia medicina eſt; prius ergo natura eſt recipere *Auguſtinus.* gratiam quàm ſanari; & ſic ſanari, quàm ſana, ſanitatiſue opera exercere. Vnde Auguſtinus ſuper illud Pſalmi 31. Beati, quorum &c. Totum, inquit gratiæ eius imputetur, non meritis noſtris; Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: ‖ *Deus* ergo ‖ Dum tegat vulnera, noli tu; nam ſi tu tegere volueris, erubeſcens medicus non curabit. Medicus
C tegat, & curet, Emplaſtro enim tegit, ſub tegmine medici ſanatur vulnus, ſub tegmine vulnerati cælatur vulnus. Hanc etiam prioritatem gratiæ cœleſtis ingratis, infirmis, & peccatoribus gratis datæ, ad dimiſsionem peccati, & operationem boni myſticè nobis inſinuat Dominus Ieſus Chriſtus, dum ſurdum & mutum curando miſit digitos ſuos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius, & ſuſpiciens in cœlum ingemuit, & ait Euphata, quod eſt adaperire, & ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ, & loquebatur rectè, ſicut Marc. 7. recitatur; Ecce quòd infirmo primò per manus impoſitionem infunditur gratia Spiritus Sancti, ſecundò per eam ſanatur, & tertiò ſanatus opera ſana facit. Hic autem myſticus intellectus poteſt per ipſum factum, & modum, ac ordinem faciendi attentis alijs ſimilibus in Scriptura quamplurimis confirmari, quem & ratificant expoſitiones Sanctorum. Huic & conſonat illud Matth. 12. Oblatus eſt ei dæmonium habens cæcum & mutum, & cu- *Mat. 12.* rauit eum ita vt loqueretur, & videret. Primò curauit infirmum, ſecundò curatus opera ſana
D fecit. Vnde & Lucas, Cùm, inquit, eieciſſet dæmonium locutus eſt mutus Luc. 11. ſuper quod *Luc. 11.* Beda, ſicut allegatur in Gloſſa, Dæmoniacus, inquit, iſte apud Matthæum, non ſolùm mutus, *Beda.* ſed & cæcus fuiſſe narratur. Tria ergo ſigna ſimul in vno homine perpetrata ſunt, Cæcus videt, mutus loquitur, poſſeſſus à dæmone liberatur, quòd quotidiè completur in conuerſione credentium, vt expulſo primùm dæmone fidei lumen aſpiciant, deinde ad laudes Dei tacentia prius ora laxentur, quod & pulcherrimè demonſtratur in illa muliere quæ habebat ſpiritum infirmitatis 18. annis, & erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum aſpicere, quam cùm vidiſſet, Ieſus vocauit ad ſe, & ait illi, Mulier dimiſſa es ab infimitate tua, & impoſuit illi manus, & confeſtim erecta eſt, & glorificabit Deum, ſicut Luc. 13. recitatur. Quid autem eſt hæc mulier ſic infirma, niſi anima peccatrix, vel humana natura, longo tempore, ſcilicet ter 6. annis, hoc eſt ante legem, ſub lege, & tempore gratiæ cunctis annis, quia ſenarius eſt perfectus, vt patet 1. Arithmeticæ Boetij 22. graui onere peccati depreſſa, nec potens per ſe ſurſum ad Deum reſpi-
E cere per affectum? hanc autem non flentem, non rogantem, nec aliquod meritum præferentem vidit Ieſus Saluator, qui non quæſitus venit quærere & ſaluum facere quod perierat; vidit, inquam, internæ miſerationis aſpectu & vocauit ad ſe, gratuitam gratiam gratuitè inſpirando, ſicque ipſam ſanauit, vbi gratia operans lucidè indicatur. Sed quia nec ſic poteſt hæc mulier ſe erigere ad aliquod opus bonum, ſine ſuo medico ipſam vlteriùs ſpecialiter adiuuante, cooperante, imò & præoperante, ipſamque priùs naturaliter erigente, impoſuit illi manus ita primò, & confeſtim erecta eſt ad benè operandum, & glorificauit Deum ſecundò; quare & benè dicit, erecta eſt potiùs quàm erexit ſe: Priùs enim & potius per manum Dei erigitur, quàm erigat ſemetipſam, vbi & gratia cooperans perſpicuè demonſtratur. Huic autem intellectui myſtico conſonant expoſitiones Sanctorum: Vnde & Auguſtinus de Verbis Domini

Domini sermone 31. sic ait, Quid illa mulier decem & octo annos habens in infirmitate? sex A
diebus Deus perfecit opera sua, ter seni decem & octo faciunt arbore ficulnea hoc decem & octo anni in illa muliere scilicet genus humanũ ante legem, sub lege, & sub gratia curua erat, sursum aspicere non poterat, quia Sursum corda sine causa audiebat, sed erexit eam Dominus. Est ergo spes, sed filijs, quousque veniat dies iudicij, multum sibi dat homo, & quid est homo iustus homo, magnum aliquid est homo, sed cum iustus homo gratia Dei est iustus homo, nam quid est homo nisi quod memores eius? Quod & patenter ostenditur in curatione paralytici, cui Saluator primò dixit, Homo, remittuntur tibi peccata tua, & secundò Surge,
Luc.5. tolle grabatum tuum, & vade, sicut Euangelica prodit historia Luc. 5. quod & multis alijs Euangelicis miraculis curatiuis istis similibus potest similiter demonstrari. Hoc idem & aliæ
Esai.43. quam plures Autoritates Catholicæ lucidè manifestant. Dicit siquidem Dominus per Esaiam 43. Non me inuocasti Iacob, nec laborasti in me Israel, non obtulisti mihi arietem holocausti tui, & victimis tuis non glorificasti me. Non te seruire feci in oblatione, nec laborem tibi præ- B
bui in thure, non emisti mihi argento calamum, & adipe victimarum tuarum non inebriasti me: Veruntamen seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis; Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Reduc me in memoriam, & iudicemur simul: narra, si quid habes, vt iustificeris; Ego inquit sum qui deleo iniquitates tuas propter me, id est, propter me misericordiam meam gratis, non propter merita tua priora. Quare & subdit, Reduc in memoriam, & iudicemur simul, narra siquid habes, vt iustificeris; quasi dicat, nihil habes quo iustificationem merearis, vel secundum translationem septuaginta, Dic tu prior iniquitates tuas vt iustificeris, & tunc ironicè loquitur; Et tantum valet, quasi dicat manifestè nihil potes dicere. Quid autem iustificationum habuisti, nisi iniquitates, quibus iustificationem nullatenus meruisti? Quamo-
Rom.3. brem & dicit Apostolus Iustificati gratis per gratiam ipsius, ad Rom. 3. Super quod Glossa, &
Glossa. est principaliter Augustini de Spiritu & litera 8. Iustificati sunt gratis, id est, sine meritis præce- C
dentibus, & hoc per gratiam ipsius, id est, per gratuita dona. Gratia quippè Dei, donum Dei est; Donum autem maximum ipse Spiritus Sanctus est; Non ergo iustificati sunt per legem, non per propriam voluntatem, sed per gratiam Christi; non quod sine nostra voluntate fiat, sed voluntas nostra infirma ostenditur per legem, vt sanet gratia voluntatem, & sana voluntas impleat legem non constituta sub lege, nec indigens lege. Ipsa igitur est gratia qua iustificatur impius, id est fit iustus qui prius erat impius, & ideo percipiendæ huius gratiæ merita nulla præcedunt, quia meritis impij non gratia sed pœna debetur. Nec ista esset gratia, si non daretur gratuita; datur autẽ gratuita, quia nihil boni ante feceramus vndè hoc mereremur, quia nihil præcesserat in nostris meritis nisi vndè damnari deberemus. Non igitur inuenit merita bonorum, sed merita suppliciorum. Ergo iustificati sunt gratis, quia nihil operati erant per gra-
Augustinus. tiam ipsius. Qui & de Spiritu, & litera 20. Cum dicat, inquit, Apostolus gratis iustificari hominẽ per fidem sine operibus legis, nihil aliud vult intelligi in eo quod dicit gratis, nisi quia iusti D
ficationẽ opera non procedũt. Apertè quippè alibi ait, Si gratia, iam non ex operibus, alioquin
Tit.3. gratia iam nõ est gratia. Idẽ ad Tit. 3. Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitię quę fecimus nos, sed secundũ suam misericordiã saluos nos fecit per lauacrũ regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quẽ effudit in nos abundè per Iesum Christum Saluatorẽ nostrum, vt iustificati gratia ipsius hæredes simus secundum spẽ vitæ æternæ.
Rom.3. Idem ad Rom. 3. Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro corã illo. Vbi est ergo gloriatio tua? exclusa est; per quã legem? factorum? non, sed per legem fidei. Arbitramur enim iustificari hominem sine operibus legis. Sed dicet forsitan aliquis hoc debere intelligi de operibus legalibus sacramentalibus, & ceremonialibus, quæ in lege veteri fuerant vsitata, non autem de operibus moralibus decalogi, quæ vtraque lex admittit. Alium tamen intellectum processus illius epistolæ vnà cum alijs manifestat euidenter, ostendens Apostolum velle loqui etiam de operibus decalogi supradictis. Intendit enim Apostolus, sicut processus epistolæ, & ex- E
positiones Catholicæ contestantur redarguere Iudæos & Græcos, ac omnes Gentiles conuersos ad iustitiam fidei Christianæ mutuò altercantes, & se super se mutuò extollentes; Iudæos quidem dicentes se istam iustitiam meruisse per obseruantiam, & opera legis suæ, ipsis Gentilibus nihil merentibus, sed offendentibus grauiter idola adorando; Græcos verò & Gentiles è contrario asserentes, se ex simplici ignorantia idola coluisse, ipsamque fidem Christi per Apostolos prædicatam statim cum gaudio recepisse, Iudęos autem habentes Legem & Prophetas tanto grauiùs deliquisse, occidendo Christum testificatum à Lege & Prophetis, eiusque Apostolos contemnendo. Sed quomodo contradiceret verè Iudæis dicendo; Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo, nisi intelligeret vniuersaliter quòd ex nullis o-
peribus,

A peribus, nec ex vllo opere legis iustificabitur vlla caro, sacramentalibus, ceremonialibus, vel moralibus quibuscunque, sed per legem fidei Christianæ; fidei, inquam, non mortuæ, aut informis seu nudæ, sed per gratiam & charitatem viuæ, formatæ atque vestitæ. Quod & verba Apostoli indicant euidenter. Cùm enim præmisit; Ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro coram illo, immediatè subiungit; Per Legem enim cognitio peccati; quod infra 7. clarius exponendo; Peccatum, inquit, non cognoui nisi per Legem: Nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret; Non concupisces. Sed quæ & qualis est Lex quæ concupiscere prohibet? Nonne Decalogi & moralis? Quare & supra, eodem; Seruiamus, inquit, in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ, quia & sicut ipsemet dicit; Litera occidit, spiritus autem viuificat, 2. ad Corinth. 3. quod intelligitur ad literam, non de intellectu Veteris Testamenti in sacramentalibus, & ceremonialibus secundum superficiem literæ, & spirituali ac mystico intellectu, sed de decem Mandatis Decalogi moralibus, in tabulis lapideis Mosi traditis,
B & per Mosem populo promulgatis. Quare & immediate subiungit, quod si ministratio mortis deformata lapidibus fuit in gloria, ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Mosis, propter gloriam vultus quæ euacuatur, quomodo magis ministratio spiritus est in gloria? Quod ergo apud Apostolum est, Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro, sed per legem fidei, hoc est litera occidit; Spiritus autem viuificat, scilicet, gratia Spiritus Sancti, quæ non est ex operibus secundum literam legis factis: Nam secundum eundem 1. ad Cor. 12. *1. Cor. 12.* Spiritus S. diuidit singulis prout vult; prout vult, inquam, liberaliter & gratis non prout debet, ex meritis alicuius. Hunc autem intellectum Apostoli ex Autoritatibus recitatis, alijsq; similibus docet diligentissimè Augustinus de spiritu & litera quasi per totum, ipsumque probat per verba Apostoli sicut supra, sicut multis ibi capitulis clarè patet. Vbi & cap. 12. post magnum scrutinium sic concludit; His ergo consideratis, colligimus non iustificari hominem præceptis bonæ vitæ nisi per fidem Iesu Christ, hoc est non lege operum sed fidei, non
C litera sed spiritu, non factorum meritis, sed gratuita gratia. Et infra vicessimo quarto, Lex, inquit, fidei charitas est conscripta in corde atque diffusa perficitur sperantibus in eo, vt anima sanata non timore pœnæ, sed amore iustitiæ operetur bonum. Qui & super Psalmum tricesimum primum tractatu primo, eundem intellectum, eandemque sententiam clarè docet; vndè sic exorditur sermonem, Psalmus gratiæ Dei & iustificationis nostræ, nullis præcedentibus meritis nostris, sed præueniente nos misericordia Domini Dei nostri commendatus maximè ore Apostolico, à nostra tenuitate susceptus, est tractandus; Psalmus, inquam, ore Apostolico commendatus ad Rom. 4. vbi Apostolus materiam istam tractat. Ibi namque sic ait; *Rom. 4.* Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus; Beati, quorum, &c. Glossa accepto, id est, acceptabiliter, id est, gratis fert, quasi impotenti accedere infert iustitiam, id est, remissionem peccatorum, & opera bona, & hoc sine operibus præcedentibus. August. quoque super Psalmum prædictum, vbi prius; Nulla, inquit, opera debemus *Augustinus.*
D præponere fidei, id est, vt ante fidem quisque dicatur benè operari ea: Ipsa enim opera quæ dicuntur ante fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi videntur esse, vt magnæ vires, & cursus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem; vbi fides non erat, bonum opus non erat; bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit; non valde attendas quod homo faciat, sed quid, cùm facit, aspiciat, quò lacertos optimæ gubernationis dirigat. Et loquitur ibi de fide non mortua, aut informi, sed charitate formata, secundum illud Apostoli ad Gal. 5. Fides quæ per charitatem operatur, sicut & diffusiùs eius processus ostendit. Quare & dicit; Fides assumpta spe, & dilectione incipit bene operari. Vbi & Aug. sic quærit; Quomodo iustificatur homo per fidem, sine operibus? responderet ipse Apostolus; Propterea hoc tibi dixi, O homo, ne quasi de operibus tuis præsumere videreris, & merito operum tuorum accepisse fidei gratiam. Noli ergo præsumere de operibus ante fidem noueris, quia te peccatorem fides inuenit; & si te fides data iustum fecit, impi-
E um inuenit quem faceret iustum. Credentes, inquit, in eum qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam. Si iustificatur impius, ex impio iustus fit: si ex impio iustus fit, quæ sunt opera impiorum? iactet etiam impius opera sua, & dicat, Do pauperibus, nihil alicui aufero, non vxorem alienam concupisco, & similia; hæc omnia dicat, quæro vtrum pius sit an impius? impius es, & nulla sunt opera tua, sed crede in eum qui iustificat impium, vt possint & opera tua esse opera bona. Nam nec bona illa appellauerim quamdiu non de radice bona procedunt. Et infra; Nihil boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorum. Attenduntur opera tua, & inueniuntur opera mala; si quod debetur istis operibus, Deus redderet, vtique damnaret; stipendium enim peccati mors. Malis operibus quid debetur nisi damnatio? bonis quidem quid debetur? merces regnum cœlorum; tu autem in malis operibus inuentus es; si redda-

reddatur tibi quod debetur, puniendus es. Quid ergo fit? non tibi Deus reddit debitam pœnam, sed donat indebitam gratiam, debebat vindictam, dat indulgentiam. Incipis ergo esse in fide per indulgentiam. Iam fides illa assumpta spe, & dilectione incipit bene operari. A
Quapropter & glossa super illud ad Rom. 3. superius allegatum, Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis, sic ait, Nos Apostoli arbitramur hominem quemcunque etiam gentilem iustificari per fidem sine operibus legis carnalibus, id est, sine circumcisione & neomenijs, aut veneratione Sabbathi; vel sine operibus legis quibuslibet etiam moralibus; sed hoc intelligendum est de operibus præcedentibus fidem, non sequentibus, sine quibus inanis est fides, vt Iacobus ait, Fides sine operibus mortua est, & ipse Paulus ait, Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum. Bene igitur Apostolus fidem prædicans Gentibus, vt ostenderet, non merito bonorum operum perueniri ad fidem, sed fidem sequi bona opera, dicit, Hominem iustificari per fidem sine operibus legis; non quin credens, post per dilectionem debeat operari, vt & Abraham voluit filium immolare; B
Sequuntur enim opera iustificatum, non præcedunt iustificandum, sed sola fide sine operibus præcedentibus fit homo iustus. Hoc idem videtur Propheta innuere, cùm sic ait, Retribue seruo tuo, viuifica me; & custodiam sermones tuos Psalm. 118. Super quod Augustinus, Si bona, inquit, pro bonis sibi postulauit retribui, iam custodierat verba Dei; Non autem dixit, Retribue seruo tuo quia custodiui verba tua, tanquam mercedem bonam pro bono obedientiæ flagitaret, sed dixit, Retribue seruo tuo, viuam & custodiam verba tua: quid est aliud quàm dicere, mortuos ea custodire non posse, infideles vtique, de quibus dicitur, Sine mortuos sepelire mortuos suos. Quapropter si mortuos intelligimus infideles, viuos autem fideles, quoniam Iustus ex fide viuit, nec possunt custodiri verba Dei, nisi per fidem, quæ per dilectionem operatur, hanc sibi poscit, qui dicit, Retribue seruo tuo, viuam & custodiam verba tua: & quoniam ante fidem, non homini debentur nisi mala pro malis; retribuit autem Deus per indebitam gratiam bona pro malis hanc retributionem rogat, qui dicit, Re- C
tribue seruo tuo, viuam & custodiam verba tua: Quatuor enim retributiones sunt; Aut mala pro malis retribuuntur, sicut Deus ignem æternum retributurus est impijs; aut bona pro bonis, sicut regnum æternum retributurus est iustis; aut bona pro malis sicut Christus per gratiam iustificat impium; aut mala pro bonis, sicut Iudas per malitiam persecutus est Christum. Harum quatuor retributionum duæ priores pertinent ad iustitiam, vt retribuantur mala pro malis, bona pro bonis; tertia pertinet ad misericordiam, vt retribuantur bona pro malis; quartam Deus nescit: Nulli enim malum pro bono retribuit. Hæc autem quam tertio loco posuit, primitus est necessaria. Nisi enim Deus retribueret bona pro malis, nullo modo essent quibus retribueret bona pro bonis: Vide illum Saulum postea Paulum, Non ex operibus, inquit, iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit; Et iterum, Consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino vt essem fidelis, hoc est vt viuerem, quia iustus ex fide viuit: Mortuus ergo erat per suam iniustitiam, antequam viueret per Dei gratiam. Retribuit ergo illi Deus bonum pro malo, hoc est vitam pro D
morte, talem scilicet retributionem, qualis hic poscitur, Retribue seruo tuo, viuam; Sed iste qui iam orat & dicit, Retribue seruo tuo, viuam; si penitus iam esset mortuus, non oraret, sed ab illo accepit initium bonæ concupiscentiæ, à quo vitam poscit obedientiæ. Habebant enim aliquam fidem, qui dicebant, Domine, auge nobis fidem: Ille verò & incredulitatem suam confitebatur, nec fidem diffitebatur; qui cùm esset interrogatus, si crederet, ait, Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Iam vtique viuere incipiens postulat vitam, qui credens orat obedientiam, non pro ea seruata præmium, sed vt seruetur, auxilium: vitâ quippe crescente viuiscit per omnem diem, qui renouatur de die in diem. Item Iob 33. Respiciet homines, & dicet, Peccaui; Respiciet, inquam, primò gratuitæ miserationis aspectu, gratis gratiam inspirando, & homo peccator secundò per gratiam compunctus dicet; Peccaui, id est, pœnitebit de peccatis. Quare & Gregorius 24. Moral. 5. illud verbum exponens, Se, E
inquit, peccatorem esse non cognosceret, si iustitiam non haberet: Nemo quippe tortitudinem suam, nisi cùm rectus esse cœperit, deprehendit; Nam qui omnino peruersus est, neque hoc potest videre quod est; qui verò peccatorem se intelligit, iam ex parte aliqua esse iustus inchoauit, atque id quod non iustus fecerat, ex eo, quod est iustus, accusat, qua accusatione sua Deo inhærere inchoat, dum rectum contra se iudicium proferens, hoc in se, quod illi sentit displicere condemnat. Recepta ergo iustitia sua, dicet homo iste, Peccaui, & notandum quod præmittitur, Respiciet homines, & deinde subiungitur, & dicet, Peccaui. Quare & infra 40. Dominus dixit Iob; Interrogabo te, & indica mihi, si habes brachium sicut Deus, & voce simili tonas, respiciens omnem arrogantem humilia, respice cunctos superbos &

A bos & confunde eos, &c. & ego consiliabor, quod saluare te possit dextra tua, quasi diceret; hæc non potest homo, sed Deus. Super quod Gregorius 32. Moral. 7. Respiciens, &c. ac si dicat, vt ego; Duobus autẽ modis à Domino peccator vnusquisque respicitur, cùm aut à peccato conuertitur, aut ex peccato punitur: De respectu enim conuersionis dicitur, quia respexit Dominus Petrum, & recordatus Petrus fleuit amarè; de respectu rursus vltionis dicitur, Vultus Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum: Vtrisque autem modis in humilitate arrogans sternitur, quia aut pœnitendo cognoscit culpam, aut pereundo percipit pœnam. Et infra super illud, Et ego consiliabor, &c. ac si apertè diceret, Si potes hæc facere, quæ protuli, tibi & non mihi deputo bona omnia quæ fecisti; si verò non potes, liquet quòd à reatu nequitiæ tua te non vales virtute liberare. Ecce diuina voce ad beatum Iob dicitur, quòd sua virtute non saluetur, & tamen nonnulli hominum, qui ab huius viri viribus longè sunt, despecto Dei adiutorio, sua se fortitudine saluari posse confidunt, pro quibus quid B deprecari aliud debemus, nisi vt si iam dona bonorum operum perceperunt, hoc quoque donum accipiant, vt à quo hæc acceperint, discant. Huic etiam consonat illud Abacuc. 3. Aspexit, & dissoluit Gentes, & contriti sunt montes sæculi. Similem quoque sententiam videtur docere Propheta cùm dicit, Qui respicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigant, Psal. 103. Tunc siquidem terra tremuit, & moutes fumigant, quando peccator frigidus, & siccus, elatus & durus, respectu Dei compunctus feruentem imbrem fumantium lachrymarum emittit. Porrò iuxta ista & alia loca Scripturæ, videtur Deum Soli, & Dei respectum Solis radio comparari: Sicut enim Sol, solarisq; radius est lucidus & calidus effectiue, sic & Deus diuinusq; respectus. Ipse enim est Sol intelligentiæ illuminans intellectum, ipse est Sol iustitiæ inflammans effectum, dirigensque effectum. Huius autem Solis radius, seu respectus in mentem incidens peccatoris, ignorantiæ tenebras effugat, & infinitam multitudinem peccatorum, ac infinitas circumstantias horridas manifestat; sicut & Solis alterius radius C infinitam multitudinem atomorum, qui radius seu respectus à peccatore se reflectens in Deum erigit oculos peccatoris, ipsumque attrahit, & conuertit, vt respiciat istum Solem clarissimum à quo multum auersus, in oculis tamen eius tot & tam sordida perpetrauit. Sicque respectus iste, seu radius pœnæ trans nubem peccati horridam & condensam, fulgorem Solis atque calorem priuantem, fulgura, & tonitrua terribilia diuinæ offensionis & comminationis iaculat, & producit; sicque spiritu compunctionis & timoris infra terram peccatricem concepto efficitur terræ tremor, qui & per os peccatoris, quasi per quendam meatum terræ exire festinans in confessionem erumpit, & sic tandem nubes ista peccati dissoluitur in pluuiam lachrymarum omnium sordium purgatiuam, & super niuem dealbatiuam animæ peccatricis. Hæc autem pluuia cœlesti virtute recepta terram peccatoris maledictam arentem & sterilem compluendo sanctificat, irrigat, & fœcundat, quam nec sic complutam deserit radius diuini respectus, sed fouet & refouet, miris modis fructificare facit, ad maturitatem perducit, ipsamD que tandem mirabiliter alteratam in cœlum attrahit & adducit: Fouet post tempestatem huiusmodi & pluuiam lachrymarum serenitatem conscientiæ, & consolationem multiplicem infundendo; quod quædam anima deuota experiens, Post tempestatem, inquit, tranquillum facis, & post lachrymationem & fletum exultationem infundis: Refouet exhalando vaporem suauem meditationis, redamationis, & orationis cœlicæ & sinceræ; vnde & quandoque remittitur abundans pluuia lachrymarum, vt sic fiat huiusmodi pluuiæ generatio circularis; quandoque verò ros cœlicus cœlestis saporis, cœlestis dulcoris cibans & inebrians dulciter gustatores, hic Manna, hic aqua refectionis, hic ebrietas domus Dei. Per hunc radium seu respectum gelida resoluuntur, lutosa & lubrica restringuntur, marcida reuirescunt, & mortua reuiuiscunt. Hic radius fructiferam terram facit gratiam inspirando, matrem bonorum operum & nutricem; quæ & ad maturitatem perducit perseuerantiam tribuendo, quæ & deinde hanc terram virtute cœlesti mirabiliter alteratam, vacuatam grauitate grossitieque terrestri, E in cœlicamque naturam mutatam, velut concham cœlesti rore repletam, in cœlum attrahit, eleuat, & adducit. Cùm ergo Dei respectus sit tantæ efficaciæ, & virtutis, non mirum si Ecclesia Dei toties dum affectet, totiesque imploret: Hæc autem breuiter moralizasse sufficiat. Præmisis quoque concordat illa historia Euangelica Luc. 22. de peccato Petri respectu Domini, & fletu Petri amaro; Conuersus, inquit, Dominus respexit Petrum, & recordatus est Petrus &c. & egressus foras fleuit amarè. Notandus est ordo verborum; Conuersus, inquit, Dominus respexit Petrum: Ecce quòd Dominus miserendo priùs conuertit se ad peccatorem, quàm peccator ad eum: Ecce quòd priùs respicit peccatorem gratiam gratuitam inspirando, quàm peccator pœniteat de peccatis. Super quod Beda, sicut allegatur in Glossa; Respicere, inquit, eius, misereri est, quia non solùm cùm agitur pœnitentia, verum etiam vt agatur Dei misericordia

Luc. 22.
Beda.

Augustinus misericordia necessaria est. Super quod etiam Augustinus de consensu Euangelistarum, sicut A ibi similiter allegatur; Mihi, inquit, videtur illa respectio diuinitus facta, & sicut dictum est, respice & exaudi me, & conuertere Domine, libera animam meam, ita dictum arbitror, Conuersus Dominus respexit Petrum. Idem Hypognost. 50. Si peccator sola voluntate sua præsumat mundari, non potest, imò nec ex corde compungitur; quia Petrum, nisi Dominus respexisset, nunquam pœnitentia motus amarè fleuisset. Pœnitentia ergo res optima & perfecta, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum, sed omne datum optimum, Iacobus inquit Apostolus, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum. Beatus quoque Ambrosius libro nono super Lucam, Augustin. 1. contra Pelagium & Cœlestium de gratia Christi, & de peccato originali recitante, sic ait, Bonæ lacrymæ quæ culpam lauant; Denique quos Iesus respicit, plorant. Negauit primò Petrus, & non fleuit, quia non respexerat Dominus; negauit secundò, non fleuit, quia adhuc non respexerat Dominus; negauit & tertio, respexit Iesus, & ille amarissimè fleuit. Legant isti Euangelium, & videant Dominum B Iesum tunc intus fuisse cum à Sacerdotum principibus audiretur; Apostolum verò Petrum foris & deorsum in atrio cum seruis ad forum nunc sedentem, nunc stantem, sicut veracissima & concordissima Euangelistarum narratione monstratur. Vndè non potest dici, quòd corporalibus oculis eum Dominus visibiliter admonendo respexerit, & ideò quod ibi scriptum est, Respexit eum Dominus, intus actum est in mente, actum est in voluntate, misericordia Domini latenter subuenit, cor tetigit, memoriam reuocauit, interiore gratia sua visitauit Petrum, interioris hominis vsque ad exteriores lacrymas mouit, & produxit affectum.

Isidorus. Dicitque Isidorus 2. de summo bono 12. Quisquis peccatorum memoria compungitur ad lamenta, tunc Dei visitari se sciat præsentia: Nam tunc Petrus fleuit, quandò in eum Christus aspexit; vndè & in Psalmis, Respexit & commota est, & contremuit terra; gressus Dei sunt in corde hominis interioris, quandò bona desideria surgunt vt calcentur mala. Patet igitur quòd misericordia Dei & gratia pœnitentiam antecedit, sicut causa efficiens suum effe- C

Ier. 31. ctum. Quare & Ier. 31. in persona peccatoris conuersi, Postquam, inquit, conuertisti me,

Glossa. egi pœnitentiam. Glossa super postquam, non ante, non per me. Et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, confusus sum & erubui: Glossa, postquam, non ante non per me. Item Thren. vlt. Conuerte nos, Domine, ad te, & conuertemur; Glossa Conuerte nos per gratiam, & conuertemur quantum in nobis est arbitrio libertatis. Vndè, gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit. Gratia enim vocantis præcedit & excitat libertatem voluntatis; Nostrum est quod decidimus, Dei quod resurgimus; Homines enim caro sunt, spiritus vadens & non rediens: Non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis Dei; Notandum tamen quòd gratia Dei non conuertimur, nisi & nostra voluntate conuertamur.

Exod. 33. Nonnè & hoc idem ostendebat Dominus Mosi, Exod. 33. quandò dixit, Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuit? non dicit, miserebor & clemens ero qui hoc meruerit pœnitendo, sed cui gratis voluero, & cui placuerit mihi gratis. Quam expositio- D nem autorizans Apostolus ad Rom. 9. disputando de gratia & gratuita Dei voluntate, Mosi, inquit, dicit, Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cuius miserebor. Igitur non volentis; neq; currentis, sed miserentis est Dei. Et infra, Ergo cuius vult miseretur, & quē

Hos. vlt. vult indurat. Nonnè & hoc testatur dominus Hoseæ vlt. cum sic dicit, Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontaneè? Glossa, sola misericordia, quia ipse prior dilexit nos. Nonnè & hoc est quod dicit Dominus populo peccatrici Esa. 52. Gratis venundati estis & sine argento redimemini? Glossa, sine argento, nullo merito vestro, sed gratuito Dei beneficio. Et quid aliud sensit Propheta dicens Deo, Pro nihilo saluos facies eos, Psal. 55. pro nihilo, pro nullo scilicet merito præcedente, sed gratia tua sola? Vndè August. illud exponens, Nullis, inquit, eorum meritis præcedentibus saluos facies eos; Qui prius fui blasphemus, inquit, & persecutor, & iniuriosus, sed misericordiam consecutus sum. Accipiebat literas à Sacerdotibus, vt vbicunq; inueniret Christianos, alligaret & adduceret. Nulla ergo huius bona merita præces- E serant, imò talia præcesserant, de quibus damnaretur; nihil boni attulit, & saluus factus est. Pro nihilo saluos facies eos; non afferrent hircos, arietes, tauros, non dona & ornamenta afferrent templo tuo; non aliquid de conscientia bona libaminis superfundunt, totum in illis tetrum, totum asperum, totum detestandum, & cum ad te illi nihil afferant vndè saluentur, pro nihilo saluos facies eos, id est, gratis data gratia. Qui & de gratia & lib. arbit 49. Per Spiritum Sanctum, inquit, operatur in cordibus electorum bona, qui operatus est vt ipsa corda essent ex malis bona. Et sequitur 50. Suspicentur homines quælibet merita bona quæ putant præcedere, vt iustificentur per Dei gratiam, non intelligentes, cum hoc dicunt, nihil aliud quam negare se gratiam. Quid aliud est quod veritas ipsa dicit; Nemo potest venire ad me, nisi

A Pater, qui misit me, traxerit illum, Iohan. 6. Secundum istos tamen peccator primò meritoriè pœnitendo, potius traheret ad se Patrem & Filium quàm è contra. Quid aliud intellexit Apostolus, quando dixit; Ignoras quoniam benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit? ad Rom. 2. Benignitas ergo Dei pœnitentiam antecedit, efficit, & producit. Et 2. ad Tim. 2. Ne quando det illis Deus pœnitentiam. Dat ergo Deus pœnitentiam per gratiam præcedentem. Quæ & Augustinus pertractans, 5. contra Iulianum 5. Nullum, inquit, eligit dignum, sed eligendo efficit dignum; nullum tamen punit indignum. Ait, inquis, Apostolus; Bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit; verum esse constat, sed quem prædestinauit, adducit, quamuis ipse secundum duritiam suam, & cor impœnitens, quantum ad ipsum attinet, thesaurizet sibi iram in diem iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua. Quantamlibet enim præbet patientiam, nisi ipse dederit, quis aget pœnitentiam? An oblitus es, quod idem ipse Doctor ait; Ne fortè det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis; sed iudicia eius sicut multa abyssus. Qui & de vera, & de falsa pœnitentia, 16. Cùm, inquit, opus sit non hominis, sed Dei fructifera pœnitentia, inspirare eam potest quandocunque sua misericordia, & remunerare ex misericordia, quos damnare potest ex iustitia. Quod & Glossa super illud ad Timotheum superius allegatum planissimè contestatur. Quare & in fine libri sancti Prosperi, pro Prædicatoribus gratiæ Dei contra librum Cassiani, vbi recitantur 13. capitula excerpta de gestis habitis contra Pelagium hæreticum & alijs eius libellis in Palæstina Synodo condemnata, vltimum asserebat, quòd pœnitentia non detur secundum gratiam & misericordiam Dei, sed secundum meritum & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerunt misericordia. Vbi & consequenter inter 13 sanctiones illas 13. hæreses destruentes 13ª. ita dicit; Vt fateatur secundum misericordiam & gratiam Dei veniam pœnitentibus dari, non secundum meritum eorum, quandoquidem & ipsa pœnitentia donum Dei dixit Apostolus, vbi ait de quibusdam; Ne forte det illis Deus pœnitentiam. Ex his autem patet correptio totius opinionis Pelagij generaliter & specialiter primæ partis: Nunc autem contra duas partes residuas, primò generaliter procedendum.

Ioh. 6. *Rom. 2.* *2. Tim. 2.* *Augustinus.*

Asserunt enim ambæ remissionem peccati & iustificationem iniusti precedere gratiam tempore vel natura. Sed secundum quod potest haberi ex vicesimo sexto huius, & secundum omnes Philosophicos & Theologicos tractatores, malum seu ipsa malitia & peccatum, malitiaque peccati non est aliquid positiuum, sed tantummodo priuatiuum. Nulla autem priuatio pellitur a subiecto, nisi per positionem habitus in subiecto, & hoc naturaliter præcedentem. Inductio namque & positio habitus est causa expulsionis & remotionis priuationis oppositæ. Non enim potest priuatio aliquo modo tolli, nisi per positionem habitus repugnantis manente subiecto susceptibili vtriusque. Nam quomodo tolletur mors nisi per vitam, cæcitas nisi per visum, tenebræ nisi per ‖ *lumen*, nuditas nisi per vestem, aut quomodo nescientia nisi per scientiam auferetur? Quomodo ergo tolletur malitia priuatiua, nisi per positionem habitus bonitatis causaliter, & ideo naturaliter præcedentem. Sola autem charitas seu gratia est huiusmodi habitus bonitatis, ipsumue post peccatum mortale restituens, & conseruans, sicut ex præmissis apparet. Peccatum etiam est immunditia, & priuatio munditiæ debitæ; quare non potest tolli nisi per positionem habitus munditiæ, charitatis, & gratiæ præcedentem: Non enim potest tolli per actum pœnitentiæ sine huiusmodi habitu, quia actus pœnitentiæ nequaquam per se ei repugnat, & quia tunc cessante actu, rediret immunditia peccatorum. Quare & Dominus, Ezech. 36. ordinem istum mundationis insinuans; Effundam, inquit, super vos aquam mundam, & mundabimini, & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra. Glossa; Nota quòd cor nouum, & spiritum nouum dat post effusionem aquæ. Eundem quoque ordinem mundationis peccati per ignitum lapidem, seu per ignem, quo charitas figuratur, exprimens Esaias; Volauit, inquit, ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, vbi Septuaginta habent Carbunculus, quem forcipe tulerat de Altari, & tetigit os meum, & dixit; Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur, Esaiæ capitulo sexto. Super quod Glossa dicit; Quòd ille vnus sic volans est Christus à Patre missus, qui solus dimittit peccata, quæ dimittit tota Trinitas; & quòd ille calculus seu Carbunculus, est charitas, dicitque; Quòd illud Altare est Altare, quod Iohannes vidit in Apocalypsi, quod plenum calculis ignitis est, quibus possunt peccata purgari. Et nota ordinem euidenter expressum; Tetigi, inquit, hoc, scilicet charitate labia tua, scilicet priùs secundum naturam, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur posterius, scilicet secundum naturam, quare & dicit congruè; Auferetur.

‖ lucem, *Ezech. 36.* *Glossa.* *Esaiæ 6.* *Glossa.*

B C D E

Peccatum quoque est turpitudo, & priuatio pulchritudinis debitæ; quare non tollitur nisi per positionem habitus pulchritudinis repugnantis; charitas autem & gratia est animæ pulchritudo, vel illam restaurans. Quare & Augustinus super Psalmum 103um. tractatu primo, tractans illud Cantici Canticorum secundum translationem antiquam, Quæ est ista quæ descendit dealbata? Dealbata, inquit, quia non per se alba, & addit; Prius, inquit, fui blasphemus,& item; Fuimus enim & nos aliquando natura filij iræ sicut & cæteri, Accedit gratia illuminans & dealbans: Primò nigra fuisti, sed facta es alba ex gratia ipsius; Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Idem posset similiter argui, quia peccatum est iniustitia, infirmitas,& mors animæ peccatricis; gratia verò iustitia, sanitas,& vita animæ spiritalis, vel ipsam reportans. A

Adhuc autem specialiter contra primam istarum dicentem hominem se per se à peccato mundare; vel hoc est per actum mundum vel immundum. Si per mundum ipse priùs est mundus sicut ex præmissis apparet: Vnde & Matth.23. Væ vobis, &c. qui mundatis quod deforis est calicis & perapsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia? Pharisæe cæce, munda priùs quod intus est calicis & parapsidis, vt fiat illud quod deforis est mundum. Dicitque Apostolus ad Titum primo, Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum est, sed inquinatæ sunt mens eorum & conscientia. Nec per actum immundum. Quomodo namque posset immundus per suam immunditiam immundum purgare? Vnde & Ecclesiastici 34. Ab immundo quid mundabitur? & à mendace quid verum dicetur? Talis autem qui se per se à peccatis suis ||*emendat*, & sic gratiam promeretur, non habet orare cum cæteris Ecclesiæ filijs, Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, sed Domine, redde mihi iustitiam secundum exigentiam meritorum meorum; nec habet vlteriùs dicere, Et secundum multitudinem miserationum tuarum, sed iustitiarum tuarum, dele iniquitatem meam. Imò non hoc debet rationabiliter petere, cum non Deus, sed ipse iniquitates suas deleat, sicut dicit: Quare nec habet consequenter orare, Amplius laua me, &c. Asperges me Domine, hysopo & mundabor,&c. Talem quoque non oportet aliquod participium vendicare benedicti sanguinis Iesu Christi, qui pro multis erat effusus in remissionem peccatorum, sicut Euangelia & tota Dei Ecclesia contestantur: Potest enim se per se mundare. Non sic autem, non sic Dominus ipse sentit, cum per Esaiam 43. ita dicit, Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas, Ego sum, inquit, ego sum ipse, scilicet discretiuè, sic vt testantur Grammatici, id est, ego, & nullus alius, qui deleo iniquitates tuas: Ipse enim est Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Ioan. 1. & peccata mundi sicut Ecclesia tota canit. Quare & Theophilus sicut allegatur in Glossa, Quare, inquit, non dixit peccata mundi, sed peccatum? vt videlicet per hoc quod dixit peccatum, vniuersaliter peccatum videretur innuere, sicut consueuimus dicere, quod homo eiectus est de paradiso, id est omne genus humanum. Docetque Aug. super illum locum sermone 4°. quod vtrumq; istorum, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, debet accipi discretiuè modo prædicto. Qui etiam sicut allegatur in Canone de Consecrat. dist.4. Nemo. & 4. sentent. Lumbardi dist. 18. Nemo, inquit, tollit peccata mundi nisi Christus, qui est Agnus tollens peccata mundi. Cui & simile est illud infra, eodem, Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto, quod & similiter intelligit Aug. ibi sermone 5°. historia scholastica, alijq; Doctores, Hic scilicet, & non alius, sed hic solus; quibus & consonat illud Actor. 15. Qui nouit corda Deus testimonium perhibuit dans illis Spiritum Sanctum, &c. fide purificans corda eorum, & alia loca multa. Quare & Aug. in sermone de remissione peccatorum, sicut allegatur in Can. 1. q. 1. Vt euidenter. Vt euidenter, inquit, ostenderet Dominus, à Spiritu Sancto, quem donauit suis fidelibus, dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco sic ait, Accipite Spiritum Sanctum, & continuò subiecit, Si cui dimiseritis peccata, remittuntur ei, hoc est, Spiritus Sanctus dimittit, non vos. Idem super illud Ioan. 20. Accipite Spiritum Sanctum, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, part. 2. homilia 67. seu 121. totius, sic ait; Ecclesiæ charitas quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum suorum peccata dimittit; Eorum autem qui non sunt eius participes, tenet; ideo postea quàm dixit, Accipite Spiritum Sanctum, hoc continuò de peccatorum remissione, ac detentione subiecit. Quare & dicit Propheta, Emitte Spiritum tuum, & creabuntur,& renouabis faciem terræ, Psalmo 103. Super quod Aug., Pauperes, inquit, spiritu noluerunt habere spiritum suum, habebunt spiritum Dei; hoc enim dixit, Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Emittes spiritum tuum & creabuntur: Ipsius enim figmentum sumus, dicit Apostolus creati in operibus bonis. A spiritu eius accepimus gratiam, vt iustitiæ viuamus, quia ipse est qui iustificat impium

Marginalia: B; || *emendat*; C; *Theophilus.*; D; E

A impium. Auferes spiritum eorum, & deficient; emittes spiritum tuum & creabuntur, & innouabis faciem terræ, id est, nouis hominibus confitentibus se iustificatos esse, non à se iustos, vt gratia Dei sit in illis. Vide quales sint, quibus innouata est facies terræ. Paulus dicit; Plus enim illis omnibus laboraui, Quid est Paule? attende si tu sis spiritus tuus; Non ego inquit, sed gratia Dei mecum. Quid ergò, quia cum abstulerit spiritum nostrum, in puluerem nostrum conuertimur, vtiliter intuentes infirmitatem nostram, vt accepto eius spiritu recreemur. Dicit quoque Propheta; Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob, remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum, Psal. 84. Cui & concorditer Augustinus super illud Psalm. 31. Beati, quorum, &c. Psalmi inquit, titulus intelligentiæ vocatur. Prima ergò intelligentia vt noueris te peccatorem; consequens intelligentia est, vt cum ex fide per dilectionem benè cœperis operari, nec hoc viribus tuis, sed gratiæ Dei deputaueris, quia totum gratiæ eius deputatur, non meritis nostris; Beati, quorum re-
B missæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata; si texit Deus peccata noluit aduertere. Vbi & Ieronymus; Quibus Deus dimittit peccata, tegit. Quibus autoritatibus recitatis à Petro, 4°. Sentent. Dist. 18. Ex his, inquit, apertè ostenditur, quòd ipse Deus pœnitentem soluit à debito pœnæ, & tunc soluit, quandò intùs illuminat inspirando cordis veram contritionem; cui sententiæ ratio suffragatur, & autoritates attestantur. Nemo enim de peccato verè compungitur, habens cor contritum & humiliatum nisi in charitate; qui autem habet charitatem, dignus est vita; Nemo autem simul dignus est vita & morte, non est igitur tum ligatus debito æternæ mortis. Filius enim iræ esse desinit, ex quo diligere & pœnitere cæpit; Solus ergò Deus hominem interiùs mundat à macula peccati, & à debito æternæ pœnæ soluit, qui per Prophetam ait; Ego solus deleo iniquitates & peccata populi. Et infra, varia Doctorum sententia recitata; Ecce, inquit, quàm varia à Doctoribus traduntur. & in hac tanta varietate quid tenendum? hoc sanè dicere ac sentire possumus, quòd solus Deus dimittit peccata & re-
C tinet, & tamen Ecclesiæ contulit potestatem soluendi ac ligandi: sed aliter ipse soluit vel ligat, aliter Ecclesia. Ipse enim per se tantum ita dimittit peccatum, quia & animam mundat ab omni interiore macula, & à debito æternæ mortis soluit; Et addit infra; Ostensum est, inquit, qualiter Sacerdotes dimittunt peccata vel retinent, & tamen retinuit sibi Deus potestatem quandam singularem dimittendi vel retinendi, quia ipse solus per se debitum æternæ mortis soluit, & animam interiùs purgat. Talis quoque non eget alio Saluatore vel medico; scilicet Iesu Christo: Potest enim seipsum saluum facere, & sanare; imo nec medicus iste nenquam saluat à peccato vel sanat, sed quilibet semetipsum: Frustrà ergò venit quærere, & saluum facere quod perierat, Luc. 19. Frustra vocatum est nomen eius Iesus, id est, salutaris vel Saluator, cum nemini sit causa salutis, sed quilibet sibiipsi. Iste ergò molitur extinguere, seu peruertere nomen Christi. Non sic autem, non sic, sed potiùs nomen suum conuertat, & qui fuit Pelagianus, fiat Christianus; qui fuit discipulus Pelagij in perfidiæ Pelago naufragantis, *Luc.* 19.
D fiat discipulus Iesu Christi à peccati Pelago liberantis. Quare & Angelus Domini dixit Ioseph; Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum à peccatis eorum, Math. 1. Cui & concorditer Petrus repletus de spiritu sancto, de Domino Iesu Christo, dixit, quod non est in aliquo alio salus; nec enim nomen aliud est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, Act. 4. Quod & benè videns Propheta; Tu es, inquit, ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Iacob, Psalmo 43. & suprà 26. Dominus, inquit, illuminatio mea, & salus mea. Et infrà 40. Sana animam meam, quia peccaui tibi; Et interiùs, 102. qui sanat omnes infirmitates. Quare & Ierem. 17. Sana, inquit, me Domine, & sanabor; saluum me fac, & saluus ero; quibus & multa similia occurrunt sæpissimè in Scriptura Item sicut tangebatur superiùs; Quomodò potest mortuus mortuo vitam dare? mortuus mortuum suscitare? Nullus enim potest facere opus vitæ, nisi habeat priùs vitam quilibet autem peccator mortaliter, est spiritualiter mortuus. Quis etiam hominum præsumit de se tantum, vt pos- *Matth.* 1. *Act.* 4. *Psal.* 43. *Psal.* 26. *Psal.* 40. *Psal.* 102. *Ierem.* 17
E sit corporaliter mortuũ coporaliter suscitare? quis ergò præsumet se posse spiritualiter mortuum, spiritualiter suscitare, cum hoc sit tantum vel magis, sicut spiritus & vita spiritualis est tantus seu tanta, vel major corpore, corporalique vita? Vndè Anselmus de lib. arb. 10. Cum, inquit, libera voluntas deserit rectitudinem, seruit peccato per impossibilitatem per se recuperandi eam. Sic ergo fit spiritus vadens & non rediens, quoniam qui facit peccatum, seruus est peccati. Quippe sicut nulla voluntas, antequam haberet rectitudinem, potuit eam Deo non dante, capere, ita cum deserit acceptam, non potest eam, nisi Deo reddente, recipere; Et maius miraculum æstimo, cum Deus voluntati desertam reddit rectitudinem, quam cum mortuo vitam reddit amissam: Corpus enim necessitate moriendo non peccat, vt vitam nunquam recipiat; voluntas verò per se rectitudinem deserendo, meretur vt illâ semper indigeat.

digeat. Idem secundo, Cur Deus homo decimo sexto. Mirabilius inquit, Deus restaurauit humanam naturam, quam ||*instituit* (Aequaliter enim vtrunque Deo facile est) sed homo antequam esset, non peccauit, vt fieri non deberet; postquam verò factus est, peccando meruit, vt quod & ad quod factus erat, perderet; tanto ergo mirabilius Deus illum restituit quam instituit, quanto hoc de peccatore contra meritum, illud non de peccatore nec contra meritum fecit. Chrysostomus quoque sicut allegatur in Glossa super illud Luc. 5. Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, surge & ambula? Palam, inquit, est quia consolidare corpus facilius est; quanto namq; nobilior est anima corpore, tanto est excellentior absolutio criminum. Verum quia illud non creditis, eo quod lateat, adijciam quod minus est, apertius tamen, quatenus quod est magis occultum per hoc demonstretur. Quibus & concorditer Augustinus super illud Psalmi 9. Narrabo omnia mirabilia tua; Narrat, inquit, omnia mirabilia Dei, qui ea non solum in corporibus palam, sed in animis inuisibiliter quidem, sed longè sublimius, & excellentius fieri videt. Nam terreni homines, & occulis dediti magis mirantur resurexisse in corpore Lazarum mortuum, quam resurrexisse in anima persecutorem Paulum. Dicit quoque Propheta loquens ad Deum, Nunquid mortuis faciet mirabilia, aut medici suscitabunt, & confitebuntur tibi? Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra obliuionis? Psal. 87. Quid autem hæc aliud significare videntur, nisi quòd solus Deus facit mirabilia spiritualiter, mortuos & sepultos, perditos & oblitos sua præueniente gratia suscitando; Vndè Augustinus primum horum versuum exponendo Medici, inquit, Ecclesiastici, quamuis non de suo curent, quia nec Medici corporis curant de suo, tamen quantumlibet per fidele ministerium opitulentur saluti, viuentes curare possunt, non mortuos excitare de quibus dictum est, Nunquid mortuis faciet mirabilia? Nimis enim occulta Dei gratia est, qua hominum mentes quodammodò reuiuiscunt, vt possint à quibuslibet eius ministris præcepta sanitatis audire; quam gratiam commendat in Euangelio dicens, Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum, & paulo post, Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Supra dixerat, Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt, & tanquam huius rei causam exponens, Propterea, inquit, dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi ei fuerit datum à Patre meo, vt ostenderet etiam ipsam fidem, qua credit, & ex morte sui cordis anima reuiuiscit, dari nobis à Deo. Quantumlibet ergo ex ipsa, excellentes verbi prædicatores, & veritatis etiam per miracula suasores tanquam magni medici agant cum hominibus, si mortui sunt, & tua gratia non reuixerint; Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici resuscitabunt, & hi quos exuscitabunt, confitebuntur tibi? hæc enim confesio indicat viuos. Nam sicut alibi scriptum est, A mortuo velut qui non sit, perit confessio; qui & ad eandem sententiam sequentes versus exponit, super tertium ita dicens; Nec medici impios suscitabunt vt confiteantur tibi in quibus occulta tua gratia non operatur, qua trahantur vt credant, quia nemo venit ad me, nisi quem tu attraxeris. Petrus insuper 4. Sent. dist, 18. dicit quòd purgationem animæ à macula peccati, solus Deus facit, qui solus suscitat animam & illuminat, quod Sacerdotes nequeunt qui tamen sunt Medici animarum. Vndè Propheta, Nunquid Medici suscitabunt & confitebuntur tibi? Item Ecclesiastici decimo septimo; A mortuo quasi nihil, perit confesio, vel secundum aliam translationem, A mortuo velut qui non sit, perit confessio. Qui ergo confitetur peccatum, non quia confitetur, est viuus. Non enim potest mortuus facere opus vitæ, sed prius saltem natura est viuus, & ideo efficit opus vitæ. Istam quoque sententiam roborat expositio Sancti Augustini superius allegata. Qui & de verbis Domini Sermone octauo, Confitentur, inquit, siuè laudantes Deum, siuè accusantes nos ipsos. Pia est vtraque confesio, siuè cum te reprehendis qui non es sine peccato, siuè cum illum laudas qui non potest habere peccatum. Si autem benè cogitemus, reprehensio tua laus ipsius est? Quare enim iam confiteris in accusatione peccati tui, in accusatione tui ipsius, quare confiteris nisi quia ex mortuo factus es viuus. Scriptura, quippe ait, A mortuo quasi qui non sit, perit confesio. Si perit à mortuo confessio, qui confitetur, viuit; Et si peccatum confitetur, vtique à morte reuixit. Si peccati confessor reuixit à morte; quis eum suscitauit? Nullus mortuus est sui ipsius suscitator; quis eum suscitauit? Nisi qui remoto lapide clamauit, dicens, Lazare prodi foras. Quid est autem foras prodire, nisi quod occultum erat, foras prodere? qui confitetur, foras prodit; Foras prodire non posset nisi viueret, viuere non posset nisi Dei vocatio esset. Dicitque Bernardus De gratia & libero arbitrio 23. Ait Apostolus, Quid habes quod non accepisti? crearis, sanaris, saluaris, quid horum tibi ex te O homo? quid horum non impossibile libero arbitrio, nec creare qui non

Marginalia: ||instaurauit; *Psal. 87.*; *Bernardus.*; section letters A, B, C, D, E.

A non eras, nec iustificare peccator, nec mortuus poteras teipsum resuscitare, vt cætera prætermittam bona, quæ aut sanandis necessaria sunt, aut saluandis reposita. Quod dicimus de primo, patet & vltimo, sed & de medio nemo dubitat, nisi qui ignorans Dei iustitiam, & suam volens constituere, iustitiæ Dei non est subiectus: Quid enim agnoscis creantis potentiam, saluantis gloriam, & sanantis ignoras iustitiam? Sana me, ait, & sanabor, saluum me fac, & saluus ero, quoniam laus mea tu es. Iustitiæ Dei iustitiam agnoscebat, à quo sperabat æquè tam saluari à peccato, quàm à miseria liberari, ideo illum & laudem suam, non se merito statuebat. Quis est qui est, qui ignorat Dei iustitiam? quis seipsum iustificat? quis est qui seipsum iustificat? qui merita sibi aliundè præsumit quàm à gratia. Cæterum qui fecit, quod saluaret, etiam dat vnde saluet. Ipse merita, inquam, donat, qui fecit quibus donaret. Et sequitur 24. Igitur qui rectè sapiunt triplicem confitentur operationem, non quidem liberiarbitrij, sed diuinæ gratiæ in ipso, siue de ipso; prima, creatio; secunda, reformatio; tertia, est consummatio.

B Siquidem quod non erat, in illo creari oportuit, quod erat, per formam reformari deiformem, membra non perfici nisi cum capite. Ex his apparet, quòd solus Deus viuificat, & resuscitat per gratiam mortuos per peccatum: Quod bene aduertens Propheta; Viuificabis, inquit, nos; & nomen tuum inuocabimus, Psalmo 79. Viuificabis nos, ita solus vitam gratiæ inspirando, & hoc primo, & viuificati nomen tuum inuocabimus viua inuocatione secundò. Et infra 84. Deus, tu conuersus, vel secundum aliam literam conuertens, viuificabis nos; tu, inquam, singulariter, discretiuè conuersus ad nos per beneficium gratiæ, seu conuertens, viuificabis nos. Et infra 118. In æquitate tua viuifica me, in æquitate, inquam tua, non mea; vbi habet litera Augustini; In iustitia tua viuifica me. Super quod dicit; *Augustinus.* Non in mea, sed in tua iustitia viuifica me, hoc est, charitate; quia in me vnde morerer, habui; vnde autem viuam, non inuenio nisi in te. Et infra; Secundum misericordiam tuam viuifica me, & custodiam testimonia oris tui; Secundum misericordiam tuam, non secundum

C iustitiam meritorum viuifica me, & hoc primò, & custodiam testimonia oris tui secundò. Quare & Medicus noster, salus, & vita; Sicut, inquit, Pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & Filius quos vult, viuificat, Iohan. 5. Hi ergo suscitant spiritualiter mortuos, non mortui semetipsos, &c. hoc gratuita voluntate, non pro suscitatorum merito præcedenti, Filius, inquit, quos vult, viuificat, non eos qui viuificari merentur. Solus enim Deus potest de lapidibus, de lapideis hominibus, frigidis, siccis, & duris, filios Abrahæ suscitare, sicut ex Matthæo & Luc. tertio, sciri potest: Tertium autem prædictorum errorum sufficienter rectificant prælibata.

Secunda autem opinio principalis affirmans gratiam naturaliter præcedere remissionem peccati, & iustificationem iniusti, bifariam dispertitur: Aliqui namque dicunt, quòd gratia secundum id quod est absolute, præcedit remissionem peccati, & iustificationem iniusti, non autem in quantum est gratia, sed sic subsequitur hanc & illam: Alij verò ponunt, quòd gratia

D in quantum est gratia, naturaliter hæc præcedit. Prima autem istarum discordat parum vocaliter à principali opinione Pelagij recitata, realiterque concordat; quæ ideò potest corrigi sicut illa, accipiendo gratiam & cæteros terminos requisitos cum reduplicatione ad mentem Scripturæ Canonicæ & Doctorum. Quæ & posset alijs vijs quampluribus ad veritatem reduci: sed quia videtur nimium puerilis, non est ei viriliter resistendum; ætas enim prouectior, & intellectus maturior hanc fugabit. Habentes autem intellectum, & sensus magis digestos, ponentesque gratiam in quantum est gratia præcedere remissionem peccati, & iustificationem iniusti, dupliciter variantur: Aliqui namque dicunt gratiam præcedere iustificationem mediatè, alij verò immediatè. Primi quippe istorum affirmant, Deum primò naturaliter gratis infundere gratiam peccatori, ipsumq; peccatorem secundo ordine naturæ elicere aliquem actum purgatiuum peccati, & sic per actum huiusmodi mediantem mereri, & consequi remissionem peccati: Et isti circa actum illum medium diuersimodè sentientes, in quinque se-

E ctas diuiduntur vlterius speciales. Prima existimat, quòd ille actus medius purgatiuus sit cordis contritio; Secunda, quòd sit oris confessio; Tertia, quòd sit absolutio; Quarta, quòd sit operis satisfactio; Quinta, quòd sit pœnitentia sacramentalis, qualis in Ecclesia celebratur integra & perfecta: non enim putant sufficere aliquam partem solam. Prima quidem istarũ, quæ videtur subtilior cæteris, opinatur Deũ primo naturaliter dare gratis gratiã peccatori; ipsumq; peccatorẽ secundo ordine naturę diligere gratis Deũ; & tertio naturaliter pœnitere, & per hęc mereri remissionẽ peccati, offensæ diuinæ, pœnę æternę, amicitiã diuinã, & vitã ęternam, sicq; quarto ordine naturali percipere dimissionem peccati, quintò remissionem offensæ diuinæ, sextò relaxationem pœnæ æternæ, septimò reconciliationem amicitiamque diuinam, octauò vitam æternam, licet hæc omnia tempore, seu instanti temporis potiùs simul fiant. Hanc autem

autem opinionem videntur Doctores quamplurimi profiteri, quibus & consentire videtur Glossator decretorum super principium primæ distinctionis de pœnitentia, materiam istam tractans: Dicit enim quod gratia præcedit contritionem tanquam causa, & contritio remissionem similiter sicut causa. Et infra, Nota, inquit, quod hæc omnia simul sunt tempore, iustificatio, contritio, dilectio, remissio, sed quædam tamen ex his naturaliter præcedunt, & priora sunt naturâ: Necesse enim habeo intelligere quòd priùs quis habeat gratiam quàm conteratur; præcedit ergo gratia, sequitur dilectio, quoniam qui gratiam habet, diligit, quam sequitur contritio; qui enim diligit conteritur; sequitur remissio; qui enim conteritur ei remittitur. Autoritates autem plurimæ, quas illa prima distinctio de pœnitentia recitat Gratianus, & Petrus 4. sentent. dist. 17. quarum & aliquæ pro Pelagianis superiùs recitantur, videntur planè testari, peccata per solam contritionem dimitti. Quibus & ratio suffragatur; || *Aliter* enim videretur superfluum conteri de peccatis; cùm etiam pœnitere sit liberum homini, posset accepta gratia non pœnitere, & ita esse iustificatus & iustus sine aliqua pœnitentia post vel ante: Verùm istam opinionem videntur corripere rationes per viam meriti contra primam opinionem Pelagianorum præmissæ. Hanc etiam corrigunt rationes per viam vitæ & mortis, sanitatis & infirmitatis, bonitatis & malitiæ arboris siue terræ, & aliæ similes contra Pelagianos adductæ. Dilectio namque & contritio, quibus peccator meretur remissionem peccati, sunt opera viua, sana, & bona; quare & ipse prius natura est viuus, sanus, & bonus, sicut superius plenius est deductum, sicut & euidenter testantur Anselmus de Concordia 9. Augustinus 1. || *ad* Simplicianum 24. sicut tangebatur superiùs, & trigesimum nonum plenius allegauit. Item sicut per vigesimum sextum huius patet, & per omnes Doctores concorditer, peccatum seu peccati malitia non est aliquid positiuum, sed tantummodo priuatiuum, & non contritionis nec alicuius actus omnino, quia tunc cessante actuali contritione, vel illo alio actu quocunque, statim rediret peccatum. Est igitur priuatio habitus alicuius, qui ei opponitur positiuè, & hoc immediatè in subiecto disposito, sicut lux & tenebræ: Iste autem habitus oppositus immediate peccato est gratia, per gratiamuè suppletur, vel gratia necessario ipsum immediate restituit peccatori; aliter enim posset quis simul esse in gratia, & in peccato mortali, quod præostensis repugnat. Gratia ergo infusa immediatè deletur peccatum, sicut per lucem tenebræ immediate tolluntur; vel statim gratia immediate restituit habitum oppositum immediate peccato, qui immediate per se tollit peccatum, sicque gratia, tantum illo habitu mediante tollit peccatum, sicut Sol tenebras aëris, tantum suo radio mediante: Non ergo actu dilectionis aut contritionis causaliter & naturaliter mediante. Item gratia est prior naturaliter contritione, & contritio non est eius effectus necessarius, nec ipsam necessario inseparabiliter consequens, quia tunc omnis recipiens & habens gratiam semper necessariò pœniteret, quod constat esse falsum de Sanctis Angelis, de hominibus ante lapsum, de paruulis baptizatis post lapsum, de sanctis adultis in vita habentibus gratiam Dei semper, non dolentibus tamen semper, & de Domino Iesu Christo. Potest ergo gratia peccatori infusa pro tunc esse sine actu contritionis in ipso, sicut & post, sicuti etiam alij habitus infusi, possibilesque infundi, puta intellectuales & morales sine actibus proprijs esse possunt, præsertim cum contritio sit actus spontaneus liberæ voluntatis. Cum etiam gratia & contritio sint duo effectus Dei in corde contrito, & gratia prior naturâ, & contritio posterior, nec inseparabiliter ipsam sequens; quod si ponatur in esse, cum secundum hypothesin peccatum non tollatur nisi per actum contritionis, erit peccator simul in gratia & in peccato mortali; vel si in hoc casu peccatum tollatur sine actu contritionis, hoc est per aliquem habitum, oppositum immediatè peccato, qui est gratia, vel immediatè allatus per gratiam, sicut superius tangebatur; quare & prius similiter tollebatur: Habitus enim semel immediatè oppositus per se & essentialiter alicui priuationi, semper opponitur ei similiter, sicut ex secundo huius potest haberi. Si quis autem respondeat quod gratia non est habitus ille oppositus immediatè peccato, nec illum immediatè restituit, sed aliquo medio mediante; illud aliud vel est habitus, vel actus; Non actus propter præmissa; & quia ista responsio defendit dicentem in casu præmisso, peccatum deleri sine contritione, & actu peccatoris priori; Nec rationabiliter dici potest, quod illud sit habitus; quis enim est ille? Ille etiam habitus vel necessario & inseparabiliter consequitur gratiam, vel contingenter & separabiliter: Si contingenter & separabiliter possibile est quod gratia infusa sit sine illo; & quòd peccator sit simul in gratia, & in peccato mortali, sicut superius est argutum: Si necessario & inseparabiliter, eadem ratione ab initio fuisset dicendum habitum oppositum immediatè peccato, immediatè consequi gratiam: Per hoc enim in nullo minuitur sed augetur

Margin: || alias; || contra. Section letters A, B, C, D, E.

A tur potiùs difficultas, sicut facile est videre. Item quælibet forma, & quilibet habitus natu-
ralis, moralis, & intellectualis immediatè denominat suum formatum & habituatum, sicut
immediatè opponitur priuationi huius formæ, seu habitus, circa suum subiectum disposi-
tum, puta lux lucidum, iustitia iustum, sapientia sapientem, & ita de alijs vniuersis. Cur igi-
tur gratia & charitas non immediatè denominat quenquam gratum, & charum, maximè
cùm esse gratum & non esse gratum, seu esse non gratum, siue ingratum, sicut charum &
acharum, circa subiectum dispositum, puta circa creaturam rationalem, sint immediatè op-
posita priuatiuè? Cur etiam gratia, seu charitas quæ est vita spiritualis, sanitas, & pulchritu-
do habentis non immediatè denominat ipsum viuum spiritualiter, sanum, & pulchrum, si-
cut vita, sanitas, & pulchritudo cuiuspiam naturalis denominat naturaliter ipsum talem?
Cur etiam gratia non immediatè efficit & denominat magnos gratos, sicut facit paruulos
baptizatos, sicut & primos homines, si fuerunt creati in gratia, vel ante peccatum, gratiam
B habuerunt, sicuti etiam Angelos, cùm secundum illud vulgatum Philosophi, Vnum in
quantum vnum natum sit facere semper vnum. Item ad inductionem peccati mortalis sta-
tim immediatè consequitur expulsio gratiæ; quare & eodem modo è contra simili ratione.
Hanc etiam opinionem rectificant Autoritates præmissæ, dicentes, Peccatorem iustificari per
gratiam Dei gratis, non ex operibus, aut meritis præcedentibus peccatoris, quod & Auto-
ritates & rationes quamplures contra opiniones Pelagianorum præmissæ concorditer atte-
stantur: Hæc eadem opinio propter multa alia eius dicta, posset & multipliciter aliter casti-
gari. Secunda dictarum sectarum tali innititur rationi: Si ante oris confessionem dimittan-
tur peccata, non est necessarium confiteri: Qua etenim ratione tenetur homo confiteri pec-
cata, quæ non dubitat esse dimissa? Cur etiam non similiter teneretur baptizatus adultus no-
uiter confiteri peccata in baptismo dimissa, quod nullus dubitat esse falsum? Quare & Do-
minus præcipit, dicito prior iniquitates tuas, vt iustificeris Esaiæ 43. secundum Translatio- *Esai.43.*
C nem Septuaginta, vt recitat ibi Glossa. Augustinus quoque super illud Psalmi 74[i]. Confi- *Glossa.*
tebimur tibi Deus, confitebimur, & inuocabimus nomen tuum, Confitere, inquit, & inuo- *Augustinus.*
ca. Confitendo enim mundas teipsum, quo veniat inuocatus, Ante inuocationem præcedit
confessio, confessio tua te mundat. Qui & super illud Psalmi 95. Confessio & pulchritudo in
conspectu eius, Pulchritudinem, inquit, amas? Vis esse pulcher? confitere; non dixit pulchri-
tudo, & confessio, sed confessio & pulchritudo: Fœdus eras? confitere vt sis pulcher: Pecca-
tor eras? confitere, vt sis iustus; confessio & pulchritudo in conspectu eius. Confiteantur e-
nim peccata sua, vomant mala quæ auidè vorauerant, non redeant ad vomitum suum sicut ca-
nis immundus, & erit confessio & pulchritudo. Amamus pulchritudinem, priùs eligamus
confessionem, vt sequatur pulchritudo. Istam quoque sententiam planè testatur expositio
Augustini super illud Psalmi 103. Confessionem & decorem induisti *; & super illud Psal.84. *Augustinus.*
Iustitia ante eum ambulabit &c. superiùs recitata. Dicitque Ambrosius in libro de Paradiso, * amictus
sicut allegatur de pœnitent. dist. 1. Alij è contra, & 4. sent. Petri, dist. 17. Non potest quisquam lumine si-
D iustificari à peccato nisi fuerit ante confessus: Qui & in sermone quadragesimæ, sicut eisdem cut vesti-
locis similiter allegatur; Confessio, inquit, animam à morte liberat, confessio aperit paradi- mento. *Ambrosius.*
sum, confessio spem salutis tribuit. Item August. de vera & falsa pœnitentia 13. & allegatur *Augustinus.*
locis prædictis, In hoc, inquit, quòd pœnitens per se ipsum dicit Sacerdoti, & erubescentiam
vincit timore offensi, fit venia criminis: Fit enim veniale per confessionem, quod criminale
erat in operatione; vtroque etiam loco prædicto multæ Autoritates similes recitantur. Ve-
rum correptio huius sectæ ex correptione sectæ prioris sequitur euidenter: Si namque cordis
contritio procedens à gratia non præcedit deletionem peccati, multo magis nec oris confessio
cùm hæc sit posterior. Per eadem quoque per quæ reducta fuerat prima secta, potest & secun-
da reduci. Peccatum enim est priuatio quædam tantum, & non confessionis nec alicuius actus,
quia tunc cessante confessione, vel illo actu, rediret peccatum: Est igitur priuatio habitus ali-
E cuius, qui vel est gratia, vel per gratiam restitutus, sicut superius est ostensum, & hoc ante
confessionem nedum natura, sed tempore, quando gratia ingrato gratis infunditur, & conteri-
tur de peccatis, sicut & præhabita manifestant. Item si peccatum mortale non deleretur ante
oris confessionem in peccatore recipiente gratuitam gratiam & contrito, volenteque confi-
teri, & Confessorem diligenter & diu quærente, starent diu simul gratia & peccatum mor-
tale, quod erat superiùs reprobatum. Quis etiam Catholicus dubitat in peccatore ex gratia
iam infusa debitè pœnitente, & confiteri volente, ac confessionem diligenter quærente, pec-
cata ante confessionem dimitti, ipsumque, si moriatur in via versus Sacerdotem, saluari; &
si huic sic mortuo ante confessionem dimittantur peccata, cur non similiter si vixisset donec
ad Sacerdotem venisset? cur non similiter alteri simili non morienti in via, sed vsque post con-
fessionem

fessionem viuenti? quæ ratio diuersitatis? quæ causa varietatis cæteris paribus circa istos? A
Hoc autem & illi decem viri leprosi, qui ad iussionem Dominicam dum irent quærere Sacerdotes vt se eis ostenderent, sunt mundati, de quibus Luc. decimo septimo, lucidè manifestant. Quod etiam euidenter ostendit ille leprosus, quem Dominus primò, manu tetigit, & mundauit, & postea præcepit, vt ostenderet se Sacerdotibus, & offerret quod præcepit Moses in testimonium illis offerri, sicut Matth. 8. & Marc. 1. plenius recitatur. Ostenderet, inquam, se per Confessionem oris, & offerret quod præcepit Moses per satisfactionem operis, quod lex iubet. Quis etiam dubitat infidelem adultum ad prædicationem fidelis conuersum corde, & credentem in Christum, volentem baptizari, & quærentem diligenter Baptistam; etiam ante baptismum aquæ, baptismo flaminis à mortalibus omnibus baptizari, & si sic decedat, saluari, sicut satis ostenditur quarto Sent. Petri distinct. 4. Et extra, de Baptismo & eius effectu: Debitum. Cur ergo non similiter in Baptismo pœnitentiæ salutaris? Hoc idem probatur multipliciter, De pœnitent. distinct. 1. per leprosos prædictos, & Autoritates ac B
rationes quamplurimas efficaces: Verum est tamen quòd Gratianus arguit pro, & contra, & neutram partem affirmat, sed Lectoris iudicio derelinquit, sicut capitulo penultimo clarè patet. Autoritates verò & rationes pro sententia prima ibi adductæ efficaciter illam probant; quæ autem ad oppositum adducuntur, quædam magis probant propositum si inspiciantur subtiliter, quædam procedunt contra negligentes seu contemnentes oris Confessionem, & propositum confitendi, sicut totum patet ibi per Glossam, & per Petrum 4. Sentent. distinct. 17. vbi & sententiam istam probat & tenet. Tertia secta se fundat in clauium potestate. Non
Mat.16. enim falso aut frustra Dominus dixit Petro, Tibi dabo claues Regni Cœlorum; Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis; Et quodcunque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis, Matth. 16. Qui & generalius, Quorum, inquit discipulis congregatis, remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, Iohan. 20.
Iohan.20. Quis etiam Christianus ignoret, vicarium Christi in terris, & alios inferiores prælatos & C
Sacerdotes minores virtute harum clauium à peccatis absoluere pœnitentes? aliquos vinculo excommunicationis ligare, & aliquos soluere? Alias quoque vt arguit, superfluum esset absolui. Hæc autem secta ad intellectum Sectatorum stare non potest: Si enim neque cordis contritio, neque oris confessio præcedit deletionem peccati, sicut superius est ostensum, multo magis nec absolutio Sacerdotis, cum hæc, si fiat legitimè, sit
Lumbardus. post illas. Potest quoque secta hæc corrigi sicut proxima est correcta. Quare & Petrus 4. Sentent. Dist. 18. probat & tenet peccata esse deleta ante absolutionem à Sacerdote impensam. Item si in absolutione Sacerdotis dimittantur peccata, vel Sacerdos per absolutionem suam ea dimittit, vel Deus ad absolutionem illius. Sacerdos autem non propriè delet pecca-
Ambrosius. ta, sed solus Deus sicut superiùs est ostensum: Vndè & Ambrosius, sicut allegatur, 4. Sentent. Petri, Dist. 18. & de Pœnitent. Dist. 1. Alij è contra. Verbum, inquit, Dei dimittit peccata, Sacerdos est Iudex, Sacerdos quidem officium suum exhibet, sed nullius potestatis D
Hieronimus. iura exercet. Dicitque Hieronymus sicut allegatur in Glossa, super illud Matth. 16. Quodcunq; ligaueris, &c. & 4. Sent. Petri, dist. 18. Istum locum Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Leuitico de leprosis vbi iubentur ostendere se Sacerdotibus, & si lepram habuerint, tunc à Sacerdote immundi fiant, non quod leprosos, Sacerdotes faciant, & immundos; sed quod habeant notitiam leprosi & non leprosi, & possint discernere qui mundus, quiuè immundus sit. Quomodò igitur ibi leprosum Sacerdos immundum facit, sic & hic alligat vel soluit Episcopus vel Presbyter. Quis etiam vel leuiter æstimabit Sacerdotem absoluendo exteriùs, creare interiùs gratiam in anima peccatoris purgatoriam peccatorum, sicut superius est ostensum? Quare & Dominus præcepit per Mosen, Aaron, & filijs eius, dicens; Sic benedicetis filijs Israel, & dicetis eis; Benedicat tibi Dominus, & custodiat te; ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui: Conuertat Dominus vul- E
tum suum ad te, & det tibi pacem; Inuocabunt nomen meum super filios Israel, & ego be-
Num.6. nedicam eis, Numer. 6. Ego, inquit, scilicet solus benedicam eis, id est, effectum benedictionis, scilicet gratiam, augmentumue gratiæ intrinsecus dabo eis. Nec Deus ad absolutionem Sacerdotis, semper tribuit gratiam, vel dimittit peccata. Hujusmodi namque clauigeri harum cœlestium clauium possunt aliquoties delirare, ligando scilicet putatiuè & eorum iudicio aliquos, qui secundum veritatem & Dei iudicium, à peccati vinculo sunt soluti, & sol-
Origines. uendo similiter aliquos, qui veraciter sunt ligati. Quare & Origenes sicut recitat eum Petrus, 4. Sentent. Dist. 18. sic ait, Exiit quis à charitate, à fide, à veritate; per hoc exiit de castris Ecclesiæ,

A clesiæ, etiamsi Episcopi voce non abijciatur, sicut è contra: aliquis non recto iudicio foras mittitur, sed si non egit vt mereretur exire nihil læditur. Interdum enim qui foras mittitur, intus est, & qui foras est intus videtur retineri, quod & planè testatur Ieronymus superius allegatus. Quare & Petrus 4. Sentent distinct. 16. recitato dicto Ieronymi immediatè subiungit; Apertè hîc ostenditur, quòd non sequitur Deus Ecclesiæ iudicium quæ per surreptionem interdum, & ignorantiam quandoque iudicat; Deus autem iudicat semper secundum veritatem, & in remittendis, & in retinendis culpis. Cui & concorditer Innocentius tertius; Extra de sententia excommunicationis; A nobis sæpe quæsitum. Iudicium, inquit, Dei veritati, quę non fallit, neque fallitur, semper innititur; iudicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpè contingit & falli: propter quod, contingit interdum, vt qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus, & qui liber est apud Deum, Ecclesiastica est sententia innodatus. Quod & potest elici infra, eodem, Inquisitioni tuæ, & supra, de restitutione spoliatorum, Literas. Vbi traditur manifestè, quòd si alter coniugum post matri-
B monium celebratum, deprehendat pro certo impedimentum legitimum, quod tamen probare non potest, ratione cuius non possunt sine peccato mortali carnaliter commisceri, quantumcunque ad instantiam alterius coniugis per censuras Ecclesiasticas iudicialiter compellatur ad debitum carnale reddendum, nullo modo hoc debet, sed potius toto tempore vitæ suæ excommunicationis sententiam humiliter sustinere. Quarta secta videtur fundari in illo communi superius allegato; Non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum, cui & multa similia ibi similiter posita suffragantur. Quare & Leo Papa, sicut allegatur de pœniten. distinct. *Leo.*
1. & 4. Senten. Petri, dist. 17. Christus, inquit, hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt confitentibus pœnitentiæ satisfactionem darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Quapropter & Raphael Tobiæ 12. Eleemosyna, inquit, à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & *Tobiæ 12.*
facit inuenire vitam æternam. Vnde & Parab. 15. Per misericordiam & fidem purgantur pec- *Parab. 15.*
C cata; & Saluator, Luc. 11. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Quibus & *Luc. 11.*
multa similia, de ieiunio, & oratione, & de huiusmodi occurrunt sæpiùs in Scripturis. Hæc etiam potest similiter corrigi, sicut & aliæ sunt correctæ. Ex præcedentibus quoque patet nullius eleemosynas seu opera quælibet esse chara, grata, acceptaue Deo quamdiu ipse est in peccato mortali extra charitatem & gratiam, non charus, non gratus, nec acceptus ab eo. Vnde & Parab. 15. Victimæ impiorum abominabiles Domino, vota iustorum placabilia. Et *Parabol. 15.*
Ecclesiast. 34. Dona iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationibus iniquo- *Eccl siast. 34*
rum, nec in multitudine sacrificiorum propitiabitur peccatis. Et Esaiæ, 1. Ne offeratis, in- *Esai. 1.*
quit Dominus, vltra sacrificium frustra; Incensum vestrum abominatio est mihi, neomeniam, & Sabbata, & Festiuitates alias non feram; Iniqui sunt cœtus vestri; Kalendas vestras, & solennitates vestras odiuit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens; & cùm ex-
D tenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam; Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Quare & Gen. 4. Respexit, inquit, *Gen. 4.*
Dominus ad Abel, & ad munera eius; Ad Abel, inquit, scilicet ad offerentem seu dantem primò, & ad munera eius secundò, & propter dantem, ad munera, non è contra. Vnde & beatus Gregorius 22. Moral. 11. super illud Iob 31. Ostium meum viatori patuit; Ab omnipotente, *Gregorius.*
inquit, Deo munus ex manu non accipitur, quod corde obligato in malitia profertur. Mundari etenim prius debet animus, qui eleemosynam præbet, quia omne quod datur Deo, ex dantis mente pensatur. Cuncta itaque malitiæ macula ab interiori nostro homine cogitationis immutatione tergenda est, quia iram Iudicis placare nescit oblatio, nisi ex munditia placeat offerentis. Vnde scriptum est; Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain autem, & ad munera eius non respexit. Neq; etenim sacrum eloquium dicit; Respexit ad munera Abel & ad Cain munera non respexit, sed prius ait, quia respexit ad Abel, ac deinde subiunxit, & ad munera eius: & rursum dicit, quia Non respexit ad Cain, ac deinde subdit, nec ad munera eius:
E ex dantis quippe corde id quod datur, accipitur. Idcirco non Abel ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt. Prius namq; ad eum legitur Dominus respexisse qui dabat, quam ad illa quæ dabat. Qui & sicut recitat Gratianus, 14. quęst. 5. Scriptum: sic ait, Scriptum est, Victimæ impiorũ abhominabiles sunt Deo, & vota iustorũ placabilia. Neq; enim in Dei iudicio, quid, sed à quo || *detur*, inspicitur. Hinc est enim quòd scriptum est; Respexit Deus ad Abel & || datur,
ad munera eius; ad Cain autem & ad munera eius non respexit. Dicturus quippe quòd Dominus respexit ad munera, præmisit sollicitè, quia respexit ad Abel; ex qua re patenter ostenditur, quia non offerens à muneribus, sed munera ab offerente placuerunt. Dona quippe iniquorũ non probat Altissimus, nec respicit in oblationibus eorũ, nec in multitudine sacrificiorũ

propitiabitur

propitiabitur peccatis eorum. Item Augustinus de vera & falsa pœnitentia 14. Offerat, inquir, pœnitens Deo mentem, & cordis contritionem, deinde & quod potest de possessione, tunc quod offert, securus offerat. Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius, sed prius dicit ad Abel, quàm ad munera: Sumens enim mentem, quam cognouit humilem & puram, remunerauit eius largitatis munera. Idem Enchirid. 59. Qui, inquit, vult dare ordinate eleemosynam, à seipso debet incipere, & eam primitus sibi dare, & interiora mundare, sicut alibi legitur, Mundate quæ intus sunt, & quæ foras sunt, munda erunt. De hac eleemosyna admonens Dominus, Veruntamen, inquit, quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Quem & Petrus 4. sentent. dist. 15. sententialiter recitans, Hac, inquit, eleemosyna quam sibi debet homo primitus, mundantur interiora, ad quod hortans Christus ait, Mundate quæ intus sunt; Immundis enim nihil est mundum, sed polluta sunt eorum mens & conscientia. De ieiunio autem, oratione, & similibus simili ratione, similiter iudicandum. Quinta secta per hoc se munit, quod aliqua pœnitentia est remissiua peccati, sicut in principio fuerat allegatum, & quæ dignius quàm pœnitentia illa grata quæ procedit à gratia, exercetur in Ecclesia, & est saluberrimum sacramentum. Quare & Petrus 4. sent. dist. 1. definiens Sacramentum, Sacramentum, inquit, propriè dicitur, quod ita est signum gratiæ Dei, & inuisibilis gratiæ forma, vt ipsius imaginem gerat, & causa existat. Dicitque Augustinus, sicut allegatur 4. sent. Petri, dist. decima septima & de Pœnitentia, dist. 1. Agite pœnitentiam qualis agitur in Ecclesia, Nemo dicat sibi, occultè ago, Apud Deum ago, Nouit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago; ergo sine causa dictum est; Quæ solueritis in terra, erunt soluta & in cælis; ergo sine causa claues Ecclesiæ datæ sunt; frustramus etiam verbum Christi. Quamobrem & Petrus 4. sent. dist. 14. dicit quod pœnitentia exterior est Sacramentum & causa salutis & iustificationis, sicut superius plenius allegatus. Si etiam pœnitentia sit sacramentum, est sacræ rei signum; sic enim sacramentnm communiter definitur, & potest haberi ex Augustino 10. de Ciuit. Dei 11. & recitat Petrus 4. sent. dist. 1. Sed quid sanctiùs designaret, quàm sanctificationem peccatoris prophani & emendationem peccati? Aliter etiam videtur, quod tota pœnitentia sacramentalis esset superflua, vel saltem aliqua pars illius. Huius etiam sectæ viri possunt, per quæ & alij, refrænari. Quis etiam dubitat pœnitentem, ante pœnitentiam totam peractam, à peccato quoad culpam, à macula scilicet peccati esse mundatum, licet non à reatu pœnæ solutum? Quid aliter fieret de debitè pœnitente, confitente, pœnitentiam admittente, & illam debitè inchoante atque continuante, sed ante pœnitentiam peractam plenariè decedente? Quis nesciat talem ad purgatorium ignem transire? si tamen cum peccato mortali decederet, descenderet ad infernum, vbi tantum punitio non purgatio peccatorum. Quid etiam sentiendum de sero pœnitentibus in mortis articulo, in vltimo vitæ anhelitu & hiatu, nec perficientibus pœnitentiam debitam in præsenti? Decedunt tales cum peccatis suis mortalibus? Absit, Absit; peccat mortaliter qui hoc dicit, sicut nullus dubitat Christianus. Quis etiam nesciat Sacerdotem longam pœnitentiam pro peccato mortali agentem, posse missam licitè celebrare ante pœnitentiam consummatam? & cui dubium, nullum in peccato mortali posse licitè celebrare? Propter hæc ergo talia prælibata, videtur mihi opinio vltima esse vera, & gratiam præcedere iustificationem immediatè, nullo scilicet actu iustificati temporaliter vel naturaliter mediante: Ipsam quoque iustificationem iniusti præcedere secundum naturam actus, & opera eius iusta; ipsam insuper iustificationem in quocunque adulto aliquos actus iustos, puta dilectionem & contritionem semper de facto naturaliter consequi, & inseparabiliter comitari. Porro iuxta præmissa 23. & 25°. huius, credo, quod Deus intrinsecè, quantum scilicet ad actum seu affectum intrinsecum voluntatis, semper omnino æqualiter, æquè gratuito, æquè charè dilexit, diligit, & diliget iustificandum, seu iustificatum quemcunque, puta Paulum, ante conuersionem, in ipsa, & post ipsam. Credo etiam iuxta præmissa multis capitulis quod dilectio ista Dei æterna, sit purè gratuita, quia nullis præuenta meritis creaturæ; Quare & consequenter, vt in nullo sim ingratus gratissimæ & latissimæ gratiæ liberalissimi ac magnificentissimi Domini Dei mei; sed vt ei pro omnibus quæ tribuit mihi gratis, gratiam plenam retribuam, saltem beneficia eius in genere, generaliter agnoscendo iuxta prius ostensa, contra opiniones præmissas, Confiteor Deum meum, sicut æternaliter gratuito me dilexit, & æternaliter gratiam iustificatricem, tempore placito coram eo, mihi gratis conferre disposuit; sic tempore placito veniente, gratis infundere gratiam iustificantem mihi iniusto, iustificare me gratis, lauare iniustitias meas gratis, suscitare & sanare me gratis, debitum pœnæ æternæ dimittere mihi gratis, atque in pœnam temporalem vertere ipsam gratis, facere me filium regni gratis, & hoc, ipsum, non me, per ipsum, & per gratiam suam, non per me, sed in me, & de me, facere

A facere purè gratis. Vlterius autem iuxta Corollarium, 41. huius; Per ipsum, & per gratiam suam mihi gratis infusam, & per me simul ac in me, consequenter naturâ & inseparanter eius gratuitis beneficijs memoratis gratis facere meipsum Deum gratis diligere, & de offensis omnibus pœnitere: Eia ergò, Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius; Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Hoc etiam testificari videtur sancta Dei Ecclesia, ita canens: E sursum agnus mittitur laxare gratis debitum. Omnes pro indulgentia vocem demus cum lacrymis, laxare inquit gratis, non pro aliquo merito præcedenti debitum culpæ mortalis, & pœnæ debitæ æternalis. Quare & benè subjungit; Omnes pro indulgentia, scilicet culpæ & pœnæ prædicta, & naturaliter priùs facta vocem demus cum lacrymis, vocem scilicet interiorem dilectionis, cum lacrymis, id est, cum amaritudine contritionis, & actu pœnitentiæ subsequenter. Quod & Dominus per Esaiam 45. prædicens; Ipse, inquit, de Cyro sub typo Christi, captiuitatē meam dimittit, non in pretio, nec *Esaiæ 45.*
B in muneribus. Quare & Petrus 4. Sent. Dist. 18. Sicut, inquit, potestatem baptismi retinuit sibi Deus, ita & pœnitentiæ, & ideò sicut interiùs animam gratia sua illuminat, ita & simul debitum æternæ mortis relaxat: Ipse enim per seipsum pœnitentium peccata tegit, & tunc tegit quandò ad pœnam non reseruat. Tunc ergò tegit, quandò debitum pœnæ æternæ soluit. Quod autem ipse tegat, apertè dicit Augustinus, exponens illum locum Psalmi; Beati, quorum tecta sunt peccata, id est, cooperta, & oblita. Si enim || *texuit* Deus peccata, noluit aduertere, & si noluit aduertere, noluit animaduertere, id est, punire, sed ignoscere. Ita ergò dicit à Deo tecta, vt Deus non videat, id est, vt æternaliter non puniat. Videre enim Deum peccata, est ad pœnam imputare, auertere autem faciem à peccatis, hoc est, ea ad pœnam non reseruare. Item Ieronymus; Quibus Deus dimittit peccata, tegit, ne in judicio reuelantur. Item Cassiodorus; Qui grauia habent peccata, alijs Deus imputat, alijs per misericordiam non imputat. Ex his apertè ostenditur, quod ipse Deus pœnitentem soluit à debito pœnæ, & tunc soluit, quandò intùs illuminat, inspirando cordis veram contritionem, scilicet habitualem, id est *Lumbardus.* *Augustinus.* *|| texit.* *Hieronymus.* *Cassiodorus.*
C habitum charitatis seu gratiæ effectiuum contritionis, & ipsam tunc simul tempore facientem: quarè & immediatè subjungit; Cui sententiæ ratio suffragatur, & autoritates attestantur. Nemo enim de peccato verè compungitur, habens cor contritum & humiliatum, nisi in charitate; qui autem habet charitatem, dignus est vita; Nemo autem simul dignus est vita & morte; non est ergò tunc ligatus debito æternæ mortis. Filius enim iræ esse desinit, ex quo diligere & pœnitere cœpit, ex quo, inquam, diligere & pœnitere cœpit, scilicet habitualiter, id est, ex quo recepit charitatem quæ est habitus dilectionis & pœnitentiæ effectiuus, & tunc simul efficiens hanc & illam; & innuit hic rationem contra opinionem proximam priùs factam: quarè & immediatè post addit; Ex tunc ergò solutus est ab ira, quæ non manet super illum qui credit in Christum, sed super illum qui non credit. Hoc autem non potest intelligi, nisi de credere habitualiter, scilicet de fidem habere sicut credunt paruuli baptizati, & adulti dormientes,
D & actum fidei non habentes; vbi & statim infert; Non ergò postmodum per Sacerdotem, cui confitetur, ab ira æterna liberatur, à qua jam liberatus est per Dominum, ex quo dixit Confitebor, ex quo scilicet instanti temporis, proposuit confiteri, vel ex quo instanti naturæ dixit habitualiter, Confitebor, id est, recepit charitatem, seu gratiam quæ est habitus sic dicendi. Similiter quoque potest ostendi quod recepto habitu charitatis, non priùs naturaliter per actum pœnitentiæ liberetur ab ira, & à debito pœnæ æternæ, à qua priùs naturaliter fuit per illum habitum liberatus, sicut superiùs contra opinionem proximam pleniùs est deductum. Quare & subdit finaliter concludendo; Solus ergò Deus hominem interiùs mundat à macula peccati, & à debito æternæ pœnæ soluit, qui per Prophetam ait; Ego solus deleo iniquitates & peccata populi. In iustificatione autem peccatoris adulti, quamuis justificetur per habitū charitatis seu gratię antecedentē naturaliter actum dilectionis aut pœnitentiæ salutaris, actus tamen hujusmodi secundū legem statutā in justificato requiritur comitanter, velut quod-
E dam gratuitum consequens ex antecedente tam grato, & veluti quidam fructus sanctus ex arbore priùs mortua, sterili & maledicta, nunc autem viuificata, fæcundata, & sanctificata, procedens, veluti etiam conuersio quędam spontaneè peccatoris ad Deum, qui peccando ab eo spōtaneè se auertit, veluti insuper tristitia quædam spontanea peccatoris in reconciliatione ejus ad Deum, quem priùs delectatione spontanea offendebat. Quare & Ier. 31. in persona peccatoris conuersi sic ait; Conuerte me & conuertar, quia tu es Dominus Deus meus: Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam. Qui & Thren. vlt. Conuerte, inquit, nos, Domine, ad te & conuertemur, quod & Glossa superiùs allegata, lucidè attestatur. Quare & Aug. de verb. Apost. serm. 15. Sine te te fecit Deus; Non enim adhibuisti aliquem consensū vt te faceret Deus: quomodo cōsentiebas, qui non eras? qui ergò fecit te, sine te, non iustificat te sine te. Ergo fecit *Ierem. 31.* *Thren. vlt.* *Glossa.* *Augustinus.*
nescientem,

|| te sine iustitia tua. *Bernardus.* nescientem, iustificat volentem, tamen ipse iustificat, || *ne sit* iustitia tua. Cui & concordanter Bernardus de gratia & libero arbitrio 24. Qui inquit, rectè sapiunt, triplicem confitentur operationem, non quidem liberi arbitrij, sed diuinæ gratiæ in ipso, siuè de ipso; prima, creatio; secunda, reformatio; tertia, est consummatio. Cum ergo consumatio fieri habeat de nobis siuè etiam in nobis, non autem à nobis; creatio verò facta sit & sine nobis; sola reformatio quæ est nobiscum quodammodò propter voluntarium consensum nostrum, in meritum nobis reputabitur. Reformatio ipsa sunt ieiunia nostra, vigiliæ, continentia, & opera misericordiæ, cæteraque virtutum exercitia, per quæ vtique constat interiorem nostrum hominem renouari de die in diem, dum & intentio terrenis incuruata curis, de imis paulatim ad superna resurgat, & affectio circa carnis desideria languens sensim in amorem spiritus conualescit, & memoria veterum hominum turpitudine sordens, nouis, bonisq; actibus candidata in dies inclarescit. In his ergo tribus interior renouatio consistit, rectitudine scilicet intentionis, puritate affectionis, recordatione bonæ operationis, per quā benè sibi conscia memoria enitescit. Verum hæc, cum certum sit diuino in nobis || *actitari* spiritu, Dei sunt munera; quia verò cum nostræ voluntatis assensu, nostra sunt merita: Non enim vos estis inquit qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Augustinus etiam de pœnitentia 2°. Omnis, inquit, qui iam suæ voluntatis arbiter constitutus est, cum accedit ad Sacramentum fidelium, || *nisi* eum pœniteat vitæ veteris, nouam non potest inchoare ab hac pœnitentia cum baptizatur, soli paruuli immunes sunt? Nondum enim vti possunt libero arbitrio, quibus ad consecrationem remissionemq; originalis peccati prodest eorum fides à quibus offeruntur, vt quascunq; maculas delictorum per alios, ex quibus nati sunt, contraxeru nt aliorum etiam interrogatione ac responsione purgentur. Cæterorum hominum nullus transit ad Christum vt incipiat esse quod non erat, nisi eum pœniteat fuisse quod erat. Hæc prima pœnitentia præcipitur Iudæis dicente Petro Apostolo, Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum, Qui & de vera & falsa pœnitentia 10. Qui per se, inquit, peccauit, per dolorem proprium, per fidem Ecclesiæ indulgentiam acquisiuit, hoc per baptismum ita reddit hominem mundum & nouum, vt nihil remaneat, quod Deo displiceat; sine pœnitentia nulli profuit baptismus qui peccauit spontaneus; & supra 2°. Qui, inquit, conuertitur necessario dolet se habere quod gaudet perdere. Tenet quoque constanter fides Ecclesiæ generalis, quod peccata voluntaria in adultis sine pœnitentia nullatenus remittuntur; & non remittuntur per actum pœnitentiæ causaliter & naturaliter præcedentem gratiam iustificantem, vel remissionem peccatorum mortalium quoad culpam, sicut superius est ostensum. Remittuntur ergo cum actu pœnitentiæ gratiā & remissionem huiusmodi consequente, sicut & præcedentia manifestant.

|| incitari

|| quod

A B C

COROLLARIVM.

Corollarium, quòd illud est prius secundum naturam siue prius naturaliter alio, quod est Causa illius quod aliquid, à quo ad aliud tenet Consequentia subsistendi, & non è contra, est prius illo secundum naturam. Quare & quod non omne à quo non conuertitur consequentia subsistendi est prius secundum naturam, sed secundum superioritatem seu vniuersalitatem secundum consequentiam, siue secundum quemlibet alium talem modum, quod non quicquid est prius alio secundum naturam potest esse sine illo; nec etiam quicquid potest esse sine alio, & non è contra, est prius isto secundum naturam, sed secundum aliquem alium modum ita dictum; nisi fortassis prius secundum naturam dicatur æquiuocè tribus modis. D

EX his autem quædam veritatis scintillæ, Logicis, Philosophis, Theologis, & omnibus amatoribus veritatis non modicum vtiles elucescunt, quòd videlicet, Illud est prius secundum naturam, siuè prius naturaliter alio quod est causa illius, quod videtur debere intelligi de causa efficiente, materiali, atque formali, licet secundum modus speciales diuersos; De causa autem finali non tantum videtur, imò magis videtur oppositum, quod illa sit posterior naturaliter actione, seu re, cuius est causa finalis. Item quod aliquid à quo ad aliud tenet consequentia subsistendi & non è contra, est prius illo secundum naturam; quarè & quòd non omne, à quo non conuertitur consequentia subsistendi est prius secundum naturam, sed secundum superioritatem, seu vniuersalitatem, secundum non consequentiam, siue secundum quemlibet alium talem modum. Item quòd non quicquid est prius alio secundum naturam, potest esse sine illo, nec etiam quicquid potest esse sine alio & non è contra, est prius illo secundum E

cundum

A cundum naturam, sed secundum aliquem alium modum iam dictum, nisi fortassis prius secundum naturam dicatur æquiuocè multis modis. Prima pars huius ex præmissis apparet, & quia est vtilis in doctrina, & vix ab aliquo dubitatur, ipsam commemorare oportuit potius quàm probare: Hanc enim concorditer attestantur Logica, naturalis scientia, & diuina, quam & Theologia ac Theologi contestantur, de quarum copia, testimonij gratia pauca sumam. Philosophus siquidem in Prædicamentis, positis quatuor modis Prioris, subiungit; Videtur autem, præter eos qui dicti sunt, alter esse Prioris modus. Eorum enim quæ conuertuntur secundum existentiæ consequentiam, quod alterius quomodolibet causa est, dignè prius natura illo dicitur; quia verò quædam sunt huiusmodi, palam est. Esse namque hominem conuertitur secundum existentiæ consequentiam ad veram de se orationem. Nam si est homo, vera est oratio, qua dicitur, quoniam homo est; & si vera est oratio qua dicitur, quia homo est, tunc consequitur hominem esse: est autem vera oratio quidem nequaquam causa quòd sit res, veruntamen videtur quodammodo res causa vt sit oratio vera. Dum enim res est, aut non B est, aut vera oratio aut falsa dicatur necesse est; ideoque secundum quinque modos prius alterum altero dicitur. Quis etiam in naturali scientia, aut in metaphysicali sapientia dubitet causas esse priores & superiores apud naturam causatis, puta simplex composito, generans generato, agens acto, & vniuersaliter mouens moto. Quomodo namque aliter demonstrarent Deum esse primum, & summum omnium secundum naturam? Quis etiam Theologus nesciat Deum verè & realiter præcessisse mundum & tempus, nec tamen temporaliter, aut secundum aliquam durationem successiuam, & longam veram, & realem, sed tantùm secundum causam & naturam, sicut ostendunt præmissa, 34. parte corollarij primi huius? Hoc idem testatur Boetius, quinto de Consolatione Philosophiæ, prosa vltima. Augustinus 12. Confess. 28. sicut eadem pars allegat, & Anselmus de veritate, 12. sicut tricesimo nono patet. Quot etiam testimonia, tricesimo quinto, & citra copiosè præmissa ostendunt gratiam præcedere opera nostra bona, quod non temporaliter, sed causaliter atque naturaliter oportet C intelligi? Quare & Petrus, secundo Sententiarum, Distinct. 26. Bonam, inquit, voluntatem fides præuenit, non tempore, sed causa & natura. Quis etiam negauerit Deum esse primam causarum, & ipsum prius causaliter, & ideo prius naturaliter agere in actione communi, sicut artificem instrumento, sicuti etiam ex proximo huius patet. Reliquæ verò particulæ huius primæ partis per hæc & huiusmodi faciliter apparebunt. Prima particula secundæ partis euidenter consequitur ex hac prima. Sequitur enim, Deus suscitat istum spiritualiter vel corporaliter, ergo iste viuit correspondenter, & non conuertitur; Iste viuit spiritualiter vel corporaliter, ergo Deus suscitat istum sic vel sic. Cum enim diu continuè vixerit, erit antecedens verum, & consequens falsum planè, quia Deus nequaquam continuè suscitat iam viuentem, sed in instanti vnico suscitauit. Aliqui quoque viuunt naturaliter, quos Deus non naturaliter suscitat, nec naturaliter suscitauit, sicut illi, qui nunquam erant naturaliter mortui: Aliqui D etiam viuunt spiritualiter, quos Deus non sic suscitat, nec etiam suscitauit, sicut sancti Angeli, Christus, & forsitan Mater Christi. Deus etiam viuit, qui nunquam fuerat suscitatus; quare ad hoc viuere nullatenus sequitur, quòd Deus hoc suscitet, sed è contra. Ponatur ergo quòd Deus istum prius spiritualiter mortuum, nunc spiritualiter suscitet vitam gratiæ inspirando, tunc optimè sequitur, Deus hunc suscitat, ergo hic est viuus, & non conuertitur sicut superius est ostensum, & tamen Deum hunc suscitare est prius secundum naturam, quàm hunc esse viuum: Est enim causa illius; quia enim Deus hunc suscitat, ideo est viuus, & non è contra. Similiter, optimè sequitur, Deus vult suscitare nunc istum, ergo iste est viuus, per decimum huius, & non conuertitur, sicut præcedentia manifestant. Et tamen Deum velle suscitare nunc istum est prius naturâ, quàm istum esse viuum; est enim [causa] illius, causa efficiens. Similiter optime sequitur; Deus hoc creat, vel vult creare nunc hoc, ergo hoc est & non conuertitur; non enim creat creata continue, sed conseruat, & tamen hoc est prius illo natura, E quia causa illius. Similiter optime sequitur; Iste homo habet gratiā, ergo est mundus à peccato mortali, & non conuertitur. Aliquis enim posset esse mundus à peccato mortali, & non habere gratiam, sicut forte secundum quosdam fuit de primis parentibus ante lapsum, pro aliqua morula, quod non habuerunt gratiam neque culpam, vel saltem potuit sic fuisse, & tamen habere gratiam est prius naturâ, quia causa illius: Gratia namque purgat peccata mortalia, sicut superius est ostensum. Secunda verò particula huius 2. clarissimè sequitur ex hac prima; quibus patentibus, tertia satis patet. Obijcitur forsitan, quòd Phil. in Præd. ponendo modos prioris, assignans secundum, dicit illud esse prius secundum naturâ, à quo non conuertitur subsistendi consequentia. Non est ita: Dicit enim Philosophus quod illud est prius, quod non conuertitur secundum subsistendi consequentiam, & à quo non conuertitur in eo quod

 est con-

est consequentia; non tamen dicit, quod illud est prius natura sed potiùs contra dicit. Dicit A
enim quod quinque sunt modi Prioris, sicut erat superiùs recitatum, scilicet secundum tempus, non conuersionem consequentiæ, ordinem, honorabilitatem, & secundum naturam; si tamen secundus esset idem cum quinto, essent quatuor modi tantum. Prima autem particula tertiæ partis corollarij prælibati sequitur euidenter ex prima particula secundæ partis illius. Nam secundum illam aliquid est prius alio secundum naturam, à quo ad illud aliud tenet consequentia subsistendi; Non potest ergo subsistere sine illo; quod & potest aliter demonstrari. Deum namque || *velle* gratificare ingratum, iustificare iniustum, dare ei gratiam & iustitiam facere eum gratum & iustum, est prius naturaliter quia causaliter, quàm ipsum esse gratum & iustum, sicut præhabita docuerunt. Deum etiam velle gratiam creatam esse seu quamlibet creaturam, & creare ipsam est prius naturâ quàm ipsam esse, quia causa illius, sicut nonum huius ostendit, & tamen hæc sine illis esse non possunt, sicut decimum huius probat, & mutua relatio manifestat. Prius quoque natura est dare quàm recipere, agere quàm pati, B
mouere quàm moueri, & tamen separari non possunt. Prius similiter naturaliter quia causaliter est istum recipere gratiam & habere quàm peccata deleri, sicut superius monstrabatur; sicut & prius naturaliter, quia causaliter est aërem recipere lucem & habere, quàm tenebras effugare, sicut & Solem esse, quàm lucere intra vel extra, supposita dispositione omnimoda requisita; quod & videtur vniuersaliter verum esse de omnibus, quæ necessariò & inseparabiliter consequitur aliqua propria passio, seu aliquod proprium, aliqua actio, aliquisuè effectus. Si quis verò obijciat, quòd hæc est vna communissima regula & maxima generalis, Quicquid est prius alio secundum naturam, potest existere sine illo; videtur mihi quod non; Nec occurrit mihi ratio, neque Autoritas, in qua possit securè fundari ita generaliter intellecta: Posset tamen verificari per aliquas exceptiones, sicut regulæ Iuristarum, excipiendo scilicet casus prætactos, & alios sicut oportet. Secunda verò particula huius tertiæ ex secunda particula partis secundæ consequitur euidenter. Oppositum autem videntur sentire Plato, Aristoteles, & Auerroes Philosophi nominati: Aristoteles namque 5. Metaph. 16. positis mul- C
tis modis, quibus aliqua dicuntur priora & posteriora, subiungit; Alia verò secundum naturam & substantiam, quæcunque contingit esse sine alijs, & illa non sine illis, qua definitione vsus est Plato, quibus & concordat Auerroes in commento. Potest dici, quod illud est intelligendum secundum famositatem potiùs, quàm secundum veritatem, & secundum opinionem Platonis; vel aliter quod potest intelligi sicut alia regula similis iam præmissa. Tertia autem particula huius tertiæ partis, per tertiam particulam secundæ faciliter ostendetur. Verùm & aliter dici potest quod multi æquiuocant in prioritate naturæ; Aliqui namque magis propriè & profundè loquentes vocant prius secundum naturam, secundum causalitatem, sicut prima particula primæ partis corollarij prælibati; Alij autem famosè & consuetè magis quàm verè, secundum non conuersionem consequentiæ, siue secundum consequentiam; alij verò secundum possibilitatem essendi sine alio, non è contra, sicut ex præmis- D
sis apparet. Alij adhuc vocant prius secundum naturam, quod prius intenditur à natura, & sic totum dicitur prius parte, & finis illo quod est ad finem: Vnde Philosophus 1. Polit. 1. dicit, quod Ciuitas est prior natura quàm domus & vnusquisque. Ampliùs autem & Prius secundum naturam non improbabiliter dici potest perfectius secundum naturam: Hæc autem à multis sophistarum decipulis, à multis Pelagianorum muscipulis, à multis multorum tendiculis, in ista materia & alijs pluribus elaqueant, liberant, & præseruant. Vt autem omnes sagittæ pestiferæ in Pelagianorum pharetra præparatæ faciliùs retundâtur, vlterius aduertendum, quod Pœnitentia dupliciter sumitur, sicut etiam pœnitere, sicut & credere, & multa similia. Talia namque quandoque significant actionem, seu actum, quandoque verò habitum seu aptitudinem ad agendum: Actionem verò seu actum significant propriè, & maximè vsitatè; transumptiuè autem secundum illam metaphoram, & speciem illam tropi, qua nomen effectus ad suam causam quandoque transfertur, significant habitum productiuum hu- E
iusmodi actionis, seu aptitudinem ad agendum, & est satis creber modus loquendi tam apud vulgares, quàm apud diuersarum scientiarum peritos. Dicimus enim communiter, dicuntq; Autores similiter, Aquila videt acutè, equus currit velociter, homo ridet, canis latrat, & ita de alijs, quamuis omnino dormiant vel quiescant, non actum, sed habitum seu aptitudinem intendentes, quod in libris de historia Animalium sæpissimè reperitur. Quare & Philosophus 2. Eth. 6. Virtutem definiens, & definitionem eius ostendens, Dicendum, inquit, quoniam omnis virtus, cuius vtique fuerit virtus, & id bene habens perficit, & opus eius bene reddit; puta oculi virtus & oculum studiosum facit, & opus eius: Oculi enim virtute bene videmus; similiter & equi virtus & equum studiosum facit, & bonum ad currendum, & ferendum

|| posse

A dum ascensorem, & expectandum bellatores. Si vtique hoc in omnibus ita habet, & hominis
virtus erit vtique habitus, ex quo bonus homo fit, & à quo bene suum opus reddit. Cui & con-
cordanter Apostolus, Charitas, inquit, patiens est, benigna est, omnia suffert &c. 1. ad Cor. *Apostolus.*
13. Quare & Augustinus de bono coniugij 37. & pòst, multis capitulis docet diffusè, quòd *1. Cor. 13.*
continentia, patientia, & huiusmodi quæ propriè sonant in actum, quandoque & apud quos- *Augustinus.*
dam sunt in opere seu in vsu, quandoque verò & apud quosdam in habitu, non in actu. Sic e-
tiam loquitur veritas ipsa dicens, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non
crediderit, condemnabitur, Marc. 16. quod intelligendum videtur de habitualiter credere, sci- *Marc. 16.*
licet fidem, id est, habitum fidei habere propter paruulos baptizatos, qui non credunt actua-
liter, sed tantum habitualiter, id est, non habent actum fidei, sed tantummodo habitum, nec
damnantur. Quare & Innocentius tertius scribens Arelatensi Episcopo, sicut recitatur Extra, *Innocentius.*
de baptismo & eius effectu, Maiores recitat, approbando quòd nonnulli concedunt, quòd par-
B uuli credunt, non per vsum, sed per habitum fidei quem ||*suscipimus* in baptismo, sicut & alia || suscipiunt
multa verba secundum communem vsum loquendi, non ad actum, sed ad ||*aptitudinem* refe- || [illegible]
runtur. Cui & concorditer Augustinus, sicut allegatur de consecrat. distinct. 4. Quis autem: tem
Quis, inquit, nescit, credere esse in infantibus ||*baptizari? non credere autem non baptizari?* qui *Augustinus.*
& Epistola 14. ad Bonifacium quærentem, cùm interrogatur de paruulo baptizato, An credat || baptizatis
in Deum, & respondetur, quòd credit, nunquid hoc accipiendum sit pro tunc vel pro futuro,
scilicet quòd credet in maiori ætate, respondendo, sic ait; Nil est aliud credere, quam fidem
habere; ac per hoc, cùm respondetur paruulum credere, qui fidei nondum habet affectum,
respondetur eum fidem habere propter fidei sacramentum, & conuertere se ad Deum prop-
ter conuersionis sacramentum: Qui & de alijs responsionibus pro paruulo redditis, de alijs
eius operibus sentit idem: Nec mirum si nomen actus transferatur ad habitum, quia & quan-
doque similis translatio fit è contra, sicut ex 39° patet. Patet ergo ex præmissis per locum à
C simili, quòd pœnitere & pœnitentia, conteri & contritio, & similia, quandoque significant
actum seu vsum, quandoque verò significant habitum effectiuum talis actus seu vsus, & ipsum
actualiter facientem, habitum scilicet charitatis & gratiæ datum gratuito peccatori, vnde be-
nè, iustè, & meritoriè Deum gratuito diligit, & propter eum pœnitet de peccatis. Quare &
Petrus 4. sent. dist. 14. Imbutos, inquit, vitijs animos exuere, atque emendare virtutis est per-
fectæ atque cœlestis gratiæ, & ideo sane ita potest definiri pœnitentia, Pœnitentia est virtus, *Lumbardus*
vel gratia, qua commissa mala, cum emendationis proposito, plangimus, & odimus, & plan-
genda vlterius committere nolumus. Autoritates ergo quamplurimæ affirmantes pœniten-
tiam delere peccata, infirmitates sanare, mortuos suscitare, & similia, seu ista per pœniten-
tiam fieri, possit iuxta præmissa conuenienter intelligi de pœnitentia habituali prædicta, quæ
est causa pœnitentiæ actualis: Quare & Glossa super principium distinctionis de pœnitentia,
pro opinione contraria superiùs allegata, Remissio, inquit, peccatorum præcedit cordis con-
D tritionem: Non enim potest quisquam verè conteri, nisi priùs habeat fidem per dilectionem
operantem. Dicuntur ergo peccata dimitti per contritionem, hoc est per illud quod facit cor-
dis contritionem, id est, per charitatem. Pœnitentia insuper actualis quædam est formata,
quædam informis; quædam meritoria, quædam præparatoria: De pœnitentia autem informi
dicitur Sapient. 5. Tunc dicent intra se pœnitentiam agentes, &c. & Mat. 27. Tunc Iudas pœ- *Sapient. 5.*
nitentia ductus retulit 30. argenteos &c. quibus & occurrunt multa similia in Scriptura: Pœ-
nitentia autem actualis formata & meritoria est, quæ procedit ex charitate & gratia, ac for-
matur; Informis verò & præparatoria est quædam tristitia de peccato, timore pœnæ, timore
incommodi, timore seruili, præcedens temporaliter gratiam, & præparans peccatorem ad
dimissionem peccati, ad operationem boni, & ad receptionem gratiæ & pœnitentiæ saluta-
ris, sicut 37° docebatur; talis autem pœnitentia semper vel plurimum, sicut credo, præcedit
gratiam, iustificationem, & veram pœnitentiam in adultis: Eiusmodi etiam est omnis displi-
E centia, horror, abominatio, detestatio, & improbatio peccatorum, gratiam iustificantem, &
veram pœnitentiam antecedens. Talis autem pœnitentia communiter nascitur ex timore
pœnæ inferni, ex timore incommodi, ex timore seruili: Quare & Dominus hunc timorem
velut vtilem peccatoribus imprimit etiam ingeminando, sic dicens; Timete eum qui potest
& corpus & animam perdere in gehennam, Matth. 10. & Luc. 12. Timete eum qui postquam
occidit habet potestatem mittere in gehennam, ita dico vobis, hunc timete. Vnde & Parab. 15.
Per timorem Domini declinat omnis à malo. Et supra 1. Timor Domini principiũ sapientiæ,
quod Beda exponens, sicut allegat Petrus 3. sen. dist. 34. Duo, inquit sunt timores Domini, ser-
uilis qui principiũ est sapientiæ, & amicalis qui perfectionẽ sapientiæ comitatur; seruilis prin-
cipiũ sapientiæ est, quia qui post errata sapere incipit, primò, timore corripitur diuinọ ne punia-

 tur, sed

tur, sed hunc perfecta charitas foras mittit; succedit huic timor Domini Sanctus permanens A in sæculum sæculi. Beatus etiam Augustinus exponens illud Psal. 127. Beati omnes qui timent Dominum, loquens de isto duplici timore, quorum vnus est castus & permanet in sæculum sæculi, & alius excluditur charitate, sic ait, Aliqui propterea tantum timent, ne aliquid mali in terra patiantur, nè illis ægritudo || *accidat*, nè damnum, nè orbitas, nè alicuius amissio chari, nè exilium, nè damnatio carceris, nè aliqua tribulatio, propterea timent & tremunt, adhuc iste timor non est castus; adhuc audi, Alius non in hac terra pati timet, sed gehennas timet; vndè terruit & Dominus, audistis cum Euangelium legeretur, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Audiunt hæc homines, & quia verè futura sunt impijs, timent & continent se à peccato, timent quidem, sed non amant iustitiam: cum autem per timorem se continent à peccato, fit consuetudo iustitiæ, & incipit, quod durum erat, amari, & dulcescit Deus, & iam incipit homo propter ea iustè viuere, non quia timet pœnas, sed quia amat æternitatem. Exclusus est ergo timor à charitate, sed successit timor castus; quis enim timor castus? Secundum quem debemus Fratres mei, intelligere quod dictum est, Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius. Qui & exponendo Epistolam primam Iohannis homilia 9ª. B Incipiat, inquit, timor, quia initium sapientiæ timor Domini: Timor quasi locum præparat charitati. Cum autem cœperit charitas habitare, pellitur timor qui præparauit locum; quia sicut vidimus per setam introduci lumen quandò aliquid luminatur; seta prius intrat, quæ nisi prius exeat, non succedit lumen; sic primo timor occupat mentem, non ibi autem remanet timor, quæ ideo intrauit vt introduceret charitatem. Autoritates ergo quæ videntur asserere pœnitentiam præcedere & facere iustificationem, & purgationem peccatorum, possunt intelligi de pœnitentia informi & præparatoria, quòd hæc facit, quia mouet & excitat, disponit & præparat vt hæc fiant. Omnia autem ista & istis similia, puta vndè principium mutationis, Conciliator, Medicus, & vniuersaliter omne mutans ad tertiam speciem causæ, quæ communiter appellatur efficiens, reducuntur, sicut Philos. 2. Phys. 29. & 31. & 5. Metaphys. 2. C manifestat. Talis autem videtur fuisse baptismus pœnitentiæ, quem Iohannes prædicauit in remissionem peccatorum, sicut Luc. 3. recitatur. Super quod verbum Chrysostomus sicut recitatur in Glossa, & partim per Pelagianos obijciebatur superius, ita dicit, Cum nondum oblata esset hostia, nec descendisset Spiritus, qualiter erat fienda remissio? quid est ergo quod Lucas dicit, In remissionem peccatorum? Erant siquidem Iudæi ignari, nec culpas proprias perpendebant. Quoniam igitur hæc erat causa malorum, vt peccata agnoscerent ad redemptorem quærendum, venit Iohannes hortans illos pœnitentiam agere; vt per pœnitentiam effecti meliores atque contriti ad recipiendum veniam satagant. || *Aptè* ergo cum dixisset, quod venit prædicans baptismum pœnitentiæ, adiecit In remissionem peccatorum, quasi diceret, Idcirco suadebat illis pœnitere, vt subsequentem veniam facilius impetrarent credentes in Christum. Nam nisi pœnitentia ducerentur, nequaquam exposcerent gratiam. Vndè baptisma illud nullam aliam habuit causam, nisi quòd præparatorium erat ad fidem Christi. Hoc D idem tenet beatus Gregorius, & alij Catholici tractatores. Quare & Petrus 4. Sentent dist. 2. sic ait, Baptismum Christi Iohannes suo baptismo prænuntiauit, qui primus baptizasse legitur, sed in aqua, non in spiritu, sicut ipse ait, Ego baptizo vos in aqua in pœnitentiam: Sola enim corpora abluebat, à peccatis verò non mundabat. Baptismus verò Iohannis fuit in pœnitentiam non in remissionem, baptismus Christi in remissionem; quia Iohannes baptizans homines ad pœnitentiam vocabat, & quos baptizabat pœnitere docebat, secundum illud; Veniebant ad Iohannem in Iordanem, confitentes peccata sua; sed in baptismo Iohannis non dabatur peccatorum remissio quæ data est in Christi baptismo. Ad quid ergo, ex quo non conferebat gratiam, vtilis erat baptismus Iohannis? quia homines vsu baptizandi præparabat ad baptismum Christi. Quare & similiter Augustinus super illud Psal. 110. Confessio & magnificentia opus eius, tales Autoritates taliter intelligēdas ostendens, Quid inquit, magnificentius quam iustificare impium? sed opus fortasse hominis præuenit istā magnificentiam E Dei, vt cum fuerit peccata confessus, iustificari mereatur. Descendit enim de templo iustificatus publicanus magis quam ille Pharisæus; quia neque oculos audebat ad cœlum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens, Domine, propitius esto mihi peccatori Hæc est magnificentia Domini, iustificatio peccatoris, quoniam qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur: Hæc est magnificentia Domini, quoniam cui plurimum dimittitur, plurimum diligit: Hæc est magnificentia Domini, quoniam vbi abundauit peccatum, & superabundauit gratia, sed fortasse ex operibus; Non, inquit, ex operibus, nè fortè quis extollatur; Ipsius enim sumus figmentum creati in Christo, in operibus bonis. Iustitiam enim homo non operatur nisi iustificatus; Credens autē in eum qui iustificat impium, à fide incepit, vt bona opera non

Marginal notes: || accedat; || Aperte

A non præcedentia quod meruit, sed consequentia quod accepit, ostendant. Vnde ergo illa confessio? nondum quidem est opus iustitiæ, sed delicti improbatio. Ecce ergo secundum Augustinum, quòd confessio peccati iustificationem peccatoris præcedens, non est opus iustitiæ, sed tantùm improbatio delicti, abominatio & detestatio peccatorum, quæ sine displicentia, tristitia, & pœnitentia simili nusquam fuit. Verùm ne quis Pelagianorum hanc saltem confessionem præparatoriam & informem sibi audeat vendicare, statim subiungit; Sed nec in ipsa de te, homo, glorieris, vt qui gloriatur, in Domino glorietur: Quid enim habes quod non accepisti? Non ergo sola magnificentia qua iustificatur impius, sed & confessio & magnificentia opus eius. Quid ergo dicemus? qui cui vult, miseretur;& quem vult, obdurat: nunquid iniquitas apud Deum? absit. Pœnitentiam quoque actualem formatam, & meritoriam iustificare iniustum, & delere peccata dupliciter potest intelligi, scilicet antecedenter naturaliter, & concomitanter ac subsequenter secundum legem statutam. Antecedenter, ita quòd præcedat naturaliter iustificationem, & deletionem peccati, & falsum est, sicut superius est o-
B stensum: concomitanter & subsequenter ita, quòd in omni iustificatione peccatoris adulti, & deletionem sui peccati secundum legem præsentem inseparanter concomitetur, & naturaliter subsequatur talis pœnitentia actualis, verum est, sicut superius est ostensum. Hoc modo loquitur beatus Iacobus Apostolus in Epistola sua, cap. 2°. vbi eum Pelagiani superius allegârunt, dicendo hominem iustificari non ex fide tantùm, sed ex operibus etiam extrinsecis, quæ magis opera nuncupantur, quia non iustificatur sine illis, id est, non manet iustus * ex sola fide sine operibus, cùm opportunitas, siue necessitas fuerit operandi, quia fides tunc sine operibus moritur per abscessum charitatis, quæ est vita & forma fidei Christianæ, quæ & semper cùm opus fuerit, operatur, sicut vtrumque præcedentia manifestant. Quare & secundum eum fides per opera consummatur, & viuida conseruatur, & homo iustus seruatur. Intendit enim principaliter ibi refellere hæresim quorundam occasione forsitan illius verbi Dominici; Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, seu illius dicti Apostolici; Neminem scilicet iustificari ex operibus, superius allegati, dicentium omnem baptizatum, & credentem in Christum esse iustum & saluandum etiam sine bonis operibus quibuscunque. Vnde sic ait; Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? nunquid fides poterit saluare eum? Si autem frater aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis de vobis illis; Ite in pace, calefaciamini & saturamini, non dederit autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic & fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Tu credis, quoniam vnus est Deus; bene facis; & Dæmones credunt & contremiscunt. Vis autem scire, O homo inanis, quoniam fides sine operibus otiosa est, vel secundum aliam literam mortua est? Abraham pater noster, nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est; & impleta est Scriptura, dicens; Credidit Abraham Deo, & re-
D putatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus homo iustificatur, & non ex fide tantùm: Sed quis legens historiam Genesis, nesciat Abraham fuisse iustum, & familiarem Dei amicum, priusquam obtulit filium suum, seu potius voluit obtulisse. Non fuit ergo ex isto opere iustificatus antecedenter, sed tantùm concomitanter & subsequenter, ex isto scilicet opere subsecuto fidem suam & iustitiam, quando necessitas hoc exigit, fidelis & iustus in sua fide & iustitia conseruatus, quam alias perdidisset, præceptum Domini contemnendo. Quare & Augustinus super Psal. 31. tractat. primo, volens concordare dictum Pauli ad Rom 4. Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum; quid enim dicit Scriptura; Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & dictum Iacobi memoratum obijciendo & respondendo, sic ait; Vides, inquit hæreticus, quia non ex operibus, sed ex fide iustificatus est Abraham. Faciam ergo quicquid volo, quia etsi bona opera non habuero, & tantùm credidero in Deum, deputatur mihi ad iustitiam. Respondeo ergo tanquam contra Apostolum, & dico de ipso Abrahã, quòd inuenimus etiam in Epist. alterius
E Apostoli, qui volebat corrigere homines, qui malè intellexerant istum Apost. Iacobus enim in Epist. sua contra eos, qui nolebant bene operari, de sola fide præsumentes ipsius Abrahæ commendauit opus, Paulus fidem. Non sunt sibi aduersi Apostoli; dicit autem opus omnibus notum, Abraham filium suum immolandum Deo obtulit; magnum opus, sed ex fide: laudo superædificationem operis, sed video fidei fundamentum; laudo fructum boni operis, sed in fide agnosco radicem. Si autem hoc præter fidem rectam faceret Abraham, nihil illi prodesset qualecunque illud opus esset. Rursum si sic teneret fidem Abraham; vt cùm ei Deus imperaret offerre sibi immolandum filium, diceret apud semetipsum; Non facio & tamen credo, quia me etiam contemnentem iussa sua liberat Deus, fides sine operibus mortua esset,

Margin: * scilicet; *Augustinus.*

tua esset, & tanquam radix sine fructu sterilis atque arida remaneret. Quid ergo? nulla opera debemus præponere fidei, id est, vt ante fidem quisque dicatur benè operari? Ergo, Fratres, ex fide iustificatus est Abraham; sed si fidem opera non præcesserunt, tamen secuta sunt. Nunquid enim fides tua sterilis erit, si sterilis non es? sterilis non est ipsa, tene fidem operaturus; Dicit enim idem Apostolus fidem quæ per dilectionem operatur. Idem de spiritu & litera 20. concordans illud dictum Apostoli per Pelagianos superius allegatum, Factores legis iustificabuntur, ad Rom. 2. cum alio eius dicto, Arbitramur iustificari hominem per fidem absque operibus legis, ad Rom. 3. Neque, inquit, contra seipsum diceret quod ait, Factores legis iustificabuntur, tanquam per opera non per gratiam iustificentur, cùm dicat gratis iustificari hominem per fidem sine operibus legis, nihil aliud volens intelligi in eo quod dicit gratis, nisi quia iustificationem opera non præcedunt. Apertè quippe alibi ait, Si gratiâ, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia; sed sic intelligendum est, Factores legis iustificabuntur, vt sciamus eos aliter non esse factores legis, nisi iustificentur, non vt iustificatio factoribus accedat, sed vt factores iustificatio præcedat. Quid enim est aliud iustificati quàm iusti facti, ab illo scilicet qui iustificat impium vt ex impio fiat iustus. Si enim ita loqueremur vt diceremus, Homines liberabuntur, hoc vtique intelligeretur eis, qui iam homines essent, accedere liberationem; si autem diceremus, Homines creabuntur, non vtique intelligeretur eos creari qui erant, sed ipsa creatione homines fieri; Ita si dictum esset, Factores legis honorabuntur, non rectè intelligeremus, nisi honorem illis, qui iam essent factores, legis accedere; cùm verò dictum est, Factores legis iustificabuntur, quid aliud dictum est, quàm iusti iustificabuntur? Factores enim legis vtique iusti sunt; ac per hoc tantundem est ac si diceretur, Factores legis creabuntur, non qui iam erant, sed vt sint, vt sic intelligerent etiam Iudæi legis auditores, indigere se gratia iustificatoris, vt possent esse factores. Simili quoque modo dicuntur peccata per oris confessionem dimitti, sicut secunda secta mediantium ostendebat, quod tamen non potest intelligi antecedenter tempore nec natura; ita videlicet quòd oris confessio antecedat tempore vel natura dimissionem peccatorum mortalium quoad culpam, sicut & contra eandem fuit ostensum, sed concomitanter & subsequenter secundum legem statutam, quia videlicet ad iustificationem iniusti, & conseruationem iustitiæ, oportet secundum legem Ecclesiæ, si facultas affuerit, quod oris confessio subsequatur; alioquin propter contemptum redeunt peccata priùs in contritione & proposito confitendi deleta; redeunt, inquam, verè vel imputabiliter, seu æquè ponderanter secundum reatum, vel etiam præponderanter propter aggrauationem noui contemptus adiuncti. Hoc modo similiter dicuntur peccata in adultis per baptismum remitti: Quis enim catholicus dubitat omnes peccatores magnos & paruos in remissionem peccatorum communiter baptizari, sicut baptisma in remissionem peccatorum est communiter institutum? Quis enim non profitetur Concilium Nicenum, quod pro tota Christi Ecclesia & singulis filijs eius dicit, Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum? Multi tamen adulti ante baptismum aquæ seu fluminis, in baptismo flaminis credendo in Christum, & in baptismo pœnitentiæ à peccatis omnibus sunt mundati, sicut superius contra secundam sectam mediantium monstrabatur: Isti ergo baptizantur in remissionem peccatorum, non antecedenter, sed subsequenter modis prædictis. Adhuc autem pœnitentiam actualem iustificare iniustum, & delere peccata potest habere duplicem intellectum, scilicet effectiuè vel ostensiuè, manifestatiuè, seu etiam significatiuè. Actualis namque pœnitentia, & maximè qualis in Ecclesia celebratur, ostendit, manifestat, & est signum quod pœnitens iustificatur, & quod eius peccata sunt deleta: Sic enim communiter & catholicè dicimus per oris confessionem, & potestatem clauium, scilicet absolutionem sacerdotis peccata dimitti, sicut secunda secta, & tertia mediantium demonstrabant, quod tamen non potest intelligi proprie, effectiue, sicut contra easdem superiùs est ostensum, sed manifestatiue & significatiue: Manifestant enim, & sunt signa in foro Ecclesiæ quod peccata sunt dimissa confessis & absolutis secundum leges Ecclesiæ constitutas. Quare & de pœnitentia dist. 1. postquam valide est probatum, peccata per gratiam ante confessionem dimitti, subiungitur; fit itaque confessio ad ostensionem pœnitentiæ, non ad impetrationem veniæ; & sicut circumcisio data est Abrahæ in signum iustitiæ non in causam iustificationis, sic confessio offertur Sacerdoti in signum veniæ acceptæ, non in causam remissionis accipiendæ. Quare & Glossa super principium illius primæ distinctionis, recitata opinione dicente, quod sola cordis contritio non delet peccata, vbi copia Sacerdotis habetur, subiungit; sed quicquid dicat, dic quod nec cordis contritione, nec oris confessione peccata dimittuntur, sed tantum gratia Dei; sed ipsa cordis contritio signum est peccata esse dimissa, sicut exterior satisfactio est signum cordis contritionis. Cui & concorditer

Petrus

A Petrus 4. sent. dist. 17. Confessio, inquit, est testimonium conscientiæ Deum timentis. Huic & consonat illud superius allegatum, quod Christus præcepit leprosi mundato ostendere se Sacerdotibus, & offerre pro emundatione sua non impetranda sed habita, quod præcepit Moses in testimonium illis; non dixit in efficientiam, sed in testimonium, & in signum munditiæ consecutæ. Quare & congruè Leuit. 14. vbi traditur ritus leprosi mundandi, præcipitur quòd leprosus mundandus adducatur ad Sacerdotem; qui cùm inuenerit lepram esse mundatam, præcipiet ei vt offerat hæc & illa, vt sic qui mundus est, iure purgetur. Sed quomodo mundatur nouiter seu purgatur, cuius lepra iam priùs est mundata, & mundata inuenta, nisi quia mundatus, seu mundus purgatus, seu purus ostenditur iudicio Sacerdotis: Certum est enim Sacerdotes legales, leprosos nequaquam miraculosè & effectiuè mundasse, sed mundatos per priùs seu mundos tantummodo indicasse, quod & planè exprimunt verba legis, Cùm, inquit lex prætacta, Sacerdos inuenerit lepram esse mundatam, faciet hæc & illa. Qui etiam *Lumbardus.*

B modus loquendi supra eiusdem 13. expresßius & sæpius inuenitur, vbi traduntur leges de eo quod apparet, sed dubitatur esse leprosus, quòd debet adduci ad Sacerdotem, & secundum eius iudicium reputari mundus vel immundus: vbi & in casu quo iudicabitur esse mundus, quandoque dicit quòd mundabit eum Sacerdos, id est, mundum iudicabit; quandoque quòd talis mundabitur, id est, mundus iudicabitur, sicut planum est, & Glossa testatur. Quare & textus satis planè seipsum exponens in casu prædicto, quandoque dicit quòd considerabit eum Sacerdos, & mundum esse decer et, quandoque verò quòd pronunciet eum mundum. Vbi etiam in casu quo debet iudicari immundus, quandoq; dicit, quòd contaminabit eum Sacerdos, id est, secundum Glossam, contaminatum iudicabit; & quandoque dicit expresßiùs quòd talem teneri à lepra iudicabit; quandoque verò quòd Sacerdotis iudicio polluetur, & inter immundos reputabitur. Quod & planè testatur autoritas beati Hieronymi contra sectam tertiam allegata. Quare & Petrus 4. sentent. distinct. 18. Aliter, inquit, soluit Deus *Lumbardus.*

C vel ligat, aliter Ecclesia. Ipse enim per se tantùm ita dimittit peccatum, quia & animam mundat ab omni interiore macula, & à debito æternæ mortis soluit; Non autem Sacerdotibus hoc concesßit, quibus tamen præbuit potestatem ligandi & soluendi, id est, ostendendi homines esse ligatos & solutos. Vnde & Dominus leprosum sanitati prius restituit per se, deinde ad Sacerdotes misit, quorum iudicio ostenderetur mundatus. Item & Lazarum iam viuificatum obtulit discipulis soluendum, quia etiamsi aliquis sit apud Deum solutus, non tamen in facie Ecclesiæ solutus habetur, nisi per iudicium Sacerdotis. In soluendis igitur culpis vel retinendis ita operatur Sacerdos Euangelicus & iudicat, sicut olim legalis in illis qui contaminati erant lepra, quæ peccatum figurat, idque iuris & officij habent Sacerdotes Euangelici, quod olim habebant legales sub lege in curandis leprosis. Hi ergo dimittunt peccata vel retinent, dum dimissa à Deo vel retenta iudicant vel ostendunt. Similiter etiam loquitur Augustinus de spiritu & litera 20. vbi posita vna expositione illius Apostolici dicti ad *Augustinus.*

D Romanos, Factores legis iustificabuntur, superiùs recitata, subiungens secundam, sic ait, Aut certe ita dictum est, Iustificabuntur, ac si diceretur, Iusti habebuntur, iusti deputabuntur, sicut dictum est de quodam, Ille autem volens iustificare se, id est, vt iustus haberetur, & deputaretur. Vnde aliter dicimus, Deus sanctificat sanctos suos; aliter autem sanctificetur nomen tuum. Illud ideo quia ipse illos facit sanctos esse qui non erant sancti; Hoc autem ideo, vt quod semper apud se sanctum est, sanctum etiam ab hominibus habeatur, id est, sanctè timeatur. Ad similem ergo modum loquendi non incongruè potest dici, quòd contritio seu pœnitentia actualis iustificat impium, & delet peccata, scilicet ostensiuè, manifestatiuè, seu etiam significatiuè, licet non propriè effectiuè. Ampliùs autem pœnitentiam actualem delere peccatum, potest intelligi quantum ad culpam, vel quantum ad pœnam, seu satisfactionem debitam, seu statutam. Quis enim ignorat peccatorem debitè pœnitentem, & autoritate clauium à peccato solutum eadem autoritate ad pœnam & satisfactionem ligari? Quanquam igitur peccator

E per infusionem gratiæ statim immediatè iustificetur, & à peccato purgetur quantũ ad culpam seu maculam, manet tamen obligatus ad pœnam temporalem, & ad satisfactionem congruam faciendam. Contritio autem & pœnitentia interior & exterior, puta, confesßio, erubescentia, ieiunium, oratio, & eleemosyna est pars huius pœnæ & satisfactionis prædictæ. Contritio tamen & pœnitentia interior posset esse tanta, tam vehemens tam intensa, quòd ipsa planè sufficeret sine alia pœnitentia aut satisfactione extrinseca facienda. Rationabiliter ergo dici potest, contritionem & pœnitentiam actualem iustificare iniustum & delere peccata, quantum ad solutionem pœnæ & satisfactionis debitæ pro peccato. Dicitur enim peccator iustificari, & purgari à peccato per satisfactionem & opera satisfactoria, puta per ieiunium, per orationes, per eleemosynas, & similia, sicut quarta secta mediantium recitat, cùm tamen certum

certum sit, peccatum quantum ad culpā & maculam prius esse dimissum, sicut contra eandem A
fuit ostensum, quod ideo debet intelligi modo dicto. Sic autem loquitur lex, imò Dominus in lege, Leuit. 4. & 5. frequenter dicendo, si quis peccauerit hoc modo vel illo, offerat hoc vel illud, rogabitque pro eo Sacerdos, & dimittetur ei. Vbi & primo capitulo præcipitur, quòd anima quæ peccauerit tali modo, agat pœnitentiam de peccato, & offerat hoc vel illud rogabitq; pro eo Sacerdos & pro peccato eius, & dimittetur ei; & infra magis expressè iubetur quòd anima inferens damnum in rebus sanctificatis Domino, in rebusuè proximi, restituat integrè cuncta ablata, & insuper quintam partem, offeratque arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti, iuxta mensuram & æstimationem peccati, qui orabit pro eo, & dimittetur ei pro singulis quæ faciendo peccauit. Huic & consonat, quòd contriti, confessi, & absoluti, quare & perfectè mundati à culpis & maculis peccatorum, adhuc pro satisfactione à Sacerdotibus eis iniuncta, dicendo frequenter orationem dominicam, orant Patrem Cœlestem, dicentes, Dimitte nobis debita nostra, vel sicut Luc. 11. recitat, dimitte nobis peccata B
nostra. Dimitte, inquimus, nobis debita nostra siuè peccata, quantum scilicet ad offensam tuam & iram, quantum ad punitionem & satisfactionem, quæ prius dimisisti quantum ad maculam siuè culpam. Quare & Anselmus 1. Cur Deus homo 20. dialogizando sic ait, Quid est quod dicimus Deo, dimitte nobis debita nostra, & omnis gens orat Deum, quem credit, vt dimittat sibi peccata: Si enim soluimus quod debemus, cur oramus vt dimittat? Nunquid Deus iniustus est, vt iterum exigat quod solutum est? Si autem non soluimus, cur frustra oramus vt faciat, quod quia non conuenit facere non potest, aut qui non soluit frustra dicit dimitte; qui autem soluit, supplicat, quoniam hoc ipsum pertinet ad solutionem vt supplicet. Huic
Gregorius. quoq; concordat quod refert beatus Gregorius super Euangelia homilia 34. de quodam nomine Victorino, qui erat opulentæ substantiæ & peccator, sed reatus sui consideratione compunctus, erexit se contra se, mundi huius omnia dereliquit, Monasterium petijt; in quo nimirum Monasterio tantæ humilitatis, tantæq; sibi districtionis extitit, vt cuncti fratres, qui illic C
ad amorem diuinitatis exercuerant, suam cogerentur vitam despicere, dum illius pœnitentiam viderent. Studuit namq; toto mentis annisu cruciare carnem, proprias voluntates frangere, furtiuas orationes quærere, quotidianis se lacrymis lauare, despectum sui appetere, oblatam à fratibus venerationem timere. Hic itaq; nocturnas fratrum vigilias præuenire consueuerat, & quia mons in quo Monasterium situm est ex vno latere in secretiori parte prominebat, illic consuetudinem fecerat ante vigilias egredi, vt se quotidiè in fletu pœnitentiæ quanto secretius tanto liberius mactaret: Contemplabatur namq; districtionem venturi iudicij sui, & iam eidem iudici concordans puniebat in lacrymis facinoris sui reatus. Quadam autem nocte, explorante & vidente Abbate Victorino, in secreto montis latere diu in oratione prostrato, lux cœlitus diffundebatur subito super eum, tantaq; claritas ibi se sparsit, vt tota pars regionis illius ex ipsa candesceret; Vox etiam pariter venit dicens, Dimissum est tibi peccatum tuum. Adhuc autem iuxta distinctionem præmissam potest elici alia consequenter. Pœnitentiam siqui- D
dem actualem iustificare iniustum, potest intelligi vel quantum ad deletionem maculæ peccati seu culpæ, vel quantum ad plenam reconciliationem Deo offenso, & reformationem plenariam status sui. Dimisso namq; peccato cuipiam quoad culpam, adhuc remanet Deus ei iratus; vult enim adhuc ei punitionem seu pœnam satisfactoriam pro peccato. Ira namq; Dei sicut dicebatur 25. primi, & turba Doctorum testatur, non est aliqua commotio, turbatiouè ipsius, sed tantum voluntas puniendi, & eius effectus, ipsa videlicet punitio siuè pœna. Quod benè aduertens Propheta, & plangens, sic ait, Deus conuerte nos &c. Domine Deus virtutum quousq; irasceris super orationes serui tui, scilicet iam cōuersi; Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura? Psal. 79. In mensura, scilicet pœnæ contra mēsuram culpæ, sicut Esaiæ 27. dicitur, & præcedentia manifestant. Quare & August. exponens versum Psalmi, de ira Dei præmissum, sic ait, Irascebaris in orationem inimici tui, & adhuc irasceris in orationem serui tui. Conuertisti nos, agnouimus, & adhuc irasceris in orationem serui E
tui. Ita planè irasceris vt Pater, corrigens; non vt iudex, damnans. Ne putes iam transisse iram Dei quia conuersus es; transijt à te ira Dei, sed nè damnet in æternum; flagellat autem non parcit, quia flagellat omnem filium quem recipit, sed tamen quamdiu irasceris in orationem serui tui, non iam inimici tui? quamdiu sic cibabis nos, & cætera supradicta? Nec etiam peccator, peccato dimisso, statim habet reformationem plenariam status sui, sicut euidenter sequitur ex prædictis; adhuc etiam remanet debitor pœnæ, & satisfactionis debitæ pro peccato. Habet quoque vt plurimum quandam infirmitatem ex peccato contractam, scilicet facilitatem ad malum & difficultatem ad bonum. Ad reformationem ergo plenariam impetrandam, valet contritio & pœnitentia interior, & exterior pœnitenti, sicut sequitur

A quitur ex præmissis, sicuti etiam testatur Bernardus de gratia & libero arbitrio, 24, superius recitatus. Quare & Augustinus de vera & falsa pœnitentia, 17. Studeat, inquit, quisque delicta corrigere, vt post mortem non oporteat pœnam tolerare: Quædam enim peccata sunt, quæ sunt mortalia, & in pœnitentia sunt venialia, sed non statim sanata; Sæpè enim quidam æger moreretur, si non medicaretur, nec statim sanatur; languet victurus, qui erat moriturus. Et supra 13. Peccatum fit veniale per confessionem quod erat criminale in operatione; & si non statim purgatur, fit tamen veniale quod commiserat mortale. Dicitque Anselmus, 1. Cur Deus homo, 25. Beatitudinem nulli dari debere, nisi illi cui penitùs dimissa sunt peccata, nec hanc dimissionem fieri nisi debito reddito quod debetur pro peccato secundum magnitudinem peccati. Innuit ergo planè quòd peccatum dimittitur aliquatenus, sed non penitùs, partialiter, non totaliter, diminutè, non plenè ante solutionem plenariam totius debiti pro peccato. Per hæc autem & huiusmodi diuina gratia inspirante, autoritates præmissæ & aliæ similes, *Bernardus.*
B quæ videntur istam sententiam impugnare ad concordiam reducentur, omnes Pelagianorum argutiæ dissoluentur, & omnes obiectiones aliæ sopientur. Porrò licèt peccatum per infusionem gratiæ ante naturaliter contritionem, confessionem, absolutionem, & satisfactionem plenariam, quantum ad culpam & maculam deleatur, sicut superius est ostensum: remanet tamen peccator obligatus ad satisfactionem plenariam & debitam pro peccato, sicut superius est ostensum. Contritio autem, confessio, absolutio, seu absolutionis debita quæsitio, & receptio, & quælibet operis satisfactio est satisfactoria quoquomodo, quia partialiter vel totaliter pro peccato, valetque ad meritum, ad humilitatem, ad cauendum peccatum, & ad carnem belligeram subiugandum. Nihil ergo horum est superfluum, inutile, otiosum, sicut superius est obiectum. Quare & Augustinus de vera & falsa pœnitentia, 13. Erubescentia, inquit, ipsa partem habet remissionis. Ex misericordia enim hoc præcepit Dominus, vt nemo pœniteret in occulto. In hoc enim quòd per seipsum dicit sacerdoti, & erubescentiam vincit
C timore offensi, fit venia criminis. Fit enim veniale per confessionem quod erat criminale in operatione; & si non statim purgatur, fit tamen veniale quod commiserat mortale. Multum enim satisfactionis obtulit, qui erubescentiæ dominans, nihil eorum quæ commiserit, nuntio Dei denegauit. Et quoniam verecundia magna est pœna, qui erubescit pro Christo, dignus fit misericordia. Vnde patet, quòd quanto pluribus confitebitur in spe veniæ turpitudinem criminis, tanto faciliùs gratiam consequetur remissionis: Ipsi enim sacerdotes plus possunt proficere, plus confitentibus parcere, quibus crimen remittit Dominus. Quamobrem & Petrus, 4. Sent. dist. 17. vlt. Si, inquit, quæritur ad quid valet confessio, cùm in contritione iam deletum sit peccatum; dicimus quòd quædam punitio est sicut satisfactio operis. Per confessionem etiam intelligit sacerdos qualiter debeat iudicare de crimine, per eam quoq; peccator fit humilior & cautior. Cui & concorditer Glossa super principium distinct. De pœnit. quærit ad quid pœnitentia exterior, & confessio est necessaria, cùm peccatum sit prius dimissum per
D confessionem, siue per contritionem, & respondet; Hoc fit ad humilitatem & ad iustitiam exercendam, & vt satisfaciat Ecclesiæ quam læsit, & vt ipse & alij reddantur cautiores. Et subdit; Si autem subtiliter intueatur, gratiæ Dei, non contritioni est attribuenda remissio peccatorum. Vnde euidenter apparet, quòd Glossator non dicit illud quod erat allegatum superius, pro parte contraria, ex hac Glossa, secundum sententiam propriam & subtilem, & etiam quia tunc planè contradiceret sibi ipsi, sicut præcedentia manifestant, sed secundum opinionem aliorum communem, & inter omnes, communiterue loquentes famosam. Nec quisquam, quæso, Theologus me causetur eo quòd glossulam istam non Theologicâ ita tractem. Pelagiani namque obijciunt eam mihi, quod ergo malum ipsos gladio proprio referire? Græcis enim ac barbaris, sapientibus quoque & insipientibus debitor sum effectus, neque ignoro, quoniam quod stultum est Dei sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei fortius est hominibus aliquibus aliquando: qui verò aliter senserit, loquatur ipse sapientiam inter perfectos,
E det solidum cibum prouectis. Mecum agitur multum benè si Christi paruulis lac ministrem, si declaratio sermonum meorum illuminet, & det paruulis intellectum. Vtinam omnibus omnia ita fiam, vt omnes lucrifaciam veritati. Quod verò arguebatur superius, cùm pœnitere sit in hominis libera || *potestate*, potest accepta gratia minimè pœnitere, & ita esse iustificatus & iustus sine quacunq; pœnitentia post vel ante. Fortè, bene concludit de potentia absoluta; posset enim fortassis Deus omnipotens ita iustificare adultum per habitum sine actu, sicut iustificat paruulos baptizatos & sanctificatos in ventre: secundum legē autem iam positam non concludit, cuius causam existimo, quia actus contritionis non fit à solo homine, nec antecedenter ab homine cum Deo, sed à Deo antecedenter cum homine, sicut corollarium 41. docet. Deus enim in sanctitate magnificus, quandocunq; inspirat peccatori adulto habitū charitatis || voluntate

ritatis

ritatis & gratiæ, aspirat & actum, quem & per suam infrustrabilem voluntatem, sicut decim. huius docet, in homine & cum homine, sed prius naturaliter homine irresistibiliter, & indefectibiliter operatur. Ista quoque sententia nequaquam euacuat clauium potestatem: Potestas namque & vsus earum ad multa & magna in foro priuato & publico se extendit, primo ad indicationem & notificationem veræ absolutionis à peccato impensæ à Deo, sicut superius dicebatur, dum tamen fiat conformiter absolutioni diuinæ, & iudicio Ecclesiæ triumphantis, concorditer quoque conditioni seu merito absoluti sicut præcedentia manifestant. Vnde & Augustinus de vera & falsa pœnitentia 13. Dixit, inquit, Dominus, Quodcunque solueris super terram, soluetur in cælis, hoc est, ego Deus & omnes ordines cælestis curiæ, & omnes sancti in gloria mea laudant nobiscum & confirmant quos ligatis & soluitis; Non dixit, quos putatis ligare & soluere, sed in quos exercetis opus iustitiæ & misericordiæ, alia opera vestra in peccatores non cognosco. Dicitque Gregorius homilia 26ª. super Euangelium, exponendo illud Ioannis præmissum, Quorum remiseritis peccata, &c. quod sæpè agitur, vt ille qui iudicij locum tenet, vel damnet immeritos, vel alios ipse alligatus soluat, sæpè in soluendis ac ligandis subditis suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur; vnde fit vt ipsa hac alligandi & soluendi potestate se priuet, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subiectorum moribus exercet; sæpè fit vt erga quemlibet proximum odio vel gratia moueatur pastor: Iudicare autem dignè de subditis nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia, vel gratiam sequuntur. Vnde rectè per Prophetam dicitur, Mortificabant animas quæ non moriuntur, & viuificabant animas quæ non viuunt: Non morientem quippe mortificat qui iustum damnat, & non victurum viuificare nititur, qui reum à supplicio soluere conatur: Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi atque soluendi potestas exercenda: videndum quæ culpa, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam, vt omnipotens Deus quos per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absoluat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cùm interim arbitrium sequitur Iudicis; quod bene quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quæ videlicet demonstrat, quia priùs Dominus mortuum vocauit, & viuificauit dicens; Lazare, veni foras, & postmodum is qui viuens egressus fuerat à discipulis est solutus, sicut scriptum est, Cumque egressus esset qui fuerat ligatus institis, tunc dixit discipulis, Soluite, & sinite abire: Ecce illum discipuli iam viuentem soluunt, quem magister iam resuscitauerat mortuum; Si enim discipuli Lazarum mortuum soluerent, fætorem magis ostenderent, quam virtutem. Ex qua consideratione intuendum est, quod illos nos debemus per pastoralem autoritatem soluere, quos Autorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam viuificare; quę nimirum viuificatio ante operationem rectitudinis in ipsa iam cognoscitur confessione peccati. Quare & Petrus 4. sent. dist. 18. Quomodo, inquit, verum est, Quodcunque solueris super terram erit solutum & in cælis, & quodcunque ligaueris, &c. Aliquando enim ostendunt Sacerdotes solutos vel ligatos, qui non sunt tales apud Deum, & respondit; Sed intelligendum est hoc in illis quorum merita solui vel ligari postulant. Tunc enim sententia Sacerdotis, iudicio Dei, & totius cælestis curiæ approbatur & confirmatur, cùm illa ex discretione procedit, vt reorum merita non contradicant. Quoscunque ergo soluunt vel ligant, adhibentes discretionis clauem, reorum meritis soluuntur vel ligantur in cælis, id est, apud Deum, quia in iudicio diuino sententia Sacerdotis sic progressa approbatur, & confirmatur. Secundò, Sacerdotes Ecclesiastici aliquos verè ligant, & soluunt, aliquos scilicet notoriè criminosos arcendo à communione Sacramentorum Ecclesiæ, & eosdem reconciliatos ad eadem admittendo: Licet enim talis gratia Dei præuentus pœniteat, & verè absoluatur à peccatis omnibus coram Deo, non tamen recipietur ad Ecclesiastica Sacramenta nisi emundatus & absolutus iudicio Sacerdotis. Hoc autem bene apparet de publicè peccantibus, & ideo publicè pœnitentibus, in capite ieiunij de Ecclesia patenter eiectis, & peracta pœnitentia in cæna Domini reassumptis. Quod & bene figurabatur in Lazaro notoriè mortuo & sepulto, quem Dominus per se primitus suscitauit, deinde præcepit discipulis, vt eum adhuc ligatum soluerent, sinerentque abire Ioan. 11. euidenter ostendens quod notoriè mortuus per peccatum, licet Christo vocante per gratiam reuiuiscat, debet tamen venire foras per oris ianuam, confitendo, & solui, id est, absolui à vinculo quo apud Ecclesiam tenebatur, & permitti libere abire, libertate Ecclesiæ militantis. Vnde Augustinus primæ partis super Iohan. sermone 49. hunc locum exponens, quid, inquit, hoc significat? quando contemnis, mortuus iaces, sepultus iaces, quando confiteris, procedis: quid est procedere, nisi ab occultis velut exeundo manifestari. Sed vt confitearis Deus facit, magna voce clamando, id est magna gratia vocando; ideo cùm processit mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc reus, vt soluerentur peccata eius ministris, hoc dixit Dominus; Soluite

eum

A eum & finite abire: Quid est, soluite, & finite abire? quæ solueritis in terra, soluta erunt in cælo. Qui & de verbis Domini serm. 8. postquam per exemplum de Lazaro ostendit confitentē peccatum priùs esse suscitatum à Domino, sicut superiùs pleniùs recitatur, opponendo, & respondendo subiungit.; dicet ergo aliquis, Quid prodest Ecclesia, si iam confessor voce Dominica resuscitatus prodit? Quid prodest Ecclesia confitenti, cui Dominus ait, Quæ solueritis in terra, soluta erunt & in cælo? Ipsum Lazarum attende, Cum vinculis prodijt, iam viuebat confitendo, sed nondū liber ambulabat, vinculis irretitus. Quid ergo facit Ecclesia, cui dictum est, Quæ solueritis soluta erunt, nisi quod ait Dominus continuo ad discipulos, Soluite illum & finite ‖ ire. Dicitq; Alchinus sicut recitatur in Glossa super Iohan. 11. Christus ergo suscitat, quia interius per seipsum viuificat; soluunt discipuli, quia per ministerium Sacerdotum absoluuntur viuificati. Tertiò Ecclesiastici Sacerdotes possunt verè ligare vinculo excommunicationis, & soluere in Ecclesia militante à communione Sacramentorum & fidelium separando ‖ abire. *Alcuinus.*

B & reconciliando, in tantum quòd licet constet Ecclesiæ de aliquo excommunicato, quòd verè pœnituit, & quod per eum non stetit, quò minus reconciliaretur Ecclesiasticæ vnitati, & sic decessit, quare & quòd sit absolutus veraciter coram Deo & in Ecclesia triumphante; non debet haberi pro filio Ecclesiæ militantis, donec per eam fuerit absolutus, sicut & docet expresse Innocent. Papa, Extra, de sent. excomm. A nobis est sæpè quæsitum. Vbi de tali excommunicato & mortuo ita scribit, Contingit interdum, vt qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus, & qui liber est apud Deum, Ecclesiastica est sententia innodatus. Vinculum ergo quo peccator ligatus est apud Deum, in culpæ remissione dissoluitur. Illud autem quo ligatus est apud Ecclesiam, cùm sententia remittitur, relaxatur; quod in suscitatione Lazari sermo Euangelicus manifestat, quem priùs Dominus suscitauit, & Apostolis præcepit postmodum soluere suscitatum. Vnde quantumcunque se quis iuramento præstito, quòd Ecclesiæ mandato pareret, humiliare curauerit, quantacunqu pœnitentiæ signa præcesserint, si tamen

C men morte præuentus, absolutionis non poterit beneficium obtinere, quamuis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus: Potest tamen & debet ei Ecclesiæ beneficio subueniri, si de ipsius viuentis pœnitentia per euidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur. Quartò Ecclesiastici Sacerdotes possunt verè ligare & soluere pœnitentias varias grauiores vel leuiores pœnitentibus iniungendo, iniunctas mitigando, mutando, & fortassis per Indulgentias de immenso thesauro Ecclesiæ omnem exteriorem pœnitentiam misericorditer relaxando, possuntque forsitan ex amplissima misericordia Domini absoluere pœnitentes ab omni pœnitentia, & pœna extrinseca in præsenti, vel in futuro debita pro peccato. Quare & Augustinus de vera & falsa pœnitentia 13. Ipsi, inquit, Sacerdotes possunt confitentibus ‖*parcere*, quibus crimen remittit Dominus. Lazarum enim de monumento iam suscitauit, obtulit discipulis soluendum, per hoc ostendens potestatem soluendi concessam Sacerdoti. Dixit enim, Quodcun- ‖ proficere

D que solueris super terram, soluetur in cælis; hoc est, Ego Deus, & omnes ordines cælestis curiæ, & omnes sancti in gloria mea laudant nobiscum, & confirmant quos ligatis & soluitis; non dixit, Quos putatis ligare & soluere, sed, in quos exercetis opus iustitiæ & misericordiæ, alia opera nostra in peccatores non cognosco. Quinto Ecclesiastici Sacerdotes verè absoluunt ab obligatione qua peccator, opportunitate concessa, tenetur secundum legem in Ecclesia positam confiteri Sacerdoti sua peccata, & absolui ab eo: Hoc enim semel facto, non tenetur vlteriùs sic facere de eisdem. Sextò Ecclesiastici Sacerdotes absoluunt veraciter & finaliter quodammodo à peccatis, quia iuxta præmissa, licet peccata per infusionem gratiæ deleantur ante confessionem, & absolutionem obtentam, tamen nisi peccator, habita facultate, postea confiteatur & absoluatur, reuertuntur quodammodo & nouiter imputantur, imò & propter contemptum clauium aggrauantur. Septimò potestas clauium, absolutio Sacerdotis, & pœnitentiæ Sacramentum valet ad augmentum gratiæ consequendum, quod debet non medio-

E criter quemlibet excitare ad sæpissimè confitendum. Hæc namque secundum Augustinum, vt recitat Petrus 4. sent. dist. 1. est distantia Sacramentorum veterum & nouorum, quòd illa tantùm promittebant, & significabant, hæc autem dant salutem. Eodemque modo videtur esse de baptismo pœnitentiæ, sicut de baptismo aquæ; sed baptismus aquæ confert adulto priùs baptizato Spiritu Sancto, & accedenti in gratia, augmentum gratiæ & virtutum dicente Hieronymo, sicut Petrus allegat 4. sentent. distinct. 4. Fides quæ fideles facit in aquis baptismi datur, vel nutritur, quia non habenti ibi datur, & iam habenti vt plenius habeatur, quod & tenet ibi Petrus expresse. Quare & octauo, valet ista potestas, ad diminutionem & repressionem concupiscentiæ, fomitisque peccati: Docente namque Augustino Enchirid. penult. & alibi multis locis, Charitate crescente minuitur cupiditas & decrescit. In baptizato quoque primo

primo baptismo flaminis, cùm postea recipit baptismum in aqua, debilitatur fomes peccati, A sicut 4. sentent. Petri distinct. 4. docetur, cur ergo non similiter in baptismo pœnitentiæ sentiendum? Iste quoque effectus deberet excitare non modicum ad creberrimè confitendum. Ad illud autem quod arguebatur superius, Si pœnitentia est Sacramentum, est signum sacræ rei ipsam sequentis: quidam respondent sicut recitat Petrus 4. Sent. dist. 23. hoc non esse verum de Sacramento pœnitentiæ, sicut nec semper in alijs Sacramentis, quæ efficiunt quod figurant. Quibus & concorditer ipse Petrus super eodem dist. 4. quærendo & respondendo, sic ait; Si quæritur cuius rei baptismus ille sit Sacramentum, qui datur iam iusto, dicimus Sacramentum esse & rei quæ præcesiit, id est, remissionis ante per fidem datæ; nec mireris rem aliquandò præcedere Sacramentum, cum aliquandò etiam longè post sequatur, vt in illis qui ficte accedunt, quibus, cum post pœnituerint, incipiet baptismus prodesse, in quibus fuit baptismus Sacramentum huius sanctificationis quam pœnitendo habent. Aliter autem, & forsitan verius iuxta præcedentia dici potest, quòd Sacramentum pœnitentiæ est signum sacræ rei B per ipsum semper collatæ, augmenti scilicet gratiæ præcedentis. Quasdam etiam Autoritates & rationes per Pelagianos obiectas exponunt, & soluunt 35. & 21. huius.

CAP. XLIIII.

De Prædestinatione secundum quid nominis.

POST hæc autem De prædestinatione aliqua breuia breuiter sunt dicenda, de qua, quid nominis est sciendum. Nam secundum Philsophum 1. Elench. Qui nominum virtutis ignari sunt, paralogizantur & ipsi disputantes, & alios audientes; cui & concordans Apostolus 1. ad Cor. 14. ita dicit, Si nesciero virtutem vecis, ero ei, cui loquor barbarus, & qui loquitur mihi barbarus. Dicitur ergo destinare secundum Grammaticos, mittere, deputare, signare, ascribere, ordinare, & istis vltimis modis loquitur sacra Scriptura. Vndè 2. ad Cor. 9. Vnusquisque prout destinauit in corde suo, &c. Glossa, destinauit, id est, præordinauit. Et Sap. 5. Tanquam sagitta emissa in locum destinatum, &c. Quare & Prædestinare, & Prædestinatio dicitur eisdem modis. Vndè beatus Augustinus simili via incedens de Prædestinatione contra Pelagianos secundo definit Prædestinationem hoc modo, Prædestinatio est præmittendo, & præuidendo, vel præordinando futurum aliquid.

Philosophus. *1. Cor. 14.* C *Sap. 5.*

CAP. XLV.

Quòd Prædestinatio realiter sit ponenda quid sit, quot modis dicatur; quòd non sit propter opera, sed secundum Dei gratuitam voluntatem. D

NVNC autem habito quid Prædestinatio nominaliter dicitur, restat inquirere nunquid ipsa realiter sit ponenda, & quòd sit ponenda realiter 27. & sequentia satis probant; quam & testatur vtriusque series Testamenti. Vndè Exod. 32. Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Iste autem liber scriptus à Deo quid aliud potest intelligi, quam eius Prædestinatio de futuris, sicut omnes expositores Catholici contestantur; & Psal. 68. deleantur de libro viuentium; Et Psal. 138. In libro tuo omnes scribentur. Et Esa. E 4. Sanctus vocabitur omnis qui scriptus est in vita, in Ierusalem; & Dan. 12. In tempore illo saluabitur populus meus, omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro. In nouo similiter testamento Apostolus Prædestinationem testatur, non suppresso nomine sed expresso, vbi agit de Filio Dei Prædestinato ad Rom. 1. Et infra 8. de his quos Prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui; Et ad Ephes. 1. De his quos elegit ante mundi constitutionem, & Prædestinauit in adoptionem filiorum. Ipsa similiter veritas veraciter hoc docebat, Matth. 20. loquens de sessione ad dextram vel sinistram à Patre sessoribus præparata. Et infra 25. de regno parato à mundi origine regnaturis; Pro qua & Act. 10. scribitur de testibus præordinatis à Deo; Et infra 13. Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam; quam & Autoritates

Exod. 32. *Psal. 68.* *Psal. 138.* *Esai. 4.* *Dan. 12.* *Rom. 1.* *Ephes. 1.* *Matth. 20.*

A toritates de electione diuina cum multis suis similibus in vtroque testamento insinuant euidenter. Hanc quoque omnes Doctores, imò & omnes docti pariter & indocti Catholici Catholicè confitentur. Nunc autem terminata quæstione De prædest. Si est; superest consequenter inquirere quid est realiter prædestinatio iam inuenta, & sicut potest haberi ex 9. & 27. & sequentibus cum adiutorio 23. Ipsa est æterna præuolutio Dei, siue præordinatio voluntatis diuinæ circa futurum. Et hæc dupliciter potest sumi, vno modo generaliter, scilicet pro præordinatione diuina respectu cuiuscunque futuri, & sic est conuertibile cum prouidentia, sicut ex 27. & sequentibus apparebit; sicque loquitur Philosophus in Secretis Secret. partis 1. cap. 16. Deus, inquiens, cuncta sua sapientia æquali pondere, & certo numero & ordine destinauit. Et infra eisdem lib. & parte 22. cap. dicit, quòd Destinator excelsus non ita prædestinauit futura, quòd in aliquo suæ potentiæ derogaret. Alio modo specialiter, scilicet pro præordinatione voluntatis diuinæ circa creaturam rationalem, angelicam vel humanam; & iste est B communis modus loquendi Scripturę Canonicę & Doctorum. Et adhuc sicut volutio Dei accipitur bino modo, simpliciter scilicet & secundum quid, bonorum videlicet & malorum, sicut 34. & præcedentia docuerunt: sic & ei duplex huiusmodi prædestinatio correspondet, simpliciter & secundum quid, bonorum atq; malorum. Quòd autem prædestinatio sit bonorum, nullus Theologorum ignorat: sed quia ab aliquibus forsan dubitatur, An sit malorum similiter, hoc ostendam. Hoc enim, vt prætactum est, sequitur ex 34. cum præcedentibus, & 27. & sequentibus, & ex corollario 23. cap. & rationibus, & autoritatibus quas adducit, & ex illo 23. cum hoc vero notissimo cuilibet Christiano, quòd Deus vult & in finali iudicio, & post volet multos Angelos malos & homines æternis ignibus cruciari. Item dicit Aug. 21. de Ciu. Dei 25. quòd aliqui in hac vita prædestinati sunt in æternum ignem ire cum Diabolo, sicut 23 plenius allegauit. Idem super Iohan. parte 2. hom. 53. siue 107. totius, exponens illud Iohan. 17. Nemo ex his perijt, nisi filius perditionis, vt Scriptura impleretur, sic ait, Filius perditio- C nis dictus est traditor Christi, perditioni prædestinatus secundum Scripturam, quæ de illo in Psalmo 108. maximè prophetat. Idemq; Enchir. 80. dicit; Quòd Deus aliquos iustè prędestinauit ad pœnam, & aliquos benignè ad gratiam. Hoc idem potest haberi de bono perseuerantiæ 45. & 49. & alibi multis locis. Sed aliqui istam sententiam non tenentes prædestinationem in talibus per simplicem præscientiam semper exponunt: quæ expositio si sit conueniens, videtur posse conuenire toti sacræ Scripturæ, Doctoribus nostris, & Sanctis, vbicunque de prędestinatione etiam bonorum faciunt mentionem, quod satis constat esse contrarium Catholicæ veritati. Item si Deus habet præscientiam talium, ergo & volutionem, sicut 18. cap. ostendebat; quare & prædestinationem aliquam voluntatis. Item contrarium istius potius inuenitur, scilicet pro prædestinatione præscientiæ nomen poni. Vnde Apost. ad Rom. 11. Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit, & loquitur ibi de reliquijs Iudæorum prædestinatis ad regnum, quæ gratia saluæ fiunt. Pro quo dicit Aug. de bono perseu. 54. Aliquando præ- D destinatio significatur etiā nomine præscientiæ, sicut ait Apost. Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit, quod non rectè intelligitur nisi prædestinauit, quod circumstantia ipsius lectionis ostendit, quod & sicut breuiter tetigi, diffusius manifestat. Item istam geminam prędestinationem ponit Isidorus manifestè 2. De summo bono 6. sub his verbis; Gemina est prędestinatio, siue electorum ad requiem, siue reproborum ad mortem. Mira dispositio est supernæ distributionis per quam hic iustus amplius iustificatur, & impius amplius sordidatur, malus ad bonum aliquando conuertitur, bonus ad malum aliquando reflectitur. Cui concordat Anselmus de Concordia 7. ita dicens; Non solùm prædestinatio bonorum, sed & malorum potest dici. Non est ergo inconueniens, si hoc modo dicimus prædestinare Deum malos, & eorum mala opera, quando eos & eorum opera mala non corrigit; sed bona specialiùs præscire & prædestinare dicitur, quoniam in illis facit quòd sunt, & quòd bona sunt, at in malis non nisi quod sunt essentialiter, non quod mala sunt. Sæpissimè tamen dicunt Sancti, quòd prædesti- E natio est tantum bonorum, quod ideo est, quia prædestinatio malorum, non est prædestinatio simpliciter & per se, sed tantùm per accidens, & ens per accidens propinquum est non enti, sicut de volutione cap. 33. erat dictum: prædestinatio verò malorum, reprobatio communiter nuncupatur. Et quia secundum Aug. 4. super Gen. ad literam 6. dum res conceditur non est de vocabulis laborandum, & secundum Phil. 2. Topic. Nominationibus quod ‖ *quid* res nuncupandum vt pluries, quæ autem rerum sint, huius vel non huius, non attendendum pluribus. Vocetur prædestinatio bonorum, prædestinatio absolutè; prædestinatio verò malorum reprobatio nominetur. Potest autem prædestinatio sic describi; Prædestinatio est æterna præparatio à voluntate diuina gratiæ finalis in via, & beatitudinis sempiternæ in patria, creaturæ rationali. Quam Augustinus De prædestinatione Sanctorum 12. breuius sic definit; quod

Isidorus.

Anselmus.

‖ quidem

Est gratiæ præparatio; sed oportet quòd intelligat modo dicto. Multis enim præparatur A
gratia vel donatur qui cadunt ab ea, finaliterque damnantur; sed de prædestinatis nullus vnquam perijt aut peribit. Huius autem prædestinationis effectus sunt collatio gratiæ in præsenti, iustificatio à peccato, bona merita, finalis perseuerantia, & beatitudo perpetua in futuro. Sciendum quoque quod hæc prædestinatio in bono est duplex, scilicet gratiæ & meritorum in præsenti, & gloriæ & præmiorum in futuro, vt potest elici ex eius descriptione præmissa, & ex 31. cap. & habetur expressè ex sent. Apostoli ad Eph. 1. & 2. cum glossa 31°. cap. allegatis. Reprobatio verò & eius effectus per horum opposita cognoscuntur. Quia verò sancti & Doctores dicunt frequenter quod Deus prędestinauit & præparauit reprobis ignem & pœnam, sed non peccata, nec eos ad peccandum; posset quis arguere contra istud per cap. proximum 23°. cap. adiuuante, vel per istud dictum Sanctorum posset arguere contra cap. 34. eodem 23°. succurrente. Et potest hic de prædestinatione similiter responderi, sicut de volutione 34°. cap. est responsum, & in principio huius cap. tangebatur. Nunc autem restat inquirere, Vtrum ex parte prædestinati sit aliqua causa prædestinationis diuinæ, & quod B
non, cap. 20um. manifestat. Item si aliqua esset causa, illa maximè videretur bona opera prædestinati; sed illa antequam sint nihil causant; Nullus ergo est prædestinatus antequam operetur; prædestinatio ergo Dei est temporalis & noua contra cap. proximum, & 23um. & contra scripturam canonicam cap. proximo allegatam, & contra omnes Doctores catholicos materiam hanc tractantes. Nec potest dici quod præscientia operum prædestinati est causa prædestinationis diuinæ, quia illa sunt priùs naturaliter prædestinata à Deo ipsi prædestinato, quàm præscita à Deo: Nam Deus prius naturaliter vult ipsum habere talia merita, & per illa regnum cælorum quàm hoc sciat; & per hoc quod sic vult, scit sic esse vel fore, sicut cap. 18um. ostendebat. Scientia igitur vel præscientia meritorũ non causat prædestinationem in Deo. Adhuc autem Deus prædestinauit Petro, primò regnum, & merita finaliter propter regnum, non è contra, sicut apparet ex 35°. huius. Item propter quamcunque causam Deus præparauit æternaliter gratiam alicui cõferendam, propter eandem causam confert temporaliter eam sibi, C
per cap. 23um. & quia aliter voluntas Dei frustraretur, contra cap. 10um. Nam ab æterno voluit conferre nunc gratiam propter opera, & non facit, sed, secundum hypothesin, propter opera prædestinati Deus præparauit æternaliter sibi gratiam conferendam. Igitur propter opera confert temporaliter eam sibi, contra 35um. cap. & aliá quæ sequuntur. Vel aliter ostensiuè propter quodcunque Deus non confert temporaliter gratiam, non præparauit æternaliter gratiam conferendam; Omne opus est illud propter quod Deus non confert temporaliter gratiam. Item quam gratis Deus confert temporaliter gratiam cuicunque, tam gratis præparauit æternaliter sibi gratiam conferendam: sed Deus gratisimè confert temporaliter gratiam non propter præcedentia merita secundum quod 35um. cap. & sequentia docuerunt. Item prædestinatio est gratia Dei gratificans prædestinatos ad vitam secundũ distinctionem gratię 35°. & 42°. præmissam: Quare non est ex operibus aut meritis quibuscunq; secundum quod D
35um. cap. & sequentia demonstrabant. Quod autem prædestinatio sit gratia Dei patet, quia omnis volutio Dei respectu boni extrinseci alicui conferendi, gratis emanat non ex aliqua causa inferiori eam à priori causante, sicut per 20um. huius patet. Pro quo & dicit Apostolus ad Eph. 1. Prædestinauit nos in adoptionem filiorum secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, quod cap. 25um. pleniùs pertractauit. Præterea omnes penè rationes probantes gratiam gratis dari, probabunt similiter quod prædestinatio gratis fiat. Ampliùs autem, hoc est planè contra Apostolum ad Rom. 9. dicentem de Iacob & Esau, Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid egissent boni aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. In quibus, sub nomine filiorum promisionis filios prædestinationis ostendit, vt patet ibi ex serie lectionis, & per expositionem omnium catholicorum Doctorum exponentium illum locum. Et infra, ostendit Apostolus per sacram Scripturam, quod prædestinatio est ex misericordia voluntatis diuinæ, non E
ex operibus, ita dicens, Mosi dicit Dominus, Miserebor cui misereor, & misericordiam præstabo cui miserebor, & concludit; Ergo non volentis neque currentis, id est, non quilibet operantis sed miserentis est Dei; & allegato alio loco scripturæ de Pharaone iterum sic concludit; ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Si tamen illa volutio causaretur ab operibus talium & sequeretur ea, non congruè diceret sed magis deberet dicere isto modo; Qui bene operatur vel operabitur, huius vult misereri; & qui male, hunc vult indurare; & hoc est originaliter & principaliter volentis & currentis, non miserentis Dei: ideoque supra dixit planisimè, Non ex operibus sed ex vocante, vt secundum electionem propositum Dei maneret,

A neret, non secundum aliqua merita quouismodo. Nec credo aliquem tam hebetem, tam effrontem, tam inuerecundè & friuolè cauillantem, qui dicat Apostolum non intellexisse de operibus tunc futuris, sed tantum præsentibus quæ nulla tunc fuerunt. Nam quomodo tantus doctor vas electionis primitias spiritus habens, qui non ab homine didicit aut accepit, sed per reuelationem Domini Iesu Christi, qui & sapientiam loquebatur inter perfectos, tam perfectos & doctos vt Romanos tam indoctè docuisset, vt cùm Iacob & Esau nondum nati fuissent, aut aliquid egissent boni aut mali, non ex operibus tunc præsentibus dictum esse Maior seruiet minori, & Iacob dilexi &c. Quis enim indoctissimus ignoraret, quòd cùm nondum nati fuissent, aut aliquid egissent boni aut mali, nihil deberi eis propter opera tunc præsentia dici posse? aut cui non videretur ridiculum si dixisset, Prædestinauit illos priusquam essent, & ante mundi constitutionem propter opera, quæ tunc præsentialiter habuerunt, cùm hoc nusquam dubitauerit vel etiam idiota? omnis autem doctrina Christiana debet esse alicuius vtilis & ignoti, hoc autem non est vtile alicui Christiano, nec potest ab aliquo ignorari: Et quo-
B modo tam studiosè, si infructuosè; adduxisset testimonia & exempla veteris Testamenti cum disputatione tam vigili ad illam conclusionem probandam, quæ nunquam potuit esse dubia aut ignota? Quomodo etiam ex ista conclusione taliter intellecta, scilicet de operibus talium qui non præsentialiter operantur, nec vnquam fuerant operati vlteriùs procedendo concluderet conclusiones || *alias* quæ sequuntur; quarum prima est, Igitur non volentis neque curren- || illas tis, sed miserentis est Dei: secunda, ergo, Cui vult miseretur, & quem vult indurer. Nisi enim intelligeret dictum suum communiter de operibus præteritis, præsentibus aut futuris, nulla esset connexio rationis, nec dixisset vt secundum electionem propositum Dei maneret. Nam si propositum Dei sequatur opera futura, non est secundum electionem suam, sed secundum electionem meritoriam futuram illorum qui merebuntur. Nec debuit dixisse, non ex operibus, sed ex vocante, imò magis è contra, non ex vocante, sed ex operibus illorum futuris, per quæ
C primò & originaliter Deus excitatur quodammodo & vocatur ad prędestinandum, sicq; Deus potius diceretur vocatus, & ipsi vocantes, nec debuit conclusisse; ergo neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, imò potiùs non miserentis est Dei, sed cursuri & voluturi: Hic est enim principium & origo cur Deus miseretur, non in Deo. Nec iterum debuit conclusisse, ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat; sed sic, ergo cuiuscunq; bene voluturi Deus miseretur, & quemcunque malè voluturum indurat. Item si Apostolus ibi negaret prædestinationem & vocationem Dei esse ex operibus præteritis, vel præsentibus tantum non futuris, sed permitteret eam esse ex futuris, sicut tunc aliqui Iudæorum conuersorum Romæ morantium voluerunt asserere, scilicet illi qui dixerunt propter merita sua & parentum suorum in obseruantia legis Mosaicæ se gratiam Christi, & fidem Euangelij accepisse, vt patet per processum Epistolæ ad Romanos, & Lumbardus in prologo glossę super illam Epistolam, hoc recitat ab Haymone & Augustino, & sicut Pelagiani nunc asserunt, scilicet electos prædesti-
D nari propter merita sua futura, quomodo eos refelleret, & gratiam commendaret, quod tamen principaliter voluit, sicut per epistolam totam patet, & per Lumbardum in prologo vbi prius, & per multas Autoritates Haymonis, & Augustini illuc per eum adductas. Et quod hoc specialiter intendebat per illum processum, ex 9° cap. allegatum, patet per August. Enchirid. 78. dicentem, Apostolus gratiam commendabat, ad cuius commendationem de illis in Rebeccæ vtero geminis, fuerat iam loquutus, Quibus nondum natis, nec aliquid agentibus boni seu mali, vt secundum electionem propositum Dei permaneret, non ex operibus sed ex vocante dictum est, quoniam maior seruiet minori. Item secundum eundem Apostolum, Deus non confert gratiam præsentialiter propter opera, sicut capitulum 35. & sequentia pleniùs allegarunt, ergo nec eam propter futura opera præparauit: Ipse enim habet immobilitatem consilij teste adhuc eodem Apostolo cap. 6. ad Hebræos; imò sicut vocat existentes ad gratiam non propter opera sua præsentia, sic nec futuros prædestinat propter futura, sed hos & illos simili-
E ter purè gratis. Vnde ad Rom. 4. vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt; & quomodo vocat ea, idem vocatus Apostolus de seipso testatur; Vocauit, inquit, me per gratiam suam ad Gal. 1. & 2. ad Tim. 1. vocauit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est in nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia, manifestata autem nunc per illuminationem Saluatoris nostri Iesu Christi. Hæc est ergo sententia Apostoli in verbis suis ad Romanos superius pertractatis, quòd Deus vocat & prædestinat purè gratis, non ex operibus præteritis, præsentibus, aut futuris. Et hoc testatur Augustinus expresè sermone suo de prædestinatione & gratia Dei, vbi tractat prædictam Autoritatem Apostoli sub his verbis: Si secundum futuros eorum mores dicitur diuinum decreuisse iudicium, profectò illud euacuabitur quod præmisit Apostolus dicens, Non ex operibus,

ribus sed ex vocante dictũ est, quia Maior seruiet minori: Non enim ait ex præteritis operibus, A
sed cùm generaliter dixit non ex operibus, ibi & præterita intelligi voluit & futura; præterita, scilicet, quæ nulla erant, & futura quæ nondum erant; Prædestinatus est Iacob vas in honorem, sed non ex operibus, quia non ex operibus, sed ex vocante dictũ est, Maior seruiet minori: Et nè fortè vasa in honorem Prædestinata suis aliquid viribus tribuendo, negarent gloriam Creatori, alio eos loco Apostolus vasa misericordiæ nominauit, vt totum, quicquid essent, secundum misericordiam se esse cognoscerent: Sic enim & alibi idem dicit Apostolus, Et hoc non ex vobis, sed Dei donum est. Hoc idem patet per Glossam Lumbardi super literam allegatam: Ibi namque secundum expositionem illius, ostendit Apostolus Iacob non fuisse Prædestinatum & Esau reprobatum, neque propter merita præcedentia, neque propter futura; vndè sic dicit, Maior, id est, Esau seruiet minori, id est, Iacob. Et ne quis putet hoc fieri ex præcedenti merito illorum, quia hoc dictum est ei, id est, matri, cum nondum nati fuissent, & quia possent in vtero & luctando aliquid meruisse verè videri, subdit, Aut cum B
nondum egissent aliquid boni vel mali, Ideo autem dictum est, vt propositum Dei maneret, id est impleretur, secundum electionem, id est, secundum gratiam qua elegit, non secundum debitum meritorum, qua eligendos ipse facit non inuenit, non ex operibus; sicut ostendit non pro meritis præcedentibus illud fuisse dictum, ita pro futuris meritis amborum dictum fuisse hoc ostendit. Quare dico, Non pro præcedentibus eorum meritis hoc dictum est. Iterum dico, quòd non ex operibus bonis vel malis futuris, quæ bona vel mala non erant futura, nisi apposita gratia vel subtracta, sed ex vocante vel vocatione id est ex gratia Dei. Idem 1. Sentent. dist. 41. dicit, Elegit Iacob, & Esau reprobauit, quod non fuit pro meritis eorum quæ tunc haberent, quia nulla habebant, quoniam nec ipsi existebant, nec propter futura merita, quæ præuidebat, vel illum elegit, vel illum reprobauit? Opinati sunt tamen quidam Deum ideò elegisse Iacob, quia talem futurum præsciuit, qui in eum crederet, & ei seruiret, quod Augustinus aliquandò se sensisse dicit in libro Retractationum, vbi apertè ostendit, quòd si propter C
futura merita electus fuisset, iam non ex gratia esset electio. Non ergo ideò electus est a Deo, quia talis futurus erat, sed ex electione talis factus est. Hanc eandem sententiam docet idem Apostolus ad Ephes. 1. dicens, Elegit nos ante mundi constitutionem vt essemus sancti & immaculati: Non dicit quia fuimus, aut futuri fuimus sancti & immaculati, sed vt essemus sancti & immaculati; & sequitur qui Prædestinauit nos in adoptionem filiorum secundum propositum voluntatis suæ, non secundum merita voluntatis nostræ; & sequitur, Nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ, non nostræ, nec secundum opera nostra futura. In hoc autem quòd dicit, Nos sorte vocati sumus, videtur imitatus esse Psalmistam Psal. 23. Domino sic dicentem, In manibus tuis sortes meæ; Super quod Aug. tract. 3. ita dicit, Quare sortes? sors enim non aliquid mali est, sed res in dubitatione humana diuinam indicans voluntatem. Sortē igitur dixit quantum existimo gratiam qua salui facti sumus; quare sortes appellant gratiam Dei, quia in sorte D
non est electio, scilicet meritorum, sed voluntas Dei. Nam vbi dicitur, iste facit, iste non facit, merita considerantur, & si merita considerantur electio est non sors. Quandò autem Deus nulla merita nostra inuenit, sorte voluntatis suæ saluos nos facit quia voluit, non quia digni fuimus, hæc sors merito est tunica Domini desuper contexta, quæ significat Charitatis æternitatem, cum diuidi non posset, sors super eam missa est; Ad quos verò peruenit, eos significat, qui videntur ad sortem peruenire Sanctorum; hæc sors est occulta Dei voluntas. Idem sexto contra Iulianum vicesimo primo dicit, Damnabiles illo creante nascuntur qui Creator est omnium, & per mediatorem à damnatione liberantur debita, sed gratuita miseratione non debita, quos elegit ante mundi constitutionem per electionem gratiæ, non ex operibus vel præteritis, vel præsentibus, vel futuris, alioquin gratia iam non est gratia, quod maximè apparet in paruulis, quorum nec præterita dici possunt opera quia non fuerunt, nec præsentia quia nihil operantur, nec futura quoniam in illa E
ætate moriuntur. Idemque supra eiusdem libro quinto, capitulo sexto dicit, Ipsi sunt electi, & hoc ante mundi constitutionem, qui vocat ea quæ non sunt tanquam sint, sed Electi per electionem gratiæ. Vndè & dicit idem Doctor de Israel, Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Et nè fortè ante mundi constitutionem ex operibus præcognitis putarentur Electi, secutus adiunxit, Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Item iste fuit vnus de erroribus Pelagij hæretici, dicere scilicet Deum Prædestinare propter merita futura præscita, sicut tangit Augustinus de Prædestinatione sanctorũ multis locis? Vndè cap. 24. tractans dictum Apostoli ad Eph. 1. superius allegatũ, sic dicit, Præsciebat vt ait Pelagius qui essent futuri sancti & immaculati per liberæ voluntatis

A luntatis arbitriũ, & ideò eos ante mundi constitutionẽ in ipsa sua pręscientia qua tales futuros esse præsciuit, elegit. Eligit ergo, inquit, antequam essent, prædestinans filios suos quos futuros sanctos, immaculatosque præsciuit, quem sic reprobat Augustinus. Intueamur verba Apostoli, atque videamus, vtrum propterea nos elegerit ante mundi constitutionem, quia sancti & immaculati futuri eramus, aut vt essemus. Benedictus, inquit, Deus qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus, sicut eligit nos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati. Non ergo quia futuri eramus, sed vt essemus; certum nempe & manifestum est: Ideo quippe tales futuri eramus, quia elegit ipse prædestinans, vt tales per gratiam eius essemus. Hoc etiam errore aliquando fallebatur Augustinus, sicut ipsemet testatur supra, eiusdem 4. quem suum errorem nonnulla eius opuscula satis indicant, sicut dicit; quorum vnum fuit expositorium quarundam propositionum ex Epist. ad Rom. quod in libro Retractationum suarum retractasse se recitat in hæc verba disputans; Quid elegerit Deus in nondum B nato, cui dixit seruiturum esse maiorem, & quid in eodem maiore similiter nondum nato reprobauit? de quibus propter hoc commemoratur, quamuis longè postea prolatum sit propheticum testimonium; Iacob dilexi, Esau autem odio habui, ad hoc perduxi ratiocinationem vt dicerem; Non ergo elegit Deus opera cuiusquam in præscientia quæ ipse daturus est, sed fidem elegit in præscientia, vt quem sibi crediturum esse præsciuit, ipsum eligeret. Nondum diligentius quæsieram nec inueneram, qualis sit electio gratiæ, de qua dicit Apostolus; Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt, quæ vtique non est gratia, si eam vlla merita pręcedant, & est ista retractatio 1. Retractat. 23. Fuit igitur prima sententia Augustini, quòd Deus non prædestinauit propter opera futura distincta contra fidem, & hanc non retractat sed approbat, sed propter fidem futuram, scilicet propter actum fidei, seu propter ipsum credere, sicut verba ipsius ostendunt. Dicit enim; Fidem elegit in præscientia, vt quem sibi crediturum esse præsciuit, ipsum eligeret; Et infra proinde quod continuò dixi, dicit enim idem A-C post. Idẽ Deus qui operatur omnia in omnibus, nusquã dictũ est, Deus qui credit omnia in omnibus, ac deinde subiunxi; Quòd enim credimus, nostrũ est, quòd autẽ bonum operamur, illius est, qui credentibus dat Spir. S. profectò non dicerem, si iam scirem etiã ipsam fidem inter Dei munera reperiri: & istam sententiã velut insensatã reprobat & retractat. Hæc est ergo vltima sententia Aug. quòd Deus nullũ prædestinat propter actũ credendi futurum, scilicet quia credet in eum, nec propter aliqua opera sua futura. Similem quoq; errorem priori de prædestinationis materia posuit Aug. 83. qu. 68. quem 1. Retract. 26. partim retractat expresse, partim in suo simili. Ex quo enim vnam sententiam retractat tanquam erroneam, certum est ipsum velle quamlibet aliam similem haberi pro retractata, quoniam de similibus est similiter iudicandum. Etiam hoc tenet Lumb. 1. Sen. dist. 41. & potest dici, quòd hunc errorem retractauit expressius, postquam librum Retract. perfecit, scilicet de prædestinatione Sanctorum, 4. vbi dicit, sicut erat superius recitatum, quod nonnulla opuscula ‖ *eius* satis indicant hunc er- ‖ sua
D rorem. Ibi ergo hunc suum errorem reprobat, & retractat, vbicunque occurrerit in suis opusculis vniuersis. Idem quoque infra, eodem 11. & 12. facit similem retractationem similis sententiæ de opusculo suo contra Porphyrium, de tempore Christianæ religionis. Item Aug. de correptione & gratia, 56. tractans de promissione seminis Abrahæ multiplicandi, facta sibi per Deum, Gen. 15. ita dicit; Neque enim eos scilicet prædestinatos propterea promisit Abrahæ, quia præsciuit à seipsis bonos futuros, nam si illud vtique est, non suum sed eorum est quod promisit. Item si Deus prædestinat quempiam propter opera sua futura, quare prædestinat opera illa sibi, sicut 31. cap. demonstrauit, non propter alia opera priora & illa propter alia, nè fortè hoc procederet sine fine. Restat ergo vt tam merita quàm præmia prædestinet purè gratis. Item prius quodammodo prædestinat Deus alicui præmium quàm meritum. Prædestinat enim præmium tanquam finem, & meritum velut medium ad hunc finem, sicut 35. cap. arguebat, prædestinat ergo meritum futurum propter præmium futurum & non è contra. Item E reprobatio, de qua magis videtur, non est propter opera futura, ergo nec prædestinatio. Apostolus enim ad Ro. 9. ponit eas à pari. Cum enim, inquit, nondum nati fuissent, aut egissent aliquid boni vel mali, vt secundum electionem, propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est; Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Super quod dicit Aug. Enchi. 70 Sentiens Apostolus quemadmodum posset hoc quod dictum est; Iacob dilexi, Esau autem odio habui, permouere eos, qui penetrare intelligendo non possunt hanc altitudinẽ gratiæ, ait; Nunquid iniquitas est apud Deum? Absit, iniquũ enim videtur, vt sine vllis bonorũ, malorũue operũ meritis vnũ Deus diligat, oderit alterum. Idem patet per eundẽ Apost. infra, eodem, dicentẽ; Cuius vult miseretur, & quem vult obdurat: & iterum; An non habet potestatẽ figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem

vas in honorem, aliud verò in contumeliã? Hic tamen sciendum secundũ Lum. 1. Sen. dist. 41. A
quod tam prædestinatio quàm reprobatio potest dupliciter accipi. Prædestinatio enim accipitur pro æterna Dei præparatione gratiæ alicui conferendæ & pro eius temporali effectu, scilicet ipsius gratiæ collatione; Reprobatio verò accipitur pro æterna Dei nolutione gratiæ alicui, * & pro eius temporali effectu, scilicet gratiæ priuatione seu desertione, & hæc vocatur obduratio, vbi & dicit Lumbardus, quod ipsius Dei æternæ reprobationis nullum est meritum. Et infra, eadem distinctione, Reprobauit Deus quos voluit, non propter merita futura quæ præuideret, veritate tamen rectissima, & à nostris sensibus remota. Si quis autem Deo odibilis voluerit sophisticè cauillare dicendo, quod opera futura non sunt causa principalis prædestinationis, & sic omnia præmissa debere intelligi, sed quod sunt causa sine qua non, cùm Deus similiter conferat gratiam temporaliter, sicut prædestinauit eam æternaliter, sicut superius est argutum, sequitur Deum conferre gratiam temporaliter propter merita operum, tanquam propter causam sine qua non, licet non sicut propter causam penitus principalem, B
quod 36um. capitulum reprobauit. Potestque ista proteruia similiter confutari, sicut capitulum decimum sextum similem confutauit. Item quis tantum desipiat quod dicat beatum Augustinum, quando exposuit quasdam propositiones epistolæ ad Romanos, & scripsit librum 83. quæstionum, seu 68am. quæstionem illarum, & dixit, quod merita futura fuerunt causa prædestinationis diuinæ, sicut erat superius recitatum, tanquam insipienter & insipidè sapuisse, vt crederet merita futura fuisse causam principalem prædestinationis diuinæ, ita quod Deus non esset principalior causa illius; imò nulli sane sapienti dubium, quin Augustinus tunc intellexit, sicut tale dictum communiter solet intelligi, & sicut apud communes homines talia verba sonant, quia secundum eundem Augustinum de doctrina Christiana, sic debet quilibet Doctor loqui: & secundum Philosophum 2. Topic. Nominationibus quid res nuncupandum vt pluries: Nam ea quæ sunt in voce debent notificare animæ passiones, vt docet idem Philosophus 1. peri hermenias, & Augustinus 15. de Trinit. 10. quod & diffusè docet Apostolus 1. ad Corinth. 14. Dicit enim; Fratres si venero ad vos linguis loquens, C
quid vobis prodero, nisi loquar vobis aut in reuelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina. Tamen quæ sine anima sunt, vocem dantia siue tibia, siue cithara, nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur quod canitur, aut quod citharizatur? Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Ita & vos, per linguam, nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes: Tam multa vt puta genera linguarum sunt in hoc mundo: Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus, & qui loquitur, mihi barbarus: Sed in Ecclesia volo magis quinque verba sensu meo loqui, vt alios instruam, quàm decem millia verborum, lingua. Vnde & Nehemiæ 8. Legit in libro legis Dei distinctè, & apertè ad intelligendum. Et quod dictum est de loquela, idem intelligendum est de Scriptura, quoniam secundum Philosophum 1. peri harmenias & Augustinum 15. de Trinit. 10. Ea quæ scribuntur sunt notæ eorum quę D
sunt in voce, & secundum Apostolum ad Rom. 15. quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Augustinus ergo quando primò docebat prædestinationem fieri propter merita futura præscita à Deo, intellexit sicut communiter apud omnes talia verba prætendunt, & quando hoc recitauit similiter. Secundum ergo posteriorem sententiam Augustini, non est verum ad communem hominum intellectum quenquam prædestinari propter opera sua futura, & communis hominum intellectus de tali propositione, Iacob prædestinatur propter opera sua futura, est iste, quod opera Iacob futura præscita à Deo fuerunt aliqua causa saltem partialis mouens Deum ad ipsum prædestinandum ad regnum, non quod fuerunt causa totalis & principalis, ita quod Deus non ageret ibi quicquam, vel non principaliùs ageret Deus prædestinationem, quàm illa. Ex his quoque apparet, quod omnes Doctores catholici, & concilia, imò & Ecclesia tota Dei condemnantes hæreticos errores Pelagij, ponentes gratiam secundum merita nostra dari, & prædestinari quoscunque propter merita sua futura, intelligunt modo dicto: Quare constat illam assertionem esse hæreticam, quæ asserit E
merita causam sine qua non, causam scilicet partialem mouentem, seu excitantem Deum ad prædestinandum quemcunque, vel ad gratiam alicui conferendum. Et si iste non sit intellectus communis Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum Doctorum de causatione meritorum respectu gratiæ, & prædestinationis, assignet falsigraphus iste sine intellectu, si possit, alium intellectum communem competentiorem, aut etiam competentem, saltem secundum fictionem capitis sui phantastici, & ille suus intellectus, & error suus secundum illum intellectum per præhabita, & meliùs fortè per alia, quæ me latent, tanquam non intellectus, nec intelligibilis catholicè, ab intelligentibus catholicè, sicut spero, satis intelligibiliter conuincetur. Sed considerent

* non conferendæ

A siderent quæso tales, & timeant, quoniam Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, & aufe-
ret se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, ac ideò in conspectu Domini deprecentur hu-
militer, vt det eis iuxta suum eloquium, intellectum, & nequaquam iuxta suum intellectum,
eloquium Domini detur ei, & iste est intellectus bonus omnibus facientibus eum semper.

COROLLARIVM.

Corollarium quòd nullus prædestinatur aut reprobatur propter opera quæ faceret si vlterius viueret, nec vllus saluatur propter opera, vel damnatur.

EX his autem colligitur hoc porisma, Nullus prædestinatur aut reprobatur propter opera
quæ faceret, si vlterius viueret, nec vllus saluatur propter opera vel damnatur: Nam se-
cundum præhabita, nullus prædestinatur, aut reprobatur propter opera sua verè futura, &
B minùs videtur, quòd quisquam propter opera, quæ faceret si vlteriùs viueret, prædestinetur,
aut etiam reprobetur: Et si nullus prædestinetur aut reprobetur propter huiusmodi opera,
ergo nec saluatur, vel damnatur *, quoniam propter nihil aliud saluatur quispiam vel dam-
natur, quàm propter illud, propter quod fuit prædestinatus saluari, vel reprobatus damnari, *propter huiusmodi opera,
quoniam saluatio & damnatio cuiuscunque procedit à voluntate diuina, quæ || *inuariabilis* est
omninò, sicut capitulum 23^um^ demonstrauit. Potest tamen ex causis aliquibus hic valere, di- || inuarrabilis
stinctio illa de, propter 39° huius præmissa. Et ne ego infimus in tam sublimi materia solus vi-
dear aliquid definire, ecce ad hoc fidem Catholicam manifestam quæ in Symbolo Athanasij
fideliter profitetur, Ad cuius aduentum, omnes homines resurgere habent cum corporibus
suis, & redditurí sunt de factis proprijs rationem, (De factis, inquit, non de faciendis, si vix-
issent vlteriùs) & qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æter-
num, scilicet iuxta bona vel mala quæ egerunt; non quæ egissent, si vixissent diutiùs. Ecce
ad hoc idem Doctorem præcipuum, sanctum Paulum 2. ad Corinth. 5. dicentem, Omnes
C nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout
gessit, siue bonum, siue malum: Prout gessit, inquit, non prout gessisset, si vixisset vlteriùs.
Cui sententiæ satis concordabit forma futuri iudicij, Matth. 25. scripta: In finali namque
iudicio recitabuntur bona vel mala, quæ fecerint iudicandi, & pro illis adiudicabuntur glo-
riæ siue pœnæ; De bonis verò vel malis quæ fecissent, si vixissent diutiùs, mentio nulla fiet.
Hanc eandem conclusionem probat Augustinus diffuse de prædestinatione Sanctorum 14.
& per magnum processum sequentem, & de bono perseuerantiæ 21. & multis capitulis conse-
quenter, & infra eiusdem 34° & 35° planè.

CAP. XLVI.

D *Contra quosdam concedentes prædestinationem & reprobationem ad gloriam & ad pœnam, sed negantes has esse ad aliquos certos gradus.*

EST adhuc circa prædestinationis & reprobationis materiam quædam
tam stulta loquacitas, vt forsitan stultius videatur sibi contradicere stu-
diosè, quàm ipsam dicere fabulosè. Dicit enim Philosophus 3. Me-
taph. 15. de fabulosè sophisticantibus, Non est dignum cum studio
intendere: veruntamen quia sapiens præcipit stulto respondere, ne
sibi sapiens videatur, respondebo sibi non studiosè sed perfunctoriè
obuiando. Quidam igitur videntes prædestinationem & reprobatio-
E nem, tam firmè fundatas, quòd non possint eas omnino perimere, sal-
tem moliuntur ipsas in aliquo mutilare: Concedunt enim quosdam esse prædestinatos ad
gloriam, & quosdam reprobatos ad pœnam; dicunt tamen nullum esse prædestinatum vel
reprobatum ad aliquem certum gradum gloriæ siue pœnæ. Hæc autem positio nullam ratio-
nem vel Autoritatem ad suam intentionem probandam citat nec ministrat, sed velut in histo-
ricis tantum simpliciter asserit ita esse; quare & eadem facilitate contemnitur, qua probatur.
Tamen ex abundanti adducam rationes aliquas contra ipsam: Completo finali iudicio, Deus
|| *volet* & parabit cuilibet gradum suum gloriæ siue pœnæ; quare & per 23^um^ priùs sic para- || statuet
uit & voluit ab æterno: quapropter & per capitula proxima prædestinauit sic fieri ab æter-
no. Item hoc æternaliter præsciebat, ergo per 18^um^ capitulum hoc æternaliter præuolebat.
Hoc

Hoc idem probant 22. & 27 & alia quæ sequuntur, imò & omnia, quæ probant Prædestinationem in genere, probabunt eam similiter in specie, & in gradu; & omnia quæ hanc vltimam reprobare deberent, & illam primam similiter reprobabunt. Item Deus prædestinauit cuilibet gradum meriti, ergo & || *præmij*; quod autem assumsi, per capitulum 31. patet, & potest adhuc patere vlterius, quia nulla || *creatura* sine Deo faciente, mouente, & conseruante, potest aliquid facere, aut mouere, imò nec actionem aut motum actualiter existentem vlterius conseruare, sicut capitulum tertium, quartum, & || *decimum quartum* ostendunt; Nulla ergo || *creatura* potest per se intendere motum suum aut meritum sine Deo, hoc enim est maius. Si ergo Deus intendat temporaliter meritum alicuius, hoc non est purè naturaliter, nec per solam cognitionem, sed per eius volutionem, sicut octauum & nonum demonstrant, & per 23. hæc volutio non est noua, sed æterna; per capitula ergò proxima Prædestinauit sic forè. Item gratia agit omnem gradum meriti, & non nisi acta & mota per Deum, sicut capitulum 40. ostendebat, &c. sicut proximo est argutum. Item mereri multum & intensè est melius quàm mereri simpliciter & remissè; per præmissa ergo 38. huius illud est à Deo. Vndè ad Phil. 1. Qui cæpit in nobis opus bonum perficiet; vbi Glossa, & est Augustini, Cooperando in nobis Deus perficit, quod operando incipit, quia ipse vt velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Et sexto contra Iulianum 18. Ignorantia, & concupiscentia remittuntur in renascentibus, minuuntur in proficientibus; Ignorantia minuitur veritate magis magisque lucente, concupiscentia minuitur charitate magis magisque feruente; Nihil boni horum duorum est à nobis: Non enim spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Item venerabilis Beda super Cantic. tractans illud Cantici septimi, Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius, sic dicit; Descendit Dominus in hortum suum, cum cœlestia dona fidelibus largitur, ascendit in palmam, cum augmenta virtutum proficientibus electis donet, eos ad profectum prouehat, dignanter impendit; Et infra, eodem, super illud, Quæ est ista quæ ascendit innixa super dilectum meum? meritò super illum innixa, sine cuius adiutorio non solum ad summam ascendere, sed nec resurgere quidem valebat: Nam & virtutum profectus, & ipsa fidei initia, non nisi Domino largiente habere poterimus. Item si Deus Prædestinaret, & prouideret suis meritum absolutè, & non aliquem certum gradum, quantum ad gradum Deus derelinqueret meritum improuisum, & committeret illud casui, seu fortunæ, nec regeretur prouidentia aliqua, neq; cura, quod capitulum 27. cum sequentibus non permittit; cui & Sapiens similiter contradicit, Sapient. 11. dicens Deo, Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti. Philosophus quoque in secreto secretorum part. 1. cap. 16. concorditer ei dicit, Deus cuncta sua sapientia æquali pondere, & certo numero, & ordine destinauit, & statuit seruis suis ea, vt seruiant ei; & decimo tertio Metaphys. capitulo secundo, sic dicit, Boni autem maximè species & ordo, commensuratio & determinatum. Vndè ergo hæc bona nisi à primo in genere bonorum, quod influit cæteris omne bonum? Vndè & Hermes de Mundo & cœlo 1. Illic, inquit, textus operis fatalis series sæculorum dispositio, temporalium omnium meta summi digito dispositoris exarata, sicut secundo huius fuerat plenius recitatum. Quare & Boetius 4. De consolatione Philosophiæ, prosa sexta introducit Philosophiam dicentem, Omnis generatio rerum, cunctusque mutabilium naturarum progressus, & quicquid aliud aliquo mouetur modo, causas, ordinem, formas ex diuinæ mentis stabilitate sortitur. Hæc in suæ simplicitatis arte composita multiplicem rebus gerendis modum statuit, qui modus cum in ipsa diuinæ intelligentiæ puritate conspicitur, prouidentia nominatur; cum verò ad ea quæ mouet atq; disponit refertur, fatum à veteribus appellatum est, quæ diuersa esse facilè liquebit. Nam prouidentia est ipsa diuina ratio quæ cuncta disponit; Fatum verò inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam prouidentia suis quæque nectit ordinibus, quod & singula dirigit in motu locis, formis, ac temporibus distributa, sicut 28. plenius allegauit. Vndè Augustinus 2. de lib. arbitrio 28. Quantacunq; bona quamuis minima, quamuis magna, nisi ex Deo esse non possunt, quæ quantumlibet deficiant, & in id tendant vt non sint, tamen aliquid formæ illis remanet, vt quoquomodo sint; quicquid autem cuipiam rei deficienti remanet ex illa forma est quę nescit deficere, motusq; ipsos rerum deficientiũ vel proficientium excedere numerorum suorum leges non sinit. Hanc autem propositionẽ beatus Pros. hinc excerpsit, & cap. 380. sententijs suis inseruit, cui & talis titulus est pręscriptus, Nihil in creaturis quibuslibet creator inordinatum relinquit. Idemq; August. 4. super Gen. ad lit. 5. tractans autoritatem sapientis prædictam, & ostendens quomodò ista tria sunt [Deus] & quomodò non, sic dicit: Secundum id quod nouimus, mensuram in eis quæ metimur, & numerum in eis quæ numeramus, & pondus in eis quę appendimus, non est Deus ista, secundum id verò quod mensura omni rei modum præfigit,

Margin notes: || præmium; || causa; || secundum; || causa; Beda.; Sapient. 11.; Philosophus.; Hermes.; Augustinus.; Prosper. Section letters: A, B, C, D, E.

A præfigit, & numerus omni rei speciem præbet, & pondus omnem rem ad quietem ac stabilitatem trahit, ille primitus, & veraciter, & singulariter ista est, qui terminat omnia, & format omnia, & ordinat omnia, nihilque aliud dictum intelligitur. Quomodo per || cor, & linguam humanam dici potuit; Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti, nisi omnia in te disposuisti? Neque enim mensura, & numerus, & pondus in lapidibus tantummodò & lignis, & huiusmodi mobilibus, & quantumcunque corporalibus vel terrestribus, vel cœlestibus animaduerti & cogitari potest. Est etiam mensura aliquid agendi ne sit irreuocabilis, & immoderata progressio, & est numerus affectionum animi & virtutum, quo ab stultitiæ deformitate ad sapientiæ formam decusque colligitur, & est pondus voluntatis & amoris, vt appareat quanti quid que in appetendo, fugiendo, præponendo, postponendoque pendatur. Sed hæc animorum atque mentium mensura alia mensura cohibetur, & numerus alio numero formatur, & pondus alio pondere rapitur. Mensura autem sine mensura est, cui æquatur quod de illa est, nec aliunde ipsa est; Numerus sine numero est, quo formantur omnia, nec formatur || corpus
B ipse; pondus sine pondere, quo referuntur omnia vt quiescant. Et infra, eodem 7. Sciamus ergo ita dictum esse omnia in mensura, numero, & pondere disposita, tanquam dictum esset; Illa disposita vt haberent proprias mensuras suas, & proprios numeros, & proprium pondus, quæ in eis pro sui cu usque generis mutabilitate mutarentur, augmentis & diminutionibus, multitudine & paucitate, leuitate & grauitate secundum dispositionem Dei. Et de Prædestinatione contra Pelagianos 4. Quis hanc mensuram, hunc numerum, hoc pondus Dei sufficit comprehendere, vt constitutiones eius vniuersas in his tribus definitionibus valeat enarrare? In mensura puto quòd constet qualitas, in numero quantitas, in pondere ratio æquata. Vnde & Num. 22. Si dederit mihi Balaak plenam domum suam auri & argenti, non potero immutare verbum Domini Dei mei, vt plus vel minus loquar. Huic etiam sententiæ vltimæ planè concordat Greg. 27. Moral. 22. super illud Iob 37. Nubes spargunt lumen suum, quæ lustrant cuncta per circuitum: quocu que eas, voluntas gubernantis duxerit ad omne, quod præce- Num. 22.
C pit illis. Item quis Christianus tam indeuotus & aridus, qui nunquam oret Deum, vt cogitationes suas purificet, deuotionem augmentet, & dilectionem inflammet, ac bonis operibus faciat abundare, cùm tota Ecclesia humiliter deprecetur; Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, vt in nomine dilecti Filij tui mereamur bonis operibus abundare. Et Apostolus hoc orat proximo, quis ergo hoc non orabit pro seipso? hoc, inquit Apost. Oro, vt charitas vestra magis ac magis abundet ad Philip. 1. & 1. ad Thes. 3. Vos inquit, Deus multiplicet, & abundare faciat in charitate, seu charitatem in inuicem & in omnes, & quem ad hoc orauit nisi Deum? Et cur Deum ad hoc || rogamus, nisi ipse faciat quod rogamus? alias enim ipsum rogare, vanum & derisorium videretur. Quare B. Aug. De bono perseu. 2. probans perseuerantiam non esse à nobis, sed à Deo arguit isto modo; Cur perseuerantia poscitur a Deo si non donatur a Deo? an & ista irrisoria petitio est, cùm id ab eo peti- || oramus Augustinus.
D tur, quod scitur non ipsum dare, sed ipsum esse in hominis potestate? Sed nolite errare, inquit Apost. Deus non irridetur; si aliquid a tanto diuite veraciter & fideliter poscis, ab illo, à quo poscis te accipere, crede quod poscis; noli eum labijs honorare, & super eum corde extollere, credens à teipso tibi esse, quod ab illo te fingis orare. Et idem habetur infra, eiusdem 36. & 12. vbi semper vult Aug. quòd nihil est petendum à Deo, nisi quod creditur faciendum ab eo; & De gratia & lib. arbit. 29. Dicimus; Ne nos inferas in temptationem, vt peccata caueantur, quod à Patre, qui in cœlis est, nulla ratione peteremus, si virtute voluntatis humanæ hoc possemus efficere. Et infra, eodem, dicit B. Cyprianum in libro suo De Oratione Domin. ostendere ea quæ implenda iubentur in Lege, & in oratione esse poscenda, quod vtiq; vt dicit Augustinus; Vanissimè fieret, si ad illa agenda, sine diuino adiutorio, voluntas humana sufficeret. Et De sancta virginitate 17. Testes sunt voces piarum deprecationum, ipsa quæ præcipiuntur à Deo non fieri, nisi dante atque adiuuante qui præcipit: Mendaciter enim petuntur, si ea non
E adiuuante eius gratia facere possemus. Beatus quoque Cyprianus, homil. 5. quæ intitulatur De Dominica Oratione, exponens illum versiculum, Et ne patiaris nos induci in temptationem, sic ait; Quando rogamus, ne in temptationem veniamus, admonemur imbecillitatis & infirmitatis nostræ, ne quis se insolenter extollat, cùm Dominus Iesus humilitatem docens, dixerit; Vigilate & orate ne intretis in temptationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma; vt dum præcedit humilis & submissa confessio, & datur totum Deo, quicquid suppliciter cum timore Dei petitur, ipsius pietate præstetur. Hanc etiam autoritatem adducit Augustinus ad eandem conclusionem de bono perseuerantiæ, 9. & hoc idem innuit Dominus euidenter, Matth. septimo, cùm sic dicit; Petite & dabitur vobis, seu & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Ab illo scilicet à quo petitis, quæritis, & quem

& quem pulſatis. Et Apoſtolus ad Rom. 10. Idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum, ſcilicet diuitias, vt Dominus, large diſtribuens omnibus qui intus fideliter vocant illum. Vnde Pſalmiſta, Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui Pſalmo 36°. & Iac. 1. Si quis veſtrum indiget ſapientia poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei; Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans; qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur. Non ergo exiſtimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino: Poſtulans igitur fideliter nullatenus hæſitando, debet ſperare, quod accipiat à Domino poſtulata; quod & teſtatur creberrimè vtriuſque ſeries teſtamenti: Cùm ergo fideliter poſtulemus à Domino bonorum operum incrementa, nulli Catholico hæſitandum quin hæc nobis Dominus tribuat affluenter. Vnde Apoſtolus 2. ad Cor. 9. Potens eſt Dominus omnem gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum; Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ. Vnde ſanctus Proſper in libro ſuo, pro prædicatoribus gratiæ Dei 2°. cap. recitat vnam definitionem Caſſiani catholiciſſimam ſicut dicit: Ex quibus, inquit, manifeſtè colligitur, non ſolum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo eſſe principium, qui nobis & initia ſanctæ voluntatis inſpirat, & virtutem atque opportunitatem eorum, quæ recte cupimus, tribuit peragendi: Omne enim datum bonum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum, qui & incipit quæ bona ſunt, & exequitur, & conſummat in nobis, dicente Apoſtolo, Qui dat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & creſcere faciet fructus iuſtitiæ veſtræ. Ampliùs autem quis tam fatuus adulator qui ageret gratias Deo pro aliquo, quod non crederet ſe recepiſſe ab eo, ſicut 31^um^. cap. arguebat? & quis tam ingratus, vt nunquam referat gratias Deo, pro bonorum actuum & operum incremento? Quippe cùm dicat Apoſtolus 2. ad Theſſal. 1. Gratias agere debemus Deo ſemper pro vobis, Fratres, ita vt dignum eſt, quoniam creſcit fides veſtra, & abundat charitas vniuſcuiuſque veſtrum inuicem. Super quod Auguſtinus de gratia & libero arbitrio 40. ſic ait, Hæc dixit Apoſtolus, ne forte de tanto bono quod ex Deo habebant, tanquam ex ſeipſis id habentes, extollerentur. Quod ergo ſuper creſcit fides veſtra, inquit, & abundat charitas vniuſcuiuſque veſtrum inuicem, gratias agere debemus Deo de vobis. Item Deus prædeſtinauit Samſoni tantum meritum, vt multipliciter abſtineret, eſſetque Nazaræus Domini, & populum Iſrael de manu Philiſtinorum inciperet liberare, Iudicum 7. Item prædeſtinauit ſimiliter tantum meritum Salomoni, vt ædificaret ſibi templum 2^i^. Regum 7°. Et Eſaiæ tantum vt poneret os eius quaſi gladium acutum, vt eſſet ſalus Domini vſque ad extremum terræ, cum multis alijs eminentijs meritorum Eſaiæ 49. Et Ieremiæ tantum, vt eſſet Propheta in gentibus, vt ad omnia ad quæ mitteret eum iret, vt vniuerſa, quæ mandaret ſibi, loqueretur, & vt conſtitueretur ſuper gentes & regna, vt euelleret, & deſtrueret, & diſperderet, & diſſiparet, & ædificaret ſimiliter, & plantaret, Ierem. 1. & Ioanni Baptiſtæ tantum, vt coram Domino magnus eſſet, vinum & ſiceram non biberet, & multos filiorum Iſrael conuerteret ad Dominum Deum ſuum, præcederetque ante Dominum in ſpiritu, & virtute Eliæ, Luc. 1. Imò & vt Angelus diceretur, qui & præpararet viam ante faciem Ieſu Chriſti, ſicut Malach. 3. & Matth. 11. ſatis patet; Et Paulo tantum, vt de ipſo prædiceret Dominus Ieſus Chriſtus, Vas electionis mihi eſt iſte, vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filijs Iſrael: Ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati, ſicut Actorum 9°. patet: Multa quoque ſimilia occurrunt ſæpiſsimè in Scriptura. Et quis tandem audeat dicere nullum certum gradum meriti fuiſſe prædeſtinatum Domino Ieſu Chriſto, ſed hoc per incuriam fuiſſe neglectum, dimiſſumque caſui & fortunæ, cum omnes pænè Prophetæ de eius maximis meritis in ſpiritu Domini ſtudioſiſsimè prophetarunt, ac ipſemet Chriſtus dixerit Patri ſuo, Domine probaſti me, & cognouiſti me, tu cognouiſti ſeſsionem meam, & reſurrectionem meam, intellexiſti cogitationes meas de longe: ſemitam meam, & funiculum meum inueſtigaſti, & omnes vias meas præuidiſti, Pſal. 138. Nec poteſt quis fingere, quod aliquibus prædeſtinat certum gradum meriti, & aliquibus non; vel alicui aliquem gradum meriti futuri, & alicui non, propter cap. 27. & alia quæ ſequuntur, & quia non ſubtrahet perſonam cuiuſquam Dominus, qui eſt dominator omnium, nec verebitur magnitudinem cuiuſquam, quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus Sap. 6. Ad hæc autem proteruus forſitan reſpondebit, quod Deus non prædeſtinauit iſta magna merita memorata, ſed tantum prædixit. Sed iſtud ſtare non poteſt, quia ſi Deus iſta verè prædixit, iſta præſciuit, quare & iſta præuoluit æternaliter, atque prædeſtinauit, ſicut 18^um^. 23^um^. & capitula proxima

Pſalm. 138.

Sap. 6.

clarè

A clarè monstrant. Potest quoque haberi ex 31° huius, quòd Deus prædestinauit merita cuncta cunctis, quare & merita ista istis: Patet insuper ex serie Scripturæ superiùs allegatæ, quòd Deus nedum prædixit, verùm & promisit merita illa magna: Quare & ipsemet fuit illa facturus, & hoc per voluntatem suam, non nouam, sed æternam, &c. sicut supra. Iosue siquidem 23. scribitur, Sicut ergo Deus impleuit opere quod promisit, & prosperè cuncta venerunt; sic adducet super vos quicquid malorum comminatus est, eò quòd præterieritis pactum Domini Dei vestri. Et Apostolus ad Rom. 4. loquens de promissione quam fecit Dominus Abrahæ, Gen. 15. Quòd semen eius esset futurum, sicut stellæ cœli, sic dicit, In repromissione Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens quòd quæcunque promisit Deus, potens est & facere. Quam autoritatem tractans August. de correp. & gratia 56. dicit; Ipse ergo illos bonos facit, vt bona faciant: Neque enim eos propterea promisit Abrahæ, quia præsciuit à seipsis bonos futuros; Nam si illud vtique est non suum sed eorum est quod promisit. Non autem sic credidit Abraham, sed quia quæ promisit, potens est & facere, non ait, quæ præsciuit potens est promittere, aut quæ prædixit potens est ostendere, aut quæ promisit potens est præscire; sed, quæ promisit, potens est & facere: Ipse igitur eos facit perseuerare in bono, qui bonos facit. Idem de prædestinatione Sanctorum 3. Cauendum est, fratres dilecti à Deo, ne homo se extollat aduersus Deum, cùm se dicit facere quod promisit Deus. Nonne fides promissa est Abrahæ? Ille dans gloriam Deo plenissimè credidit, quoniam quæ promisit Deus potens est & facere. Ipse igitur fidem gentium facit, qui potens est facere quod promisit. Et infra eiusdem 12. Promisit Deus quod ipse facturus fuerat, non quod homines, quia etsi faciant homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit vt illi faciant quæ præcepit, non illi faciunt vt ipse faciat quod promisit: alioquin vt Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate, & quod à Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahæ. Idemq; de spiritu & litera 18. Hoc Deus promittit quod ipse facit: non enim ille promittit & alius facit, quod iam non est promittere, sed prædicere: Vnde & 45. propositio sententiarum Prosperi est excerpta. Et siquis adhuc non erubescat vlteriùs cauillare, dicendo, In autoritatibus Scripturæ præmissis, de meritis non esse promissionem sed prædictionem, audiat Apostolum ad Rom. 9. dicentem, Non omnes qui ex Israel sunt, hi sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij sunt Abrahæ, sed in Isaac vocabitur tibi semen, Gen. 21. id est, Non qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. Promissionis enim verbum hoc est, Secundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius, Gen. 18. Dicitq; August. de spir. & lit. 18. Ipsa est promissio Abrahæ qua ei dictum est, In Isaac vocabitur tibi semen: Si ergo hæc verba, In Isaac vocabitur tibi semen, & erit Saræ filius, sunt verba promissoria; cur non alia similia similiterq; prolata? Ampliùs autem malorum operum vt tribulationum & persecutionum est certus terminus præstitutus, quare & bonorum: non enim est minor cura Deo de bonis operibus quàm de malis. Vnde Psalmo 79. Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura; & Psalmo 103. Ascendunt montes & descendunt campi in locum quem fundasti eis, terminum posuisti quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram. Vbi August. tract. 2. per montes & campos nequaquam diuersos intelligit sed eosdem, scilicet potestates sæculares diuersimodè se habentes. Vnde sic dicit, Quamdiu ascendunt montes & descendunt campi, sæuierunt & placati sunt; cùm sæuierunt, montes erant, cùm placati sunt campi facti sunt: fundauit enim eis locum: quare non sæuiunt modò? quare non insaniunt? quare non dant operam si non possunt subuertere terram nostram, certè contegere? quare non? Audi; Terminum posuisti quem non transgredientur, neque reuertentur tegere terram; terminum acceperunt debitum, quia transgredi non possunt impositum finem. Item Psalmo 94. In manu eius sunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipsius sunt: Super quod dicit Augustinus, Terrenæ potestates aduersatæ sunt Ecclesiæ; Leges contra Ecclesiam promulgarunt, nomen Christianum delere de terra conati sunt. Tu fortè de tot tentationibus propter scandala mundi turbaris, sed nec ipsa scandala tibi aliquid faciunt, quoniam mensuram à Domino acceperunt, quoniam ipsius est mare: Est enim mare mundus iste, nec sæuire fluctus possunt, nisi vsque ad littus vbi ipse terminum posuit. Nulla ergo tentatio nisi acceperit mensuram à Domino, aliquid tibi tollit, aliquid corrigit aliquid complanat, aliquid mundat. Et quinto de Ciuitate Dei 22. Hæc, scilicet regna terrena Deus vnus & verus regit & gubernat vt placet, sic etiam tempora ipsa bellorum, sicut in eius arbitrio est iustoque iudicio & misericordia, vel atterere vel consolari genus hominum, vt alia citiùs alia tardius finiantur. Hoc idem beatus Iob dilucidè manifestat: Vnde 28. sic ait; Ipse, scilicet Deus, fines mundi intuetur, & omnia quæ sub cœlo sunt, respicit, qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura,

Iosue 23.

Augustinus

B C D E

mensura, quandò ponebat pluuijs legem, & viam procellis sonantibus. Et infra 38. Circumdedi illud, scilicet mare, terminis meis, & posui vectem, & ostia, & dixi, vsque huc venies, & non procedes amplius. Item quilibet Prædestinatus habebit gradum præmij, secundum gradum virtutum suarum, & maximè charitatis seu gratiæ, quia quanto quis fuerit melior, tanto melius sibi erit; Et secundum Philosophum 2. Ethic. 6. Omnis virtus cuius fuerit virtus & id benè habens perficit. Et secundum Augustinum Enchirid. 95. Charitas quanto in quocunq; maior est, tanto melior est in quo est; sed omne augmentum veræ virtutis, charitatis seu gratiæ est à Deo agente illud & volente, & hoc non volutione noua sed antiqua. Prædestinauit ergo Deus cuilibet certum gradum harum virtutum in via, & præmiorum in patria. Quòd autem Deus faciat augmentum virtutum in via, ex hoc probatur, quòd Deus facit augmenta bonorum operum sicut superius est probatum, ex quibus habitus semper augentur; vt patet per Philosophum 2. Ethic. 2. vel si qui sint habitus qui non augentur ex operibus, illi à solo Deo augentur. Item per secundum capitulum nulla ‖ *creatura* sola potest seruare aliquam virtutem in esse, quare nec in aliquo certo gradu, quia hoc est idem vel maius. Item omnes pene rationes & autoritates probantes augmenta operum esse à Deo, probabunt similiter augmenta virtutum esse ab eo, & specialiter argumenta de petitione & gratiarum actione? Fideles enim petunt à Deo fideliter augmentum virtutum, quare & Ecclesia tota sic orat, Da nobis quæsumus Domine, fidei, spei, & charitatis augmentum. Vndè & Apostoli iam fideles dixerunt, Domine adauge nobis fidem. Luc. decimo septimo, & Pater pueri infirmati, Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Marc. 9. Apostolus quoque 1. ad Thessal. 3. Vos, inquit, multiplicet Dominus, & abundare faciat charitate etiam inuicem & in omnes, & multa similia occurrunt sæpius in Scriptura. Item quis tam acharis & ingratus, vt pro augmento charitatis & gratiæ Deo non referrat gratiam, cum pro augmento bonorum temporalium, hoc faceret prompto corde? Porrò & Apostolus 2. ad Thessal. 1. sic dicit, Gratias agere debemus Deo semper pro vobis, sicut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, & abundat charitas vniuscuiusque vestrum in alterum. Cum ergo augmentum virtutis petatur à Deo, & pro ipso accepto agantur gratiæ dignæ Deo, certum est illud dari ab eo, sicut superius est argutum. Hunc quoque gradualem profectum virtutum & meritorum, certosque terminos prosperitatum & aduersitatum, ipsiusque vitæ humanæ diuinitus constitutos, ostendit beatus Iob dicens, Constituisti terminos eius qui præteriri non poterunt, Iob 14. Et infra 31. Per singulos gradus meos pronuntiabo illum. Super quorum primum beatus Gregorius 12. Moral. 1. Nulla, inquit, quæ in hoc mundo hominibus fiunt absque omnipotentis Dei occulto consilio veniunt: Nam cuncta Deus secutura præsciens ante sæcula decernit, qualiter per sæcula disponantur. Statutum quippè iam homini est, vel quantum hunc mundi prosperitas sequatur, vel quantum aduersitas feriat, nè electos eius aut immoderata prosperitas eleuet, aut nimia aduersitas grauet, Statutum quoque est, quantum in ipsa vita mortali temporaliter viuat. Benè ergo dicitur, Constituisti terminos eius qui præteriri non poterunt; quod tamen intelligi etiam iuxta spiritum valet, quia nonnunquam in virtutibus proficere conamur, & quædam dona præcipimus, à quibusdam verò repulsi, in imis iacemus: Nemo enim est qui tantum virtutis apprehendit quantum desiderat, quia omnipotens Deus interiora discernens, ipsis spiritualibus prouectibus modum ponit, vt ex hoc bono quod apprehendere conatur, & non valet, in illis se non eleuet, quæ valet. Super secundum verò 22. Mor. 18. & 19. pulchrè docet eandem sententiā, sicut 41. huius plenius recitatur. Qui & infra 20. ostendit hoc idē per illud Mar 9. Credo Domine, adiuua incredulitatē meam; Et per illud Lu. 17. Auge nobis fidem; Et per authoritatē Eze. 47. quā moraliter exponendo sic ait; Ipsa quoque sapientia quę esse bonorum operum solet magistra, anhelanti menti per incrementa tribuitur, vt ad eam proculdubio magni moderaminis gradibus ascendatur, quod benè Ezec. Propheta figurata narratione denunciat, qui de eo viro quē in excelso monte viderat, narrat, dicens, Mensus est cubitos mille, & transduxit me per aquā vsq; ad talos, rursumq; mensus est mille, & transduxit me per aquam vsq; ad genua, & mensus est mille, & transduxit me per aquā vsq; ad renes, & mensus est mille, & transduxit me ad torrentem quem non potui pertransire, quoniam intumuerunt aquæ profundæ torrentis, qui non potest transuadari: Quid namque millenario numero nisi collati muneris plenitudo significatur? Hic autem processus Gregorij recitatur in Canone De pœnitent. distinct. 2. Hæc quæ de charitate. Amplius autem charitas seu gratia est habitus, non naturaliter acquisitus, nec naturaliter acquiribilis ab aliqua ‖ *creatura*, sed supernaturaliter gratis infusus à Deo, sicut 35. capitulum & sequentia docuerunt; Quare nec potest naturaliter ‖ *augmentari*: Est enim eiusdem naturæ sub quolibet eius gradu. Sicut ergo à solo Domino creatur, sic & ab ipso solummodò augmentatur. Vnde Psalmista

Marginalia: A; ‖ causa; B; C; D; ‖ causa; ‖ augeri

A Psalmista, Psalm. 137. Deo dicit; Multiplicabis in anima mea virtutem: dicitque Apostolus, 2. ad Cor. 3. Transformamur de claritate ad claritatem à Domini Spiritu; & ad Rom. 12. Vnicuique sicut diuisit Deus mensuram fidei. Super quod dicit Glossa quæ ascribitur Augustino, quam scilicet fidem, Deus mensuratè diuisit. Nam & fidem mensuratè partitur vnicuique. Qui & super illud Psalmi 118. Legem pone mihi, Domine, &c. Sermone 11. Cur, inquit, iste adhuc poscit sibi legem poni, quæ vtique si non ei posita fuisset, non viam mandatorum Dei in cordis latitudine, id est, charitate, legis plenitudine cucurrisset? Sed quia proficiens loquitur, & Dei donum nouit esse quod proficit, quid aliud petit, cùm sibi legem poni petit, nisi vt in ea magis magisque proficiat? Denique addidit; Et exquiram eam semper: Quid enim exquirit quod habet, nisi quia & habet agendo, & exquirit proficiendo? Sed quid est semper? An semper dictum est quamdiu hic viuitur, quia tamdiu proficitur? Et infra, eodem, super illud eiusdem Psalmi; Da mihi intellectum, vt discam mandata tua, Sermone decimo octauo, sic dicit; Proficit noster intellectus ad intelligenda quæ credat, & fides profi-
B cit ad credenda quæ intelligat, & eadem ipsa vt magis magisque intelligantur in ipso intellectu proficit mens: sed hoc non fit proprijs tanquam naturalibus viribus, sed Deo adiuuante atque donante, sicut medicina fit, non natura vt vitiatus oculus vim cernendi recipiat. Qui ergo dicit Deo, Da mihi intellectum vt discam mandata tua, non omni modo expers eius est velut pecus, nec ita quamuis homo vt in eorum numero deputandus sit, qui ambulant in vanitate mentis suæ obscurati intelligentia, alienati à vita Dei: Nam si talis esset, nec hoc diceret. Non autem parui intellectus est nosse à quo poscendus est intellectus, & cogitandum est, quanto sint altius intelligenda diuina mandata, quando ad ea discenda sibi adhuc dari intellectum petit, qui iam sic intelligit, & qui eloquia Dei se custodisse ante iam dixit. Item primo ad Corinthios, duodecimo; Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus, & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus, & diuisiones operationum sunt, idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus; vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad
C vtilitatem; alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ, alteri fides, alij gratia sanitatum, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum: hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult. Hic autem ostendit Apostolus manifestè tam habitus virtutum, quàm actus diuidi singulis secundum Sancti Spiritus voluntatem, & ab vno Deo, qui omnia in omnibus operatur. Vnde constat tam eorum initia, quàm augmenta esse similiter distributa. Hoc planè testatur August. De prædest. Sanct. 13. ita dicens; Cùm dicitur, inquiunt, scilicet Pelagiani; Si credideris saluus eris, vnum horum exigitur, alterum offertur; quod exigitur in hominum, quod offertur in Dei est potestate. Cur non vtrumque in Dei, & quod iubet, & quod offertur? Rogatur enim vt det quod iubet; Rogant credentes vt sibi fides augeatur, rogant pro non credentibus, vt eis donetur fides; & in suis ergo incrementis, & *Augustinus.*
D in suis initijs Dei donum est fides. Sic autem dicitur; si credideris saluus eris, quẽadmodum dicitur, Si Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis: nam & hic ex duobus vnum exigitur, alterum offertur; Si Spiritu, inquit, facta carnis mortificaueritis, viuetis. Vt ergo spiritu facta carnis mortificemus exigitur, vt autem viuamus offertur. Vnde igitur placet, vt facta carnis mortificare non donum Dei esse dicamus, neque id donum Dei esse fateamur, quoniam exigi audimus à nobis, præmio vitæ si hoc fecerimus, oblato? Absit vt hoc placeat participibus, defensoribus gratiæ; Pelagianorum est iste error damnabilis, quorum mox Apostolus ora obstruxit, adiungens; Quotquot enim Spiritu Dei aguntur hi filij sunt Dei, ne facta mortificare nos carnis, non per Dei, sed per nostrum spiritum crederemus: de quo Dei Spiritu & ibi loquebatur, vbi ait; Omnia autem hæc operatur vnus atque idem spiritus diuidens propria vnicuiq; pro vt vult, inter quę nominauit & fidem. Est ergo error Pelagianorum damnabilis participare fidem aut gratiam, scilicet eius initium & augmentum, vnum scilicet dando Deo, alterum verò nobis, totum enim est totaliter dandum Deo, sicut pater per eun-
E dem, supra, eiusdem tertio sic dicentem; Si fidem nostram operatur Deus miro modo agens in cordibus nostris, vt credamus, nunquid metuendum est ne totum facere non possit, & ideo sibi homo primas eius vendicat partes, vt nouissimas ab illo accipere mereatur? Videte si aliud agitur isto modo, nisi vt gratia Dei secundum merita nostra detur quolibet modo, ac sic gratia iam non sit gratia. Redditur namque hoc pacto debita non donatur gratis: Debetur enim credenti vt à Domino fides eius augeatur, & sit merces fidei captę fides aucta. Et infra eodem; Componit homo cum Deo, vt partẽ fidei sibi vendicet, atq; illi partem relinquat, & quod est elatius, primam tollit ipse, sequentem dat illi, & in eo quod dicit esse amborum, priorem se facit, posteriorem Deum; ex quo patet quod fides augetur à Deo, &

quod elationis est, quod homo partem fidei sibi tribuat, partem Deo. Totum igitur bonum nostrum totaliter demus Deo, dicente Augustino de bono perseuerantiæ 9. Tutiores viuimus si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus. Item iste fuit error Cassiani Pelagiani. Ipse enim vt recitat sanctus Prosper in libro pro prædicatoribus gratiæ Dei contra Cassianum 25. in secunda sua definitione sic dixit; Adest, igitur inseparabiliter nobis diuina protectio, tantaque est erga creaturam suam pietas creatoris, vt non solum comitetur eam, sed etiam præcedat iugiter prouidentia, quam expertus Propheta, confitetur dicens; Deus meus, Misericordia eius me præueniet; qui tamen in nobis ortum quendam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam atque confortat, & incitat ad salutem, incrementa tribuens ei quam ipse plantauit, vel nostro conatu viderit emersisse, contra quem Prosper immediatè subiungit; Iam in hoc à præmissa definitione disceditur, & quod totum gratiæ datum fuerat, ex parte nunc in libero arbitrio deputatur. Item error Pelagianus dedit nobis fidei nostræ principium, & Deo totum augmentum, vt patet de prædestinatione Sanctorum 2. & 3. Iste error dat Deo principium & nobis totum augmentum; Tantum ergo distat hic ab alio, quantum conuertens à conuersa; Imò iste videtur deterior quàm sit ille. Ille namque tribuit homini partem fidei priorem sed peiorem, scilicet minus bonam, posteriorem autem sed meliorem dat Deo; iste verò è contra partem meliorem tribuit homini, & peiorem dat Deo. Item si augmentum gratiæ esset homini tribuendum, hoc esset propter meritum hominis, quia scilicet meritum voluntatis humanæ præcederet, augmẽtum gratiæ sequeretur, quod est contra Augustinũ scribentem ad Bonifacium Papam, contra Pelagianos, vt recitat Lumbardus 2. sent. dist. 26. in hæc verba; Ipsa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici, voluntate comitante non ducente, pedissequa non præuia; cui & concordat capitulum quadragesimum primum probans gratiam in agendo præcedere voluntatem humanam. Capitulum quoque trigesimum nonum probat nullum mereri augmentum gratiæ de condigno, imò quod ipsum augmentum gratiæ gratis datur, quare & gratis prædestinabatur ab eo, sicut sæpius est argutum. Hoc insuper testatur Apost. ad Col. 2. sic dicens, Nemo vos seducat, ‖ *volens* in humilitate & religione Angelorum quæ non vidit, ambulans frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput ex quo totum corpus per nexus & coniũctiones subministratum & constructum crescit in augmentũ Dei. Super quod Glossa, Caput, id est, Christum, ex quo, id est de cuius plenitudine, accipiendo, totũ corpus, id est Ecclesia per nexus charitatis & coniunctiones fidei & spei & operum, in quibus fideles coniuncti sunt & similes, subministratum & constructum crescit in augmentum Dei, id est, quantum Deus prouidit: Augmentum ergo virtutum & operum est prouisum & prædestinatum à Deo sub quolibet eius gradu, quare & prædestinato cuilibet prædestinatus est beatitudinis certus gradus. Hæc enim sibi inuicem mutuò correspondent, quòd & penè per omnia potest ostendi per quæ de gradu operum & virtutum superiùs est ostensum. Ampliùs autem specialiter ad hoc idem, diuersitas mansionum in domo Patris cœlestis, non minùs est ad perfectionem & ornatum ciuitatis Dei gloriosæ, quàm numerus ciuium; sed hic est prædestinatus à Deo, ergo & illa. Hunc autem numerum non solum asserit, sed & probat venerabilis Anselmus 1. Cur Deus homo 16. In hunc modum; Rationalem naturam quæ Dei contemplatione beata vel est, vel futura est in quodam rationabili & perfecto numero præscitam esse à Deo, ita vt nec maiorem nec minorem illum esse deceat; non est dubitandum. Aut enim nescit Deus in quo numero melius deceat eam constitui, quod falsum est, aut si scit in eo illam constituet, & hæc eadem ratio procedit similiter de gradibus præmiorum. Dicitque Augustinus 3. de libero arbitrio 18. Si omnes peccassent Angeli nullam inopiam facerent ad regendum imperium suum creatori Angelorum: Non enim vel bonitas eius quasi aliquo tædio, vel omnipotentia difficultate deficeret ad creandos alios quos in eis sedibus collocaret, quas peccando alij deseruissent, aut creatura spiritalis quantilibet numeri pro suis meritis damnaretur, angustare posset ordinem, qui conuenienter & decenter excipit quoscunque damnatos. Si ergo in sedibus peccantium sint alij collocandi, certus videtur numerus prætaxatus, & si sit certus ordo qui conuenienter & decenter excipiat quoscunq; damnatos, multo magis videtur esse similiter de saluatis. Idem Ench. 21. Superna Ierusalem mater nostra ciuitas Dei nulla ciuium suorum numerositate fraudabitur, aut etiam vberiori copia fortasse regnabit. Neque enim numerum aut sanctorum hominum, aut immundorum dæmonum nouimus in quorum locum succedentes filij sanctæ matris Ecclesiæ, quæ sterilis apparebat in terris, in ea pace, de qua illi ceciderant, sine vllo temporis termino permanebunt: Sed illorum ciuium numerus, siue qui est, siue qui futurus est, in contemplatione est eius artificis qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, ac in mensura, & numero, & pondere cuncta disponit. Idemque

‖ velut

A que de correptione & gratia 61. Prædestinatorum ita certus est numerus, vt non addatur eis quisquam nec minuatur ab eis, quod probat per duas autoritates Scripturæ: Prima est Mat. 3. Facite, inquit Iohannes Baptista, fructum dignum pœnitentiæ, & nolite dicere apud vosmetipsos, Patrem habemus Abraham; potens est enim Deus de lapidibus istis suscipere filios Abrahæ, vt ostendat sic esse istos amputandos, si non fecerint fructum, vt non desit numerus qui promissus est Abrahæ: Tamen apertius in Apocalypsi dicitur, Tene quod habes ne alius accipiat coronam tuam: & est Apoc. 3. Si enim alius non est accepturus nisi iste perdiderit, certus est numerus electorum, id est, non potest augeri vel minui, sicut exponit Lumbardus 1. sentent. distin. 40. sicut & videtur rationabilis intellectus. Cui satis consonat illud Iob 34. Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis. Super quod Gregorius 25. moral. 9. dicit, Notandum, quia dum alijs cadentibus, ad standum alij solidari perhibentur, electorum numerus certus ac definitus ostenditur. Vnde etiam Philadelphiæ Ecclesiæ per B Angelum dicitur, Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Adhuc autem iuxta præmissa diuersitas graduum mansionum in cœlo, non minùs ad diuinam prouidentiam & prædestinationem pertinere dignoscitur, quàm nomina ciuium cœlestium futurorum: sed nomina propria omnium electorum sub diuina prouidentia & prædestinatione certissimè continentur. Dicit enim Propheta de Deo, qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat Psalmo 146. Per stellas autem Augustinus & omnes Doctores electos & prædestinatos intelligunt. Nonne & istud congruè figuratur in illo præcepto Dominico, Tollite summam vniuersæ congregationis filiorum Israel, per congregationes & domos suas, & nomina singulorum? Numer. 1. Nonne & veritas ipsa dicit, Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis, Luc. 10. & Iohan. 10. proprias oues vocat nominatim? Super quod Augustinus sermone 45. Habet enim nomina eorum scripta in libro vitæ. Hinc dicit Apostolus, Nouit Dominus qui sunt eius. Amplius autem diuersitas graduum cœlestium mansionum cœle-C stis Ecclesiæ pulchritudinem conficit & ornatum, sicut sonorum diuersitas melodiam perficit dulciorem, & colorum varietas picturam efficit pulchriorem, sicut nullus ignorat: Vnde sicuti & testantur Philosophica & Theologica de contrarijs & diuersis præmissa 34. primi. Quare & Alacen. 2. perspectiuæ suæ, capitulo de pulchritudine, Diuersitas, inquit, facit pulchritudinem, quoniam figuræ membrorum animalis sunt diuersarum partium, & non sunt pulchræ nisi propter diuersitatem partium; quoniam si nasus totus esset æqualis grossitudinis, esset in fine turpitudinis; & pulchritudo eius non est propter diuersitatem duorum extremorum eius, & eius pyramidalitatem, & similiter pulchritudo superciliorum non est nisi quando extrema eorum fuerint subtiliora residuis anterioribus, & similiter omnia membra animalis quando intuentur, inuenitur quòd pulchritudo eorum non nisi ex diuersitate figurarum partium eorum, & similiter Scripturæ, quoniam si partes omnes Scripturæ essent æqualis grossitudinis, non apparerent pulchræ, quoniam extrema literarum non apparent pulchra, D nisi quando fuerint subtiliora residuo, quoniam etsi extrema literarum, & media earum, & continuatio earum essent vniusmodi spissitudinis, esset Scriptura in fine turpitudinis: diuersitas ergo facit pulchritudinem. Cur etiam aliter præciperet Deus cortinas tabernaculi fieri variatas, & velum pulchra varietate contextum? cur aliter ex varietate vestitus laudaret Propheta reginam cœlestem, triumphantem Ecclesiam, sponsam Christi, non habentem maculam, neque rugam, dicendo, Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate? & quis pulchritudinis huius autor, nisi totius pulchritudinis pulcherrimus autor Deus, & non voluntate mutabili & nouella, sed immutabili & æterna, sicut præhabita perspicuè docuerunt?

COROLLARIVM.

Corollarium, quòd omnes gradus gratiarum, meritorum, prosperitatum, aduersitatum, gloriæ siue pænæ, in præsenti & in futuro similiter sunt prædestinati à Deo æternaliter & distinctè.

E

Ex his autem perspicitur euidenter, quòd omnes gradus & singuli gratiarum, meritorum, prosperitatum, aduersitatum, gloriæ, siue pœnæ, in præsenti & in futuro similiter sunt prædestinati à Deo æternaliter & distinctè. Istud totum Corollarium tam patenter consequitur ex præmissis, quòd probationis auxilio nusquam eget.

A

CAP. XLVII.

Obijcit, & respondet.

OBijciunt autem Pelagiani contra præmissa de Prædestinatione & Reprobatione, conantes ipsas vel omnino destruere, vel saltem ostendere ipsas esse secundum merita personarum. Deus, inquiunt, irrationabiliter nihil agit; & non est aliqua ratio quare Prędestinet aut reprobet potius vnum quam alium. Prędestinat ergo vel reprobat omnem vel nullum; Et non omnem, sicut omnes dicunt concorditer, ergo nullum. Vel si sit aliqua ratio quare Prædestinat vel reprobat hunc non illum, B illa non potest fundari nisi in meritis, & differentia meritorum. Quare & Ioachim Abbas de Flore, de præscientia Dei & Prædestinatione electorum, dialogizando inter Benedictum quærentem & ipsum respondentem, assignat duplicem rationem & causam Electionis, Prædestinationis, & misericordiæ Dei, quarum prima est aptitudo ad misericordiam, salutem, & bonum; secunda, actio ipsa bona; contrariorum verò contrarias causas ponit & contrarias rationes. Item dedit eis potestatem filios Dei fieri Iohan. *1*. quòd ergo homines secundum Prædestinationem & gratiam filij Dei fiant est in eorum libera potestate, & non nisi per merita Deo grata. Huic & concordat Propheta Psal. *68*. vbi recitatis peccatis quorundam subiungit; Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Et illud Apocalyps. 3. Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam, quam scilicet Deus suis electoribus repromisit. Item si Adam non peccasset, nullus fuisset reprobatus, sed quilibet prædestinatus; vtrumque ergo istorum est propter meritum correspondens. Item iniquum & crudele esset, hominem vel Angelum nocere alteri sine culpa aliqua præcedente, nec hoc posset C facere sine culpa; quanto magis ergò Deum iustissimum & pijssimum hoc non decet? quare nec decet quod aliquem reprobet, & ad id ignem æternum prædestinet, nisi propter culpam aliquam præcedentem. Verum prima istorum irrationabilis ratio, per præmissa, 21°. & 35°. & capitulis sequentibus lucidè potest solui. Quod autem ad confirmationem adducitur de Ioachim, licet fuerit magnus Doctor, autoritatem magnam non habet; sicut in materia de trinitate fuit Arrianus, vt patet in libello quem edidit contra Petrum Lumbardum De Trinitate, seu de essentia Trinitatis, & per Innocentium tertium, & Concilium generale, sicut recitatur, Extra de summa Trin & fid. Catholica, Damnamus: sic in ista materia fuit Pelagianus, ponendo causam originalem Prædestinationis & Reprobationis, non ex parte Dei Prædestinantis & Reprobantis, sed ex parte Prædestinatorum & Reprobatorum, aptitudinem scilicet atque actum, sicut superius recitatur. Laborat tamen vt periculosum pelagus Pelagianorum declinet, dicendo, causam Electionis & Reprobationis diuinæ esse aptitudinem ad misericordiam, vel ad iram, non autem ad opera neque actus. Et Benedicto quærenti, quænam D sit illa aptitudo ad bonum vel ad malum, si non sit opera bona vel mala, vt dicit Apostolus de Iacob, & Esau, respondet, quòd non est opus, sed receptaculum gratiæ vel iræ, ex quarum prima, bona; ex secunda, mala opera oriuntur. Et infra, dum hos vel illos Deus eligeret, non quæsiuit in eis iustitiam, quam ipse erat daturus, sed solam materiam humilitatis, & miserabilitatis, id est, vt essent apti ad misericordiam. Verum quia nimis propè ripam pelagi Pelagiani accessit, præcipitium passus, ipsius voragine est absorptus, vt etiam diceret causam Prædestinationis & Reprobationis esse merita personarum. Et vt diffusum eius processum succinctè recolligam, vult quòd causa Prædestinationis sit humilitas, Reprobationis, superbia. Dicit enim, Abiectio & miseria est propriè causa diuinæ electionis, Vndè Apostolus, Videte, Fratres, vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, sed quæ stulta sunt mundi E elegit Deus. Et infra liquet luce clarius, quòd non pro iustitia assumatur aliquis à Deo, sed pro miseria, non pro operibus, sed pro exilitate, non pro fortitudine sed pro infirmitate, non pro sapientia, sed pro stultitia, non pro nobilitate, sed pro ignobilitate; sicut Pharisæus ille repulsus est pro iustitia sua, publicanus verò assumptus pro suis peccatis, non quia iniustitiam amat Deus, & odit innocentiæ puritatem, sed quia repellit superbientem de iustitia, parcit autem humilibus pœnitentibus de peccatis. Et infra, Electionis causa est abiectio & afflictio, non quia ista simpliciter placent Deo, sed quia pariunt humilitatem quam solam requirit Deus virtutem in Angelis & in hominibus. Et infra, Quia præsciuit Dominus populum Iudaicum futurum superbum, odiuit & repulit eum. Ex quibus & euidenter apparet quòd sit contrarius

sibi

A ſibi ipſi. Quomodo etiam ſtare poteſt quòd aptitudo, prædeſtinationis vel reprobationis ſit cauſa, cùm æquè aptorum vnus aliquoties aſſumatur, & alius relinquatur, imo & aliquando aſſumitur minus aptus, & relinquitur magis aptus? Quomodo etiam eſt abiectio & miſeria cauſa prædeſtinationis diuinæ, cùm multi, vt timeo, hic abiecti, miſeri, & mendici finaliter reprobentur, multi etiam hic ſemper nobiles, fœlices, & diuites prædeſtinentur ad vitam? In ſanctis etiam Angelis prædeſtinatis, & finaliter confirmatis nunquam fuit abiectio, neque miſeria qualiſcunque, quia nec culpæ, nec pœnæ, quæ inſuper abiectio vel miſeria fuit cauſa, quare Chriſtus prædeſtinatus eſt Dei Filius in virtute, ad Rom. 1. quod & poſſet multis rationibus alijs reprobari. Sed quia non multi adhærent, ſufficiant iſta pauca. Cùm autem allegant Iohannem dicentem; Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, videtur eos velle aſtruere aliquos fieri ſeu poſſe fieri nouiter filios Dei ſecundum prædeſtinationem, vt ſcilicet de non prædeſtinatis, quare & de reprobatis fiant nouiter & temporaliter prædeſtinati, & deſinant ſimiliter eſſe reprobati, contra prius oſtenſa 23. & 45. huius, quod & contradictionem euidenter in-
B cludit, ſicut ex eiſdem locis poteſt perſpicuè demonſtrari. Dictum quoque Iohannis magis videtur probare contrarium: Non enim dicit; Dedit eis poteſtatem filios Dei ſe facere, ſed filios Dei fieri. Sed à quo? nunquid ex ſeipſis, nunquid ex propria voluntate? quis vnquam ſe gignit? quis vnquam naſcitur ex ſeipſo? quis filius Diaboli poteſt ſe gignere, & parere filium Dei? Audi quod ſequitur; Neque, inquit, ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Non ergo ipſi ſe ipſos, ſed Deus filios Dei facit. Quare & Philoſophus 5. Metaph. 17. & 9. Metaph. 2. oſtendit, quòd duplex eſt poteſtas, & potentia, actiua ſcilicet & paſsiua: Tale eſt ergo quod hic dicitur; Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, quale eſt illud quod dicitur ad Rom. 8. quicunque Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei ſunt: Dedit ergo Deus hominibus poteſtatem filios Dei fieri, ſcilicet animam rationalem & liberum arbitrium liberè & voluntariè receptiuum gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro, vt ſic tam hic quàm ibi filij Dei fiant, vt tamen in præſenti cùm facti ſint filij Dei per fidem & gratiam præuiam in filios Dei adoptan-
C tem, liberè faciant grata opera filiorum, vt ſic grati filij liberè perſeuerent, in tantum quòd nihil poteſt iſtam filiationem eis eripere niſi velint. Quare & dicit ibi Chryſoſtomus, ſicut allegatur in Gloſſa, dixit; Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, oſtendens quòd multo opus ſtudio, vt eam, quæ in baptiſmo adoptionis formata eſt, imaginem incontaminatam ſemper cuſtodiamus, ſimul autem & oſtendens quoniam poteſtatem hanc nullus nobis vel auferre poterit, niſi nos ipſi auferamus; ſimul etiam oſtendere vult, quoniam hæc gratia aduenit volentibus & ſtudentibus. Etenim in poteſtate eſt liberi arbitrij, & gratiæ, operatione filios Dei fieri. Et Auguſtinus homil. 3. ſuper Iohannem; Quare, inquit, naſcuntur omnes in peccato? quia nemo natus eſt præter Adam; vt autem naſcerentur ex Adam, neceſsitatis fuit ex damnatione, naſci per Chriſtum voluntatis eſt & gratiæ; non coguntur homines naſci per Chriſtum; non quia voluerunt, nati ſunt ex Adam, omnes tamen qui ex Adam, cum peccato peccatores; om-
D nes, qui per Chriſtum iuſtificati & iuſti, non in ſe, ſed in illo. Nec etiam dicendo; Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, ab illa factione Deum excludit, & hominem ſolum includit; neq; ſi factio illa ſit amborum communis, hominem ibi præponit, & Deum poſtponit ordine naturali. Quare & dicit; Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, non ſe facere: Et iterum; Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt, qui huius diuinæ generationis principium eſt & autor. Quare & Beda, ſicut allegatur in Gloſſa; Carnalis, inquit, ſingulorum generatio à complexu coniugij duxit originem, at verò ſpiritualis Spiritus Sancti gratia miniſtratur. Et Chryſoſtomus; Hæc autem narrat Euangeliſta, vt vilitatem & humilitatem prioris partus, qui eſt per ſanguinem & voluntatem carnis addiſcentes, & altitudinem ſecundi, qui per gratiam & nobilitatem eſt, cognoſcentes, magnam quandam hic ſuſcipiamus intelligentiam, & dignam dono ipſius qui genuit, & multum poſt hæc, ſtudium demonſtremus. Dicitque Auguſtinus homilia tertia ſuper Iohannem; Quotquot receperunt eum, dedit
E eis poteſtatem filios Dei fieri, ſi filij fiunt, naſcuntur; ſi naſcuntur, quomodo naſcuntur, non ex carne, non ex ſanguinibus, non ex voluntate carnis, non ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Gaudeant ergo quòd ex Deo nati ſint, præſumant ſe pertinere ad Deum, accipiant documentum quia ex Deo nati ſunt; Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Si Verbum non erubuit naſci de homine, homines erubeſcent naſci de Deo? Neque dicendo; Dedit eis poteſtatẽ filios Dei fieri, dicit, quòd dedit eis poteſtatẽ filios Dei fieri per pręcedentia opera meritorũ, ſicut Pelag. ſomniat. Abſit quòd Euangeliſta ſuo Domino contradicat, quia ipſomet recitante infra 6. ſic ait; Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit illũ: &, Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datũ à Patre meo. Abſit etiã quod ſibi ipſi in tam breui ſerie contradicat: cito namq; poſt hæc verba eius ſuperiùs recitata, dicit quòd verbũ fuit

Beda. *Chryſoſtomus.* *Auguſtinus.*

 plenum

plenum gratiæ & veritatis, & addit, Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Accepimus, inquam, primò gratiam * gratis datam & veritatem, quia gratiam ante promissam, & sic gratiam pro gratia, gratiam scilicet gratis datam pro grata promissione gratuitæ gratiæ prophetice priùs facta, vel accepimus in spe certa secundò gratiam beatitudinis in futuro, pro gratia in re, & gratis operibus in præsenti. Quare & Augustinus homilia 3ª. super Ioannem, sic scribit, non ait, Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia; sed sic ait; Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, vbi nescio quid nos voluerit intelligere de plenitudine eius accepisse, & insuper gratiam pro gratia: Accepimus enim de plenitudine eius primò gratiam, & rursum accepimus gratiam pro gratia; quam gratiam primò accepimus? Fidem; In fide ambulantes in gratia ambulamus. Vnde enim meruimus hoc? quibus nostris præcedentibus meritis? gratia tibi data est, non merces reddita. Vnde vocatur gratia quia gratis datur: Non enim præcedentibus meritis emisti quod accepisti. Hanc ergo accepit gratiam primam peccator, vt eius peccata dimitterentur; quid meruit, interroget iustitiam, inueniet pœnam; interroget misericordiam, inueniet gratiam. Sed hoc & promiserat Deus per Prophetas: Itaque cùm venit dare quod promiserat, non solum gratiam dedit, sed & veritatem. Quomodo exhibita est veritas? quia factum est quod promissum est: quid est ergo gratiam pro gratia? Fide promeremur Deum, accipis præmium immortalitatem & vitam æternam, & illa gratia est, Nam pro quo merito accipis vitam æternam? pro gratia. Dona sua coronat Deus, non merita tua. Potest quoque multum congruè intelligi & exponi ad literam, de his qui facti sunt actualiter filij Dei per fidem & gratiam in præsenti, quod dedit eis potestatem, scilicet gratiam liberum arbitrium adiuuantem, filios Dei fieri in futuro, in regno cœlorum. Quare & præmittit, Quotquot autem receperunt eum, scilicet per fidem formatam, in eum credendo, dedit eis, &c. Quare & Theophilus, sicut allegatur in glossa, Quia, inquit, in resurrectione filiationem perfectissimam consequemur, secundum quod Apostolus dicit, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri, dedit potestatem filios Dei fieri, id est, hanc gratiam in futura gratia consequendi. Cùm verò obijciant illud Psal. Deleantur de libro viuentium, si intelligant secundum superficiem literalem, hunc concedere, quod prædestinatio & reprobatio est temporalis; ita scilicet quod aliquis priùs fuit prædestinatus, & non reprobatus, & nunc non est prædestinatus sed reprobatus; Si enim quis temporaliter deleatur de libro viuentium, tunc est ita contra prius ostensa. Quare oportet quòd habeat alium intellectum. Potest ergo intelligi de deletione secundum præsentem iustitiam, secundũ distinctionem 25°, præmissam; vel deleantur, id est deleti, hoc est non scripti habeantur, seu ostendantur, secundum quod subditur, Et cum iustis non scribantur. Vel etiam deleantur secundum propriam spem illorum, sicut & Deus dicitur pœnitere, sicut septimum recitauit. Quare & August. super illum Psal. tractatu 2°. Fratres, inquit, non sic accipere debemus, quoniam quenquam Deus scribit in libro vitæ & delet eum. Si homo dixit, quod scripsi, scripsi, de titulo vbi scriptum erat Rex Iudæorum, Deus quenquam scribit & delet? Præscius est, prædestinauit omnes, ante constitutionem mundi, regnaturos cum filio suo in vitam æternam, hos conscripsit, ipsos continet liber vitæ: Quomodo ergo inde delentur, vbi nunquam scripti sunt? hoc dictum est secundum spem ipsorum, quia ipsi se scriptos putabant. Quid est deleantur de libro vitæ? & ipsis constet non [illos] ibi esse. Sic ergo illi qui se sperabant tanquam merito iustitiæ suæ in libro Dei scriptos cùm perducta fuerit eorum damnatio, etiam ad || *cognitionem* eorum, delebuntur de libro viuentium, id est non ibi se esse cognoscent. Nam versus qui sequitur, exponit quod dictum est, Et cum iustis non scribantur: Dixi ergo, deleantur secundum spem ipsorum, secundum autem æquitatem tuam quid dico? non scribantur. *Intelligentes* illud Apocalypsis ad literam, Tene quod habes, ne alius, vel vt nemo accipiat coronam tuam, habent similiter dicere, aliquem posse temporaliter & nouiter coronam prædestinationis amittere, & alium admittere, & ita consequenter hunc desinere temporaliter & nouiter esse prædestinatum, & incipere esse reprobatum, & illum è contra; quod præcedentia non permittunt. Nec Ioannes, imò nec spiritus in Ioanne dicit aut innuit quenquam per se & proprijs viribus, sine Dei auxilio tenere aut posse tenere suam coronam, in bona scilicet vita & bonis operibus perseuerare vsque in finem; aut quenquam posse per se & viribus suis tantum sine Deo specialiter operante, accipere coronam prædestinationis aut gratiæ in præsenti vel gloriæ in futuro, sicut 2um. 9um. & 35um. & sequentia cum 45°. probant. Hoc idem & verba fidelissima eiusdem loci fidelissimè contestantur. Hæc dicit sanctus & verus qui habet clauem Dauidis, qui aperit & nemo claudit, qui claudit & nemo aperit: Ecce dedi coram te ostium

Marginalia: A; * scilicet; B; *Theophilus.*; C; D; || agnitionẽ; || Allegãtes; E

A te ostium apertum, quod nemo potest claudere, quia modicam habes virtutem, & seruasti verbum meum, & ego seruabo te ab hora tentationis. Ecce venio citò; Tene quod habes &c. vbi patenter docetur, quòd perseuerantia in bono est primò ex conseruatione diuina, secundò ex cooperatione humana; quanto magis inchoatio & adeptio bonæ vitæ non est homini à se solo. Cùm ergo dicitur, Tene quod habes, &c. præuenitur & excitatur bonus, vt in bono finaliter perseueret: Sic enim fortaßis erat prædestinatus, vt per talem exhortationem Dei vel hominis perseueraret finaliter & coronam acquireret & teneret iuxta præmissa 23° huius. Vnde & Augustinus de bono perseuer. 64. Qui nondum sunt vocati, pro eis vt vocentur, oremus; fortaßis enim sic prædestinati sunt vt nostris orationibus concedantur, & accipiant gratiam, qua velint & efficiantur electi; Deus enim qui omnia prædestinauit, implebit. Potest quoque istud Apocalypsis exponi, sicut & illud Psalmi præmissum; Potest enim quis amittere, vel accipere coronam vitæ secundum præsentem iustitiam, vel secundum manifestationem, vel secundum spem firmam. *Augustinus.*

B Quare & Augustinus de bono perseuerant. 7. probans perseuerantiam finalem non posse amitti, & innuens distinctionem de amitti, sic ait, Perseuerantiam vsque in finem, quoniam non habet nisi qui perseuerauerit vsque in finem, multi eam possunt habere, nullus amittere. Sed ne forte dicatur perseuerantiam vsque in finem non amitti quidem cùm data fuerit, id est, cùm perseueratum fuerit vsque in finem, sed tunc amitti quodammodo quando agit homo per contumaciam, vt ad eam peruenire non posit, sicut dicimus hominem qui non perseuerauerit vsque in finem, amisisse vitam æternam vel regnum Dei, non quod iam acceperat & habebat, sed quod acciperet si perseuerasset; verborum controuersias auferamus, & nonnulla etiam quæ non habentur, sed habenda sperantur, posse dicamus amitti. Quod verò arguitur, Si Adam non peccasset, nullus fuisset reprobatus, sed quilibet prædestinatus, non probat ista ex meritis dependere. Quantum enim ad formam illationis stat oppositum manifestè. Si namque, sicut ex 45° videtur, Deus non

C prædestinat homini certum finem, vel hominem ad certum finem, puta vitam propter opera sua futura, sed è contra, nullo modo concludit, quia si homo aliter fecisset, Deus aliter prædestinasset, à posteriori ad prius: Hominem enim aliter fecisse, non fuisset causa, nec prius causaliter aut naturaliter, quare Deus prædestinasset aliter, sed è contra. Cuius exemplum est, Si Christus non fecisset opera bona, non fuisset prædestinatus filius Dei, ergo propter opera sua bona prædestinatus est filius Dei; Fallit; Si Paulus non prædicasset, non fuisset prædestinatus, seu electus vt prædicaret; ergo quia prædicauit, prædestinatus fuerat prædicator? Non, sed è contra: Si Sol nunquam luceret, nec ignis calefaceret, non fuisset prædestinatus, vt sic faceret; ergo quia sic facit, prædestinatus est sic facere? Non; sed quia prædestinatus, seu præordinatus est ita facere, ita facit. Nec est omniquaque clarißimum, quòd si Adam non peccasset, nullus fuisset reprobatus. Videtur enim nonnullis non fuisse necessarium, licet Adam stetisset, quòd tota sua posteritas fuisset statim effecta impeccabilis, & finaliter

D confirmata; sed fuisse poßibile posteros suos habuisse libertatem contradictionis ad bonum & malum. Tenendo tamen cum Anselmo 1. Cur Deus homo 19. quòd si Adam stetisset finaliter, tota sua posteritas fuisset impeccabilis confirmata, tunc secundum sententiam Gregorij 4. Moral. 39° huius præmissam, nullus reprobatorum generatus fuisset, sed soli illi qui nunc sunt prædestinati ad vitam; nec ideò peccatum Adæ est prima causa reprobationis, sed si ipse non peccasset, Deus aliter ordinasset, sicut superiùs dicebatur. Et si obijcias contra istud, quòd aliquis prædestinatus generatur quandoque ab aliquo reprobato, sicut Christianus à non Christiano, & bonus Christianus à malo, nec fuisset ab aliquo genitus, si Adam non peccasset, non ergo soli nunc prædestinati fuissent tunc nati; non mihi, sed beato Gregorio potiùs contradicis. Veruntamen pro defensione beati Gregorij, potest multipliciter responderi; vno modo, quòd si Adam non peccasset, soli illi fuissent tunc nati, qui sunt nunc electi; hoc est, solummodo tot fuissent tunc nati, quot sunt nunc electi; vel aliter, soli

E illi &c. verum est secundum animas. Tunc enim Deus creasset animas illas tantum, quæ nunc sunt animæ electorum, licet quasdam fortaßis corporibus alijs copulasset: vel adhuc forsitan aliter potest dici, quòd soli illi secundum animas, & secundum corpora fuissent tunc nati, qui sunt nunc electi; sed aliquis electus nunc genitus ab vno patre puta à reprobo, fuisset tunc genitus ab alio, videlicet ab electo. Sed obijcis mihi fortè, Si enim sic esset, Isaac potuit genuisse Abraham patrem suum, quod videtur absurdum: æquali etiam ratione, imò maiori potuit genuisse quemlibet alium hominem, & homines infinitos, contra præmissa in ostensione 40. partis Corollarij, primi, huius. Si insuper ita fuit, cur potius genuit Iacob, quam quemlibet alium hominem, cum ipse fuit indifferens, & mater simili ratione? Adhuc autem si

sit ita.

sit ita, ponantur duo homines æquè potentes ad generandum Iohannē futurum, apponantq; A operam requisitam, & vterque generabit eundem Iohannem in diuersis locis. Cur enim potius hic quam ille? & si hic vel ille solus egisset, Iohannem proculdubio genuisset; quare & nunc cum simili modo agat. Posset quoque secundum istam sententiam homo iuuenis suum auum senem nouiter generare, & reddere eum puerum iuuenem vnius diei; simulque decrepitum & infantem, cum alijs absurditatibus multis valdè, imò & posset mortuum suscitare. Posset enim aliquem generare, qui olim fuit mortuus & sepultus. Dicunt quoque Philosophi, quod si agens est idem & passum idem, actum erit idem; quare & à contrario, Si agens aut passum sit diuersum, puta pater vel mater, actum diuersabitur, puta proles. Pro solutione istorum, dicendum quod duplex est sententia circa identitatem hominis numeralem; vna, quòd ad identitatem hominis numeralem, nequaquam requiritur identitas numeralis corporis hominis, neque secundum totum, neque secundum aliquam sui partem, sed sola identitas animæ numeralis; ita quòd si anima Petri poneretur in copore Pauli, vel B alterius cuiuscunque, esset nihilominus idem Petrus; Altera, quòd ad identitatem hominis numeralem, requiritur identitas animæ numeralis, & etiam corporis vel secundum totum vel secundum partem aliquam principalem, partesuè aliquas principales. Secundum primam autem sententiam, omnia obiecta faciliter possunt solui, dicendo quòd non est in potestate hominis generantis, generare A vel B istum, vel illum, sed in potestate Dei, animam quam voluerit infundentis. Supponendo quoque secundam sententiam, non improbabiliter respondendum, quòd idem filius potest ex diuersis patribus generari, non tamen ex diuersis seminibus, quæ tribuunt filio materiam corporis principalem. Quòd autem idem semen, quod ab vno deciditur, ab alio posset decidi, apparet, quia illud semen est superfluum alimenti, ex tertia digestione relictum, & si alius penitus similis idem alimentum assumeret, cæteris paribus eandem partem ipsius digerendo conuerteret in substantiam suam, quam alius, & eandem superfluitatem, relinqueret; sicut vnus ignis combustibili certo applicitus generat vnum ig- C nem; & si alius penitus similis similiter fuisset applicitus, & non primus, eundem ignem numero generasset, quem primus; eo quòd quodlibet combustibile seu eius materia, est in potentia propinqua, seu proxima ad vnum ignem tantummodo, seu vnicam formam ignis, alioquin esset in potentia proxima ad infinitos seu infinitas simpliciter. Ex his potest faciliter elici responsio ad obiecta. Illud autem Philosophicum, Si agens est idem & passum idem, actum erit idem; non videtur statim simpliciter concedendum: Idem namque pater & mater diuersis temporibus generant proles diuersas; Et idem Sol in eodem aere seu vitro, & in eadem Luna, diuersis temporibus generat lumen diuersum. Quapropter & Auerroes super 12. Metaphys. Aristotelis 11. scribit ita, Si materia fuerit vna, & generans vnum, & potentia vna, tunc illud quod fit erit vnum: Subiectum enim cum fuerit vnum, & potentia existens in eo fuerit vna, & agens vnum, tunc nulla erit causa multitudinis. Pro argumento de iniquitate, & crudelitate sciendum quòd non omnis pœna rationabiliter illata homini ab homine, propter culpam su- D am præcedentem infertur, sed aliquoties ad cautelam, multiplicique de causa, sicut multis locis apparet in Scripturis diuinis pariter & humanis. Quare & quædam regula Iuris dicit, Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus, Extra de Regulis Iuris in sexto cui & multa *Lumbardus.* iura ciuilia, canonicaque concordant. Ostendit quoque Petrus 4. Sentent. distinct. 15. quòd quinque de causis flagella contingunt hominibus in præsenti; quandoque ad correctionem peccati, quandoque ad inchoationem pœnæ peccati, quandoque ad augmentum meriti, sicut de Iob, & Tobia, quandoque ad vitationem peccati, vt patet de Paulo 2. ad Cor. 12. de Angelo Satanæ, quandoq; verò ad gloriam Dei, vt patet de cæco nato, Iohan. 9. Quandoq; etiam punitur quis publica pœnitentia siuè pœna, vt alij timeant, & ita deterreantur à malo, & confirmentur in bono, sicuti lex diuina, canonica, & ciuilis concorditer attestantur. Si quis etiam temporaliter puniatur, pro temporali commodo aliorum, cur non temporaliter & æternaliter pro temporali & æterno commodo electorum, vt in præsenti magis fugiant malum, & E eligant bonum, & in futuro magis lætentur, arctius diligant, & amplius laudent Deum: Multiplex enim vtilitas tam in præsenti quàm in futuro, ex reprobis, fit electis; imo & ipsi reprobi propter electos specialiter sunt creati, sicut ex 39. patet. Quæ ergo iniquitas, aut crudelitas apud Deum, si prædestinet, & faciat vnam creaturam suam ad seruitium alterius creaturæ, & vtramque ad suum seruitium, laudem, gloriam, & honorem? præsertim cum nullam æternaliter puniat nisi dignam æterna pœna scilicet suo peccato hoc dignè & iustè æternaliter exigente, quod & miserecordissimè & pijssimè semper punit, quia multum valdè, & infinitè quodammoò citra condignum, sicut potest haberi ex 39. huius. Si etiam, vt videtur secundum sententiam Augustini 3. de libero arbitrio 11. & 11. de Ciuitate Dei 27. miserum esse sit eligibilius

A gibilius quàm non esse, quæ iniquitas aut crudelitas apud Deum, si dat alicui creaturæ multa bona, & magna, licèt puniat eam cum alia eius creatura bona, puta cum pœna sensus, dum tamen totus eius status sit magis eligibilis quàm fugibilis, imo & pro illo, tanquam pro beneficio tenetur reddere grates Deo. Cur ergo non arguunt isti, Deum eo quòd punit bestias innocentes, & paruulos baptizatos non minima pœna sensus; qui etiam tradidit innocentissimum Filium suum, & Dominum nostrum Christum pœnis acerrimis, crudelissimisque tormentis? Si etiam Deus omnipotens liberrimus Dominus totius subditæ creaturæ, cuius mera voluntas est lex iustissima totius subditæ creaturæ, sicut ex ‖ 12. patet, puniret æternaliter innocentem, præsertim si ad perfectionem vniuersi, vtilitatem aliorum, & honorem suipsius, quis præsumeret litigare cum eo, redarguere eum, & dicere, Cur sic facis? Nullus, credo, sicut ex ‖ 12. & 39. claret. An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? ad Rom. 9. Verum est tamen quòd B Deus æternaliter nullum puniuit sine culpa sua temporaliter præcedente, & æternaliter permanente, non tamen propter culpam tanquam propter causam antecedenter mouentem voluntatem diuinam, Deus quenquam æternaliter reprobauit, sed propter quasdam causas finales, sicut 20. & 39. plenius est ostensum. Non sic autem sed aliter longè de homine respectu hominis sentiendum: Homo enim non habet merum imperium super proximum, nec eius voluntas est lex summa, sed subditur legi superiori diuinæ, qua tenetur diligere proximum sicut seipsum. Quidam tamen, vt Scotus super 1. Sentent. dist. 41. volentes vitare reprobationem esse causaliter ex operibus reprobati, & etiam crudelitatem in Deo, dicunt quòd Lucifer siue Iudas primò offertur voluntati diuinæ in suis puris naturalibus sine culpa, & sic non vult eum damnare; secundò Deus vult, & ex hoc scit se cooperaturum cum eo, ad substantiam actus mali, & sic ipsum peccaturum mortaliter committendo, vel non cooperaturum cum eo ad substantiam actus boni, & sic ipsum peccaturum mortaliter omittendo, & quatenus C præuidet eum talem, vult ei damnationem & pœnam. Ratio tamen Scoti nequaquam euidenter hoc probat, sicut præcedentia manifestant: Est enim similis argumento de iniquitate & crudelitate præmisso. Veruntamen si ista positio stet cum præmissis hîc & 45. huius, & Deum ab omni iniquitate & crudelitate planè excuset, & placet Satrapis, placet mihi. Spiritus veritatis nos doceat veritatem. AMEN.

‖ 21.

‖ 21.

Explicit Liber primus.

D

CAP.

E

A

THOMAE BRADWARDINI LIBER II.

B

CAP. I.

Quòd liberum arbitrium sit, & quid sit.

C TRactatu siquidem præmissorum hucvsque continuo, progressoque in longius quàm putaui, timeo ne fortè si continuata serie prolongetur vlteriùs, lassitudinem inferat fatigatis, & fastidium ingerat delicatis. Quare sicut congruitas postulat intercisionem quandam, hic facio; sequentia breuiùs tractaturus. Rursum igitur aliud faciendo principium, ammodo de libero arbitrio disserendum. Quædam enim præhabita, videntur liberum arbitrium penitus tollere: quædam autem eius potestatem adimere: quædam verò eius perimere libertatem: quæ tamen omnia, maiorum meorum regulis innitendo, & sanctorum Patrum inhærendo vestigijs, iuuante me Domino, pro suæ libertatis arbitrio, spero
D fideliter concordare. Inprimis igitur videtur mihi ipsum liberum arbitrium statuendum: Et quod liberum arbitrium sit ponendum, omnes Theologi, omnes Logici, omnes Morales Philosophi, & ferè omnes Philosophi Naturales vnanimiter contestantur. Veruntamen, propter aliquos, qui fortè trepidarent timore vbi non est timendum, videtur hoc mihi breuiter ostendendum: Constat siquidem ex secundo, tertio, & quarto primi, Deum omnia extra se seruare, facere, & mouere, & hoc non ex necessitate naturæ, sicut potentiæ purè naturales cognitione carentes: nec ex sola cognitione sensitiua & appetitu naturali irrationali, sicut cæteræ potentiæ naturales irrationales, sed ex rationali iudicio, seu arbitrio intellectus, sicut sextum Capitulum primi docet: nec ex illo solo, sed cum libera voluntate, sicut octauum & nonum capita primi probant. Quare constat Deum habere arbitrium liberum voluntatis; *arbitrium* inquam, propter iudicium rationis seu intellectus: & *liberum*, propter potestatem spontaneam voluntatis: Nam propter has duas operationes harum duarum potentiarum in
E vna mente, liberum arbitrium || *hac* duo nomina pro vno nomine sibi sumpsit, sicut ipsa ratio nominis manifestat: & quia arbitrium rationis debet præcedere voluntatem, melius *arbitrium liberum*, quàm *liberum arbitrium* vocaretur. Vnde Augustinus Hypognostic. 31. dicit, cur liberum arbitrium dicatur esse paululum differendum: Arbitrium, inquit, ab arbitrando rationali consideratione, vel discernendo quid eligat quidue recuset, puto quod nomen accepit: Idem, liberum dictum, quod in sua sit positum potestate, habens agendi quod velit possibilitatem. Cui & concordat Bernardus de gratia & libero arbitrio 4. planè: Liberum quoque arbitrium, non tantùm Deo, sed & rationali competit creaturæ: Nam necessitas & contingentia seu libertas, circa creaturam, naturaliter contrariè opponuntur; & vnum illorum est naturale, scilicet necessitas, ergo & reliquum: Contraria

|| sic

Augustinus.

traria namque in tantum sibi mutuo correspondent, quod nedum si vnum est naturale reli- A
quum est naturale, verum quod si vnum est terminatum, & reliquum est terminatum, & hoc
Philosophus. eodem gradu: Dicit enim Philosophus 1. de Cœlo 44. Contrariorum si alterum determina-
Auerroes. tum est, & reliquum determinatum erit: Super quod dicit Auerroes in commento, hoc est manifestum ex descriptione contrariorum quæ sunt in fine remotionis. Nam 10. Metaph. 14. describuntur contraria, quod sunt, Ea quæ posita sunt in eodem genere & maximè diffe-
Auerroes. runt; & addit Auerroes, vbi supra, Et cum vtrumq; eorũ maximè distet, necesse est vt sint ęqualiter in contrarietate: scilicet, vt neutru sit fortius reliquo & manifestum est per se vt sint in eodem gradu contrarietatis, quod statim probat dicens; Et si non, non in fine distabunt. Possibile enim esset addere super minorem, vt esset magis contrarium, & tunc idem haberet plura contraria: Et illud quod erat positum in maxima distantia, non est ita quod est contrarium positionis. Ex quo patet quod nedum est contingentia & libertas in creatura, sed & tanta, quanta ne-
Apostolus. cessitas est in ipsa. Regula quoque Apostolica docet idem: scilicet quod si vnum contrario- B
rum est, & reliquum debet esse: si est inquit, Corpus animale est, & spirituale, 1. ad Cor. 15. Si igitur est necessitas, est & libertas; & si in aliqua creatura sit contingentia & libertas, inter omnes creatura rationalis videtur isto priuilegio difformi honoranda. Item nulli dubium, quod aliquam creaturam esse liberi arbitrij est absolutè possibile, quum nullam contradictionem includat: quare & possibile est Deum omnipotentem talem creare: Nam alias non esset omnipotens; quæ creata non videretur alterius rationis à creatura rationali præsenti, quare & creatura rationalis nunc præsens, cum libero arbitrio est creata. Item omnis argutia, quæ molitur ostendere nullam creaturam liberum arbitrium actualiter nunc habere, procedit similiter de creatura possibili habere liberum arbitrium si actualiter poneretur, & contra ipsam nequaquam concluderet: quare nec concludit contra creaturam rationalem actualiter existentem. Ex his autem euidenter apparet, quod liberum arbitrium, seu potius arbitrium liberum po-
Definitio liberi arbitrij. test definiri seu describi hoc modo, Quod ipsum est potentia Rationalis rationaliter iudi- C
candi, & voluntariè exequendi. Istis autem concordat, Hugo 3. Sent. 20. & 1. de Sacrament. part. 5. cap. 20. & 21. & Pet. 2. Sent. dist. 24. & 25. Alij quoq; multi, alijs locis multis.

CAP. II.

De actu liberi arbitrij & eius obiecto.

Stabilita igitur libera voluntate, restat consequenter inquirere de actu, & obiecto ipsius. Docet siquidem experientia & natura,
Quæstio 1. quod Actus eius est velle, & nolle; diligere, & odire; Obiectum vero ipsius, bonum, & malum apparens. Verum qui vellet profundius fodere, posset rationabiliter quærere, Nunquid v- D
terque actus prædictus, scilicet velle, & nolle sit æquè primus, & proprius voluntati; quod non videtur. Quia omnis potentia vna sicut habet essentiam & formam vnam, ita finem, perfectionem & operationem vnam saltem primam & maximè propriam & essentialem. Si autem illi duo actus non sunt æquè primi & proprij voluntati, vel vnus eorum reducitur ad alterum, vel ambo ad tertium, qui est primus & proprijssimus actus eius; virtute cuius alij ei insunt, iuxta præmissa, secundo primi. Sed nullus videtur actus voluntatis prior naturaliter velle, & nolle; diligere & odire; aut magis proprius voluntati. Simili quoq; modo potest inquiri de obiecto primo & proprijssimo voluntatis, An illud sit bonum vel malum, vel aliquod tertium, quod est neutrum. Videtur igitur, quod breuiter posset dici, quod actus primus & proprijssimus voluntatis est, velle obiectum suum primum & proprijs- E
simum, quod est bonum, & quia vult bonum, ideo non vult malum, ideo odit malum, ideo fugit malum: Bonum namque est naturaliter prius malo, sicut patet ex secundo, & 26. primi.
Quæstio 2. Verum cum constet voluntatem velle bonum & nolle malum, inquirendum vlterius; An possit scienter velle malum, & neutrum aliquid, scilicet, quod nec apparet sibi bonum nec malum. Ego puto quod sic; etsi non per se, cum magno tamen bono coniuncto: puta si quis non haberet *A* magnum bonum nisi cum illo, vel prius haberet *B* paruum malum; posset velle *B* malum, etsi non per se, nec propter se, vt tamen per illud consequeretur *A* bonum; sicq; adhuc iuxta præmissa, primò & principaliter vellet bonum; imò & quodammodò ad modum loquendi multorum, nihil aliud vellet, quam bonum, sicut patet 26. primi, & idem

est de

A est de neutro. Amplius autem ex istis potest & alia quæstio suboriri; Nunquid videlicet voluntas posit scienter velle per se purum malum? quod scilicet appareat ei omnibus modis malum? nec habens aliquod bonum aliquo modo coniunctum subsequens vel præcedens? nec etiam ipsa volutio appareat sibi bona, sed etiam omnibus modis mala? Quibusdam autem videtur quod sic, quia aliàs voluntas non haberet plenariam libertatem. *Nota responsionem quorundam.* Oppositum tamen huius videtur consequi ex præmissis: Si namque bonum sit obiectum primum & proprium voluntatis, & velle bonum primus & proprius actus eius; non potest quicquam velle nisi virtute istorum, & finaliter propter bonum. *Responsio.* Item natura humana proposito sibi malo horret & refugit; licet fortasis delectabile & vtile concupiscat, sicut cuiuslibet animus in se sentit, nisi quis fuerit forsitan manichæus, animam essentialiter malam habens, & essentialiter tenebrosam, ab essentialiter malo Deo & Principe tenebrarum contra 1.&26.1. Item per 26.primi quęlibet res est bona, quare & experientia generali mõstrante videmus, quod omnes

B res naturales, inanimatę animatę; insensibiles, sensibiles; & irrationales appetunt eis bonum, & fugiunt eis malum; qua ergò irrationali ratione sola res rationalis quæ irrationalibus cunctis præstat, appetet & diliget sibi malum, & odiet ac fugiet sibi bonum? Si etiam per 26. primi, quælibet res naturalis sit bona, & quilibet actus eius, & quicquid est positiuum in ea; quomodò potest aliqua res naturalis amare per se aliquid quod apparet omnibus modis malum, & nullo penitus modo bonum, nec bono coniunctum cum omnis amicitia siue amor semper sit ratione similitudinis & conuenientiæ aliqualis, & nunquam ratione disimilitudinis, aut contrarietatis perfectæ, sicut vniuersalis experientia mani estat? *Amicitia est ratione similitudinis.* Quis vnquam hominum, hominem sibi per omnia contrarium & aduersum, inimicantem, insidiantem, nocentemque in omnibus, nec vnquam prodesse volentem aut valentem propter hoc ipsum dilexit? & non potius odio habuit? vel si eum nequaquam odio habuit, sed dilexit, hoc fecit forsitan propter virtutem patientiæ acquirendam siue firmandam, sicut legitur apud multos de Socrate

C Philosopho, quod ideo duxit Xantippen Calfurniam contentiosissimam in vxorem. Vel fortè hoc fecit propter meritum & præmium augmentandum: vel propter Deum qui præcepit diligere inimicos, & sic per se & finaliter dilexit bonum, & malum huiusmodi finaliter propter bonum. Quare & dicit Boetius primo Musicæ in prologo; Amica est similitudo, disimilitudo odiosa, atque contraria; gaudet enim gens modis, morum similitudine. *Boetius.* Neque enim fieri potest, vt mollia duris, dura mollioribus adnectantur, aut gaudeant, quia amorem delectationemque similitudo conciliat. Quod & multi antiqui Philosophi contestantur, vt patet 8. Eth. 1. dicentes; Similem ad similem; vt Koloyum, ad Koloyum, & quod simile simile appetit. *ἔθεν τὸν ὅμοιον φασὶν ὡς τὸ ὅμοιον, καὶ κολοιὸν ποτὶ κολοιόν. i. graculum graculo, Arist. Eth. 8 cap. 1.* Quare & vulgariter dicitur;

Est, & semper erit, similis similem sibi quærit.

Vnde & Ecclesiast. 13. Omne animal diligit simile sibi; sic & Omnis homo proximum sibi; Omnis caro ad similem sibi coniungetur, & omnis homo simili sibi sociabitur. *Eccles. 13. vers. 17. 18.* Item si quis

D potest velle & diligere per se malum, potest & aliquem diligere propter puram malitiam, & alius eum simili modo è contra, sicque erit amicitia inter eos solummodò propter malum, sine vllo respectu ad bonum, quod est contra Aristotelem 8. Ethic. 2. contra Tullium de Amicitia, contra Senecam de Beneficijs: imo & vniuersaliter contra omnes Philosophicos & Theologicos de Amicitia pertractantes; qui omnes dicunt concorditer causam amicitiæ esse bonum. Quare & Aristoteles vbi prius, volens considerare de Amicitia, & speciebus ipsius; *Aristoteles.* De ipsis, inquit, fiet manifestum cognito amabili; videtur enim non omne amari, sed amabile, hoc autem esse bonum, scilicet honestum vel delectabile, vel vtile: Videbitur autem vtile esse per quod fit bonum aliquod vel delectatio; quare amabilia vtique erunt & bonum, & delectabile, & fines. Vbi & statim quærendo sic ait; Vtrum ergo bonum amant, vel quod ipsis bonum. Dissonant enim quandoque hæc & respondendo subiungit; Videtur autem & quod ipsi bonum amare vnusquisque; & esse simpliciter, quod bonum, amabile: vnicuique

E autem, quod vnicuique. Amat autem vnusquisque non ens ipsi bonum sed apparens, & infra 3. Differunt autem hæc, scilicet tria bona amabilia supradicta adinuicem specie, & amationes, ergo & amicitiæ æquales numero amabilibus. *Philosophus.* Item, si quid sit desideratum & amatum per se quia tale, quanto magis fuerit tale, tanto erit desiderabilius & amabilius, vt patet de bono honesto, delectabili, & vtili manifestè. Patet etiam ex consideratione Philosophi, secundo Topic. de magis & minus, vt si voluptas bonum, & magis voluptas, magis bonum. Dicitque Auerroes super duodecimum Metaphysicorum, com. 36. quod primò affectatum est bonum, & cum quanto magis aliquid æstimatum fuerit magis bonum, tanto desiderium erit maius. Si ergo purum malum sit per se desideratum, maius magis desiderabitur, & maximum maximè, puta summa miseria, quam tamen maximè fugeret omnis miser pariter & non miser.

 Vndè

Vnde & Augustinus Enchiridio 86. Nec, inquit, culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est? qua beati esse sic volumus, vt esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam velle prorsus poßimus. Item, malum ex ratione mali est odibile, & inimicabile cuicunque; & non videtur quod idem sub eadem ratione omnino, eidem non aliter sed similiter omnino disposito poßit esse odibile, inimicabile; seu oditum, inimicum & etiam amabile, amicabile, amatum siue amicum, & maxime summè tale, & etiam summè tale. Item omne amabile, seu amatum, & præcipuè propter se tantum est finis, vel in ratione finis se habet, sicut cuiuslibet animus in se sentit; quod etiam testatur Autoritas Philosophi 8. Eth. 2. præmissa, & aliæ autoritates quamplures; Finis autem præsertim vltimus, & propter se solùm desideratus est bonum, vel apparens bonum, & sub ratione boni se habet; sicut omnes Philosophi tractantes de causis concorditer attestantur. Item, simili ratione, qua quis potest diligere purum malum, potest & odire similiter purum bonum quia scilicet purè bonum, bonum scilicet quod esset sibi omnibus modis bonum vtile, delectabile & honestum, & nullo penitus modo malum, [nec aliquod malum] habens annexum; ita etiam quod per illud odium nullum aliud bonum acquireret, nec malum excluderet, quod alias emineret: Quare & potest quis odire bonum quodlibet, quia bonum; & maius magis, & maximum maximè, puta fælicitatem & Deum; cuius contrarium cuiuslibet animus experitur, & multiplex ratio manifestat. Multiplex quoque autoritas Philosophica, & Theologica attestatur nullum posse velle per se aut appetere purum malum, sed in omnibus suis operibus appetere semper bonum, vel saltem apparens aliquo modo bonum, vtile scilicet, delectabile & honestum. Vnde Philosophus 1. Eth. 1. Omnis, inquit ars, & omnis doctrina similiter autem & actus, & electio bonum quoddam appetere videtur; ideo bene enuntiauerunt bonum, quod omnia appetunt. Et infra *17*. Manifestum quoniam est fælicitas honorabilium & perfectorum; videtur autem ita habere, & *propter* esse principium: Huius enim gratia reliqua omnia omnes operantur. Cui & concorditer Augustinus 8. de Ciuit. Dei 8. Est, inquit, Philosophiæ pars moralis, quam Græco vocabulo dicunt Ethicam, vbi quæritur de summo bono, quo referentes omnia, quæ agimus, & quod non propter aliud, sed propter se ipsum appetentes, idque adipiscentes, nihil quo beati simus vlterius requiramus. Ideo quippe & finis est dictus, quia propter hunc & cætera volumus, ipsum autem non nisi propter ipsum. Qui & 13. de Trin. 5. Verum est, inquit, quod omnes homines esse beati volunt, idque vnum ardentißimo amore appetunt, & propter hoc cætera quæque appetunt, & supra eiusdem 3. Si quis diceret, Omnes beati esse vultis, & miseri esse non vultis diceret aliquid, quod nullus in sua non cognosceret voluntate. Quicquid enim aliud quisquam latenter velit, ab hac voluntate quæ omnibus & in omnibus satis nota est, non recedit. Qui & super illud Psalmi 32. Beata gens cuius est Dominus, Deus eius, tractatu 3. Amant, inquit, omnes beatitudinem, & ideo peruersi sunt homines, quia mali volunt esse, miseri nolunt; & cùm sit malitiæ indiuidua comes miseria, quid est, ideo volunt mali esse ne miseri sint? Considerate paululum hoc in omnibus hominibus qui mala faciunt, beati esse semper volunt: Furtum facit; quæris quare? propter famem, propter neceßitatem; Ergo ne miser sit malus est, & ideo miserior est quia malus est. Depellendæ ergo miseriæ causa, & acquirendæ beatitudinis causa, faciunt omnes homines, quicquid vel boni faciunt, vel mali. Quare & Boetius 3. de Cons. Philosophiæ, prosa 2. Omnis, inquit, mortalium cura quam multiplicium studiorum labor exercet, diuerso quidem calle procedit, sed ad vnum tamen beatitudinis finem nititur peruenire. Anselmus quoque de casu Diaboli 22. & post, pro manifesto supponit quod malus Angelus non potuit velle vnde miser esset, qui accepit inseparabiliter velle vt beatus esset. Amplius autem Philosophus 1. Polit. 1. Eius, inquit, quod videtur boni gratia, omnia operantur omnes; manifestum quod omnes bonum aliquod coniecturant. Et 3. Eth. 10. supponit quod voluntas est respectu alicuius finis; & opinione duplici recitata, vna quod sit respectu per se boni, & altera quod sit respectu apparentis boni; secundum propriam opinionem subiungit dicendum simpliciter quidem & secundum veritatem voluntabile esse per se bonum, vnicuique autem quod videtur. Et 2. Phys. 31. dicit quod causa finalis est bonum aliorum, quæ enim est cuius causa, potißima est, (&) finis aliorum vult esse, differt autem nihil eandem dicere bonam, vel videri bonam. Qui & 5. Met. 3. sub verbis parum distantibus dicit idem, & 3. de Anima 51. dicit quod appetibile est bonum aut apparens bonum. Auicenna quoque 8. Met. 6. dicit: Bonitatem desiderat omnino quicquid est; illud autem quod desiderat omnis res est esse, & perfectio in esse; in quam est esse, & esse est bonitas pura & perfectio pura, & omnino bonitas est id quod desiderat omnis res iuxta modulum suum, quoniam per eam perficitur eius esse. Quare & Boetius 3. de Cons-

[Margin: A; B; *Philosophus.*; imo c. 12. in fine.; propter hoc id est propterea.; C; *Augustinus.*; *Augustinus*; *Augustinus.*; D; *Boetius.*; *Anselmus.*; *Philosophus.*; cap.4.; *Auicenna.*; *Boetius.*]

A Conf. Philosophiæ prosa 10. Omnium, inquit, expetendorum summa atque causa bonum
est: Quod enim nec re, nec similitudine vllum in se retinet bonum, id expeti nullo modo po-
test contraque etiam quæ natura bona non sunt, tamen si esse videantur, quasi vera bona sint,
appetuntur: quo fit vt summa, cardo, atque causa expetendorum omnium bonitas esse creda-
tur iure. Cuius verò causa quid expetitur, id maximè videtur optari; veluti salutis causa quis-
piam velit equitare, non tam equitandi motum desiderat, quàm salutis effectum. Cùm igi-
tur boni gratia omnia petantur, non illa potiùs, quam bonum ipsum, desiderantur ab omni-
bus; sed propter quod cætera optantur, beatitudinem esse concessimus; quare sic quoque
sola quæritur beatitudo. Dionysius quoque de diuinis nominibus 4. sic ait: Existentia pul- *Dionysius.*
chrum & bonum desiderant, & omnia quæcunque faciunt, propter hoc, quod videtur bo-
num faciunt; & omnis existentium intentio principium habet & finem bonum. Nihil enim
ad mali naturam respiciens facit: Et infra, Boni gratia sunt omnia, & quæcunque bona, &
B quæcunque contraria; etenim ista facimus bonum considerantes; Nullus enim ad malum
respiciens facit quæ facit. Cui & concorditer Augustinus in quæst. super lib. Numerorum *Augustinus.*
quæst. 23. exponens illud verbum, peccatum nolentium, sic ait: Omnes quippe homines
qui scientes faciunt quod non licet, vellent licere, vsque adeò ipsum peccare nemo appetit
propter hoc ipsum, sed propter hoc quod ex eo consequitur. Dicitque Petrus 2. sent. dist. 39. *Petrus.*
quod superior scintilla rationis, quæ etiam, vt ait Hieronymus, in Cain non potuit extingui,
bonum semper vult & malum odit. Quod & testantur multæ autoritates præmissæ 26. primi,
aliæ quoque Philosophicæ, & Theologicæ plures valdè. Consequenter autem posset || *quæri,* *Quæstio 4.*
An voluntas posset scienter nolle positiue seu odire bonum. Et credo quod posset saltem per || inquiri
accidens, si videlicet nolendo & respuendo aliquod paruum bonum posset consequi aliquod *Responsio.*
maius bonum, vel vitare aliquod maius malum, sicut & potest velle malum vt superiùs dice-
batur. Hic autem posset quæri vlteriùs, An voluntas posset scienter nolle & odire per se pu- *Quæstio 5.*
C rum bonum, quod scilicet apparet, & quia apparet omnibus modis bonum: Et arguunt qui-
dam quod sic; quia aliter voluntas non esset libera omniquaque: Sed istud stare non potest; *Responsio.*
Sicut enim prima ratio volubilis & amabilis est bonum vel apparens bonum, vt præmissa te-
stantur, ita nolubilis & odibilis, malum, vel apparens malum; contrariorum namque sunt
contrariæ rationes: Non potest igitur quis nolle per se, quod non apparet aliquo modo ma-
lum, inhonestum scilicet, inutile, neque triste. Videtur quoque æquè possibile diligere per se
malum, & odire per se bonum, quia scilicet purum bonum, sed hoc non est possibile sicut su-
perius est ostensum, quare nec istud. Post hæc autem rationabiliter inquirendum; Nunquid *Quæstio 6.*
voluntas possit non velle purum bonum sibi oblatum. Si enim non possit, cùm non sit in po-
testate ipsius quid & quando sibi appareat purum bonum, non est in potestate sua quid aut
quando velit, quare nec quid faciat dicente Philosopho 9. Metaphys. 10. Potens secundum
rationem omne necesse quando desiderat, cuius habet potentiam, & vt habet, hoc facere,
D qui & 5. Polit. 7. & 2. Rhetor. 24. dicit hoc idem, sed hoc libertatem destrueret volunta-
tis, quam proximum construebat. Si autem posset non velle purum bonum sibi oblatum,
& per præmissa necesse est quod non nolit illud, nec odiat, potest ergo nullum actum habere
circa illud obiectum, quare & simili ratione circa vnum aliud obiectum, & aliud, & circa
quodcunque, & ita penitus otiari per tempus, & tempus quodcunque cuius oppositum sen-
tire videmur. Item tunc causa sufficienter disposita ad agendum, posset vna vice agere, & a-
lia non agere, stante eadem dispositione præcisè, quod videtur contrarium rationi, cùm nulla
sit ratio potior cur agat aut quiescat vna vice, quàm alia. Pro his autem sciendum quod velle *Solutio.*
& nolle quandoque accipitur pro actu rationali voluntatis, quandoque verò pro actu natu-
rali, scilicet pro concupiscentia vel ira, qui sunt motus virtutis concupiscibilis, & irascibilis
irrationalis; Primo modo loquendo, velle & nolle est liberum, & in hominis libera pote-
state, sicut ex proximo huius patet; sicque potest voluntas circa aliquod purum bonum sibi
E oblatum neque elicere velle, nec nolle, sed penitùs otiari; potestque eadem voluntas, eodem
modo præcisè disposita aliàs illud velle. Hoc enim euidenter apparet ex differentia inter
potentiam rationalem & irrationalem 9. Metaphys. 10. rationabiliter assignata, sicut 34ª
pars Corollarij primi, primi pleniùs manifestat. Secundo autem modo loquendo velle
& nolle non est liberum, nec in hominis, sicut nec in bestiæ libera potestate, sed necessa-
rium necessitate naturali, & frequenter inuitum, sicut nimis certitudinaliter & frequenter do-
lentes & gementes cum sanctisso Apostolo experimur. Sunt tamen hi motus quodammodo in
hominis potestate, quatenus scilicet habet virtutem rationalem superiorem, qua potest eis re-
sistere, eos reprimere & plurimum refrænare, quam quia non habent bestiæ, non sic possunt.
Quod benè aduertens Philos. 1. Eth. vlt. distinguens multipliciter species & potentias animæ

 irrationa-

irrationalis, inquit; hæc quidem aſſimilatur communi & plantatiuo; dico autem cauſam eius A
quod eſt nutriri & augeri; videtur vtiq; & alia quædam natura animæ irrationalis eſſe, participans quidem aliqualiter ratione; Incontinentis enim & continentis rationem habens laudamus, rectè enim & ad optima deprecatur ratio; videtur autem in ipſis aliud præter rationem innatum, quod aduerſatur & obuiat rationi. Firmiter enim quemadmodum diſſolutæ corporis particulæ, in dextrum præeligentium mouere, in ſiniſtrum prauè feruntur, & in anima ſic; ad contraria enim motus incontinentium. Sed in corporalibus quidem videmus, quod peruerſè motum eſt; in anima verò non videmus. Fortaſſis autem nihil minus in anima exiſtimandum aliquid eſſe præter rationem, contrarians huic & obuians; qualiter autem alterum, nihil differt. Ratione autem & hoc videtur participare quemadmodum diximus. Obedit igitur rationi quod continentis; Amplius autem forſitan ſubiectius eſt quod ſobrij & fortis; Omnia enim conſonant rationi. Videtur vtique & irrationale duplex; plantatiuum, quoddam enim nequaquam communicat ratione; Concupiſcibile verò & vniuerſaliter appetibile parti- B
cipat aliqualiter ſecundum quod exaudibile eſt ei, & obaudibile; Ita vtique & patris & amicorum dicimus habere rationem, & non quemadmodum Mathematicorum. Quoniam autem ſuadetur aliqualiter à ratione irrationale, nunciat & ſuaſio, & omnis increpatio & deprecatio; ſi autem oportet & hoc dicere rationem habere, duplex erit & rationem habens, hoc
Quæſtio 7. quidem principaliter & in ſeipſo, hoc autem quemadmodum à patre audibile aliquid. Simili quoque modo poſſet inquiri; Nunquid voluntas poſſit non nolle purum malum ſibi obla-
Quæſtio 8. tum, ad quod & poteſt ſimiliter argui, & ſimiliter reſponderi. Amplius autem poſſet quis quærere conſequenter, Nunquid voluntas poſſit velle, & nolle quodcunq; ſuum obiectum ſub
Reſponſio. quocunq; gradu, cum non ſit ibi reſiſtentia qualiſcunque. Sed cum ſit determinatæ entitatis, videtur ſimiliter determinatæ actiuitatis. Aliter etiam qui diligeret quippiam ſecundum vltimum ſui poſſe, diligeret illud ſub gradu infinito ſimpliciter intenſiuè contra prius oſtenſa par-
Quæſtio 9. te 40ª. Corollarij primi, primi. Adhuc fortaſsis quæreretur; Nunquid de eſſentia liberi arbi- C
trij ſit naturaliter libertas, ſeu poſsibilitas contradictionis, & hoc reſpectu cujuſlibet actus ſui.
Reſponſio. Hoc enim videtur ex ſignificato nominis importari. Oppoſitum tamen eſt certum, de libero arbitrio Dei quo diliget ſe, quo quælibet perſonarum diuinarum diligit quamlibet aliam
Quæſtio 10. & ſeipſam, ſicut per primam ſuppoſitionem poteſt oſtendi. Ampliùs autem & iuxta iſtud vlterius quæri poteſt; Nunquid liberum arbitrium, quod de ſe naturaliter eſt contradictionis, ſemper liberè ſecundum contradictionem poſsit in oppoſitum cuiuſlibet actus ſui; hoc enim
Reſponſio. videtur in ſignificato nominis contineri. Oportet tamen diſtinguere tempora & liberi arbitrij qualitates: Pro tempore namque & qualitate beatitudinis confirmatæ non poteſt, ſicut ratio beatitudinis confirmatæ demonſtrat, & omnes Doctores Catholici vnanimiter conteſtantur. Pro tempore verò & qualitate viæ, poteſt in oppoſitum priuatiue non agere, ſcilicet, talem actum, non tamen ſemper poteſt in oppoſitum poſitiuè, in actum ſcilicet contrarium poſitiuum reſpectu cuiuſcunque obiecti, ſicut præcedentia manifeſtant. D

COROLLARIVM.

Corollarium, quòd non ideo dicitur liberum Arbitrium, quia liberè poteſt velle & nolle quodcunque, ſed quia liberè poteſt velle quodcumque obiectum ſuum volubile, & nolle quodcunque obiectum ſuum nolubile.

Ex his autem reputo manifeſtum, quod non ideo dicitur liberum arbitrium, quia liberè poteſt velle, & nolle quodcunque, ſed quia liberè poteſt velle quodcunq; obiectum ſuum volubile, & nolle quodcunque obiectum ſuum nolubile; ſicut ſi viſus eſſet potentia libera, non ideò tamen poſſet videre ſonum, & inuiſibilia cætera, ſed viſibilia ſua tantum. Nec ideò dicitur liberum, quia liberè poteſt velle aut nolle quodcunque ſuum obiectum quocunque modo ſicut præcedentia docuerunt, ſed modo potentiæ ſuæ apto. Nec ideò dicitur liberum arbi- E
trium quia liberè poteſt in oppoſitum cuiuſlibet actus ſui, vt præmiſſa demonſtrant, ſed quia ex rationali arbitrio ſiue iudicio ſpontaneè illum agit, ſicut primum huius oſtendit. Nec ideò dicitur liberum arbitrium quia liberè poteſt benefacere & peccare, ſicut ex præmiſſis conſequitur euidenter, ſed propter cauſam proximo aſſignatam.

A

CAP. III.

Quod nulla causa inferior potest necessitare voluntatem creatam ad rationalem & liberum actum suum ad meritum propriè, vel peccatum.

COnsequenter autem restat ostendere, quod nulla causa inferi-
or, vel secunda, potest necessitare voluntatem creatam ad
rationalem & liberum actum suum, ad meritum propriè vel
B peccatum. Nam secundum primo huius ostensa, creatura ra-
tionalis est liberi arbitrij, & naturaliter libera; Imò & ita
libera, sicut creatura irrationalis est naturaliter necessaria;
seu necessitabilis siue serua. Sed hæc est tam necessitabilis &
serua naturaliter quod potest necessitari à causa secunda; er-
gò & ipsa tam libera quod non potest necessitari ab aliqua cau-
sa secunda: Si enim bestia necessitetur ab aliqua causa secunda,
necessitabitur a qualibet fortiori; quare nec ab illa, nec ab a-
liqua fortiori causa secunda necessitabitur voluntas creata, multò magis nec a debiliori qua-
cunque: Item si voluntas humana posset necessitari per aliquam causam secundam, hoc plu-
rimum videretur per stellas, & virtutes cœlestes, quæ videntur habere efficaciam maximam
in subiecta, etiam in homines, in tantum, vt periti in Astrologia & alijs scientijs iudiciarijs in
C influentia cœlesti fundatis videantur frequenter prædicere ipsorum mores & actus. Sed istud
non congruit rationi: Stellæ namq; & virtutes cœlestes sunt res materiales & irrationales; A-
nima autem humana rationalis & immaterialis, sicut Philosophi & Theologi contestantur,
quare perfectior & superior naturaliter quam res illæ. Constat autem esse contrarium ordini
naturali, vt immateriale materiali, rationale irrationali perfectius imperfectiori, & supe-
rius inferiori necessariò supponatur, & per irrationalem motum eius ordinetur in omnibus
& regatur, præsertim in proprio scilicet rationali & libero actu suo. Quis enim nisi forsitan
asinus, dixerit asinum debere naturaliter regere hominem, non è contra? aut quis irrationabi-
lior asino dixerit rem inanimatam imperfectiorem asino debere naturalitèr hominem regu-
lare? non sic autem, non sic; sed contrarium ordinem naturalem naturaliter experimur, quem
& omnes Philos. contestantur, qui & Gen. primo exprimitur euidentèr. Nec solùm videmus
hominem ipsa insensibilia, & irrationalia debere naturalitèr regulare, verùm inter ipsos homi-
D nes sapientem insipientem, & magis sapientem minus sapientem ordine congruo regulare de-
bere. Quarè & dicit Philo. 1. Met. principalior est subseruiente magis esse sapientiã: Non enim
ordinari oportet sapientem, sed ordinare, neq; hunc ab altero sed ab hoc minus sapienten sua-
deri. Et 6. Eth. 6. dicit, quod sapientia est quemadmodũ caput habens scientiã *honorabilissimo-* || Honora-
rũ, & 1. polit. 1. Principans inquit, & subiectũ naturâ propter salutẽ. Quod enim potest, mente biliorum.
prævidere principans naturâ & dominans naturâ, quod & consequenter 2. & 3. 6. manifestat;
& infra 3. 9. Qui intellectum iubet principari, videtur iubere principari Deũ, & leges: qui au-
tem hominẽ iubet, apponit & bestiã: qui & 5 Eth. 11. Non si minus inquit principari hominẽ,
sed rationẽ. In secreto quoq; secretoru partis 3. 5. Dicitur quod inuentũ est scriptum in vno la-
pide lingua Chaldæa, Rex & Intellectus sunt fratres. Quare & sapientissimus Regũ terræ, Intel-
ligens, inquit, gubernacula possidebit. Parab. 1. & Augustinus, 1. de libero arbitrio 16. Irratio-
nabilibus, inquit, animæ motibus cùm ratio dominatur ordinatus homo dicendus est. Neq;
E enim ordo rectus, aut ordo appellandus omnino est, vbi deterioribus meliora subijciuntur.
Ratio ista ergo vel mens, vel spiritus cùm irrationales animi motus regit, id dominatur in
homine, cui dominatio æterna lege debetur. Et infra 19. ostenso quod nullus animus vitio-
sus animum virtuosum valeat superare subiungit, iam corpore omni qualemlibet ani-
mum meliorem, potentioremque esse non te arbitror negaturum: Nemo id negat qui quod
facilè est, videt, aut substantiam viuentem non viuenti, aut eam quæ vitam dat, ei quæ acci-
pit, esse præferendam: Multo minus ergo corpus, qualecunque id sit, animum virtute
prædictum vincit. Finget forsitan aliquis respondendo corpora cælestia esse animata
& perfectiora hominibus animatis; quarè & satis congruere ordini naturali, quod ipsa
hominibus dominetur. Verùm si sint animata, vel anima materiali & extensa, vel im-

materiali & indiuisibili; si materiali illa necessariò est irrationalis, & imperfectior anima hominis immateriali & rationali, sicut plurima Philosophia testatur, quare & ipsa imperfectiora hominibus. Talis insuper anima in sphæra cœlesti vel stella Philosophicè reprobatur. Si autem dicatur animata anima rationali puta intelligentia, adhuc non vitat: Non enim ‖ *agunt* in inferiora & homines per animam illam immediatè, cùm ipsa sit tantum in cœlo; sed tantum per aliquam virtutem materialem & irrationalem defluentem ab eis in medium & in homines animasque humanas, puta per lumen, vel motum. Ipsamet quoque intelligentia, etsi esset immediatè applicata ad animam hominis, non posset eam necessitare ad velle, quia nec per suam solam substantiam, neque per aliquem suum actum: Non per solam suam substantiam, cum ipsa per se sit indifferens ad causandum velle, & nolle, & vnum velle & aliud: Nec per aliquem suum actum, cùm quilibet actus eius sit accidens, quare & imperfectior, inferior, & impotentior naturaliter anima hominis. Vna etiam intelligentia non potest necessitare aliam ad volendum, quare nec hominem. Si etiam cœlum per huiusmodi animam posset necessitare hominem ad bonum; ita & ad malum: Multi namque per quasdam stellas tam fortiter inclinantur ad malum, sicut alij per alias inclinantur ad bonum, sicque sancti Angeli cùm nulli alij sint in cœlo impellerent homines ad peccatum. Quare & Augustinus 3. de libero arbitrio 19. probat, & tenet, quod neque libido, nec animus vitiosus, nec corpus, nec animus vel mens habens virtutem potest aliam mentem virtuosam ab arce virtutis deijcere, & libidini subiugare; & subdit, Quare illud restat vt respondeas; si potes, vtrum tibi videatur rationabili & sapienti mente quicquam esse præstantius. Nihil præter Deum arbitror; & mea ista sententia est. Item tunc Angeli essent animæ; Cœlum quoque posset, seu potuisset mereri, & peccare, saluari atque damnari, beatificari, & miserum fieri, quare & esset proximus noster, & sicut proximus ab hominibus diligendum. Sed hæc esse deliramenta & phantasmata vana quis Philosophorum, aut Theologorum, vulgariumue ignoret? Quare & Stephanus Parisiensis Episcopus damnauit articulum affirmantem, quod corpora cœlestia mouentur à principio intrinseco quod est Anima, & quod mouentur per animam & per virtutem appetitiuam, sicut animal; & alium astruentem quod anima cœli est intelligentia; & orbes cœlestes non sunt instrumenta intelligentiarum sed organa, sicut auris, & oculus est instrumentum virtutis sensitiuæ; & alium asserentem, quod natura quæ est principium motus in corporibus cœlestibus est intelligentia mouens; error, inquiens, si intelligitur de natura intrinseca; quæ est actus vel forma. Item experientia docet contrarium: Capta namque conceptione, vel natiuitate alicuius optima vel pessima quoad mores, potest per parentes, per amicos per seipsum contrariè educari, & in contrarijs moribus confirmari; sicut posset, qui vellet, faciliter experiri, multique Astrologi multipliciter sunt experti. Vnde Pater Philosophorum Hermes de Cœlo & mundo 9. agens de potestate Planetarum super hominem à tempore conceptus vsque ad tempus partus, & ab illo vsque ad tempus mortis, sic ait: Hæc potestas naturalis apta à primordio format & operatur, & naturam humanam non lege coactionis sed amicitiæ moderatur. Natura enim humana ex ipsa superiorum potestate nec talis, nec talis efficitur, sed aptitudinem naturalem & solam sortitur, vnde postmodum natura vel vita qualitates vel actus tales vel tales potentius suscipit. Quare & dicit Ptolomæus in centilogio verbo primo: Hæc indicia, quæ tibi trado, sunt inter necessarium & possibile, hoc est apud eum qui rerum naturas, & stellarum opus considerat, & verbo 5. Astrologus optimus multum malum prohibere poterit, quod secundum stellas venturum est, cùm eius naturam præsciuerit, & verbo 95. Ferè semper accidit, vt id quod ascendit in omni facie harum figurarum, simile sit operi eius: Facies figurarum singularum, id est, signorum singulorum sunt tres secundum totidem denarios graduum distributæ. Super quod Haly in commento sic ait, Figuræ quæ ascendunt cum faciebus scriptæ sunt in Dazange, ‖ *nec non &* Indi commendant eas, & alijs indicijs præferunt. Ego quippe vidi quosdam qui indicabant per illas in his quæ accidunt, & noui etiam quendam, cuius natiuitatis Ascendens fuit prima facies Arietis, & plures signatores eius in terminis Saturni: Erantque indumenta eius splendida & munda, bene redolentia & ipse splendidè viuebat. Accidit autem quod vna die dum sederem cum eo; erat enim mihi familiaris, dixi ei; Hæc quidem indumenta signatoribus tuis sunt contraria; & ille ait, Quicquid vides, ego facio propter oculos hominum; & si denudarem tibi desiderium meum, addisceres quod valdè nitor contra voluntatem animi mei, & quod sum in maximo labore: Et ego dixi ei, Nullum est dedecus id operari, quod eius natura exquirat, sed tunc est maximum dedecus, cùm mala consuetudo naturam superat, & ipse mihi dixit, Nil ego ago quod meo sedeat animo ‖ *nunc* quidem

Marginalia: ‖ agit — *Augustinus* — Haly — ‖ nec & — ‖ tunc — A — B — C — D — E

A dem appeto vt amplecterer nigram aliquam vel aliquem nigrum cum qua forem inuolutus in guadagna alba de pilis hircinis texta, & vt iacerem cum eo per noctem: scit tamen Deus semper abhorrui coitum virilem; & licet hoc appetam, nolo tamen reuelare voluntatem animi mei propter milites meos, & homines circumstantes; & hoc probat viam indiciorum, quia in prima facie Arietis ascendunt quædam, quorum vnum est vir niger inuolutus guadagna alba. Item omnes Doctores Catholici reprobant fatum stellicum seu stellarum, præsertim si necessitatem importet, sicut vicesimum octauum primi aliqualiter recitauit. Quare & Stephanus Parisiensis Episcopus damnauit articulum affirmantem, quod voluntas nostra subiacet potestati corporum supracœlestium, & alium asserentem quod voluntas & intellectus non mouentur in actu per se, sed per causam sempiternam, scilicet per corpora cœlestia; & alium astruentem, quod orbis est causa voluntatis Medici vt sanet, & alios similes istis multos. Ampliùs autem si voluntas humana posset necessitari ad liberum actum suum per aliquam causam secundam, videretur quòd per vehementem temptationem, hoc posset: sed quantacunque sit tentatio, tanta posset esse incitatio per stellas, & virtutes cœlestes, cùm sit certissimum quod multum incitant homines & inclinant, & incitatio nulla per stellas potest necessitare voluntatem humanam, sicut superiùs est ostensum. Item quantum aliqua temptatio excitat, tantum potest & aliqua dispositio in corpore, ex stellis & complexione resultans: sed istud conuincitur esse falsum per experientiam ab Haly superius recitatam; potest quoque conuinci per experientiam de Hypocrate in secreto secretorum 4. partis 1. ab Aristotele recitatam, vbi sic scribit: Discipuli Hypocratis sapientis depinxerunt formam eius in Pergameno, & portauerunt eam Philimoni dicentes; considera hanc figuram, & indica nobis qualitatem complexionis eius; qui respiciens compositionem & dispositionem figuræ comparauit partes eius dicens: Iste homo luxuriosus est, deceptor, amans coitum; ob quam rem voluerunt eum interficere, dicentes; O stulte, hæc est figura dignioris & melioris hominis qui sit in hoc mundo. Philimon autem pacificauit eos, & correxit dicens, hæc est figura sapientis equidem, sed hæc quæ quæsiuistis de mea scientia, ostendi vobis, & quid inde sentio secundum ipsam. Quando ergo peruenerunt ad Hypocratem, dixerunt ei quid fecerunt, & quid respondit eis Philimon & indicium, quibus dixit Hypocrates, certè verum dixit Philimon, non prætermisit vnam literam. Veruntamen ex quo ego respexi & consideraui hæc turpia esse & reprobanda, constitui animam meam regere supra ipsa; & retraxi eam ab ijs, & triumphaui super retentione concupiscentiæ meæ. Hæc est itaque laus & sapientia Hypocratis; quia Philosophia nihil aliud est quàm abstinentia, & victoria concupiscibilium. Quare & Aristoteles in libro Ethic. quasi per totum, Plato, Socrates, Seneca, & omnes Morales Philosophi in Philosophia sua Morali frequenter ostendunt, frequentiusque supponunt, benè operari & malè, virtutes & vitia esse in hominis libera potestate; quod & Autor humanæ naturæ in institutione ipsius euidenter expressit. Quando namque Cain iratus fuerat vehementer in fratrem suum Abel, Dominus dixit ei, Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies? sin autem malè statim peccatum in foribus aderit: sub te erit appetitus eius & tu dominaberis illius. Quare & Augustinus 1. de libero arbitrio 18. Iam, inquit, & regnum humanæ mentis, humanam esse sapientiam, & eam posse etiam non regnare compertum est; & sequitur 19. Putasne ista mente cui regnum || *in libidines* æterna lege concessum esse cognoscimus, potentiorem esse libidinem? Ego enim nullo pacto puto: nec enim esset ordinatissimum vt impotentiora potentioribus imperarent. Quare necesse arbitror esse, vt plus possit mens quàm cupiditas, eo ipso quo cupiditati rectè iusteq; dominatur. August. quoque de lib. arbit. 5. probat diffusè nullam tentationem posse vincere voluntatem: vnde sic ait; Quis potest dicere voluntatem non esse liberam ad seruandam rectitudinem, & liberam à tentatione & à peccato? Si nulla tentatio potest illam nisi volentem auertere à rectitudine ad peccatum, id est, ad volendum quod non debet? Cum ergo mentitur, non aliena mentitur potestate, sed sua. Nonne vides ex dictis cõsequi quod nulla tentatio potest vincere rectam || *voluntatem.* Nam si potest habet potestatem vincendi, & sua potestate vincit; sed hoc esse non potest, quoniam voluntas non nisi sua potestate vincitur; quare nullatenus potest tentatio vincere rectã voluntatem. Et cum dicitur, impropriè dicitur: non enim aliud intelligitur quàm quod voluntas potest se subijcere tentationi. Et infra 7. Intellige, inquit, voluntatẽ insuperabilem & nulla alia vi superabilem fortitudinem habere. Vides igitur quod cum homo habitam rectitudinem voluntatis aliqua ingruente tentatione deserit, nulla vi aliena abstrahitur, sed ipsa se conuertit. Si quis forsitan cogitet similiter esse de bestijs, ecce dissimilitudinem magnam valdè. Bestiæ namq; naturali necessitate appetitum sequuntur delectabilia prosequendo, & tristia fugiendo; homo

Marginalia: B (beside "rum actum suum"); C (beside "est figura dignioris"); D (beside "sius euidenter"); E (beside "tum, id est"); *Stephanus.*; *Augustinus.*; || etiam libidinis; || rationem.

Anselmus. homo autem nulli necessitati subijcitur naturali. Quare & Anselmus de libero arbitrio 5 dyalogizando sic scribit: Quomodo non est libera voluntas, quam aliena potestas sine suo assensu subijcere non potest? Nonne simili ratione possumus dicere voluntatem equi esse liberam, quæ non appetitui carnis seruit nisi volens? N. Non hic est similiter. In æquo namq; non ipsa voluntas se subijcit, sed naturaliter subiecta semper necessitate appetitui carnis seruit: In homine verò quamdiu ipsa voluntas recta est, nec seruit, nec subiecta est cui non debet, nec ab ipsa rectitudine vlla vi aliena auertitur, nisi ipsa, cui non debet volens consentiat; quem consensum non naturaliter, nec ex necessitate sicut equus, sed ex se apertè videtur habere. Amplius autem duplex est temptatio, per tristia, per delectabila; per aduersa, per prospera; & vniuersaliter per mali timorem, & boni amorem: Harum autem prima fortior est & maior; Quilibet enim naturaliter plus horret & refugit triste malum, quam bonum delectabile concupiscat, sicut tam in nobis, quam in bestijs experimur: Naturaliter enim magis videmur amare bonum quod habemus, & timemus per triste malum auferri, quam desideremus bonum B non habitum, nondum nostrum. Quilibet namque naturaliter magis amat seipsum, & sua, quam appetat, vel amet, non sua, cum non appetat aut amet naturaliter alia nisi propter seipsum, sicut patet 39. primi. Quare & Philosophus 3. Ethic. 18. Difficilius, inquit, est tristia sustinere, quàm à delectabilibus abstinere. Cui & concorditer Augustinus 83 Quæstionum 36. Nemo est inquit, qui non magis dolorem fugiat, quam appetat voluptatem. Videmus enim quasdam immanissimas bestias ideò maximè voluptatibus absterreri, dolorum metu: Est ergo temptatio per tristia fortior aliâ, & hæc humanam non potest ‖ *subigere* voluntatem, quare nec illa. Quod autem hæc non possit humanam vincere voluntatem euidenter apparet, quia fortissima temptatio huius speciei non potest voluntatem humanam subijcere, quare nulla. Fortissima namq; temptatio per tristia, est per mortem, præsertim per mortem tristissimam dicente Philosopho 3. Ethic. 14. quod fortis est circa terribilia maxima; Nullus enim magis sustinet pericula; terribilissimum autem mors. Sed hæc humanam non superat voluntatem: Quot enim fideles, hæretici, & infideles potius elegerunt & voluntariè sustinuerunt mortem durissimam, quam professionem, voluntatem, operauè mutarent, sicut historiæ plurimæ contestantur? Quot etiam Gentiles Philosophi viuendo moraliter, & secundum regulam honestatis temptationes fortissimas superarunt, & appetitus belligeros rationis imperio subiugarunt, sicut historiæ de vitis eorum conscriptæ lucidè manifestant? Amplius autem si aliqua causa secunda posset humanam subijcere voluntatem, hoc de diabolo plurimum videretur, cuius est permagna potestas, de qua Iob. 41. Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, sed ipse non potest voluntatem hominis superare, sicut præcedentia manifestant, testaturq; August. 1. de libero arbitrio 19. superius allegatus. Nec etiam potest per essentiam suã solam voluntatem hominis superare, sicut de bonis Angelis superius monstrabatur; nec per aliquem actum suum; quia ille actus esset aliqua temptatio; sed nulla temptatio potest humanã vincere voluntatem; sicut iam proximo est ostensum. Quanta etiam mala faceret spiritus ille malus in mundo, si haberet dominium super hominum voluntates? Quot etiam viri & fœminæ eius temptationibus inuectissimè restiterunt, tam inter fideles, quam etiam infideles? Potest tamen rationabiliter obijci contra dicta. Obiectum namq; delectabile, siue triste est alicuius virtutis in mouendo voluntatem humanam ad volendum vel nolendum, & ipsa voluntas est virtutis tantum finitæ in resistendo sicut in essendo, vel ergo minoris; æqualis, vel maioris; si minoris, necessariò superatur; si æqualis vel maioris, augeatur obiectum donec sit maioris potentiæ in mouendo quam voluntas humana in resistendo, vel capiatur ‖ *aliud* obiectum tanto potentius voluntate humana, quanto ipsa est potentior primo obiecto, & ab illo necessitabitur ad volendum vel ad nolendum. Voluntas quoque humana resistendo illecebræ patitur difficultatem, sicut nimis certè sæpius experimur, sicuti etiam Philosophi & Theologi contestantur: Dicit enim Philosophus secundo Ethicorum 3. Difficilius esse voluptati pugnare, quàm iræ; circa difficilius autem semper ars fit & virtus. Et tertio Ethicorum ‖*secundo*, Est inquit, difficile quandoque iudicare quale pro quali eligendum, & quid pro quo sustinendum; adhuc autem difficilius immorari ‖ *cognitis*; *vt enim multum est*, quæ quidem expectantur tristia, quæ autem coguntur, turpia. Et infra ‖18. Difficilius est tristia sustinere, quam à delectabilibus abstinere. Et Anselmus de libero arbitrio 5. dicit, quod difficile est non mentiri propter mortem vitandam, Et 6. dicit quod difficile est nobis seruare rectitudinem voluntatis, cum temptationibus consentimus, quod etiam tam ipse, quàm alij sæpius attestantur. Quare & morales Philosophi, & Theologi ac Canonistæ tenent concorditer, quod quantitas temptationis maior vel minor minuit, vel augmentat, alleuat vel aggrauat culpam consentientis, & pœnam. Cum ergo voluntas humana resistendo illece-

Marginalia: A (beside line 1); *Philosophus.*; *Augustinus.*; ‖ subijcere; C; D; *Obiectio 1.*; ‖ aliquod; E; ‖ 1.; ‖ cognito; εἰς γὰρ δεῖ τὸ πολυ; ‖ 9.

A illecebræ difficultatem aliquam patiatur, & sit tamen finitæ potentiæ sicut & essentiæ, tam fortis potest esse illecebra, & tantam difficultatem causare, quod voluntas humana illam non valeat superare, sed necessariò ei || *cedet*. Item obiectum delectabile & triste irresistibiliter superat voluntates paruulorum, morionum, furiosorum, & perfectè forsitan ebriorum; sed voluntas adultorum benè disposita non est infinitè potentior essentialiter nec accidentaliter voluntatibus prædictorum; potest ergò ab obiecto aliquo superari. Constat quoque voluntatem sæui & voluntatem furiosi vel alteriùs similis esse essentialiter & naturaliter æquipotentes; Illa quoque passio in corpore furiosi cum obiecto extrinseco est finitæ potentiæ ad mouendum. Si ergò tentatio vel obiectum quodcunque tam potens sanam sani moueat voluntatem, ipsam necessariò superabit propter æqualitatem proportionis hinc indè. Item bestiæ necessitantur ab obiectis, & homo non est infinitè fortior bestia, potest ergò & ipse ab aliquo obiecto necessitari similiter ad volendum. Item beatitudo finalis est aliqua creatura, & ipsa necessitat voluntatem beati ad beatificum actum suum, & ad non peccandum: Ipsa enim

|| cedat. 2. 3. 4.

B ratio beatitudinis perfectè conuincit; tenentque omnes Doctores concorditer quod beatus perfectè & finaliter confirmatus non potest miser fieri aut peccare. Item aliqua fortis tentatio potest superare tentatum, & facit quandòque sicut multi se dicunt esse expertos. Vndè Philosophus 7. Eth. 7. Non, inquit, si quis à fortibus, & superexcellentibus delectationibus vincitur vel tristitijs, admirabile, sed condonabile, si contratendens quemadmodum continere tentantes risum repentè effundunt. Quod benè videtur expressisse Apostolus, 1. ad Cor. 10. Fidelis inquiens Deus est, qui non patietur vos tentari supra || *illud* quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam prouentum, vt possitis sustinere. Quare & Anselmus de libero arbitrio, 6. in persona discipuli; Non possum inquit, dissimulare quandam impotentiam esse in voluntate, quam ferè omnes experimur; cum tentationis violentia superamur. Monetq; August. de vera & falsa pœnitentia 14. quod pœnitens consideret quanta virtus fuerit impugnatione. Sunt qui non solum non vincuntur, sed vltrò peccato se offerunt, nec expe-

5. *Philosophus.* *Apostolus.* || id. *Anselmus.* *Augustinus.*

C tant tentationem sed præueniunt voluptatem. Hæc quoq; autoritas Augustini allegatur de pœnitentia, Dist. 5. Consideret & 4. Sent. Petri, Dist. 16. Gregorius quoq; 2. Moral. 8. super illud Iob 1. Ecce vniuersa quæ habet in manu tua sunt, tantum in eum ne extendas manum tuam. Consideranda est, inquit, in verbis Domini dispensatio sanctæ pietatis: quomodò hostem nostrum permittit, & retinet, relaxat & refrænat; alia ad tentandum dat, sed ab alijs religat; vniuersa quæ habet, in manu tua sunt; tantum in eum ne extendas manum tuam; substantiam perdit, sed tamen corpus protegit, quod quidem postmodum tentatori traditurus est. Sed tamen non simul ad omnia relaxat hostem, ne vndiq; feriens frangat eum: Mala enim cum multa electis eueniant, mira conditoris gratia ex tempore dispensantur, vt quę coaceruata perimerent, possint diuisa tolerari. Hinc Paulus ait, Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra quā potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitū, vt possitis sustinere. Hinc Dauid ait; Proba

Gregorius.

D me Domine & tenta me, ac si apertè dicat, priùs vires inspice, & tunc vt ferre valeo, tentari me permitte. Qui & 3. Mor. 2. super illud Iob. 2. Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serua; Ecce, inquit iterum permissionem verberis, comitatur custodia protectionis, & electum suum diuina dispensatio custodiendo deserit, & deserendo custodit; alia || *primus* prodit, alia protegit: Si enim totum Iob desereret in manu tanti aduersarij, homo quid esset? In ipsa ergò iustitia permissionis, permiscetur quædam libra pietatis, quatenus in vno eodemq; certamine & seruus humilis expressione proficiat, & hostis superbiens ex permissione succumbat. Qui etiam 34. Mor. 16. super illud Iob. 41, Non est super terram potestas quæ comparetur ei, sic ait, potestas eius super terram cunctis eminentior perhibetur, quia etsi actionis suæ merito infra homines cecidit, omne tamen hominum genus naturæ Angelicæ conditione transcendit: Quamuis enim internæ fælicitatis beatitudinem perdidit, naturæ suæ tamen magnitudinem non amisit, cuius adhuc viribus humana omnia superat, licet sanctis hominibus meritorum suorum deiectione subiaceat. Aliquis etiam timore vnius magni mali, puta mortis immi-

|| vero.

E nentis, nisi forsitan mentiatur, eijciat thesaurum aut merces in mare, aut aliquid huiusmodi faciat; compellitur necessariò sic facere in hoc casu: Vnde Dan. 14. recitato quomodo Babylonij congregati aduersus Regem dixerunt, Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te, & domum tuam, subiungitur; Vidit ergo Rex quod irruerent in eum vehementer, & necessitate compulsus tradidit eis Danielem. Quare & iura Ciuilia, & Canonica sanciunt multis locis, quod quæ vi metusuè causâ fiunt, nulla debeant firmitate subsistere, sed in irritum reuocari. Quamobrem & Philosophus 3. Eth. 2. dicit, quod in aliquibus coactis fit venia, quando propter hæc, operatur aliquis quæ non oportet, quæ humanam naturam excedunt, & nullus vtique sustineret. Ad hæc autem, si voluntas esset tam libera, possibile esset

6. 1. *Philosophus.* 7.

esset eam scienter bonum non velle, & malum velle, eligere, facereque scienter, quod videtur contra Philosophum 3. Eth. 3. sic dicentem; Ignorat quidem omnis malus, quæ oportet operari, & à quibus fugiendum, & propter tale peccatum iniusti & vniuersaliter mali fiunt. Qui & 7. Eth. 2. allegat à Socrate, nullum existimantem operari præter optimum, sed propter ignorantiam. Qui & infra 3. distinguens de scire, scilicet in vsu seu actu, & in habitu; & in vniuersali, & in parte seu particulari, dicit quod sciens in actu, seu in vsu & in particulari, non potest agere quæ non oportet. Et infra eodem, Cùm, inquit, vna fiat ex ipsis, necessarium conclusum; vbi quidem (scilicet in speculatiuis) oportet dicere animam, in factiuis autem operari confestim; puta si omne dulce gustare oportet, hoc autem dulce, vt vinum, aut aliquod singularium; necessarium potentem, & non prohibitum simul hoc operari. Qui etiam de causa motus Animalium, qui est duodecimus de Animalibus secundum nouam translationem, diffusiori processu idem ostendit. Item indicia Astrologorum & similium Physionognomicorum & similium de moribus actubusque humanis sunt vera & certa: Mores ergo & actus humani stellas & complexionem necessariò consequuntur. A B

(Margin: ὅταν δ' μία γένηται ἐξ αὐτῶν ἀνάγκη τὸ συμπερανθὲν, ἔνθα μὲν φάναι τὴν ψυχήν, &c.)

8ª.

Responsio 1°. Pro primo autem istorum, soluendo; secundum Philosophos Naturales & Medicos, est sciendum quod delectatio cuiuscunque virtutis seu potentiæ perceptiuæ causatur ex conuenientia, & certa proportione, seu habitudine naturali obiecti delectabilis creati cum potentia delectante: cuiuscunque autem rei delectabilis creatæ ad quamcunque potentiam natam delectari in illa, est aliqua maxima conuenientia, & aliqua proportio seu habitudo conuenientissima naturalis, puta A delectabilis ad B potentiam liberam, C conuenientissima habitudo: A verò delectabili sub C gradu, potest B resistere, & || *esse* maioris virtutis in resistendo, quam illud in mouendo, sicut præcedentia manifestant. Quare A quantumlibet augmentato potest B resistere faciliùs tunc quàm priùs: Licet enim A sit delectabilius absolutè, & fortius tunc quàm prius & magis motiuum, non tamen respectu B, sed tunc minus delectabiliter vel forsitan indelectabiliter seu tristabiliter eam mouet propter dissolutionem illius proportionis conuentissimæ præcedentis. Huius autem rei exemplum conueniens est in visibili, & in visu: Certum est enim visum videre lucem, & hoc optimè ac delectabilissimè in proportione ac conuenientia quadam certa, vltra quam vel citra si lux intendatur, vel remittatur, non ita bene videbitur, nec tantam delectationem causabit, sed fortassis tristitiam, quod & patet similiter in alijs sensibus & sensatis. Quare & euidenter apparet, quod tales argutiæ sunt fallaces; hoc delectabile tantum mouet hunc hominem; ergo duplum in duplo plus, seu fortiùs, & quadruplum in quadruplo, & sic deinceps, propter causam prædictam. Patet quoque in simili, quod forma arguendi non tenet, sicut nec || *hac*, sphæra luminosa maior tenebrosa illuminat incidenter medietatem ipsius & aliquam partem vltra, ergo sphæra luminosa in duplo maior priore, in duplo magis illuminat tenebrosum, vel vltra || *medietatem* tenebrosæ partem duplam respectu prioris, & quadrupla quadruplam; & ita deinceps; sic enim aliqua sphæra luminosa finita aliam tenebrosam illuminaret secundum totam superficiem incidenter; quod qui vel atrium exterius Perspectiuæ paululum introspexit, videt clarissimè falsum esse, & impossibile manifestum. Simile est de oculo vidente sphæram maiorem oculo secundum aliquam sui partem in distantia certa data, quia in maiori distantia maius, scilicet maiorem partem videt de illa, & in maiori distantia semper maius, non tamen proportionaliter semper maius; tunc enim in aliqua distantia certa data videret hemisphærij eius totum, & in vlteriori distantia adhuc vltra, & ita in distantia aliqua totam superficiem talis sphæræ, quæ qui de perspectiua modicum quid perspexerit, perspicit impossibilia magna esse. Imò & patet clarissimè, quod agutia talis fallit. Hoc delectabile tantũ allicit, & mouet hunc hominem, ergo magis delectabile magis eum allicit atque mouet. Si enim delectabile datum ponatur in proportione conuenientissima ad mouendum hunc hominem, & per intentionem delectabilis soluatur proportio, minùs delectabiliter ipsum mouet, vel tunc forsitan indelectabiliter, immò & tristabiliter eum mouet. Ex quibus etiam patet similiter quod in hac proportione conuenientissima est difficultas maxima resistendi, quare & si per augmentum delectabilis soluatur proportio, minuitur difficultas. De tristabili autem sicut de delectabili idem sentiendũ. Patet ergò quod nullum delectabile tristabileue creatum potest necessitare hominem ad volendum vel ad nolendum, præsertim quamdiu liberum arbitrium manet sanum. Obijcitur forsitan contra dicta. Sit enim *A* gradus delectabilissimus, *B* potentiæ præceptiuæ, & *A* sit in aliqua specie naturali quæ sit *C*. Erit *C* species maximè delectabilis tali potentiæ, in tantum quod nulla species magis delectabilis tali potentiæ posset esse etiam per omnipotentiam Dei magnam. Ad istud autem iuxta || *priora* dicendum videtur, quod sicut inter omnes gradus C D E

(Margin: || est; || hic; || medium; Obiectio.; || præmissa)

A dus possibiles vnius speciei, est aliquis gradus maximè delectabilis *B* potentiæ assignatæ, quia maximè proportionatus & conueniens in habitudine naturali; sic & aliqua species inter omnes species possibiles, propter similem rationem: neque istud repugnat omnipotentiæ Dei magnæ, sicut nec ei repugnat, quod *A* posito æquali, vel simili *B* perfectè, non potest ei quicquam æqualius aut similius fabricare. Adhuc autem potest & probabiliter obijci isto modo, Viator potest proficere in merito & in gratia, in peccato, & in malitia vltra quemcunq; terminum assignatum. In quo namque instanti vitæ præsentis, in qua ætate, aut in quo termino figes metam; quod & maximè apparebit, si vita præsens viatoris per eius potentiam, qui vitæ & mortis habet imperium, quantum volueris prolongetur, etiam vltra terminum naturalem, sicut de Enoch & Elia creditur factum esse: alioquin etiam rediret hæresis Begardorum, Extra de hæreticis. Ad nostrum damnata: quæ dixit quod homo in vita præsenti tantum & talem perfectionis gradum potest acquirere quod reddetur penitus impeccabilis, & *In constitutionib⁹ Clementis.*
B amplius in gratia proficere non valebit: Nam vt dicunt, si quis semper posset proficere potest aliquis Christo perfectior inueniri. Et si homo possit proficere in merito & peccato, in gratia & in malitia vltra terminum quemlibet assignatum; potest & in præmio & in pœna, in delectatione & afflictione, in lætitia & in tristitia consequenter, cùm Deus vnicuique secundum opera sua reddet. Adhuc autem creatura rationalis quæcunque est capacitatis simpliciter infinitæ, & capax gratiæ quantæcunque. Ex quo namque hæc creatura est gratiæ tantæ capax, est & cuiuscunque maioris; cùm maior quæcunque sit subtilior, perfectior & conuenientior in natura, nec maior gratia locum aut situm maiorem requirat, cur etiam non posset Deus omnipotens gratiam maximam quam creauit in aliqua creatura rationali permagna, in aliqua minori creasse, & in asino, vel in ligno? si insuper anima ista parua non sit capax gratiæ huius magnæ, Deus omnipotens totius Autor naturæ potest eam augere vt fiat capax illius: Quodlibet enim finitum potest Deus omnipotens quantumlibet augmen-
C tare, & si anima quælibet sit capax gratiæ quantæcunque, est & consequenter gloriæ quantæcunque, quare & delectationis quantælibet in præsenti. Amplius autem quælibet anima rationalis & quilibet homo videtur habere in vita præsenti bonitatem quodammodò infinitam intensiuè, & etiam extensiuè, videlicet numerosè; innocentiam scilicet, libertatem & immunitatem à peccato quantolibet intensiuè, & peccatis quantislibet & quotlibet numerosè, etiam infinitis, quorum nullum commisit, & quorum quodlibet, aut quæ omnia potuit commisisse, aut posset committere in futuro, præsertim si status vitæ præsentis quantumlibet prolongetur, etiam in æternum. Est ergo anima rationalis quæcunque capax bonitatis vel innocentiæ infinitæ simpliciter; quare & delectationis & gloriæ simili ratione. Anima namque rationalis sincera quæ immaculato calle transit ad cœlum, debet rationabiliter delectari, super vna innocentia sua, puritate, & libertate huiusmodi inuiolata finaliter custodita, & super duabus magis, & hoc in duplo: cur enim amplius de hac quàm de il-
D la, maximè si ponantur æquales? Imò plus quàm in duplo, si secunda sit maior quàm prima, & correspondenter de tribus & de quatuor, ac deinceps, quare & de infinitis simpliciter infinitè. Imò & quæcunque talis innocentia, libertas, & immunitas à peccato quocunque videtur bonitatis & eligibilitatis simpliciter infinitæ. Est enim eligibilitatis maioris quantiscunque bonis alijs naturæ, fortunæ, gratiæ, seu gloriæ positiuis, vel etiam priuatiuis, cuiusmodi sunt priuationes malorum, etiam infinitis & infinities infinitis, quorum non electio repulsio, seu contemptus non includit peccatum, sicut ex tricesima parte Corollarij primi claret, quapropter, & delectationis correspondenter; proportionaliterque maioris: Quid enim magis delectat quemcunque nisi illud quod magis desiderat, & affectat? Vnde Philosophus 1. Ethic. 13. Vnicuique est delectabile ad quod dicitur amicus talium, vt puta equus quidem amanti equum, spectaculum autem amanti spectaculum: eodem autem modo & iusta amanti iustum, & ideo quæ secundum virtutem a-
E manti virtutem, quod & descriptio deliaca contestatur, definiens delectabilissimum quo quis optat frui. Quare & Sapiens; Desiderium si compleatur, delectat animam, Parab. decimo tertio: Propterea quicquid est finitæ capacitatis potest satiari plenariè aliquo bono finito; sed anima rationalis non sic potest: Quocunque namque bono habito, aut quotcunque & quantiscunque bonis habitis citra Deum simpliciter infinitum nequaquam finaliter quietatur, sed semper maius bonum & maius, & Deum maximum bonum possibile spretis alijs concupiscit; imò & si Deus esset bonitatis finitæ tantummodo non satiaretur illo plenariè, sed appeteret meliorem. Adhuc autem & omnis beatus in patria habebit claram scientiam omnium & distinctam; Alioquin posset falli, quod beatitudini perfectæ repugnare videtur, quod & potest multis Catholicis testimonijs confirmari. Habebit

bebit ergo omnis beatus in patria scientiam infinitam, quare & nunc omnis viator beatificandus, & vniuersaliter omnis homo est capax scientiæ infinitæ, & capacitatis simpliciter infinitæ. Amplius autem specialiter Anima Christi est finitæ entitatis sicut apparet ex 40. parte Corollarij primi, & 39. primi, & ipsa est & fuit capacitatis infinitæ simpliciter, scientiæ, gratiæ, & gloriæ: quare & quælibet alia. Ipsa enim habet, & semper habuit claram scientiam omnium: Dicit enim Lucas quod ipse puer sapientia plenus erat. Luc. 2. & Iohan. 3. non ad mensuram dat Deus spiritum, & cui alij nisi Christo? quod & Doctores glossantes testantur: quod & Anselmus, 2. Cur Deus homo 13. per rationes, & Petrus 3. Sentent. distinct. 13. & 14. per Autoritates ostendunt. Habuit ergo Christus, & habet secundum animam sapientiam, & scientiam infinitam, quare & gratiam & gloriam consequenter. Alioquin videretur quod Deus posset eum plenius præmiare & beatificare perfectius, & per amplius quàm sit modo. Dicitque Petrus 3. Sentent. distinct. 13. Christum, secundum Iohannem, tantum à conceptione accepisse sapientiæ & gratiæ plenitudinem, vt Deus ei plenius conferre non potuerit. Ad hæc autem sub correctione maiorum, potest non improbabiliter responderi, distinctionibus aliquibus prælibatis. Beatitudo quidem & gloria potest sumi pro beatitudine & gloria increata, atque creata. Prima est Deus, qua ipsemet, & beati beatificantur & glorificantur licet dispariter, ipsomet testante, Ego protector tuus sum & merces tua magna nimis, Gen. 15. Quare & Ecclesia tota rogat, Tu esto nostrum gaudium, qui es futurus præmium, quod & suadent præmissa in Corollario primi, primi. Beatitudo, & gloria creata est aliquod bonum creatum simplex vel congregatum ex multis, à prima beatitudine & gloria deriuatum, videlicet à Deo creatum. Gratia etiam seu charitas potest sumi similiter bino modo, pro increata scilicet & creata, sicut 42. primi plenius declaratur. Proficere quoque in merito habet duplicem intellectum; vnum, quantum ad vim virtutemvè meriti, ita videlicet quod proficiens fiat melior intensiue; alterum quantum ad numerum meritorum. Et hæc est distinctio Petri 3. Sentent. distinct. 18. de merito capitis nostri Christi. Loquendo igitur de beatitudine, gloria, seu gratia increata; est creatura rationalis capax quodammodò beatitudinis, gloriæ, & gratiæ infinitæ, Dei videlicet, qui est beatitudo, gloria, & gratia infinita, modo tamen finito, & dispari in diuersis, nec sic procedit obiectio contra dicta. Loquendo autem de beatitudine, gloria, gratiauè creata, dicendum videtur iuxta præmissa; quod considerata mensura & gradu entitatis cuiuscunque substantię rationalis creatæ, est aliqua species gloriæ, & gratiæ, naturalissimè, conuenientissimè, & proportionalissimè correspondens, & illius speciei aliquis certus gradus, & cur, sicut supra. Ad illud autem quod obijcitur de viatore, quod potest proficere in merito, & in gratia vltra quemlibet terminum assignatum, quantum ad profectum in gratia; præmissa respondent. Et similiter quantum ad capacitatem gratiæ de qua fiebat posterius argumentum. Sicut enim visus exterior est capax alicuius lucis, & speciei luminis aut coloris & maioris ac maioris quantilibet sine fine, sicut aer & aqua, non tamen ad melius videndum, & melius infinitè; sed cuilibet oculo est aliquis gradus conuenientissimus, & proportionalissimus quo optimè potest vti ad actum videndi, & de gustu similiter respectu saporum & saporabilium specierum; Sic & aspectus & affectus interior videtur aliquo modo capax alicuius luminis gloriæ & gratiæ secundum essentiam ipsam rei, & maioris ac maioris quantumlibet, sicuti forsitan Asinus siue lignum, sicuti superius est argutum: non tamen ad maiorem & meliorem vsum, & maiorem & meliorem vlterius infinitè. Sed cuicunque creaturę rationali est aliquis gradus luminis, gloriæ seu gratiæ conuenientissimus, proportionalissimus & aptissimus, ad videndum gustandumque Deum, Deum videlicet gratuitò diligendum, & beatificè perfruendum: Ad hos enim effectus indiget anima rationalis lumine gloriæ, & dono gratiæ, teste Papa Clemente, Extra de hæreticis vbi prius, & 39. primi. Tali ergo gradu gratiæ habito in præsenti à viatore quocunque, non potest vlterius proficere in gratia, ita videlicet quod gratia eius vlterius augeatur, quanquam in statu vitæ præsentis quantumlibet conseruetur, & talis videtur gradus gratiæ, quem viator adultus in gratia constitutus, optimè se exercens toto tempore vitæ suæ, per totam videlicet suam periodum naturalem in termino illius haberet, animauè illius per totumuè tempus merito deputatum, quod secundum Petrum 2. Sent. dist. 5. & 11. est in Angelis vsq; ad diem iudicij. Quamobrem & forsitā videretur, quod de animabus humanis haberet idem dicere consequenter, vel aliquis gradus notus Deo. Sed obijcitur contra ista; Viator habens gradum huiusmodi gratiæ est optimè dispositus ad merēdum, & si vita sua conseruetur vlterius, potest vlterius multipliciter benefacere & mereri, quare & acquirere gratiam pleniorem. Alioquin opportunitate benefaciendi concessa, tantum sibi valeret quiescere, quantum optimè operari. Talis quoque potest peccare, & deficere cadereque à gratia sua magna, quare & proficere in merito,

Marginalia: *Nota De Anima Christi.* — *Lucas.* — *Iohannes.* — *Petrus.* — *Responsio.* — *Beatitudo.* — *Beatitudo 1.* — *Gen. 15.* — *Ecclesia.* — *Beatitudo 2.* — *Gratia & Charitas.* — *Proficere in merito.* — *Papa Clemens.* — *Obiectio.* — A — B — C — D — E

A merito, & in gratia conſequenter. Aliàs etiam rediret hæreſis Begardorum prętacta. Pro his *Reſponſio.*
ſoluedis non irrationabiliter dici poteſt, quod gradus huiuſmodi gratiæ non habetur in vita
præſenti ſecundum curſum communem, ſed in termino huius vitæ, vel in fœlicitate futura,
& ſi ponas quod Deus talem hominem miraculoſè conſeruet, poteſt vlteriùs reſponderi quod
Deus de cuius gratia eſt quod aliquid boni meremur ab eo, in illo gradu præſtituit terminum
meritorum, ita quòd opera huiuſmodi hominis non ſint ex tunc meritoria, ſed potiùs præmia-
toria & glorificatoria operanti, & alijs fructuoſa, ſicut eſt de pijs operibus beatorum perfectè
(cujuſmodi ſunt vt creditur à quibuſdam, Chriſtus, Maria, Iohannes, & Angeli confirmati)
quæ miſeris exhibentur. Vel aliter dici poteſt, quod talis poteſt proficere in merito quantum *2. Reſponſio.*
ad numerum meritorum, & ad merendum forſitan alijs multa bona, ſed non ſecundum vim
meriti aut virtutem, nec etiam ſibi ipſi vt gratia ſua aut gloria augeatur: Habet enim actuali-
ter in præſenti tantam plenitudinem || *gratiæ*, debeturq; ſibi etiam in præſenti tanta plenitudo || gloriæ
gloriæ pro futuro, quantæ eſt capax modo prædicto, quanta ſcilicet optimè & delectabiliſsi-
B mè poteſt vti. Et ſi forſitan replices, quod ſi talis fuiſſet ſanctificatus in vtero ad gradum gra- *Replicatio.*
tię prætaxatum, nunquam in tota vita ſua potuit quippiam meruiſſe; dicendum quod potuit,
& non potuit modis dictis. Nec aliquis ſeruulus reputet iſtud graue: ſic enim fuit de Domino
noſtro Chriſto, dicente Gregorio primo ſuper Ezechielem, homil. 6ª. Redemptor noſter qui *Gregorius.*
ex conceptione & natiuitate perfectus Deus & homo exiſtit, iuxta virtutes animæ, quo potu-
iſſet proficere omninò non habuit, in membris autem ſuis, quæ nos ſumus quotidiè proficit.
Quod & Petrus 3. Sent. diſt. 18. planiſsimè conteſtatur: Neque etiam ſancti Angeli confir- *Petrus*
mati per officia nobis exhibita aliquid nunc merentur, ſicut multis videtur, quod de Enoch &
Elia nonnullis apparet. Et conſtat certiſſimè quod poſt diem iudicij, & adeptionem beatitudi-
nis conſummatæ, neque Angeli, neque homines diligendo Deum, & inuicem Deum laudan-
do, & ipſi in omnibus ſeruiendo aliquid merebuntur. Alioquin beatitudo creaturę rationalis
nunquam foret perfecta, nunquam finaliter conſummata. Adhuc autem aliquis ſubtilis for- *3. Reſponſio.*
C taſſe ſubtilius & ſi non veriùs reſpondebit, quòd aliquem fieri meliorem dupliciter poteſt in-
telligi, vno modo per bonitatem abſolutam, & realiter poſitiuam, cuiuſmodi eſt bonitas gra-
tiæ & virtutis, aliter autem quodammodo relatiuè: Videtur enim quod homo habens gratiam
& virtutes morales non in ſummo, benè operando fieret melior, & ſi Deus ſecundum poſsi-
bile abſolutum non daret ei augmentum gratiæ, nec virtutis, melior, inquam, relatiuè per re-
lationem videlicet ad opera bona quæ fecit & dicet forſitan conſequenter, quòd homo ha-
bens gradum gratiæ prætaxatum bene operando fit melior ſecundo modo non primo. Sed
quomodo fit quis melior niſi in aliquo bono creſcat, acquirat, & habeat maius bonum, quod
per poſitionem hic non facit, dicitque Auguſtinus Enchirid. 127. Charitas quanto in quocun-
que maior eſt, tanto melior eſt in quo eſt. Secundum iſtam quoque ſententiam Chriſtus pro-
fecit in bonitate & melior continuè, meliorque fiebat, nec adhuc deſiuit fieri melior opem mi-
D ſeris impendendo. Quinimo & Deus ipſe fieret continuè melior, benè continuè operando I-
ſta quoque reſponſio non multum difficultatem noſtram concernit. Licet enim talis bonitas
poſsit augeri in homine quantumcunque, non tamen gratia nec virtus, habitus nec actus, de-
lectatio nec gloria augeretur vltra terminum limitatum. Quod autem fuit obiectum, ſi ha-
bens huiuſmodi gradum gratiæ benè operando nequaquam augmentum gratiæ mereretur,
tantum valeret ſibi quieſcere, quantum optimè operari nuſquam procedit, nec tenet ſicut
præcedentia manifeſtant. In caſu etiam niſi talis benè operaretur proximo ſuccurrendo, vel
legem Dei tuendo iuſtè amitteret gratiam ſuam totam: valeret igitur ſibi operatio ſua bona,
ad gratiam habitam conſeruandam. Nec mouet quod argutum fuit conſequenter; Talis po-
teſt peccare & cadere à gratia, ergo & proficere in merito & in gratia, niſi fortaſsis intelliga-
tur de profectu in merito quantum ad numerum meritorum & in gratia, quantum ad grata o-
pera facienda, & gratiam conſeruandam. Nec redit hæreſis Begardorum præmiſſa. Volue-
E runt enim aſtruere, quod homo in vita præſenti, ſuppoſita ætate communi, & conuerſatione
religionis communi ſine alio ſanctitatis priuilegio excellenti, poſſet tantum ac talem gradum
perfectionis acquirere, & habere, quod omninò impeccabilis redderetur, & amplius in gratia
proficere non valeret, & quod ita poſſet longo tempore conuerſari,: quare & conſequenter
dixerunt ſicut Decretalis recitat vbi prius, quod ieiunare non oportet hominem, vel orare
poſtquam gradum perfectionis huiuſmodi fuerit aſſecutus, quia tunc ſenſualitas eſt ita perfe-
ctè ſpiritui & rationi ſubiecta, quod homo poteſt liberè corpori concedere quicquid placet;
quod etiam illi qui ſunt in prædicto gradu perfectionis, & ſpiritu libertatis non ſunt humanæ
ſubiecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Eccleſiæ obligantur, quia vt aſſerunt, vbi ſpi-
ritus Domini, ibi libertas, quod inſuper homo ita poteſt finalem beatitudinem ſecundum

omnem gradum perfectionis in præsenti assequi, sicut eam in vita obtinebit beata. Sed A hæc constat esse deliramenta inania & mendosa, nec ex præcedentibus consequuntur. Sed adhuc fortassis mussitans cogitabit, quod etsi ista sint vera de merito, gratia & gloria, non tamen de peccato, malitia, atque pœna. In his || *enim* non potest terminus aliquis possibilis homini assignari, vltra quem si viuat quantumlibet non posset peccare vlterius, & vlterius sine fine, faciendo videlicet scienter & liberè quæ sunt mala: quare & potest semper fieri magis malus & magis & amplius puniendus. Circa istud potest esse duplex opinio responsiua; Vna, quod est aliquis gradus maximus peccati, malitiæ & pœnæ cuicunque creaturæ rationali possibilis, quo adepto non potest in illis vltra proficere intensiuè, & iste videtur gradus quem dæmones post iudicium finale habebunt, & homines reprobati; alioquin ciuitas Babylonis atque diaboli nequaquam tunc acciperet finem suum, sed adhuc esset in via, ciuitate Dei finaliter consummata; cùm tamen consonum videatur, & consonum dictis Patrum, quod Deus simul perficiat totum mundum, dicitque Augustinus Enchir. 121. post resurrectionem verè facto vniuerso impletoque iudicio, suos fines habebunt ciuitates duæ, vna B Christi, altera diaboli; vna bonorum, altera malorum, vtraque tum Angelorum & hominum, istis voluntas, illis facultas non poterit vlla esse peccandi. Sed ista opinio non satis plenè respondet: Si enim quælibet creatura rationalis sit capax certi gradus peccati, & malitiæ & non vltra, & damnati vsque ad gradum illum inclusiuè proficient vt supponit, aliqui damnati diu peccabunt post iudicium consummatum, illi videlicet qui cum paruo peccato mortali modico tempore ante iudicium morientur, nec attingent ante iudicium gradum illum. Adhuc autem ponatur per omnipotentiam Dei magnam, quod aliquis homo tam diu viuat in vita præsenti semper peccando, donec attingat & habeat gradum illum peccati atque malitiæ, & adhuc si vita sua & vires prolongentur vlterius, potest peccare vlterius. [vlteriusque peccare] Potest enim furari, occidere, & mæchari scienter, sciendo videlicet quod est contra Deum & contra Dei mandatum. Dicetur fortassis quod talis, habito tali gradu, non potest operari vlterius liberè, sed necessariò & coactè. Amittit enim tunc plenè v- C sum liberi arbitrij, & subijcitur necessariò seruituti peccati, diaboli, & cuiuslibet tentamenti, quare nec peccare propriè reputandus. Sed istud non est necessarium absolutè: Posset enim Deus omnipotens seruare in eo plenam arbitrij libertatem, restituereuè ablatam sine præseruatione à peccato, aut dimissione peccati, quod si fiat potest peccare vlterius sicut ante. Aliter forsitan dicitur quod quæcunque creatura rationalis est finitæ capacitatis & certæ; quapropter habito maximo gradu peccati & malitiæ cuius est capax, non potest peccare vlterius; sed istud non videtur propter rationem præmissam. Malitia etiam non est res aliqua positiua teste 26. primi, sicut gratia & virtutes, sed solummodo priuatiua, & hoc nequaquam charitatis aut gratiæ, immediatè essentialiter proprieque loquendo, sed libertatis à peccato, & à peccatis omnibus possibilibus non commissis, puritatis, immunitatis, & innocentiæ naturalis, & hæc videtur tanta naturaliter in quocunque, quanta peccata posset committere nec commisit. Opinio autem secunda existimat quod homo potest in infinitum peccare vltra D quemcunque terminum possibilem assignari, & quod mali post finale iudicium sic peccabunt, & similiter de puniri videlicet pœna sensus. Sed secunda particula opinionis istius || *destruitur* per præmissa. Si insuper mali post finale iudicium peccabunt vlterius, qua ratione & boni nō similiter merebuntur, contra præmissa? Tertia quoq; eius particula refellitur per priora. Omnis namq; potētia perceptiua creata, materialis, aut immaterialis, sicut est entitatis determinatæ, finitæ, & certæ, ita videtur capacitatis, actiuitatis, & perceptiuitatis determinatæ, finitæ, & certæ; Non ergo potest aliqua creatura rationalis aliquod perceptibile, seu sensibile puta ignem bene sentire siue percipere, & aliquem in duplo meliùs, & aliquē in quadruplo, & sic vlterius sine fine; ita videlicet quod sensatio sua, siue perceptio, actus videlicet sentiendi seu percipiendi fiat in duplo intensior, melior & perfectior, & in quadruplo & deinceps; & nisi sic multiplicetur sensatio suo, non sic multiplicabitur sua pœna, videlicet pœna sensus: Res enim animata, quidquid patiatur, eo quod non sentit, non punitur; homo etiam si poneretur in igne, & eum non sentiret, non esset ei pœna, sicut fuit de tribus pueris in camino. Et si duo disparis complexionis ponerentur in igne æquali, & omnia dimitterentur suis naturis, non æqualiter punirentur, sed tenerior & passibilior amplius puniretur non propter potentiam extrinsecam ampliorem, sed propter sensationem intrinsecam pœnalem maiorem. Si quis insuper sub certo gradu finito & paruulo cruciaretur ab igne, quantumcunque ignis multiplicaretur, si eius sensatio nullatenus augeretur, non ampliùs puniretur. In ipsa namque sensatione seu perceptione est tota afflictio, tota pœna, videlicet pœna sensus; quod & ex hoc euidenter apparet, quod si per potentiam Dei magnam ignis quantuslibet cuipiam

Marginal notes: || autem — Responsio 2 ex — Opinio 1ᵃ. — Nota cur & quomodo malitia siue culpa sit priuatiua. — Opinio 2ᵃ. tripartita — || videtur destrui — Cōtra 2ᵃᵐ. partē huius secundæ opinionis. — Contra tertiam partē secundæ opinionis.

A cuipiam apponatur, ſine ſenſatione non cruciatur in aliquo nec punitur; ſi autem ſola
ſenſatio pœnalis intrinſeca conſeruetur igne remoto, punitur æqualiter ſicut priùs. Ad-
huc autem ſimili ratione qua quis eſt capax pœnæ & triſtitiæ infinitæ, aut infinitæ pœnæ,
triſtitiæque eſt capax, eſt & delectationis creatæ, gratiæ, gloriæ, & beatitudinis infinitæ con-
tra priora: Igitur ſub correctione maiorum videtur conſequenter dicendum, quod ſicut *Reſponſio*
cuilibet creaturæ rationali eſt aliqua delectatio maxima creata poſsibilis, ſic & aliqua triſtitia *propria.*
maxima, & aliqua maxima pœna ſenſus, & hæc videtur conſiſtere in maxima ſenſatione rei
maximè contrariæ & pœnalis. Videtur tamen propter præmiſſa contra opinionem prio-
rem, quòd homo vltra quemcunque terminum poſsibilem aſsignari, in infinitum poteſt pec-
care. Sed obijcies forſitan ſupponendo quod quis peccauerit, donec meruerit maximum gra- *Obiectio.*
dum ſibi poſsibilem pœnæ ſenſus, & quòd adhuc peccet vlterius: aut ergo punietur pœna
ſenſus, & deſtruitur reſponſio nunc præmiſſa, aut non ſic punietur vlterius, & remanebit pec-
B catum aliquod impunitum contra 31am partem Corollarij primi, primi; & contra 39um primi.
Item tunc damnati odiendo & contemnendo Deum, & mala ſimilia faciendo, ſemper pecca-
rent, contra priora. Hic non improbababiliter dici poteſt, quod omnis damnatus punietur
illa pœna quam habebit pro peccatis ſuis omnibus non dimiſsis, & in caſu prætacto, vbi duo
peccantes inæqualiter, vnus videlicet donec meruerit maximum gradum illum præcisè, & a-
lius capacitatis æqualis plus peccans punirentur æqualiter pœna ſenſus, quia maior peccator
non poteſt ſic magis puniri, non tamen ſimpliciter æqualiter punirentur, ſed magis peccans,
magis etiam punietur: Pro quo ſciendum quòd duplex eſt pœna peccati, vna accidentalis, vt
puta verbera, vincula, carceres, ignes, amiſsiones bonorum & damna, & cætera talia quæ poſ-
ſunt adeſſe & non adeſſe peccanti: Et de tali pœna loquendo, ſæpè videtur contingere quòd
peccantes æqualiter, inæqualiter puniuntur; ſicut videtur de duobus homicidis æqualibus,
quorum vnus impœnitens occiditur in præſenti, & alter impœnitens naturali morte decedit;
C quorum inſuper primus ſi habuit maxima bona talia, diuitias, & terras, omnia confiſcantur;
omnia illa perdit pro ſe & hæredibus ſuis ſemper; Alter verò & ſi habeat tanta bona, ſi non
fuerit conuictus legitimè, & damnatus, nequaquam: vel ſi nulla habeat, etiam damnatus le-
gitimè nulla perdit. Similiter quoque videtur de habente maximam charitatem, cui & ſecun-
dum præſentem iuſtitiam debetur maxima beatitudo in cœlo, peccante mortaliter æqualiter
cum habente charitatem minorem aut nullam. Alia eſt pœna eſſentialis, eſſentialiter annexa
peccato, & inſeparabiliter concomitans ipſum, ſemper videlicet eſſe malum, ſeruitus peccati,
amiſsio libertatis prioris, || *puritatis*, immunitatis & innocentiæ præcedentis, ſicut ex 31a parte || perditio
Corollarij primi, primi, magis apparet: & hæc pœna incomparabiliter excedit omnem aliam
pœnam ſenſus aut damni non importantem peccatum, ſicut & patet ex eadem 31a parte; &
iſta pœna, qui plus peccat, neceſſariò plus punitur. Et ſi obijcias illud Apoc. 18. Quantum ſe
glorificauit, & in delicijs fuit, tantum dato illi tormentum [& luctum;] Dicendum quod ve-
D rum eſt ad literam, imò magis: pro glorificatione namque, & deliciarum affluentia temporali
habebit tormentum & luctum æternum, & ſi per tantum & quantum intelligas proportionali-
ter intenſiuè, verum eſt cæteris paribus, & ſi ſit capax, ſicut & illud legis talionis, Reddet o-
culum pro oculo & cætera talia, oportet intelligi & exponi. Si namque cæcus oculum viden-
tis erueret, quomodo oculum ſuum pro oculo illi reddet? Aliter poteſt dici quod illud Apoc.
eſt verum de facto, ſicut & multa ſimilia in Scriptura; quia de facto, & ſecundum legem com-
munem, ſicut veriſimiliter creditur, nullus merebitur pœnam ſenſus maiorem quàm ſit capax,
imò nec tantam: Neq; ex dicto priori de poſsibili conſequitur de ineſſe, quod damnati ſem-
per peccabunt, loquendo propriè de peccato quod (ſecundum Auguſt. 3. de libero abitr. 30.)
libera voluntate & à ſciente committitur: Videtur enim quod damnati poſt finale iudicium
amittent libertatem arbitrij quantum ad liberum vſum ſuum; Tunc enim veritate teſtante in
tenebras exteriores mittentur. Et nonne eadem veritate docente lumen corporis eſt || *oculus*, || viſus &
E *oculus* interior ſpiritalis; Fient igitur tunc vt videtur inſani, cæci, amentes & penitus furioſi. oculus
Tunc || *enim* ſecundum vocem Propheticam oculus talis turbabitur à furore, & hoc forſitan || verò
tunc continget, vel quia Deus in pœnam abuſus libertatis arbitrij, vel ex alia forſan cauſa au-
feret eam ab eis, vel quia propter vehementiam nimiam tormentorum, amittent omne exer-
citium liberum rationis. Vnde Auguſt. Pſal. 6um exponens; Sunt, inquit, tenebræ exteriores,
quę magis ad diem iudicij pertinere intelliguntur, vt penitus extra Deū ſit, quiſquis dum tem-
pus eſſet, corrigi noluit; penitus autem eſſe extra Deum quid eſt, niſi eſſe in ſumma cæcitate?
Ad illud autē quod arguebatur ſuperiùs quod Deus poteſt capacitatē animæ rationalis quan-
tumlibet augmentare; dicendū videtur, quòd ſi capacitatē animæ rationalis augmentet, aug-
mentat & proportionaliter potentiā reſiſtendi tentationibus, ne ſuccumbat. Veruntamen, ex
Qq 2 quo

|| actualis quo capacitas animæ non est sibi ||*accidentalis*, sed essentialis, videtur quod nullius animę capacitas posset augeri, nisi essentia animæ essentialiter augeretur; quod fieri nusquam potest eadem anima numero permanente. Potest tamen Deus omnipotens quacunq; anima assignata facere aliam animam capacitatis maioris quantumlibet, aliamq; maioris. Quod verò fuit argutum, quemlibet hominem in præsenti habere bonitatē simpliciter infinitam non est verum: Nulla enim est nec esse potest bonitas infinita simpliciter nisi Deus; sicut docet Coroll. primi, primi. Et si esset verum, vtcunq; non obstat: Bonitas enim talis non est actiua, nec motiua voluntatis, sicut obiectum delectabile eam mouet, quare nec coactiua aut necessitariua ipsius. Probatio quoq; vlterius non procedit; quoniam etsi homo haberet bonitatem innocentialem huiusmodi infinitam, non delectaretur de illa simpliciter & propriè infinitè; sicut nec de infinita multitudine suarum partium, aut punctorum vel instantium temporis, quo benè, meritoriè & iucundè vixit, seu viuet, aut thesauro infinito intensiuè, extensiuè, & numerosè verè vel secundum firmam opinionem ipsius habito aut habendo, neq; simul delectatur de qualibet infini- B tarum bonitatum innocentialium si ponantur delectatione singulari, propria, & distincta, sed de aliquibus forsitan successiuè, aut simul de omnibus vna delectatione communi, sicut & in exemplis alijs prælibatis. Illud autem quod arguitur consequenter, quod bonum libertatis & innocentiæ à peccato est melius & eligibilibus bonis alijs quibuscunque etiam infinitis, quorum non habitio non importat peccatum, quare & delectationis maioris & simpliciter infinitæ, fallit, deficit, non procedit nisi fortassis ad aliquem extraneum intellectum; videlicet quòd firmius, constantius, amantius, & prægligentius delectatur de bono prędicto, quam de quantiscunque alijs supradictis, & hoc est infinitè quodammodò extensiuè, aut etiam numerosè, ad bona videlicet alia innumerabilia comparando; non tamen infinitè simpliciter intensiuè. Tunc enim tantū gauderet de vno minimo tali bono, sicut de bono maiori, & bonis alijs similibus, & melioribus vniuersis, etiā ipso Deo: Omnes quoq; beati, etiam paruuli æqualiter tunc gauderent, & viatores & cōprehensores similiter, quilibet enim horū gauderet infinitè simpliciter intensiuè. C

Replicatio. Sed forsitan replicabis dicendo, Si talis homo non gaudet de tali bono innocētiæ infinitè simpliciter intensiuè, gaudet sub aliquo gradu finito, & capiatur aliquod bonum, quo posset sine peccato carere, quod vocetur bonum indifferens, de quo habito gaudeat; vel ergò gaudet æqualiter de his bonis, vel de altero horum magis: Non æqualiter, quia bonum innocentiæ est infinite eligibilius, & amabilius alio, nec minus de bono innocentiæ propter idem; minus ergo gaudet de illo bono indifferenti accepto, & hoc non infinite, sed tantum finite. Potest ergò illud bonum indifferens tantum augeri, quod æqualiter imò & plus gaudeat de illo, quam de alio, contra præmissa. Rursum sit *A* gradus delectationis finitus, quo hic gaudet de bono innocentiæ supradicto, & *B* gradus multum intensior delectationis beatificæ cuius est capax, qua tamen potest carere sine peccato. Hic igitur magis desiderat, eligit, atque amat illud innocentiæ suæ bonum, quam delectationem illam *B* quantumcunq; maiorem; quare & secundum præmissa magis gaudet de illo, contra hypothesin vt videtur, cum de D maiori gaudio videatur magis gaudendum. Pro istis soluendis, sciendum quod hominem magis gaudere de isto bono quàm de illo dupliciter potest intelligi, sicut superius tangebatur; Vno modo firmius, amantius, præeligentius, extensius seu numerosius ad bonum videlicet aliud, bonauè alia comperando, & sic homo magis infinitè quodammodò delectatur de innocentiæ suæ bono, quam de bono indifferenti, aut bonis indifferentibus quantiscunque, sub gradu tamen delectationis finito intrinsecè intensiuè, & forsitan multum remisso. Sic parentes magis gaudent in filio vnico, quàm de Asinis infinitis; sic virtuosus magis gaudet in bono virtutis quàm in bonis fortunæ quantumlibet cumulatis: & sic vniuersaliter de bono maiori cuilibet cæteris paribus amplius est gaudendum. Alio modo recentius, feruentius & intensius, & sic plerunque aliquis magis gaudet de bono minori, quam de maiori, puta de vna auicula, de vno ludicro paruulo, de strenuitate vnius Leporarij aut Falconis, quam de maiori, puta de vna villa, comitatu, aut regno; sic quispiam magis gaudet de vna re perdita & inuenta, quàm de pluribus & melioribus conseruatis; E

|| vnico sic dux exercitus magis gaudet de || *vno* milite probo à periculo incolumi redeunte, quàm de mille alijs, aut exercitu toto residuo tutè morantibus infra castra. Per hæc, vt puto, patet quædam responsio ad obiecta. Ad illud autem quod superius erat obiectum; quod quicquid est capacitatis finitæ potest satiari plenariè aliquo bono finito; dicendum videtur, quod hoc est verum de anima rationali, & de bono finito creato, non tamen quatenus est bonum creatum finitum solummodo, & ibi finaliter persistendo, sed quatenus ipsam copulat, & coniungit finaliter cum bono increato, æterno, simpliciter infinito, ipsam plenariè satiante, & tale bonum finitum creatum videtur aliqua dispositio Deiformis, aliqua lux sincera purgans & eleuans animam

A animam ad lucem inaccessibilem tam distantem perspicuè contemplandum, ipsamque animam connectens & copulans cum hac luce, ad ipsam beatificè perfruendum; & hæc dispositio, seu lux à quibusdam Doctoribus, & à Papa Clemente de hæreticis vbi prius, lumen gloriæ nuncupatur, sicut apparet ex 39. primi. Aliter posset dici quod quanquam anima sit capacitatis finitæ, non potest tamen satiari plenariè nisi bono infinito, quod tamen bonum non capit simpliciter infinitè, nec omninò ita plenè sicut illud bonum seipsum, sed modo quodam finito iuxta capacitatis suæ mensuram, & anima excellentior in gradu essentiæ, seu naturæ excellentius & plenius ipsum capit. Nulla tamen creatura ipsum potest capere infinitè simpliciter omniquaque, sicut ipsum seipsum, sicut diuinæ personæ mutuò se capiunt & fruuntur. Nec istud in anima, seu creatura rationali est singulariter admirandum. Nulla enim creatura irrationalis exigua satiatur plenariè nisi per Deum simpliciter infinitum. Ipse enim est causa finalis omnium vltimata, sicut apparet ex Corollario primi, primi: quod & Philosophia sæpè testatur. Omnia igitur naturaliter ipsum desiderant,
B quare nec quietantur finaliter sine ipso, absque hoc, quòd ipsum participent modis suis, secundum mensuram & varietatem capacitatum suarum ipsis naturaliter inditarum. Quare & Philosophus, 2. de Anima, 34. Naturalissimum, inquit, omnibus viuentibus inest, quæcunq; perfecta, & non orbata, aut generationem spontaneam habent, facere alterum, quale ipsum, animal quidem animal, planta autem plantam, quatenus ipso semper & diuino, & immortali participent secundum quod possunt. Omnia enim illud appetunt, & illius causa agunt omnia quæcunque agunt secundum naturam. Qui & 3. Phys. 30. recitans & approbans sententias omnium antiquorum Philosophorum naturalium de infinito, videlicet quòd est principium, non ex principio, & ingeneratum, & incorruptibile quod continet omnia & gubernat, & quod hoc infinitum est, diuinum, seu Deus, sic ait; Rationabiliter autem & principium || *ipsum* ponunt omnes: nec enim frustra possibile est ipsum esse, neque aliam inesse ipsi potentiam, nisi sicut principium. Omnia enim principium sunt, vel ex principio, infiniti autem non est princi-
C pium: esset enim vtique ipsius finis; amplius autem, & ingeneratum & incorruptibile, || *si* est quoddam principium; quod enim fit, necesse est accipere finem, & finaliter omnis est corruptionis. Quare sicut dicimus, non huius principium; sed hoc aliorum videtur esse, & continere omnia, & omnia gubernare, sicut affirmant, quicunque non faciunt extra infinitum aliquam causam; vt intellectum aut concordiam; & hoc esse diuinum. Immortale enim & incorruptibile est, sicut affirmant Anaximandros, & plurimi Philosophorum, & vbi translatio ista noua & antiqua similiter ita dicit, (& hoc esse diuinum; immortale enim & incorruptibile est) translatio, quam Auerroes habet, sic dicit; Et quod hoc est Deus; est enim immortalis & incorruptibilis. Et notandum quod dicit, sicut affimant quicunque non faciunt extra infinitum aliquam causam, supple agentem; & isti sunt, vt dicit Auerroes, omnes Antiqui præter Anaxagoram, qui posuit causam agentem intelligentiam, & Empedoclem, qui posuit litem & amici-
D tiam, & Democritum. Nec debet mouere, quod Auerroes ibi sic dicit; Sed vt mihi videtur, non ponit infinitum. Verum est enim quod Aristoteles non ponit infinitam quantitatiuè, sed Deum infinitum qualitatiuè & virtualiter, sicut series textus pandit, & probat ratio Antiquorum. Hæc enim videtur ratio Antiquorum; Nullum generatum aut corruptibile est primum principium; omne finitum est corruptibile, quia finalitas omnis est corruptionis, cuius ratio potest vlterius assignari, quia nihil finitę entitatis, potentiæ, & virtutis est de se necesse esse, sed possibile esse secundū contradictioné Non enim repugnaret illud nō esse, sicut etiam 17 pars corollarij primi, & secundum primi ostendunt. Quare & semper indiget aliquo per se necesse esse, ad ipsum in esse continuè sustentandum, sicut idem secundum monstrauit. Quapropter & voluerunt dicere consequenter, quod primum rerum principium est infinitum, infinitæ scilicet entitatis, potentiæ, & virtutis, & ideo necesse esse purè per seipsum, & propterea quod istud principium omnia alia possibilia secundum contradictionem continet, & gubernat: continet
E omnia in essendo, gubernat omnia in agendo, sicut secundum, tertium, & quartum primi docebant. Quamobrem & benè dixerunt vlterius quòd istud principium est diuinum, seu Deus. Modus siquidem loquendi apud Græcos creberrimus est, vti hoc concreto, seu denominatiuo Diuinū, pro hoc abstracto, seu principali, Deus. Quare & vna translatio dicit Diuinum, & alia dicit Deus. Et ecce ratio Antiquorū, quare dixerunt quod istud principium est diuinum. Immortale enim & incorruptibile est, scilicet Diuinum: quare & alia translatio habet ita; & quod hoc est Deus: Est enim immortalis & incorruptibilis; quod oportet intelligere exclusiuè hoc modo; Quia solus Deus est de se & per se immortalis, & incorruptibilis, & necesse esse simpliciter, sicut docet 17. pars Corol. 1. primi, & primum principium rerum est tale similiter, sicut superius dicebatur, primum principium rerum est Deus; & hæc, vt arbitror, est vera expo-

Philosophus. *Philosophus.* || illud || &

ſitio huius loci, quem negligens Auerroes, & vt timeo neglectus à Deo, ſic ait; Sermo eius A
Reprobatio Commentatoris. in hoc manifeſtus eſt per ſe. Et ſi ſermo eius in hoc ſit manifeſtus per ſe, cur dicis ſimpliciter ſine diſtinctione aut determinatione quacunque, ſed vt mihi videtur non ponit infinitum; cum ipſe Ariſtoteles approbet præmiſſam ſententiam Antiquorum: Dicit enim, Rationaliter autem & principium ipſum ponunt omnes: & infra tam in noua tranſlatione quàm antiqua ſic ait; Quare ſicut dicimus, non huius principium, ſed hoc aliorum videtur; dicimus, inquit, non dicunt: Rationes quoque ipſorum approbare videtur, ſicut & debent neceſſariò approbari, ſicut præcedentia probauerunt: Si etiam concluſionem & rationes ipſorum nullatenus approbaſſet, ex quo tam exquiſitè has recitat, videtur quod ſecundum conſuetudinem ſuam communem illas in aliquo reprobaſſet, ſicut in eodem libro atque capitulo, & aliàs de alijs opinionibus & rationibus Antiquorum circa eandem materiam ſæpè facit. Si etiam mihi non credis, crede ipſi Ariſtoteli Deo tuo: Ipſe namque primo de Cælo & mundo 100. dicit ita: Hoc nomen diuinè enuntiatum eſt ab antiquis, Finis enim continens id quod v- B
niuſcuiuſque vitæ tempus, cuius nihil eſt extra ſecundum naturam, æternum vniuſcuiuſque vocatum eſt; ſecundum eandem autem rationem & totius cæli finis & omne tempus, & infinitatem continens perfectio, ęternum eſt à ſemper eſſe ſumens denominationem, immortalis & diuinus, vnde & alijs communicatum eſt, his quidem clariùs, his autem obſcurius eſſe & viuere. Etenim quemadmodum in Eucyclijs philoſophiſmatibus circa diuina multoties declaratum eſt rationibus quod diuinum intranſmutabile neceſſarium eſſe primum & ſummum, quod ſic habens teſtificatur dictis; neque enim aliud melius eſt quod mouebit. Illud enim vtique erit diuinius, neque habet prauum nihil, neque indigens eorum, quæ ipſius, bo-
Ariſtoteles. norum, nullo eſt. Idem quoque 8. Phyſ. 78. & conſequenter tradit expreſſè, quod omnis potentia in corpore eſt finita, & quod mouens cælum per tempus infinitum eſt potentia infita, quod tamen peſsimè intelligis & exponis, contradicens planiſsimè Ariſtoteli tuo Autori, Alexandro, Platoni, Ioanni Grammatico, Auicennæ, & etiam tibi ipſi, ſicut commento. 79. C
Quæſtio Cōmentatoris. patet. Quæris enim ſi hæc propoſitio, Omnis corporis potentia eſt finita, contineat corpus cœleſte, dicis quod iſta quæſtio eſt valde difficilis & multum ſcrupuloſa, & quod eſt fortior omnibus dubitationibus, quæ poſſunt accidere hic: & reſpondendo dicis, quod ex vi verborum Ariſtotelis apparet, quod potentia eius paſsiua, ſcilicet ſuſceptiua motionis eſt finita. Sed hic proculdubio, nec capis vim verborum Ariſtotelis nec virtutem. Conſtat enim clariſsime Ariſtotelem ibi loqui de potentia actiua, & motiua, atque mouente corpus cæleſte per tempus infinitum vt dicit, & hoc de prima & ſumma tali potentia; & probare ipſam non habere magnitudinem corporalem, nec eſſe in magnitudine corporali, cùm ſit infinita, & omnis potentia in magnitudine ſit finita: Aliter enim moueret & ageret in non tempore, in inſtanti: & quia omnis potentia in magnitudine finita ſimiliter eſt finita, & magnitudo infinita non eſt ponenda; hæc eſt certiſsimè abbreuiata ſententia huius loci; & cui dubium quin D
ibi loquitur de magnitudine corporeuè cæleſti? Quis enim vel leuiter ſomniaret potentiam mouentem cælum eſſe in aliquo elemento, aut ex elementis compoſito, & non potius in ipſomet cælo, in corpore ipſo cæleſti? hoc & enim aliqui, ſcilicet Zabij putauerunt, teipſo ſuper 12. Met. 41. teſte, alius autem nemo. Videtur igitur quod Ariſtoteles innititur hic virtualiter illi communi conceptioni, & concordi ſententiæ Antiquorum, ex 3. Phyſ. 30. iam præmiſſæ; quod ſcilicet finalitas omnis eſt corruptionis, & quod velit dicere, quod corpus cæleſte, cùm ſit finitæ quantitatis & entitatis, eſt ſimiliter finitæ potentiæ & virtutis, quare & quod non eſt de ſe & per ſe neceſſe eſſe, ſed poſsibile eſſe ſecundum contradictionem: quapropter & quod indiget aliquo per ſe & de ſe neceſſe eſſe, ac ideo potentiæ infinitæ, ipſum in eſſe continuè ſuſtinente atque mouente, ſicut ſecundum, & quartum primi pleniùs docuerunt. Quare & bene dixerunt Antiqui, 3. Phyſ. 30. quod infinitum quod eſt rerum principium omnia continet, & gubernat: Hæc igitur videtur ſententia Ariſtotelis iſtis locis & pluribus alijs, ſicut ſecundum primi pleniùs manifeſtat. Hæc eſt ſententia Alexandri, Platonis, Ioannis Grammatici, & Auicennæ teſte teipſo, illo commento 79. prædicto, imò & E
hæc eſt ſententia tua in de ſubſtantia orbis, & alibi, ſicut ſecundum primi diffuſius patefecit.
2ª. Quæſtio Commentatoris. Moues ibidem & aliam quæſtionem, quomodo ſequitur, ſi potentia infinita eſſet in corpore, quod moueret in inſtante, & non ſequitur ſi fuerit extra corpus, & reſpondendo nihil reſpondes: dicis tamen ſi potentiam infinitam poſueris in corpore, ſequitur quod motio eius ſit non in tempore; ſi verò illam poſueris non in corpore, tunc non dicetur finita nec infinita, eo quod non eſt in corpore: Non igitur ſequetur quod ſit mouens non in tempore, cum in his non poſsit intelligi vna potentia maior alia: Maius enim & minus ſolus eſt quantitatis. Sed quis tam rudis vt non palbabiliter videat, quomodo hic contradictoria implicentur, quàm

vanum

A vanum sit totum hoc dictum, fictum, friuolum, & inane: Non sic igitur, non sic debet quæstio ista solui. Imò sic magis, si potentia infinita esset in aliquo corpore, sicut forma corporea & extensa, non esset potentia rationalis, sed irrationalis sicut liber de Anima manifestat; quare & non ageret ex electione, sed ex necessitate naturæ, & secundum vltimum potentiæ suæ semper, sicut 9. Met. 10. & alibi declaratur. Si verò ponatur à corpore separata, est potentia rationalis agens & mouens ex arbitrij libertate sicut 9um primi suasit. Adhuc autem & Aristoteles 12. Metaphys. 41. simili modo probat primam & sempiternam substantiam esse à magnitudine separatam, cùm habeat potentiam infinitam, & nulla potentia in magnitudine habeat infinitam; quare & tu ipse ibidem moues eandem quæstionem, quam priùs, sed alio modo respondes & contrario responsioni priori, dicendo, quod motus cœlestis componitur ex duobus motoribus, quorum vnus est finitæ motionis, & est anima existens in eo, & alter motionis infinitæ, & est potentia quæ non est in materia, vbi, etsi in multis delires; videris tamen concedere, quod motor cœlestis à materia separatus est potentiæ infinitæ nedum in duratione, quia
B secundum te sic est anima illa cœli quam fabricas, sed & in fortitudine & virtute. Hæc pro salute veritatis, contra expositionem expulsoriam veritatis & peruersoriam tantorum Doctorum tam solennium testium veritatis, quod tamen fortasis 17. parte Corollarij primi, aut secundo primi fuisset conuenientiùs pertractandum: sed quod ibi incuria prætermisit, curiosius hic supplendum. Ad illud autem quod obijciebatur superiùs de infinita scientia beatorum in patria; Respondendum videtur quod duplex est scientia Beatorum in proprio genere & in verbo; vna creata, & altera increata. Prima non videtur ponenda infinita simpliciter, propter præmissa in ostensione vltimæ partis Corollarij primi, primi; & licet secunda ponatur infinita in eis, non obuiat supradictis, neque videtur consequens vllo modo, quòd si Beatus nesciat omnia in proprio genere, per scientiam ue creatam, ideo posit falli, propter certam claritatem scientiæ, qua fruitur increatè. De scientia autem animæ Christi cum reuerentia summa Chri-
C sti, potest & similiter responderi; de gratia verò eius & gloria sicut supra, cùm sicut tangebatur superiùs, anima Christi videatur creatura entitatis finitæ, quare & capacitatis, intellectiuitatis, amantiuitatis, & cuiuslibet virtutis finitæ respectu cuiuslibet habitus & actus creati, siue creabilis, modo superiùs prætaxato: Neque ex isto consequitur inconueniens Begardorum, quod posset aliquis Christo perfectior inueniri. Non enim est, nec esse deceret aliquod membrum Christi tantæ capacitatis spiritualium munerum, quantæ caput. Veruntamen hic sciendum quòd gratia Christi est duplex, vna dilectionis, alia vnionis: Gratia dilectionis est habitus creatus animæ eius infusus, qua diligit Deum & proximum, & hæc videtur finita, sicut & alij eius habitus atque actus: Gratia vnionis potest dici illa gratia, qua diuinitas Verbi sic est vnita humanitati Christi, vt Deus & homo vnus sit Christus in eiusdem suppositi vnitate, & hæc quodammodò est infinita. Infinitum namque munus diuinæ gratiæ gratis collatum est illi homini, vt sit & realiter & veraciter ipse Deus simpliciter infinitus; quæ gratia nulli alij vnquam
D fuit concessa, nec est nec erit; & quantumcunq; gratia dilectionis in alijs augeretur, nunquam attingerent istam gratiam vnionis. Et sic potest intelligi, quod Deus non ad mensuram spiritum illi dedit. Ipse namque sic conceptus est de spiritu sancto, & natus in virgine, vt esset idem veraciter, essentialiter, & substantialiter filius Dei & virginis Deus, & homo; vel aliter intelligendo per spiritum Spiritus Sancti dona; Deus dedit ei spiritum ad satietatem suæ capacitatis omnimodam extensiuè, numerosè & etiam intensiuè: non ad aliquam mensuram minorem sicut dedit alijs membris Christi. Quare & de ipso antonomasticè & discretiuè videtur dixisse Propheta: Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini, Es. 11. 2. Quapropter & Augustinus 1a parte super Iohan. serm. 14. scribit ita, quid est hoc; Non enim ad mensuram dat Deus spiritum? inuenimus quia ad mensuram dat Deus spiritum; Audi Apostolum dicentem, secundum mensuram donationis Christi; hominibus ad mensu-
E ram dat, vnico filio non dat ad mensuram. Quomodo hominibus ad mensuram? alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientię secundum eundem spiritum, alij fides in eodem spiritu, alij Prophetia, alij dijudicatio spirituum; alteri genera linguarum, alij donatio curationum; aliud habet ille, & aliud habet iste; & quod habet iste, non habet ille; mensura est diuisio quædam bonorum, ergo hominibus ad mensuram datur, & concordia ibi vnum corpus facit: quomodo aliud accepit manus vt operetur, aliud oculus vt videat, aliud auris vt audiat, aliud pes vt ambulet, sic sunt etiam diuersa dona fidelium, tanquam membris ad mensuram cuique propriam distributa; sed Christus qui dat, non ad mensuram accipit. Ad hæc autem & aliter intelligendo per spiritum opera spiritus, potest dici, quod Deus non ad mensuram spiritum ei dedit. Potuit enim Christus & potest operationes Spiritus sancti omnimodas exer-

cere,

cere, & hoc, vt videtur insinuat textus sequens, Pater diligit filium, & omnia dedit in manu e- A
ius, per manum enim solent potestas operatiua & opera designari, vndè & Chrysostomus (& recitat ibi glossa) Spiritum, inquit, hic actionem Spiritus dicit: Vult enim ostendere quoniam omnes quidem nos in mensura spiritus actiones suscipimus; Christus autem omnem spiritus suscipit actionem. Secundum hæc quoque potest intelligi & exponi verbum Petri Lumbardi superius allegatum. Ex his igitur omnibus patere videtur quod nullum delectabile tristabileuè creatum potest necessitare voluntatem rationalem creatam, ad rationalem actum suum volendi siuè nolendi, præsertim quamdiu iudicium rationis & liberum arbitrium manet sanum, licet possit ad actum concupiscentialem, ad concupiscentiam scilicet sensualem siue carnalem, quæ non subijcitur legi mentis, sed aduersus spiritum reluctatur. Veruntamen pro istis & alijs obiectionibus, quæ sequuntur, sciendum quod sicut experientia nimis certè nos docet, obiectum delectabile actualiter mouens hominem & titillans aliquantulum minuit & obscurat iudicium rationis, debilitat, & absorbet. Quis hoc se B
in se ipso expertum sæpius diffitetur? quis vt temptationes alias prætermittam, febribus æstuans, oblata aqua fontali, aliovè delectabilissimo sibi potu, æqualiter iudicat abstinendum, sicut faceret extra febres, etiam & si sit Medicus sapiens & expertus? Pro statu tamen liberi arbitrij benè sani aliter fuisse videtur: Videtur enim quod nulla illecebra, ante peccatum minuebat in aliquo iudicium rationis; sed hoc accidere homini in pœnam peccati prioris. Quare & pro statu liberi arbitrij infirmati & taliter vulnerati videtur quòd licet iudicium rationis non esset depressum per obiectum delectabile vel vtile ipsum mouens, hominem posse illud eligere ratione etiã actualiter prohibente, sẽmper tamen de facto, vel in maiori parte opinor accidere modo dicto, pro statu infirmitatis liberi arbitrij, sicut omnes communiter experimur.

Philosophus. Secundum hoc autem puto intelligi illud Philosophi allegatum cum suis similibus, Ignorat quidẽ omnis malus, quę oportet operari, & à quibus fugiendum, & propter tale peccatum iniusti, & vniuersaliter mali fiunt, 3. Eth. 3. quare & 6ⁱ 10. Peruertit, inquit, malitia & mentiri fa- C
cit circa practica principia; & 7ⁱ 3° & 10. dicit quòd incontinens & in passione existens habet scientiam non in vsu, seu in actu perfecto, sed in habitu, sicut dormiens & vinolentus. Et sexto dicit quòd concupiscentia insidiatur, quemadmodum Venerem aiunt; Dolosæ enim Cyprigenæ, & variam Corrigiam, & Homerus, deceptioque furata est intellectum spissè sapientis. Et infra 11°. Impedimentum, inquit, ei, quod est prudentem esse, delectationes, & quanto magis gaudet, puta eum quæ Venereorum: Nullum enim vtique posse intelligere aliquid in ipsa.

Daniel. Cui & concorditer Daniel 13. species inquit decepit te, & concupiscentia

Ecclesiastices. subuertit cor tuum. Vndè & Ecclesiastici 9°. Auerte faciem tuam à muliere compta, & non circumspicias speciem illius; propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concu-

Propheta. piscentia quasi ignis exardescit. Dicitque Propheta; Supercecidit ignis, & non viderunt Solem, Psalmo 57. Supercecidit inquam, ignis concupiscentiæ, & non viderunt

Sap. Solem intelligentiæ manifestè, de quo Sapientiæ 5. Sol intelligentiæ non est ortus no- D
bis; quod & clarè testatur expositio Augustini. Quare & Philosophus 2. Eth. vltim. dicit, quòd in omni maximè obseruandum delectabile, & delectationem 1. Quod igitur plebis Senes patiebantur ad Helenam pulcherrimam, scilicet meretricem, hoc oportet pati, &

Iob. nos ad delectationem, & in omnibus illorum dicere vocem, scilicet Fuge, Fuge. Quamobrem & Iob concordanter sic ait; Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine, Iob. 31. quod Gregorius 21. Moral. exponit diffuse ad intellectum prætactum. Ex his igitur euidenter apparet, delectationem & concupiscentiam, posse liberum arbitrium & iudicium rationis multum obnubilare, inficere & ligare; Imò & tam vehemens potest esse, quod omnem vsum rationalem liberi arbitrij absorbebit, & reddet hominem amentem similem ebrijs pueris, morionibus & iumentis. Experimur namque certissime in ebrijs & infirmis, in pueris, morionibus, & insanis contrarijsque isto-

Philosophus. rum. Probat quoque Philosophus in De Philosophia, quod animæ sequuntur cor- E
pora, dispositionem scilicet corporalem. Ego autem vidi, & noui quendam quasi stolidum & amentem, qui dicebatur ex concupiscentia cuiusdam mulieris in statum huiusmodi incidisse: Quis enim nesciat vires mirabiles cardiacæ passionis? quare & dicit Philosophus septimo Ethic. tertio. Iræ & concupiscentia Venereorum, & quædam talium manifeste & corpus transmutant, quibusdam autem & insanias faciunt, qui & 2. Post. 4. dicit Achillem fuisse magnanimum, nec velle tolerare iniuriam, & ideò insaniisse. Secundum hæc igitur forsitan potest concedi aliquod obiectum delectabile siue triste posse nęcessitare hominem ad aliquod faciendum, non tamen ad rationalem & liberum actum suum. Potest enim adimere homini vsum rationis, & liberi arbitrii, & reddere eum amentem, &

tunc

A tunc sicut nauis nautæ regimine destituta ab impellentibus iacietur, sicut equus indomitus ruptis loris à voluptatibus attrahetur, & sicut puer, morio, seu insanus concupiscentiam in omnibus prosequetur. Potest tamen dici iuxta præmissa, quòd bestiæ, pueri, moriones, & similes, non omninò necessitantur à suis obiectis, sed quod ipsa ex seipsis quadam necessitate naturali obiecta sua cognita necessariò prosequuntur vel fugiunt, sicut lapis descendit, & sicuti planta crescit. Adhuc autem quisnam fortassis aliter respondebit, dicendo pueros, moriones, ebrios, & insanos habere liberam voluntatem, & liberum vsum eius, quamuis careant vsu & arbitrio rationis, sicut si Deus omnipotens faceret creaturam intellectu carentem, sed aliam potentiam cognitiuam habentem cum libera voluntate: Hoc enim omnipotentiæ Dei videtur possibile, præsertim cùm intellectus & voluntas sint potentiæ diuersæ, saltem in opere. Nec ideo potest inferri eos posse mereri: Non enim sola libertas sufficit ad merendum, sed requiritur rationalis cognitio obiecti, & finis præcedens & iudicium congruum rationis.
B Nec etiam potest inferri ipsos habere liberum arbitrium propter causam prædictam: Liberum enim arbitrium, seu potius arbitrium liberum secundum primo huius ostensa duo importat; rationale scilicet arbitrium iudicandi, & potestatem liberam exequendi. Nec obstat quòd dicit Philosophus 3. Eth. 5. quod pueri non communicant electione: Electio namque vt patet per eundem infra eiusdem *6.* est cum ratione & intellectu, vbi & *9.* sic ipsam definiuit; Electio est consiliabile desiderium eorum quæ in nobis; consilium autem, sicut nullus ignorat, & Phil. ibi testatur non est nisi cum ratione & iudicio intellectus. Nec obstat quod dicit, 2. Phys. 59 quòd infans non habet propositũ. Propositum enim intellectũ & rationẽ importat; *Philosoph us.* quare & textus quem habet Auer. dicit ibi, quòd infans non habet electionẽ. Nec obstat quòd dicunt Theologi paruulos non habere lib arbit. seu vsum ipsius propter causam prædictã. Mihi tamen magis videtur quòd sicut per ||*malas* dispositiones prædictas in corpore hominis impeditur, & omninò suspenditur ratio & vsus rationalis intellectus, ita & vsus rationalis & li- || nonnullas
C ber affectus. Et sicut pro tunc ligatur potentia intellectiua, ita & potentia voluntatiua, & dominatur totaliter appetitus & concupiscentia sensitiua, sicut superius dicebatur. Pro illo au- *Responsio ad* tem quod arguitur consequenter, sciendum, iuxta præmissa, quòd pueri, moriones, bestiæ, & *argum. 2. 3.* similes nullam habent potentiam resistendi motionibus obiectorum, sed ipsas, cùm possunt, hoc est si impediti non fuerunt, necessariò prosequuntur; homo autem non sic, sed eodem modo dispositus habet potentiam contradictionis liberè resistendi, & liberè prosequendi, sicut primum & secundum huius ostendunt. Quare & euidenter apparet quòd homo non habet infinitè maiorem potentiam, imo nec maiorem in minimo taliter resistendi, quàm illa; cum illa nullam potentiam habeat taliter resistendi, nisi fortassis alicui placeat dicere multum impropriè, quodlibet quantum esse infinitè maius non quanto, & omne potens infinitè potentius non potente, & omnem liberam creaturam infinitè liberiorem non libera creatura. Quod *Responsio ad* autem arguitur beatitudinem finalem creatam necessitare voluntatem beati ad actum beati- *4.*
D ficum, & ad non peccandum, quia talis beatus non potest fieri miser, neque peccare; nequaquam concludit. Potest enim similiter argui, quòd tempus & locus immortalitas, actus beatificus, & quæcunque conditio sit beati, ipsum simili modo necessitat. Licet enim nullus beatus finaliter possit cessare ab actu beatifico, vel peccare, non tamen de necessitate consequitur hoc esse propter || *necessitationem* beatitudinis creatæ, imo sicut magis videtur, || necessitatem stat quod sit ex necessitate obiecti beatifici, finis, & agentis, scilicet Dei, qui beatos efficit *Responsio ad* & confirmat. Quod autem obijcitur fortem temptationem posse superare temptatum, sol- *5.* uitur per præmissa: Potest enim fortassis alienare temptatum ab vsu liberi arbitrij, & sic eum prosternere, non alienatum autem nulla temptatio superat propriè, potest tamen dici impropriè superare, quia videlicet tantam difficultatem resistendi infert temptato, quòd mauult cedere, quàm ipsam diutius sustinere. Tanta quoque est aliquoties difficultas, quòd dicitur impossibilitas resistendi, sicut & difficile dicitur impossibile aliquando. Sic enim lo- *Philosophus.*
E quitur Philosophus 3. Topic. vbi dicit, quod possibile est magis eligendum impossibili, hoc est facile difficili, quoniam impossibile propriè non est eligendum, ipso met teste 3 Eth. 5. Vnde & Ansel. de lib. arbit. 5. Est, inquit, ratio, quam frequens habet vsus cur inuitus & nolens *Anselmus.* & ex necessitate dicitur aliquis facere, quod tamen volens facit. Nam quod non nisi difficile facere valemus, & ideo non facimus, dicimus nos hoc facere non posse, et necessitate nos, siue inuitos deserere, & quod sine difficultate dimittere nequimus, & idcirco facimus, hoc nos inuitos nolentes & ex necessitate facere asserimus. Hoc ergo modo qui mentitur ne moriatur, mentiri inuitus, & nolens dicitur, & ex necessitate, quia mendacium vitare non valet sine mortis difficultate: sicut igitur qui mentitur propter vitam, impropriè dicitur inuitus mentiri, quoniam mentitur volens, itaque non propriè dicitur inuitus velle mentiri, quo-

niam

niam hoc non niſi volens vult. Et infra 6. Dubitare, inquit, non debes hanc impotentiam A
ſeruandi rectitudinem, quam dicis in noſtra voluntate cum temptationibus conſentimus, non
eſſe ex impoſſibilitate, ſed ex difficultate; frequenti namque vſu dicimus, nos non poſſe ali-
quid, non quia nobis eſt impoſsibile, ſed quia illud ſine difficultate non poſſumus: hæc au-
tem difficultas non perimit voluntatis libertatem. Per hæc autem ſoluuntur Autoritates ob-
iectæ: Si quis autem innitatur Autoritati Iob dicentis, quod non eſt ſuper terram poteſtas,
quæ comparetur diabolo, & Autoritati Gregorij exponentis, dicendo quod in omnibus mo-
tiuis & mobilibus experimur fortius mouere debilius, etiam inuitum, ſeu contra appetitum,
& inclinationem naturalem, dicendum quod hoc non eſt verum, ſi intelligatur vniuerſaliter
de omni motiuo & mobili, & de omni ſpecie motionis: Non enim quia terra magna eſt, &
maioris virtutis in mouendo quàm aër paruus in reſiſtendo, ideo eſt maioris virtutis ad ele-
uandum ſeu calefaciendum aërem, quàm ipſe ad reſiſtendum, ſed ad deprimendum & fri-
gefaciendum aërem. Hæ namque ſunt actiones propriæ terræ in aërem. Eodem modo & ſi B
diabolus ſit fortior homine ad mouendum ipſum localiter, & ad ipſum multipliciter alteran-
dum, quàm homo ad reſiſtendum his motibus; non tamen ad faciendum hominem velle, ra-
tionali ſcilicet actu volendi, ſicut nec fortior poteſt neceſsitare debiliorem ad ſic volendum,
quod & præcedentia manifeſtant. Veruntamen iuxta præmiſſa poteſt fortaſsis diabolus ali-
enare hominem ab vſu liberi arbitrij, & ipſum tunc ducere vt iumentum. Nec etiam quis
* aliquid
timore mali horribilis imminentis neceſsitatur propriè ad * volendum, ſeu aliquid facien-
dum, ſicut ſuperiùs eſt oſtenſum, ſed tantum impropriè modo prædicto propter magnam dif-
ficultatem illatam: Actio namque talis eſt voluntaria quoquomodo, non tamen ſimpliciter:
Philoſophus.
A voluntate namque procedit motus operatioque membrorum. Quare & Philoſophus 3.
Eth. 1. loquens de talibus operationibus coactis quodammodo, ita dicit: Mixtæ quidem igi-
tur ſunt tales operationes, aſsimulantur autem magis voluntarijs; voluntariæ enim ſunt
tunc, cùm operatæ ſunt; finis autem operationis ſecundum tempus eſt, & voluntarium au-
tem & inuoluntarium dicendum, quando operatur; operatur autem volens. Etenim princi- C
pium mouendi organicas partes in talibus operationibus, in ipſo eſt: Quorum autem in ip-
ſo principium, in ipſo & operari; Et voluntaria itaque talia, ſimpliciter autem forſitan inuo-
luntaria: Nullus enim vtique eligeret ſecundum ſeipſum talium aliquid. Cui & concor-
dat Anſelmus de libero arbitrio 5. ſuperius recitatus. Quod autem allegatur à Philoſopho
3. Eth. 2. quod in illis coactis ſit venia, quæ humanam naturam excedunt, & nullus vtique ſu-
ſtineret, poteſt exponi per magnitudinem difficultatis, quam homo refugit ſuſtinere iuxta ſu-
periùs prælibata; ita quod non eſt ibi neceſsitas propriè ſicut & præcedentia docuerunt: qua-
re & Philoſophus immediatè ſubiungit; Quædam autem fortaſsis non eſt cogi, ſed magis
moriendum patientem duriſsima: Etenim Euripidis Alcmœonæ deriſoria videntur cogentia
Reſponſio ad 7um.
matrem occidere. Quomodo autem omnis malus ignorat, exponebatur ſuperius, ex quo &
patet ſimiliter quomodo ſciens, vel neſciens in actu, & in particulari agit, quæ non opor-
tet. Illud autem dictum Socratis allegatum, erat ſuperius reprobatum, & Philoſophus illud D
damnat, niſi fortaſsis illud antiquum Socraticum; (Hoc tantum ſcio quod neſcio) ipſum
valeat excuſare, quod tamen indefendibiliter ipſum accuſat, & inſolubiliter ipſum ligat. Pro
ſyllogyſmo autem practico reſpondendum, quod qui habet huiuſmodi ſyllogiſmum, Om-
ne dulce eſt guſtandum, Hoc eſt dulce, Hoc ergo eſt guſtandum. Si habeat voluntatem
conformem, & non ſit prohibitus, neceſſario conformiter operatur; aliter non eſt verum:
Alias etenim Philoſophus incidit in illam ſententiam inſenſatam Pariſijs condemnatam,
quod homo neceſſariò obedit in omnibus rationi, ſicut & Socrates videtur damnabiliter in-
cidiſſe. Pro iudicijs autem Aſtrologorum, Phiſiognomonicorum & cæterorum ſimilium;
aduertendum quod ſtellæ & virtutes cœleſtes multum diſponunt, & vehementer inclinant
corpus humanum ad aliqua conuenientia proſequenda, & contraria fugienda; Et hæc diſ-
poſitio eſt virtus ſeu vitium naturale, de qua multi Philoſophi naturales, morales, & Aſtro- E
logi ſæpe tractant: de qua & 34. primi breuiter tangebatur: Hæc autem virtus ſeu vitium
naturale tam vehementer inclinat ad delectationes & operationes proprias, ſicut virtus
moralis ad ſuas; imò & multo vehementius aliquando. Manifeſtè namque videmus
quoſdam ſtatim à puero ita affici ad aliqua perſequenda, quod vix & difficillimè refræ-
|| 12.
nantur, ſicut trigeſimum nonum primi aliqualiter oſtendebat. Vnde & Philoſophus 5.
Ariſtoteles.
Polit. || 9. recitat Socratem affirmantem, Naturam quandoque producere prauos, &
*κρείττους παιδείας i. qui emendari diſciplina non poſſunt.
* meliores diſciplina; prauos quidem, quorum epitritus fundus quinario coniugatus du-
as harmonias exhibet, quando numerus diagrammatis huius ſolidus fuerit. Vbi & ſecun-
dum ſententiam propiam ſic ſubiungit; Contingit enim eſſe aliquos, quos diſciplinari & fieri
ſtudio.

A studiosos viros impossibile est. Quare & dicunt Astrologi quod si quis habeat natiuitatem fortem ad aliquod vitium, quantumcunque exerceatur in virtute opposita, nunquam firmabitur in illa perfectè, quin ad huiusmodi vitium facillimè relabetur. Hæc ergo pronitas, dispositio, seu concupiscentia naturalis tam firmè inhærens, tam vehementer impellens, & tam delectabiliter attrahens non auellitur, non vincitur, non subijcitur, nisi cum forti pugna, cum tristi lucta, cum labore multiplici, & dolore: at plurimi hominum diffugiunt tristitias & labores; delicias, & mollities amplectuntur; quare & prosequuntur vt plurimum suas concupiscentias naturales: & hinc est quòd Astrologi, Phisiognomonici, & similes multoties dicunt verum; circa habitus autem dispositiones, & aptitudines naturales iudicia certa habent; circa actus verò humanos non habent iudicia ita certa, quia nulla necessitate firmata, sicut præcedentia docuerunt, sicuti etiam qui vult, potest multoties experiri in natiuitatibus plurimorum, & alijs iudicijs consuetis. Dicat enim mihi talis Iudex; Tu tunc duces vxorem, tunc
B filium generabis, tunc recipies diuitias & honores, cras talem locum adibis, & facies hoc vel illud; & pro tunc & fortè pro semper à talibus abstinebo. Dicat etiam mihi talis de paruulo meo nato, Iste erit tam inhonestus, tam malus; tot & tantis vitijs deditus, & ego procurabo omnia vitiabilia in tantum remoueri ab eo; ipsumque in tantum ad contrarium artificialiter alterari, tam studiosè in virtutibus omnibus educari, & tanta diligentia custodiri, ipsummet quoque ita || *præmuniam* & inducam, quòd non erit tam malus, imò nec malus, sed bonus, licet forsitan non tam bonus moraliter, sicut si fuisset natus habilior ad virtutes. Nam sicut secundum Ptolomæum in Centilogio verbo 8. Anima sapiens adiuuat opus stellarum, quemadmodum seminator fortitudines naturales; sic secundum eundem supra eiusdem verbo 5. Astrologus optimus multum malum prohibere poterit, quod secundum stellas venturum est, cùm eius naturam præsciuerit: sic enim præmuniet eum cui malum futurum est, vt possit aliquid pati, sicut & testantur experimenta superiùs recitata. || instruam

C

COROLLARIUM.

Corollarium, quod voluntas creaturæ rationalis non est passiua tantummodo, sed actiua; & quod voluntas per causas secundas sufficientissimè disposita ad agendum potest vna vice non agere, & alias agere liberum actum suum: quare & quod bonis inæqualibus propositis voluntati non necessariò volet maius; imo & proposito bono honesto, & malo inhonesto delectabili, tamen multum vel vtili, potest scienter bono illo neglecto eligere illud malum. Quare & quod cum recta ratione in intellectu est error possibilis in affectu. Quod etiam appetitus irrationalis non necessitat hominẽ ad agendum; quod corpora cœlestia non necessitant voluntatem: Quod Diabolus non necessitat voluntatem; & quod nulla tentatio necessitat voluntatem: Quod tantum purum malum
D *voluntati ostensum ipsam necessitat ad non volendum, & purum bonum, ad non nolendum positiuè, id est, ad non odiendum: ipsaue voluntas naturali necessitate necessario hæc non potest, vbi etiam ostenditur consequenter quod fortè multum deceret & plurimum expediret Theologis & perfectis Catholicis Astrologiam & alias tales scientias non nescire.*

EX his autem existimo refulgere quòd voluntas creaturę rationalis non est passiua tantummodo sed actiua; & quòd voluntas per causas secundas sufficientissimè disposita ad agendum, potest vna vice non agere, & alias agere liberum actum suum; quare & quod bonis inæqualibus propositis voluntati non necessariò volet maius; imò & proposito bono honesto & malo inhonesto, delectabili tamen multùm vel vtili, potest scienter bono illo neglecto eligere
E illud malum; quare & quòd cum recta ratione in intellectu est error possibilis in affectu, quod etiam appetitus irrationalis non necessitat hominem ad agendum, quòd corpora cœlestia non necessitant voluntatem, quod diabolus non necessitat voluntatem, & quod nulla tentatio necessitat voluntatem; quomodo etiam est capacitatis finitæ & quomodo infinitæ. Quod tamen purum malum voluntati ostensum ipsam necessitat ad non volendum, & purum bonum ad non nolendum positiuè, id est, ad non odiendum, ipsave voluntas naturali necessitate necessario hæc non potest; quod insuper forsitan multum deceret, & plurimum expediret Theologos & perfectos Catholicos Astrologiam & alias tales scientias non nescire. Hæc autem ex præmissis hic et proximo tam lucidè consequuntur, quod alia declaratione non egent. Per quæ & multi errores damnati per Stephanum Parisiensem Episcopum reprobantur;

bantur; quod videlicet voluntas de ſe eſt indeterminata ad oppoſita ſicut materia; deter- A
minatur ab appetibili, ſicut materia ab agente; quod appetitus intellectiuus ceſſantibus impedimentis neceſſariò mouetur ab appetibili; quòd voluntate exiſtente in diſpoſitione in qua nata eſt moueri, & mouente ſic diſpoſito quod natum eſt ſic mouere, impoſſibile eſt voluntatem non velle; quod etiam poſt concluſionem factam de aliquo faciendo, voluntas non manet libera, quòd voluntas hominis neceſſitatur per ſuam cognitionem ſicut appetitus bruti; quòd voluntas neceſſario perſequitur quod principaliter creditur à ratione, & quòd non poteſt abſtinere ab eo quod ratio dictat; & quod ſi ratio eſt recta, voluntas eſt recta; quòd voluntas manente paſſione & ſcientia in particulari & in actu non poteſt agere contra eam; quòd homo agens ex paſſione coactè agit; & quod homo in omnibus actionibus ſuis ſequitur appetitum, & ſemper maiorem, quibus & quidam alij ſimiles ſuperius recitantur. Sunt quoq; plurimi ſimiles, quos nec hic nec ibi oportuit recitare. Nonnè & diligenter conſideratis, & debitè ponderatis pręmiſſis, & alijs ſimilibus prętermiſſis videretur B
multum decere, & plurimum expedire Reip. Chriſtianæ, quod Theologi & perfecti Catholici Aſtrologiam, & alias doctrinales ſeu Mathematicales ſcientias non neſcirent, vel propter vtilitates earum præclaras, ſi oportuerit, exercendas, vel ſaltem propter abuſores earum, & falſo nomine ſapientum gloriantes efficacius confutandos. Quomodo namq; non logicus logicum, non Mathematicus Mathematicum, iners artificem in arte propria artificialiter redarguet, & conuincet, quin magis in ſe riſum aſtantium concitabit? Magnus quoq; Ptolomęus 1. Almageſti Prol. 2° ſic ait, O quam bonum fuit quod Ariſtoteles diuiſit theoricã, cum eam in tria prima genera diſtribuit, in Naturale, Doctrinale, & Theologicum; & dicto de Naturali, & Theologico; de Doctrinali, id eſt, Mathematico ſic adiungit. Hoc quoq; non parum valet ad duorum reliquorum modorum ſcientiæ compræhenſionem, & præcipuè ſcientiæ Dei excelſi. Ipſa namq; eſt ſcientia ad ſciendum Deum altiſſimum propter rationem cum perſcrutatione & intellectu, quæ & eius ſimilia verè & manifeſtè ſignificant Deum qui non alteratur, & C
non mouetur, & non eſt accidens, neq; eſt factus; quoniã ipſa, * noſtra ſcientia quam de ipſo habemus altiſſimo, vicina exiſtit, & quia ipſa eſt ſemita ducens ad *ipſum. Pręterea in actionibus quoq; & honeſtatibus morum laudabilium non eſt eius neceſſitas parua; Imò nihil eſt eâ magis adiuuãs ad acuendos noſtræ mentis oculos, & intellectus ad conſiderandum ea, quæ operibus aſſimilantur diuinis propter bonitatẽ moderaminis & paruitatem arrogantiæ, & quoniã ipſa facit eũ qui perſeueranter inquirit eam, hanc cœleſtem pulcherrimè diligere, & ducit eum ad perſeuerantiam diuini ſtudij, & coniungit eum ipſi, quod animę ſimile eſt propter bonitatem formæ, & aſſimulat eum creatori ſuo. Quare & Auicen. 1. Metaph. 3. ſcribit ita, Ordo huius ſcientiæ, ſcilicet diuinæ eſt, vt diſcatur poſt ſcientias naturales & diſciplinales; poſt naturales ideò quia multa quæ hìc conceduntur ibi probantur; poſt diſciplinales verò ideò, quia intentio vltima in hac ſcientia eſt cognitio gubernationis Dei altiſsimi, & cognitio ſingulorum ſpiritalium, & ordinum Angelorum ſuorum, & cognitio ordinationis in compoſitione circu- D
lorum, ad quam ſcientiam impoſſibile eſt peruenire niſi per cognitionem Aſtrologiæ; ad ſcientiam verò Aſtrologiæ nemo poteſt venire niſi per ſcientiam Arithmeticæ & Geometricæ. In his quoq; ſcientijs plurimum claruerunt filij Seth, Enoch, Noe, Abraham, Moſes, Solomon, Daniel, & alij ſancti Patres, ſicut quamplures hiſtorię conteſtantur, ſicuti & oſtenſio 35. partis Corollarij primi primi aliquantulũ recitauit. Nonnè & Creator ipſe in exordio rerum dixit, fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem & noctem, & ſint in ſigna? Annon & veritas ipſa dicit; erunt ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis, & quis neſcit ſignum ad ſignatum referri? Cur ergo per hæc ſigna non eſt iudicandum de eorum ſignatis? Nonnè & Dominus ipſe dixit, Cum videritis nubem orientem ab occaſu, ſtatim dicitis nimbus venit, & ita fit, & cum Auſtrum flantem, dicitiſq; æſtus erit, & ita fit? hypocritæ, faciem cœli & terræ poteſtis probare, hoc autem tẽpus quomodò non probatis? Luc. 12. & Mat. 16. facto veſpere dicitis, ſerenum erit, rubicundum enim eſt cœlum; & mane, hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cœlum: Fa- E
ciem ergo cœli dijudicare noſtis; ſigna autem temporum non poteſtis? Licet ergo & expedit per ſigna inferiora & ſuperiora, de futura temperie & intemperie iudicare; iſta namque iudicia temporum, non videtur Chriſtus Autor temporum reprobare, ſed potius approbare, ſed in hoc ſpecialiter ipſos redarguit; quod non potuerunt, neſcierunt, ſeu noluerunt probare, nec dijudicare tempus ſeu tempora ſui aduentus, aduentumuè ſuorum. Quare & beatus Hieronymus ſuper illud Matth. præmiſſum, ſenſus, inquit, manifeſtus eſt, quòd ex elementorum ordine & conſonantia poſſunt & ſereni, & pluuioſi dies prænoſci. Hiſtoria quoque Scholaſtica tractans illud verbum Gen. 1. præmiſſum, dicit quòd luminaria cœleſtia ſunt ſigna ſerenitatis & tempeſtatis; quod & tractans beatus Baſilius homilia ſexta ſui hexameron; Neceſſitas,

Ptolomæus.

*id eſt, Aſtrologia.

*id eſt, Deum.

Auicenna.

Gen. 1.

Hieronymus.

Hiſtoria.

Baſilius.

A Necessitas,inquit,humanę vitæ, sicut longior vsus docet, signorũ vocationes & obseruationes inuenies; si tamen non amplius eas quam oportet,inquiras: Multa enim super futuris imbribus possumus dicere,plurima quoque de vaporibus terrarum, motibusque ventorum,seu per partes venientium, seu generaliter vbique spirantium, & vtrum violenter an placidè sint venturi: Vnum itaque ex demonstrationibus habetur solis, quod ostendit nobis Dominus dicens,futuram tempestatem cùm cœlum cæperit igneo rubore tristari,[supra de mane Matthæi 16.] & infra; Horum igitur obseruatio quantum commoditatis impendat hominibus, quis ignorat? Possunt enim nauigaturi intra portum retinere classem,futura pericula præuidẽtes;viator item cautus effectus ex cœli tristitia tranquillitatis tempus expectat; Agricultores quoque seminibus & plantis solidam diligentiam commodantes, & memoratis instructi signis opportunitatem congruam præstolantur: Siquidem solutiones etiam rerum omnium in sole, & luna & stellis videnda prodigia Dominus prædicauit dicens, Sol conuertetur in tenebras,& Luna non dabit lucem suam: Verum hæc iudicia sunt mundanæ consummationis.

B Historia quoque Scholastica agens de ortu Iubilæi, sic ait; Abraham peritus erat astrorum, in quibus etiam secundum quosdam Zoroastrem Magicæ artis inuentorem, instituit; noueratque quod aëris intemperies quæ fit ex eleuatis vel depressis Planetis semper vsque ad quinquaginta annos ad temperiem redit,& quod vidit fieri in astris, voluit imitari in terris. An non & vtilitas scientiarum huiusmodi videtur euidenter patere ex præcognitione, promotione,& repressione possibili virtutum & vitiorum moralium, & intellectualium, naturalium quodammodo, sicut testantur hic præmissa & trigesimum nonum primi? Quare & Philosophus 2. Eth. 10. inquirens quod ‖ *vnum* extremum magis contrarietur virtuti in medio; ostendit quod in aliquibus vnum, cuius causa est extra ipsa; in alijs verò aliud, cuius causa est ex nobis; & hæc duplex, generalis, & specialis: pro generali sic ait; Ad quæ enim ipsi magis nati sumus aliqualiter, hæc magis contraria medio videntur, puta ipsi magis nati sumus

Historia.

Philosophus.

‖ vitium

C ad delectationes, ideo facilius mobiles sumus ad intemperantiam, quàm ad temperantiam: pro speciali verò infra 11°. dicit; Et intendere oportet & ad quæ & ipsi facilè mobiles sumus; Alij enim ad alia apti nati sumus; Hoc autem erit notum ex delectatione & tristitia facta circa nos; In contrarium autem nos ipsos attrahere oportet: Multum enim abducentes,à peccando in medium veniemus. Annon & vtilitatem scientiæ istius ostendunt præmissa 32ª. & 35ª.& 39ª. parte Corollarij primi, primi? Amplius autem quantam virtutem habeat artificiosa congregatio & disgregatio radiorum seu luminum, quis eruditus ignorat? Annon per istud magisterium possent qualitates, conditiones & mores hominum, ciuitatum, atque regnorum mutari in melius & firmari? per quod aliud magisterium posset id fieri? De quo in secundo prologo in Secretum Secretorum Aristotelis scribitur quod Alexander direxit suam epistolam ad Aristotelem sub hac forma, O Doctor egregie, rector iustitiæ, significo tuæ prudentiæ me inuenisse in terra Persidis quasdam gentes abundantes ratione & intelle-

Epistola Alexandri ad Aristotelem

D ctu penetrabili, studentes super alios dominari, & regnum acquirere: Vnde nos proponimus occidere vniuersos: quicquid super hoc decreueris, nobis significa tuis scripturis; & sequitur, Cui Aristoteles ita respondit; Si non potes mutare illius terræ aërem & aquam, insuper dispositionem ciuitatum, imple tuum propositum si potes,& dominare super eos cum bonitate & exaudi eos cum benignitate; quod si feceris, fiduciam habeas cum Dei adiutorio, quod omnes erunt subiecti ad tuum beneplacitum, & præceptum, & per amorem quem habebunt in te, dominaberis in eis pacificè cum triumpho. Alexander igitur accepta epistola suum adimpleuit consilium diligenter; & erant Persæ magis obedientes suo imperio, quàm omnes aliæ nationes. Nonne & Arthesius Philosophus Magisterij huius virtute, mille & vigesimo quinque annis astruit se vixisse, & alia mirabilia perfecisse, quod & alij similiter asseuerant? Nonne & de Mose Act. 7. scribitur isto modo, Eruditus est Moses omni sapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis, & in operibus suis, de quo & historia scholastica super exod. recitato, quomodo Moses nutritus in Ægypto transiuit in Aethiopiam, &

E Aethiopes debellauit, & Tharbis filiam Regis Aethiopum in vxorem assumpsit, & quomodo Mosi redire volenti ipsa nullatenus acquieuit, subiungit; Proinde tanquam vir peritus astrorum imagines sculpsit in gemmis huius efficaciæ, vt altera memoriam, alia obliuionem conferret, cumque paribus annulis eas inseruisset, alterum, scilicet obliuionis annulum præbuit vxori, alterum ipse tulit, vt sicut pari amore, ita paribus annulis insignirentur: Cæpit ergo amoris viri mulier obliuisci, & tandem liberè in Aegyptum regressus est. Qui & sicut dicunt Hebræi, tradidit eis quantitatem mensis Lunaris, quo festa legalia obseruarent: Hic autem sicut eorum computus attestatur, est 29. dies, 12. horæ, 793. puncta: Punctum autem est species mirabilis fractionis, scilicet 1080. pars horæ, quod est 3. secunda, & 20. tertia, ita

Nota quantitatem mensis Lunaris.

quod mensis Lunaris medius secundum Mosen continet, 29. dies 12. horas 44. minuta, 3. secunda, & 20. tertia; qui eius quantitatem melius & verius posuit, quàm Abrachis, qui considerauit in Rodo; quam Ptolomæus, qui considerauit in Alexandria; quàm Arzachel, qui composuit canones & tabulas secundum annos Arabum ad Toletum; & quam multi alij eum sequentes: Abrachis enim, sicut recitat Ptolomæus 4. Almagesti 2. posuit quantitatem medij mensis Lunaris 29. dies, 31. minuta diei 50. secunda 8. tertia, 9. quarta & 30. quinta ferè; vnum autem minutum diei est 24. minuta horæ; quoniam sicut dies ad suum minutum, ita hora ad suum minutum igitur permutatim: quantitas ergo mensis secundum eum est, 29. dies, 12. horæ 44. minuta horæ, tria secunda, quindecim tertia, quadraginta octo quarta fere. Ptolomæus verùm multum posterior Abrachis, 4. Almagesti 3. concordat cum eo in quantitate mensis in omnibus, exceptis quintis diei quæ ponit præcisè 20. quantitas ergo secundum eum mensis Lunaris est in diebus, horis, minutis horæ, secundis & tertijs sicut priùs & 44. quarta præcisè. Arzachel autem posterior istis multum videtur ponere quantitatem mensis Lunaris multo minorem, videlicet 29. dies 12. horas; 44 minuta sicut tabulæ suæ testantur, B quod & videtur eum necessariò oportere, cùm secundum eum in suis canonibus, & secundum omnes concorditer annus Arabum communis contineat præcisè 354. dies, & quintam, & sextam diei partem, quæ sunt vndecim trigesimę diei; trigesima autem diei cùm sit dupla ad vnum minutum diei, continet 48 minuta horæ, sicut constat ex præmissis: Continet igitur talis annus 354. dies 8. horas & 48. minuta horæ, cuius 12ª. pars, scilicet vnus mensis Lunaris est, 29. dies; 12. horæ, & 44. minuta præcisè. Iste ergo diminuit à quantitate mensis per Mosen posita vnum punctum, à qua etiam Abrachis, & Ptolomæus diminuunt, sed non tantum. Qui & sibi ipsis repugnant, sicut ex quantitatibus medij motus solis, & medij motus Lunæ in vno die, quas ponunt extracto centro lunæ in die, & tabulato continuè per 60. dies, vel per 15. dies, & 60. horas, eliciendo demonstratiuè quantitatem dimidij vel integri mensis lunaris medij; cùm in omni coniunctione & oppositione media centrum lunæ C sit nihil omnino, id est 12. signa præcisè, & ab omni coniunctione media ad oppositionem mediam & è contra, pertranseat, 12. signa præcisè, & ab omni coniunctione, seu oppositione media ad proximam similem, 24. signa præcisè potest clarissimè demonstrari. Per quam viam rectissimam rectissimè incedendo est alibi demonstratum quantitatem medij mensis lunaris continere ad minus quantum posuit Moses & fortassis vlterius aliquas fractiones, quod & moderni Astronomi confitentur. Ex his autem euidenter apparet defectus lunationum & mensium lunarium in Calendario Latinorum, quibus Pascha, & festa Christianorum mobilia regulantur, ex quibus & patet quomodo rectificari deberent. Et quis huiusmodi scientijs non adiutus ista rectificare præsumet, aut transferre Calendarium Iudæorum ad vsum faciem Latinorum, & sic reducere Pascha Christianorum vt secundum statutum Concilij Niceni, & alia plurima plurimorum Patrum statuta semper fiat dominica sequente Pascha D Iudæorum; scilicet, aliquo die azymorum, videlicet à 14. luna primi mensis lunaris vsque ad 21. diem eiusdem, quod nunc, & à prima creatione Calendarij Christiani frequenter contingit posterius, quandoque per 4. quandoque per quinque integras septimanas, quandoque autem continget posterius semper per vnum mensem, quandoque verò semper per duos, & ita deinceps, donec annus integer taliter transigatur, & tunc reincipiet cum errore priore. Quis etiam huius ignarus scientiæ veraciter capiet introitum solis in Arietem, æquinoctiumque vernale, seu temporis verni principium, vt secundum exigentiam proximi pleni lunij fiat *Deut.* Pascha secundum præceptum legis Deut. 16. in hæc verba; obserua mensem nouarum fru- *Solomon.* gum, & verni principium temporis, vt facias phase Domino Deo tuo. Salomon quoque diuinitus inspiratus vt patet 3. Reg. 3. & 2. Paralip. 1. tantam sapientiam, intelligentiam & scientiam recepit à Domino, vt nullus ante eum similis ei fuerit, nec post eum, de quo & 3. Reg. 3. scribitur, Dedit quoque Dominus sapientiam Solomoni, & prudentiam multam nimis, & præcedebat sapientia Solomonis sapientiam omnium Orientalium, & Aegyptio- *Iosephus.* rum, & erat sapientior cunctis hominibus. De quo & Iosephus octauo Antiquitatis Iudai- E cæ 2°. dicit; quod Deus dedit ei intellectum & sapientiam, qualem nullus alter hominum habuit, nec Regum, nec priuatorum, vt etiam homines antiquos præcelleret, & nec Aegyptijs, qui sapientia omnibus differre dicuntur, comparatus, modicum vel minus esset; cuius vtique multum nimis sapientia præcedebat. Composuit autem libros 5. & 4. millia. Nullam namque naturam ignoratam inexanimatamque præterijt, sed de omnibus Philosophatus est, & disciplinam proprietatemque earum eminenter exposuit, præstitit autem ei Deus vt etiam contra dæmones ad vtilitatem hominum, & eorum curas edisceret, & incantationes instituit quibus ægritudines soleant mitigari; Modos etiam coniurationum quibus obstricti

A strictì dæmones ne denuò redeant effugati, inuenit, & hæc cura hactenus apud nos multum præualere dignoscitur. Vidi etenim quendam Eleazarum de gente nostra, præsente Vespasiano & eius filijs & Tribunis, alioque simul exercitu, curantem eos qui a Dæmonibus vexabantur: Modus autem medicinæ fuit huiusmodi; Intulit naribus eius qui à dæmonio vexabatur annulum habentem subter signaculum radicem à Solomone monstratam; deinde dæmonium per nares odorantis abstraxit, & repente cecidit homo, Postea coniurauit eum, iuramentum obijciens Solomonis, ne ad eum denuo remearet, id est cantica quæ ille composuit, super eum edicens; volens satisfacere atque probare præsentibus Eleazarus hanc se habere virtutem, ponebat ante eos aut calicem aqua plenum, aut peluem, & dæmoni imperabat, vt hæc ab homine egressus verteret; & videntibus præberet iudicium quod hominem reliquisset, quo facto sapientia Solomonis cunctis innotuit. Daniel insuper vt patet Dan. 1. didicit excellenter omnem sapientiam, & scientiam Chaldeorum de cælestibus & terrenis sicut *Daniel.*
B glossa testatur, qui tamen in corde suo proposuit ne pollueretur de mensa Regis immundis vescendo: Vbi dicit Hieronymus, sicut recitat ibi glossa, qui de mensa Regis & de vino potus eius non vult comedere ne polluatur, vtique sapientiam & doctrinam Babyloniorum, si sciret esse peccatum, nunquam acquiesceret discere quæ non licebat; discunt autem, non vt sequantur, sed vt iudicent atque conuincant; quomodo si quispiam aduersum Mathematicos velit scribere imperitus Mathematices risui pateat, & aduersus Philosophos disputans si ignoret dogmata Philosophorum; Discunt ergo ea mente doctrinam Chaldaicam, qua Moses omnem sapientiam Egyptiorum didicerat: Qui & in Prologo in Esaiam sic ait, Legant prius & postea despiciant, ne videantur non ex iudicio sed ex odij præsumptione ignorata damnare: qui etiam epistola 74. ad Mineruium & Alexandrium Monachos, de resurrectione sic scribit; Meum propositum est antiquos legere, probare singula, quæ bona sunt, & à fide Catholicæ Ecclesiæ non recedere. Septimo quoque historiæ Ecclesiasticæ 7°. scri- *Hieronymus* *Hieronymus* *Ecclesiastica historia.*
C bitur isto modo, quòd Dionysius Episcopus ita dixit; Ego & tractatus hæreticorum lego, & traditiones eorum perscrutor, etiamsi videar ad horam, verbis eorum pollui; sed & multum mihi confert hoc ipsum, quod ex eorum verbis arguere eos possum: denique cùm aliquis ex fratribus cum presbyteris me à lectionibus talibus prohiberet, diuina me visio confirmauit, euidenter proloquens in hunc modum; Lege omnia quæcunque in manus tuas peruenerint, quia probare quæque & discernere potes, quandoquidem ex initio hæc tibi fuit causa credendi: amplexus sum visionem quæ & Apostolicæ sententiæ concordabat dicenti, Omnia legite, quæ bona sunt tenete. Illa quoque Autoritas suprascripta Hieronymi super Danielem cum multis similibus; dist. 37ª. in canone recitatur. Vnde & Augustinus 5. Confess. 5. loquens de quodam hæretico Manichæo, qui se Spiritum Sanctum habere, & scire omnia impudentissimè asserebat, sic ait; Non parui se æstimari voluit, sed Spiritum Sanctum consolatorem & ditatorem fidelium tuorum, autoritate plenaria personaliter in se esse
D persuadere conatus est: Itaque cùm de cœlo ac stellis, & de solis ac lunæ motibus falsa dixisse reprehenderetur, quamuis ad doctrinam religionis ista non pertineant, tamen ausus eius sacrilegos fuisse satis emineret, cùm ea non solum ignorata, sed etiam falsa tam vesana superbiæ vanitate diceret, vt ea tanquam diuinæ personæ tribuere sibi niteretur. Sciui & ego quãdam famosam maleficam, quæ in quadam eclipsi lunæ quam aspicientes plurimi mirabantur iuxta opinionem laicam laicorũ putantium eclipsin accidere ex maleficio alicuius sortilegæ, dixisse vicinis, Ecce qualem potestatem habeo super lunam; Nisi permiseritis me in pace, & satisfeceritis de contumelijs & opprobrijs mihi illatis, tollam à vobis lunam, stellas, & solem, ac cœli beneficium vniuersum; Cui duxeram respondendum, quod faceret sic de luna nocte proxima, aut mense proximo, vel sequente; aut faceret sic de sole in crastino, aut aliquo die septimanæ sequentis, vel saltem quod diceret, quando proximè sic faceret de luna, vel sole, & quantam partem auferret, à qua parte inciperet & quamdiu duraret huiusmodi
E passio alterius luminaris, & omnes faceremus sibi in omnibus quicquid vellet: sin autem; ego dicerem ei, quando primò similiter contingeret circa lunam & solem, quanta pars luminis tolleretur, ex qua parte inciperet eclipsari, & quamdiu duraret eclipsis etiam ipsa inuita, & cum cunctis suis maleficijs renitente, quæ non potuit respondere. Apud Iudæos autem à tempore Mosis fuerunt septuaginta ordinarij Iudices, præcipiente Domino per Mosem; Congrega mihi septuaginta viros, &c. Num. 11. imò secundum Talmud eorum septuaginta vnus, quia talem numerum Moses cum illis septuaginta constituit: De his verò Iudicibus & gestis eorum, est vnus liber, qui vocatur Hebraicè Sanhedrim, id est Iudicium Ordinariorum, in quo scribitur isto modo: Non erant constituentes in Sanhedrim, scilicet in ordine seu officio septuaginta, seu septuaginta vnius Iudicum ordinariorum, nisi dominos

ſapientiæ, ſtaturæ, apparentiæ atque ſenectutis, & Dominos incantationum atque ſcientes ſeptuaginta linguas, ne oporteat eos audire ab ore Interpretis: ſtatura, & apparentia requirebatur vt haberentur in reuerentia; & quod eſſent Domini incantationum, vt conuincerent & occiderent incantantes ſiue maleficos in ſuis incantationibus & maleficijs confidentes. Hæc autem non ſine cauſa digrediendo pauliſper ſufficiat breuiter tetigiſſe. A

CAP. IV.

Quod liberum arbitrium tentatum non poteſt proprijs viribus ſine Dei auxilio & eius gratia tentationem aliquam ſuperare. B

OStenſo iam proximo quod nulla cauſa ſecunda, nec vlla temptatio poteſt neceſſitare liberum arbitrium ad rationalem & liberum actum ſuum; reſtat non impertinenter oſtendere, quod liberum arbitrium temptatum, non poteſt proprijs viribus ſine Dei auxilio & eius gratia temptationem aliquam ſuperare. Oppoſitum enim huius ſuperbus Pelagius aſtruebat: Dixit enim quod homo ſolius liberi arbitrij viribus poteſt perficere Dei mandata; ſicut || *tertio* primi plenius recitatur: in fine quoque libri Beati Proſperi pro prædicatoribus gratiæ Dei contra Caſſianum, vbi recitantur 13. errores Pelagij; duo huius proferuntur, Non eſſe liberum arbitrium ſi Dei indigeret auxilio, quoniam in propria voluntate habet vnuſquiſque facere aliquid, aut non facere, & victoriam noſtram non eſſe ex Dei adiutorio, ſed ex libero arbitrio. Hoc idem teſtatur Concilium Mileuitanum, cui interfuit Auguſtinus & Anſelmus Eccleſiæ Romanæ legatus contra Pelagianos, in quo ſcribitur iſto modo. Placuit omnibus Epiſcopis qui fuerunt in hac ſancta Synodo, conſtituere hæc quæ in præſenti Concilio definita ſunt; & ſequitur; Placuit, vt qui dixerit gratiam Dei qua iuſtificamur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ iam commiſſa ſunt, non etiam ad adiutorium vt non committantur, anathema ſit, & recitatur in canone de Conſecratione diſt. 4. in fine. Vnde & Auguſtinus 1. contra Pelagium & Cæleſtinum, de gratia Chriſti, & de peccato Originali 23. ſcribit ita in libro ad virginem ſacram ſcilicet Demetriadem; cùm dicit diuinam mereamur gratiam, vt facilius nequam ſpiritui, Sancti Spiritus auxilio reſiſtamus, ſignificat profectò quid ſapiat; vt quid enim hoc verbum interpoſuit, illud eſt facilius? an verò non erat integer ſenſus vt nequam ſpiritui, Sancti Spiritus auxilio reſiſtamus? ſed quantum detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat? Volens vtique credi tantas eſſe naturæ vires, quas extollendo præcipitat, vt etiam ſine auxilio Spiritus Sancti, & ſi minus facile, tamen aliquo modo nequam ſpiritui reſiſtatur. Iſte igitur error Pelagij, licet per iam dicta videatur deſtructus; poteſt tamen ex abundanti per alia aliter, & non inutiliter deſtrui & conuinci: Omnis namque temptatio vel excitat ad agendum prohibitum, vel retrahit ab agendo præceptum; quare & omnis temptatio propriè ſuperatur, vel à prohibito quieſcendo, vel præceptum agendo; Sed nullus poteſt agere ſine Deo agente, ſicut tertium, & quartum primi oſtendunt; nec aliquis poteſt ab agendo quieſcere ſine Deo quietem eius cauſando; ſi enim quieſcere ſit agere patet per prædicta; ſi verò ſit purè non agere, patet per 10um. & Corollaria 13i. primi libri. Item per 22um. primi, quemlibet temptatum Deus neceſſariò vel vult ſuperare temptationem, & tunc per 10um. eiuſdem inſuperabile auxilium fert temptato, vel non vult ipſum ſuperare, imò vult ipſum non ſuperare, & tunc per idem 10um. nullatenus ſuperabit. Vel arguatur hoc modo; Ponat falſarius temptatum temptationem ſine Dei auxilio ſuperare; tunc per 22um. primi, Deus habet actum voluntatis circa iſtud ſuperare: vel ergo volutionem vel nolutionem; ſi volutionem, ergo per 10um. primi inſuperabile auxilium dat temptato; ſi nolutionem, ergo per idem 10um. nullatenus ſuperat temptamentum. Aliter breuiùs, Temptatus ſuperat; verum eſt ergo temptatum ſuperare; quare & per Corollarium 22i. primi Deus vult illum ſuperare, &c. ſicut prius. Nec poteſt quis fingere, quod temptatus prius naturaliter ſuperat, & ideo poſt naturaliter Deus vult ipſum ſuperare, ſicque illa diuina volutio non facit temptato auxilium, quia per 22um. & 24um. primi illa volutio eſt

|| 39°.

Auguſtinus

C D E

æterna

A æterna, & per vigesimum & vigesimum primum, eiusdem illa non causatur ab huius separare. Item talis victoria placet Deo, ergo approbat & vult illam, & non volutione nouella, nec causata posterius à tali victoria, vt proximo est argutum, sed priori illa æternaliter tempore & natura, vt decimum octauum primi cum tribus sequentibus manifestat: ergo per decimum primi ipsa est auxiliatrix insuperabilis superanti. Item alias non omnis temptati victoria esset à diuina prouidentia præstituta, sed aliqua dimitteretur casui & fortunæ contra vigesimum septimum primi, & alia quæ sequuntur. Item per trigesimum primum primi, victoria corporalis sub diuina prouidentia continetur, sed victoria spiritualis melior est quam illa, ergo per trigesimum primi, ista sine diuina prouidentia esse non potest. Item omnes rationes & autoritates probantes victoriam corporalem dari à Domino, probabunt idem de victoria spirituali: Omnia namque scripta de victorijs corporalibus in veteri testamento, spirituales victorias præfigurant: Nam secundum Apostolum primæ ad Cor 10. Omnia in figura

B contingebant illis, sicut trigesimum primum primi plenius pertractauit. Vnde & Gregorius, & allegatur in Canone 23. quæstione prima: Nisi bella, (sic ait) Nisi bella ista carnalia figuram bellorum spiritualium gererent; nunquam vt opinor Iudaicarum historiarum libri discipulis Christi, qui venit pacem docere, legendi in Ecclesiis fuissent ab Apostolis traditi. Item resistere maiori temptationi est maioris virtutis, & minori minoris, ergo quantumlibet paruæ resistere est alicuius virtutis: sed nulla virtus quicquam potest sine Domino virtutum, qui est virtutum omnium prima virtus, sicut 2um. 3um. & 4um. capitulum primi docent, quod & Psalmista fideliter protestando dicebat Psalmo 139. Domine, Domine, virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli; ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori; & Psalmo 59°. Da nobis Domine auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis; in Deo faciemus virtutem; & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos, qui & Psalmo 32°. magis expressè; Verbo, inquit, Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eo-

C rum; Vbi Augustinus tractatu primo per Cœlos intelligit iustos; & tractatu tertio ita dicit; Non habuerunt aliquid ex se, & tanquam supplementum à Domino perceperunt: Spiritu enim oris eius, non pars, sed omnis virtus eorum; & infra eodem tractatu tertio, dicit, quod Cœli sunt Apostoli, & loquens eis quasi ex persona Domini, ita dicit; Ecce ego mitto vos sicut oues inter lupos: Iam ergo armate vos virtute propria? Absit; imò nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis, quia spiritu oris eius omnis virtus eorum. Item cùm maioris virtutis & difficultatis existat magnæ temptationi resistere, quàm elicere paruum actum; si quis sine Dei auxilio potest hoc maius, potest & hoc minus, contra 3um. & 4um. Capitulum primi libri, & contra Augustinum proxime allegatum. Quare & Gregorius 22. Moral. 9 super illud Iob 31. Si lætatum est, &c. & osculatus sum manum meam, &c. Sancti, inquit, viri sciunt se non virtute propria, sed præueniente super- *Augustinus* *Gregorius.*

D na gratia ad meliora vota vel opera commutatos, & quicquid in se boni inspiciunt, immortalis gratiæ cognoscunt donũ, eique de accepto munere debitores fiunt, qui & præueniendo dedit eis bonũ velle, quod noluerunt; & subsequenter concessit bonum posse quod volunt. Vnde bene per Ioan. dicitur, Adorauerunt viuentem in sæcula sæculorum, mittentes coronas suas ante thronum Domini: Coronas namque suas ante thronum mittere est certaminum suorum victorias non sibi tribuere, sed autori; vt ad illum referant gloriam laudis, a quo se sciunt vires accepisse certaminis: Beatus ergo Iob qui sic bona quæ operatus est, narrat, vt tamen hęc suæ operationi non tribuat, sed ad Autoris laudem recurrat; manum suam ore suo se osculatum fuisse denegat; ac si patenter dicat; Ego mea opera tanquam mea non profero, quia Autoris sui gratiam negare conuincitur quisquis sibi tribuit, quod operatur: Vnde & protinus subdit, quæ est iniquitas maxima & negatio contra Deum altissimum. Liquet enim quia illum negat cuius despecta gratia sibi vires boni operis arrogat, quod rectè quoque & iniqui-

E tas maxima vocatur; quoniam omne peccatum quod ex infirmitate est, spem nequaquam perdit, quia à superno Iudice veniam requirit; præsumptio autem virtutis propriæ tanto grauius in desperatione est, quanto longiùs ab humilitate, cùmque vires sibi tribuit operis, ad adiutorium non recurrit Autoris. Quare & Augustinus super Ioannem parte prima, & homilia 53a. recitans duplicem hæresin ita scribit; Quosdam nimia voluntatis suæ fiducia extulit in superbiam, & quosdam nimia voluntatis suæ diffidentia deiecit in negligentiam: Illi dicunt, quid rogamus Deum ne vincamur temptatione, quod in nostra est potestate? isti dicunt, vt quid conamur bene viuere, quod in Dei est potestate? O Domine, O Pater qui es in cœlis ne nos inferas in quamlibet istarum temptationum, sed libera nos à malo: Audiamus Dominum dicentem, Rogaui pro te Petre, ne fides deficiat tua: Ne sic existimemus fidem *Augustinus.*

nostram esse in libero arbitrio, vt diuino non egeat adiutorio. Audiamus & Euangelistam A dicentem, dedit eis potestatem filios Dei fieri, ne omnino existimemus in nostra potestate non esse quod credimus; veruntamen in vtroque illius beneficia cognoscamus: Nam & agendæ gratiæ sunt, quia data est potestas, & orandum ne succumbat infirmitas. Ipsa est fides quæ per dilectionem operatur, sicut eius mensuram Dominus cuique partitus est, vt qui gloriatur, non in seipso, sed in Domino glorietur. Item si homo posset proprijs viribus sine gratia Dei & Deo temptationem aliquam superare, posset similiter peccata nondum commissa vitare, quod est hæresis Pelagiana teste Augustino, de gratia & libero arbitrio 29. Dicunt, inquit, scilicet Pelagiani, gratiam Dei quæ data est per fidem Iesu Christi, quæ neque est lex, nec natura, ad hoc tantum valere vt peccata præterita dimittantur, non vt futura vitentur, vel repugnantia superentur: sed hoc si verum esset, vtique in oratione Dominica cùm dixissemus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, non adderemus, Et ne nos inferas in temptationem: Illud autem dicimus vt peccata dimittantur, hoc autem vt caueantur, siue vincantur, quod à Patre, qui in cœlis est, nulla ratione peteremus, si virtute B voluntatis humanæ hoc possemus efficere: Et 6°. contra Iulianum, 26. Verum tu à vestro dogmate non recedis, quo putatis gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, sic in sola remissione peccatorum versari, vt non adiuuet ad vitanda peccata, desideria vincenda carnalia, diffundendo charitatem in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui ab illo datus est nobis. Concilium quoque Mileuitanum recitatum superius dicit idem: Et siquis dixerit, ista debere sic accipi, quod per gratiam facilius possunt vitari peccata, conuincitur per idem Concilium, & per alia testimonia satis authentica recitata 39°. primi. Si autem quis finxerit, ideo gratiam esse necessariam ad vitanda peccata, quia facit hominem cognoscere peccata, & discernere inter peccata & non peccata, qua discretione per gratiam habita, per liberum arbitrium potest ea vitare, reuincitur per idem Concilium, & alia testimonia eodem 39°. capitulo recitata. Adhuc autem fortassè aliquis tam effronter proteruiet vt dicat gratiam quæ est necessaria ad vitandum peccata esse liberum arbitrium homini gratis datum, vt C sciat reprobare malum, & eligere sibi bonum: Sed & iste Pelagianus refellitur per præhabita, capitulo memorato. Ampliùs præter istas est alia falsigraphia quæ sibi videtur subtilior, asserens tantum illam gratiam Dei necessariam homini ad vitanda peccata, qua sic temperat temptatoris potentiam, vt non permittat ipsum temptare quemcunque supra id quod potest proprijs viribus sustinere: Hæc autem subtilitas hæreticæ vanitatis statim retunditur malleo catholicæ veritatis. Supponit enim quod aliqua causa inferior, vel secunda posset necessitare liberum arbitrium ad volendum contra 3um. huius 2i. Item tunc liberum arbitrium posset esse ex naturalibus suis tam potens, & temptator tam impotens, quod ista gratia nullatenus indigeret, quia quantumcunque Deus || *ipsum* dimiserit effrenatum, liberum arbitrium viribus proprijs vires illius excederet; quare sic temptatus ad superandam temptationem huiusmodi, & minorem quamcunque nulla Dei gratia penitus indigeret, contra præmissa hoc eodem Capitulo. Item Christus secundum animam humanā excellebat in naturalibus, vt rationabiliter D creditur, excellentissimum Angelorum; & similiter beata virgo gloriosissima mater eius, & forsitan aliquis alius, nec dubium quin Deus posset talem creare; posset ergo beata virgo & talis creatus forsitan vel creandus omnem Diabolum proprijs viribus sine aliqua gratia superare, quare & mundum & carnem facilius: Non enim est super terram potestas quæ comparetur ei, Iob 41. Item iste fuit implicitè error Pelagij, & explicitè cuiusdam Pelagiani, scilicet Cassiani in libro suo prænotato de protectione Dei, in quo sicut recitat sanctus Prosper in libro suo pro prædicatoribus gratiæ Dei, contra dictum librum Cassiani, 25. 12. definitiones ponebat, quarum tantum prima fuit catholica, reliquæ verò vndecim hæreticæ & Pelagiano veneno prægnantes, in quarum decima vt recitatur Capitulo eodem 25. & 20. ita scripsit; Quod etiam in Iob probatissimo athleta suo, cùm eum Diabolus expetisset ad singulare certamen, diuinam legimus prouidisse iustitiam; Si enim contra inimicum non sua virtute sed Dei solius fuisset gratia protegente congressus, & absque vlla virtute patientiæ suæ, diuina E tantum opitulatione suffultus, multiplices illas & tota inimici crudelitate quæsitas temptationum moles & exitia pertulisset, quomodo non illam calumniosam diabolus quam prius emiserat vocem aduersus eum iustiùs iterasset, Nunquid Iob gratis colit Deum? Nonne tu vallasti eum, & vniuersam substantiam eius per circuitum? Sed aufer manum tuam; hoc est sine eum suis mecum viribus decertare, nisi in faciem tuam benedixerit tibi: sed cùm nullam huiusmodi quæremoniam calumniosus hostis post conflictum audeat iterare, non Dei sed illius se victum viribus confitetur, licet etiam Dei gratia non in totum defuisse credenda sit, quę tantam temptatori tribuit potestatem, quantam & illum resistendi nouerat habere virtutem, non

Augustinus.

Concil. Mileuit.

Responsio 2a.

|| spiritum

Prosper.

A non eum ab illius impugnatione sic protegens, vt nullum virtuti humanæ relinqueret locum, sed hoc tantum procurans, ne violentissimus inimicus animam eius amentem faciens, & impotem sensu, impari eum, atque iniquo certaminis pondere prægrauaret. Contra quem Prosper eodem capitulo 20°. multis oppositis inter cætera ita quærit; Cur inuictissimæ veritatis arce deserta, gradatim ad præcipitia Pelagiana decurris, vt remoto longiùs Deo, & à sustentatione hominis separato, tantam libero arbitrio potentiam tribuis, vt non solum amissionem multiplicium facultatum, & totius simul familiæ ac necessitudinum acerbissimum finem constanter æquanimiterque suscipiat, sed & ipsius quoque corporis proprij ineffabiles cruciatus proposito nudæ voluntatis euincat: Quicunque ergo sic dixerit præcipitio Pelagiano dilabitur. Item arguit contra eum quia dixit Iob gratia Dei protectum in temptatione minori, scilicet in amissione exteriorum bonorum, & non in maiori, scilicet in afflictione proprij corporis, animæque tormentis; quasi, inquiens, vir ille in damnis atque orbitatibus Prosper.
B debuerit superna protectione circumtegi; in carnis autem suæ animæque tormentis non eguerit adiuuari. Et iterum, si magnitudine animi, qua illata per singulos omnesque artus tot mortium pœna non superat nihil plus inter sanctorum palmas memorabilius, nihil inuenitur illustrius, eamque asserit ex humana tantum virtute subsistere; quid erit laudis ac meriti quod inter studia quietis & pacis nequeat arbitrij obtinere libertas, quam in tanti fine certaminis de suis viribus coronasti. Item arguit contra eum, quod habuit gratiam Dei qua vicit, quia habuit Spiritum Sanctum & Deum quo vicit: Vnde sic dicit; Quæro ergo abs te, videaturne tibi vir iste, cùm illis quæ legimus supplicijs probaretur, habuisse in se Spiritum Sanctum? si habuisse dicis, certum est, quia Deus quem non deseruit, adiuuit; si autem recessisse ab eo Spiritum Sanctum dixeris, propheticus te eiusdem sermo conuincit dicens; Scio enim quod redemptor meus viuat, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum, Circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, quem visurus
C sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: Reposita est hæc spes mea in sinu meo: quod si de Incarnatione Domini nostri Iesu Christi, ac resurrectione eius qui est primitiæ dormientium, & de spe redēptionis quæ in ipso reposita est omnibus sanctis, rectè intelligitur prophetatum, manifestè apparet non discessisse à templo suo gratiam Dei, & fecisse tam tunc dominium in hoc sancto suo, quod postea in Apostolis, & Martiribus suis spondebat esse faciendum, dicens; Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini; Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis: Et infra eodem ait, Nesciebat ex illo se habere quod habebat; sed ait, Apud ipsum est sapientia & fortitudo; ipse habet consilium & intelligentiam, de quo dicit, In cuius manu anima omnis viuentis, & spiritus vniuersæ carnis hominis: Et iterum, Operi manuum tuarum porrigis dexteram; tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis; signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti
D iniquitatem meam: Non ergo deseruerat Dominus quem curabat; neque opem suam abstulerat ab eo, cui purificatoria remedia quibus clariùs nitesceret, admouebat. Et capitulo 21°. quod autem dicis gratiam Dei ad Iob ex eo intelligendam non penitus recessisse, quod temptatori eius tantam dederat potestatem, quantam & illum resistendi nouerat habere virtutem; nonne rectius veraciusque loquereris, si vbi dixisti quantam & illum resistendi nouerat habere virtutem, diceres potiùs quantam & illi resistendi nouerat se dedisse virtutem: In eius enim verbi correctione totam istam gloriam, quam humanis viribus assignare voluisti, sobrietate aliqua temperares; vt illa mirabilis in tanta afflictione patientia, & Dei adiutorio, & libero hominis ascriberetur arbitrio; sed veritus es naturæ humanæ minuere laudem, si ei profitearis à Deo datam esse virtutem: Ideo conflictus illius atque victoriæ non vis credi Deum cooperatorem fuisse, sed tantummodo spectatorem, vt cui persuadere potueris per naturalem liberi arbitrij facultatem tam arduum certamen victum, dubitare non audeat in leuio-
E ribus causis, multo liberiores esse bonæ voluntatis effectus, atque ita in illius damnatæ sententiæ foueam cadat, qua dicitur à Deo nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, &c. sicut 39. primi plenius recitauit. Et 25°. capitulo recitata ista 10ª. definitione Cassiani, Prosper ipsam redarguendo subiungit; Si Deus sciuit tantummodo quod Iob posset, non etiam donauit, vt posset, testis patientiæ eius non auxiliator fuit, & in quo erit necessarium gratiæ adiutorium, si humanis solis viribus tanta illi est parta victoria? Item in fine libri, vbi recitantur 13ª. capita Pelagiani hæretici in Palæstina synodo condemnata; istud ponitur 12um. victoriam nostram non esse ex Dei adiutorio, sed ex libero arbitrio: Tredecim verò capitulorum sequentium contra prædicta 13. condemnata, in eadem synodo sancitorum 12um. ita dicit, vt fatea-

tur

tur quando contra temptationes concupiſcentiaſque illicitas dimicamus, quamuis illic debeamus & propriam voluntatem, non tamen ex illa, ſed ex adiutorio Dei noſtri victoriam: Non enim aliter verum erit, quod Apoſtolus ait, Non volentis, nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Dicit adhuc forſitan Pelagij procurator, præmiſſa ſic debere intelligi, quod gratia Dei eſt neceſſaria homini vt temptatio meritoriè ſuperetur, & peccatum meritoriè caueatur, non autem vt temptatio ſuperetur ſimpliciter, vt peccatum ſimpliciter caueatur: qui refelletur ſimiliter, ſicut ſimilem vaniloquum refellebat 39^{um}. primi. Item quomodo euadet iſte ſententiam Palæſtinæ ſynodi memoratam, in qua præter illa quæ quomodo potuit, auſus eſt defendere Pelagius, obiecta ſunt ſibi, 13. capita memorata damnata, quæ niſi remota omni tergiuerſatione anathematiſet, ipſe anathema factus eſſet, & quomodo iſte ſe ab omni tergiuerſatione purgabit? Et de 13. capitulis memoratis ſancitis, ſic dicitur; Hæc omnia ſimpliciter ſine vllis fateatur ambagibus, ſi quis in autoritatem catholicam & ipſius Pelagij expreſſa in Eccleſiaſticis geſtis verba conſentit: ſed quomodo iſte hæc fatetur ſimpliciter, B & ſine vllis ambagibus, qui diffitetur & negat ſimpliciter duodecimum capitulum iam præmiſſum, ſcilicet quando contra temptationes & concupiſcentias dimicamus, non ex propria voluntate, ſed ex adiutorio Dei noſtri eſſe victoriam? & vix cum ambage extraneæ gloſſæ omni intellectui diſſonæ confitetur, quod victoria temptationum meritoria eſt à Deo, cùm neutrum capitulum nec damnatum ſcilicet, nec ſancitum aliquam mentionem fecerit de victoria meritoria, ſed tantum planè loquebatur de victoria abſolutè: Nec ille eſt communis modus loquendi nec intelligendi, ſed ſicut eſt communis loquutio de victoria abſolutè, ſic eſt & communis intellectio de victoria abſolutè, quare & ſic accipiendæ ſunt huiuſmodi dicta ſemper, ſicut plenius docuit quadrageſimum ſextum primi. Item ſi aliquis ſine gratia poteſt temptationem proprijs tantum viribus ſuperare, licet non meritoriè, ſic poſſet in gratia conſtitutus (Gratia enim non impedit naturam ſed promouet) poſſet ergo gratioſus ſine gratia vel Deo iuuante proprijs tantum viribus temptationes ſuperare, ſicut prius potuit, C quando fuit gratia deſtitutus, vel ſicut poteſt alius gratia Dei carens: Poſſet ergo gratioſus omnia pati & facere pro temptationibus ſuperandis & peccatis vitandis nihil penitus promerendo cum abſurditatibus alijs contra ſimilem fictionem deductis 39°. primi. Item tunc poſſet homo ſine gratia ſaltem non meritoriè vitare peccatum quod eſt contra Auguſtinum de gratia & libero arbitrio 23. vbi dicit, Quando cognoſcit homo peccatum, ſi non adiuuet gratia vt cognitum caueatur, ſine dubio lex iram operatur, ergo & peccatum, imò ſecundum Apoſtolum 2. ad Cor. 3. litera occidit, ſpiritus autem viuificat, id eſt, ſecundum Auguſtinum per totum librum ſuum de ſpiritu & litera qui totus eſt expoſitorius huius dicti, litera legis prohibens peccatum, occidit per peccatum mortale conſtitutum ſub lege niſi ſpiritus gratiæ viuificans iuuet eum: Vnde idem Apoſtolus ad Rom. 7. Peccatum, vt appareat peccatum per bonum, id eſt, legem, operatum eſt mihi mortem, vt fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum. Vnde Auguſtinus de ſpiritu & litera 3. Attende, inquit, Apoſt. D ad Rom. explicantem quod ſcripſit ad Corint. Litera occidit, ſpiritus autem viuificat, ſic magis accipiendum, quemadmodum ſupradiximus; quoniam legis litera, quæ docet non eſſe peccandum, ſi ſpiritus viuificans deſit, occidit: ſciri enim facit peccatum potius quã caueri, & ideo magis augeri quàm minui, quia malæ concupiſcentiæ etiam præuaricatio legis accidit, & idem dicit 256. propoſitione ſententiarũ Proſperi hinc excerpta. Item Bern. de gratia & libero arbitrio 20. Inter diuinum ſpiritum & carnis appetitum, tenet medium quendam locum liberum arbitrium, & tanquam in deuexo latere montis admodum ardui inter vtrumque pendens, ita in appetitu, infirmatur per carnem, vt niſi ſedulò ſpiritus adiuuet infirmitatem eius per gratiam, non ſolum non valeat iuſtitiæ, quæ eſt iuxta Prophetam ſicut montes Dei, aſcendendo de virtute in virtutem apprehendere culmen, ſed etiam de vitio ſemper in vitium ſuo ipſius pondere deuoluta ruat in præceps: de multis autem ſimilibus ſufficiant iſta pauca.

Obiectio. Et ſi quis obijciat, quod ſuperbus temptatus de furto poteſt reſiſtere, fur temptatus de adulterio poteſt reſiſtere; adulter temptatus de homicidio poteſt reſiſtere, & quod multi infideles E ſicuti morales Philoſophi multis temptationibus ſine gratia reſtiterunt, & illas ſtrenuè ſuperarunt:

Reſponſio. Dicendum quod gratia accipitur multis modis; ſicut 25^{um}. & corollarium 42^{i}. primi docebant. Ad propoſitum autem cum dicitur, nullũm temptatum poſſe ſine gratia Dei temptationi reſiſtere, vel ipſam ſuperare, ſeu vincere; intelligitur gratia gratis iuuans, ſcilicet Spiritus Sanctus, & quodcunque adiutorium increatum vel creatum, quod gratis iuuat temptatum, vel gratis datur temptato vt temptationi reſiſtat, ſuperet, ſiue vincat; & hoc patet per illud, quod à beato Proſpero ſuperius allegaui. Probans enim quod Iob non proprijs viribus, ſed Dei gratia ſuperauit, oſtendit quod habuit Spiritum Sanctum in eo, qui ipſum

A ipſum adiuuit, & gratiam illam quandoque vocat Spiritum Sanctum iuuantem, quandoque gratiam Dei, quandoque adiutorium Dei, quandoque Deum ſeu Dominum adiuuantem,& vtitur his omnibus pro eodem; ſicque loquitur ſynodus Palæſtina in duobus capitibus allegatis: Damnat enim capitulum Pelagij, quod dicebat victoriam noſtram non eſſe ex Dei adiutorio, ſed ex libero arbitrio, & ſanxit aliud capitulum quo docemur, quod quando contra temptationes & concupiſcentias illicitas dimicamus, non ex propria voluntate, ſed ex adiutorio Dei noſtri victoriam. Item Auguſtinus de gratia & libero arbitrio 9. recitat ſcripturam liberum arbitrium ſic mouentem, Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum, & addit, Quod tamen vt fiat, adiuuat gratia, quæ niſi adiuuerit, nihil lex erit, niſi virtus peccati; Et ideo dicit Apoſtolus; Gratias autem Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ergo & victoria qua peccatum vincitur, nihil eſt aliud quàm donum Dei in iſto certamine liberum arbitrium adiuuantis. Sacra quoque Scriptura ſub tali- *Apoſtolus.*
B bus nominibus, adiutorium, fortitudo, virtus, firmamentum, ſalus, & huiuſmodi, quandoque intelligit ipſum Deum adiuuantem, fortificantem & cętera facientem quandoque verò non ipſum Deum, ſed talia dona Dei, ſicut de vtraque intelligentia ſimul Eccleſ. 34. pulchrè ſcribitur in hæc verba; Oculi Domini ſuper timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offenſionis, & adiutorium caſus, exaltans animam,& illuminans oculos, dans ſanitatem, & vitam, & benedictionem. Quod autem ſub talibus nominibus intelligantur talia dona Dei, patet copioſiſſimè in Scriptura; quod etiam ſub talibus nominibus intelligatur aliquoties Deus ipſe, patet per Pſalmiſtam Pſalmo 17. ſic dicentem; Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum & refugium meum, & cornu ſalutis meæ, & multa ſimilia occurrunt ſæpiſſime in Pſalmis, & alibi in Scriptura: & quia Deus tam multipliciter gratis ſe præbet hominibus,& tam multiplicia dona hominibus gratis donat, hæc omnia gratiæ nomine nun- *Eccleſiaſticus.* *Pſalmus.*
C cupantur. Patet ergo quod & quomodo nullus temptatus ſolius liberi arbitrij viribus ſine gratia Dei & eius auxilio poteſt temptationem aliquam ſuperare.

CAP. V.

Quod liberum arbitrium quantacunque gratia creata ſuffultum ſine alio Dei auxilio ſpeciali non poteſt temptationem aliquam ſuperare.

D His autem quid conuenientius quam monſtrare, quod liberum arbitrium quantacunque gratia creata ſuffultum ſine aliquo Dei auxilio ſpeciali, non poteſt temptationem aliquam ſuperare. Hoc ſiquidem euidenter demonſtrant proximè iam præmiſſa. Quod etiam clarè patet ex Corollario 41°. primi. Præterea, aliter viator reprobatus finaliter, præſentialiter tamen exiſtens in gratia quantacunque poſſet per ſe, ſine alio Dei auxilio ſuperare quamcunque temptationem de peccato mortali, vel aliquam certam datam quod ſi fecerit morietur in gratia, & erit prædeſtinatus ad vitam; ſicque aliquis reprobatus ad mortem poſſet ex operibus prædeſtinari ad vitam: imò & reprobatus poſſet facere ſe prædeſtinatum ad vitam contra 43um. primi libri. Hîc ſemel audiui quendam reſpondere dicendo, quod nullus poteſt facere ſe prædeſtinatum, poteſt tamen aliquis facere, quod ſit prædeſtinatus, id eſt, ſecundum eum poteſt facere aliquid quo facto ipſe prædeſtinatus erit ad vitam. Hæc autem reſponſio peccat in duobus; primò in hoc, quod nititur ſeparare, *Reſponſio.*
E quæ ſeparari non poſſunt, ſcilicet quod quis faciat ſe prædeſtinatum, & quod faciat, quod ſit prædeſtinatus: Si enim faciat quod ſit prædeſtinatus, hoc eſt per aliquod meritum quod eſt cauſa totalis, vel ſaltem partialis efficiens quod ſit prædeſtinatus, quia ſcilicet per illud meritum mouet & excitat Deum ad ipſum prædeſtinandum: ergo illud meritum eſt ſimilis cauſa efficiens, mouens & excitans ad ipſum eſſe prædeſtinatum, ergo ſimiliter efficit ſe prædeſtinatum, ergo ſimiliter facit ſe prædeſtinatum. Peccat ſecundò, dicendo quod quis poteſt facere quod ſit prædeſtinatus, id eſt, ſecundum eundem, poteſt facere aliquid quo facto ipſe erit prædeſtinatus: Nam ille ablatiuus quo facto, vel ſignificat ibi cauſam prædeſtinationis, vel ordinem prioris ad poſterius, vel nec cauſam, nec ordinem, ſed aliquid diſparatum; ſi cauſam, ergo factum ſuum eſt cauſa prædeſtinationis diuinæ contra 43um. primi libri; ſi ordinem,

dinem, ergo post illud factum est prædestinatus, & prius non fuit, ergo prædestinatio est temporalis, & quotidiana, non æterna contra quadragesimum secundum capitulum primi libri; si aliquid disparatum, ergo eadem ratione canis potest facere quod quis sit prædestinatus: Potest enim canis facere aliquid, vt latrare, quo facto aliquis homo erit prædestinatus, sicut æternaliter ante fuit. Hic adhuc respondit, dicendo diuisionem priorem esse insufficientem & addit quartum membrum, scilicet quod ille ablatiuus || *signat* ibi effectum prædestinationis, & hoc modo exposuit dictum suum; Aliquis potest facere quod sit prædestinatus, quia potest facere aliquid quo aliquid, quo facto ipse erit prædestinatus, id est, quo facto, sequitur tanquam ab effectu ad causam, & à posteriori ad prius quod ipse sit prædestinatus. Quare & consequenter dicendo habet concedere quod potest facere Deum esse, vel quod Deus sit, & mundum esse vel quod mundus sit: Potest enim facere aliquid quo facto sequitur sicut ab effectu ad causam, & à posteriori ad prius, Deum aut mundum esse, vel quod Deus sit aut mundus. Item eadem ratione haberet concedere, quod potest facere se prædestinatum, quia potest facere eius effectum. Si autem dicatur, quod ille ablatiuus est absolutus, & potest exponi tripliciter, scilicet per si, quia, vel dum, quare præmissa ratio non procedit, hoc faciliter excludetur, quoniam si exponatur per si, eadem ratione habet concedere, quod potest facere Deum esse, vel quòd Deus sit. Nam si ipse quicquam facit, sequitur Deum esse, & quod Deus sit, sicque omnis effectus posterior facit suam causam priorem esse, Nam si ille effectus est, illa causa est: Si autem exponatur per quia, sequitur opus suum esse causam suæ prædestinationis contra quadragesimum tertium primi libri: Si verò exponatur per dum, eadem ratione canis potest facere quod quis sit prædestinatus; Potest enim latrare, & dum ipse latrat aliquis est prædestinatus, sicque quodlibet operans facit seipsum esse & quodlibet aliud; facit enim aliquid, & dum facit illud, ipsummet est & quodlibet aliud. Item si quis potest facere vt sit prædestinatus, faciat; tunc illud facere est prius naturaliter quam vt sit prædestinatus; quia omne facere præcedit naturaliter suum factum quod falsum est: Quia quicunque nunc est, vel post erit prædestinatus, fuit prius æternaliter prædestinatus sicut quadragesimum secundum primi docebat. Item omnis factio est mutatio de contradictorio in contradictorium scilicet de non facto in factum; nam alias faciens faceret prius factum, & factum simul esset in termino à quo & in termino ad quem, sicque vanum esset mouere: * Patet quoque Philosophum 5. Phys. 7. & post; & 6. Phys. 32. & per Auerroem in comment: Qui ergo facit quod sit prædestinatus, prius fuit non prædestinatus & nunc est prædestinatus contra capitulum allegatum. Item si quis posset fortem temptationem proprijs viribus superare, posset similiter meritum suum augere (illud enim est difficultatis longè maioris) contra quadragesimum quartum primi. Item cum superare temptationem sit meritorium, posset temptatus per multiplicatas superationes proprijs viribus, sine Dei auxilio similiter multiplicare meritum suum, & virtutes, & acquirere sibi præmium vltra terminum diuinitus sibi præstitutum contra quadragesimum quartum primi. Item si gratus reprobatus temptatus posset ex se superare temtationem de peccato mortali, posset ex se mori in gratia, & saluari, quare posset ex se augere numerum electorum, vel vnitates illius numeri permutare, quod est contra præhabita 46. primi. Hic forsitan responderet Lumbardus, sicut respondet 1 sent. dist. 40. in hæc verba; respondemus ex ea ratione dictum esse, & verum esse numerum electorum non posse augeri vel minui, quia non potest vtrumque simul esse, scilicet vt aliquis saluetur & non sit prædestinatus, vel vt prædestinatus sit & damnetur. Sed ista expositio siue glossa nimis extraneatur à textu. Nam Sacra Scriptura, & sacri Doctores cùm dicunt numerum talium vel talium non posse augeri vel minui, intelligunt sicut Philosophi & Logici, & sicut cæterarum artium cæteri professores, & sicut communitas hominum intelligere semper solet, scilicet quod numero talium vel talium non potest apponi vlterius talis vnitas vel auferri; non quod aliqua eius vnitas simul sit talis, & non talis: sic & Dominus ipse videtur intellexisse Gen. 17. cum dicebat, Super Ismael quoque exaudiui te; ecce benedicam eum, & augebo & multiplicabo eum valde; non aliud volens intelligi nisi quod Ismael aliquem numerum hominum generaret, quem augeret apponendo multas similes vnitates, non autem quod aliquis simul esset Ismaelita, & non Ismaelita; quare & immediatè subiungit; Duodecim duces generabit, & faciam illum in gentem magnam; & Exod. 23. paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis, & possideas terram; & 1. Paralip. 21. Augeat Dominus populum suum in centuplum quàm sunt, & Psalmo 104. Auxit populum suum vehementer; & Act. 5. augebatur credentium multitudo; vbi nihil aliud datur intelligi, nisi quod numero siue multitudini credentium apponebantur aliæ similes vnitates scilicet credentium; non autem quod quis simul sit fidelis, & non credens, vel

Marginal notes: || significat; * vt; *Lumbardus.*; *Gen.*; *Exod*; *Paralip.*; *Psalmus.*; *Act.*

Margin letters: A, B, C, D, E

A vel credens & non fidelis. Imò secundum istam responsionem sequitur multitudo creden-
tium non posse augeri vel minui, quia non potest vtrumque simul esse, scilicet vt aliquis sit
fidelis & non credens, vel credens & non fidelis; & vlterius sequitur, quod numerus viuorũ
ac mortuorum, numerus virginum aut corruptarum non potest augeri vel minui: Nullus
enim potest simul esse viuus & mortuus, nec vlla simul virgo & corrupta; & ita de similibus
vniuersis; quare & habet dicere consequenter, quod nullorum numerus potest augeri vel mi-
nui propter similem rationem. Item sicut ipsemet dicit ibidem, in his & huiusmodi loquutio-
nibus, ex ratione dicti diiudicanda est sententia dictionis; ratio verò dicti Augustini de Cor- *Augustinus.*
reptione & gratia 61. scilicet, Prędestinatorum ita certus est numerus, vt non addatur ei quis-
quam, nec minuatur ab eis; & infra, eodem; Certus est numerus electorum; est ista quia
alius non est accepturus coronam, nisi iste perdiderit, iuxta illud Apoc. 3. Tene quod habes, *Apocal.*
ne alius accipiat coronam tuam, quod dictum cum sua ratione recitat ibi Lombardus: Cum *Lumbardus.*
B ergo hæc sit ratio Augustini; Nullus extra numerum electorum est accepturus coronam ni-
si aliquis de numero electorum suam perdiderit; ergo certus est numerus electorum, & in ra-
tione sua non intelligit aliud, nisi quod siquis electorum suam coronam perdiderit, alius ap-
ponetur loco suo, & coronam illius accipiet, non quod simul sit reprobatus, & prædestinatus,
aut saluandus & non prædestinatus, vel prædestinatus & non saluandus; ergo conclusio est
intelligenda similiter; scilicet, quod certus est numerus electorum nec augendus ita quod ali-
qua vnitas apponatur, nisi alia subtrahatur; nec minuendus ita quod aliqua vnitas subtraha-
tur nisi alia apponatur; non autem quod non possunt augeri vel minui, ita quod aliquis si-
mul esset prædestinatus & reprobatus. Eadem quoque videtur ratio dicti Iob 34. Conteret
multos & innumerabiles & stare faciet alios pro eis, & dicti beati Gregorij super illud, sicut
recitauit quadragesimum quartum primi, quare & eadem sententia dictionis. Item si Au-
gustinus intelligeret modo dicto, quid doceret vtile aut ignotum? Nullus enim catholicus,
C imò nec hæreticus sciens quid nominum dubitauit, an aliquis simul soluetur & non sit præ-
destinatus vel è contra. Nec ista verba, numerus electorum est certus, nec potest augeri vel
minui significat communiter iam modo dicto; sed quod numero electorum non potest addi
aliqua vnitas nec auferri: quare in doctrina Christiana debent accipi isto modo, vt quadra-
gesimum tertium primi docet. Item ista responsio Lumbardi habet pro eodem, numerum
electorum posse augeri vel minui & prædestinatum posse damnari, vel reprobum posse salua-
ri, sicut patet volentibus legere passum illum, quæ tamen veraciter non sunt idem: Potest e-
nim quis imaginari faciliter quod A qui est prædestinatus possit damnari, & B qui est repro-
batus possit saluari absque hoc quod numerus electorum, vel etiam reproborum possit au-
geri vel minui; per hoc scilicet, quod A coronam suam amitteret, & B ipsam acciperet, iuxta
dictum Angeli Apoc. 3. & per hoc, quod A contereretur, & B restitueretur pro eo, iuxta di-
ctum Iob 34. sicut etiam non est idem, numerum signorum super horizontem posse augeri
D vel minui, & aliquod signum super horizontem posse occidere, vel aliquod signum sub ho-
rizonte posse oriri: talis enim occasus vel ortus est possibilis, imò & necessarius; augmentum
verò vel decrementum signorum super horizontem est impossibile: Semper enim necessa-
rio sunt tantum sex signa super horizontem, & necessario tantum reliqua sex sub illo, sicut in
alijs libris demonstratur, semperque sicut vnum occidit, aliud oritur, & è contra. Item ista
responsio non euacuat argumentum, quia signatus reprobatus potest per se superare tempta-
tionem de peccato mortali, & mori in gratia; potest hoc facere nullo prædestinato cadente
nec casuro; ergo ad communem modum loquendi sacræ Scripturæ, & Doctorum prædicto-
rum; ipse potest augere numerum electorum contra allegata 44°. primi: Ponatur enim
quod numerus electorum præstitutus à Deo sit septem, & parum ante iudicium finale sint
sex saltem, & sint A B duo viatores in gratia; A prædestinatus, B verò reprobatus, nec sint
plures, & temptentur similiter: Si ergo B posset ex gratia sua & seipso sine alio Dei auxilio su-
E perare finaliter omnem temptationem de peccato mortali, & faciat; non propter hoc coge-
tur A ad peccandum finaliter & ad mortem; imò potest similiter superare, quod si faciat, erit
numerus electorum octo: ergo B potest augere numerum electorum. Ad idem potest ex-
pressius argui, si ponatur parum ante iudicium numerum electorum esse completum, & A in
gratia viatorem reprobatum temptatum, &c. sicut prius. Et si quis concesserit numerum *2ª. Responsio*
electorum posse augeri vel minui modo dicto, habet contra eum allegata superius
44° primi Item si possit augeri, ponatur in esse, tunc numerus electorum augetur, ergo
prius fuit minor quàm sit modo, quod falsum est, quia quantuscunque nunc est, tantus fuit æ-
ternaliter præstitutus & prædestinatus à Deo futurus, vt 23^{um}. & 42^{um}. primi docebant. Item
si electorum & prædestinatorum numerus augeatur, hoc est per appositionem alicuius vnita-
tis,

tis, quæ sit A; ergo A est nunc de isto numero & prius non fuit: ergo A nunc est electus & A
prædestinatus, & priùs non fuit, contra capita memorata. Quare forsitan aliquis subtilius
3ª. Responsio. respondebit, dicendo numerum electorum non posse augeri vel minui, sed posse esse maiorem vel minorem, quàm præfuit, vel sit modo, cùm tamen vnum videatur inferre oppositum alterius, & è contra; Videtur quoque si talis numerus posit esse maior, quod posset fieri maior per oppositionem alicuius vnitatis, &c. sicut prius. Item tunc aliquis, puta B qui non est prædestinatus, posset esse prædestinatus remanentibus omnibus alijs prædestinatis, vt prius contra illud Apoc. 3. Tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam; vbi significatur expressè secundum expositionem Augustini, & Gregorij recitatam, quod alius non est accepturus coronam electionis, aut prædestinationis diuinæ, nisi iste vel alius sibi similis suam perdiderit. Et simili ratione, aliquis sicut A qui est prædestinatus, posset reprobari manentibus omnibus reprobis, sicut prius; contra illud Iob 34. Conteret multos & innumerabiles & stare faciet alios pro eis, & contra beatum Gregorium super illud. Item tunc nu- B
merus electorum posset esse maior vel minor, perfectus vel imperfectus, abundans vel diminutus contra rationem Anselmi & Augustini recitatam, 44°. primi. Item tunc numerus electorum posset esse maior vel minor, quasi in omni specie numeri saltem finiti, ergo non est aliter definitus & certus, nisi sic quod est finitus: cur ergo Scriptura sacra & doctores tantum laborant inaniter ad ostendendum quod ille numerus est definitus & certus, si nihil aliud intelligant nisi quod est finitus, non autem præcisè tantus aut tantus; cùm hoc nulli sit dubium, nec vtile ad sciendum, quare nec docendum, vt quadragesimum tertium primi docet? Cur etiam dixit Augustinus verborum subtilissimus ponderator, prædestinatorum ita certus est numerus, vt non addatur eis quisquam nec minuatur ab eis, si nihil aliud intelligi voluit nisi quod numerus prædestinatorum est ita certus, quod non addatur eis quisquam nec minuatur ab eis de facto, sicut est de omni alio numero quorumcunque numeratorum: Nam quælibet numerata aliquo certo numero continentur, ita quod de facto non addatur eis quicquam C
simile, nec minuatur ab eis, quia tunc essent in alio numero non in illo: Ad quid ergo tam sollicitè docuit, & per loca Scripturæ tam studiosè probauit specialiter ergo sic esse de numero electorum, cum hoc sit generaliter verum de quolibet numero quorumcunque, & sine autoritate scripturæ aut alia probatione quacunque notis terminis satis notum? Item tunc numerus electorum dependeret à voluntatibus hominum, scilicet à meritis eorum futuris bonis vel malis; sed secundũ ponentes hominem posse ex se sine Deo superare temptationem, & elicere bonum velle, tales hominum voluntates sunt simpliciter ad vtrumlibet contingentes, & respectu Dei penitus casuales, quia præter suum propositum accidentes, & quod fit à contingenti seu casuali est contingens seu casuale similiter vt patet ex 29°. primi, ergo numerus electorum est contingens ad vtrumlibet & casualis, ergò non est definitus & certus, contra superius allegata. Item secundum istud numerus electorum non esset præordinatus à Deo, sed relictus contingentibus voluntatibus hominum, casui, & fortunæ, contra superius allegata, & D
specialiter contra illud Sap. 11. Omnia in mensura, numero & pondere disposuisti, quia secundum data, homines magis disponunt electos & prædestinatos in numero, quam faciat Deus ipse: Nam antecedenter & causaliter quia homines disponunt voluntates suas hoc modo vel illo, ideo Deus subseruienter & subexecutiuè disponit numerum electorum tantum vel tantum. Item si homo posset ex se superare tentationem quamlibet sine Deo, vanum esset orare Deum vt tentationem aliquam superaret, vanum esset pro tentationis victoria gratias agere Domino Deo nostro, vt docent quadragesimum quartum & trigesimum primum primi, quod quicunque concesserit, nedum vanus, sed & prophanus hæreticus ab omnibus
Philosophus. est habendus, cùm etiam ethnicus ille Philosophus 1. partis secret. secretorum 1. pro Alexandro, sic oret; Dominus custodiat te ab omni opere inhonesto; cùm & tota Ecclesia Christiana secundum doctrinam capitis sui Christi, non vanè, sed sanè Patrem suum qui est in cœlis, sic orent, Ne nos inducas in tentationem, vt patet Matth. 6. & Luc. 11. Idemque Magister præcepit discipulis suis, dicens, Vigilate, & orate ne intretis in tentationem, Marc. 14. E
& Luc. 22. Et si quis non erubuerit fingere allegata intelligi de magnis tentationibus, sed quod paruas potest homo vincere per seipsum, conuincitur per Philosophum vbi prius. Cur etiam non docuit Christus sic orare, Ne nos inducas in magnam tentationem, sed simpliciter, Ne nos inducas in tentationem, nisi quia de omni tentatione hoc volebat intelligi? & quis tam præsumptuosus & fatuus, vt ipsum super fatuitate orationis argueret qui Patrem cœlestem oraret ne ipsum in aliquam omnino tentationem induceret, magnam, aut paruam, cùm tota Ecclesia ipsum sic oret, ab omni malo libera nos Domine; & iterum, Concede quæsumus omnipotens Deus Sanctum nos Spiritum votis promereri sedulis, quatenus eius gra-

A gratia ab omnibus liberemur tentationibus; & iterum, Ductore sic te præuio, vitemus omne noxium; & iterum, Omnipotens & misericors Deus, vniuersa nobis aduersantia propitiatus exclude, cum multis similibus multis locis? Et hoc est quod Apostolus ad Rom. 8. fideliter profitetur, Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? sicut scriptum est, quoniam propter te mortificamur tota die; æstimati sumus sicut oues occisionis; sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos; non dicit, in aliquibus, sed, in his omnibus superamus, & hoc sicut dicit Glossa, non propter nos, sed propter eum qui dilexit nos. Aug. verò de gratia & libero arbitrio 17. & 37. & Prosper contra Cassianum 21. allegant eandem autoritatem ad eandem conclusionem probandã, non cum ista præpositione (propter) sed (per) sed in his omnibus, superuincimus, dicit Augustinus; superamus, dicit Prosper; & ambo, per eum qui dilexit nos. Quis etiam tam ingratus vt Deo non referat gratias cùm vicerit tentamentum? *Apostolus.* *Augustinus.* *Prosper.*

B & si quis sit talis audiat Apostolum 1. ad Cor. 15. sic dicentem, Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam, per Dominum nostrum Iesum Christum; & 2. ad Cor. 2. Deo autem gratias qui semper triumphat nos in Christo Iesu; Audiat & Psalmistam Psalmo 65. dicentem, Benedicite gentes Deum nostrum, & auditam facite vocem laudis eius, qui posuit animam meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos, id est, affectus & amores meos; sed illud commune Augustini, Pes meus, amor meus, illo feror quocunque feror: Qui & de libertate arbitrij ad Hilarium 4. dicit, Animus velut pondere amore fertur, quocunque fertur; & 11. de ciuitate Dei 28. ita corpus pondere sicut animus amore fertur, quocunque fertur. Vbi Psalmista Dominum benedicit & quia posuit animam suam de morte culpæ ad vitam gratiæ, & quia non dedit eam per affectus aliquos vel amores à gratia commoueri ad culpam. Audiant etiam Machabæos, qui in hymnis & confessionibus benedicebant Dominum qui magna fecit in Israel, & victoriam dedit illis 2. Machab. 10. audiat inquam talis, & *Apostolus.* *Psalmus.* *Augustinus pes, est amor* *Machabæi.*

C non minus gratè referat gratias Domino pro victoria spirituali, quàm ipsi retulerant pro victoria corporali. Amplius autem proportionaliter se habere videntur fortitudo corporalis ad victoriam corporalem; & fortitudo spiritualis, scilicet gratia, ad victoriam spiritualem; sed ex sola fortitudine corporali sine Deo iuuante non prouenit victoria corporalis, sicut probat 31^{um}. primi; quare nec ex fortitudine spirituali seu gratia sine Deo iuuante victoria spiritualis poterat prouenire: Vnde & 1. Reg. 2. sic scribitur, Pedes Sanctorum suorum seruabit, & impij in tenebris conticescent, quia non in fortitudine sua roborabitur vir; & Psalmo 32. Non saluatur Rex per multam virtutem, & Gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ: fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non saluabitur: In quo ergo? in eo quod sequitur; Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius. Ad quem effectum? ad eum qui sequitur, vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame: Dicant ergo & verè dicant corde & ore omnes Catholici versum sequen- *Reg.* *Psalmus.*

D tem; Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adiutor & protector noster est, ita quod non sit quisquam de quo veraciter possit dici; Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorium suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, in multitudine scilicet, seu magnitudine virtutum suarum, Psalmo 51. Nec sint, qui Deo dicant cum impijs, Recede à nobis Iob 21. sed dicat quilibet cum Psalmista, Adiutor meus esto Domine, ne derelinquas me, Psalmo 26. Vnde Aug. de Correptione & gratia 3. In bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit, Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis, nec ita vt cùm quisque fuerit à peccati damnatione liberatus, iam non indigeat sui liberatoris auxilio, sed ita potiùs vt ab illo audiens, Sine me nil potestis facere; Dicat ei & ipse, Adiutor meus esto, ne derelinquas. Idem de perfectione iustitiæ hominum 33. Deo dicitur, Adiutor meus esto ne derelinquas me; Non vtique ad corporalia capessenda, & mala cauenda, sed ad gerendam perficiendamque iustitiam; propter quod dicimus, Ne nos || *inferas* in tentationem, *Augustinus* || inducas.

E sed libera nos à malo. Nec adiuuatur, nisi qui & ipse aliquid agit; adiuuatur autem si inuocat, si credit, si secundum propositum vocatus est: Currimus ergo cum proficimus, dum sanitas nostra in proficientibus currit, vt ex omni parte perfecti, sine vlla sinus omnino infirmitate peccati; quod non solum vult Deus, verum etiam vt impleatur facit atque adiuuat; & hoc nobiscum agit gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, non solum preceptis, sacramentis, exemplis, sed etiam Spiritu Sancto per quem latenter diffunditur charitas in cordibus nostris; & supra eodem 21. ostendit quomodo Dei præcepta sint grauia, & quomodo leuia, & dicit quod grauia sunt timenti, leuia sunt amanti. Vnde sic ait, Laborant in Dei præceptis qui ea timendo conantur implere, sed perfecta charitas foras mittit timorem, & facit præcepti sarcinam leuem, non solum non præmentem onere ponderum, verumetiam sub-

leuantem vice pennarum, quæ tamen charitas vt habeatur etiam tanta, quanta in corpore A
mortis huius haberi potest, parum est nostræ voluntatis arbitrium, nisi adiuuet gratia Dei
per Iesum Christum Dominum nostrum: Diffunditur quippe in cordibus nostris, quod sæ-
pè dicendum est, non per nosipsos, sed per Spiritum Sanctum qui datus est nobis: qui enim
dicit, Fiat cor meum immaculatum, & itinera mea dirige secundum verbum tuum, & non
|| iniquitas; dominetur mei omnis || *iniustitia*; & Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra, & Ne nos in-
feras in tentationem, &c. huiusmodi; hoc vtique orat vt præcepta Dei faciat, quæ vt fierent
nec iuberentur si nil ibi nostra voluntas ageret, nec oraretur, si sola sufficeret. Et capitulo 22°.
debent commoneri charitati Dei non esse graue mandatum Dei, quæ non nisi per spiritum
diffunditur in cordibus nostris, non per arbitrium humanæ voluntatis, cui plus dando quàm
oportet, ignorant iustitiam Dei: Quantacunque ergo charitas habeatur, non sufficit liberum
arbitrium ad facienda Dei præcepta, quæ omnem concupiscentiam illicitam prohibent, &
consensum in omnem tentationem nefariam interdicunt: sed adhuc indiget auxilio Spiritus B
Sancti, per quem charitas diffundatur in eo ad talia facienda. Glossa quoque super illud Psal-
mi 32. Non saluatur Rex per multam virtutem, &c. ita dicit; Agit de spiritualibus: sicut
enim supra dixit, Quomodo fiant iusti, scilicet à Deo per gratiam, ita & hic dicit, Quod post-
quam facti sunt, ab eodem adiuuantur, & in bono conseruantur, quasi sic fiunt iusti, sed nec
facti sua virtute saluantur, quia non saluatur Rex, &c. Hoc idem posset ostendi per 42um. ca-
pitulum primi libri, vbi docetur, quod gratia seu charitas nihil agit, nisi quatenus à Spiritu
Augustinus Sancto dirigitur in agendo: Vnde Augustinus 5°. contra Iulianum 3. Quando, inquit,
Deo donante ex vera viuitur fide, ipse Deus adest & menti illuminandæ, & concupiscentiæ su-
perandæ & molestiæ perferendæ. Item si gratiosus posset omni tentationi resistere, vel hoc
esset per auxilium gratiæ, vel per liberum arbitrium suum tantum; si per auxilium gratiæ, hoc
esset quia gratia in illa resistentia aliquid ageret, aut moueret, vel fortificaret tentatum, aut
eius fortitudinem conseruaret, & quicquid horum gratia faciat, hoc sola non facit sed Deus C
per eam, sicut 2um. 3um. 4um. & 42um. capitula primi docent. Si per liberum arbitrium suum
tantum, ergo frustra datur sibi gratia ad hoc faciendum, nisi dicatur quod per gratiam hoc fa-
cilius faciat, quod erat superiùs reprobatum; imò tunc sequitur, quod homo sine gratia, vel
alio Dei auxilio qualicunque per liberum arbitrium suum tantum potest omni tentationi resi-
stere, & strenuè superare, quod superiùs est damnatum. Item aliquis habens paruam chari-
Augustinus. tatem, per illam sine alio Dei auxilio speciali tentationem superare non valet, dicente Augu-
stino de gratia & libero arbitrio 36. qui vult facere Dei mandatum, & non potest, iam qui-
dem habet voluntatem bonam, sed adhuc paruam & inualidam; poterit autem cùm magnam
habuerit & robustam: quando enim Martires illa magna mandata fecerunt, magna vtique vo-
luntate, hoc est magna charitate fecerunt; de qua charitate ipse Dominus ait, maiorem hac
charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat pro amicis suis. Ipsam charitatem A-
postolus Petrus nondũ habuit, quando timore ter Dominum negauit: Timor enim non est in D
Ioannes. charitate, sicut ait Ioannes Euangelista in Epistola sua; sed perfecta charitas foras mittit timo-
rem; & tamen quamuis parua & imperfecta non deerat, quando dicebat Domino, Animam
meam pro te ponam: Putabat enim se posse, quod se velle sentiebat. Item quamtamcunque
Augustinus. gratiam quis habeat, adhuc semper indiget auxilio Dei ne peccet. Vnde Augustinus de na-
tura & gratia 26. dicit, Medicus homo cum saluauerit hominem, iam de cætero sustentan-
dum elementis & alimentis corporalibus Deo dimittit: Ipse autem Deus cum spiritualiter sa-
nat ægrum vel mortuum, id est, iustificat impium, & eum ad perfectam sanitatem, hoc est ad
perfectam vitam iustitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, vt piè semper iusteque
viuatur; sicut enim oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adiutus non
potest cernere; sic & homo etiam perfectissimè iustificatus nisi æterna luce iustitiæ diuinitus
adiuuetur, rectè non potest viuere: Sanat ergo Deus non solum vt deleat quod peccauimus,
Augustinus. sed & præstat etiam ne peccemus. Et idem ostendit 8. super Genesin ad literam 19. pulchrè
multum & diffusè. Item si quis etiam in charitate sine Deo iuuante, posset resistere tentatio- E
ni, & faceret, ipse haberet magnum patientiæ meritum, & hoc à seipso, non à Deo, quod fal-
sum est; quia omne bonum non primum à primo bono descendit, & quia bona merita ipsis
Augustinus. merentibus prædestinantur à Deo, sicut trigesimum primum & 45. capitula primi docent; di-
citque Augustinus de gratia & libero arbitrio 16. Quoniam Pelagiani merita humana sic
Apostolus. prædicant vt ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissimè respondet Apostolus;
quis enim te discernit? Quid habes quod non accepisti? Si autem acceperis, quid gloriaris,
quasi non acceperis? prorsus talia cogitanti verissimè dicitur, Dona sua coronat Deus, non
merita tua, si tibi à teipso, non ab illo sunt merita: Hæc enim si talia sunt, mala sunt, quæ non
coronat

A coronat Deus; si autem bona sunt, Dei dona sunt; quia sicut dicit Iacobus, Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à patre luminum: Vnde dicit & Ioannes Domini nostri præcursor, non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum desuper, vtique de cœlo: Inde etiam venit Spiritus Sanctus; quando Iesus ascendit in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus; & sequitur capitulo 17. Si ergo dona Dei sunt bona merita tua, non Deus coronat merita tanquam merita tua, sed tanquam sua dona; qui & ad Sixtum Presbyterum vt recitat Lumbardus 2. sent. dist. 27. ita scribit; Cùm Deus coronat merita nostra, nil aliud coronat quam munera sua. Hanc quoque sententiam sacra Scriptura & eius sacri Doctores sæpissime contestantur: Vnde præter ea quæ superius fuerant allegata, Psalmista Psalmo 17. Deo dicit; quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum; glossa, in te & per te, non à me eripiar à tentatione diaboli: & Psalmo 90. Deus ipse cum ipso sum in tribulatione eripiam eum; & Ecclesia-
B stici 33. timenti Deum non occurrent mala, sed in tentatione Deus eum conseruabit, & liberabit à malis; & Iob 5. In sex tribulalationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum; & hoc est quod dicit Psalmus trigesimus tertius; Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus, & Psalmo 65. Qui posuit animam meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos; & Psalmo 24. Firmamentum est Dominus timentibus eum; & oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos, & Psalmo 93. Quis consurget mecum aduersus malignantes, aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem; nisi quia Dominus adiuuit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea: Si dicebam motus est pes meus, misericordia tua adiuuabat me; secundum numerum dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam; & Psalmo 103. Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate; auertente autem te faciem turbabuntur; auferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur:
C vbi glossa; Manus est potestas Dei, quæ abunde replet omnia, ergo aperiente te manum tuam, id est, potestatem tuam, omnia implebuntur bonitate; auertente autem te faciem, multi impleti bonitate Dei, sibi tribuerunt, quod habebant, & facti sunt sibi placentes; volens autem eos probare Deus, quod non à se habent sed à Deo, vt cum bonitate habeant humilitatem, aliquando eos perturbat; auertit ab eis faciem, & cadent in tentationem, & ita ostendit illis, quia quod iusti erant, & rectè ambulabant, eo regente fiebat. Et Psalmo 117. Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo; imò & ‖ *ego* despiciam inimicos meos: bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine, aut in principibus; omnes gentes circuierunt me, & in nomine Domini, quia vltus sum in eos, &c. talia. Impulsus & euersus sum vt caderem, & Dominus suscepit me, fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem; dextera Domini fecit virtutem, dextra Domini exaltauit me, & Psalmo 137. Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me, & super iram inimicorum meorum ‖ *extendes*
D manum tuam, & saluum me fecit dextra tua; & Psalmo 22. Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es; quem versum allegat Prosper contra Cassianum 21. ad eandem conclusionem probandam: & illud, Salus iustorum à Domino; & protector eorum est in tempore tribulationis, & illud Apostoli ad Rom 8. superius allegatum, & illud quod Christus dixit Petro Luc. 22. Ecce Satanas postulauit vt cribraret vos velut triticum; ego autem rogaui pro te Petre, ne fides deficiat tua; & immediatè subiungit, Quisquis in tribulationibus non deficit ab illo, se non dubitet adiuuari; ad quem quotidiè corda vniuersorum fidelium clamant, Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo; quoniam custodit Dominus animas Sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos; quod dictum Euangelicum recitat Augustinus de gratia & libero arbitrio 10. ad hoc idem. Item Iob 6. quæ est fortitudo mea vt sustineam, & infra 17. Libera me & pone iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me; sicut dicit Apostolus ad Rom. 8. Si Deus nobiscum, quis
E contra nos; & Psalmista vbi prius; si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Item Dominus ipse Iob 40. Iob dicebat, Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, & indica mihi; Nunquid irritum facies iudicium meum, & condemnabis me vt iustificeris? Si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas, circunda tibi decorem & in sublime erigere, & esto gloriosus; disperge superbos in furore tuo & respiciens omnem arrogantem humilia, & ego consiliabor quod saluare te possit dextera tua; quasi diceret, Si potes facere supra dicta, potest & tua dextera te saluare; sin autem non potest, quod patet per beatum Gregorium 32. Moral. 8. dicentem, cum qua hæc Dominus intentione præmiserit, fine subditæ quæstionis ostendit, dicens; Et ego consiliabor tibi quod saluare te possit dextera tua, ac si apertè diceret; Si potes terribilia hæc facere, ipse quæ protuli; tibi, & non mihi

Iacobus. *Ioannes.* *Lumbardus.* *Iob.* *Psalmus.* *Glossa.* ‖ eo ‖ extendisti *Psalmus.* *Prosper.* *Luc.* *Iob.* *Gregorius.*

mihi deputo omnia bona quæ fecisti; si verò peccantes alios respiciendo non potes perdere, A liquet quod à reatu nequitiæ tua te non vales virtute liberare. Ecce diuina voce ad B. Iob dicitur, quod sua virtute non saluetur, & tamen nonnulli hominum, qui ab huius viri viribus longe sunt, despecto Dei adiutorio, sua se fortitudine saluari posse confidunt. Item 1. ad Corinth. 10. dicit Apost. fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam prouentum, vt possitis sustinere; ex quo patet, quod si Deus cum tentatione prouentum non faceret, tentatus sustinere non posset: Vnde Augustinus de libertate Arbitrij ad Hilarium 2. sic ait; Valet itaque liberum arbitrium ad opera bona si diuinitus adiuuetur; Docet hoc ipsa Dominica oratio; Frustra enim Dominum rogantes dicimus, Ne nos inferas in tentationem, ne nos inferri deserendo permittas: Fidelis enim Deus ait Apostolus qui vos non permittit tentari super id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum vt possitis sustinere; vt quid hoc dixit ipsum Dominum facere, si hoc sine ipsius adiutorio in sola nostra potestate est? Nam & ipsa lex in hoc adiutorium data est illis, qui ea legitime vtuntur, vt per illam sciant, vel quid iustitiæ iam acceperant, vnde gratias agant, vel quid adhuc eis desit, quod instanter petant; qui autem sic audiunt, quod ait lex, Non concupisces, vt hoc, quod didicerunt, sufficere sibi arbitrantur, nec adiutorio gratiæ ad faciendum quod iussum est, dari sibi virtutem credunt & potentiam, ad hoc eis lex subintrauit, vt abundet delictum. Idem dicit idem Apostolus ad Rom. 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis; & ne crederemus hoc fieri spiritu nostro non Dei, continuò subiungebat; quicunque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Quare Beatus Augustinus de gratia & libero arbitrio 26. sic dicit; nec debetis in homine, hoc est in vobis ipsis, non in Domino gloriari, quando non secundum carnem viuitis, sed spiritu actiones carnis mortificatis; vt autem non se extollerent quibus ista dicebat, existimantes se suo spiritu tanta hæc bona opera facere posse, non Dei; propterea cùm dixisset, si autem spiritu actiones carnis mortificaueritis, viuetis; continuò subiecit; Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt: quando ergo spiritu facta carnis mortificaueritis, vt viuatis, illum glorificate, illum laudate, illi gratias agite, cuius spiritu agimini, vt ista valeatis, vt vos filios Dei esse monstretis; & eandem autoritatem Apostoli ad eundem sensum exponit de prædestinatione Sanctorum, 13. & 6. contra Iulianum 14. Item Sapientiæ 8. dicit Sapiens isto modo; Vt sciui quoniam non possum aliter esse continens nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapientia scire, cuius esset hoc donum; adij Dominum, & deprecatus sum illum; & Matth. 19. loquens Saluator de continentia virginali dicebat, Non omnes capiunt verbum istud; sed quibus datum est, & qui potest capere, capiat. Apostolus quoque 1. ad Cor. 7. loquens de continentia virginali, viduali, & coniugali, sic ait, volo autem omnes homines esse sicut memet ipsum, scilicet virginaliter continentem; sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius siquidem sic, alius verò sic: Ergo nullus potest ex se sine dono Dei virginaliter, vidualiter aut coniugaliter continere: Et ad istum sensum istas autoritates tractat Prosper contra Cassianum 22. & Augustinus de gratia & libero arbitrio 8. dicens, Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est; quibus enim non est datum, aut nolunt, aut non implent, quod volunt, ita vt hoc verbum, quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur, & Dei donũ est, & liberi arbitrij. De ipsa quoq; pudicitia coniugali, Apostolus ait; Quid vult, faciat; non peccat si nubat, & cùm hoc Dei donum est, dicente scriptura, à Domino iungitur mulier viro: Ideo Doctor gentium & pudicitiam coniugalem per quam non fiunt adulteria, & perfectiorem continentiam per quam nullus concubitus quæritur sermone suo commendans, & hoc & illud donum Dei esse monstrauit, scribens ad Corinthios & admonens coniuges ne se inuicem fraudent, quos cùm admonuisset, adiecit; Vellem autem omnes homines esse sicut meipsum, quia vtique ab omni concubitu continebat, & continuò subiunxit, sed vnusquisque proprium donum à Deo habet, alius sic, alius autem sic: Et sequitur nono capitulo, Nunquid tam multa quæ præcipiuntur in lege Dei, ne fornicationes & adulteria committantur; indicant aliud quam liberum arbitrium: Neque enim iuberentur nisi homo haberet propriam voluntatem, qua diuinis præceptis obediret, & tamen donum Dei est, sine quo seruari castitas præcepta non potest: Vndè ait ille in libro Sapientiæ; Cum scirem quia nemo esse potest continens nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia scire cuius esset hoc donum; vt autem ista non seruentur castitatis sancta mandata, vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus, vbi si dixerit, volo seruare, sed vincor à concupiscentia mea, mihi respondet Scriptura, Noli vinci à malo, sed vince in bono malum, quod tamen vt fiat, adiuuat gratia, quæ nisi adiuuerit, nihil lex erit, nisi virtus peccati: Augetur enim concupiscentia, & maiores vires accipit lege prohibente nisi adiuuerit spiritus gratiæ,

Apostolus. *Apostolus.* B C D E

A tiæ, & addit capitulo 10°. propter quod dicit & cælestis Magister, Vigilate & orate ne intretis in tentationem: Ergo vnusquisque contra suam concupiscentiam dimicans, oret ne intret in tentationem; Nemo autem intrat in tentationem, si voluntate bona vincat concupiscentiam malam, nec tamen sufficit arbitrium voluntatis humanæ, nisi à Domino victoria concedatur: Si enim dixisset Saluator, ‖ *Vigilate* ne intretis in tentationem, admonuisse tantummodo videretur hominis voluntatem; cùm verò addidit & orate, ostendit Deum adiuuare, ne intret in tentationem, & per eandem rationem probat 4. contra Iulianum 2. continentiam coniugalem esse donum Dei; & similiter cap. 3°. & 5°. contra Iulianum 15. Bene, inquit, discernis inter bonum minus coniugale, & bonum amplius continentiæ, sed tuum dogma non deseris inimicissimum gratiæ Dei: Dicis enim quod Deus continentiæ gloriam libertate electionis honorauerit, dicens, Qui potest capere, capiat; tanquam hæc capiatur, non Dei munere, sed arbitrij libertate; & taces, quod supra dixerat, non omnes capiunt hoc ‖ Vigiletis

B verbum, sed quibus datum est; vide quæ dicas, vide quæ taceas, & cap. vlt. Augustinus sic alloquitur Iulianum; quod vos dicitis, Christiana doctrina non dicit, id est vt verba tua ponam, hominem sufficere ingenitis sibi motibus scilicet, concupiscentiæ dare leges; hoc non dicimus, sed dicimus quod dixit Apost. cum hinc loqueretur, vnusquisq; proprium donum habet à Deo, & quod dixit Deus, sine me nihil potestis facere; & non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est, cum posset dicere non omnes capiunt verbum hoc, sed qui voluerunt, si verum est quod dicitis vos. Idem quoque de sancta virginitate 17. ita dicit, de ipsa continentia loquens; Apostolus ait, Volo autem omnes homines esse sicut meipsum, sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius sic, alius quidem sic: Quis ergo donat ista? Quis distribuit propria, vnicuique sicut vult? Nempe Deus, apud quem non est iniquitas; ac per hoc qua æquitate ille faciat alijs sic, alijs autē sic, homini nosse aut impossibile aut omnino difficile est, quin tamen æquitate faciat dubitare fas non est. Quid itaque habes quod non *Augustinus*

C accepisti? aut qua peruersitate minus diligis à quo amplius accepisti? Quapropter ‖ *hoc* possit indubitandæ humilitatis cogitatione, à se sibi putet esse Dei virgo, quod talis est, ac non potius hoc donum optimum descendere desuper à Patre luminum. Et 18. cap. probat idem per illud Sap. 8. superius allegatum; & infra, Quisquis ab initio pudicus permanet ab illo regitur, & quisquis ex impudico fit, ab illo corrigitur, & quisquis in finem impudicus est, ab illo deseritur, & quasi per totum illum librum conclusionem istam cum suis annexis ostendit, ipsomet dicente, 2. Retract. 23. Posteaquam scripsi de bono coniugali, expetebatur vt scriberem de sancta virginitate, nec distuli; at id Dei munus, & quàm magnum, & quanta humilitate custodiendum esse, vno sicut potui, volumine ostendi. Imò quod est maius miraculum, quilibet homo quodcunque peccatum committeret, nisi Deus eum specialiter præseruaret, teste beato Augustino in De sancta virginitate; qui postquam virginitate plurimum extollebat, & sibi charitatem assignauit custodem, tollens virginibus fatuis occasionem quæ ‖ hæc *Augustinus.*

D posset earum minuere charitatem, quia scilicet ipsis semper castè viuentibus parum dimittitur; ostendit eas ardentius debere Deum diligere, qui eas in peccata cadere non permisit, quam lapsas quibus quæcunque peccata dimisit, & quod debeant deputare tanquam eis omnino dimissum, quicquid mali ab eis non est illo regente commissum, quod tamen non esset aliquomodo verum, nisi Deus sic prę̄seruaret quemcunque à quocunque peccato non commisso, quod aliter illud committeret nisi quoque præseruatus, amplius reparato Deum diligere teneretur. Vnde cap. 17. ita dicit; fortè minus timebis, magisque inflabis, vt modicum diligas eum, qui te tantum dilexit, quia modicum tibi dimisit, viuenti videlicet à pueritia religiosè, pudicè pia castitate, ‖ *illibata* virginitate, quasi non tu multò ardentius debes diligere eum qui flagitiosis ad se reuersis quæcunque dimisit, in ea te cadere non permisit; aut verò ille Pharisæus qui propterea modicum diligebat, quia modicum sibi dimitti æstimabat, nunquid ob aliud hoc errore cęcabatur, nisi quia ignorans Dei iustitiam, & suam volens constituere, iustitię Dei subiectus non erat? *Augustinus.* ‖ inlicita

E Vos autem genus electum, & in electis electius virginei chori sequentes agnum, etiam vos gratiâ salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus ne forte quis extollatur: Ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Iesu, in operibus bonis, vt in illis ambulemus: Ergone hunc quanto eius donis ornatiores estis, tanto minus amabitis? auertat tam horrendam ipse dementiam. Proinde quoniam verum veritas dixit, quod ille cui modicum dimittitur, modicum diligit; vos vt ardentissimè diligatis, cui diligendo à coniugiorum nexibus liberè vacatis, deputate vobis tanquam omnino dimissum, quicquid mali à vobis non est illo regente commissum: Oculi enim nostri semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes nostros; & nisi Dominus custodiat ciuitatem in vanum vigilat, qui custodit eam, & continuò de continentia specialiter

 probat

probat idem vt superius allegaui; & addit, Ita non putabit modicum sibi dimissum, vt modicum diligat, & ignorans Dei iustitiam, ac suam volens constituere, iustitiæ Dei non subijciatur. In quo vitio Simon ille laborauit, quem superauit mulier, cui dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum; sed cautius atque verius cogitabit omnia peccata sic habenda tanquam dimittantur, à quibus Deus custodit ne comittantur: & capitulo 23. Quicquid mali ipso custodiente non committitis, tanquam ab illo remissum deputate, ne modicum vobis existimantes dimissum, modicum diligatis. Qui & in sermone de Magdalena 6. O inquit, Pharisæe, ideo parum diligis, quia parum dimitti suspicaris; non quia parum dimittitur, sed quia parum reputas esse quod dimittitur: Quid ergo, inquit ille? Ego qui homicidium non feci, homicida deputandus sum? qui adulterium non commisi, pro adulterio puniendus sum? aut ista mihi dimittenda sunt, quæ non commisi? Ecce iterum constitue duos, & loquamur ad eos; Venit vnus supplex peccator coopertus spinis tanquam hericius, & nimis timidus tanquam lepus; sed petra est refugium herinacijs & leporibus; venit ad petram, inuenit ad petram refugium, auxilium accipit; Alius non multa commisit, quid ei faciemus vt multum diligat? quid persuadebimus? contra Domini verba veniemus, cui modicum dimittitur, modicum diligit? Ita planè, cui modicum dimittitur: sed ô tu qui dicis te non multa commisisse, quęro, quo regente? Nonne Deo? Deo gratias quòd motu & voce vera intellexisse vos significastis. Iam vt video soluta quæstio est: Hic multa commisit, & multorum debitor factus est; ille gubernante Deo pauca commisit; cui deputat iste quod dimisit, hinc & ille deputet quod non commisit; adulter non fuisti in illa tua vita præterita plena ignorantiæ, nondum illuminatus, nondum bonum malumque discernens, nondum credens in illum, qui te nescientem regit; hoc tibi dicit Deus tuus, regebam te mihi, seruabam te mihi, vt adulterium non committeres; suasor defuit, & vt suasor deesset, ego feci; locus & tempus defuit; & vt hæc deessent ego feci; affuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus; vt non consentires, ego terrui; Agnosce ergo gratiam eius, cui debes, & quod non commisisti. Mihi debet iste, quod factum est, & dimissum vidisti; mihi debes & tu, quod non fecisti; Nullum est enim peccatū quod fecit homo, quod non posit facere alter homo, si desit rector à quo factus est homo. Item 22ª. propositio sententiarum Prosperi, cui & præmittitur titulus de adiutorio Dei, sic dicit, Diuini est muneris cum & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate atque iniustitia continemus. Sed hic forsitan aliquis respondebit, & dicet, quod liber Augustini prædictus intitulatur non de virginitate simpliciter, sed de sancta virginitate; Ideoque omnia illa de virginitate seu continentia superius allegata, debent intelligi de sancta virginitate, aut continentia sancta, & alia similia, cuiusmodi tantum in fidelibus reperitur, propter sanctimoniam castitatis quæ omnes virtutes perficit, & consummat, quia omnis sancta continentia quantum ad suam sanctitatem est à Deo, sed quantum ad continentiam ipsam simpliciter est à libero arbitrio voluntatis, ideoque & in infidelibus reperitur. Hoc autem refellitur per capitulum proximum manifestè, & per autoritatem Augustini in sermone de Magdalena præmissam. Nec ista falsigraphia effugerat sanctos Patres: Hæc enim fuit proteruia Iuliani hæretici Pelagij sectatoris, quam opposuit Augustino dicenti quod continentia fuerat donum Dei; Continentia enim vt dixit Iulianus in infidelibus reperitur ex libero voluntatis arbitrio sine alio dono Dei. Vnde Augustinus 4. contra Iulianum 5°. sic dicit; Acerbissimi genere inimici exempla nobis opponitis impiorum, quos dicitis alienos à fide abundare virtutibus, in quibus sine adiutorio gratiæ, solum est naturæ bonum, licet superstitionibus mancipatum; qui solius libertatis ingenitæ viribus, & misericordes crebro & modesti & casti inueniuntur & sobrij: Ad hæc autem Augustinus respondet dupliciter; Primò quod hæc etiam in infidelibus sunt dona Dei, nec tantum à libero procedunt arbitrio; Secundo quia hæc & huiusmodi in infidelibus non sunt veræ virtutes. Vnde & in eodem 5°. capitulo, sic redarguit Iulianum; Quanto satiùs, si te impios ita laudare delectat, vt non audias dicentem Scripturam, qui dicit impium iustum esse, maledictus erit in populo, & detestabilis in gentibus, sed virtutibus veris eos prædices abundare? Quanto, inquam, satius hæc ipsa in eis dona Dei esse fatereris, sub cuius occulto iudicio, nec iniusto, alij fatui, alij tardissimi ingenij, alij obliuiosi, alij acuti memoresuè nascuntur; & ita de omnibus differentijs alijs vitiorum atque virtutum prosequitur inductiuè, & addit in fine capituli; quanto ergo tolerabilius illas quas dicis impijs esse virtutes diuino muneri, potius quam eorum tribueres tantummodo voluntati, licet ipsi hoc nesciant, donec si ex illo sint prædestinatorum numero accipiant spiritum qui ex Deo est, vt sciant quæ à Deo donata sunt eis. Et infra 6°. capitulo probat idem per autoritatem scholæ Pythagoricæ & Platonicę, ita dicens; Verum tu in hac causa, etsi ad scholam Pythagoræ prouoces aut Platonis; vbi eruditissimi atque doctissimi viri multo excelsiores

A res cæteris Philosophica nobilitate, veras virtutes non esse dicebant, nisi quæ menti quodammodo imprimuntur, à forma illius æternæ immutabilisq; substantiæ qui est Deus; etiam illic aduersum te, quantum donat, qui nos vocauit, pietatis libertate, clamabo, nec in istis est vera iustitia: & infra eodem probat specialiter quod continentia infidelium non sit vera virtus; & dicit, nec continentia siue pudicitia vera virtus est impiorum, quia cùm non ad suum referuntur Autorem Dei dona, hoc ipso malè his vtentes efficiuntur iniusti: Ergo continentia & pudicitia etiam impiorum sunt dona Dei, & capitulo 10. dicit quod omnia bona infidelium, siue in animi siue in corporis bonis sint, Dei dona sunt, & inferius 12. post longum processum finaliter sic concludit, Ex quo colligitur etiam ipsa bona opera quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius qui bene vtitur malis. Quem venerabilis Beda sequens contra eundem Iulianum hæreticum fecit specialiter vnum librum; in cuius capitulo 12. inter multos eius errores recitat istum vnum; Quam multos Philosophorum, inquit Iulianus,
B audiuimus, & legimus, & ipsi vidimus castos, patientes, modestos, liberales, abstinentes, benignos, honores simul ac delicias mundi respuentes, & amatores iustitiæ non minus quàm sapientiæ, vnde quæso hominibus alienis à Deo, quæ Deo placent? Vnde hæc illis bona nisi de naturæ bono? & cùm vt dixi, vel vnum omnia vel singulos singula habere videamus; cumque hominum vna natura sit, exemplo suo inuicem sibi ostendunt omnia in omnibus esse posse quæ vel singula inueniuntur in singulis, quod & iam sine Deo homines ostendunt quales à Deo facti sint. Vide quid Christiani facere possint, quorum in melius per Christum restaurata natura est, & qui diuinæ gratiæ iuuantur auxilio; cui Beda capitulo 13. sic respondet, *Beda.* quod dicit multos Philosophorum patientiam, castitatem, modestiam aliasque de naturæ bono habere virtutes, constat quod quicunque Philosophorum Christum Dei virtutem & Dei sapientiam nescierunt, hi nullam veram virtutem nec veram sapientiam habere vllam potuerunt: In quantum verò vel gustum aliquem sapientiæ cuiuslibet, vel virtutis imagina-
C tionem habebant, desuper hoc totum acceperunt, non solum munere primæ conditionis, verumetiam quotidiana eius gratia, qui creaturam suam nec se deserentem deserens, dona sua prout ipse iudicauerit hominibus, & magna magnis, & parua largitur paruis. Augustinus *Augustinus.* quoq; in sermone de patientia qui est quadragesimus nonus inter eius sermones capitulo 12. Si quis, inquit, non habens charitatem quæ pertinet ad vnitatem spiritus, & vinculum pacis quo Catholica Ecclesia congregata connectitur, in aliquo schismate constitutus ne Christum neget patitur tribulationes, angustias, famem, nuditatem, pericula, persecutionem, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammas, vel bestias, vel ipsam crucem timore gehennarum & ignis æterni; nullo modo ista culpanda sunt, imò verò & hic laudanda patientia est: Non enim dicere poterimus melius ei fuisse, vt Christum negando nihil horum pateretur quæ passus est confitendo, sed æstimandum est fortasse tollerabilius ei futurum iudicium, quàm si Christum negando cuncta illa vitaret; sed merito quæri potest vtrum & ista patientia do-
D num Dei sit, an viribus tribuenda sit voluntatis humanæ, qua quisquis ab Ecclesia separatus, non pro errore qui eum separauit, sed pro veritate sacramenti seu verbi quæ apud eum remansit, timore pœnarum æternarum pœnas patitur temporales. Cauendum est enim ne fortè si Dei donum istam patientiam dixerimus, hi quibus inest, etiam ad regnum Dei credantur pertinere; si autem illam donum Dei negauerimus, cogamur fateri sine adiutorio & munere Dei in voluntate hominis esse posse aliquid boni: Neque enim hoc non est bonum vt credat homo, æterno supplicio se esse puniendum si negauerit Christum, & pro ista fide qualecunque supplicium perferat, & contemnat humanum: proinde sicut negandum non est hoc esse donum Dei; ita intelligendum est, alia esse dona filiorum illius Ierusalem quæ sursum est libera mater nostra. Hæc sunt enim quoddammodo hæreditaria in quibus sumus hæredes Dei, cohæredes autem Christi: Alia verò quæ possunt accipere etiam concubinarum filij, quibus Iudæi carnales, & schismatici, vel hæretici comparantur; quamuis enim
E scriptum sit, Eijce ancillam & filium eius, neque enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac, & Abrahæ dixerit Deus, In Isaac vocabitur tibi semen; quod sic est Apostolus interpretatus, vt diceret, id est, non qui filij carnis, hi filij Dei, sed filij promissionis deputantur in semine, vt intelligeremus semen Abrahæ secundum Isaac propter Christum ad filios Dei pertinere, qui sunt corpus Christi & membra, id est, Ecclesia Dei vna, vera, germana, catholica, tenens piam fidem; non eam quæ per elationem vel timorem, sed eam quæ per dilectionem operatur; Tamen etiam filios concubinarum, quando à filio suo Isaac dimisit Abraham, nonnulla eis largitus est munera, ne relinquerentur omnino inanes, non vt tenerentur hæredes. Sic enim legimus, Dedit autem Abraham omnem censum suum Isaac filio suo, & filijs concubinarum suarum dedit Abraham munera, & dimisit eos ab Isaac filio suo: Si ergo filij

filij sumus liberę Ierusalem, alia dona exhæreditatorum, alia intelligamus hæredum: hi enim hæredes sunt, de quibus dicitur; Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba Pater. Item hæc responsio supradicta non stat cum illo dicto Sapientis; Vt sciui, quod non possum esse continens nisi Deus det: Loquitur enim ibi de continentia absolutè, non tantum de sancta continentia in sanctitate, scilicet castitatis: Nec stat cum illo dicto Saluatoris, Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est, ipso indicente, quia quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur, & qui dimissam duxerit, mæchatur; discipuli eius dixerunt; si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere, sed supple, expedit continere; quibus ita dicentibus sic respondit, Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est: Sicut ergo ipsi loquebantur absolutè de nubere, & intellexerunt de continere; similiter videtur quòd Saluator responderit ad similem intellectum; nec etiam potest stare cum illo dicto Apostoli, Vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic: Ipse enim loquebatur fidelibus iam conuersis habentibus charitatem; ergo illa proprietas, siue alietas non potest intelligi de alietate continentiæ quantum ad habitum seu || *carentiam* sanctitatis, & quia || *sanctitatis carentia* non dicitur ibi ab Apostolo donum Dei, intelligitur ergo de proprietate, seu alietate ipsius continentię essentialiter, scilicet virginalis, vidualis; & etiam coniugalis; Fidelium habentium sanctitudinem castitatis; & sic illum locum exponunt omnes catholici tractatores. Item Augustinus vt erat superius allegatum, tractans illud dictum Apostoli, dicit quod impossibile, aut omnino difficile est homini nosse, qua æquitate Deus faciat alijs sic, alijs autem sic; ergo Deus facit alium fidelem virginaliter, alium coniugaliter continere; quod etiam clarè patet, quia si continentia virginalis, vel coniugalis fidelium dependeret tantummodo ex libero arbitrio voluntatis humanę, facile esset homini nosse, cur alius continet sic, alius verò sic; quia scilicet, alius liberè vult sic, alius verò liberè vult sic. Item continentia à quocunque peccato est donum Dei, vt erat ab Augustino superiùs allegatum, ergo continentia coniugatorum fidelium ab actu coniugali culpabili venialiter; imò & omnis continentia fidelium vel infidelium à quocunque lapsu fornicationis, adulterij vel incestus est specialiter donum Dei; omnis ergo continentia nedum secundum suam circumstantiam quæ est sanctitas castitatis, sed secundum suam substantiam, siue sit castitati coniuncta, siue seiuncta, est veraciter donum Dei. Nec debet videri mirabile, quod Deus donat infidelibus castitatem, quia sicut 31um. primi demonstrat, omnes res etiam infidelium diuina prouidentia gubernantur; ipse enim gratis, dat eis corpus & animam, & quicquid boni qualitercunque habent: Vnde Gen. 20. legitur, quod Abimelech Rex Ierarę tulit Saram vxorem Abrahæ, sed eam non tetigit, cuius causa redditur ibi talis; Dixit ad eum Deus, Ego scio quod simplici corde feceris, & ideo custodiui te ne peccares in me, & non dimisi vt tangeres eam; & supra eodem 12. scribitur simile, scilicet quod Sarai vxor Abraham sublata est in domum Pharaonis Regis Aegypti, & quod Deus flagellauit Pharaonem & domum eius plagis maximis propter eam; in tantum quòd eam omnino non tetigit, vt supplent omnes Catholici tractatores. Patet ergo quod quicunque superat tentationem carnis nefariam, non tantum liberi arbitrij viribus, sed auxilio Dei hoc facit: Quare & in omnibus tentationibus alijs patet idem. Vnde Psalmista Psalmo 120. Dominus custodit te, Dominus protectio tua super manum dexteram tuam; Per diem Sol non vret te, nec Luna per noctem; Dominus custodit te ab omni malo; & Psalmo 123. Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis, cùm exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutissent nos, cum irasceretur furor eorum in nos; forsitan aqua absorbuisset nos; Iste autem est quintus Psalmus gradualis, & quintus gradus vt dicit ibi glossa, est, vt liberati à periculis non sibi, sed Domino tribuant; & ne hoc aduerbium dubitandi fortè seu forsitan quenquam ad dubitandum inducat, nunquid Psalmista hæc dixerit asserendo, an potius dubitando, sciendum secundum glossam, quod pro hoc Græco (ἄρα) verbo dubitationis; Latini posuerunt forsitan, quod intelligibilius diceretur, An putas; vt sit sensus cùm exurgerent homines in nos, an putas quod viuos deglutissent nos; quasi diceret, imò certè, ideoque secundum glossam in prima parte Psalmi sancti memores quanta euaserunt, soli misericordiæ Dei ascribunt; in secunda verò gratias agunt, quia liberati sunt, dicentes; Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum; Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram; & Psalmo 124. Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas. Item Apostolus 2. ad Cor. 4. dicit; Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas

Marginalia: A; B; || charitatē; || charitatis; *Augustinus.*; C; *Gen.*; D; *Psalmus.*; E; *Apostolus.*

A mitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur, persecutionem patimur, sed non derelinquimur; deijcimur, sed non perimus; & hoc sicut ipsemet dicit supra eadem 1. Vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo. Ad hoc idem facit planissimè & plenissimè vtriusque series testamenti in lege, Prophetis, Psalmis, Hagiographis, Euangelijs, ac etiam Epistolis vniuersis. Satis ergo reputo cuilibet humili catholico persuasum, nullum tentatum solius liberi arbitrij viribus sine gratia vel cum gratia quantacunque, sine alio Dei auxilio || *speciali* posse tentationem aliquam superare; & si quis aliter sapiat quantumlibet gratiosus, caueat ne fortè non sobriè sapiat; sed potius plus sapiens quàm oportet; desipiat, præsumat talis de sua virtute, sed caueat, quia Deus de sua virtute præsumentes humiliat; Dicat in abundantia sua, non mouebor in æternum; sed aduertat quid sequitur, Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem, & caueat ne fortè auertat faciem suam ab eo, & factus sit conturbatus, nec vlla sit vtilitas in sanguine suo, dum in corruptionem descendat; Dicat cum Angelo Laodicææ Ecclesiæ, Diues sum, & locupletatus, & nullius egeo, sed caueat quod Amen testis fidelis & verus Angelo illi dicit; Scio opera tua, quod neque calidus neque frigidus es: Vtinam calidus esses aut frigidus, sed quia tepidus es & non frigidus nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo, quia dicis quod diues sum,, & locupletatus & nullius egeo; & nescis quia || *miser* es, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Non dicat Patri cœlesti ne nos inducas in tentationem, & dicam sibi audacter quod in tentationem pessimam est inductus; nec dicat, Deus in adiutorium meum intende nec cætera talia, quæ verax & humilis Dei Ecclesia cum omni deuotione dicere nusquam cessat, sed in arcu suo speret, & eius gladius saluet eum, & sine dubio ipse auertat adiutorium gladij eius, & non auxiliabitur ei in bello. Destruet eum ab emundatione, & sedem eius in terra collidet; Minorabit dies temporis eius, & eum confusione perfundet; videbunt quoque iusti, & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent; Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum: Non sic autem sobrij ecclesiæ filij, non sic sapiunt, non sic desipiunt, non sic insaniunt, sed humiliter & veraciter sanè dicunt; Deus noster, refugium, & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis; propterea non timebimus, dum turbabitur terra, propria firmitate præsumens, & montes elati, vires proprias extollentes, in cor maris profundissimi transferentur.

(Margin: B, C; || spirituali; || mendicus)

CAP. VI.

Quod illud Dei auxilium speciale est voluntas eius inuicta.

D

POstquam in præcedentibus est ostensum nullum tentatum solius liberi arbitrij viribus sine gratia, vel cum gratia quantacunque absque alio Dei auxilio speciali posse tentationem aliquam superare; Restat consequenter inquirere, quod sit illud auxilium quo tentati omnia superant tentamenta, & sine quo in omnibus superantur. Illud autem auxilium cùm non sit liberum arbitrium, nec gratia creata seu charitas, quæ sunt maxima dona Dei creata, & maximi auxilij, quid potest esse nisi diuina voluntas? Nam cuicunque Deus auxiliatur, voluntariè auxiliatur, sicut quicquid agit ad extra non natura, nec ex sola cognitione, sed voluntate illud agit, sicut octauum & nonum capitula primi

E docent. Absit etiam quod quenquam fortuito aut casualiter adiuuaret, quia tunc vigesimum secundum, vigesimum septimum, vigesimum octauum, & vigesimum nonum primi eum turpiter obiurgarent: Voluntas ergo diuina est illud auxilium sine quo tentatus quilibet superatur, sicut ex 22°. primi, & alijs præhabitis sciri potest, & per quod tentatus quilibet superans efficaciter superat || *tentatorem*, sicut 10um. primi cum præmissis ostendit: Vnde sanctus Dauid in pugna spirituali satis expertus, quia frequenter superatus & superans, ita dicit; Ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius; Ira scilicet, in culpam prosternens cui Dominus indignatur, & vita in innocentia sustinens cui Dominus voluntariè auxiliari dignatur; quanquam & aliter exponatur, sed istam expositionem totus processus

||tentamentum. *Psal. 29.*

processus illius Psalmi 29ⁱ. prætendit: Exaltabo, inquit, te Domine, quoniam suscepisti me, A
nec delectasti inimicos meos super me, Domine Deus meus, clamaui ad te, & sanasti me; Domine eduxisti ab inferno animam meam, saluasti me à descendentibus in lacum: & tunc excitando ad gratiarum actionem pro tantis beneficijs Domino statim subdit; Psallite Domino sancti eius, & confitemini memoriæ sanctitatis eius, quoniam ira in indignatione eius, *Glossa.* & vita in voluntate eius, & secundum glossam super versum sequentem, Illa ira est fletus qui *Psalmus.* est omnimoda hominis miseria tam culpæ, quàm pœnæ. Idem Psalmo 5°. Domine, inquit, *Glossa.* vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos; vbi glossa, Bona voluntas qua nos coronasti, nobis est vt scutum contra inimicum quo protegimur, & ipsa est vt corona, id est arma, quibus expugnatur inimicus; hæc est scutum contra eum qui tentationibus & tribulationibus suggerit desperationem, & est sensus, bona voluntas tua protegit nos & vincere facit; vel ita, scutum quod à rotunditate dicitur, duo facit, quia corpus munit, & caput coronat; Ita gratuita Dei voluntas qua nos vocat, est defensio hic contra omnia; & in futuro corona. Idem B
Psalmus. Psalmo 43. Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam placuisti in ijs; & Psalmo 88. Gloria virtutis eorum tu es, & in beneplacito tuo exaltabitur cornu no- *Glossa.* strum, Glossa; Tu es gloria, id est, exaltatio virtutis eorum quos non solum illuminat, sed *Machab.* etiam posse dat, & in beneplacito tuo, id est, quia tibi beneplacuit, non quia digni sumus, exaltabitur cornu nostrum. Item 2. Machab.vlt. Dominus non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat ignis victoriam. Et ne qua fallacia malitiæ Pelagianæ tibi sur- *Hester.* repat, audi vnde quisquis fit dignus hoc enim honore condignus est quemcunque rex volue- *Augustinus.* rit honorare; Hesteræ 6. dicitque Augustinus de prædestinatione sanctorum 12. Item quod dixi, salutem, religionis illius nulli vnquam defuisse qui dignus fuit, & dignum non fuisse cui defuit; Si discutiatur & quæratur vnde quisque sit dignus, non desunt qui dicant voluntate humana, nos autem dicimus gratia vel prædestinatione diuina: Quicunque ergo est C
dignus victoria, non est ex se dignus, sed ex Dei gratuita voluntate, quæ & dignum victoria efficit, & victorem.

CAP. VII.

Quod nullus non tentatus, solius Liberi Arbitrij viribus, sine gratia vel cum gratia quantacunque creata absque alio Dei auxilio potest peccatum aliquod euitare. D

VT autem tractatum de vitatione peccati perficiam, tantum superest vt præhabitis consequenter ostendam, nullum etiam non tentatum solius liberi arbitrij viribus sine gratia, vel in gratia quantacunque absque alio Dei auxilio posse peccatum aliquod euitare. Facilius namque est tentato vitare ‖ *peccatum*, quàm non tentato vitare tentationem; Nam tota die tentamur inuiti, sed nunquam propriè peccamus inuiti; sed nullus tentatus solius liberi arbitrij viribus sine gratia, vel cum gratia quantacunque absque alio Dei auxilio potest vitare peccatum de quo tentatur, vt tria præmissa capitula docuerunt; ergo nullus non tentatus solius liberi arbitrij viribus sine gratia vel in gratia quantacunque absque alio Dei auxilio potest vitare, quin de peccato E
tentetur, & si tentatus fuerit de peccato, & auxilium Dei non assit, necessariò superatur secundum capitula memorata. Item quicunque non tentatur, hoc necessariò est à Deo, quod non tentatur, sicut 11ª. pars 13ⁱ. primi probat; & per 22ᵘᵐ. primi Deus necessariò habet aliquem actum voluntatis circa talem non tentari, & non nolutionem, quia tunc per decimum primi, non tentaretur, ergo volutionem, quæ per idem decimum ipsum tentari non si- *Augustinus.* nit: Vnde Augustinus in sermone suo in natali sanctæ Mariæ Magdalenæ cap. vlt. Hoc, inquit, tibi dicit Deus tuus; regebam te mihi, seruabam te mihi vt adulterium non committeres, suasor defuit, & vt suasor deesset, ego feci; locus & tempus defuit, & vt hæc deessent, ego

‖ tentamentum,

A ego feci. Item si quis non tentatus || *hoc & sic* posset, ponatur in esse; tunc per vigesimum secundum primi Deus habet aliquem actum voluntatis circa istam euitationem, & non nolutionem, quia tunc per decimum primi, ipsa non fieret; ergo volutionem; ergo per idem decimum ipsa insuperabile auxilium sibi præstat. Item illa vitatio vel fit agendo, vel non agendo; si agendo, Deus est ibi prima causa agens, sicut tertium, & quartum capitula primi probant; si non agendo, adhuc Deus est prima causa illius non actionis, sicut vndecima pars 13ᵉ. primi docet. Item secundum allegata capitulo tertio huius secundi; Gratia est necessaria ad cauendum peccata, & hoc vt videtur etiam non tentatis: Quædam enim allegatorum ibi loquuntur generaliter de quibuscunque indistinctè, non faciendo mentionem aliquam de tentatis, & illa gratia vel est Spiritus Sanctus, vel aliquod eius donum creatum, quod nihil facit nisi ipso Sancto Spiritu dirigente, vt patet ex eodem tertio & quarto sequenti. Item secundum ostensa eodem quarto, quilibet homo committeret quodcunque peccatum, si non
B esset à Deo specialiter præseruatus.

|| peccatum vitare sic

COROLLARIVM.

Corollarium, quod diuina voluntas sicut tentatos à ruinâ conseruat, sic & non tentatos tam à tentatione quàm à peccato præseruat.

VNde manifestum est quod diuina voluntas sicut tentatos à ruina conseruat, sic & non tentatos tam à tentatione, quàm à peccato preseruat: Istud corollarium per præhabita potest similiter demonstrari, sicut quintum capitulum conclusionem similem demonstrauit. O ergo mira circa nos miseros & ingratos diuinæ pietatis dignatio, quæ non tentatos à tot & tantis tentationum turbinibus intactos præseruat; tentatos in tot & tantis tentationum incursibus inuictos conseruat, & per ipsam non per ipsos vincentibus tot & tanta præmia coacer-
C uat: vt igitur ipsa ducente ab ingratitudine redeamus, rogemus humiliter vt & ipsa donante accipere mereamur non spiritum huius mundi, sed spiritum qui ex Deo est, vt saltem sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, in quo clamantes Abba Pater humillimas gratias in omnibus rependamus.

CAP. VIII.

De perseuerantia quid sit, & quod nullus viator quantacunque gratia creata subnixus, solius Liberi Ar-
D *bitrij viribus, vel etiam cum adiutorio gratiæ possit perseuerare finaliter sine alio Dei auxilio speciali.*

POst hæc de perseuerãtia est agendum: superbus namq; Pelagius astruere præsumebat, quod homo solius liberi arbitrij viribus possit omnia Dei mandata perficere, & omnia peccata vitare, sicut ex quarto secundi huius apparet; quare & perseuerare finaliter ex seipso, quod & diuersi libri beati Augustini contra Pelagianos editi contestantur: In primis igitur videndum de Perseuerantia, quid sit ipsa: Hanc autem Tullius 2. veteris suæ
E Rhetoricæ sic definit; Perseuerantia est in ratione bene considerata stabilis & perpetua mansio: Aristotelis verò 7. Eth. 7. ipsum perseuerare definit hoc modo; Perseuerare est in eo quod est detinere, & pro differentia illius ad continere, subiungit; Continentia autem in eo quod est superare, quemadmodum & non vinci in vincere, propter quod & eligibilius continentia perseuerantia. Cognito autem quid sit perseuerantia restat consequenter ostendere, nullum viatorem corrupto corpore aggrauatum in quantacunque creata gratia constitutum, solius liberi arbitrij viribus, vel etiam cum adiutorio gratiæ posse perseuerare finaliter sine alio Dei auxilio speciali: Nam per cap. proximum, Nullus viator quantumlibet gratiosus potest sic vitare peccatum mortale. Item

Nullus

Nullus viator quantumlibet gratiosus potest sic vitare tentationem de peccato mortali, sicut A
Corollarium proximum inferebat; & satis constat ex capitulo proximo, quod & de se mul-
|| posset tum euidenter apparet, & si sit tentatus de quocunque peccato mortali, non || *potest* illud vita-
re, sicut quartum & quintum huius ostendunt. Item istam conclusionem omnia penè ar-
gumenta probabunt, quæ similes conclusiones de tentationibus superandis & peccatis vitan-
dis in quatuor cap. proximis probauerunt; & pro ista conclusione similiter facit totum se-
cundum capitulum primi libri. Ad hoc idem sunt satis multæ autoritates Scripturæ canoni-
cæ & Doctorum, quarum aliquæ fuerant superius allegatæ, quibus satis plures, si quis volue-
Psalmus. rit, remanent allegandæ, ex quibus paucas & breuiter allegabo. Psalmus 118. Domino Deo
Iosue. dicit; Ordinatione tua perseuerat dies, id est, angelus siue homo lucidus luce iustitiæ; Iosue
quoque 14. scribitur Caleb sic dixisse; concessit Dominus vitam mihi, sicut pollicitus est vs-
que in præsentem diem; quadraginta & quinque anni sunt ex quo Dominus loquutus est ver-
bum istud; Hodie octaginta quinque annorum sum sic valens, vt eo valebam tempore, illius B
in me temporis fortitudo vsque hodie perseuerat tam ad bellandum quàm ad gradiendum, sed
Num. per quem tanta fortitudo sibi perseuerauit, nisi per illum qui Num. 14. sic promisit? Seruum
Deut. meum Caleb inducam in terram hanc. Et Deut. 29. Adduxit vos, ait Moses, quadraginta
annis per desertum; Non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum
vetustate consumpta sunt; panem non comedistis, vinum & siceram non bibistis, vt sciretis,
Apostolus. quod ipse est Dominus Deus vester: sed quia secundum Apostolum 1. ad Cor 10. Omnia
in figura contingebant illis, quid posset per ista melius figurari, quàm quod Domino nos
ducente omnibus annis peregrinationis istius per desertum inuium huius mundi, ipso perse-
uerantiam largiente, non sunt attrita vestimenta nostra spiritualia, scilicet virtutes, nec calce-
amenta pedum nostrûm, scilicet dona genuinæ charitatis, duplicisue amoris, scilicet Dei &
proximi, vetustate consumpta sunt per abusum; panem doctrinæ non comedimus, qui sine
ipso confirmaret cor nostrum; vinum & siceram deuotionis non bibimus, quæ cor nostrum C
perseueranter lætificent sine ipso; nec tamen defecimus vt sciamus, quia ipse Dominus Deus
noster, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia sunt & constant; qui & omnia verbo
suæ virtutis sustinet, & supportat, teste eodem Apostolo ad Rom. 11. & ad Hebræ. 1. Simile
est illud Gen. 27. Frumento, vino, & oleo stabiliui eum. Quid etiam aliud quam perseue-
rantiam sonant ista, Conserua me Domine; Verbo Domini Cœli firmati sunt, id est, secun-
dum Augustinum iusti siue Apostoli; Statuit supra petram pedes meos; Manda Deus virtuti
tuæ; Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis; Qui fundasti terram super stabilita-
tem suam; Custodi nos Domine vt pupillam oculi; Nisi Dominus custodierit ciuitatem,
frustra vigilat qui custodit eam; & multa similia multis Psalmis: Dicitque disertissimus E-
Esaias. saias 26. cap. Vrbs fortitudinis nostræ Syon Saluator, ponetur in ea murus, & Antemura-
Dauid. le ad custodiendum, scilicet ciuitatem. Sanctus quoque Dauid 1. Paralip. vlt. sic orat Do-
minum pro populo sibi deuoto, Domine Deus, custodi in æternum hanc voluntatem cordis D
eorum, & semper in venerationem tui mens ista permaneat; quid aliud petijt, quam perseue-
rantiam consummatam? & cur eam petebat à Deo, si non daretur ab eo, sed vnusquisque
viribus proprijs illam posset habere, sicut quadragesimum sextum primi pleniùs arguebat?
Augustinus. Vnde beatus Augustinus de bono perseuerantiæ 2. per idem argumentum eandem conclusi-
|| præcipi- onem ostendit: Cur, inquit, Perseuerantia ista || *petitur* à Deo, si non datur à Deo? An &
tur ista irrisoria petitio est, cùm illud ab eo petitur, quod scitur non ipsum dare, sed ipso non
dante, esse in hominis potestate? sicut irrisoria etiam est illa gratiarum actio, si ex hoc gratiæ
aguntur Deo, quod non donauit ipse, nec fecit: Sed nolite errare, inquit Apostolus, Deus
non irridetur; & huic argumento multum inititur quasi per totum illum librum, vt patet
cap. 3. 6. & 9. vbi & allegat hoc à beato Martyre Cypriano, de Dominica oratione, & est e-
|| iste pistola sua quinta, & alijs locis multis. Et sicut || *ille* Dauid pro perseuerantia populi sui Deum
orauit, sic & Dauid noster Dominus Christus pro populo suo Deum Patrem orauit; Pater, E
inquiens, sanctè serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos; cùm
essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo, quos dedisti mihi custodiui, & nemo ex his
perijt nisi filius perditionis, vt Scriptura impleatur: & infra, Non rogo vt tollas eos de
mundo sed vt serues eos à malo: cuius doctrinam Sacerdotes sui sequentes sic orant; Cu-
stodi quæsumus Domine Ecclesiam tuam propitiatione perpetua, & quia sine te labitur hu-
mana mortalitas, tuis semper auxilijs & abstrahatur à noxijs & ad salutaria dirigatur. Item 3.
Reg. Reg. 13. ait Dominus ad Eliam, Dereliqui mihi in Israel septem millia virorum, quorum
genua non sunt incuruata ante Baal; & omne os, quod non adorauerit eum osculans ma-
* eius num *. Quicunque ergo non incuruat genua sua ante Baal, vt à iustitia deflectatur in opere,
nec

A nec ore cordis aut corporis eum adorauerit, aut osculatus fuerit manum eius in cogitatione vel loquutione, non viribus suis aut meritis, sed data gratis perseuerantia à Domino custoditur: Non enim diceret Dominus, Dereliqui mihi septem millia virorũ, &c. si non ipse, sed ipsi se potius Domino reliquissent, dum per se, non per eum, idola reliquerunt; sic etenim arguit Apostolus ad Rom. 11. ostendens quod reliquiæ Israel per gratiam saluæ ‖ *fiant*; Nunquid, dicit Apostolus, Repulit Deus populum suum? Absit; An nescitis in Elia, quid dicit Scriptura? quid dicit illi diuinum responsum? reliqui mihi septem millia virorum qui non curuauerunt genua sua ante Baal; sic ergo & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ Dei saluæ factæ sunt; si autem gratia, iam non ex operibus; ex hoc ergo quod Deus dicit, Reliqui mihi, &c. innuit Apostolus quod Deus hoc fecit, non ipsi, & quod Deus hoc gratis fecit, scilicet secundum electionem gratiæ, non pro meritis; si enim pro eorum meritis hoc fecisset, ipsi per sua merita prius & principalius quodammodo hoc fecissent; sic ergo, inquit, ‖fuerint

B & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ Dei saluæ factæ sunt, sicut, supple in illo tempore illæ reliquiæ, seu illi relicti salui facti sunt, non à se, scilicet, sed à Deo, & hoc gratis, non ex operibus. Beatus etiam Augustinus de bono perseuerantiæ 54. tractans istud Apostolicum argumentum, sic ait; Apostolus, vt ostenderet Dei gratia fuisse relictas reliquias, non meritis operum eorum, secutus adiunxit, An nescitis in Elia quid dicit Scriptura? Quemadmodum interpellat Deum aduersus Israel, &c. sed quid dicit illi, inquit, responsum diuinum? Reliqui mihi septem millia virorum qui non curuauerunt genu ante Baal; Non enim ait relicta sunt mihi, aut reliquerunt se mihi, sed reliqui mihi; Sic ergo, inquit, & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt; si autem gratia, iam non ex operibus. Item Esai 40. Deus sempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ, non deficiet, nec laborabit, qui dat lasso virtutem, & his qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat; deficient pueri & laborabunt. Glossa, id est pueriliter viuentes, & iuuenes in infirmitate cadent, scilicet de virtutibus propriis præsumentes; & addit, Qui autem sperant in Do- *Augustinus.* *Esaias.*

C mino, mutabunt fortitudinem; assument pennas sicut Aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient. Et infra 48. Super Deum Israel constabiliti sunt; Et infra, Hæc dicit Dominus gubernans te in via qua ambulas. Item Ierem. 32. Ecce ego congregabo eos de vniuersis terris, & reducam eos ad locum istum, & habitare eos faciam confidenter, & dabo eis cor vnum & animam, seu alias viam vnam, vt timeant me vniuersis diebus, & feriam eis pactum sempiternum, & non desinam eis benefacere, & timorem meum dabo in corde eorum vt non recedant à me: Vnde claret, quod tam reditio à malo, quàm permansio in bono finaliter, scilicet vniuersis diebus, pacto sempiterno vt nunquam recedatur à Domino, quæ est perseuerantia vsque in finem, non est sufficienter nec antecedenter ab homine, sed à Deo: Vnde & Augustinus de bono perseuerantiæ 2. eandem conclusionem per eandem autoritatem ostendit; Hanc enim, inquiens, scilicet perseuerantiam promisit Deus, dicens, *Ierem.* *Augustinus.*

D Timorem meum dabo in cor eorum, vt à me non recedant; quod quid est aliud, quàm quod talis ac tantus erit timor meus quem dabo in cor eorum, vt mihi perseueranter adhæreant? Cui & Sanctus Dauid, Sancti Spiritus cithara aptissimè concinit Psalmo 79. dicens, Deus virtutum, conuerte nos, respice de cœlo, & vide, & visita vineam istam, quantum ad conuersionem à malo; & perfice eam, quam plantauit dextera, quantum ad perfectionem in bono; & super filium hominis quem confirmasti tibi, fiat manus tua, scilicet perseueranter sustinens & confirmans super virum dexteræ tuæ, quem scilicet Spiritus Sanctus dexteræ tuæ digitus, de sinistra ad dexteram conuertebat; & super filium hominis, quem confirmasti tibi ipsum nullatenus dimittendo; & non discedimus à te: More prophetico præteritum ponit pro futuro; quasi diceret manifestè; Si hæc cuilibet nostrum feceris, non discedemus à te, sed perseuerabimus tecum vsque in finem; Et ideo subiungit reliqua de futuro; Viuificabis nos, scilicet vita æterna, quia qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit, Matth. 10. Ideo- *Dauid.*

E que subiunxit, Domine Deus virtutum conuerte nos, scilicet de malo ad bonum, & Ostende faciem tuam, scilicet voluntatem tuam, nos in bono perseuerantes finaliter faciendo, & salui erimus: Vnde & Beatus Augustinus de bono perseuerantiæ 11. ita dicit; Post casum hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad eum, neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, vt homo non recedat ab eo, hanc posuit in illo in quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui vniuersa operatur, & per hoc sicut operatur vt accedamus, ita operatur ne discedamus; propter quod ei per prophetam dictum est; Fiat manus tua super virum dexteræ, & super filium hominis, quem confirmasti tibi, & non discedimus à te: Ille certè non est Adam primus, in quo discedimus ab eo, sed Adam nouissimus, super quem fit manus eius, vt non discedamus ab eo; Christus enim to-

tus cum membris suis est propter Ecclesiam, quæ est corpus eius, plenitudo eius: Cum ergo sit super eum manus Dei vt non discedamus ab eo, ad nos vtique peruenit opus Dei, hæc est in manus Dei quo opere Dei fit, vt simus in Christo permanentes cum Deo; In Christo enim sortem consecuti sumus prædestinati secundum propositum eius qui vniuersa operatur: Manus igitur Dei est ista non nostra vt non discedamus à Deo. Item 2. ad Cor. vlt. Oramus, inquit Apostolus, vestram consummationem, & quid aliud est hoc quàm orare eorum perseuerantiam consummatam? sed à quo hoc orauit nisi à Deo? à quo ergo datur nisi ab eo? Idem ad Rom 14. Potens est Deus statuere illum de quo nullus ad literam dubitat; hoc ergo nequaquam tantus doceret Apostolus, nisi aliud vellet intelligi, scilicet quod omnem stantem Deus per suam potentiam statuit, non illius, quia non dicit, potens est homo seipsum statuere, sed potens Deus illum statuere. Vnde Augustinus de bono perseuerantiæ 18. sic ait; Voluntate Dei stat, qui stat; potens est enim Deus statuere illum; Non ergo se ipse, sed Deus. Idem de correptione & gratia 56. tractans eandem autoritatem sic: Apostolus respiciens ad prædestinatos ait; Stabit autem; & ne hoc sibi arrogarent; Potens est enim Deus, inquit, statuere eum: Ipse itaque dat perseuerantiam qui statuere potens est eos qui stant, vt perseuerantissimè stent. Idemque Apostolus supra, eiusdem 4. similiter loquebatur, cùm dixit quòd Abraham in repromissione Dei non hæsitauit, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere, id est potenter faceret quæ promisit; Alias enim rationabiliter hæsitasset; quod & patet per Augustinum de Correptione & gratia 52. de Prædestinatione sanctorum 3. & 12. sicut allegatum est plenius 46°. primi. Eodem quoque modo loquitur beatus Iudas Apostolus in hæc verba; Ei autem qui potens est vos conseruare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione gloriosa, &c. Vnde Augustinus de Correptione & gratia 17. Apostolus, inquit, Iudas, cùm dicit, Ei autem qui potens est, &c. Nonne apertissimè ostendit donum Dei esse in bono perseuerare vsque ad finem? Quid enim aliud sonat, qui potest conseruare vos sine offensione, & constituere ante conspectum gloriæ suæ imaculatos in lætitia, nisi perseuerantiam bonam? Item quis tam insulse desipiat, vt neget perseuerantiam esse donum Dei, cùm dicat sanctissimus Ieremias; Timorem meum dabo in corde eorum, vt non recedant à me: Multa quoque alia testimonia adducta superius hoc testantur, cùm etiam secundum beatum Apostolum Iacobum, Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum Iac. 1. & quod donum melius perseuerantia viatori? Quis etiam Christianus tam tepidus vt Deum non oret, vt in bono finaliter perseueret? sed ad quid perseuerantiam poscit à Deo, si non donetur ab eo? & quicunque eam donum Dei esse concesserit, concedet necessariò consequenter, eam non esse sufficienter aut antecedenter ab homine, sed à Deo: Si enim sic esset homini ex seipso, non ita congruè donum Dei, sicut donum hominis diceretur, nec ab eo congruè peteretur, sicut 46. primi pleniùs ostendebat; cùm tamen nihil magis congruum videatur quàm ab eo hanc petere, qui hanc donat: Dicit etiam Apostolus ad Eph. 2. gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est; hæc igitur est causalis Apostoli, quia est donum Dei, ideo non est ex vobis. Et per istam rationem probat Augustinus de bono perseuerantiæ ipsam non esse homini à seipso sed à Deo; vnde capitulo secundo sic dicit, Videamus vtrum hæc perseuerantia de qua dictum est, Qui perseuerauerit vsque in finem hîc saluus erit, donum sit Dei; quod si non sit, quomodo verum est, quod ait Apostolus, Vobis datum est pro Christo non solum vt credatis in eum, verum etiam vt patiamini pro eo? horum quippe vnum pertinet ad initium, alterum ad finem; vtrumque autem est Dei donum, quia vtrumque dictum est esse donatum; quid autem dici potest, cur perseuerantia vsque in finem non donetur in Christo, cui donatur pati pro Christo? aut vt expresiùs loquar cui donatur mori pro Christo: Nam & Petrus Apostolus donum Dei hoc esse demonstrans, Melius est, inquit, benefacientes, si velit voluntas Dei, pati, quàm malefacientes; cum dicit, Si velit voluntas Dei, ostendit diuinitus dari, nec omnibus Sanctis vt pro Christo patiantur; Neque enim quos non vult voluntas Dei peruenire ad experientiam gloriamque passionis, non perueniunt ad regnum Dei si perseuerauerint in Christo vsque in finem. Si quis dicat istis non dari istam perseuerantiam, qui ægritudine corporis vel quocunque casu moriuntur in Christo, cùm longè difficilior donetur illis à quibus suscipitur & mors ipsa pro Christo; sed cui nihil difficile est, vtramque donat; hanc enim, scilicet faciliorem promisit Deus dicens, Timorem meum dabo in cor eorum, vt à me non recedant. Et infra eodem, Per hoc quod perseuerantia poscitur à Deo, ostendit eam esse donum Dei, & propter hoc quod est donum Dei, non esse homini à seipso, nec in hominis potestate si ipse non dederit: Vnde sic dicit; Cur perseuerantia ista poscitur à Deo, si non donatur ab eo? An & irrisoria petitio est,

A est, cùm id ab eo petitur, quod scitur non ipsum dare, sed ipso non dante esse in hominis potestate? sicut irrisoria est etiam illa gratiarum actio, si ex hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donauit ipse nec fecit; sed nolite errare, inquit Apostolus, Deus non irridetur, ô homo; nec verborum tuorum tantum, verumetiam cogitationum testis est Deus; si aliquid a tanto diuite veraciter & fideliter poscis, ab illo à quo poscis te accipere crede quod poscis; Noli eum labijs honorare, & super eum corde te extollere, credens à teipso tibi esse, quod ab illo te fingis orare An ab illo perseuerantia ista fortè non poscitur, cùm ipsa oratione quæ dominica nuncupatur, quando oratur à Sanctis, nihil penè aliud quàm perseuerantia posci intelligatur? quod & per singulas petitiones illius orationis secundum expositionem beati Martyris Cypriani in libro suo quem de hac re condidit, cuius titulus est de Dominica oratione, & est inter epistolas suas quinta, & secundum expositionem similiter propriam satis diffusè & planè quatuor capitulis sequentibus manifestat. Vnde & capitulo 3°. allegat Cyprianum *Cyprianus.*
B dicentem; Dicimus, Sanctificetur nomen tuum, non quod optemus Deo, vt sanctificetur orationibus nostris, sed quòd petamus ab eo vt sanctificetur nomen eius in nobis. Cæterum à quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? sed quia ipse dixit, Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum; id potius & rogamus, vt qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse ceperimus, perseueremus: Et infra eodem; Hæc inquit, sanctificatio vt in nobis permaneat, oramus, hoc diebus ac noctibus postulamus, vt sanctificatio, & viuificatio, quæ Dei gratia sumitur, ipsius protectione seruetur; & addit Augustinus, In sanctificatione igitur perseuerantiam, hoc est, vt in sanctitate perseueremus, nos ab eo petere: Iste Doctor intelligit, cum sanctificati dicimus, Sanctificetur nomen tuum: Quid enim est aliud petere, quod accepimus, nisi vt id quoque nobis præstetur, ne habere desinamus; & ita prosequitur infra eodem capitulo, & in cæteris consequenter; & idem prorsus ad eandem conclusionem habetur de Correptione & gratia 16. & 17. vbi cap. 16°. ita dicit; Negare quidem non possumus perse-
C uerantiam in bono perficientem vsque in finem magnum esse Dei munus, nec esse nisi ab illo de quo scriptum est, Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum; & cap. 17. probat idem multis autoritatibus sacræ Scripturæ; Si dixerimus, inquit, perseuerantiam sic esse hominis, vt ei non sit ex Deo, illud primitus euacuatur quod ait Dominus Petro, & est Luc. 22. Rogaui pro te vt non deficiat fides tua: Quid enim ei rogauit nisi perseuerantiam vsque in finem, quæ profectò si ab homine homini esset, à Deo poscenda non esset? Deinde cùm dicat Apostolus, scilicet 2. ad Cor. vlt. Oramus autem Deum ne quid faciatis mali, proculdubio perseuerantiam eis orat ad Deum: Neque enim nihil malum facit, qui bonum deserit, & à quo declinare non debet, inclinatur in malum, non perseuerans in bono: Illo etiam loco, vbi dicit, Gratias ago Deo, &c. quoniam qui cepit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Iesu Christi, quid aliud eis, quàm perseuerantiam in bono, vsque in finem vitæ Dei miseratione promittit? Item vbi dicit, Salutat vos
D Epaphras sẽper certans pro vobis in orationibus, vt stetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei, quid est vt stetis, nisi vt perseueretis? Quid est etiam quod in Actibus Apostolorum legimus, Crediderunt autem quotquot erant ordinati in vitam æternam? Quis in æternam vitam potuit ordinari, nisi perseuerantiæ dono, quandoquidem qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit? qua salute nisi æterna? vbi & innuit notabile argumentum quod est tale; Si Deus quenquam præordinat ad aliquem certum finem, præordinat sibi omnia necessaria media ad hunc finẽ, & quæcunq; cuicunq; præordinat hæc & donat. Et de bono perseuerantiæ, 3. facit simile argumentum, quod scilicet quicunque vult aut poscit aliquem certum finem, vult & poscit quodlibet medium, sine quo non potest consequi illum finem: Vnde sic dicit; Cùm dicimus, Adueniat regnum tuum, Num aliud poscimus nisi vt veniat, & nobis quod esse venturum non dubitamus omnibus Sanctis? ergo & hic qui iam Sancti sunt, quid orant, nisi vt in illa sanctitate, quæ eis data est, perseuerent? Nec enim aliter tibi veniat
E Dei regnum, quod non alijs, sed his qui perseuerant vsque in finem certum est esse venturum, Et adhuc consequenter eodem capitulo, scilicet de Correptione & gratia 17. probat idem per istam petitionem orationis dominicæ; Sanctificetur nomen tuum, secundum expositionem propriam & beati Martyris Cypriani, sicut ex capitulo 3°. de bono perseuerantiæ superiùs allegaui. Idem infra eodem 26. Si confitearis donum Dei esse perseuerare in bono vsque in finem, cur hoc donum * illi accipiant, illi non accipiant? puto quod mecum pariter nostis; * Dei
aut si ad liberum arbitrium hominis, quod non secundum Dei gratiam, sed contra eam defendis, pertinere dicis, vt perseueret in bono quisquis vel non perseueret, non Deo donante sic perseuerat, sed humana voluntate faciente. Idemque de Natura & gratia 27. Admonentur, inquit, illi, ne dona Dei suæ potestati tribuendo, seseque extollendo grauius pereant, quàm *Augustinus.*

 si ni-

si nihil operarentur boni; quibus dicitur cum tremore & timore vestram ipsorum salutem operamini; Deus enim est qui operatur in nobis & velle & operari. Et vt in breuibus longa dicam, totus liber Augustini de bono perseuerantię, & ferè totus liber eius de Correptione & gratia à 16°. capitulo consequenter istam conclusionem, quod perseuerantia non est homini à seipso, per hoc medium quod est donum Dei, se reputat demonstrare. Item *Hieronymus* Hieronymus super illud Dan. 1. Dedit Deus autem Danieli gratiam & misericordiam in conspectu principis Eunuchorum; Ex quo, inquit, intelligimus pro necessitate rerum, si quandoque sancti diliguntur ab infidelibus, Dei esse misericordiæ, non bonitatis hominum peruersorum: ‖ *Cui* & concordat Psalmus 105. dicens, Dedit eos in misericordias, in conspectu hominum qui cœperant eos. Audi adhuc quæso Augustinum de Correptione & gratia, 59. tuba Sancti Spiritus intonantem; In hoc, inquit, loco miseriarum vbi tentatio est vita humana super terram, virtus in infirmitate perficitur: quæ virtus? nisi vt qui gloriatur in Domino glorietur, ac per hoc de ipsa perseuerantia boni noluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari, qui eis non solum dat adiutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possunt perseuerare si velint, sed in eis etiam operatur & velle, vt quoniam non perseuerabunt, nisi & possint & velint, perseuerandi eis & possibilitas & voluntas diuinæ gratiæ largitate donatur: Tantum quippe Spiritu Sancto ‖ *accenditur* voluntas eorum, vt ideo possint, quia sic volunt, ideo sic velint, quia Deus operatur vt velint. Nam si in tanta infirmitate vitæ huius ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei sine quo perseuerare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur vt vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate sua succumberet voluntas, & ideo perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate voluntatis nec vellent, aut non ita vellent vt possent: Subuentum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; & ideo quamuis infirma, non tamen deficeret, nec aduersitate aliqua vinceretur. Et cap. 49. Nunc autem, id est, post lapsum, quibus deest tale adiutorium iam pœna peccati est; quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum, & tanto amplius datur per Iesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, vt non solùm assit, sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus, verumetiam tantum ac tale sit vt velimus; sit quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo & perseueranter tenendo non solum posse *Augustinus.* quod volumus, verumetiam velle quod possumus, quod non fuit in homine primo; & 53. Primo homine, qui in eo bono quo factus est, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adiutorium perseuerantiæ, non quo fieret vt perseueraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset: Nunc verò sanctis in regnum Dei per gratiam prædestinatis, non tale adiutorium perseuerantiæ datur, sed tale vt eis perseuerantia ipsa donetur, non solum vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verumetiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint: Non enim solum dixit, Sine me nihil potestis facere; verumetiam dixit, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum faciatis, & fructus vester maneat; Quibus verbis non solum eis iustitiam, verumetiam in illa perseuerantiam se dedisse monstrauit. Item ponere hominem gratum posse *Augustinus* se perseuerare in gratia per seipsum, fuit error Pelagij: quod patet per Aug. de bono perseuerantiæ 3. vbi volens ostendere per petitiones orationis Dominicæ, secundū expositionem B. Martyris Cypriani perseuerantiam in bono esse gratuitum donum Dei, & non esse homini à seipso, sic ait; Legite aliquanto intentius eius expositionem, B. Cypriani martyris libro quē de hac re condidit, cuius titulus est de dominica oratione, & videte ante quot annos, contra ea quæ erant futura Pelagianorum venena, quale hic antidotum præparauit. Nam ibi sunt quæ maximè contra eos catholica defendit Ecclesia; quorū est vnum, gratiā Dei non secundū merita nostra dari, quoniam dona Dei sunt, & Dei gratia etiā conferuntur vniuersa merita iustorum; Et infra eodem; horū tertium hoc loco vlt. posui, solum non tractatur nisi in supradicto gloriosi martyris libro: De duobus verò cæteris tanta illic prosperitate disseritur, vt supradicti hæretici noui inimici gratiæ Christi longè ante reperiantur conuicti esse quàm nati. In his ergo meritis sanctorum, quæ nulla nisi Dei dona sunt, etiam perseuerantiam donum Dei esse sic loquitur; Dicimus ergo, inquit, Sanctificetur nomen tuum, &c. sicut erant superiùs recitata; hoc idem patet per autoritates Augustini & Concilij Mileuitani, & Synodi Palæstinæ, vt capitulum tertium huius secundi superius allegauit; Quare & in sententijs Prosperi propositio 131. dicit, Sicut duo sunt officia medicinæ, vnum quo sanatur infirmitas, aliud quo custoditur sanitas: Ita sunt duo dona gratiæ, vnum quod aufert carnis cupiditatem, aliud quod facit animæ perseuerare virtutem; cuius simile ex libro de natura & gratia 26. quartum capitulum huius secundi superius recitauit. Cui etiam simile 8. super Genes. ad literam 19.

scribitur

Margin notes: ‖ cum *Augustinus* (beside "peruersorum: ‖ Cui"); ‖ attenditur (beside "‖ accenditur"). Section letters A, B, C, D, E in right margin.

A scribitur in hæc verba; Neque enim tale aliquid est homo, vt factus deserente eo qui fecit eum, possit aliquid agere bene tanquam ex seipso; sed tota actio sua bona est ad eum conuerti à quo factus est, & ab eo iustus, pius, sapiens, beatusque semper fieri, & non recedere sicut à corporis medico, sanari, & abire; quia medicus operarius corporis fuit extrinsecus seruiens naturæ intrinsecus operanti sub Deo qui operatur omnem salutem gemino illo opere prouidentiæ, de quo supra locuti sumus; Non ergo ita se debet homo ad Deum conuertere, vt cùm ab eo factus fuerit iustus, abscedat; sed ita vt ab illo semper fiat; eo quippe ipso cùm ab illo non discedit, eius sibi præsentia iustificatur, & illuminatur, & beatificatur operante & custodiente Deo, dum obedienti, subditoque dominatur: Nec enim vt dicebamus, (sicut operatur homo terram, vt culta atque fœcunda sit, qui cum fuerit operatus abscedit, relinquens eam vel aratam vel satam, vel rigatam, vel si quid aliud, manente opere quod factum est cum operator abscessit) Ita Deus operatur hominem iustum, id est, iustificando eum, vt si abscesserit, B maneat in abscedente quod fecit; sed potius sicut aer præsente lumine non factus est lucidus, sed fit, quia si factus esset, non vtique fieret, sed etiam absente lumine lucidus maneret; sic homo Deo sibi præsente illuminatur, absente autem continuò tenebratur; à quo non locorum interuallis, sed voluntatis auersione disceditur, & ab hoc loco 28 5ª. propositio sententiarum Prosperi est excerpta, & sequitur cap. 20. Ille vtique operetur hominem bonum & custodiat, qui incommutabiliter bonus est; semper ab illo fieri, semperque perfici debemus inhærentes ei, & in ea conuersione, quæ ad illum est, permanentes, de quo dicitur, Mihi adhærere Deo bonum est, & cui dicitur, Fortitudinem meam ad te custodiam. Item Anselmus de concord. 9. dicit, Quibus autem modis, post rectitudinem eandem acceptam, gratia liberum arbitrium adiuuet, vt seruet quod accepit, quamuis non omnes valeam enumerare, (multifariam enim hoc facit,) tamen non erit inutile aliquid inde dicere. Nemo certè seruat rectitudinem hanc acceptam nisi volendo, velle autem illam aliquis nequit non haben- C do, habere autem illam nullatenus valet nisi per gratiam; sicut ergo nullus eam accepit nisi gratia præueniente, ita nullus eam seruat, nisi eadem gratia subsequente: Nempe quamuis illa seruetur per liberum arbitrium, non tamen est tantum imputandum libero arbitrio quantum gratiæ, cum hæc rectitudo seruatur. quoniam illam liberum arbitrium non nisi per gratiam præuenientem & subsequentem habet & seruat; sic autem gratia subsequitur donum suum, vt nunquam, siue magnum, siue paruum sit, illud dare deficiat, nisi liberum arbitrium volendo aliud, rectitudinem quam accepit, deserat. Idem in meditationibus suis in quadam oratione quæ intitulatur pro inimicis, sic ait; Omnipotens & piè Domine Iesu Christe, sicut nihil boni potui incipere sine te, ita nec possum consummare vel custodire absque te. *Augustinus.*

COROLLARIVM.

D *Corollarium, Quod nullus Viator solius Liberi Arbitrij vel gratiæ viribus, aut amborum coniunctim sine alio Dei auxilio speciali potest perseuerare per aliquod tempus omnino.*

VNde manifestum est, nullum hominem pro hoc statu solius liberi arbitrij viribus, vel gratiæ createę quantęlibet, sine alio Dei auxilio posse nedum perseuerare finaliter, sed nec per aliquod tempus omnino, quod per præcedentia satis patet. Item si quis posset sic perseuerare per vnam horam, cùm in fine illius horæ esset ita fortis spiritualiter sicut prius, vel forsitan potius fortior, posset adhuc æquè faciliter vel facilius perseuerare, similiter per aliam horam sequentem, & sic per omnes, & ita finaliter contra capitulum iam præmissum. Item si quis sic posset perseuerare per vnam horam, posset & finaliter: Nam finis illius horæ erit sibi forsitan finis vitæ; si enim duorum æqualium vnus multis annis victurus potest sic perseuerare per ho- E ram, potest & alter victurus tantum per horam; quare potest sic perseuerare finaliter, quod præmissum cap. non permittit. Item sicut secundum cap. primi docet, omne quod est naturale, & non est per se tale, sed est mutabile in non tale, si manere debeat immutatum, oportet quod innitatur continuè alicui per se fixo; quare & continuè quilibet iustus Deo; Vnde Esa. *Esaias.* 50. Speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum; Vbi Glossa, Vt humana fra- *Glossa.* gilitas diuina maiestate sustentetur; & Canticorum vltimo, Quæ est ista quæ ascendit de de- *Cantic. 8.* serto delicijs affluens, innixa super dilectum meum, seu suum? Vnde Augustinus de gratia *Augustinus.* & libero arbitrio 15. dicit, Ita necessarium est homini, vt gratia Dei non solum iustificetur impius, sed etiam cùm fuerit iustificatus ambulet cum eo gratia, & incumbat super ipsam ne

 cadat

cadat: Propter hoc ſcriptum eſt in Canticis Canticorum de ipſa Eccleſia, quæ eſt iſta quæ A
aſcendit dealbata incumbens ſuper fratruelem ſuum; dealbata eſt enim quæ per ſeipſam al-
ba eſſe non poſſet, iam verò alba facta bene ambulat, ſed ſi ſuper eum à quo dealbata eſt, per-
ſeueranter incumbat.

CAP. IX.

Quod nec homo nec Angelus cum quantacunque gratia ante lapſum potuit perſeuerare finaliter, vel ad tempus ſine alio Dei auxilio ſpeciali. B

Oſtenſo, quod homo poſt lapſum per gratiam reparatus non po-
teſt ſolius liberi arbitrij viribus, ſeu etiam gratiæ creatæ quan-
tælibet, ſine alio Dei auxilio perſeuerare finaliter, nec ad tem-
pus; Reſtat oſtendere conſequenter quod homo nec Angelus
ante lapſum quantacunque gratia creata ſuffultus ſic potuit per-
ſeuerare finaliter, vel ad horam: hoc nempe per rationes oſten-
dentes concluſionem principalem capituli proximi ſimiliter o-
ſtendetur. Item ſi liberum arbitrium in gratia ante lapſum ſic
perſeuerare valebat, valebat ſimiliter tentationem quamlibet
ſuperare, & peccatum quodlibet præcauere, & cum iam poſt
lapſum non ſit infinitè debilius, quia ſic totam ſuam fortitudi- C
nem penitus amiſiſſet, poſſet & nunc cum tanta gratia quantam tunc habuit tentationem
aliquam ſuperare, tentationem ſcilicet debiliorem in tantum, in quantum ipſum liberum ar-
bitrium eſt debilius nunc quàm prius, ſicut proportionalitas debita clare probat; quod eſt con-
tra quartum capitulum huius ſecundi. Vel etiam ſic ad idem, quantum liberum arbitrium
eſt debilitatum per lapſum, tantum habeat gratiam ampliorem, ita quod ſemper eadem pro-
portio conſeruetur, &c. ſicut prius. Et ſi quis voluerit reſpondere dicendo, quod ante lapſum
nulla fuit difficultas omnino reſiſtere tentatori, ſed poſt lapſum ſemper eſt aliqua difficultas,
quare ratio non procedit: Imò illa reſponſio retrocedet: Si enim liberum arbitrium pro-
prijs viribus, vel cum gratia ſine alio Dei auxilio tunc potuit ſine difficultate omni tenta-
*in aliquo legitur aliquali — tioni reſiſtere, poſſet & nunc, licet cum difficultate * aliqua. Difficultas enim nequaquam to-
tam liberi arbitrij poſsibilitatem excludit, & impoſsibilitatem includit, quia ſi ſic eſſet, nequa-
quam difficile, ſed impoſsibile diceretur; adhuc enim vires liberi arbitrij licet debilitate & D
cum difficultate aliqua reſiſtentes alicuius tentationis ſeu tentatoris vires excedunt. Multi
quoque ſancti in hoc ſtatu ſine aliqua difficultate aut moleſtia, imò cum magna facilitate &
lætitia tentationes quamplurimas, vt creditur, ſuperabant, multa quoque peccata de quibus
nullatenus tentabantur ſine dificultate aliqua, imò & cum facilitate maxima præcauebant.
Nec eſt omnino clariſsimum, quod Angelo vel homini ante lapſum nulla fuerit penitus diffi-
cultas: Mirum enim videtur ſi homo tunc potuit omne pondus ſine quacunque difficultate,
imò & æquali facilitate qualitercunque mouere; Nec minus videtur mirabile ſi omnem lite-
|| quocunq; — ram ſeu colorem in || *qualicunque* lumine intenſo vel remiſſo, & ad quamlibet diſtantiam
magnam vel paruam, ſine aliqua difficultate, incertitudine aut errore, imò cum æquali facili-
tate, certitudine & verificatione tunc potuit diſcreuiſſe; iſta tamen propenſiori ſtudio dere-
|| Beatus *Auguſtinus.* — linquo, proſequens quod incæpi. || *Sanctus* igitur Auguſtinus loquens de homine ante lapſum
Enchirid. 88. ſic dicit; Sic factus eſt homo rectus, vt & manere in eadem rectitudine poſſet
non ſine diuino adiutorio, & ſuo fieri peruerſus arbitrio. Idem de eodem de correptione & E
gratia 48. ſic ait, Tunc dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fece-
rat rectum; dederat adiutorium ſine quo in ea non poſſet permanere ſi vellet, & capit. 49. de
homine & Angelo ante lapſum, Si, inquit, hoc adiutorium vel angelo vel homini cum pri-
mum facti ſunt, defuiſſet, quoniam natura talis non erat facta, vt ſine diuino adiutorio poſ-
ſet manere ſi vellet, non vtique ſua culpa cecidiſſet; adiutorium quippe defuiſſet, ſine quo ma-
nere non poſſet; & infra eodem, primus homo vt reciperet bonum gratia non egebat, quia
nondum perdiderat; vt autem in eo permaneret, egebat adiutorio gratiæ ſine quo omnino
non poſſet. Idemque de natura & gratiã 50. recitatis cuiuſdam argumentis per locum à ſi-
mili

A mili ostendere molientis, quòd non peccare in nostra potestate sit positum, ita dicit; Sicut istæ similitudines falsæ sunt, ita & illud propter quod eas voluit adhibere; sequitur enim, & dicit, Simili ergo modo de non peccandi possibilitate intelligendum est, quod non peccare nostrum sit, in nostra scilicet potestate; & addit Augustinus, Si de integra & sana hominis natura loqueretur, quam modò non habemus, nec sic rectè diceret, quod non peccare nostrum tantummodo sit, quamuis peccare nostrum esset natura, & ibi esset adiutorium Dei, & tanquam lumen sanis oculis, quo adniti videant. Idem quoque ad idem: 14. de Ciuitate Dei penult. dicit ita, Cur non permitteret Deus vt à malo Angelo primus homo qui rectus, hoc est bonæ voluntatis creatus fuerat, tentaretur, quando quidem sic erat institutus, vt si de adiutorio Dei fideret bonus homo, malum Angelum vinceret; si autem creatorem atque adiutorem Deum superbè sibi placendo desereret, vinceretur, meritum bonum habens in adiuta diuinitus voluntate recta, malum vero in deserente Deum voluntate peruersa; quia & ipsum fidere de adiutorio
B Dei non quidem posset sine adiutorio Dei, nec tamen ab his diuinæ gratiæ beneficijs sibi placendo recedere non habebat in potestate: Nam sicut in hac carne, viuere sine adiutorio Dei & sine adiumentis alimentorum non est, non autem in ea viuere, in potestate est, quod faciunt qui seipsos necant; Ita bene in ea viuere sine adiutorio Dei etiam in Paradiso non erat in potestate, erat autem in potestate malè viuere. Ex his ergo patet prima pars conclusionis principaliter ostendendæ ex quibus etiam cum corollario proximo & rationibus ipsum probantibus patebit similiter & secunda.

CAP. X.

Obicit & respondet.

C

HIc fortasis obijciet aliquis contra dicta: Nam Lumbardus 2. sentent. dist. 24. postquam allegauit quasdam autoritatum dictarum asserentium Dei adiutorium esse necessarium homini vel Angelo ante lapsum, ad manendum in bono quod tunc acceperant, ita dicit; Hîc considerandum est quod fuerit illud adiutorium homini datum in creatione, quo poterat manere si vellet; & respondet; Illud vtique fuit libertas arbitrij ab omni labe & corruptela immunis, atque voluntatis rectitudo, & omnium naturalium potentiarum animæ sinceritas, & viuacitas; & ad hoc facit, quod dicit Augustinus de Correptione & gratia, 48. Dederat adiutorium sine quo non posset permanere si vellet; vt autem vellet in eius reliquit libero arbitrio; posset ergo permanere si vellet, & 57. vt ||*non* acciperet hoc donum Dei, id est perseuerantiam
D in bono primus homo, sed perseuerare vel non perseuerare in eius relinqueretur arbitrio; tales vires habebat eius voluntas, quæ sine vllo fuerat instituta peccato, & nihil ipsi ex seipsa concupiscenter resistebat, vt dignè tantæ bonitati, & bene viuendi fælicitati perseuerandi committeretur arbitrium. Idem de bono perseuerantiæ, 10. Non discedere à Deo, & non inferri in tentationem non esse omnino in viribus liberi arbitrij quales nunc sunt; fuerat autem in homine antequam caderet; quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia, quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui Diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt. Idemque Hypognost. 28. vt liberum arbitrium cum possibilitatis bono, quo valeret implere quod voluisset Adam, factum intelligas: audi quid dicat scriptura sancta in libro Ecclesiastico, Deus, inquit, ab initio fecit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui &c. quid est, autem, reliquit eum in manu consilij sui, nisi, dimisit eum in possibilitate liberi arbitrij sui? In manu enim possibilitas intelligitur. Ipsa est prima gratia, qua primus homo stare
E potuisset, si seruare Domini mandata voluisset. Sed proculdubio miror non modicum, magistrum bonum, Doctorem catholicum, sectatorem Augustini præcipuum, eius vera doctrina contempta, ad Pelagianas fallacias in hac parte fallaciter deuolutum. Nam sicut 39^um^. primi retexuit, Pelagiani dixerunt, gratiam quæ est necessaria homini ad implendum diuina mandata, esse naturalia hominis; & liberum voluntatis arbitrium à Deo homini gratis datum. Quomodo ergo ||*ponit* illud ||*diuinum* adiutorium homini & Angelo ante lapsum, ad standum in bono, necessariò requisitum, esse naturalia sua, & liberum arbitrium voluntatis? Dicet fortasis quod non est idem stare in bono, & implere diuina mandata. Quare licet liberum voluntatis arbitrium tunc fuerit homini vel Angelo adiutorium sufficiens ad standum in bono, non tamen ad implendum diuina mandata, sicut Pelagius posuit. Verùm si liberum arbitrium

Lumbardus.

Augustinus.

|| vero

Augustinus

Augustinus

Contra Lumbardum

|| potuit
|| datum

bitrium tunc suffecerat homini ad standum in bono, ergo & ad non comedendum de ligno scientiæ boni & mali, quia per comestionem de illo cadebat; quare & fuit sufficiens homini ad implendum diuinum mandatum, de non comedendo de ligno prædicto, quod solum sibi fuerat imperatum, vt patet Gen. 2. quare & prædictus error Pelagiani adhuc redit, scilicet, hominem per solum liberum arbitrium posse seruare Dei mandata. Et si adhuc respondeat, quod secus est de homine pro statu ante lapsum, & pro statu post lapsum, (Nam post lapsum non potest homo per liberum arbitrium sine gratia seruare Dei mandata, sicut mentiebatur Pelagius, sed potuit ante lapsum.) Contra, si homo per solum liberum arbitrium sine gratia tunc potuit seruare Dei mandata, ergo & mereri: Non enim videtur alia ratio quare Deus sibi præcepit ne comederet de illo ligno, quod nullo modo fuisset malū si non fuisset prohibitū, nisi vt haberet in quo posset mereri. Quis enim audeat dicere, quòd Deus præcepit homini aliquid vtile Deo, aut inutile homini, & quod nullius vtilitatis fuisset tunc homini diuinis iussionibus paruisse? Vnde Augustinus 8. super Genesin ad literam 21. inquirens causam illius diuini mandati, ponit prohibitionem trimembrem: Nam quandoque prohibetur aliquid per se malum, sicut gustare herbam mortiferam, quod siue prohibeatur, siue non, semper est malum facienti, & ideo prohibetur, ne prohibitus malum incurrat: Quandoque autem prohibetur aliquid, quod si fiat est malum prohibenti, vt si diues prohibeat quempiam pecuniam suam contingere, & ideo prohibetur ne prohibens malum incurrat: quandoque verò aliquid prohibetur, quod non est malum prohibenti, nec illi cui prohibetur, nisi quia prohibitum, & ideo prohibetur, non vt prohibens, aut prohibitus vitet malum, sed tantum vt prohibitus captet bonum, bonum, inquam, meritum, obediendo scilicet prohibenti: & istud prohibitorium Dei mandatum sub membro tertio continetur; qui & inter cætera ita dicit, Ab illo ligno, quod malum non erat, prohibitus est, vt ipsa per se præcepti conseruatio bonum illi esset, & transgresio malum: Et infra eodem; Cùm verò illud tangitur, quod nec tangenti obesset, si non prohiberetur, nec cuilibet alteri quamlibet tangeretur, quare prohibitum est, nisi vt ipsius per se bonum obedientia, & ipsius per se malum inobedientia monstraretur? Et adhuc inferius in eodem, Dominus quidem cur iusserit viderit, faciendum est à seruiente quod iussit, & tunc fortè videndum est à promerente cur iusserit; à promerente, inquit, & addit, Sed tamen vt causam iussionis huius non diutius requiramus, si hæc ipsa magna est vtilitas homini quod Deo seruit, iubendo Deus vtile facit, quicquid iubere voluerit; & hæc Autoritas allegatur in glossa Gen. 2. & 2. sententiarum Lumbardi dist. 17. Item si homo perstitisset in bono, meruisset per hoc confirmationem, & beatitudinem sempiternam, & hoc potuit per liberum arbitrium sine gratia, ergo & illud; quod autem per stationem, confirmationem & beatitudinem meruisset, satis apparet, quia si sic Angeli meruerunt, dicente Augustino de Correptione & gratia, [89]39. Boni Angeli per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt, eamque de casu suo nunquam futuro certissimam scire meruerunt. Et capit. 40. Diabolus & Angeli eius, etsi beati erant antequam caderent, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem tanquam præmium ipsius mansionis acciperent. Et 41. Hominem fecit cum libero arbitrio, & quamuis sui futuri casus ignarum, tamen ideo bonum, quia & mori & miserum non fieri in sua potestate esse sentiebat: In quo statu recto, ac sine vitio, si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset, profecto sine mortis & infælicitatis vllo experimento, acciperet illam, merito huius permansionis beatitudinis plenitudinem, qua & sancti Angeli sunt beati, id est, vt cadere non posset vlterius, & hoc certissimè sciret: & 48. Tunc dederat homini Deus bonam voluntatem; In illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum; Dederat adiutorium sine quo in ea non posset permanere si vellet, sed quia noluit permanere, profecto eius est culpa, cuius meritum fuisset, si permanere voluisset; sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt, & huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit, semper se in illa esse mansuros. Et de bono perseuerantiæ 10. Angeli qui, diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt, ad securitatem perpetuam non cadendi peruenire meruerunt. Beatus quoque Gregorius 27. Moral. 25. super illud Iob 37. Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos qui solidissimi quasi ære fusi sunt, sic ait; Possunt per cœlos, hi, qui in cœlestibus sunt conditi Angelici spiritus designari, de quibus bene dicitur, qui solidissimi quasi ære fusi sunt: Natura namque æris est rubigine difficile consumi; & virtutes Angelicæ, quæ in diuino amore fixæ perstiterint, lapsis superbientibus Angelis hoc in munere retributionis acceperunt, vt nulla iam rubigine surripientis culpę mordeantur, vt in contemplatione conditoris siue fælicitatis fine permaneant, & in hoc, quod sunt conditæ æterna stabilitate

Augustinus (margin, beside "iussionibus paruisse")
[Au]gustinus. (margin, beside "beatitudinem meruisset")
[Gre]gorius. (margin, beside "diabolo cum suis")

tate

A tate subsistant. Ex quibus Autoritatibus incidenter apparet, præter prædictum errorem Lumbardi alius adhuc duplex: Primus dicit Angelos ante suam confirmationem ipsam nullatenus meruisse, qui ponitur 2. sententiarum suarum dist. 5. quem per multas alias multorum sanctorũ autoritates possem conuincere, nisi per hoc ab incepti proposito cogerer declinare: Ad præsens namque tantum proponebam ostendere quod homo si mansisset in bono, & seruando Dei mandatum restitisset tentanti, per hoc aliquid meruisset, sicut sancti Angeli similiter meruerunt, quod & per autoritates præmissas me reputo ostendisse. Vnde patet secundus error Lumbardi qui ponit 2. sentent. dist. 24. vt vtar proprijs eius verbis, quod recedere à malo, & non consentire tentationi, non fecisset illi, scilicet Adæ ante lapsum meritum, etiamsi non consensisset, quia nihil in eo erat, quod ad malum impelleret, sicut Angelis, qui non ceciderunt, non fuit meritum quod steterunt, id est, quod non corruerunt; Nobis autem meritum est aliquando, si malum non facimus, sed resistimus ibi duntaxat, vbi causa subest, quæ nos B id facere mouet, quia ex peccati corruptela proni sunt ad lapsum gressus nostri: Vbi autem non interuenit causa nos ad malum impellens, non meremur si ab eo declinamus; cum tamen dicat Augustinus 14. de Ciuitate Dei, penult. sicut capitulum proximum allegauit, quod primus homo sic erat institutus, vt si de adiutorio Dei fideret, bonus homo malum Angelum vinceret, meritum bonum habens in adiuta diuinitus voluntate recta. Anselmus quoque de casu diaboli 14. inquirens quomodo bonus Angelus suam beatitudinem meruit, ita dicit; Angelus nec potest, nec debet esse beatus nisi velit, & nisi iustè velit; necesse est vt sic faciat Deus vtramque voluntatem in illo conuenire, vt & beatus esse velit, & iustè velit, quatenus addita iustitia sic temperet voluntatem beatitudinis, vt & resecet voluntatis excessum, & excedendi non amputet potestatem; vt cùm per hoc quia & volet esse beatus, modum posset excedere, per hoc quod iustè volet & non volet excedere, & sic iustam habens beatitudinis voluntatem, possit & debeat esse beatus, qui non volendo, quod non debet velle cùm tamen posset, mere-C atur vt quod velle non debet, nunquam velle possit. Beatus etiam Gregorius 34. Moral. 6. super illud Iob 41. Cum sublatus fuerit, scilicet Leuiathan, timebunt Angeli, & territi purgabuntur, dicit, quod sub futuri temporis modo præterita describuntur, & addit; Nec rectæ intelligentiæ sensum reliquimus, si credamus, Leuiathan isto ab arce beatitudinis cadente, in ruina eius etiam electos angelos expauisse, vt cum istum ex illorum numero superbiæ lapsus eijceret, illos ad robustius standum timor ipse solidaret: Vnde & subditur, & territi purgabuntur; Purgati enim sunt, quia nimirum isto cum reprobis legionibus exeunte, soli in cœlestibus sedibus qui beatè in æternum viuerent, remanserunt; Huius ‖ *itaque* lapsus eos & terruit & purgauit; terruit, ne conditorem suum superbè despicerent, eius scilicet similitudinem appetendo; purgauit verò, quia exeuntibus reprobis actum est, vt electi soli remanerent, & quia cunctorum opifex Deus scit ad bonorum custodiam bene vti etiam mala actione, reproborum lapsum cadentium vertit in prouectum manentium, & vnde punita est cul-D pa superbientium, in humilibus Angelis & inuenta & solidata sunt augmenta meritorum: Istis namque cadentibus, illis in munere datum est, vt cadere omnino non possint: Ergo secundum Anselmum & Gregorium, Angeli confirmati, suam confirmationem per ‖ *huiusmodi* meruerunt, quod non voluerunt, quod non debuerunt, & per hoc, quod cum Leuiathan superbiæ lapsus eijceret, isti ex timore robustius & solidius perstiterũt, & per hoc quod territi, nequaquam conditorem suum superbè cum alijs despexerunt; ergo secundum vtrumque non consentiendo tentati, suam beatitudinem meruerunt: Nam sicut Eua per serpentem tentabatur antiquum, sic & boni Angeli per illum Leuiathan tentabantur; de quo exponitur vno modo illud Apoc. 12. Factum est prælium magnum in cœlo, Michael & Angeli eius præliabantur cum Dracone, scilicet resistendo; & Draco pugnabat, & Angeli eius, id est, tentando, & non valuerunt, ne. locus eorum inuentus est amplius in cœlo; & proiectus Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui seducit vniuersum orbem, pro-E iectus est in terram, & Angeli eius cum eo missi sunt. Vnde si ratio Lumbardi diligentiori scrutinio ventiletur, videbitur multum infirma: Licet enim in homine ante lapsum, & in Angelis iam beatis non erat aliquid, quod ad malum impelleret; erat tamen extra ipsos tentator fortissimus, qui ipsos quantum potuit, impulit ad peccandum: qui eos fortasse ad malum tantum tunc impulit, quantum aliqua parua tentatio hominem nunc impellit: Non est enim super terram potestas, quæ comparetur ei; Iob 41. quomodo etiam secundum catholicos tractatores, peccatum Angeli ideo est irremediabile, quia ex se non aliunde tentatus peccauit; peccatum verò hominis ideo remediabile, quia non penitus ex se, sed aliunde tentatus peccauit, nisi illa tentatio hominem ad peccandum aliquantulum impulisset, alias in ‖ *nullo* excusabilior videretur, quia peccauit tentatus, quam si non tentatus peccasset: Quomodo etiam mulier

Error Lumbardi.

Anselmus.

Gregorius.

‖ inquam,

‖ hoc

‖ malo

mulier nullo modo impellebatur ad comedendum de ligno prohibito, cùm dicat Scriptura Gen. 3. Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit: Nonne illa apparens sibi bonitas, pulchritudo, & delectabilitas, eam ad comedendum quoquo modo impulit & attraxit, cum dicat Virgilius in Bucol. — trahit sua quemque voluptas? cùm & hoc satis testetur Philosophus 3. de Anima in fine cap. de mouente & in libro Ethic. quasi per totum. Dicitque beatus Gregorius 21. Moral. 2. super illud Iob 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Nec Eua lignum vitæ contigisset, nisi hoc prius incaute respiceret; scriptum quippe est, vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, &c. huic ergo pensandum est, cum quanto debemus moderamine erga illicita visum restringere, nos qui mortaliter viuimus; si & mater viuentium per oculos ad mortem venit: Hinc Propheta dicit, Oculus meus deprædatus est animam meam; concupiscendo enim visibilia, inuisibiles virtutes amisit: quæ ergo interiorem fructum per exteriorem visum perdidit, per oculum corporis pertulit prędam cordis; Et allegat hoc glossa super Gen. vbi prius; Quomodo etiam malus Angelus similitudinem Dei appetijt, si non prius hoc apparuit sibi bonum, cum tam secundum Philosophos, quàm Theologos nil aliud appetatur; & qualiter consequenter ad huius appetitum per talem apparentiam nullo modo allectus fuerat, aut impulsus. Dicitque Augustinus Enchirid. 87. quod illam immortalitatem in qua posset non mori, natura humana perdidit per liberum arbitrium, hanc immortalitatem in qua non posit mori, est acceptura per gratiam, quam fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum, quamuis sine gratia; nec tunc vllum meritum esse potuisset, quia etsi peccatum in solo erat libero arbitrio constitutum, non tamen iustitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni diuinum adiutoriũ præberetur; quam Autoritatem recitat Lumbard. 4. sent. dist. 29. & addit, Ecce his verbis satis ostendit, quòd ante peccatũ homo indigebat gratia operante & cooperante: Non enim habebat, quo pedẽ mouere posset sine gratiæ operantis & cooperantis auxilio; habuit tamen quo stare poterat. Vnde patet expositio Lumbardi in principio capituli recitata, autoritatum Augustini dicentium diuinum adiutorium fuisse necessarium homini ante lapsum, ad standum in bono, asserens hoc esse liberum eius arbitrium, non est verax: Non enim veraciter exprimit mentem Autoris, sed est contraria menti eius, nec fideliter recitat eius verba, ex quibus posset fideliter ‖ *conuinci* mens ipsius: Cùm enim recitauit illud Enchirid. 87. Sic prius oportebat hominem fieri, vt & bene velle posset, & malè; nec gratis seu frustra, si bene; nec impunè, si male; cur subticuit quod eodem capitulo ponitur consequenter, & erat superius proximo recitatum; videlicet, etsi peccatum erat in solo libero arbitrio constitutum, non tamen iustitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni diuinum adiutorium præberetur: Quomodo ergo adiutorium illud diuinum, per quod suffecisset iustitiæ retinendæ, & sine quo liberum arbitrium non sufficit, liberum arbitrium dici potest? quia si sic, nihil aliud diceretur, nisi quod liberum arbitrium per seipsum suffecisset iustitiæ retinendæ, & sine seipso nullatenus suffecisset; quorum primum negat Augustinus expressè, & secundum nullus dubitet idiota. Cur itaque post hanc 2 sentent. dist. 29. recitatam ab eo, subiunxit, quod homo ante peccatum sine gratiæ operantis & cooperantis auxilio habuit quo stare poterat, cum tamen dicat Autoritas, quod tunc non sic sufficiebat liberum arbitrium iustitiæ retinendæ? Ergo nec tunc sic suffecit stare in ea. Cur etiam dist. 24. suppresit, quod Augustinus adhuc eodem capitulo immediatè subiungit; sicut enim mori est in hominis potestate cùm velit; Nemo est enim qui non seipsum, vt nihil aliud dicam, vel non vescendo posit occidere; Ad tenendam ergo vitam voluntas non satis est, si adiutoria siue alimentorum, siue quorumcunque tutaminum desint, sic homo in Paradiso ad se occidendum, relinquendo iustitiam idoneus erat per voluntatem; vt autem ab eo teneretur vita iustitiæ, parum erat velle, nisi ille, qui eum fecerat, adiuuaret; nisi forsan quia per hoc significatur expressè, quod ad tenendam iustitiam quam homo in Paradiso habebat, ipsius liberum voluntatis arbitrium sine alio Dei ‖ *adiutorio* non suffecit. Cur etiam quæso cum recitaret in eadem dist. Autoritates Augustini de Correptione & gratia 49. & 48. capitulis hic capit. proximo plenius recitatas: cur inquam, pertransiuit silentio alia dicta Augustini ibidem, quæ sua prædicta expositio destruit, vel potius ab eis destruitur? Nam capit. 47. dicit ita; Istam gratiam non habuerat homo, qua nunquam vellet esse malus, sed sane habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Idem ibidem capit. 48. Tunc dederat homini Deus bonam voluntatem: In illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat adiutorium sine quo in ea non posset permanere si vellet; vbi semper

Marginalia: *Virgilius.* *Gregorius.* *Augustinus.* *Lumbardus.* ‖ conijci; ‖ auxilio; A B C D E

A semper distinguit inter hanc gratiam, seu hoc adiutorium, & liberum arbitrium voluntatis. Idem ibidem cap. 49. Si autem hoc adiutorium vel Angelo vel homini cum primum facti sint, defuisset, quoniam natura non erat facta vt sine diuino adiutorio posset manere si vellet, non vtique sua culpa cecidisset: Adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non posset: Sed si hoc adiutorium sit liberum voluntatis arbitrium, quomodo potuit vel Angelo, vel homini defuisse? certe non aliter quàm natura sua sibi existenti potuit defuisse: Intelligit ergo de adiutorio alio per quod liberum arbitrium iuuaretur, vnde & subdit; Nunc autem, scilicet pro statu hominis post peccatum, quibus deest tale adiutorium, iam pœna peccati est: quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum. Idem ibidem, cap. 52. Primo vtique homini, qui in eo bono quo factus erat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adiutorium perseuerantiæ, non quo fieret vt perseueraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset. Et
B capit. 60. Ita factum est, vt voluntas hominis inualida & imbecilla, scilicet post peccatum, in bono adhuc paruo perseueret per virtutem Dei, cum voluntas primi hominis fortis & sana in bono ampliori non perseuerauerit, habens virtutem liberi arbitrij, quamuis non de futuro adiutorio Dei, sine quo non posset perseuerare, si vellet: Ex quibus, vt reor, satis apparet legentibus, & non negligentibus literas Augustini allegatas à Lumbardo locis prædictis, ipsum Augustinum eisdem locis velle liberum arbitrium, & illud Dei adiutorium ad perseuerandum in bono, homini vel Angelo necessariò requisitum semper distingui realiter, & differre. *Nota.* Idem quoque ostendunt Autoritates eiusdem de Natura & gratia, & de Ciuitate Dei capit. proximo allegatæ. Et siquid acutius dixerim, & cum minori reuerentia, quàm deceret contra Dominum meum Magistrum Petrum Lumbardum, imò & Christum Domini Parisiensem Episcopum; excuset me quæso zelus Domus Dei & catholicæ veritatis, qui me contra Pelagianorum commenta vehementer accendit: Non enim contra ipsum aliquid dixeram, *Nota expositionem.*
C sed contra suum errorem, quia errori Pelagij plurimum est affinis; Concesso namque quod Angelus vel homo ante peccatum, per solum liberum arbitrium potuit perseuerare in bono quod habuit, concederetur faciliter consequenter, quod homo post peccatum reparatus per gratiam, posset in ea perseuerare finaliter per solum liberum arbitrium voluntatis; sicut capitulum proximum plenius deducebat, quod est contra capitulum septimum iam præmissum. Ad illud autem dictum Augustini de correptione & gratia 48. quod videtur facere pro hac parte, Dederat, inquit, adiutorium sine quo non posset permanere, si vellet; vt autem vellet in eius reliquit libero arbitrio; posset ergo permanere si vellet; dicendum, quod hoc non probat, quod illud adiutorium sit liberum arbitrium, sed magis videtur innuere contrarium, scilicet quod à libero arbitrio sit distinctũ, sicut superius est ostensum: Posset, inquit, permanere si vellet; cuius causam immediatè subiungit, quia inquiens non deerat adiutorium, per quod posset perseueranter bonũ tenere, || *si* vellet; vult ergo dicere quod illud adiutorium fuit non || quod
D ipsum liberum arbitriũ, sed aliquid sibi oppositũ, per quod si vellet illi inniti, perseuerare valeret, & quod si desereret perseuerare non posset; pro quo supra eiusdem 47. expressius dicitur isto modo; Istam gratiã habuit primus homo, in qua si permanere vellet, nunquã malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse nõ posset, sed eam per liberum arbitrium deserere posset, quoniã liberum arbitriũ ad malum sufficit, ad bonum autem parũ est, nisi adiuuetur ab omnipotenti Deo bono; quod adiutoriũ si homo ille per liberum arbitrium non deseruisset, semper esset bonus; sed deseruit, & desertus est; tale quippe erat adiutorium quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet. Illud aliud eius dictum c. 57. patet per idem: Non enim sequitur, licet perseuerare, & non perseuerare in hominis relinqueretur arbitrio, quod adiutorium Dei, sine quo perseuerare non posset si vellet, sit eius liberum arbitrium; imò quod potuit perseuerasse si voluisset, non tamen viribus solius liberi arbitrij, sed illius diuini adiutorij sæpe dicti, quod eum ad perseuerandum finaliter adiuuisset, nisi illud prius
E culpabiliter impulisset, sicut superius proximo erat dictum. Cum autem dicit de bono perseuerantiæ 10. Non discedere à Deo, & non inferri in tentationem non esse in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt, fuisse autem in homine antequam caderet; intelligit, quod cum æquali adiutorio & cæteris paribus, hoc est minus & difficilius in viribus liberi arbitrij nunc, quã tunc erat: Ita quod tunc non omnino nullo, sed minori adiutorio quã nunc egebat: Cuius causa est, quia tunc secundum Aug. de Correpț. & gratia 57. vt perseuerare vel non perseuerare in hominis relinqueretur arbitrio, tales vires habebat eius voluntas, quæ sine vllo fuerat instituta peccato, & nihil ipsi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, vt dignè tantę bonitati, & bene viuendi fælicitati perseuerandi committeretur arbitrium; Nunc verò posteaquam est illa magna, peccati merito, amissa libertas, etiam maioribus donis adiuuanda remansit infirmitas: *Expositio.*

tas: Nunc, inquit, maioribus donis adiuuanda remansit infirmitas, scilicet libertatis arbitrij, A
ergo tunc saltem minoribus fuit adiuuanda libertas; & supra eiusdem 54. sic ait, Maior quippe libertas est necessaria aduersus tot & tantas tentationes, quæ in Paradiso non fuerunt, dono perseuerantiæ munita atque perfecta, vt cum amoribus omnibus, terroribus, & erroribus suis vincatur hic mundus: Et sequitur 55. Hæc Sanctorum martyria docuerunt; Deinde ille Adam scilicet, & terrente nullo, & insuper contra Dei terrentis imperium, libero vsus arbitrio non steti in tanta fælicitate, in tanta non peccandi facilitate: Isti autem non dico terrente mundo, sed sæuiente ne starent, steterunt in fide. Vnde hoc, nisi donante illo, à quo misericordiam consecuti sunt vt fideles essent, à quo acceperunt spiritum non timoris, quo persecutionibus cederent, sed virtutis, & charitatis, & continentiæ, quo cuncta minantia, cuncta inuitantia, cuncta cruciantia superarent? Is ergo est vnus intellectus Augustini in autoritate sua præmissa. *Expositio secunda.* Alius eius intellectus est iste, quod homo pro statu huius miseriæ indiget multiplicius adiutorio diuino ad perseuerandum in bono, quàm pro statu innocentiæ indiguit primus homo. B
Nam pro isto duplici statu adiutorio Dei eget, vno vt liberetur à seruitute peccati; alio vt conseruetur in libertate boni: Primo pro primo statu primus homo non eguit, sed secundo, vt partim ex prioribus, partim ex alijs satis patet. Pro quo & Augustinus de Correptione & gratia 49. dicit; Nunc autem quibus deest tale adiutorium pœna peccati est; quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum; & tanto amplius datur per Iesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, vt non solum adsit sine quo permanere non possumus etiamsi velimus, verumetiam tantum ac tale sit, vt velimus. Fit quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseueranter tenendo, non solum posse quod volumus, verumetiam velle quod possumus, quod non fuit in homine primo; vnum enim illorum in illo fuit, alterum non: Namque vt reciperet bonum gratia non egebat, quia nondum perdiderat; vt autem in eo permaneret, egebat adiutorio, sine quo id omnino non posset. *Augustinus.* Idemque de eodem Enchirid. 87. ita dicit; Homo in Paradiso ad se occidendum, relinquendo iustitiam, idoneus erat per voluntatem; vt ab eo teneretur vita iustitiæ, parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat, adiuuaret; sed post illam ruinam maior est misericordia Dei, quando & ipsum arbitrium liberandum est à seruitute, cui dominatur cum morte peccatum. C
Illa verò Autoritas Hypognost. in contrarium allegata, quæ dicit liberum arbitrium Adæ factum cum possibilitatis bono, quo valeret implere quod voluisset, & quod ipsa fuit prima gratia, qua stare potuisset, si seruare mandata Domini voluisset, non probat, quod illud possibilitatis bonum, & illa prima gratia, aut illud diuinum adiutorium sæpius memoratum sit liberum arbitrium, sed magis videtur probare contrarium: Cum enim dicit liberum arbitrium cum illo bono creatum, nec vult dicere illud cum seipso creatum, videtur distinguere inter illa, innuendo quod liberum arbitrium non fuit creatum ab initio totum nudum, sed tanta gratia splendidum & vestitum, vt quod voluisset, potuisset implesse, seruasse scilicet mandata dominica, & stetisse, si hoc facere voluisset; D
sed adhuc vltra gratiam iam prædictam indiguit alio Dei auxilio ad hoc volendum; Nam neque tunc quicquam potuit voluisse sine adiutorio manus eius, qui secundum Apostolum ad Philippen. 2. operatur in nobis velle, & perficere: *Apostolus.* Et quod Augustinus hoc modo intelligat, ipsummet in testem adduco de Correptione & gratia 47. de eadem materia sic dicentem; Istam gratiam non habuerat homo primus, qua nunquam vellet esse malus; sed sane habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset: ergo illa gratia à libero arbitrio differebat; & immediatè subiungit; sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset; nec ipsum esse ergo Deus voluit sine sua gratia, quem reliquit in eius libero arbitrio, quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adiuuetur ab omnipotenti Dei bono, quod adiutorium si homo ille per liberum arbitrium non deseruisset, semper esset bonus; sed deseruit, & desertus est: Tale quippe erat adiutorium, quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret vt vellet. E
Hæc est prima gratia quæ data est primo Adam, sed hæc potentior in secundo Adam: Prima est enim qua fit, vt habeat homo iustitiam si velit, secunda ergo plus potest, qua etiam fit vt velit, & tantum velit, tanto ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat; nec illa quidem parua erat qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrij, quoniam sic adiuuabatur, vt sine hoc adiutorio in bono non maneret, sed hoc adiutorium si vellet, desereret; hæc autem tanto maior est, vt parum sit homini per illam reparare perditam libertatem; parum sit denique non posse sine illa, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono si velit, nisi etiam efficiatur vt velit. Et infra cap. 49. sic ait, Si hoc adiutorium vel Angelo, vel homini, cum primum

A primum facti sunt, defuisset; quoniam natura talis non erat facta, vt sine diuino adiutorio posset || *manere* si vellet, non vtique sua culpa cecidisset: Adiutorium quippe defuisset sine quo manere non posset; nunc autem quibus deest tale adiutorium, pœna peccati est; quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum, & tanto amplius datur per Iesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit; vt non solum adsit, sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus; verumetiam tantum ac tale sit vt velimus; sit quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseueranter tenendo, non solum posse quod volumus, verumetiam velle quod possumus, quod non fuit in homine primo; vnum enim illorum in illo fuit, alterum non. Acceperat posse si vellet, sed non habuit velle quo posset: Nam si habuisset, perseuerasset; posset enim etiam, si vellet, perseuerare. Hoc idem eiusdem testatur Autoritas 14. de Ciuit. Dei penult. cap. proximo allegata; Primus, inquit, homo sic erat institutus, vt si de adiutorio Dei fideret, bonus homo malum
B Angelum vinceret, meritum bonum habens in adiuta diuinitus voluntate recta; quia & ipsum fidere de adiutorio Dei non quidem posset sine adiutorio Dei. Patet ergo, quod licet primus homo ante peccatum potuit perseuerasse, si voluisset, tamen sine Dei auxilio non potuit illud velle; quare nec perseuerare finaliter, nec ad tempus, sicut capitulum proximum asserebat.

|| permanere

Augustinus.

CAP. XI.

Quod perseuerantia non est aliquod donum Dei creatum à charitate & gratia realiter differens & distinctum.

C

VT autem istud diuinum adiutorium necessarium libero arbitrio ad perseuerandum in bono, memoratum superius generaliter confusè, cognoscatur distinctius; iam || *restat* ostendendum, quod perseuerantia non est aliquod donum Dei creatum à charitate & gratia realiter differens, aut distinctum: Si enim esset, non repugnaret illa separari ab inuicem, & aliquem habere charitatem & gratiam, qui perseuerantiam non haberet, & si hoc posset per vnum momentum, posset per aliud, & deinceps vsq; ad finem, sicque aliquis sine perseuerantia finali perseueraret
D finaliter, quod contradictionem includit. Item si sic, habens charitatem sine perseuerantia per momentum, posset in fine illius momenti transire morte naturali, vel alia, sine perseuerantia finali diuinitus sibi data, & sic sine perseuerantia finali posset saluari; contra illud Matth. 10. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit, hic, scilicet discretiuè, quia hic & non alius, dicente Domino Ezech. 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, vita viuet, & non morietur; omnium iniquitatum, quas operatus est, non recordabor, in iustitia sua quam operatus est, viuet; si autem auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, nunquid viuet? Omnes iustitiæ eius non recordabuntur; in præuaricatione sua qua præuaricatus est, & in peccato suo quod peccauit, in ipsis morietur. Et Ecclesiastis 11. Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. Nulli etiam dubium, quin quicunque
E habuit donum charitatis & gratiæ, & non finaliter perseuerat in eo, cadit ab eo per peccatum mortale, in quo perdurat ad mortem, & est filius mortis æternæ: Talis ergo in charitate & gratia moriens, tamen sine perseuerantia finali simul æternaliter hæreditabit vitam & mortem; Vitam, quia moritur in charitate, quæ secundum Augustinum 15. de Trinitate [Dei] 18. sola est quæ diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ; Mortem, quia sine perseuerantia finali decedit. Item è contrario procedendo, si hæc distinguerentur realiter, posset aliquis sine charitate & gratia habere finalem perseuerantiam & saluari, quia qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit, Matth. 10. quod est contra autoritatem Augustini præmissam. Imò nec posset quisquam esse beatus perfectè sine charitate & dilectione Dei actiua & passiua: Maximum namque bonum maximè sibi deesset; videtur etiam quod si per-

|| remanet

Augustinus.

si perseuerantia posset esse sine charitate & gratia, posset esse sine quocunque alio tali bono. A sed hoc videtur repugnantiam importare, quod scilicet aliquis perseueret, & non in aliquo tali bono; Perseuerantia namque aliquod tale bonum in quo fundetur, & maneat, necessariò præsupponit. Item si hæc sic differrent, perseuerantia esset maius bonum, & melius charitate; Esset enim forma ipsam perficiens & consummans, ac ad coronam perducens, sine qua charitas nihil valeret ad vitam, & in cuius virtute omnia bona merita faceret, non è contra, quod non est dandum, quia nullius virtutis actus proprius siue finis est melior actu seu fine proprio charitatis, qui est diligere Deum summè: Mandatum enim de dilectione Dei est maximum & primum mandatum, teste veritate Matth. 22. Apostolus quoque prædicaturus de charitate 1. ad Cor. capit. 13. immediatè ante, scilicet cap. 12. vt auditores beneuolos redderet, & attentos, talem propheticum ad commendationem charitatis præmisit, Æmulamini charismata meliora, & adhuc excellentiorem viam vobis demonstro; & statim cap. 13. de ipsa charitate prosequitur in hunc modum; Si linguis hominum loquar, & Angelorum, B charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, &c. qui & in fine capit. sic concludit, Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas; quem & secutus beatus Augustinus 15. de Trin. 18. loquens de charitate, sic ait; Nullum est isto dono Dei excellentius. Item si sic esset, perseuerantia haberet aliquem actum proprium, distinctum ab actibus proprijs aliarum virtutum: Habitus enim per actus proprios, sicut formæ per operationes proprias discernuntur, sicut Naturalis & Moralis Philosophi pariter & Theologi contestantur; sed talis actus perseuerantiæ proprius assignari non potest: non enim potest poni actus memoriæ, intelligentiæ, nec etiam voluntatis, vt inductio per singulos manifestat, nec omnino alius dici potest. Item si perseuerantia à charitate differret realiter, cum ipsa sit necessaria ad salutem, Dominus dedisset aliquod speciale mandatum de ipsa; quod tamen nusquam reperitur in testamento veteri, nec in nouo, aut obseruantia mandatorum Domini non esset sufficiens ad salutem; cùm tamen quærenti quid faceret vt C vitam æternam perciperet, Dominus sic respondit, Mandata nosti, ne adulteres, ne occidas, &c. Marc. 10. ac si diceret manifestè; Hæc si facias, vitam æternam || *percipies*; & Luc. 10. Legis perito, quærenti à Domino quid faciendo vitam æternam possideret, requisiuit ab eo, In lege quid scriptum est? quo respondente, Diligis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. & proximum tuum, sicut teipsum, Dominus dixit illi, Hoc fac, & viues: Nec mirum, quoniam in his duobus mandatis tota lex pendet, & prophetæ, Matth. 22. Vel arguatur hoc modo, Obseruantia mandatorũ sufficit ad salutem, & perseuerantia differt à charitate realiter, ergo non continetur sub mandato de charitate, seu dilectione, nec sub aliquo alio, quia hoc minus videtur, ergo sine perseuerantia potest quis saluari. Vel adhuc sic si libet, Obseruantia mandatorum sufficit ad salutem, & non sine perseuerantia finali, ergo illa continetur sub aliquo præceptorum, & hoc non erit nisi sub mandato de dilectione & charitate; ergo illa & charitas nequaquam realiter distinguntur: Quare mihi videtur, quod perseuerantia habi- D tualis sit charitas habitualis, seu perdurans; perseuerantia verò actualis sit peramatio, & ipsum perseuerare finaliter peramare. Vnde & Anselmus de casu Diaboli 3. Perseuerare in faciendo aliquid, vt vno verbo dicatur, est perficere: Nam perseuerare in scribendo aliquid dicimus perscribere, in ducendo, perducere: Dicamus ergo si etiam non sit in vsu, quod perseuerare in voluntate sit peruelle, quare & perseuerare in charitatis amore, de quo dicitur Matth. 10. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit, est finaliter peramare. Vel aliter potest dici consonantius ipsi voci, & fortè propinquius ipsi rei, quod perseuerare est perseruare mandata, & perseuerantia perseruantia mandatorũ. Vel adhuc generalius isto modo; Perseuerantia habitualis est iustitia habitualiter perseruata; perseuerantia actualis est iustitiæ perseruantia actualis, ipsum verò perseuerare est iustitiam perseruare.

Matth. *Apostolus.* *Augustinus* *Marc.* || habebis *Luc.* *Perseuerantia habitualis & actualis.* *Anselmus.* *Matth.*

COROLLARIVM.

E

Corollarium, Quod nomen perseuerantiæ nullam rem absolutam essentialiter significat, sed accidentaliter & relatiuè, charitatem videlicet siue iustitiam cum respectu futuræ permansionis continuè vsque in finem, & quod non improbabiliter posset dici perseuerantiam esse ipsam relationem huius.

VNde manifestum est, quod nomen perseuerantiæ nullam rem significat essentialiter aut etiam absolutè; sed accidentaliter & relatiuè tantummodo, ipsam scilicet charitatem siue iusti-

A iustitiam, cum respectu ad finem, id est cum respectu futuræ permansionis continuæ vsque in finem, quare & non improbabiliter posset dici, perseuerantiam esse ipsam relationem huiusmodi, quod videtur innuere definitio Aristotelis, & maximè Tullij, cap. 7°. recitata; de quo nolo disserere plus hoc loco: satis enim, vt arbitror, erat de relationibus alibi disputatum. Istud corollarium ex præmissis in isto capitulo satis patet. Potest tamen ex abundanti aliter sic ostendi; Si etenim perseuerantia significaret essentialiter & absolutè aliquam rem in viatore, cùm illa non sit de essentia viatoris, nec ipsam essentialiter consequens, vt patet in multis ipsa carentibus, posset viator habens finalem perseuerantiam, ipsam amittere; ita quod verum esset, ipsum finalem perseuerantiam amisisse, sicut est de habitibus cæteris, & alijs actionibus absolutis, quod tamen contradictionem includit: Si enim perseuerantiam finalem amisit, aliquando eam habuit, ergo tunc fuit perseueraturus finaliter, quare & non casurus, & tunc similiter fuit casurus, sicut euentus subsequens demonstrauit: vel aliter, si iste cecidit in peccatum mortale, semper prius fuit casurus, ergo nunquam fuit non casurus, ergo nunquam
B habuit perseuerantiam, ergo nunquam eam amisit, contra hypothesin prius datam. Vnde Augustinus de bono perseuerantiæ 7. ita dicit, Dicimus quippe castum, quem nouimus castum, siue sit, siue non sit in eadem castitate mansurus, & siquid aliud diuini muneris habeat, quod teneri & amitti potest, dicimus eum habere quamdiu habet; & si amisit, dicimus habuisse: Perseuerantiam verò vsque in finem, non habet quisquam, nisi perseuerauerit vsque in finem, multi eam possunt habere, nullus amittere, & supra eiusdem primo capit. probat idem.

CAP. XII.

Obijcit & respondet.

C

PEr hoc autem corollarium iam præmissum, patet responsio ad aliquas obiectiones possibiles fieri contra dicta: Si enim vt dictum est perseuerantia non differret realiter à charitate, cum perseuerantia ipsa est idem realiter charitati, ergo & omnis habens charitatem habet perseuerantiã, quod falsum est, quia multi eam habentes sunt peccaturi mortaliter & casuri, sicut fuit de Saule & Iuda & alijs nimis multis. Adhuc autem sicut multi Doctores testantur, & sicut potuit indubitanter fuisse; ponatur omnes Angelos charitatem seu gratiam recepisse, & ipsam per tempus aliquod tenuisse; & sit A instans commune acceptionis gratiæ: Omnes enim, vt videtur, gratiam, sicut & essentiam, pariter acceperunt; & C instans confirmationis bonorum; & P peccationis malorum: Certum est autem secundum omnes Doctores, quod A P tempus est idem A C tempori, vel pars eius. Constat namque quod post confirmationem bonorum, nullus malorum incæpit peccare in cœlo, & cùm boni habuerunt perseuerantiam per totum A C tempus, quia charitatem seu gratiam continuè permanentem, habuerunt etiam perseuerantiam per totum A P tempus; ergo & mali similiter, quod est falsum; vel si mali nunquam perseuerantiam habuerunt, nec boni: Cur enim Deus æquissimus tantum discerneret inter illos ante omne demeritum vel peccatum, vt munus perseuerantiæ istis daret, illis verò negaret. Propter hanc etenim rationem, Augustinus 11. super Genesin ad literam 24. & 11. de Ciuit. Dei 11. & 13. Anselmus de casu diaboli 24. & Petrus 2. sentent. dist. 4. videtur istam discretionem negare de præscientia Angelorum, quod videlicet boni fuerunt præscij suæ beatitudinis futuræ, & mali non fuerunt præscij sui casus, quod tamen videtur multo amplius ponderandum de perseuerantia sine qua non est salus. Item si perseuerantia sit idem realiter charitati, cum charitas in diuersis sit maior & minor, sic erit de perseuerantia consequenter: Petrus ergo fuit magis perseueraturus, quàm Linus, ergo magis non amissurus suam charitatem, vel eam magis seruaturus, quod non oportet: in tantum enim potest quis seruare bonum suum minus ne cadat ab illo, sicut alius suum maius. Item cùm perseuerantia addat supra charitatem respectum continuationis per totum tempus vsque ad finem, quantitas illius respectus sequatur aliquo modo quantitatem sui fundamenti, scilicet charitatis, sequitur ipsum in maiori charitate esse maiorem, ergo & perseuerantiam illam maiorem: Ille enim respectus est quasi formale in perseuerantia, & charitas materiale. Sequitur etiam, quod cùm

Obiectiones.

D

Augustinus. *Anselmus.* *Petrus.*

E

tempus ad finem sit maius & minus & finis remotior & propinquior, quod ille respectus ex A
eis consurgens sit maior & minor, quare & perseuerantia consequenter. Imò & è contrario
arguendo, cum ille respectus non possit augeri vel minui, & sit forma ipsius perseuerantiæ,
sequitur ipsam perseuerantiam non posse augeri vel minui, & cum perseuerantia sit donum
Dei creatum, sequitur quod Deus de sua omnipotentia infinita, aliquod donum suum creatum
finitum non possit augere vel minuere quouismodo. Item si perseuerantia sit idem realiter
charitati, & superaddat respectum continuitatis ad finem, nullus qui habet, & habuit conti-
nuè charitatem, posset rationabiliter perseuerantiam à Domino postulare: Nihil enim potest
à Domino rationabiliter postulare, nisi quod à Domino potest accipere, sed perseueran-
tiam non potest accipere; Si enim posset, ponatur, ergo, iste nunc accipit perseuerantiam, er-
go nunc accipit charitatem cum tali respectu, vel saltem talem respectum; sed charitatem il-
lam non recipit, quia illam prius habuit; nec illum respectum ad finem, quia si nunc sit perse-
ueraturus finaliter, ita fuit prius quamdiu continuè habuit charitatem. Vel aliter isto modo; B
Iste accipit perseuerantiam; ergo est perseueraturus vsque in finem, ergo ita fuit prius, quan-
diu habuit charitatem, ergo prius continuè habuit perseuerantiam, ergo non accipit illam
modo. Item sit aliquis in charitate peccaturus mortaliter, & finaliter reuicturus, & eandem
charitatem numero accepturus, & finaliter seruaturus; tunc iste non perseuerabit, quia pecca-
bit mortaliter, & tamen habet perseuerantiam; Nam cras post pœnitentiam habebit perse-
uerantiam: Supponatur, & nunc habet eandem charitatem numero, quam tunc habebit, &
respectu finis eiusdem numero; ergo & nunc habet eundem respectum numero, ergo & ean-
dem perseuerantiam numero. Item iste, in ista charitate, quam nunc habet, est perseueratu-
rus vsque in finem, quia cras sic est perseueraturus, ergo nunc habet perseuerantiam. Item
si iste non habet perseuerantiam, non perseuerabit, nec est perseueraturus, cum tamen cras
perseuerabit, & erit perseueraturus, ergo iste incipiet esse perseueraturus, & propositio de
futuro nunc falsa incipiet esse vera, hæc scilicet, Iste perseuerabit finaliter. Item si sic; per- C
seuerantia habita non posset amitti, sicut capitulum proximum demonstrabat, cum tamen illa
charitas viatoris possit amitti, & per consequens ille respectus in prima fundatus: Sequitur
etiam quod Deus dedit aliquod munus creatum alicui, quod ipsemet non potest auferre nec
destruere vllo modo, imò & quod homo sit potentior ad retinendum, quam Deus ad aufe-
rendum illud munus. Item si perseuerantia esset huiusmodi donum Dei, aliquando illam
perseueranti donaret; vel ergo in instanti, vel tempore; si in aliquo instanti, ergo cui datur tunc
accipit, & habet perseuerantiam, & perseuerat; ergo prius perseuerauit, ergo prius continuè
habuit perseuerantiam, ergo non accipit illam modo: Perseuerare namque quandam succes-
sionem importat, sicut mouere, cuius alia pars præcedit, aliaque succedit; Importat enim con-
tinuationem in bono. Alias etiam posset quis perseuerare finaliter tantum per instans, scili-
cet si immediatè post instans acceptionis perseuerantiæ finalis per diuinam potentiam de me-
dio tolleretur; quod non est verum, quia ibi non esset principium nec finis, sed indiuisibili- D
erit ter totum simul. Si autem donetur in tempore hoc ‖ *esset* per tempus aliquod totum primo,
sicut loquitur Philosophus 6. Phys. 44. vbi definit illud hoc modo; Dico autem, primum
inquit, quod non per alterum aliquid ipsius esse huiusmodi sit, & arguo, sicut arguit ibi Phi-
losophus; Sit ergo illud tempus primum in quo Deus dat perseuerantiam A C, & B medium
eius instans; tunc in B iste habet perseuerantiam; ergo illa vel datur ei in B, vel dabatur in A
B, & vtrūlibet concedatur, non datur tunc in B C, ergo non in toto A C primò. Item talis mu-
tatur de non perseuerante in perseuerantem, ergo secundum Philosophum vbi prius 44. cùm
mutatus est primum est in illo, in quod mutatus, sicut à 40. vsque ad 44. demonstrat vniuer-
saliter in omni mutatione sic esse; & in illo 44. demonstrat, quod omne illud in quod aliquid
mutatum est primò necesse est atomum esse. Idemque Philosophus 8. Phys. 69. ostendit,
quod in omni mutatione de vna passione, seu dispositione in sibi oppositam est vnum signum,
scilicet vnum nunc vtrisque commune & priori & posteriori, & vnum & idem numero, huius E
quidem finis, illius autem principium, quod semper est posterioris passionis, sicut si D sit non
album toto A B tempore, & album toto B C tempore, erit album in B, nunc seu in instanti;
quare si quis sit non perseuerans toto A B tempore, & toto B C tempore perseuerans, in B
Anselmus. instanti erit necessariò perseuerans. Anselmus etiam de veritate 12. dicit, iustitiam mox
cùm datur à voluntate seruari, quare & tunc perseueratur in ea. Item si perseuerantia esset
huiusmodi donum Dei, daretur hominibus in vita præsenti, vel post eam; Non post, con-
stat, loquendo de finali perseuerantia viatoris; nec ante, quia ponatur tunc quod Petrus via-
tor habeat, & diu prius habuit perseuerantiam, tunc verum est Petrum habuisse perseueran-
tiam, ergo necesse est eum habuisse perseuerantiam. Nam secundum Philosophum 1. peri
herme-

A hermenias, quodlibet verum de præterito est necessarium; & si necesse sit Petrum habuisse perseuerantiam, cum ex illo sequatur ipsum esse perseueraturum finaliter, & ex necessario non sequitur nisi necessarium, vt liber Priorum ostendit, necesse est Petrum esse perseueraturum finaliter, cum tamen sit viator potens peccare mortaliter, & sic amittere charitatem. Item tunc qui habet, & diu habuit charitatem, casurus tamen ab ea, non habet nunc, nec vnquam habuit perseuerantiam, & tamen potest eam habere pro nunc, imò & potest nunc eam prius continuè habuisse; potest enim non cadere, sed perseuerare finaliter, ex quo sequitur ipsum nunc perseuerare & prius perseuerasse toto tempore quo habuit charitatem, & quicquid sequitur ex possibili est possibile, sicut nullus Logicus, nec Theologicus dubitat: Quare qui nunc non habet, nec habuit vnquam perseuerantiam, potest eam habere pro nunc, & eam prius continuè habuisse, ergo esset contingentia in propositionibus de præterito & præsenti, sicut in illis de futuro, quod est contra Philosophum 1. peri hermenias capit. vlt. & contra Boe-

B tium ibi in comment. Et 1. de Cœlo penult. sic ait, Neque enim vna virtus eius quod est factum esse est, sed eius quod est esse aut futurum esse, quod & satis plane dicit ibi Auerroes commentator. Lumbardus quoque 2. sentent. dist. 25. dicit, quod liberum arbitrium ad præsens vel ad præteritum non refertur, sed ad futurum; ergo nec liberum arbitrium Dei; Deus ergo non potest dare nunc perseuerantiam, nec potest nunc dedisse perseuerantiam non habenti, & ei qui nunquam eam habebat, quare nec talis potest eam nunc habere, aut prius continuè habuisse. Item Augustinus de bono perseuerantiæ 7. ita dicit; Non dicant homines perseuerantiam cuiquam datam vsque in finem, nisi cùm ipse venerit finis, & perseuerasse cui data est, repertus fuerit, vsque in finem; Et idem eandem quasi sententiam capitulo primo dicit. Sed illud soluit aliud, & aperit mentem eius: Dicit enim, Itaque vtrum quisque hoc munus acceperit, quamdiu hanc vitam duxerit, incertum est; Si enim priusquam moriatur cadat, non perseuerasse verissimè dicitur: Quomodo ergo perseuerantiam qui non per-

C seuerauerit accepisse vel habuisse dicendus est? Vult ergo dicere, quod de nullo quamdiu duxerit istam vitam est determinatum & certum, quod perseuerantiam finalem accepit, non quod nullus eam accepit, imò frequentissimè ostendit eius oppositum, sicut præmissa capitula recitabant: Alia autem obiecta reijcientur faciliter virtute corollarij præostensi, communi Logica succurrente.

CAP. XIII.

D

Quod illud auxilium sine quo nullus perseuerat, & per quod quilibet perseuerat, est Spiritus Sanctus, diuina bonitas & voluntas.

Ostenso quod liberum arbitrium ante lapsum, vel post, quantacunque gratia creata subnixum, non potuit perseuerare finaliter nec ad tempus, sine alio Dei auxilio speciali; nunc restat ostendere, quod sit illud * auxilium, quo suffultus perseuerans quilibet perseuerat, & sine quo perseuerare penitus nullus potest: Hoc autem adiutorium est Spiritus sanctus, diuina bonitas & voluntas, sicut 8. & 9. capitula prima faciliter demonstrabant; quod & potest ostendi sicut quintum huius secundi suam principalem conclusionem huic similem ostendebat: quod etiam testantur Autoritates illis capitulis allegatæ; quibus & alias

* Dei

E paucas addam. Augustinus siquidem de Correptione & gratia, 47. & 49. sicut finis noni huius secundi plenius allegauit, ostendit quod illud diuinum adiutorium necessariò requisitum libero arbitrio ad hoc quòd perseueret in bono, non solùm est sine quo perseuerare non possumus etiamsi velimus, sed & efficit vt velimus; sed quid est id sine quo velle non possumus, & quod velle nos facit, & volutiones nostras efficit, nisi Deus, qui secundum Apostolum ad Philipp. 2. operatur in nobis velle, & hoc per Spiritum sanctum, & suam omnipotentissimam voluntatem, sicut 8. & 9. capitula primi probant? Nam diuina bonitas & voluntas frequenter in Scriptura canonica & Doctorum Spiritui sancto appropriatè quodammodo assignantur. Quare dicit Augustinus de Correptione & gratia, 47. Prima

Augustinus.

Apostolus.

|| sit gratia quæ data est primo Adam, est qua|| *fit*, vt habeat homo iustitiam si velit, secunda plus po- A
|| sit test, qua etiam || *fit* vt velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, vt carnis volũtatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat, voluntate scilicet spiritus sancti, sicut intelligit Apostolus ad Rom. 8. cùm dicit, Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis; & vt ostendat quo spiritu illud fiat, statim subiunxit, Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei; & quod illud dictum Apostoli de mortificando facta carnis spiritu, non intelligatur de spiritu hominis, sed spiritu sancto Dei, testantur Autoritates Augustini de Gratia, & Libero arbitrio 26. de Prædestinatione sanctorum. 13. & 6. contra Iulianum. 14. sicut quartum huius secundi plenius allegauit. Item de Correptione & Gratia. 59. De ipsa perseuerantia, inquit, Boni, noluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari, qui eis non solùm dat adiutorium quale primo homini dedit, sine quo non possunt perseuerare, si velint; sed in eis etiam operatur & velle; vt quoniam non perseuerabunt nisi possint, & velint, perseuerandi eis possibilitas & voluntas diuinæ gratiæ largitate donetur; tantum quippe spiritu sancto accenditur B voluntas eorum, vt ideo possint quia sic volunt, ideo sic velint, quia Deus operatur vt velint. Nam si in tanta infirmitate vitæ huius ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei, sine quo perseuerare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur vt vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas succumberet, & ideo perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate voluntatis nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis vt possent. *Augustinus.* Idem de bono perseuerantiæ 8. Petimus ne inferamur in tentationem, vt hoc non fiat, & exaudimur; vtique non fit, quia Deus non permittit vt fiat; Et capitulo 18. Voluntate sua cadit qui cadit, & voluntate Dei stat, qui stat; Et 36. Vnde, inquit, satis dilucide ostenditur, & inchoandi, & vsque in finem perseuerandi gratiam Dei non secundum merita nostra dari, sed donari secundum ipsius secretissimam eandemque iustissimam, sapientissimam, beneficentissimam voluntatem. *Psalmus.* Ad hoc etiam facit illud Psalmi 32. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum, cum expositione Augustini superius recitata; Et illud Psalmi 36. Confirmat autem iustos Dominus, & illud Psalmi 50. Spiritu principali confirma me, & illud 2. ad Tim. 1. Bonum depositum custodi per spiritum sanctum qui habitat in vobis; Et illud Psalmi 72. Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me &c. Et illud Psalmi 29. Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; præstitisti, inquit, decori meo charitatis, & gratiæ, virtutem perseuerantiæ. Vnde C *Augustinus.* Augustinus de Gratia & Libero arbitrio 14. ita dicit, Si gratia se subtraxerit, cadit homo non rectus, sed præcipitatus libero arbitrio; Quapropter nec quando cœpit homo habere bona merita, sibi debet tribuere illa, sed Deo, cui dicitur in Psalmo, Adiutor meus esto, ne derelinquas me: dicendo ne derelinquas me, ostendit si derelictus fuerit, nihil boni valet ipse per se: Vnde & ille ait, Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum: putauerat enim suum fuisse bonum, quod ei sic abundabat vt non moueretur, sed vt ostenderetur illi cuius esset illud bonum, de quo tanquam de suo cœperat gloriari; paululum gratia deserente admonitus D dicit, Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. *Augustinus.* Idem de Correptione & Gratia 35. dicit, Discunt prædestinati, quibus omnia cooperantur in bonum in ipsa vita iusta, cum tremore se exultare debere, non sibi arrogando tanquam de sua virtute fiduciam permanendi, nec dicendo in abundantia sua, Non mouebor in æternum; propter quod eis dicitur, Seruite Domino in timore & exultate ei cum tremore, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta: neque enim ait, ne veniatis ad viam iustam, sed pereatis de via iusta. *Apostolus.* His verbis vsus est Apostolus vbi ait, Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini; & ostendens quare cum timore & tremore, Deus est, inquit, qui operatur in nobis & velle & operari. Non enim habebat hunc timorem & tremorem qui dicebat, In abundantia sua, Non mouebor in æternum, sed quia filius erat promissionis non perditionis, expertus Deo paululum deserente, quid esset ipse, Domine, inquit, In voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus; ecce doctior ob hoc & humilior, eam tenuit viam iam videns E & confidens in voluntate sua, Deum decori eius præstitisse virtutem; quod ipse sibi tribuens, & de se præsumens in tali abundantia quam præstiterat Deus, non de eo, qui eam præstiterat, dicebat, Non mouebor in æternum; factus ergo conturbatus vt se inueniret, & humiliter sapiens, non solùm æternæ vitæ, verum etiam in hac vita piæ conuersationis & perseuerantiæ, *Augustinus.* in quo spes habenda esset, addisceret. Idemque de verbis Apostoli sermone primo, tractans eius autoritatem præmissam, sic ait; Iam inquis, ambulo viam iustam; opus erat vt discerem, opus erat vt per doctrinam legis scirem quid agerem, habeo liberum voluntatis arbitrium, quis me ab ista via separabit? si legas diligenter inuenies quiddam de sua quadam abundantia quam

A quam tum acceperat extollere se cœpisse, Dominum autem misericordem vt doceret humilitatem, quod dederat abstulisse, illum verò subitò inopem remansisse, & misericordiam Dei recordatione confessum, dixisse, Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum; ego dixi, homo dixi, omnis homo mendax, ego ergo dixi in abundantia mea; tanta erat abundantia mea vt hoc dicere auderem, non mouebor in æternum; quid inde? Domine in voluntate præstitisti decori meo virtutem, auertisti faciem tuam à me & factus sum conturbatus: ostendisti, inquit, mihi, quia illud quod abundabam de tuo erat, ostendisti mihi vnde peterem, cui tribuerem quod acceperam, cui gratias agere deberem, ad quem currerem sitiens, vnde implerer, & quo impletus essem, ad quem custodirem: fortitudinem enim meam ad te custodiam, vt quo te largitore impleor, te Saluatore non perdam: hoc vt ostenderes auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus; conturbatus quia siccatus; siccatus, quia exaltatus: quid ergo Dominus dicit, Seruite Domino in timore, & exaltate ei cum tremore; sic & Apo-
B stolus, Cum timore, inquit, & tremore vestram ipsorum salutem operamini; Deus est enim qui operatur in vobis; ergo exultate cum tremore, ne quando irascatur Dominus & pereatis de via iusta: Nunquid dixit, ne quando irascatur Dominus, & non veniatis ad viam iustam; aut & non perducat ad viã iustam; aut & non ||*nos* admittat ad viam iustam? Iam in illa ambula- || vos
tis, nolite superbire, ne etiam de illa pereatis, Et pereatis, inquit, de via iusta, cũ exarserit in || *bre-* || breuem
ui ira eius super ||*nos*, non in longum: Nam vbi superbis, ibi quod acceperas perdis; hic territus || vos
homo quasi diceret, quid ergo faciam? sequitur, Beati qui confidunt in eo, non in se, sed in eo: Quare & Psalmo 35. bene dicit Psalmista, Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me; Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare: Ecce quomodo Domino irato superbis, pereunt de via iusta, in tantum quod expelluntur ab ea, nec possunt stare in ea: nec mirum, quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius, sicut sextum capitulum huius secundi diligentius exponebat.

C

CAP. XIIII.

Quod perseuerantia gratis detur à Deo, non meritis comparetur.

POst hæc autem restat inquirere, nunquid aliquis sibi posit perseuerantiam promereri, & quod sic, posset non improbabiliter apparere. Aliquis enim potest mereri perseuerantiam alteri per preces suas deuotas: alias enim inutile videtur fundere preces Deo, vt in bono quempiam || *confirmet*, contra 8°. huius præmissa; cur ergo non potest quis || confirmaret,
D mereri perseuerantiam sibi ipsi? Item viator existens in gratia, & casurus ab illa, posset & potest per deuotæ orationis instantiam sibi à Deo perseuerantiam impetrare; cur alias nobis || *diceret* Filius, quod quic- || promisit
quid peteremus patrem in nomine Filij daret nobis. Dicitque Iacobus, Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter & non improperat, & dabitur ei; postulet autem in fide nihil hæsitans: Cur ergo si quis nostrum indiget perseuerantia, non similiter faciet? & similiter ei fiet? præsertim cùm Deus det omnibus affluenter, & omne datum optimum, & omne donum perfectum à Patre luminum de sursum descendat. Item homo potest mereri vitam æternam, sicut tota fides Christiana testatur, & hæc est maior & melior perseuerantia, ergo multo magis potest & illam mereri. Item homo potest mereri confirmationem finalem beatificam, & perseuerantiam sempiternam, sicut ex decimo huius, præmissis videtur sanctos Angelos meruisse; multo magis ergo perseuerantiam temporalem.
E Item Augustinus de bono perseuerantiæ 7. hoc, inquit, Dei donum, scilicet perseuerantia suppliciter emereri potest, amitti contumaciter non potest; Et infra 46. dicit quod alia Deus dat non orantibus, sicut initium fidei, alia verò non nisi orantibus præparasse, sicut vsque in finem perseuerantiam. His tamen nequaquam obstantibus, opposita pars videtur magis probabilis, & magis consona rationi, autoritatibusque Sanctorum: Si quis namque posit mereri perseuerantiam, ponantur duo viatores, Ioannes & Petrus pares in omnibus naturalibus & gratuitis, & Deum neutri eorum dare perseuerantiam nisi secundum exigentiam meritorum; qui & æqualiter perseuerantiam mereantur vsque ad A tempus vel instans, in quo ambo tententur æqualiter de peccato mortali, & cùm non sit necesse quod vno consentiente alter consentiat,

nec

nec quod vno resistente alter resistat, ponatur Ioannem resistere & sic mori, Petrum verò A
peccare; tunc Ioannes meruit perseuerantiam, & accepit in A vel ante; & Petrus omnino æqualiter meruit ante A: Ergo & ipse accepit perseuerantiam in A vel ante, quod falsum est, cùm non perseuerauit, sed cecidit. Vel sic, Petrus & Ioannes æqualiter meruerunt perseuerantiam eis dari, & Petrus non meruit perseuerantiam sibi dari, quare nec Ioannes contra præmissa. Vel ponatur disparitas quantalibet meritorum, & adhuc qui plus meruit perseuerantiam sibi dari, æqualiter vel minus tentatus potest cadere in peccatum mortale, & qui minus meruit, æqualiter vel plus tentatus potest resistere & sic mori, quare & perseuerare finaliter. Paruulis etiam baptisatis sic decedentibus perseuerantia quædam datur; multis verò adultis qui multipliciter meruerunt, nequaquam: Imò & ponatur, quod vnus in maxima gratia constitutus, excellentissimè mereatur perseuerantiam sibi dari, quod tamen tandem cadat in peccatum mortale; & quod alter in gratia paruula, scilicet baptismali nunquam bene mereatur, sed per totum tempus suum, quod potest esse maius vel minus, exerceat se in actibus indiffe- B
rentibus, venialibusuè peccatis, sed abstineat à mortali, & ita decedat; iste ergo habuit perseuerantiam finalem, ille nequaquam; quare & videtur perspicuum perseuerantiam finalem non dari secundum eorum merita, quibus datur, sed secundum gratuitam gratiam, ipsam dantis. Et si quis respondeat, perseuerantiam quibusdam prædictis non dari, quia licet multipliciter meruerunt, postea tamen mortaliter peccauerunt, non soluit nodum, nec difficultatem euadit: Perseuerantia namque finalis est præseruatiua à peccato mortali, & conseruatiua finaliter aliorum munerum diuinorum, dicente Augustino de bono perseuerantiæ 7. Quomodo potest donum perseuerantiæ amitti, per quod fit vt non amittatur etiam quod posset amitti; Et supra 3. Qui accipiunt perseuerantiam, profecto magnum Dei donum, quo cætera eius dona conseruantur, accipiunt; qui ergo meruit perseuerantiam finalem, meruit præseruari à Deo ab omni mortali peccato, & in bono finaliter conseruari: Cur ergo in casibus prælibatis vnus præseruatur à malo, & conseruatur in bono, & alter nequaquam? Rur- C
sum iste nunc peccans mortaliter prius dignissimè meruit perseuerantiam sibi dari: Cur ergo non prius eam accepit, sicut alius qui æqualiter meruit, vel minus vel minimè? Nec potest vlterius dicere, quod ipsam meruit & accepit, sed per peccatum sequens amisit, sicut per ostensionem corollarij noni huius patet. Nec potest quis fingere, quod postquam quis meruit perseuerantiam, & accepit ipsum non posse peccare mortaliter; quicunque enim viator accepit & habet perseuerantiam vsque in finem, nondum est in fine sed tendens ad finem; quare sicut potest perficere vsque ad finem, ita potest deficere circa finem. Quis etiam dubitat sanctos Martyres, Confessores & Virgines, qui multis annis in charitate continua vsque ad vitæ terminum perstiterunt, intra tantum tempus cadere liberè potuisse. Nec potest aliquis somniare, quod de nullo est verum, ipsum habere perseuerantiam, quamdiu fuerit in hac vita, sed cum migrauerit, verum est ipsum perseuerantiam habuisse, licet hæc videatur senten- D
tia Augustini de bono perseuerantiæ 7. sicut 12. huius patet; licet etiam Solon, qui fuit vnus de septem sapientibus perantiquis dixerit nullum esse beatum dum viueret, post mortem tamen verum esse quod prius erat beatus: Hoc enim tam repugnantiam, quàm falsitatem includit; repugnantiam, quia si quis perseuerauit per aliquod totum tempus, tunc præsentialiter erat verum ipsum perseuerare per illud tempus, sicut est de eo quod mouetur per aliquod tempus totum; tunc ergo verum erat ipsum aliqua perseuerantia, aliquibusuè perseuerantijs, quare adhuc aliqua perseuerantia ipsum tunc perseuerare præsentialiter, ergo verum erat ipsum perseuerantiam tunc habere: Vel breuius, si quis mortuus habuit perseuerantiam, vel hoc fuit per instans tantummodo, vel per tempus; non per vnum instans tantummodo sicut ex 12°. huius patet, & quia illud instans vel fuit in vita eius, & cum non fuit immediatum instanti mortis eius, sicut alibi demonstratur, perseuerauit tempore medio; vel fuit in morte eius, & tunc non fuit vt aliquid habuit neque fecit; si autem habuit perseuerantiam per tempus, toto illo tempore verum fuit ipsum habere perseuerantiam de præsenti. Et si quis E
proteruiat dicendo ipsum habuisse perseuerantiam per aliquod tempus, sed per nullum tempus habuisse perseuerantiam; semper ergo pro quolibet suo tempore & instanti non habuit, & fuit non habens perseuerãtiam, quare nunquam habuit, nec fuit habens perseuerantiam contra hypothesin. Rursum sic; Iste perseuerauit & habuit perseuerantiam, & non semper; Aliquando ergo, scilicet in aliquo instanti incæpit perseuerare, perseuerantiamque habere, quod instans dicatur A, & A non fuit instans mortis eius, quod sit B, quia tunc non incæpit sed desijt perseuerare, perseuerantiamque habere; nec fuit post B, sicut constat omnibus; ergo ante; per totum ergo A B tempus iste perseuerauit, & perseuerantiam habuit. Prior quoque responsio falsitatem includit, quia secundum prius ostensa 11°. huius, perseuerantia non differt reali-

A realiter absolutè à charitate seu gratia; qui ergo habet charitatem seu gratiam finaliter permansuram, & perseuerantiam ipsam habet. Si etiam ista responsio esset vera, nullus perseueraret, nec posset perseuerare in via, nec perseuerantia donum Dei, aut bonum, imò nec esset, nec insuper esse posset, contra octauum huius secundi. Nec potest quis vlterius cauillare, dicendo perseuerantiam nihil esse, nec aliquem præsentialiter eam habere, nec in præterito habuisse, sicut nullus bene dispositus dubitat, & octauum huius certificat, & Ecclesia tota tenet. Post has autem proteruias ad priorem materiam redeundum: Siquis igitur potest perseuerantiam sibi mereri, vel hoc potest in charitate & gratia constitutus, vel sine; Non sine, sicut 39um. & sequentia primi docent; si etiam potest sine, multò magis potest, si habeat gratiam; ponatur ergo aliquem non habentem perseuerantiam, habere gratiam, & prius continue habuisse, & mereri continue perseuerantiam, & quòd in A tempore, vel instanti futuro ipsam recipiet & habebit, & sequitur euidenter quòd habuit eam prius, toto scilicet tempore B quo continuè habuit charitatem, sicut vndecimum huius probat. Item meritum non est respectu præteriti, vt scilicet faciat aliquid fuisse in præterito, quod in rei veritate non fuit in præterito, cùm faciens præcedat factum tempore vel natura; si tamen iste continuè prius, nunc, & post existens in gratia & sine perseuerantia mereatur perseuerantiam & eam accipiat, habuit eam prius toto tempore, quo prius continuè habuit gratiam, sicut iam proximo est ostensum, & hoc per meritum suum bonum. Item tunc non perseueraturus nec prædestinatus existens in gratia posset mereri sibi perseuerantiam finalem in bono, quare & posset mereri quod esset prædestinatus, & de numero electorum, siue de numero saluandorum contra prehabita quinto huius, & 45. primi. Amplius autem si quis sibi perseuerantiam mereretur, aliqua esset causa & ratio assignanda circa voluntatem diuinam, quare vnus finaliter perseuerat, alius verò cadit, quia videlicet vnus perseuerantiam sibi meretur, alius verò nequaquam; cùm tamen aliquoties videamus vnum qui vixit sanctissimè toto penè tempore vitæ suæ, in C ipso quasi exitu resilire, cadere, & sic mori; alium verò qui vixit sceleratissimè toto ferè tempore vitæ suæ, tandem in ipso quasi hiatu postremo resurgere, & sanctè transire; multi etiam paruuli baptizati lauacro, merito transeunt sic ad vitam, multi verò adulti, qui diu multipliciter meruerunt, tandem peccant mortaliter, & transeunt sic ad mortem. Quare & Dominus in persona Iob, humanam ignorantiam in hac parte insinuans, dicit ei, Indica mihi si nosti omnia, in qua via habitet lux, & tenebrarum quis locus sit, vt ducas vnumquodque ad terminos suos, & intelligas semitas domus eius, Iob 38. Quid autem est lux nisi iustus? quid verò tenebræ nisi peccator? quid via vel semita nisi actio? & quid terminus, locus, vel domus nisi terminus actionis, seu vitæ & perpetua mansio in gloria vel in pœna? Dicit igitur Dominus, Si nosti omnia, indica mihi ista; quasi diceret manifestè, qui nescit omnia, hæc indicare non nouit. Huic autem expositioni Gregorius 29. Moral, 12. consonanter; Multos, inquit, videmus quotidie quia iustitiæ luce resplendent, & tamen ad finem suæ nequitiæ obscu- *Gregorius.* D ritate tenebrantur, & multos cernimus peccatorum tenebris obuolutos, & tamen iuxta vitæ suæ terminum repentè reddi luce iustitiæ liberos; Multos etiam nouimus semel inuentam viam iustitiæ illibatæ vsque ad obitum tenuisse, & plerosque conspeximus vsque ad exitum cæpta semel crimina sine cessatione cumulasse; quis verò inter ista occultorum iudiciorum nubila mentis suæ radium mittat, vt aliqua consideratione discernat, vel quis perduret in malo, vel quis perseueret in bono, vel quis ab infimis conuertatur ad summa, vel quis à summis reuerberetur ad infima? Latent hæc sensus hominum, nec quicquam de cuiuslibet fine cognoscitur, quia diuinorum iudiciorum abyssus humanæ mentis oculo nullatenus penetratur. Videmus namque quod illa Deo aduersatrix gentilitas iustitiæ luce perfusa est, & Iudæa dudum dilecta, perfidiæ est nocte cæcata: Scimus etiam quod latro de patibulo transiuit ad regnum, Iudas de Apostolatus gloria est lapsus in tartarum: Rursumque quia aliquando sortes quæ cæperint, non mutantur, & latronem nouimus aliquando peruenisse ad suppli- E cium, & Apostolos scimus percepisse propositum quod desiderauerunt regnum; quis ergo discutiat in qua via habitet lux, &c. Qui & 25. Moral. 14 super illud Iob. 34. ipso concedente pacem, quis est qui condemnet? ex quo absconderit vultum suum, quis est qui contempletur eum? Nemo, inquit, discutiat, cur stante Iudaico populo dudum in infidelitate gentilitas iacuit; & cur ad fidem gentilitate surgente, Iudaicum populum infidelitatis culpa prostrauit. Nemo discutiat, cur alius trahatur ex dono, alius repellatur ex merito: Si enim gentilitatem miraris assumptam ipso concedente pacem quis est qui condemnet? si Iudæam obstupescis perditam, ex quo abscondit vultum suum, quis est qui contempletur eum? Augustinus quoque de bono perseuerantiæ 19. Ex duobus, inquit, paruulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, & ille relinquatur, & ex duobus ætate iam grandibus impijs, cur

Gregorius.

Augustinus.

cur iſta ita vocetur vt vocantem ſequatur; ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur; A
Inſcrutabilia ſunt iudicia Dei: Ex duobus autem pijs, cur huic donetur perſeuerantia vſque in finem, illi non donetur; Inſcrutabilia ſunt iudicia Dei; eandemque ſententiam in eodem libro ſuprà & infrà ſæpius recitat & oſtendit. Idemque de Correptione & gratia 25. loquens de bene pieque viuentibus, ſed non perſeueraturis, ſic ait; Hic ſi à me quæratur, cur eis Deus perſeuerantiam non dederit, quibus eam, qua Chriſtianè viuerent, dilectionem dedit, me ignorare reſpondeo. Non enim arroganter ſed agnoſcens modulum meum, audio dicentem Apoſtolum; O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo, &c. & ô altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius: Quantum itaque nobis iudicia ſua manifeſtare dignatur, gratias agamus; quantum verò abſcondere, non aduerſus eius conſilium murmuremur, ſed hoc quoque nobis ſaluberrimum eſſe credamus. Et 26. immediatè ſubiungitur, Tu autem quiſquis inimicus es gratiæ, ſic interrogas ipſe qui dicis bene quod te non negas eſſe Chriſtianum, & Catholicum iactas; ſi ergo confiteris donum Dei eſſe perſeuerare in bono vſque in finem; cur hoc donum illi accipient, illi non accipient; puto quod mecum pariter neſcis, & ambo hic inſcrutabilia iudicia Dei penetrare non poſſumus. Et ſequitur 27. Mirandum eſt quidem multumque mirandum, quod filijs ſuis quibuſdam Deus quos regenerauerit in Chriſto, quibus fidem, ſpem, dilectionem dedit, non dat perſeuerantiam, cum filijs alienis ſcelera tanta dimittat, atque impertita gratia faciat filios ſuos: Quis hoc non miretur? quis hoc non vehementiſsimè ſtupeat? ſed etiam illud non minus verum eſt, & tamen verum, atque ita manifeſtum, vt nec ipſi inimici gratiæ Dei, quomodo id negent, valeant inuenire, quod filios quoſdam amicorum ſuorum, hoc eſt regeneratorum bonorumque fidelium ſine baptiſmo hinc paruulos exeuntes, quibus vtique ſi vellet, huius lauacri gratiam procuraret, in cuius poteſtate ſunt omnia, alienat à regno ſuo, in quod parentes mittit ipſorum; & quoſdam filios inimicorum ſuorum facit in manus Chriſtianorum venire, & per lauacrum introduci in regnum, à quo eorum parentes alieni ſunt, cum & C
illis malum, & iſtis bonum meritum nullum ſit paruulis ex eorum propria voluntate: Certè hæc iudicia Dei quoniam iuſta & alta ſunt, nec vituperari poſſunt nec penetrari. In his eſt & illud de perſeuerantia, de qua nunc diſputamus; De vtriſque igitur exclamemus, O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, nec miremur nos inueſtigare non poſſe inueſtigabiles vias eius: Vt enim alia innumerabilia taceam, quæ alijs dantur hominibus, nec retribuuntur meritis voluntatum, alijs verò non dantur à Deo, apud quem non eſt acceptio perſonarum, illos intueamur, de quibus agitur; De his enim diſſerimus qui perſeuerantiam bonitatis non habent, ſed ex bono in malum deficiente voluntate moriuntur: Reſpondeant, ſi poſſunt, cur illos cum fideliter & piè viuerent, non tunc de vitæ huius periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio animas deciperet eorum: Vtrum hoc in poteſtate non habuit? An eorum mala futura neſciuit? nempe D
nihil eorum niſi peruerſiſsimè atque inſaniſsimè dicitur; Cur ergo non fecit? reſpondeant, qui irrident, quando in rebus talibus exclamamus; Quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius: Nec enim hoc non donat Deus quibus voluerit, aut verò Scriptura illa mentitur quæ de morte velut immatura hominis iuſti ait, raptus eſt ne malitia immutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam eius. Cur igitur hoc tam magnum beneficium alijs donat, alijs non dat Deus, apud quem non eſt iniquitas aut acceptio perſonarum, & in cuius poteſtate eſt quamdiu quiſque in hac vita maneat, quæ tentatio dicta eſt ſuper terram. Sicut ergo coguntur fateri Dei donum eſſe, vt finiat homo vitam ſuam, antequam mutetur homo in malum, cur autem id alijs donetur, alijs non donetur, ignorant; Ita donum Dei eſſe in bono perſeuerantiam ſecundum Scripturas, de quibus teſtimonia multa iam poſui, fateantur nobiſcum, & cur alijs detur, aljs non detur ſine murmure aduerſus Deum, dignentur ignorare nobiſcum. Propter hæc ergo huiuſmodique motiua, probabilius mihi videtur, & magis conſonum rationi, catholicæque doctrinæ, quod perſeuerantia non redditur meritis, ſed gratis datur à Deo ſecundum eius gratuitam gratiam, gratuitam prædeſtinationem, & E
gratuitam voluntatē, ſicut prima gratia operans & iuſtificans peccatorem. Huius rei teſtis eſt Aug. de bono perſeuer. 36. dicens, ſatis dilucidè oſtēditur, & inchoandi, & vſq; in finē perſeuerandi gratiā Dei non ſecundū merita noſtra dari, ſed donari ſecundū ipſius ſecretiſsimam, eandemque iuſtiſsimam, ſapientiſsimam, beneficentiſsimam voluntatem, quoniam quos prædeſtinauit, ipſos & vocauit vocatione illa, de qua dictum eſt, Sine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei. Et infra 48. A Pelagianorum, inquit, hæretica peruerſitate tantum iſti remoti ſunt propter quos hoc agimus, vt licet nondum velint fateri prædeſtinatos eſſe, qui per Dei gratiam fiant obedientes atque permaneant, iam tamen fateantur, quòd eorum præueniat voluntatem

Auguſtinus. (margin, beside "libro ſuprà")
Auguſtinus. (margin, beside "mus. Et 26.")
B (margin, beside "ipſe qui dicis")
Reſponſio propria. (margin, beside "tur ignorare nobiſcum")
Auguſtinus. (margin, beside "Aug. de bono perſeuer.")

tatem

A tatem, quibus datur hæc gratia, ideo vtique ne non gratis dari credatur gratia, ſicut veritas loquitur, ſed potius ſecundum præcedentis merita voluntatis, ſicut contra veritatem Pelagianus error obloquitur præuenit ergo ad fidem, id eſt, actum fidei gratia, alioquin ſi fides eam præuenit, proculdubio præuenit, & voluntas, id eſt, actus volendi, quoniam fides ſine voluntate non poteſt eſſe: ſi autem gratia præuenit fidem, quoniam præuenit voluntatem, profectò præuenit omnem obedientiam, præuenit etiam charitatem, id eſt, actum charitatis quâ vnicâ Deo veraciter & ſuauiter obeditur, & hæc omnia gratia in eo cui datur, & cuius hæc omnia præuenit, operatur. Hæc autem debent intelligi ſecundum expoſitionem præmiſſam 36°. primi; & ſequitur, Reſtat in his bonis vſque in finem perſeuerantia, quæ fruſtra quotidie à Domino poſcitur, ſi non eam Dominus per gratiam ſuam in illo cuius orationes exaudit, operatur. Videte iam à veritate quàm ſit alienum, negare donum Dei eſſe perſeuerantiam vſque in finem huius vitæ, cùm vitæ huius, quando voluerit ipſe, det finem, quem ſi dat ante im-
B minentem lapſum, facit hominem perſeuerare vſque in finem; ſed mirabilior, & fidelibus euidentior largitas bonitatis eſt Dei, quòd etiam paruulis, quibus obedientia non eſt illius ætatis vt detur, datur hæc gratia. Iſta igitur ſua dona quibuſcunque Deus donat, proculdubio ſe donaturum eſſe præſciuit, & in ſua præſcientia præparauit: Quos ergo prædeſtinauit, illos & vocauit vocatione illa, quam me ſæpe commemorare non piget, de qua dictum eſt, Sine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei. Namque in ſua, quæ falli mutarique non poteſt, præſcientia, ſua futura opera diſponere, id omnino nec aliud quicquam eſt prædeſtinare. Et ſupra 19. ſicut allegabatur ſuperius, Ex duobus, inquit, pijs cur huic donetur perſeuerantia vſque in finem, illi non donetur, Inſcrutabilia ſunt iudicia Dei: Illud tamen fidelibus debet eſſe certiſſimum, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe; Nam ſi fuiſſent ex nobis, ait vnus prædeſtinatorum, qui de pectore biberat Domini hoc ſecretum, manſiſſent vtique nobiſcum. Quid eſt quæſo, Non erant ex nobis, nam etiamſi fuiſſent, manſiſſent vtique nobiſcum? Nonne *definitio prædeſtinationis*
C vtrique à Deo creati? vtrique ex Adam nati? vtrique de terra facti erant? & ab eo qui dixit, Omnem flatum ego feci, vnius eiuſdemque naturæ animas acceperant? Nonne poſtremo vtrique vocati fuerant, & vocantem neceſsitatem ſecuti? vtrique ex impijs iuſtificati, & per lauacrum regenerationis vtrique renouati? ſed ſi hoc audiret ille qui ſciebat proculdubio quod dicebat, reſpondere poſſet & dicere, vera ſunt hæc, ſecundum hæc omnia ex nobis erant, veruntamen ſecundum aliam quandam diſcretionem non erant ex nobis: Nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum: Quæ eſt tamen iſta diſcretio? Patent libri Dei, non auertamus aſpectum; clamat Scriptura diuina, adhibeamus auditum; Non erant ex ijs, quia non erant ſecundum propoſitum vocati; Non erant in Chriſto electi ante mundi conſtitutionem; non erant in eorum ſortem ſecuti, non erant prædeſtinati ſecundum propoſitum eius qui vniuerſa operatur. Et ſuperius 17. quærenti hæretico, cur quibuſdam qui eum bona fide coluerunt, perſeuerare vſque in finem non dedit; reſpondet, Cur putas, niſi quia non
D mentitur, qui dicit, Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, Nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum? Qui & de Correptione & gratia, 28. 29 & poſt, hoc idem per eandem autoritatem 1. Ioan. 2. & ſimiles manifeſtat. Idem de bono perſeuerantiæ 13. loquens de conuerſione ad fidem, & perſeuerantia in fide, ſic ait; Hæc Deus facturum ſe eſſe præſciuit; Iſta eſt prædeſtinatio Sanctorum quos elegit in Chriſto, ante mundi conſtitutionem, vt eſſent ſancti & immaculati in conſpectu eius, in charitate prædeſtinans eos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum, in ipſum ſecundum placitum voluntatis ſuæ; in qua gratificauit eos in dilecto Filio ſuo, in quo habent redemptionem per ſanguinem ipſius, redemptionem peccatorum ſecundum diuitias gratiæ ſuæ, qua abundauit in eos in omni ſapientia & prudentia, vt oſtenderet eis myſterium voluntatis ſuæ, ſecundum bonam voluntatem ſuam, quam propoſuit in illo in diſpoſitionem plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis ſunt, & quæ in terris in ipſo. In quo etiam & ſortem conſecuti ſumus, prædeſtinati *Auguſtinus.*
E ſecundum propoſitum eius, qui vniuerſa operatur. Contra iſtam veritatis tam claram tubam, Apoſtolum ſcilicet ad Eph. 1. quis homo ſobriæ vigilantiſque fidei voces vllas admittat humanas? Et infra 15. Sed cur, inquis, non ſolum in paruulorum, verum & geminorum ſeu grandæuorum, vna eadem cauſa tam diuerſum iudicium? Nonne ſimilis quæſtio eſt, cur in diuerſa cauſa iudicium idem? Recolamus igitur illos operarios in vinea, qui tota die laborauerunt, & eos qui vnica hora; nempe cauſa diuerſa eſt impenſi laboris, & tamen idem iudicium in redditione mercedis; Nunquid & hi aliud audierunt murmurantes à Patrefamilias niſi hoc volo? Cui & concordanter Gregorius 25. Moral. vbi proximo fuerat allegatus; Nemo, inquit, diſcutiat, cur ſtante Iudáico populo, dudum in infidelitate gentilitas iacuit, & cur ad fidem gentilitate ſurgente, Iudaicum populum infidelitatis culpa proſtrauit, &c. ſicut *Auguſtinus.* *Nota ly. hoc volo.* *Gregorius.*

ſupra

supra,& immediatè subiungit; Itaque consilium summæ & occultæ virtutis satisfactio fit a pertæ rationis: Vnde in Euangelio Dominus cùm de huius rei causa loqueretur, ait; Confitebor tibi Pater Domine cœli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis; Ita Pater; atque mox tanquam rationem quandam absconsionis,ac reuelationis adiungens, ait, quia sic fuit placitum ante te. Quibus nimirum verbis exempla humilitatis accipimus, ne temere discutere superna consilia de aliorum vocatione, aliorum verò repulsione præsumamus: Cùm enim intulisset vtrumque non mox rationem reddidit, sed sic Deo placitum dixit, hoc videlicet ostendens, quia iniustum esse non potest quod placuit iusto; Vnde & in vinea mercedem laborantibus reddens, cùm quosdam operarios inæquales in opere æquaret in præmio, & plus in mercedem quæreret, qui labori amplius insudasset, ait, Nonne ex denario conuenisti mecum? Volo autem & huic nouissimo dare, sicut & tibi: An non licet mihi quod volo facere? In cunctis igitur quæ exterius exponuntur, aperta causa rationis est occultæ iustitia voluntatis: Dicatur itaque, Ipso enim concedente pa cem, quis est qui condemnet? ex quo abscondit vultum suum, quis est qui contempletur eum? & quia sic minima sicut maxima, sic singula Deus iudicat sicut cuncta, aptè subiungitur, & super gentem, & super omnes homines; ac si apertè admoneamur intendere, quia hoc iudicium quod super vnam gentem describitur, etiam super omnes homines inuisibili examinatione celebratur, vt alius repellatur, alius eligatur occultè, sed nullus iniustè. Hoc ergo quod in maximis fieri cernimus, etiam in nobis singulis caute timeamus: Sic enim intenduntur diuina iudicia super vnam animam, sicut super vnam vrbem; sic super vnam vrbem, sicut super vnam gentem, sic super vnam gentem sicut super vniuersam generis humani multitudinem, quia & sic intendit Dominus singulis,ac si vacet à cunctis,& sic simul intendit omnibus, ac si vacet à singulis. Et si opponendo quæsierit, quare Deus dat illis tanta munera gratiarum, quos non vult perseuerare in eis; Respondeo qui mihi in nullo tenetur, & dat vel accommodat mihi magnum bonum ad tempus, quam iniuriam mihi facit? vel si det mihi magnum bonum, quod non possum tenere, nisi ipso seruante, & propter culpam meam, ipso desinente seruare, illud amisero, quam iniuriam mihi facit? imo magnam gratiam mihi facit. Et si adhuc quæsieris, cur sic facit? adhuc respondeo, propter tuum commodum temporale, [& propter tale] & æternum commodum electorum, sicut potest haberi ex 32°. & 39°. primi. Quare & Augustinus de bono perseuerantiæ 17. Hominibus,inquit,videtur, omnes qui boni apparent fideles,perseuerantiam vsque in finem accipere debuisse; Deus autem melius esse iudicauit, miscere quosdam non perseueraturos certo numero Sanctorum suorum, vt quibus non expedit in huius vitæ tentatione securitas, non possunt esse securi: Multos enim à perniciosa elatione reprimit, quod ait Apostolus. Quapropter qui videtur stare, videat ne cadat, voluntate autem sua cadit, qui cadit, & voluntate Dei stat qui stat: Potens est enim Deus statuere illum; non ergo se ipse, sed Deus; Veruntamen bonum est non altum sapere, sed timere. Et infra 37. Non inquit, sicut iam supra diximus,non perseueraturi perseueraturis prouidentissima Dei voluntate miscentur, vt esse discamus non alta sapientes, sed humilibus consentientes, & cum timore & tremore nostram ipsorum salutem operemur: Deus est enim qui operatur in nobis & velle, & operari ‖*pro bona voluntate*: Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle, Nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur etiam operari ‖*pro bona voluntate*: Hoc nobis expedit & credere & dicere, hoc est pium, hoc est verum, vt sit humilis & submissa confessio & detur totum Deo. Qui & de sancta virginitate 16. humilitatem virginibus persuadens, sic ait; An non propter aliud credendum est, permittere Deum, vt misceantur numero nostræ professionis multi & multæ casuri, & casuræ, nisi vt his cadentibus timor * inde augeatur, quo superbia comprimatur, quam sic odit Deus, vt contra hanc vnam se tantum humiliaret altissimus: Aliæ autem obiectiones possunt hic fieri & solui, sicut 35. primi. Si autem pars ista alicui placeat & melior responsio non occurrat, potest dicere ad primum obiectũ, quod & si quis posset mereri perseuerantiam alteri, non oportet, quod posset & sibi; non enim quicquid quicunque potest mereri alteri, potest mereri & sibi: Potest enim fortassis quis sanctus vt Stephanus mereri alteri, puta Paulo, primam gratiam, gratiam conuersionis, gratiam operantem, & sibi ipsi nequaquam, sicut 35^{um}. primi, & sequentia manifestant. Christus etiam per suam pijssimam passionem meruit liberationem à peccato, redemptionem à carcere, & alia multa nobis, & sibi ipsi nequaquam, sicut nullus dubitat Christianus; & patet per Gregorium in super Ezechielem, homilia sexta; per Anselmum 2. Cur Deus homo 19. per Petrum 3. sent. dist. 18. & per eosdem ac alios alijs locis multis. Potestque Petrus mereri Ioanni, vt Deus reuelet ei quod Petrus errat credendo A falsum, quod Petrus nihil intelligit, quod B est verum & non reuelatum Petro

Obiectio. *Responsio.* *Obiectio.* *Responsio.* *Augustinus* *Augustinus* ‖ per bonã voluntatem ‖ per bonã voluntatẽ *Augustinus.* * vester *Responsio ad rationes principales.* *Nota pro solutione.*

A B C D E

A Petro, vel forsitan quod nil Petro diuinitus reuelatur, & similia, & sibi ipsi hæc mereri non potest, quod enim Petrus hæc mereatur & habeat, includit repugnantiam manifestam. Nec *Nota.* quia quicquid petimus Patrem in nomine Filij, fiet nobis, ideo quicquid sic petimus, promeremur: Potest enim quis viator in gratia constitutus, rationabiliter petere vt sit de sorte prædestinatorum ad vitam, de numero electorum, in libro vitæ ascriptus; sic enim orat Ecclesia in secreto Missæ; Deus, cui soli est cognitus numerus electorum in superna fœlicitate locandus, tribue quæsumus, vt vniuersorum, quos in oratione commendatos suscepimus, & omnium fidelium nomina, beatæ prædestinationis liber ascripta retineat; Sic & videtur Sapiens *Sapiens.* Deum orare, Noli, inquiens, me reprobare à pueris tuis, Sap. 9. & tamen nullus potest sibi prædestinationem mereri, sicut patet ex 45. primi, & quinto secundi. Et si quæras cur ergo *Quæstio.* petitur, quod per petitionem nullatenus || *impetratur*, respondeo, quod quædam sunt opera, *Responsio.* quibus nouum aliquod impetratur, quædam verò quibus antiquum bonum seruatur; per || impetraturus sit,
B aliquod enim opus acquiritur sanitas & per aliquod custoditur; sic & opera pia prædestinati non acquirunt ei prædestinationem, sed seruant: Aliquando namque nisi oraret, eleemosynas faceret, & reliqua opera pietatis pro temporibus oportunis, non seruaret suam prædestinationem, non teneret quod haberet, sed alius coronam eius acciperet, deleretur de libro viuentium, nec cum iustis filijs scriberetur. Quare & sicut est prædestinatio finis, scilicet vitæ æternæ, sic & operum præuiorum, sicut patet ex 45. primi: De perseuerante verò & perseuerantia similiter dici potest; Nolo tamen negare, quin huius opera mercedem in cœlo perpetuam mereantur. Vel aliter dici potest, quod ideo voluit Deus vt homines impotentes peterent prædestinationem & perseuerantem sibi à Deo, vt euidenter cognoscerent se non habere à se bona huiusmodi, sed à Deo. Vnde Augustinus de bono perseuerantiæ 10. Post casum, inquit, hominis, non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad eum, nec nisi ad gratiam suam voluit pertinere, vt homo non recedat ab eo: Hanc posuit in
C illo, in quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum eius qui vniuersa operatur, & per hoc, sicut operatur vt accedamus, sic operatur ne discedamus; propter quod ei per Prophetam dictum est, Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super Filium hominis, quem confirmasti tibi, & non || *discedimus* à te. Ille certè non est Adam primus in quo || discedamus non discedimus ab eo, sed Adam nouissimus super quem fit manus eius vt non discedamus ab eo: Christus enim totus cum membris suis est propter Ecclesiam, quæ est corpus eius, plenitudo eius. Cum ergo sit super eum manus Dei vt non discedamus ab eo, ad nos vtique peruenit opus Dei: Hoc est enim manus Dei, quo opere Dei fit vt simus in Christo permanentes cum Deo; In Christo enim sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum eius qui vniuersa operatur: Manus igitur Dei est ista non nostra, vt non discedamus || *à Deo.* || ab eo. Et sequitur 12. propter quod & posci à se voluit ne inferamur in tentationem, quia si non in- *Augustinus.* ferimur in illam, ab eo non discedimus, quod poterat nobis etiam non orantibus dari, sed o-
D ratione nostra nos voluit admoneri, à quo accipiamus hæc beneficia; à quo enim nisi ab illo accipimus, à quo iustum est vt petamus? Adhuc autem fortassis & aliter respondendum, distinguendo de merito; Quoddam enim videtur impetratiuum; quoddam verò conseruatiuum; quoddam impetratiuum alicuius boni noui; quoddam conseruatiuum antiqui: Primo modo iuxta præmissa nullus perseuerantiam, sicut nec prædestinationem sibi meretur; secundo modo meretur, sicut ex præmissis apparet: Sicut si Princeps det militi certum feudum, vt faciat ei certum seruitium, alioquin illud perdat; cum facit seruitium debitum potest dici feudum suum mereri, non nouiter impetrando, sed ne amittatur seruando. Nec est euidens vs- *Nota bene.* quequaque quod quicunque potest mereri maius, possit & quodcunque minus mereri: Non enim quia quis meretur regnum æternum cœleste, ideo potest mereri regnum temporale terrenum, nec quia quis potest mereri vltimum bonum suum magnum, ideo potest mereri primum bonum suum paruum; nec quia quis accepta prima gratia gratis data, potest mereri ma-
E ius bonum temporale vel æternum, ideo potest & primam gratiam promereri, sicut ex 35°. & sequentibus primi patet. Quomodo tamen quis mereatur vitam æternam, non est per om- *Nota, nota, nota.* nia satis clarum: Non enim sine gratia illam meretur, sicut 39um. primi & sequentia manifestant, nec videtur quod illam in gratia mereatur, quoniam eo ipso quod est in gratia, etiam sine merito proprio qualicunque est filius regni, & hæres, sicut ex quadragesimo tertio primi patet, sicut etiam clarè patet de paruulis baptizatis. Imò & videtur quod ante infusionem *Nota, nota.* gratiæ, ex gratuita & æterna Dei prædestinatione, quæ non sequitur causaliter aliquam causam secundam, puta gratiam aut merita, sicut potest patere ex quadragesimo quinto primi, sit filius regni & vitæ. Item iuxta præhabita 35°. 45°. primi; Deus vult hinc regnum & merita, & hæc finaliter propter regnum, non ergo propter hæc antecedenter & causaliter ac-

ceptat Dominus hunc ad regnum. Quomodo tamen quispiam mereatur vitam æternam potest cognosci ex hic præmissis & trigesimo nono primi. Per hæc autem & huiusmodi potest ad alia responderi; quicunque tamen in his vel alijs melius dixerit, deuotus amplector, obediens veneror, lætus sequor. A

CAP. XV.

*De perseuerantia sempiterna, de confirmatione videlicet * beatorum & causa ipsius, quod ipsa est æterna charitas Dei voluntas.*

* bonorū

B

EXpedito igitur de perseuerantia temporali in via, restat inquirere de perseuerantia sempiterna in patria; de confirmatione scilicet beatifica beatorum, & de causa ipsius: Hæc autem perseuerantia seu confirmatio beatorum efficit eos certos, perseuerantia miserorum nequaquam: Hæc facit suos non posse peccare, illa nequaquam: Hæc facit beatos comprehensores ab actu beatifico à fruitione Dei resilire non posse, illa miseros viatores nequaquam, sicut ratio beatitudinis perfectæ requirit, sicut etiam multi Philosophi & Theologi omnes pariter contestantur, sicut & Petrus 2. sent. dist. quinta & septima aliqualiter recitat & declarat: quare circa ostensionem huius hoc loco, non reputo mihi ad alia properanti diutius immorandum. Circa causam verò istius multiplex sententia reperitur; Quibusdam enim videtur quod sit gratia, dicente Augustino tertio contra Maximinum 13. Cuicunque rationali creaturæ præstatur, vt peccare non posset, non est naturæ propriæ, sed Dei gratiæ; & Isidoro 1. de summo bono 10. Natura Angelorum mutabilis est, quia inest illis mutabilitas in natura, sed facit eos incorruptos charitas sempiterna: Gratiâ est, non naturâ esse incommutabiles Angelos; quod & Petrus 2. sentent. dist 7ª plane tenet. Istud tamen in forma, qua dicitur, videtur pati calumniam: Si enim gratia indistinctè sufficienter confirmet, gratia viatoris ipsum confirmat, præsertim cùm sit eiusdem naturæ sicut gratia beatorùm. Item in dæmonibus, & hominibus obstinatis non oportet ponere aliquem huiusmodi habitum velut causam obstinationis eorum, quare nec in Angelis aut hominibus confirmatis simili ratione. Quapropter & quibusdam videtur, quod non quælibet nec quantalibet gratia, sed magna abundantia gratiæ confirmet beatos. Vnde Augustinus de Correptione & gratia 40. Diabolus, inquit, & Angeli eius etsi beati erant antequam caderent, & se in miseriam casuros esse nesciebant, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipsius mansionis acciperent, id est, vt magna per Spiritum Sanctum data abundantia charitatis Dei, cadere vlterius omnino non possent, & hoc de se certissimè noscerent; hanc plenitudinem beatitudinis non habebant, sed quia nesciebant suam futuram miseriam, minori quidem, sed tamen beatitudine sine vllo vitio fruebantur. Et sequitur 41. sic & hominem fecit cum libero arbitrio, & quamuis sui futuri casus ignarum, tamen ideo beatum, quia & non mori & miserum non fieri in sua potestate esse sentiebat, in quo statu recto ac sine vitio, si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset, profectò sine mortis & infælicitatis vllo experimento acciperet illam, merito huius permansionis, beatitudinis plenitudinem, qua & sancti Angeli sunt beati, id est, vt cadere non posset vlterius, & hoc certissimè sciret. Et 4 contra Iulianum 11. dicit, quod in fine quando videbimus summum bonum, superbiæ malum animum nostrum tentare non poterit, & contra quod certemus, omnino non erit, quoniam tanta satiabitur vnusquisque charitate superioris boni, vt ad seipsum sibi placendo deficere, ab illius delectatione, seu dilectione non possit. Dicitque Lumbardus 2. sent. dist. septima, quod boni Angeli in tanta gratia confirmati sunt, vt nequeant fieri mali. Sed nec illud videtur certissimum; Ostensum est enim 3º huius, quod nulla causa secunda potest necessitare liberum arbitrium, quare nec vlla charitas vel gratia quantacunque. Item aliquis viator perfectus habet vt videtur, tantam charitatem seu gratiam, vel maiorem, in via; quantam vnus minimus beatorum puta infantulus,

Marginalia: C (beside "Circa causam") — *Opinio 1ª.* — *Augustinus.* — *Isidorus.* — *Reprobatio.* — *Opinio 2ª.* — *Augustinus.* D — *Augustinus.* — *Lumbardus.*

A lus, per baptismũ circumcisionem vel aliunde ab originali purgatus, habet in patria; & hæc non sufficit confirmare: Quomodocunque autem sit de facto, videtur Deum posse conferre viatori charitatem maiorem, quam habeat talis infantulus, & confirmare infantulum, aliquemque adultum sine tanto munere charitatis, quo posito reponitur difficultas. Item in obstinatis non est ponenda aliqua abundantia huius habitus, velut causa obstinationis in malo; quare nec in confirmatis in bono. Quibusdam videtur quod contemplatio Dei sit causa confirmationis beatorum in bono: Dicit siquidem Isidorus, primo de summo bono 10. Mutabilitatem naturæ suffragatur in bonis Angelis contemplatio Creatoris, vnde priuatus est Apostata Angelus, & dum sunt mutabiles natura, non tamen sinit eos contemplatio mutari diuina. Dicitque Augustinus de vera religione 33. quod contemplatione & visione Dei Angeli & homines sunt beati; quibus & multa similia sæpe leguntur à multis: Sed hæc opinio sicut proxima arguetur. Præterea Angeli ante suam confirmationem contemplabantur & videbant Deum; homo etiam secundum Petrum 4. sentent. dist. 1. ante peccatum sine medio Deum videbat, & post peccatum multi Sancti Prophetæ contemplabantur, & videbant Deum, sicut clare demonstrant loca plurima Scripturarum. Item si visio Dei confirmet bonos in bono, quæ visio confirmat malos in malo? Et si dicatur quod priuatio visionis diuinæ confirmet eos in malo, cur ergo non omnes viatores dormientes & similes priuati visione diuina non confirmantur in malo? Alij fortè dicent, quod non quælibet visio Dei confirmat, sed clara, & multum intensa: Hæc autem opinio potest refelli vt proxima à secunda. Iuxta hæc autem vlterius posset fingi opinio quinta & sexta, quæ dicerent quod delectatio in Deo seu quædam certa delectatio multum intensa in Deo est causa confirmationis quæsita: Sed hæ duæ possunt refelli sicut duæ proximæ præcedentes. Alij verò opinantur, quod adhæsio ad Deum, & quasi conglutinatio quædam cum eo sit causa confirmationis beatificæ beatorum: Dicit enim Augustinus 12. de Ciuit. Dei 1. Beatitudinis Angelorum bonorum causa est adhærere Deo. Sed ista opinio videtur posse redargui vt priores. Et si quis eam correxerit vt quasdam priores dicendo magnam adhæsionem Deo esse causam confirmationis quæsitam; Et hæc eius opinio corrigetur vt similes præcedentes. Alij arbitrantur quod quia sancti in cœlo non vident quicquam boni quo careant, quod possent malè appetere, ideo non possunt peccare, sed in bono quod habent immobiliter confirmantur. Vnde Anselmus de casu diaboli 6. dicit de bonis Angelis, quod à Deo sunt prouecti, vt sint adepti quicquid velle potuerunt, nec iam videant quid plus velle possunt, & propter hoc peccare nequeunt. Sed istud stare non potest; Confirmatio namque est effectus positiuus; habet igitur causam aliquam positiuam, quare non sufficit causa huius priuatiua. Secundum hoc etiam viator habens aliquod paruum bonum, nec videns maius, aut aliud (sic enim possent oculi eius teneri) esset immobiliter confirmatus. Nec ratio oppositionis rationabiliter ipsam fundat; Licet enim quis volens seu amans vnum bonum, non possit peccare volendo aliud seu amando, posset tamen peccare

D non volendo * seu non || *amando illud simpliciter* omittendo; vel si non possit à tali actu desistere, sed de necessitate illum semper continet, quæ causa positiua confirmationis in illo? Item si sic esset, aliqua esset causa proportionalis obstinatiua malorum in malo, quæ tamen non videtur posse rationabiliter assignari. Alij sequentes Anselmum de casu diaboli 22. & post, æstimant quod causa confirmationis beatorum [perfecta est,] quæsita est, quia sciunt se futuros æternaliter miseros si peccarent, & nullus potest illud velle, vnde scit, quod æternaliter miser erit. Sed absit; secundum hoc enim beati potius vitarent peccata timore pœnæ, quàm amore iustitiæ, quod non decet. Rursum & si miseria infernalis nunquam fuisset peccantibus ordinata, posset Deus bonos in bono æternaliter confirmare: Item tunc oporteret assignare causam proportionalem in obstinatis, quæ tamen non videtur possibilis assignari. Alij somniant, quod beati ex magna vehementia beatitudinis & delectationis annexæ efficiuntur quasi ebrij, sicque ligatur in ipsis liberum arbitrium, vt omnino nequeant ab actu beatifico

E resilire, nec in aliquem alium actum prodire, iuxta similia tertio huius præmissa. Vnde & Propheta, Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, &c. Psal. 35. & Cantic. 5. Comedite amici & bibite, & inebriamini Charissimi. Sed hæc nullus sobrius || *existimat*, nec quisquam sic somniat, nisi fortè fuerit ebrius aut insanus: Quis enim in tantum desipiat, imò magis insaniat, vt affirmet in beatitudine quæ tam secundum Philosophos, quàm Theologos est vltima perfectio hominis, animam humanam cum suis potentijs non fore summè perfectam, aut cùm fuerit summè perfecta, non posse habere vsum liberi arbitrij, & actum suum perfectum? Vnde Apostolus 1. ad Cor. 13. Charitas non agit perperam, charitas nunquam excidit; ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus; cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est; Videmus nunc per specu-

Opinio 3ª *Isidorus.* *Augustinus.* *Reprobatio.* *Opinio 4ª.* *Opinio 5ª. & 6ª.* *Opinio 7ª.* *Augustinus.* *Opinio 8ª.* *Opinio 9ª.* *Anselmus.* *aliud. || amādo illud, sed simpliciter *Opinio 10ª.* *Propheta.* *Cantica.* || æstimat. *Apostolus.*

lum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum: Alij adhuc videntes quod nullum vnum bonum per se solum possit esse causa sufficiens confirmationis, existimant, quod beatitudo totalis, quæ est omnium bonorum collectio simul & summa, est causa confirmationis quæsita: Illa namque plenariè satiat, cùm omne desiderabile ibi assit, & omne fugibile longè absit, estque finis liberi arbitrij naturalis, & quodlibet mobile habito fine naturali quiescit. Vnde Boetius 3. de consolatione Philosophiæ prosa 2ª. Omnis, inquit, mortalium cura quam multiplicium studiorum labor exercet, diuerso quidem calle procedit; sed ad vnum tamen beatitudinis finem nititur peruenire; id autem est bonum, quo quis adepto nil vlterius desiderare queat; quod quidem est omnium summum bonorum, cunctaque bona intra se continens, cui si quid abforet, summum esse non posset, quoniam relinqueretur extrinsecus quod posset optari: Liquet igitur esse beatitudinem statum bonorum omnium congregatione perfectum. Dicitque Augustinus 1. Confess. 1. Domine quia fecisti nos ad te, inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te: Sed hæc opinio, sicut & aliæ, videtur errare, maximè si loquatur de beatitudine totali creata; Nulla enim res creata simplex, vel multiplex potest necessitare rationalem & liberam voluntatem, sicut || *tertio huius patet.* Voluntas etiam volens vnum duorum bonorum æqualiũ potest illud non velle, & aliud velle, imò & dimittere volutionem boni maioris, & velle liberè minus bonum; potest quoque vacare à dilectione cuiuslibet talis boni, sicut ex secundo & tertio huius patet. Item beatitudo totalis continet in se confirmationem tanquam partem eius præclaram, non est ergo tota beatitudo primò causa confirmationis quæsita, cùm idem, puta ipsa confirmatio non sit causa sui ipsius. Item si sic esset, esset & causa aliqua correspondens obstinationis malorum, quam tamen videtur impossibile assignare. Sunt autem præter has, & multæ aliæ opiniones possibiles, quas gratia breuiandi melius || *æstimo* silentio committendas. Mihi autem videtur, quod gratia, abundantia gratiæ, contemplatio Dei, & huiusmodi supradicta sunt causa quodammodo confirmationis in bono; sed nulla istarum sufficit per seipsam; causa autem confirmationis sufficiens non est, nec potest esse aliqua causa inferior, aut secunda, sed suprema, & prima, videlicet Deus ipse, Spiritus Sanctus, gratia & charitas increata, æterna, insuperabilis & immutabilis Dei voluntas, sicut ex 13°. huius. 6°. & 3°. ex 2°. primi 9°. & 10°. cum 23°. potest elici manifestè. Hoc autem specialiter testificari videtur illud Platonis in 2. Timæi, introducentis Deum ad Angelos sic loquentem: Dij quorum opifex paterque sum ego; Opera siquidem vos mea dissolubilia natura, mea tamen voluntate indissolubilia, quia voluntas mea est maior nexus, & vegetatior ad æternitatis custodiam, quàm illi vitales nexus ex quibus æternitas vestra coagmentata atque composita est, sicut primo & secundo primi plenius allegatur. Cui & concordanter Propheta, Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum, Psalmo 32. & qui conuenientius sunt hi cœli, quam creaturæ rationales cœlestes in cœlestibus habitantes? Quod tractans Augustinus, cum illo versiculi præcedentis, Misericordia Domini plena est terra, tractatu 3°. ita scribit; Misericordia domini plena est terra, quid cœli? audi quid cœli: Non enim indiget misericordia, vbi nulla est miseria. In terra abundat hominis miseria, superabundat Domini misericordia; Miseria hominis plena est terra, & misericordia Domini plena est terra: Cœli ergo vbi nulla est miseria, nunquid quia non indigent misericordia, non indigent Domino? Omnia indigent Domino, & misera, & fęlicia; sine illo miser non subleuatur, sine illo fęlix eget: Ergo ne fortè de cœlis quæreres, cùm audires, Misericordia Domini plena est terra, audi quia Domino & cœli indigent, sermone Domini cœli solidati sunt, non à se sibi solidamentum fuerunt, nec ipsi cœli firmitatem sibi propriam præstiterunt: Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum; non habuerunt aliquid ex se, & tanquam supplementum à Domino perceperunt; Spiritu enim oris eius non pars sed omnis virtus eorum. Hoc autem verbum non incongruè potest intelligi verbum seu actus intellectus, seu voluntatis diuinæ: Nam sicut dicit Rabbi Mose de duce dubiorum 63. Verbum est triplex, scilicet lingua prolatum, conceptus mentis, (dixit insipiens in corde suo:) voluntas, dixit Saul vt interficeret Dauid, Duo vltimi modi competunt Creatori, vbi & tractans illud Psalmi præmissum, Verbo Domini cœli firmati sunt, &c. dicit quod sicut spiritus oris, & os sunt verba accommodata ei, sic & verbum & dictum accommodantur ei, hoc est dicere quia sunt inuenta cum intentione & voluntate sua. Quod & Moses in prima rerum origine figuratè ostendens, primò dicit cœlum creatum, & postea factum firmamentum, & hoc per dictum Dei seu verbum; Dixit, inquit, Deus, Fiat firmamentum, &c. & factum est ita. Quare & Iob 37. sub eadem metaphora primo recitat cœlos fabricatos, & postea solidatos; Tu, inquiens, forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt. Super quod Grego-

Opinio 12ª. *Boetius.* *Definitio beatitudinis.* *Augustinus* || tertiũ huius probat. || existimo *Opinio propria.* *Propheta.* *Augustinus.* *Rabbi Mose* *Moses.*

A B C D E

A Gregorius 27. Moral.25.. Possunt, inquit, per Cœlos hi qui in cælestibus sunt conditi Angelici spiritus designari, de quibus bene dicitur, quod solidissimi quasi ære fusi sunt: Natura namque æris est rubigine difficile consumi, & virtutes Angelicæ, qui in diuino amore fixè persliterunt, lapsis superbientibus Angelis, hoc in munere retributionis acceperunt, vt nulla iam rubigine surripientis culpæ mordeantur, vt in contemplatione conditoris, || *siue* felicitatis fine permaneant, & in hoc quod sunt conditæ, æterna stabilitate subsistant: Quod bene apud Mosen ipsa de mundi origine historiæ verba testantur, cùm & prius factum cœlum dicitur, & hoc idem postmodum firmamentum vocatur, quod videlicet natura Angelica & prius subtilis est in superioribus condita, & post ne nunquam potuissent cadere, mirabilius confirmata. || fine

---

CAP. XVI.

B

De perseuerantia sempiterna, seu obstinatione malorum in malo, & causa ipsius.

POstquam nunc tractatum est de perseuerantia sempiterna, seu confirmatione bonorum in bono; quod conueni[...]ius quàm tractare de perseuerantia sempiterna, seu obstinatione malorum in malo? Porrò sicut confirmatio facit confirmatos non posse peccare, sic & obstinatio obstinatos non posse bene velle, aut facere: & sicut illa facit illos ab actu beatifico cessare non posse, sic & hæc facit istos ab actu misero vacare non posse; C quod benè figuratè exprimitur Iob 41. cùm dicitur, Cor eius indurabitur quasi lapis & stringetur quasi malleatoris incus. Dicitq; Aug. de fide ad Pet. 21. Nec diabolus nec aliquis Angelorum eius, ex quo ruinæ illius merito in hanc scilicet inferiorem detrusi caliginem, bonam potuit aut poterit resumere voluntatem; quod si possibile esset vt humana natura, postquam à Deo auersa perdidit bonitatem voluntatis, ex seipsa rursus eam habere potuisset, multo possibilius hæc natura haberet angelica, quæ quanto minus grauatur terreni corporis pondere, tanto magis hac esset prædita facultate: Sed ostendit Deus vnde bona voluntas hominibus detur, quam sic amiserunt Angeli cùm haberent, vt amissam deinceps habere non possint. Et infra 26. dicit, quod in hac vita tantum est tempus pœnitentiæ fructuosæ, quam qui in hac vita non fecerit, habebit quidem pœnitentiam in futuro sæculo de malis suis, sed indulgentiam in conspectu Dei non in-D ueniet; quia etsi erit ibi stimulus pœnitudinis, nulla ibi erit correctio volũtatis: A talibus enim ita culpabitur iniquitas sua, vt nullatenus ab eis possit vel diligi, vel desiderari iustitia: voluntas enim eorũ talis est, vt habeat in se semper malignitatis suæ supplicium, nunquam tamen recipere possit bonitatis affectum; quia sicut illi, qui cum Christo regnabunt, nullas in se malæ voluntatis reliquias habebunt; ita illi qui erunt supplicio ignis æterni cum diabolo & eius Angelis deputati, sicut nullam vlterius habebunt requiem, sic bonam nullatenus habere poterant voluntatem. Et supra 19. partem Angelorum, quæ à Deo discessit, in æterno sic totam præcepit remanere supplicio, vt etiam ignem ei æternum pararet, in quo illi omnes præuaricatores Angeli nec mala possunt voluntate vnquam carere nec pœna, sed manente in eis iniustæ auersionis malo, permaneat etiam iustæ retributionis æterna damnatio. Anselmus quoque de casu diaboli 6. ait; Sic disiuncti sunt Angeli, vt adhærentes iustitiæ nullum bonum velle possint quo non gaudeant, & deserentes illam nullum velle queant quo non careant, E quod & multi Doctores multis locis testantur, sicut etiam Petrus 2. sent. dist. 5ª. & 7ª. & 4. sent. dist. vlt. ostendit & tenet. Circa causam verò obstinationis variæ sententiæ proferuntur; Aliqui namque ponunt causam tantummodo priuatiuam, alij positiuam, alij verò nullam. Ponentium causam priuatiuam quidam dicunt eam esse defectum, seu desertionem charitatis seu gratiæ, sicut videtur Petrum velle sentire 2. sentent. dist. 5ª. & 7ª. Sed si sic esset, cùm secundum eundem Petrum 2. sentent. dist 5ª. & 24. Angeli & primi parentes fuerunt creati sine gratia, tunc fuerunt finaliter obstinati, omnisque viator carens gratia esset immutabiliter obstinatus. Item si defectus gratiæ sit causa sufficiens obstinationis; & habitus gratiæ est causa sufficiens confirmationis, contra proximo præostensa. Item obstinatio & continuatio malæ voluntatis est effectus realiter positiuus: Habet ergo causam realiter positiuam, & non

Iob.

Augustinus.

Augustinus.

Augustinus.

Opiniones de causa obstinationis.

Opinio 1ª.

Opinio 2. solummodo priuatiuam. Alij vero dicunt hanc causam esse defectum beneuolentiæ misericordiæue diuinæ, Deum scilicet non velle misero misereri. Sed istud destruitur per proximam rationem. Item per 23. primi voluntas Dei est immutabilis, quare si Deus aliquando non velit huic misero misereri, nec vnquam voluit: Quilibet ergo obstinatus, quandocunque fuit, fuit immutabiliter obstinatus. *Opinio 3.* Alij verò dicunt hanc causam esse defectum confirmationis in bono: Sed hi refellentur, vt alij præcedentes; præterea si sic esset, quilibet viator qui non est confirmatus, esset æternaliter obstinatus. *Opinio 4.* Alij æstimant, quod sit in potentia vtendi libero arbitrio: Dicunt enim quod vehementia pœnæ quam sustinent obstinati ipsos infatuat, & juxta tertio huius præmissa omnem vsum liberi arbitrij eis aufert, & in exteriores tenebras eos mittit, sicque ipsos efficit obstinatos. *Propheta.* Vnde Propheta, Turbatus à furore oculus meus, vel sicut habeat Psalterium Romanum, Turbatus est ab ira oculus meus, Psalmo 6. *Augustinus.* quod Augustinus exponens dicit, quod ira Dei erit in futuro judicio, & hîc est quædam eius inchoatio, dum homines dolores & tormenta patiuntur, & maximè damnum intelligentiæ veritatis, sicut jam commemoraui, quod dictum est; Dedit illos Deus in reprobum sensum. B Nam ea est cæcitas mentis; In eam quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secluditur, sed nondum penitus cum in hac vita est: Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magis ad diem judicij pertinere intelliguntur; vt penitus extra Deum sit, quisquis dum tempus esset, corrigi noluit; penitus autem esse extra Deum, quid est, nisi esse in summa cœcitate? De his etiam exterioribus tenebris *Petrus.* Petrus 4. Sentent. dist. vlt. ita scribit; Sane exteriores tenebræ intelligi possunt quędam malignitas odij & voluntatis, quæ tunc excrescet in mentibus reproborum, & quædam obliuio Dei, quia tormentorum interiorum & exteriorum doloribus à Deo afficientur, & turbabuntur, vt ab illis ad cogitandum aliquid de Deo vix, & rarò vel nunquam in mentem reuocent; vt qui nimio pondere premuntur adeo stupescunt & turbantur, vt interim in aliam cogitationem non se extendant, sed illuc tendit impetus cogitationis, vbi sentitur vis doloris. *Reprobatio.* Sed qualitercunque erit post diem iudicij, ante non videtur sic esse: Nunc enim dæmones obstinati scientiam magnam habent, multa vera prædicunt ingeniosè, circumueniunt homines, & multa artificiosa & mirabilia subtiliter operantur, sicut & experientia, & libri multiplices historici & alij prophani & catholici contestantur. C *Gen.* Vnde & Gen. 3. dicitur, quòd Serpens erat callidior cunctis animantibus; Et in Euangelijs scribitur, quod dæmonia sciuerunt Dominum esse Christum: Quorum etiam magnam scientiam Augustinus, Gregorius, Isidorus, & quamplures Doctores Catholici contestantur concorditer multis locis, sicut & Petrus 2. Sentent. dist. 7. aliqualiter recitat & ostendit. Videtur etiam quòd Deus omnipotens potuit percusisse apostatas Angelos pœna obstinationis sine tanta vehementia pœnę sensus, & fortè sine aliqua pœna sensus, imò & cum delectatione, sicut & de ipsis aliquoties legitur, quòd in rebus aliquibus delectantur. *Opinio 5.* Alij verò putant, quòd causa obstinationis in dæmonibus est naturalis immutabilitas voluntatis: Dicunt enim quod potentia volutiua, seu appetitiua proportionatur potentiæ cognitiuæ, seu apprehensiuæ, à qua mouetur; Angelus autem quia non est depressus mole corporis, cognoscit & apprehendit immutabiliter sine discursu, quare & immutabiliter vult & appetit. D Sed ista positio videtur peccare & in materia & in forma; In materia supponendo falsum; Sicut enim Angelus est mutabilis in se, & in sua natura, quia de non esse in esse, & è contra; Sic & in sua actione, præsertim cùm habeat liberum arbitrium naturaliter habile ad meritum & peccatum: Angelorum namque similium, quidam peccauerunt, quidam peccato restiterunt, & laudabiliter meruerunt. Item mali Angeli priusquam peccarent, habuerunt bonam voluntatem, sicut & alij Angeli, & primus homo: Non enim videtur, quòd toto tempore, quo steterunt, fuerunt penitus otiosi. Nam si primo erant otiosi in voluntate, & postea actuosi, mutabantur in voluntate; si etiam erant tunc otiosi in voluntate, & non in intellectu, quia tunc cognouerunt Deum, & seipsos, sicut nullus dubitat, & Autoritates multæ testantur, sicut etiam Petrus 2. Sentent. dist. 3. manifestat, voluntas eorum non necessariò conformatur cognitioni eorum, quod tamen hypothesis supponebat. Quod etiam mali Angeli ante lapsum habuerunt actum voluntatis, imò & actum bonum, testantur expressè multæ Autoritates nono huius & decimo allegatæ: Quod & de Lucifero videtur Prophetam innuere figuratè cum dicit, Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia & perfectus decore in delicijs Paradisi Dei fuisti; Omnis lapis pretiosus operimentum tuum &c. tu Cherub extentus & protegens, & posui te in monte Sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in vijs tuis *Ezech.* à die conditionis tuæ; Donec inuenta est iniquitas in te Exech. 28. *Gregorius.* Quod & Gregorius 32. Moral. & Homilea 34. super Euangelia de ipso Lucifero euidenter exponit: Habuit ergò Diabolus ante lapsum aliquam cognitionem, volutionem, & dilectionem, quam peccando amisit;

A amisit; quare & habuit mutabilem voluntatem. Item ponatur Angelium aliquid voluisse quod apparuit ei bonum, & quod postea illud idem ipsi eidem apparuit purum malum; tunc sicut secundo huius ostensa testantur, primam volutionem dimisit. Item Angelus apparente ei obiecto sub ratione boni, non necessariò statim vult illud, sicut ex præostensis circa sextam quæstionem secundi huius apparet: Quare potest circa bonum sufficienter ostensum per aliquod tempus otiari in voluntate, & per aliud, illud velle; est ergo mutabilis voluntatis. Quare etiam non potest ab actu illo liberè cessare, sicut & potuit liberè vacare? Quid magis necessitat Angelicam volũtatem ad perpetualiter continuandum liberum actum suum, quam ad ipsum, post liberam vacationem ductitam temporaliter producendum? Non potest dici quòd actus, ex quo est productus, necessitat Angelicam voluntatem ad ipsum incessabiliter continuandum; quià simili ratione proportionalis actus voluntatis humanæ ipsam necessitaret similiter. Et si quis dicat, quòd actus liber voluntatis Angelicæ non
B producitur, nisi sufficienti deliberatione præhabita; & tunc necessariò producitur, ipsaque deliberatio habita necessariò semper manet, quare & actus voluntatis similiter dicit falsum, destruit hypothesin, nec difficultatem euitat. Dicit falsum: capiatur enim primus actus liber in Angelo, illum non præcedit deliberatio, cùm ipsa liberum actum importet. Potest quoque liberum arbitrium in liberum actum suum ex sola simplici apprehensione sine deliberatione syllogistica præcedente, & sic debere agere concludente; imò & contra deliberationem huiusmodi, sicut corollarium tertij huius monstrat: Alias enim in Lucifero qui malè voluit, erronea deliberatio, & error præcessisset peccatum, contra Autoritatem Ezechielis præmissam cum expositionibus Gregorij memoratis; & contra Augustinum, vt videtur 11. super Gen. ad literam 24. & post, diffusè; & contra multos Doctores materiam hanc tractantes. Nulla etiam ratio, aut deliberatio antecedens necessitat voluntatem, sicut tertium huius cum suo Corollario manifestat. Destruit hypothesin affirmantem in Angelis non
C esse discursum: Nec difficultatem euitat; Ipsum enim deliberare vel est necessarium, vel voluntarium; si necessarium, & ex illo necessariò sequitur velle; est ergo & ipsum velle necessarium, non liberum; si liberum, vel ergo quodlibet deliberare Angeli producitur per aliud deliberare præcedens, & sic in deliberare huiusmodi erit infinitus processus, quod nullus deliberatè concedet, vel est aliquod primum eius deliberare, & euacuatur responsio, ac reuertitur difficultas. Item eadem ratione, causa confirmationis Angelorum bonorum esset similiter priuatiua, immutabilitas scilicet voluntatis contra proximo huius ostensa. Item ex eodem principio quiescit res naturaliter in termino, ex quo mouetur ad eum, sicut patet de elementis & alijs, & autoritas Philosophica contestatur; sed ex sola immutabilitate nunquam mouetur voluntas ad actum, sed ex aliquo principio positiuo. Item cùm Angeli ante confirmationem non omnia sciuerunt, quia non præsciuerunt suum casum, nec suam confirmationem, sicut docet Augustinus 11. super Gen. vbi prius; & Anselmus de Casu diaboli 21.
D & post; Imò nec post confirmationem omnes Sancti Angeli omnia sciuerunt, sed quidam eorum quædam nouiter didicerunt, sicut euidenter potest haberi ex Zacharia, Daniele, alijsque Prophetis, ex linguis & locutionibus Angelorum, ex Angelica hierarchia Dionysij, & scriptis authenticis Catholicorum Doctorum, ex quibus apparet quòd non solùm à Deo, sed quidam eorum ex alijs illuminantur, & per reuelationes nouiter instruuntur, imò nedùm per Deum, & alios Angelos, verum & per homines quædam quibusdam Angelis nouiter innotescunt, dicente Apostolo ad Eph. 3. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus Euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo qui omnia creauit, vt innotescat principibus, & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundum præfinitionem sæculorum quam fecit in Christo Iesu Domino nostro. Vbi Glossa, Sacramenti absconditi à sæculis, id est, celati ab omni sæculorum creatura: & existentis in Deo, id est,
E sola notitia Dei; vt innotescat, id est, datum est mihi Euangelizare, & illuminare, & videre quantum hoc est, quia per hoc aliquid accreuit Angelis, qui multa secreta in his didicerunt, & hoc est quod ait, Euangelizare, Dico, ita vt multiformis sapientia Dei de reparatione hominum innotescat per Ecclesiam, quæ dona Dei recipit, id est, per Apostolos in Ecclesia prædicantes; Principibus & potestatibus, id est, diuersis ordinibus Angelorum, qui sunt in cœlestibus, id est, in cœlo; vbi & nos erimus, & subdit, Dicit namque beatus Hyeronimus, Angelicas dignitates supra memoratum mysterium ad primum non intellexisse, donec completa est passio Christi, & Apostolorum prædicatio per gentes dilatata. Vnde in Esaia Angeli admirantes dixerunt, Quis est iste qui venit de Edom? & in Psalmo, quis est iste Rex gloriæ? Non solũ ergo Patriarchis & Prophetis, sed principibus, & potestatibus in cœlestibus multiformis

formis sapientia Dei per Ecclesiam, id est, per ea quæ dicta & facta sunt in Ecclesia A est reuelata. Chrysostomus quoque super Iohannem Homilia prima; Nihil, inquit, nobis Ioannes humanum dicit, sed omnia spiritualia abyssis Spiritus Sancti, ab occultis illis thesauris, & quæ nec Angeli antequam hic dixisset, nouerant: Nobiscum enim & hi per Ioannis vocem, & per nos didicerunt, & quoniam nobiscum; & hoc ostendit beatus Paulus dicens, Vt nota sit nunc Principibus & Potestatibus per Ecclesiam multipliciter varia sapientia Dei. Si igitur & Principatus, & Potestates, & Cherubin, & Seraphin per Ecclesiam didicerunt hæc, manifestum est quoniam & ipsi cum multa alacritate circa hanc occurrerunt auditionem: Etenim in hoc honorati sumus non modicum, quod nobiscum Angeli didicerunt, quæ ignorabant. Petrus etiam 2. sent. dist 11. per easdem Autoritates idem ostendit & tenet: Si ergo Angeli sint mutabilis intellectus, cur non & mutabilis voluntatis? Si etiam Angeli non omnia semper sciant, sed aliqua de nouo addiscunt, non est omniquaque perspicuum ipsos non posse discurrere, sed magis videtur quod possint. Item Augustinus de Fide ad Petrum 21. Si possibile esset vt humana natura, postquam à Deo auersa bonitatem perdidit voluntatis, ex seipsa rursus eam habere potuisset, multo possibilius hoc natura Angelica haberet, quæ quanto minus grauatur terreni corporis pondere, tanto magis hac esset prædita facultate, sicut superius plenius allegatur. Secundum ergo sententiam Augustini voluntas Angelica à Deo auersa, de sui natura est magis redibilis, conuertibilis, quare & mutabilis, quàm humana. Ista quoque positio peccat in forma; Non enim difficultatem euitat: Anima namque humana à corpore separata, damnata; & totus homo in corpore & anima simul damnatus post finale iudicium; quæ & qui de sui natura est mutabilis apprehensionis & similiter voluntatis, redduntur sicut & dæmones obstinati. Ponentium autem causam positiuam, quidam dicunt eam esse obstinationem voluntariam, seu voluntatem obstinatam in malo; Vnde Bernardus de Gratia, & Libero arbitrio 18. Nec Deus inquit, caret libero arbitrio, nec diabolus; quoniam quod ille non potest esse malus, non infirma necessitas, sed firma in bono voluntas & voluntaria firmitas; quodque is non valet in bonum respirare, non aliena facit violenta oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata voluntas, ac voluntaria obstinatio. Sed istud stare non potest: Nihil enim potest esse causa sui ipsius. Item cùm dicitur, quod causa quare diabolus non potest respirare in bonum est sua ipsius in malo

Opinio 7ª. obstinata voluntas ac voluntaria obstinatio, quæro quæ sit causa illius obstinationis. Hic forsitan dicetur, & potest esse secunda opinio ponentium causam positiuam obstinationis in malo, quod est liberum arbitrium ipsius obstinati, refugiens liberè omne bonum, & continuans libere actum malum. Et hoc videtur sentire Bernardus vbi fuerat allegatus: Quare & immediatè subiungit; Nunc igitur ex eo potius dicitur liberum esse arbitrium, quod siue in bono, siue in malo æquè liberam facit voluntatem, cùm nec bonus quispiam nec item malus dici debeat, aut esse valeat, nisi volens. Tali iam ratione non incongruè dicetur ad bonum se & ad malum habere æqualiter quidem vtrobique, videlicet par sit ei, non quidem in electione D facilitas, sed in voluntate libertas: Hac sane dignitatis diuinæ, vt dictum est, prærogatiua rationalem singulariter creaturam conditor insigniuit, quod quemadmodum ipse sui iuris erat, suæque ipsius voluntatis non necessitatis erat quod bonus erat; Ita & illa quoque sui quodammodo iuris in hac parte existeret, quatenus non nisi sua voluntate aut mala fieret, & iustè damnaretur, aut bona maneret, & meritò saluaretur. Et supra 5ª. Libertas, inquit, à necessitate æquè & indifferenter Deo vniuersæque creaturæ rationali conuenit tam bonæ quàm malæ, nec peccato nec miseria dimittitur, vel minuitur, nec maior in iusto est, quàm in peccatore, nec plenior in Angelo, quàm in homine. Quomodo namque ad bonum conuersus per gratiam humanæ voluntatis consensus eo liberè bonum, & in bono liberum hominem fecit, quo voluntarius efficitur, non inuitus pertrahitur: sic sponte deuolutus in malum, in malo nihilominus tam liberum quàm spontaneum constituit, sua vtique voluntate ductum, non aliunde coactum vt malus sit. Et sicut cœlestis Angelus, aut etiam ipse Deus permanet liberè E bonus, quia sua voluntate, non aliqua extrinseca necessitate: sic profectò diabolus æquè liberè in malum & corruit, & persistit, suo vtique voluntario nutu, non alieno impulsu. Ma-

|| Captiuitas net ergo voluntas libertatis, vbi etiam sit || *capacitas* mentis tam plena quidem in malis, quàm in bonis, sed in bonis ordinatior; tam integrè quoque pro suo modo in creatura quàm in Cre-

Reprobatio. atore, sed in illo potentior. Sed nec istud causam obstinationis sufficientem assignat: Si namque solum liberum arbitrium faciat quempiam obstinatum in malo, vel hoc est mutabiliter vel immutabiliter; non mutabiliter liberè, sicut natura obstinationis importat, & præcedentia manifestant; nec immutabiliter, quoniam liberum arbitrium per se, & de sua natura est mutabile secundum contradictionem; sicut primum huius & sequentia docuerunt, sicut & constat

A constat ipsum fuisse & esse in viatoribus non obstinatis nec confirmatis: Si ergo liberum arbitrium per se solum aliquando obduret immutabiliter quempiam in actu malo, & semper; vel si aliquando non, nec vnquam. Quare & dicit Philosophus 2. de Generat. penult. quod idem & similiter habens semper idem innatum est facere: Si ergo habens liberum arbitrium cum actu malo aliquando, puta pro tempore peregrinationis possit liberè secundum contradictionem ipsum dimittere vel tenere, & non sit immutabiliter obstinatus in illo; aliquando verò, puta pro tempore obstinationis non sic, sed sit immutabiliter obstinatus in illo * solum liberum arbitrium nullatenus sufficit, sed aliqua alia causa requiritur, quæ liberum arbitrium in huiusmodi actu suo liget insolubiliter & captiuet. Item si solum liberum arbitrium obduraret malos in malo; cur non similiter solum liberum arbitrium confirmaret bonos in bono contra proximo declarata? Alij autem dicunt quod causa obstinationis quæsita est malitia & vitium obstinati. Vnde Petrus 2. sentent. dist. 7. Mali, inquit, à Deo per malitiam sunt obstinati, quod bonam voluntatem habere, siue bene velle non valent. Et infra, Mali, inquit, in vitio obdurati sunt, vt bene viuere nequeant: Sed malitia illa & vitium, vel est pura priuatio, vel aliquid positiuum; Si pura priuatio, reprobatur per priora; Si sit aliquid positiuum, vel actus, vel habitus; Si actus, aliquis actus creatus esset similiter causa confirmationis beatificę beatorum, contra proximo huius ostensa. Ostensum est etiam tertio huius, quod nulla res creata potest necessitare liberum arbitrium ad volendum, quare nec ad continuandum æternaliter suum velle. Item ille actus vel est necessariæ continuationis, vel non; Si sic, quæ causa necessitatis illius? Si non, quomodo necessitabit aliud in æternum? Si autem dicatur, quod sit aliquis habitus, reprobabitur sicut actus. Alij adhuc credunt, quod causa obstinationis sit vehementia volutionis; Dicunt enim quod quanto voluntas est perfectior, tanto perfectius in suum volubile se immergit; Voluntas autem Angelica, quia à corpore separata, est maximè perfecta & perfectè libera, quare & tam vehementer in suum volubile se immergit, quod retrahere se non valet. Sed ista positio sicut & quinta, peccat in materia, & in forma, & potest similiter reprobari: Ponit enim Angelos habere naturaliter immutabilem voluntatem, sicut & illa, nec vitat difficultatem de causa obstinationis animæ humanæ, totiusue hominis obstinati. Præterea specialiter contra istam; Sicut agens rationale habet libertatem contradictionis respectu sui actus, sic & respectu gradus illius, & quanto fuerit perfectius & liberius, tanto magis. Item immergat se viator quantum potest in aliquod volubile bonum vel malum; & cùm actus Angeli, & iste actus hominis sint proportionales istis agentibus, quia secundum vltimum potentiæ vtriusque, si vnus actus ita ligat suum actorem, quod retrahere se non valet, & alius ita suum; præsertim cum potentia libertatis humanæ imperfectior sit & minor potentia Angelicæ libertatis, quod nullus dubitat esse falsum, cùm homo maneat adhuc viator; vel si impotens homo se possit retrahere, & Angelus potens potest, cùm vterque mutabilis sit natura. Item eadem ratione sancti Angeli essent per seipsos sufficienter confirmati in bono contra proximo huius ostensa. Item quantum causa agit ad continuationem actus voluntatis Angelicæ, tantum potest & aliqua causa secunda agere ad productionem actus Angelicæ voluntatis; sed aliqua causa secunda, puta actus ipse seu modus volendi voluntatis Angelicæ tantum agit, quod ipsam necessitat ad continuationem illius; quare & aliqua causa secunda posset ipsam necessitare ad liberum actum suum, contra tertio huius præmissa. Item ex eodem principio mouetur res ad terminum, & quiescit in termino, sicut patet de elementis & compositis de irrationabilibus & rationabilibus, sed Angelus ex libertate arbitrij secundum contradictionem & contingenter mouetur ad actum volendi; quare & quantum ex se est, ex eadem libertate secundum contradictionem & contingenter, non ex necessitate contraria in eodem actu quasi in termino requiescit. Dicentes verò nullam esse causam obstinationis ponendam, dicunt obstinationem nihil esse, quare nullam causam habere: Dicunt enim, quod obstinatio est sola impotentia, seu priuatio potentiæ bene volendi, & à malè volendo cessandi, & quod ipsa mala volutio obstinati est vnus effectus liberi arbitrij positiuus, sed non est ipsa obstinatio nec aliqua pars ipsius. Sed isti peccant dupliciter; In materia, & in forma; In materia, quia falsum supponunt, nullam scilicet priuationem habere causam; quis enim nesciat obliuionem, ignorantiam, cæcitatem, eclipsin, & cætera talia aliquas causas habere? Quis etiam nesciat Philosophiam multis locis docere eandem causam nunc præsentem, nunc absentem, nunc agentem, nunc cessantem, esse causam nunc || *præsentis* alicuius effectus, nunc priuationis, seu defectionis ipsius? Quomodo etiam fiet mutatio de vno contradictoriorum in reliquũ, & de vero in falsum, vel è contrario, sine causa? Simili quoque modo potest quis fingere nullam esse causam confirmationis in bono, & ipsam non esse aliquid positiuum, sed solam impotentiam, seu priuationem

Margin notes: * non (beside "obstinatus in illo * solum"); *Opinio* 8ª *Petrus.* (beside "Alij autem dicunt … Vnde Petrus"); *Opinio* 10ª. (beside "Dicentes verò nullam"); || præsens (beside "nunc || *præsentis*"). Section letters B, C, D, E stand in the left margin beside "stinati", "lubile se immergit", "ipsos sufficienter", "priuatio potentiæ".

nem potentiæ malè volendi, & à bene volendo cessandi, & quod ipse actus beatificus confirmati est vnus effectus liberi arbitrij positiuus, sed non ipsa confirmatio aliquidue ipsius. Peccant quoque in forma, quia difficultatem non vitant. Si namque liberum arbitrium, quantum est de se, posset, & prius potuit liberè secundum contradictionem continuare actum suum & non, & nunc necessariò ipsum continuat, hoc est ex aliqua causa ipsum nouiter necessitante, aut ex aliquo impedimento ipsum nouiter prohibente, & || *imposibilitante* cessare. Liberum quoque arbitrium quantum est de se posset & prius potuit in actum contrarium actui misero obstinati, & nunc non potest, hoc ergo est ex aliqua causa, aut ex aliquo impedimento ipsum nouiter prohibente & imposibilitante elicere talem actum: Quæ est igitur ista causa, aut impedimentum huiusmodi? & reuertitur difficultas. Sunt & alij modi dicendi minus probabiles, sed sufficiat istos paucos probabiliores hac vice breuiter tetigisse. Salua igitur Maiorum sententia, videtur quod obstinationis sit aliqua causa ponenda, causa videlicet priuatiua, & similiter positiua; Priuatiua, quantum ad illud quod ibi ponitur priuatiuum, scilicet non posse bene velle, & hanc puto priuationem gratiæ seu defectum secundum præhabita 39. & 43. primi libri, nec hanc possunt mereri, per 35um. & sequentia dicti primi, nec Deus vult illam talibus gratis dare; Imò, vt iuxta præmissa 13. primi ista causa priuatiua reducatur ad causam positiuam priorem, ideo carent gratia & carebunt, quia in pœnam iustissimam peccati sui prioris Deus vult eos carere æternaliter gratia, quam si non peccassent æternaliter habuissent. Est & causa obstinationis similiter positiua, quantum ad illud quod ibi ponitur positiuum, quod est continuatio actus æterna, & hæc est liberum arbitrium obstinati, sicut Bernardus videtur sentire: Sed quia hæc sola non sufficit, sicut superius est ostensum, videtur iuxta proximo huius præmissa, quod Deum indignari & nolle hunc actum vnquam cessare, ac velle eum æternaliter continuari in pœnam æternam iustissimam præcedentis peccati, sit causa huius sufficiens & suprema. Vnde Propheta, Ira, inquit, in indignatione eius, & vita in voluntate eius Psalmo 29. hæc autem ira seu vita ex indignatione seu voluntate diuina non est transitoria, sed morosa, sicut statim subiungit; Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia, ad vesperum, inquam, & matutinum speciale in præsenti, vel generale in futuro iudicio, quando nunc vel tunc peccatoribus occidit, vel occidet: Iustis autem oritur vel orietur Sol verus, & sic morabitur in æternum: Vnde hæc ira seu pœna, vita seu lætitia tam morosa, nisi ex eadem indignatione seu voluntate diuina? vbi Glossa; Ad vesperum, &c. Duobus prædictis duo alia reddit hoc modo; quia ira est in indignatione eius, ideo ad vesperum demorabitur fletus, & quia vita est in voluntate eius, ideo ad matutinum erit lætitia. Prosequere ordinem literæ & verborum expositionem sic; Ira processit ex eius indignatione, & illa ira non est breuis, imò longa, quia fletus, id est omnimoda hominis miseria, tam culpæ, quàm pœnæ, demorabitur; quanquam vesperum & matutinum ibidem ab alijs aliter exponatur: Quis enim, sciens fœcunditatem multiplicem sacræ Scripturæ, nesciat quod multipliciter exponatur? Dicitque Augustinus 1. Confess. 12. Iussisti, inquit, Domine, & sic est, vt pœna sibi sit omnis inordinatus animus; qui & de fide ad Petrum 26. dicit, quod voluntas eorum talis erat, vt habeat in se semper malignitatis suæ supplicium, sicut superius plenius allegatur. Quare & sicut recitat Petrus 4. sent. dist. vlt. licet Doctores in hoc discordent de ista voluntate obstinatorum, quod aliqui dicunt, quod non est peccatum, & alij dicunt quod est peccatum, in hoc tamen omnes concordant, quod ipsa est supplicium mali meriti præcedentis. Quod & satis potest haberi ex 39. primi, vbi monstratur quod nullum malũ est impunitum, & ex 34. primi, vbi docetur quod vnum peccatum est pœna alterius. Hęc ergo obstinatorum voluntas, etiam etsi sit peccatum, secundum substantiam tamen actus, bona est; teste 26. primi, & in quantum est pœna peccati prioris iusta est, sicut nullus ignorat, & patet ex 34. primi huius: Ergo causa suprema est diuina voluntas, sicut nonum, & 21um. primi demonstrant. Hæc autem vult Deus in reprobis obstinatis propter eruditionem electorum in via, & gloriam beatorum in patria, sicut patet 39. primi: Et si quis obijciat tunc Deum esse Autorem peccati, & velle peccatum, & quemlibet obstinatum velle, sicut Deus vult eum velle, quare & iustè velle, & cętera talia, 26um. & 34um. primi cum suis similibus respondebunt.

Marginalia: || imposibilitate; *Responsio propria.*; *Psalmus.*; *Augustinus.*; *Petrus.*; A; B; C; D; E

CAP.

A

CAP. XVII.

Quod nulla creatura rationalis potest confirmari vel obstinari immutabiliter per naturam.

OStenso siquidem quod creatura rationalis quædam est immobiliter confirmata in bono; quædam verò immutabiliter obstinata in malo, & hoc non solum per liberum arbitrium, propriamque naturam: Inquirendum vlterius, Nunquid hoc posit fieri
B per naturam; Et quod sic, arguitur à quibusdam. In confirmatione Beati non apponitur naturæ adiutoriũ infinitum, sed tantũ finitũ & tãtum posset ei apponi per appositionẽ maioris, fortioris naturalis, & de obstinato similiter. Sed istud non videtur nisi fortasis loquẽdo æquiuocè, & nimis sophisticè de creatura rationali, supponendo videlicet Deum posse creare creaturam rationalem, quæ haberet solum iudicium rationis sine libertate agendi; vel è contra, quæ haberet libertatem contradictionis agendi cum sola cognitione sensitiua sine iudicio rationis. Non sic autem loquendo, sed vniuocè de creatura rationali eiusdem rationis, sicut est modo: Non videtur aliquem posse confirmari in bono morali, aut supernaturali tantum per naturam; Magis enim videtur creaturam rationalem posse confirmari in bono naturæ per se tantum, aut per solam suam naturam, quàm in bono non na-
C turali, puta morali, vel supernaturali: Sed hoc non potest sicut 2^um^. & 9^um^. primi ostendunt. Item si fortitudo, & potentia naturalis creaturę rationalis naturalitèr augeatur, sicut augetur potentia intellectus, ità, id est, proportionaliter potentia libera voluntatis; quantum ergo naturaliter potest vti potentia intellectus, tantum & potentia libera voluntatis: quare & ita mutabilitèr velle, sicut voluntas inferior minus potens. Item talis potentia, quantacunque ponatur, creata est potentia rationalis, & quantum est de sui natura, sicut est mutabilis in natura & in esse, quià de non esse in esse & è contra: sic est & mutabilis actionis, atque mutabilis voluntatis, & valet ad opposita successiuè, sicut de Angelis proximo est ostensum. Item quæcunque creatura rationalis ponatur, ipsa est de se mutabilis intellectus: Potest enim scire aliquid postquam nesciuit, & è contra; potest & decepi, dum id quod credit esse verum, re tali clam mutata sit falsum; quare & est similiter mutabilis, deceptibilis, & peccabilis voluntatis. Item si hæc creatura rationalis necessitate naturali incessabiliter habeat istum actum;
D vel hoc est necessitate naturali antecedente huius potentiæ rationalis, vel necessitate sequente huius actus; Non necessitate naturali antecedente huius potentiæ rationalis; hoc enim repugnat formalitèr potentiæ rationali, quæ quantum est de sui natura, & quatenùs præcedit naturaliter liberum actum suum, liberè secundum contradictionem potest illum producere & non producere, nec prædeterminatur necessitate naturali antecedente ad alteram partem tantum sicut potentiæ irrationales, sicut docet Philosophus 9. Metaph. 10. & primum ac secundum istius, quare & de continuatione perpetua similiter sentiendum. Nec habet incessabiliter istum actum ex necessitate sequente naturaliter istum actum; ita, videlicet, quod iste actus postquam est productus necessitat producentem, ad ipsum incessabiliter retinendum; quia simili ratione similis actus simili modo productus in quacunq; creatura rationali ipsam necessitaret similiter, vt ipsum incessabiliter retineret; est enim eadem proportio hic & ibi. Item sicut creatura rationalis debilis, quantum est de sui natura potest liberè confirmare, aut
E difformare se suo debili iudicio rationis, & sic mereri, atque peccare; sic & creatura rationalis potentior suo potentiori iudicio propter proportionalitatem eorum. Item si aliqua creatura rationalis excellens naturali necessitate immutabiliter confirmetur in bono, vel in malo, & quælibet præsertim eiusdem naturæ & gradus in perfectione naturæ; est enim per se talis, per se autem importat necessariò vniuersalitatem temporis & suppositorum sicut patet ex 26. primi; quod quis nesciat esset falsum? cum vna talis posit esse beata, & alia misera; hoc enim nullam repugnantiam implicat sicut nullus ignorat. Item sub quantocunque gradu perfectionis naturæ, potest esse creatura rationalis immutabiliter confirmata in bono vel in malo; potest esse & similis creatura mutabilis in statu merendi; hoc enim nullã contradictionem includit, imo & sub quantocunque gradu finite perfectionis naturæ potest esse creatu-

ra rati-

ra rationalis mutabilis & meribilis, seu habilis ad merendum: Alias etenim omnipotens manus Dei mutilaretur turpissimè, & nimium impotens redderetur: Alias etiam esset certus terminus perfectionis naturæ naturaliter limitatus & meribilis, quem creatura rationalis transire non posset, & vltra quem Deus omnipotens non posset creare huiusmodi creaturam, quod nulli conuenit rationi; Cur enim ad hunc terminum & non vltra? Admittatur etiam in positione posibili aliquam esse creaturam rationalem mutabilem, & meribilem supra A. terminum illum datum, & nulla contradictio || *inferetur*; est ergo istud posibile absolutè secundum præhabita primo primi, quod & posset ostendi alijs vijs multis. Capiatur ergo A. creatura rationalis secundum falsigraphum immutabiliter confirmata in bono vel in malo, & immutabilis, atque immeribilis per naturam, & sit B. alia huiusmodi creatura æqualis in naturalibus, mutabilis & meribilis per præmissa: B. igitur de natura sua est mutabilis voluntatis, atque meribilis, & est per se, quia per naturam & essentiam suam talis; Per se autem includit vniuersalitatem suppositorum & temporis, sicut ostensum est 26. primi. Omne ergo tale suppositum, & semper, quantum est de se & de natura sua est mutabilis voluntatis atque meribilis benè vel malè: Si vero firmetur immutabiliter & immeribiliter in bono vel in malo, hoc non est de se sufficienter, nec de sui natura, sed ex alia causa firmante, sicut 15. & 16. huius docent.

|| Inferatur.

A B

COROLLARIVM.

Corollarium, quod nulla creatura rationalis est, aut esse potest immutabilis, inuertibilis aut impeccabilis per naturam.

EX his autem reputo manifestum, nullam creaturam rationalem esse, aut esse posse immutabilem, immeribilem, aut impeccabilem per naturam. Istud tam euidenter consequitur, quod non indiget probamento. Dicitque Augustinus 3. contra Maximinum 13. Creaturarum natura cœlestium mori potuit, quia peccare potuit; nam & Angeli peccauerunt, & dæmones facti sunt, quorum est diabolus princeps; & qui non peccauerunt, peccare potuerunt; & cuicunque rationali creaturæ præstatur vt peccare non posit, hoc non est naturę propriæ, sed Dei gratiæ: Ideoque solus Deus est, qui non gratia cuiusquam, sed natura sua propria nec potuit, nec potest, nec poterit peccare. Hieronimus etiam Epistola 13. ad Damasum Papam de filio prodigo 16. scilicet penult. dicit, quod ex multis scripturæ testimonijs edocemur Dei solius perfectam esse iusticiam, & infra in Psalmis dicitur, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens; non ait, non iustificabitur homo, sed omnis viuens, id est, non Euangelista, non Apostolus, non Propheta; ad maiora conscendo, non Angelus, non Throni, non Dominationes, non Potestates, cæteræque virtutes: Solus Deus est, in quo peccatum non cadit; cæteri cum sint liberi arbitrij, iuxta quod & homo ad imaginem & similitudinem Dei factus est, in vtraque parte possunt flectere suam voluntatem, quod oportet intelligi, quantum est de nuda eorum natura. Anselmus quoque 2. cur Deus homo. 10. postquam ostendit Christum || Deum *& hominem* non posse peccare, & tamen esse laudandum, de sua iusticia, ita quærit; Quærendum existimo cum Deus talem posset facere hominem, cur non tales fecit Angelos, & duos primos homines, vt similiter & peccare non possent, & de iusticia sua etiam laudandi essent? & respondendo subiungit; Quoniam non debuit, nec potuit fieri, vt vnusquisque eorum esset idem ipse qui Deus, sicut de homine isto decimus. Quod autem arguebatur superius de appositione adiutorij tantum finiti in confirmatione boni, videtur loqui tantummodo de appositione adiutorij creati; sed nullum tale sufficit, sed necessario requiritur adiutorium per se firmum, quod ideo necessario est increatum & infinitum, scilicet Dei voluntas, Deus ipse, sicut 15. huius docet. Quantumcunque etiam naturaliter adaugetur fortitudo solummodo naturalis creaturæ rationalis, tantum & eius libertas contradictionis, ac mutabilitas coaugetur, sicut superius est argutum, Tale ergo augmentum nequaquam confirmat, aut immobilitat augmentatum.

Augustinus. *Hieronymus.* || Vt hominem.

C D E

CAP.

A

CAP. XVIII.

Contra quosdam dicentes actum Liberi Arbitrii nihil esse.

His igitur per Dei auxilium expeditis, iam restat de actu proprio li-
beri arbitrij, cum eiusdem adiutorio perscrutari. Sed quia sunt aliqui
de quibus non tacuit Esaias, palpantes sicut cæci parietem, & quasi
absque oculis attrectantes, impingentes in meridie quasi in tenebris,
& in caliginosis velut mortui dormientes, tam insensibiles atque exa-
B nimes, vt actus proprios nequaquam percipiant, asserentes actum li-
beri arbitrij nihil esse, ideo immorabor paulisper, vt qui oculos cę-
corum illuminat, eis & mihi dignetur infundere veram lucem. Luce
siquidem clarius patet cunctis, quod si actus liberi arbitrij nihil sit, nec actus alicuius alterius
potentiæ siue formæ est aliquid: Nam liberum arbitrium est perfectißima potentia, seu for-
ma creata; quare & proprius actus eius non erit imperfectior actu proprio cuiuscunque alte-
rius; quare nec minus clare videtur, quod hæc cæca positio habet ponere consequenter om-
nem actionem & paßionem, omne agere & pati, omnem motum & mutationem, omne
mouere seu moueri, mutare seu mutari vniuersaliter nihil esse, quod quantum aduersetur om-
nibus pene scientijs, scientes faciliter deprehendent; omnes scientias molitur extinguere,
quæ se non abstrahunt ab actione & motu, & hæ sunt omnes scientiæ, vix Arithmetica &
Geometria exceptis; quoniam Geometria Euclidis in libro vndecimo, & Iordanus de trian-
C gulis vtuntur in definitionibus & theorematibus suis motu; & Boetius secundo suæ Arith-
meticæ vltimo musicas consonantias omnes tractat, quæ nusquam possunt fieri sine mo-
tu. Quia igitur omnes scientias iniustè conatur destruere, iustè ab omnibus destruetur;
primo à scientijs quadriuialibus, Grammatica, scilicet, Dialectica, Rhetorica, & Musi-
ca, quæ de sono & voce considerant: Si enim tam sonus quam vox sit aliquid, sicut scientiæ
istæ docent, sonatio & vocatio est aliquid, sonare & vocare est aliquid, imo & percußio seu
percutere vnde generatur sonus, & vox est similiter aliquid; Nihil enim ex nihilo genera-
tur. Respondebit forsitan consequenter, negando sonum aut vocem esse aliquid: Sed istam Responsio.
responsionem prædictæ scientiæ conuincunt vt insciam & ignaram, docentes concorditer
sonum & vocem veram rem esse, quod & sensus auditus experientia certa docet. Sonus enim
est proprium eius obiectum, sed nihil nullius sensus est obiectum; Quomodo namque po-
test nil mouere medium & sensum? Quomodo potest nil in medio, & in sensu suam similitu-
D dinem, seu speciem generare? Quomodo purè nihil imprimeret speciem tam firmiter & tam
diu in memoria remanentem? Quomodo purè nihil tot proprietates mirabiles & tot differen-
tias in auditu, memoriaque causare? Si etiam sonus & vox sit nihil, quomodo secundum
prædictas scientias, & secundum scientiam naturalem causatur, generatur, atque formatur?
si insuper sonus sit nihil, quomodo sonus excellens sensum auditus debilitat, & corrumpit?
Nonne & secundum Auicennam 7. de Animalibus vlt. tonitrus nocet piscibus, & secundum
eundem 8. de Animalibus 2. oues & capræ impregnatæ cùm audiunt tonitrua abortiunt? Ad-
huc autem si sonus sit nihil, quomodo consonantia & dissonantia musicalis delectat, aut con-
tristat auditum, & totum hominem audientem, & etiam animalia carentia ratione? quomo-
do haberent modi Musici tam vehementem virtutem, tam multiplicem potestatem, & tam
mirabilem actionem? Quis enim non audiuit, || & legit, quanta miracula veteres per Musi- || aut
cam perfecerunt? Nonne Tullius in libro consiliorum suorum, & Boetius 1. Musicæ suæ in
E Prologo recitant, quomodo Pythagoras stellarum cursus, vt ei mos erat, nocturnus inspici-
ens, vbi intellexit adolescentem Tauromilitanum ebrium & furentem sono modi Phrygij in-
citatum, vt domum scorti clausam vellet comburere, nec multis amicorum monitionibus à
facinore vellet desistere, mutari modum præcepit, & succinente Spondæo animum furiosi ad
statum mentis pacatißimè temperauit? Referunt quoque Tullius & Boetius vbi prius, quod
cum quidam adolescentes vinolenti tibiarum cantu instincti, mulieris pudicæ fores infringe-
rent, Pythagoras admonebat tibicinem vt modum verteret, caneretque Spondæum; quod
cum fecisset, tarditate modorum & grauitate canentis, illorum furentem petulantiam conse-
dauit; Quod & 5. contra Iulianum 9. commemorat Augustinus. Et subdit Boetius vbi pri-
us; Sed vt similia breuiter exempla conquiram, Terpander, atque Arion Methymnæus Les-

bios atque Iones grauissimis morbis cantus eripuere præsidio. Ismenias verò Thebanus Bæotorum pluribus, quos sciatici doloris tormenta vexabant, modis fertur cunctas abstersisse molestias. Similiter Empedocles, cùm eius hospitem quidam gladio furibundus inuaderet, quod eius ille patrem accusatione damnasset, inflexisse dicitur modum canendi, atque adolescentis iracundiam temperasse. Istis quoque similia testatur Aristoteles 8. Polit. vlt. & per totum, & in de problemat. particula 19ª. quæ & Pythagoras, Socrates, Plato, & omnes antiqui Philosophi similiter contestantur; imò & concorditer putauere harmonias & numeros musicales animos humanos & corpora pariter possidere. Quapropter & Plato cauendum maximè æstimat, ne de bene morata Musica aliquid permutetur: Negat enim esse vllam tantam morum in Republica labem, quàm paulatim de pudenti ac modesta musica inuertere: Statim quoq; enim idem audientium animos pati, paulatimq; discedere, nullumque honesti ac recti retinere vestigium; sed vel per lasciuiores modos inuerecundum aliquid, vel per asperiores ferox atque immane mentibus illabatur. Verùm quid opus in exteris diuagari? cum literæ nostræ sacræ perhibeant, quomodo Dauidica cithara temperauit malitiam maligni spiritus in Saule, quomodo etiam Psalte canente, facta est manus Domini super Elizæum in spiritu Prophetiæ: Quare & Philosophus 8. Polit. vlt. agens generaliter de Musica, & specialiter de moralibus harmonijs, & sacris melodijs, & earum vtilitatibus, dicit quod vna earum est raptus. An non & verba sacramentalia, & forsitan alia habent miram efficaciam & virtutem? Propter hæc igitur & similia, aliter forsitan respondebit dicendo, quod sonus generatur à percutiente, quod est aliquid, non autem à percussione, quæ est aliquid; vel ergo ferrum percutiens æs per se facit sonum, vel non per se; si per se, semper sic faceret; Per se namque præsupponit de omni, pro vniuersalitate suppositor ũ & temporis, sicut 2um. & 26um primi plenius ostendebant; ferrum ergo & æs contiguata in aëre sine aliqua percussione, aut motior e quacunque facerent semper sonum. Si autem ferrum per accidens causet sonum, illud accidens necessariò requisitum ad sonum causandum non potest dici aliud, quàm percutere, siue percussio: Ergo percussio est saltem concausans cum ferro & congregans ipsum sonum; est ergo aliquid & non nihil. Dicetur fortasis quod ferrum per accidens causet sonum, id est, accidentaliter, non tamen per aliquod tale accidens realiter distinctum ab eo. Quare ergo nunc, scilicet quando percutit, causat sonum & non prius, cùm omnia omni eodem modo realiter se habeant nunc vt prius; Si dicatur, quia nunc percutit, & non prius; tunc hæc responsio si sit conueniens, cum per quare quæratur causa, per quia respondet de causa; ferrum ergò nunc percutere est causa, & causa efficiens huius soni; ergo ferrum percutere est aliquid: Si enim non esset aliquid, non causaret nec efficeret aliquid; quare & ferri percussio non est nihil. Item si per quia respondeatur ibi causa, tunc ferrum percutere est aliqua causa soni: aut ergo illa causa est ipsummet ferrum tantum, vel aliud; si ipsummet ferrum tantum, ergo adhuc ferrum percutere est aliquid etiam, cum ipsummet ferrum prius fuit cum omni causa reali, cum qua nunc est, & æs, & aër disponebantur similiter, priùs causabatur sonus ab eo, seu ab eis; falsum est etiam quod nunc est illa causa, & prius non fuit: Si autem illa causa sit aliud realiter ab illo ferro, & non potest poni aliud quam percutere, vel ipsa percussio; ergo percutere, vel percussio est causa realis efficiens ipsum sonum; est igitur aliquid & non nihil. Item si ista ratiocinatio non valeret, nulla via rationis valeret ad ostendendum diuersitatem agentium aut formarum: Nam ex diuersitate effectuum aut operationum non potest concludi talis diuersitas; quoniam ab eodem ferro agente per omnem eandem formam, nunc, scilicet, quando quiescit, producitur vnus effectus, & nunc, scilicet quando percutit, diuersus omnino; quæ tamen via in Philosophia vbique sola ad illum terminum valida reputatur. Item qui negat percutere seu percussionem esse aliquid, negat eam posse sentiri; quare & habet consequenter negare omnem castigationem percussoriam paruulorum, quæ per præceptores grammaticos fieri consueuit: Vtinam igitur efficiatur, vt paruulus, & toties & tam valde percutiatur ferula Prisciani, & virga Donati, donec experientiâ certâ discat percutere seu percussionem se posse sentire, sicque percutere & percussionem esse aliquid fateatur. Item Logica specialiter ipsum redarguit isto modo; Aliqua est propositio categorica in intellectu habens copulam actualem, quæ est actualis compositio intellectus: Nam illa copula, illud scilicet quod correspondet in intellectu huic verbo, est, in voce nihil aliud dici potest quàm actus intellectus, seu eius compositio actualis, quo vel qua copulat & componit extrema propositionis adinuicem: Vnde Philosophus 1. peri hermenias 3. (Est,) inquit, consignificat quandam compositionem, quam sine compositis non est intelligere. Et Auerroes super illud Philosophi 5. Metaphys. 14. Amplius esse & est significant quia verum, sic dicit; Intendebat distinguere inter hoc nomen ens quod significat copulationem in intellectu, & quod significat essentiam

Marginalia: A; B; *...Reg. 3.*; *Philosophus.*; *Responsio 2.*; C; *Responsio.*; D; E; *Philosophus.*; *Auerroes.*

A sentiam quæ est extra intellectũ;& si illa cõpositio,seu copulatio nihil sit, nihil iuuat ad componendum,ad sciendum, ad discurrendum,seu quidlibet aliud faciendum; imò & tunc nulla est differentia inter talem propositionem & sua extrema; per nihil enim differrent. Et etiam tunc actualis negatio in intellectu nihil est; Ergo negatiua & affirmatiua de eisdem terminis in intellectu nullatenus differunt, quia per nihil; quare & contradictoria sunt simul vera; Imò quod magis est impossibile, eadem propositio numero sibi ipsi planissimè contradicit. Item aliæ scientiæ triuiales, Arithmetica, & Geometria, & Astronomia asserunt motum esse, licet fortassis Arithmetica & Geometria hoc accidentaliter faciant; sed Astronomia essentialiter: est enim de integritate illius. Philosophia etiam naturalis essentialiter maximè tractat de motu, sæpissime asserens ipsum nedum generaliter esse aliquid, sed specialiter, quod aliquid sit, ostendens: Ostendit enim quod est actus entis in potentia, quod est actus diminutus, quod est perfectio motoris & moti, & similia, vt patet 3. Physicæ diffusè, & alibi multis locis. Item B motus est causa efficiens caloris, sicut scientia naturalis frequenter testatur, & sine ipsa quilibet experitur; Motus ergo est aliquid: Omnis enim causa efficiens alicuius effectus realis, est aliquid verè reale. Respondebitur forsitan quod motus non propriè est causa effectiua caloris, sed tantum impropriè, quia scilicet per ipsum partes calidæ congregantur adinuicem, quæ congregatæ calefaciunt fortius quàm dispersæ. Sed proculdubio sic motus non magis esset causa caloris quàm frigoris, vel cuiuslibet alterius qualitatis: Sicut enim congregat partes calidas, ita & frigidas, humidas, atque siccas, albas & nigras, dulces & amaras, ac alias qualescunque. Item si sic esset, corpora quæ sunt magis frigida quàm calida, habentque plures partes frigidas quàm calidas, mota velociter & fortiter adinuicem confricata deberent amplius infrigidari; quia partes frigidæ amplius vniuntur, cùm tamen amplius calefiant, sicut lapides, metalla, & ligna frigida manifestant: Lapides enim collisi generant clarum ignem, & metalla mota velociter liquefiunt, dicente Philosopho 1. Metaphys. 2. Videmus itaque *Philosophus.* C motum, quod potest disgregare aërem & ignire, vt lata etiam liquefacta videantur sępè: Lignum etiam durum & frigidum contra aliud fortiter agitatum procurat incendium, sicut norunt euntes ad nemora sine igne. Hæc etiam responsio peccat in alio, quia ponit motum calefacere per hoc quia congregat; Videtur enim potius disgregare, sicut experientia satis docet. Dicitq; Philos. 1. Met. 2. Videmus itaq; motum quod potest disgregarea ërem & ignire; & infra eodem, Violentia latus vicinus aër maximè fit calidus,& hoc rationabiliter accidit; maximè autem motus solidi disgregat ipsum: propter hanc igitur causam pertingit ad hunc locũ caliditas. Item cùm motus disgreget partes moti,& per consequens partes eius calidas segreget quodammodo & exhalet, si non haberet virtutem propriam calefactiuam, quanto mixtum diutius moueretur, tanto amplius infrigidaretur, quia tanto amplius recederent partes calidæ, & remanerẽt frigidę puriores. Item si nulla alteratio est aliquid, quomodo per eam tot accidentia & substantiæ generantur, & tot similiter corrumpuntur? Quomodo etiam medicina per D eam viuificat, & mortificat? sanum efficit & infirmum? quomodo etiam Alchymia per eandem tot miracula operatur? Sed hæc & huiusmodi alijs derelinquo, accedens ad illa quæ magis ad propositum pertinent, & de quibus nobis conceditur plenior certitudo, ad operationes scilicet sensuum, animæque humanæ. Porrò quicquid verè sentitur, est aliquid; & sentire, verè sentitur vt quilibet experitur. Philosophus quoque 2. de Anima, 134. ostendit quod eodem sensu exteriori sentimus obiectum extrinsecum, & sentimus nos illud sentire; & Auerroes similiter in Comment. Et secundum alios sensum exteriorem sentire, sentitur à sensu communi, ita quod secundum omnes sensum exteriorem sentire, à sensu materiali sentitur: Est ergo aliquid, & non nihil. Item imaginatio, cogitatio, concupiscere, irasci, gaudere, tristari, & multa similia sentiuntur à sensu materiali; Sunt ergo aliquid & non nihil. Hæc etiam multipliciter & verè realiter alterant corpora & causant multos reales effectus, & nihil, nihil alterat siue causat. Illud autem quod assumpsi omnes multipliciter experimur; dicitque Philo- *Philosophus.* E sopus in de Causa motus Animalium, qui est duodecimus de historijs Animalium, in noua translatione cap. penult. & vlt. quod ex sensatione, phantasia, meditatione, & intellectione, fiunt multæ alterationes & passiones in corpore secundum caliditatem & frigiditatem, vt in ruboribus, & palloribus, & timoribus; & ferè omnia delectabilia & tristabilia cum caliditate & frigiditate, vt in passionibus audaciæ, & timoris & venereorum, & hæc quidem partem corporis occupant, hæc autem vniuersaliter totum corpus; imò & quod magis videtur inter naturæ miracula, hæc habent similem virtutem agendi, sicut & res quarum sunt; Vnde capitulo illo penultimo ita dicit; Alterant autem phantasiæ, & sensus & meditationes; sensus enim statim sunt alterationes quædam existentes; Phantasia autem & intelligentia habent rerum virtutem; Aliquo enim modo species intellecta calidi, aut frigidi, delectabilis aut tristabilis

talis existit, qualis quidem & rerum vnaquæque, propter quod tremunt & timent intelligentes solum; hæc autem omnia passiones & alterationes sunt; alteratis autẽ hæc quidem maiora, hæc autẽ minora fiunt. Quod autẽ modica permutatio facta in principio multas & magnas facit differentias deinceps, non immanifestum, velut gubernaculo secundum modicum aliquid transposito, magna proræ transpositio. Adhuc autem secundũ caliditatem aut frigiditatẽ, aut secundum aliquam aliam talem passionem, cum fiat alteratio circa cor, & in hoc secundum magnitudinem in sensili parte multam facit corporis differentiam in ruboribus, & palloribus, & tremoribus, & timoribus, & horum contrarijs; principium quidem quemadmodum dictum est, motus, quod in operabilibus, persequibile & fugibile; ex necessitate autem consequitur meditationi & phantasiæ ipsorum, caliditas & frigiditas; tristabile enim, fugibile; delectabile autem persequibile: sed latet circa modica accidens hoc. Sunt autem tristabilia & delectabilia omnia ferè cum frigiditate aliqua aut caliditate; hoc autem palam ex passionibus: Audacia enim, & timores, & ad venerea motus, & alia corporalia tristabilia & delectabilia, hæc quidem secundum partem cum caliditate & frigiditate sunt, hæc autem secundum totum corpus; Memoriæ autem & species, quasi idolis vtentes his, aliquando minus, aliquando magis causę eorundem sunt. Et capit. vlt. ponens distinctionem trimembrem de motibus Animalium, voluntarijs scilicet, & inuoluntarijs ac non voluntarijs; de inuoluntarijs ita dicit; Mouentur autem & aliquibus inuoluntarijs quædam partium; dico autem inuoluntarios, vt puta eum qui cordis, & eum qui pudendi. Multoties enim apparente aliquo, *Philosophus.* non tamen iubente intellectu mouentur. Idem 1. de Anima. 14. videntur, inquit, animæ passiones omnes esse cum corpore, puta mansuetudo, timor, misericordia, confidentia, adhuc gaudium, & amare & odire; Simul enim his patitur aliquid corpus. Super quod dicit ibi *Auerroes.* Auerroes in comment. quod omnia accidentia animæ concupiscibilis fiunt cum alteratione *Philosophus.* & transmutatione in corpore. Philosophus insuper 7. Eth. 3. ita dicit, Ira, & concupiscentia venereorum & quędam talium manifestè & corpus transmutant, quibusdam autem & insanias faciunt. *Auicenna.* Hoc & ostendit Auicenna 4. de Anima 4. diffusè; vbi inter cætera ita dicit; Nos autem dicimus ad summam, quod ex anima solet contingere in materia corporali permutatio cõplexionis quæ acquiritur sine actione & passione corporali; ita quòd calor accidat non ex calido, & frigiditas non ex frigido. Cũ enim imaginatur anima aliquã imaginationẽ, & corroboratur in ea, statim materia corporalis recipit formã habentẽ operationẽ ad illã aut qualitatem, & infra eodẽ, Attende dispositioni infirmi, cum credit se conualescere, aut sani, cum credit se ægrotare; multoties enim contingit ex hoc, vt cum corroboratur forma in anima eius, patiatur ex ea ipsius materia, & proueniat ex hoc sanitas aut infirmitas; & est hæc actio efficatior, quam id quod agit medicus instrumentis suis & medijs; & propter hoc potest homo ambulare super trabem quæ est in media via, sed si positus fuerit pons super aquam profundam, non audebit ambulare super eum, eo quod imaginatur in anima eius formam cadendi vehementer impressam, cui obedit natura eius, & virtus membrorum eius, & non obediunt eius contrario, scilicet ad erigendum & ambulandum: Ergo cum esse formarum impressum fuerit in anima, & constiterit animæ quod habent esse, contingit sæpe materiam *Auicenna de Animalibus.* pati ex eis, & vt habeant esse. Idem 8. de Animalibus vlt. agens de moribus Annimalium, scribit ita; De mirabilibus etiam est, quod gallina, quando vincit gallum, erigit se quasi esset gallus, & percutit suis alis in sua luxuria, quasi esset gallus, & eleuat suam caudam sicut gallus, & aliquando ei nascitur cornu in crure quasi gallo; & in hoc potest percipi obedientia naturæ cogitationibus animæ, quando propter suam cogitationem nascebatur cornu in *Algazel.* crure. Item Algazel. 5. Physicæ suæ 5. sic ait, Cum venit in animam forma horribilis, conuertitur complexio corporis, & prouenit inde humiditas sudoris; cum vero venit in animam forma victoriæ, calescit complexio corporis & rubescit facies; cum autem venit in animam forma desiderata, fit in commeatu spermatis calor vaporabilis mouens ventum, ita vt impleantur venæ instrumenti coitus, & appetatur ad illud, hic autem calor, & humiditas, & frigiditas quæ fiunt in corpore ab his imaginationibus non sunt ex alio calore, vel ex alia frigiditate vel humiditate, sed ex sola imaginatione; ergo sola imaginatio est causa fiendi istas permutationes in [illegible] corporis. Quis enim nesciat, quantum somnia, & imaginationes in somnis alterant somniantes? Quis est enim qui non habeat experientiam certam huius, quod *Auicenna.* & satis ostendit Auicenna 4. de anima 2. vbi inter cætera ita dicit; Mirum est, quod sicut ali- *|| In.* quando accidit || ex motu naturæ ad expellendum sperma, sic aliquando accidet imaginatio aliqua formæ desideratæ propter aliquam causam, & mouetur natura ad coniungendum sperma, & aliquando emittit sperma, & aliquando contingit hoc in somnis aliquando in vigilia. Hæc autem & multa similia omnes medici pariter contestantur: Dicunt enim quod imaginans

A nans fortiter de lepra, & quibusdam infirmitatibus alijs, ex sola imaginatione incidit in eas
quandoque, præsertim si et ad infirmitates huiusmodi disponatur. Imaginatio quoque fir-
ma nedum corpus imaginantis, verum etiam corpus alterius quandoque alterat manifestè:
vt autem de fascinatione & superstitiosis similibus taceam, de quibus tamen Auicenna, Alga-
zel, Plinius, Virgilius, alijque non tacent, sicut in ostensione 37. partis corollarij primi,
primi aliquantulum recitatur, vnum experimentum de sacris literis profero, nulli Theolo-
go dubium aut suspectum: Quis enim Theologorum ignorat, quomodo oues Laban vnico-
lores concipiendo virgas varias intuentes, fœtus conceptos coloribus varijs affecerunt, sicut
ex Gen. 30. omnibus est vulgatum. Nec potest quis fingere hoc tantum ex obiectis colori-
bus, & nihil ex imaginatione ouium contigisse, quia colores obiecti hoc non fecerunt im-
mediatè per seipsos, sed mediatè sensatione & speciebus colorum receptis in imaginatiua &
alijs potentijs interioribus; sed illæ species receptæ solæ sine actuali & forti imaginatione de
B ijs minimè suffecerunt, quia tunc quælibet ouis seu fæmina habens varias species variorum
prius visorum retentas, nec quicquam de eis imaginans quando conciperet, varium faceret
suum fœtum, cuius contrarium experientia certa docet. Vnde & Augustinus 11. de Trini- *Augustinus.*
tate 2. Aliorum, inquit, animalium, quia non est ad conuersationem facilis corpulentia fœ-
tus, pluriumque produnt libidines matrum || *quid* cum magna delectatione conspexerint: *|| Quæ.*
quam enim teneriora, atque vt ita dixerim, formabiliora sunt primordia seminum, tam effica-
citer & capaciter sequuntur intentionem maternæ animæ, & quæ in ea facta est phantasia per
corpus quod cupidè aspexit. Sunt exempla quæ copiosè commemorari possunt, sed vnum
sufficit de fidelissimis libris; quod fecit Iacob vt oues & capræ varios coloribus parerent fœ-
tus, supponendo eis variata virgulta in canalibus aquarum, quæ potantes intuerentur eo
tempore quo conciperent. || *Item* ad idem 5. contra Iulianum 19. sic ait; Rerum corpora- *|| Idem.*
lium qualitates in res incorporales transeunt, quando formas corporum, quas videmus, hau-
C rimus quodammodo & in memoria recondimus, & quocunque pergimus, nobiscum feri-
mus; quomodo autem de corpore ad spiritum, eo modo transeunt de spiritu ad corpus. Iam
colores virgarum, quas variauit Iacob, afficiendo sensus, transierunt in animas pecorum ma-
trum, atque inde rursus eadem affectione transeundo apparuerunt in corporibus filiorum.
Tale vero aliquid etiam in fœtibus humanis posse contingere Soranus medicinæ Autor no-
bilissimus scribit, & exemplo confirmat historiæ: Nam Dionysium tyrannum narrat, eo
quod ipse deformis esset, nec tales habere filios vellet, vxori suæ in concubitu formosam pro-
ponere solere imaginem seu picturam, cuius pulchritudinem concupiscendo quodammodo
raperet, & in prolem quam concipiebat afficiendo transmitteret. Multa quoque istis similia
& multi alij medici contestantur. Quis etiam studiosus vel medicatiuus ignoret, quantum, &
quam multipliciter vehemens studium, & intensa meditatio alteret corpus suum calefacien-
do, consumendo, sensuum officia suspendendo, somnum sæpius auferendo, quandoque vero
D somnum vel syncopen, seu extasin procurando, delectationem multiplicem ingerendo, &
multa similia faciendo? Vnde Ecclesiastici 31. Vigilia honestatis tabefaciet carnes, & vigi- *Ecclesiasticus.*
lia illius auferet somnum. Item Auerroes in com. super librum Aristotelis de somno & vi-
gilia ita dicit; Illi qui multum cogitant, intrant suæ virtutes sensibiles intra corpus, ita quod *Auerroes.*
accidit eis somnus magnus: Istæ enim virtutes interiores quando mouebuntur forti motu,
contrahentur virtutes exteriores adeo, quod forte accidit syncope. Dicitque Auicenna 4. *Auicenna.*
de Anima 2. quod lassitudo aliquando contingit ex curis, aliquando ex pauore; ex pauore
etenim aliquando accidit somnus, & etiam mors: aliquando vero curæ faciunt somnum, non
eo modo, sed quia calefaciunt cerebrum, & humores attenuabuntur ad illud, & cum imple-
tur cerebrum, fit dormitatio propter humorem. Vnde & Psalmista, Dormitauit anima mea
præ tædio, Psalmo 118 Adhuc autem & Auicenna 7. de Animalibus vlt. refert de quodam *Auicenna.*
homine, qui tempore Auicennæ erat in terra Vassaciæ, quod potuit paraliticare corpus suum
E quando voluit, cuius filium & vidit, vt dicit, multa mirabilia facientem. Beatus quoque
Augustinus 14. de Ciuit. Dei 24. refert quod quidam presbiter nomine Restitutus in paro- *Augustinus.*
chia Calamensis Ecclesiæ quando ei placebat, rogatus ab eis qui scire rem mirabilem cupie-
bant, ita se auferebat à sensibus, & iacebat simillimus mortuo, vt non solum vellicantes at-
que pungentes minimè sentiret, sed aliquando etiam igne vreretur admoto, sine vllo doloris
sensu, nisi postmodum ex vulnere, non obnitendo, sed non sentiendo: Non mouere corpus
eo probabatur, quod tanquam in defuncto nullus inueniebatur anhelitus. Item omnis ap-
prehensio actualis conuenientis obiecti causat delectationem, & maior & conuenientioris
maiorem, sicut quilibet experitur, et omnes Philosophi contestantur. Vnde Philosophus *Philosophus.*
duodecimo Metaphysicorum 39. sic ait, vigilatio sensus intelligentia delectabilissimum,

|| spes *Auerroes* ||*species* verò & memoriæ propter hæc: super quod Auerroes sic ait, Signum quod comprehendo est causa voluntatis, quia vigilia & sensus & intellectus sunt in nobis voluptuosa; spes autem & rememoratio quamuis sint voluptuosæ, tamen sunt de rebus non existentibus in actu, & sunt voluptuosæ, quia sperans imaginatur ea esse comprehensa in actu, & similiter commemorans, & innuit quod comprehensio voluptuosa non est nisi illius quod est in actu, non in potentia: & infra eodem; Manifestum est, quod intelligere per intellectum qui est in nobis, valde est voluptuosum, & nobilius omnibus rebus existentibus in nobis; & adhuc inferius in eodem, Voluptas ita consequitur comprehensionem, sicut vmbra corpus: Eadem quoque sententia habetur 10. Eth. à Philosopho, & ab omnibus eum exponentibus satis plane. A

|| Auehenoch Hoc idem testantur clarissimè verba || *Auehanoch* recitata 4. de Anima Auicennæ 4. Gaudium, inquit, est delicia; Omnis autem delicia est apprehensio perfectæ acquisitionis propriæ virtuti apprehendenti, sicut sentire dulce, & odorare bonum odorem sensui, || *parare* vindictam virtuti irascibili, & || *parare* spem virtuti cogitatiuæ & æstimatiuæ; Omnis autem perceptio est res naturalis, & omnis perceptio rei quæ est naturalis virtuti est delicia. Quas delicias expertus Propheta Sanctissimus, Domino sic dicebat, In via mandatorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs, Psalmo 118. & infra eodem, Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo: Sed hæc tam delicata dulcedo nobis miseris animalibus, hominibus illecebrosis siliquis saturatis non sapit; imò & meritò nec ostenditur talibus degustanda; Anima namque saturata calcabit fauum. Parab. 27. sed spiritualibus viris absconditur reseruata, quare & ille sanctus Dauid spiritu Dei plenus, Quam magna, inquit, multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te? Perfecisti autem eis, qui sperant in te, Psalmo 30. Quin nihil melius quàm timor Dei, & nihil dulcius, quàm respicere in mandatis Domini: Ecclesiast. 33. Item si intelligere, cogitare, componere, diuidere, discurrere & cætera talia non sunt aliquid, nec faciunt aliquid, & cùm faciant scientiam, & alios habitus intellectuales; patenter consequitur quod nullus illorum est aliquid: Quare vt verbis Philosophi 3. de Anima 14. vtar, Accidit intellectui sic dicentis, quod sit sicut tabula in qua nihil est actu scriptum, quod licet ipse de suo intellectu concesserit, alij tamen Philosophi, Theologi, & vulgares de suis intellectibus non concedent; quod quia intelligentibus reputo manifestum, tantum vnam probationem breuissimam affero ista vice. Est quidem articulus damnatus & excommunicatus per Dominum Stephanum Parisiensem Episcopum sub his verbis, Quod intellectiua scientia non differt à substantia intellectiuæ: || *Ibi enim non* est diuersitas intellecti ab intelligente, nec diuersitas intellectorum. Item si hominem intelligere, non est aliquid, nec hominem esse intelligentē est aliquid; ergo nec hominem esse calceatum, aut armatum est aliquid, quare & prædicamentum habitus deperibit. Et si hominem intelligere non est aliquid, nec hominem sedere aut stare est aliquid, quare & prædicamentum situs seu positionis etiam simul perit. Item Philosophus 5. Metaphys. 13. diuidit ens, in ens secundum accidens, & in ens secundum se; & 14. sic dicit; Secundum se verò esse dicuntur, quæcunque significant figuras prædicationis: Quoties enim esse dicitur, toties esse significabit. Quoniam ergo prædicatorum alia quid est significant, alia quale, alia facere, alia pati, &c. horum vnicuique idem esse significat: Nihil enim refert, homo conualescens est, vel homo conualescit; vel homo vadens est, aut stans; vel hominem vadere aut stare. Similiter autem & alijs. Idem 7. Metaphys. 3. Dubitat aliquis, vtrum vadere, & sanare, & sedere vnumquodque ipsorum sit ens aut non ens, similiter autem & in alijs; Nihil enim ipsorum est, nec secundum se aptum natum, nec separari possibile à substantia: vbi textus Auerrois sic habet; Quæret aliquis vtrum ambulatio, sanitas, & sessio significant ens aut non ens; & soluit Translatio noua dicens, Palam igitur, quod propter eam, scilicet substantia & illorum singula sunt; vbi translatio Auerrois sic habet, Manifestum est igitur quod hæc est causa essentiæ cuiuslibet istorum, & ista sunt propter illud, super quod dicit Auerroes, id est, manifestum est quod substantiæ sunt causæ essentiæ accidentium, & accidentia non sunt nisi propter substantias; & hoc est necessarium, quoniam cùm declaratum est, quod hoc nomen ens dicitur de decem prædicamentis, & dignius de substantijs; & declaratum est quod cùm plura communicant in eodem nomine, & quædam dignius quibusdam, illud quod est dignius isto nomine est causa cæterorum. Item si hominem intelligere, aut esse intelligentem non est aliquid, nec hominem esse est aliquid; quia nec esse est aliquid, quare nec esse est, cùm tamen per ipsum existat quælibet creatura, imo & esse non est, & est non ens & nihil, quod quanta absurditate dicatur, pene non est qui nescit. Item si hominem intelligere, esse intelligentem, aut esse non sit aliquid, eadem ratione nec Deum intelligere, esse intelligentem, & esse, nec intellectio diuina est aliquid, quod est contra Philosophum 12. Metaphys. 51. vbi inquirendo quid & qualiter Deus

Margin notes: || percipere (B); || percipere; *Parab.*; *Dauid.*; C; || vbi non; D; *Philosophus.*; *Auerroes.*; E; *Philosophus,*

A Deus intelligit, ostendit quod non intelligit principaliter aliud à seipso, ita quod perficiatur ab illo, per demonstrationem ducentem ad hoc impoßibile, quod ipse non sit hoc, quod sua intelligentia, & quod non sit optima substantia consequenter. Vnde sic ait, Si non intelligat, quid vtique erit insigne venerabile, sed habet quemadmodum vt sit dormiens; siue intelligat, huius verò ad aliud principale non est hoc quod est sua intelligentia, sed potentia. non vtique erit optima substantia; per intelligere enim honorabile est; & intelligit ibi per intelligentiam actum intelligendi, siue intellectionem actiuam, seu ipsum intelligere, vt ipsemet statim exprimit subsequenter, per intelligere inquiens honorabile est, & vbi textus nouus habet; Non est hoc quod est sua intelligentia, textus antiquior, quem Auerroes commentator exponit, sic habet, hoc intelligere non est & substantia eius. Vnde & Augustinus de Verit. 8. Quippe secundum id quod agit, magis propriè videtur dici agentia, & percutientia; & secundum id quod patitur, actio & paßio: Nam agentia & percutientia ab agente & percutiente dicuntur, sicut prouidentia à prouidente, & continentia à continente; quæ, scilicet agens & percutiens, prouidens & continens actiua sunt; actio verò & paßio ab acto & passo quæ paßiua sunt, deriuantur. Philosophus verò vbi prius, prosequens quod incepit, sic arguit consequenter; Si non est intelligentia, sed potentia rationale, laboriosum esse ei continuationem intellectiuæ. Et addit deinde palam, quia aliud aliquid erit dignius quàm intellectus, scilicet intellectum: Etenim intelligere, & intellectiua inerit indignißimum intelligenti; quare fugiendum hoc; etenim non videre quædam, dignius quàm videre; non, si sit optimum intelligentia; seipsum ergo intelligit siquid est potentißimum, & est intelligentia intelligentiæ intelligentia; vbi textus Auerrois sic habet, & ipse intelligit intelligere, super quod sic ait; & ipse intelligit intelligere, id est, & intelligit suam actionem, quæ est intelligere; sua enim substantia est sua actio. Item si Deum intelligere non est aliquid, nec Deum viuere aut Deum esse viuentem est aliquid; imò nec vita Dei est aliquid; Nam vita est actio seu actus viuentis: Dicit enim Philosophus 9. Metaphys. 16. Quorum non est aliquid aliud opus præter actionem, in ipsis existit actio, vt visio in vidente, & speculatio in speculante, & vita in anima; quare & fœlicitas; Vita namque qualis quædam est. Idem 12. Metaphys. 39. Intellectus actus vita, vbi translatio Auerrois sic habet, Actio intellectus est vita; vbi & probat Philosophus, quod Deus est vita, sic dicens, & vita vtique existit, etenim intellectus actus vita, id autem ipse actus, actus autem quæ secundum se illius vita optima, & sempiterna; dicimus autem Deum esse animal sempiternum optimum, quare vita, & duratio continua & æterna existit Deo, hoc enim Deus: Super quod dicit Auerroes, Actio intellectus est vita, id est, & dicitur de eo vita (hoc enim nomen, scilicet vita dicitur de comprehensione) & cùm actio intellectus est comprehensio, ergo actio intellectus est vita, & cùm intellectus est viuus, & cùm actio eius est vita: Illud igitur quod intellectus est, quia intelligit aliud illud esse vnum, quod habet vitam in fine nobilitatis, & ideo vita & scientia propriè dicuntur de Deo. Et infra, Sic est intelligendum cùm dicimus, ipsum esse viuum & habentem vitam, non quia || *significant* idem omnibus modis, sicut nomina synonyma, nec sicut significant nomina substantialia, nec sicut significant principale, & sumptum, quia sumptum significat illud quod significat principale & magis, vita enim significat aliquid non in subiecto; viuum autem significat aliquid in subiecto, scilicet formam in materia, & habitum in subiecto. Hæ igitur sunt omnes dispositiones significationum nominum in eis quæ sunt forma in materia, in eis autem quæ sunt forma non in materia, dispositio & dispositum reducuntur ad vnum in esse & duo in consideratione. Ista enim essentia cum fuerit accepta, secundum quod est posita, & fuerit disposita aliqua dispositione, tunc dispositio & dispositũ vnum erit in prædicatione, & duo in intentione; quia prædicatũ differt à subiecto, sed tamẽ non sicut prędicatũ differt in propositionibus categoricis substantialibus: Dispositio enim non idem est & dispositum, sicut in rebus abstractis; quando autem fuerit considerata dispositio & dispositum in eis, quæ non sunt in materia, tunc reducuntur ad vnam intentionẽ omnibus modis, & nullus modus erit quo distinguatur prædicatum à subiecto & disposito extra intellectum, scilicet in esse rei: Multiplicitas igitur in Deo non est nisi in intellectu differentia, non in esse. Hanc quoque sententiam ostendit Anselmus Monolog. diffusè 16. & 17. Vnde & 16. ita dicit; Quoniam igitur summa natura non propriè dicitur quia habet iustitiam, sed existit iustitia, cum dicitur iusta propriè intelligitur existens iustitia, non autem habens iustitiam; quare sicut dicitur existens iustitia, non dicitur qualis est, sed quid est, consequitur, vt cùm dicitur iusta non dicatur qualis sit, sed quid sit. Deinde, quoniam de illa suprema essentia, idem est dicere quod est iusta, & quod est existens iustitia, & cùm dicitur existens iustitia, non est aliud quàm est iustitia, nihil differt in illa, siue dicatur, est iusta, siue est iustitia: Quod verò in exemplo iustitiæ ratum esse conspicitur, hoc de omnibus quæ similiter de ipsa summa

Marginalia: *Auerroes.* (beside "Non est hoc quod est sua intelligentia"); B (beside "tur, sicut prouidentia"); *Philosophus.* (beside "Philosophus verò vbi prius"); *Auerroes.* (beside "vbi textus Auerrois"); *Philosophus.* (beside "Dicit enim Philosophus"); C (beside "losophus 9. Metaphys."); *Auerroes.* / *Philosophus.* (beside "translatio Auerrois" / "vita, sic dicens"); *Auerroes.* (beside "Super quod dicit Auerroes"); D (beside "cimus, ipsum esse viuum"); || signant (beside "significant"); E (beside "omnibus modis"); *Anselmus.* (beside "Hanc quoque sententiam")

summa natura dicuntur, intellectus sentire per rationem constringitur: Quicquid ergo eorum de illa dicatur, non qualis vel quanta, sed magis quid sit monstratur: Sed palam est quia quodlibet bonum summa natura sit, summè illud est; illa est igitur summa essentia, summa vita, summa ratio, summa salus, summa iusticia, quod non est aliud quam summum ens, summè viuens, & alia similiter: Est ergo summè cognoscens, & summa cognitio, summè intelligens, & summa intellectio, summè agens, & summa actio, & similiter de similibus vniuersis. A

Augustinus. Cui satis concorditer dicit Augustinus 1. Confess. 6. hoc modo; Domine, tibi esse & viuere, non aliud atque aliud est, quia summè esse & summè viuere id ipsum es; & eadem sententia habetur ab eodem 7. de Trinitate 1. & per magnum processum sequentem; & 15. de Trinitat. 5. 13. & 14. & sæpissimè in multis libris & capitulis inuenitur, quod esse, viuere, scire, & sapere sunt idem in Deo, imò & vnus simplicissimus idem Deus. Et hoc est, quod fidelis Dei Ecclesia in die Sanctæ Trinitatis profitetur, cum in quadam antiphona Deo dicit; Te semper idem esse viuere & intelligere profitemur; & in legenda sic ait, Cui, scilicet Deo proprium est, cui sempiternum est, cui idem est, esse, viuere, & intelligere, & hæc tria vnus Deus; & vt in paucis multa concludam, hanc sententiam tenent omnes Philosophi & Doctores Catholici propter rationem Aristotelis 12. Metaphis. supra tactam: Omnes enim fatentur Deum esse substantiam optimam, & per consequens simplicissimam, nec aliquo alio indigentem. Quare nulla est in ipsa realis huiusmodi multitudo, sed omnia talia quæ sibi multifariè tribuuntur, sunt realiter eadem ipsa vna. Quis etiam præsumet abnuere loquutionem Dei, qua semel loquutus est Deum &c. esse aliquid, qua etiam efficit vniuersa: Ipse enim dixit, & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt, sicut nonum primi plenius pertractauit. Si quis autem sit talis, legat Monologium Anselmi, & libros Augustini de Trinitate, & aliorum Doctorum; Et nisi ipsos negare voluerit, istum errorem abnegare cogetur. Item habitus morales generantur ex actibus, vt patet 2. Eth. & 3. & nihil, nihil facit aut generat; actus ergo est aliquid, vel habitus virtuosus est nihil. Item actus est melior habitu, & potentia seu forma à qua procedit, & eius perfectio propria, sicut 22^um & 26^um primi plenius ostendebant. B C

Augustinus. Item Augustinus 2. de libero arbitrio 31. & 1. retractationum 9. diuisis omnibus bonis in tria, in minima & media, & magna; dicit, quod bonus vsus liberi arbitrij in magnis reperitur bonis, & quia omnia bona magna, media, & minima sunt ex Deo, sequitur vt ex Deo sit etiam bonus vsus liberæ voluntatis. Quis etiam Christianus audebit negare incarnationem Christi, natiuitatē & vitam, baptismū, prædicationē, miraculorū operationē, eius omnimodam actionē esse aliquid? Quis insuper Christianus, & non magis prophanus infitiari præsumpserit passionem Christi, orationem, & quodlibet eius meritum esse aliquid? Si enim nihil fuit, nihil valuit; quomodo ergo fuit redemptionis nostræ pretium copiosum? quia teste Psalmista, redemptio apud eum copiosa; quomodo etiam fuit illa redemptio copiosa, si illa redemptio nihil fuit? Secundum istam quoque sententiam, quin verius insaniam insensatam, baptizatio, consecratio Eucharistiæ, & vniuersaliter omnis sacramentalis operatio in Christi Ecclesia instituta nihil est, quare & profectò nullius est efficaciæ aut valoris. Formæ quoque propriæ habent operationes sibi realiter proprias, sicut tota Philosophia testatur; Dicitque Auerroes super 9. Metaphis. 7. contra quosdam, Cum omnia entia non habeant actiones proprias, non habebunt essentias proprias: Actiones enim non diuersantur, nisi per essentias diuersas; & ista opinio est valde extranea à natura hominis, & qui recipiunt huiusmodi non habent cerebrum habile naturaliter ad bonum. Item omnis actus secundum substantiam actus est bonus naturaliter, & a Deo, sicut docet 26. primi; ergo omnis actus habet bonitatem naturalem, ergo & entitatem naturalem, ergo est aliquid. Item omne meritum bonum positiuum est aliquid, & omne bonum meritum positiuum est actus voluntatis, quia vel est actus vel habitus, & non habitus, quia tunc infans dormiens, furiosus & mortuus habens habitum charitatis continue meretur, quod & satis patet per Autoritatem Augustini ad D

Lumbardus. Sixtum presbiterum, quam allegat Lumbardus 2. sentent. dist. 27. Omne bonum, inquit, meritum nostrum non in nobis facit nisi gratia. Dicitque ibi Lumbardus, sicut ex ‖ *fidei vertute* & hominis libero arbitrio generatur in mente bonus quidem motus, & remunerabilis, scilicet ipsum credere, ita ex charitate & libero arbitrio alius quidem motus prouenit valdè bonus, scilicet deligere; sic de cæteris virtutibus intelligendum est, & isti motus boni, vel affectus merita sunt, & dona Dei: Quare & bonus motus, seu actus est aliquid: Omnes enim Autores supponunt, quod omne bonum meritum positiuum est aliquid, & ostendunt peccatum nihil esse, sicut 26. primi plenius allegauit. Et si quodlibet tale meritū sit donum Dei, sicut dicit Lumbardus & præcedentia manifestant, & etiam factum in nobis a Deo; quoniam ipse est qui operatur in nobis velle & perficere, sicut dicit Apostolus ad Phil. 2. quodlibet tale meritum E

‖ fide, virtute

ritum

A ritum est opus Dei, & eius effectus, ergo & aliquid. Vnde & Augustin. 12. de Ciuit. Dei 8. & 9. probat quod bona voluntas habet causam efficientem, scilicet Deum, & quod mala voluntas non habet causam efficientem, sed deficientem, quia ipsa non est effectus sed defectus, quod intelligitur de deformitate malæ voluntatis, non de substantia actus, sicut docet vigesimum sextum primi; sicut & dicit quidem articulus condemnatus & excommunicatus per Stephanum Parisiensem Episcopum sub his verbis: Quod omnes motus voluntarij reducuntur in motorem primum, error est nisi intelligatur, in motorem primum simpliciter non causatum, & intelligendo de motu secundum substantiam, non secundum deformitatem. Actus ergo voluntatis secundum suam substantiam habet Deum causam efficientem, & est aliquid; secundum deformitatem suam, quæ nullam habet essentiam, sed tantum priuationem essentiæ, minimè. Vnde & cap. 8. || *Augustinus* sic dicit; Nemo quærat causam efficientem malæ voluntatis: Non enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa affectio, sed defectio est. *Augustinus* || Alius

B Scio naturam Dei ex nulla parte posse deficere, & ea posse deficere quæ ex nihilo facta sunt, quæ tamen quanto magis sunt, & bona faciunt, (tunc enim aliquid faciunt) causas habent efficientes; in quantum autem deficiunt, & ex hoc male faciunt, (quid enim tunc faciunt nisi vana) causas habent deficientes. Dicitque Anselmus de conceptu virginali 5. Ex his ergo facilè cognoscitur, quia iniustitia nullam habet essentiam, quamuis voluntatis affectus, & actus, qui per se considerati aliquid sunt, vsus iniustitiam vocet, illa autem essentia quamuis mala dicatur, est nihil. Idem de casu Diaboli 8. Nec voluntatem, inquit, nec conuersionem voluntatis puto negari posse aliquid esse; Nam etsi non sunt substantiæ, non tamen probari potest eas non esse essentias, quoniam multæ sunt essentiæ præter illam, quæ propriè dicitur substantia; & cap. 20. Nec negare possum verè aliquid esse quamlibet actionem & 26. Tristitia & dolor est aliquid; & 28. scilicet vlt. Velle secundum essentiam bonum est; sed quoniam iniustè factum est, malum est, & cùm sit à Deo à quo est omne quod est aliquid. Amplius au- *Anselmus.*

C tem, quis fidelis præsumet asserere fidem, scilicet actum fidei, puta credere nihil esse? Quid enim est fides, nisi sicut dicit August. 1. parte super Ioannem, sermone 40. credere quod non vides? Vnde & Autor fidei fidelis, Hoc est opus Dei vt credatis in eum, quem misit ille. Ioan. 6. & infra eisdem; Nemo potest venire ad me nisi fuerit ei datum à Patre meo; enire autem ad Christum, quid est nisi credere in Christum, & hoc datur à Patre. Credere ergo non est nihil sed aliquid, quia Dei donarium pretiosum. Quare & Augustinus 1. partis super Ioannem, sermone 27. verbum Christi præmissum exponens immediatè subiungit; Ergo & credere datur nobis; Non enim nihil est credere, si autem aliquid magnum est, gaude quod credidisti, sed noli extolli: Quid enim habes quod non accepisti? Quomodo etiam fides sic dicentis non sterilis, quin veriùs mortua reputanda, cùm nihil boni operis parturiat, aut producat; imò nec possit, cum omne partum sit aliquid & productum? Adhuc autem & hæc dicens, habet dicere consequenter, diligere, & amare, dilectionem, amorem, & amicitiam nihil esse:

D Sed quis amicitiam cum tali homine copulabit? Huius etiam perniciosum errorem experientia nostra certa, moralis scientia, omnis politia, omnis ciuilitas & omnis vrbanitas destruit & || *refutat*. Quis etiam audebit concedere nihil esse dilectionem seu amorem Dei & proximi, quos Scriptura canonica, & canonizati Doctores tot & tantis laudibus prædicant & extollunt? Quis etiam tam insensibilis & tam rudis, vt non experiatur in alijs vel seipso tam multiplices amoris effectus? Quis enim ignorat illud experimentum etiam inter rudissimos laicos tam vulgatum, quomodo per variationem pulsuum varietas deprehendatur amorum, sicut & Democritus docuit Hippocratē. Vnde Boetius 1. Musicæ suæ in prologo scribit ita; Vt sese corporis, id est, hominis corporalis habet effectus, ita etiā pulsus cordis motib agitatur, quod Democritus Hippocrati medico tradidisse fertur, cùm eum medendi causa viseret: Huius quoque experientiæ veritatem & alij medici confitentur. Quis etiam nesciat, colorem virorum & fœminarum in amore & ira, lætitia, & tristitia, verecundia, audacia, & timore multi- || resecat *Boetius.*

E pliciter variari, sicut frequens experientia, & Philosophi naturales, & Medici contestantur? Quis etiam ignoraret, quod amore mouetur animal processiuè quocunque mouetur? Nam sicut allegauit sextum huius secundi; Pes meus, amor meus, illo feror quocunque feror; & 3. Reg. 19. dicitur de Elia, quod surgens abijt, quocunque eum ferebat voluntas. Philosophus etiam 3 de Anima cap. de mouente, & 12. de Animalibus nouæ translationis 8. in de causa motus Animalium ostendit, quod voluntas, id est actualis volutio mouet hominem, & appetitus, scilicet appetitio actualis mouet cætera Animalia processiuè; Omnis autem volutio & appetitio, quædam amatio est & amor. Item si nullus actus sit aliquid, cum beatitudo sit actus, ipsa non est aliquid; imò nihil: Quod autem beatitudo sit actus, patet per Philosophum 1. Eth. & 3. & 10. vbi demonstrat multis capitulis quod fælicitas est operatio, & actus *Reg.* *Philosophus.* *Philosophus.*

ctus fælicis & 9. Metaphyſ. 16. dicit quod fælicitas eſt operatio in anima, quia eſt quædam vi- A
ta, ſicut erat ſuperius allegatum. Quod & veritas ipſa concorditer atteſtatur, hæc eſt, inqui-
ens, vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Ioh.
17. Vnde & Auguſtinus 2. de libero arbitrio 33. Vita beata eſt animi affectio inhærentis in-
Auguſtinus. commutabili bono. Omnes enim Philoſophi, puta Ariſtoteles, Auerroes, Auicenna, Alga-
zel, & cæteri præter Epicureos qui non ſunt dicendi Philoſophi; ſed magis philouoli, amato-
res ſcilicet voluptatis, & omnes Theologi, nullo excepto, in hoc vno conueniunt, quod fæli-
citas & beatitudo finalis eſt Dei viſio ſeu fruitio actualis, vel hanc & illam pariter comprehen-
dens, ſicut libri eorum copioſiſſimè & clariſſimè conteſtantur; nec aliquis ſicut ſpero, in tantū
deſipit, aut inſanit, quod vitam æternam, fælicitatem & beatitudinem eſſe aliquid denegabit:
Actus ergo voluntatis eſt aliquid, & non nihil. Ad hanc autem concluſionem ſatis plures &
ſubtiliores rationes poſſent adduci; ſed quia nullus ſubtilis ipſam negat, aut dubitat, ſed tan-
tum pauci rudes & groſſi, ſufficiant eis hæ paucæ rudes, groſſæ & palpabiles rationes. B

CAP. XIX.

Obijcit & reſpondet.

Obiectio. *Auguſtinus* SEd obijciet forſitan aliquis contra iſta: Dicit enim Auguſtinus
de Perfectione humanæ iuſtitiæ 5. quod peccatum eſt actus,
non res. Idem Hypognoſt. 19. dicit, Malum natura non eſt,
ſed actus veriſsimè accedens boni defectu; & in ſententijs Proſ-
peri, propoſitione 176. Nulla eſt ſubſtantia mali, quia quod
Autorem Deum non habet, non eſt; itaque vitium corruptio- C
nis nihil eſt aliud, quam inordinatæ deſiderium vel actio vo-
Reſponſio. luntatis. Idem quoque de vera religione 37. dicit, Quod a-
gere & pati non eſt ſubſtantia. Ad primum dicendum, quod
ad modum loquendi Auguſtini, res dupliciter ſumitur; gene-
raliter ſcilicet & ſpecialiter; generaliter vt conuertitur cum iſto
vocabulo ens, vel aliquid in ſua generaliſsima communitate, vt
ſcilicet eſt commune ad omne ens verum ſeu fictum, imaginatum, ſeu qualitercunque intel-
lectum, ſicut loquitur Philoſ. 2. peri hermenias 5. & 6. Metaphyſ. & alibi multis locis; & An-
ſelmus de caſu diaboli 11. manifeſtè, & ſic dicitur à reri, ſicque eſt commune ad quodcunque
exiſtens vel non exiſtens, de quo poteſt quis reri; quare & ſic comprehendit puram priuatio-
nem, cuiuſmodi eſt peccatum; ſpecialiter autem dicitur à ratitate ſeu rato, & ſic tantummo-
do comprehendit ratè exiſtens, ſiue ratè exiſtat per ſe, ſicut ſubſtantia, ſiue per aliud, ſicut ac- D
cidentia per ſubſtantiam, & ſic eſt commune ad decem prædicamenta tantummodo. Adhuc
autem ſpecialius dicitur res à rato permanenti, cuius eſſe non eſt in fluxu aut fieri; & adhuc
ſpecialiſsimè dicitur res à rato quod per ſe ratè exiſtit, ſicut ſola ſubſtantia. Loquendo autem
primo modo vel ſecundo, actus eſt res, loquendo verò tertio modo vel quarto, non; & hunc
ſenſum verba Auguſtini teſtantur. Reſpondemus, inquit, peccatum quidem actum dici eſſe,
non rem; ſicut etiam in corpore claudicatio, eadem ratione actus eſt non res, quoniam res
pes eſt ipſe, vel corpus, vel homo, Ipſum ſane vitium quo claudicat homo, nec pes eſt, nec cor-
pus, nec homo. Quærat ergo quod eidem vitio nomen imponat, vtrum rem velit dicere, an a-
ctum, an rei potius qualitatem malam qua deformis actus exiſtit; ſic & in homine interiore
animus res eſt, rapina actus eſt, auaritia vitium eſt, id eſt qualitas ſecundum quam malus eſt
animus, etiam quando nihil agit: Ecce quomodo hic vult nihil niſi ſubſtantiam rei nomine
appellari; imò & qualitatem contra rem diſtinguit, innuens, quod ipſa non debeat res vocari. E
Ecce & alium teſtem Thomam de malo, quæſtione 19. qui eandem Autoritatem ſibi obie-
ctam eodem modo intelligit & exponit, vnde ſic ait; Ad tertium dicendum, quod ens & res
ſimpliciter dicitur de ſubſtantia, de accidentibus autem ſecundum quid: Et ſecundum hoc Au-
guſtinus dicit; Actus non eſt res. Aliter autem nec recedendo à mente Auguſtini poteſt dici,
quod Auguſtinus hoc dicit non ſecundum veritatem, nec ſecundum ſententiam propriam,
ſed ſecundum famoſiorem quàm veriorem modum loquendi ipſius Celeſtij, contra quem ibi
diſputat, & ſuorum ſimilium, contra quos ſimiliter diſputat in libro de natura & gratia præ-
notato, quod ſatis oſtendunt eius verba ſuperius recitata; Reſpondemus, inquit, peccatum
quidem

A quidē actum dici esse, non rem: non respondet quod peccatum est actus non res, nec quod ipse dicat sic esse, sed dici sic esse, secundū scilicet famosum & communem modum loquendi quorundam; & addit, sed etiam in corpore claudicatio eadem ratione actus est non res: ipse tamen illam non approbat rationem. Et infra, Quærat ergo quod eidem vitio nomen imponat, vtrum rem velit dicere, an actum, an rei potius qualitatem. Ecce quod Augustinus vtitur nominibus secundum impositionem & modum loquendi Cęlestij. Vnde & infra eodem cap. 25. recitato à Cælestio testimonio Scripturæ dicentis de Iob; Erat vir abstinens se ab omni re mala; quo volebat ostendere hominem posse hic viuere sine peccato, subiungit; Miror quod ausus est ponere hoc testimonium, vbi dictum est, Abstinens se ab omni re mala, cum hoc ab omni peccato vellet intelligi, cùm superius dixerit peccatum actum malum esse, non rem: Reminiscatur ergo, quia etiam si actus sit, res potest dici. Idem de Natura & Gratia 19. recitat ab vno Cælestiano, contra quem ibi disputat, isto modo; Ante omnia quærendum *Augustinus*
B puto, inquit, scilicet Cælestianus, quid sit peccatum; substantia? an omnino substantia carens? nomen, quo non res, non existentia, non corpus aliquod, sed perperam factus actus exprimitur. Deinde adiungit, scilicet idem Cælestianus, Credo ita est; & cap. 20. Augustinus secundum sententiam propriam respondendo, dicit quod peccatum non est substantia, & tamen vitiat humanam naturam: Et capitulo 65. recitat Cælestianus à Ioanne Constantinopolitano Episcopo, peccatum non esse substantiam, sed actum malignum; & subdit Augustinus, Quis hoc negat? Augustinus ergo negans actum peccati esse rem, per rem intelligit rem per se ratam, scilicet substantiam, secundum famosum modum loquendi potius aliorum, quàm suum; Quare & de perfectione iustitiæ 25. reprobato illo modo loquendi secundum sententiam propriam, dicit actum esse rem, quod & dicunt multæ aliæ eius Autoritates capitulo proximo allegatæ. Autoritates etiam sacræ Scripturæ hoc idem copiosissimè attestantur. Vnde Gen. 34. quòd filij Iacob irati sunt valde, eò quod Sichem opprimendo Dinam sororem eorum *Genesis.*
C rem fœdam operatus est in Israel, & violata filia Iacob rem illicitam perpetrasset. Et 38. dicitur quod percussit Onan Dominus, qui semen fundebat in terram, eo quod rem detestabilem faceret; & 44. Pessimam rem fecistis, scilicet furando. Et Numer. 11. dicitur quod murmur populi & desiderium carnium Mosi intoleranda res visa est. Et Iudicum 19. Nunquam res talis facta est in Israel? Et Psalmo 100. Non proponebam ante oculos meos rem iniustam. Et 1. Reg. 2. Dixit Heli filijs suis, quare facitis res huiusmodi, quas ego audio res pessimas ab omni populo, scilicet rapinam, & fornicationem, seu adulterium. Et infra 24. dicit Sanctus Dauid, Propitius sit mihi || *Deus*, ne faciam hanc rem Domino meo, Christo Domini, vt mittam manum meam in eum. Et 3. Reg. 20. Hanc autem rem facere non possum, scilicet dare quæ habuit. Et Parab. 12. Confusione res dignas gerit. Et Dan. 13. Non est inuenta in ea res turpis, scilicet adulterium. Et ad Hebr. 6. Vocat Apostolus promissionem seu pollicitationem Dei & eius iusiurandum duas res; per duas res, inquit, immobiles, quibus impos- *Num.* *Iudicum.* *Psalmus.* *Reg.* || Dominus *Parab.* *Dan.* *Apostolus.*
D sibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus: Sic patet ad obiecta quæ dicunt actum non esse rem. Ad alia verò quæ dicunt, Malum non esse naturam aut substantiam, sed actum vel actionem, dicendum quod malum dupliciter sumitur, sicut docet 26um. primi, scilicet pro ipsa malitia, quæ est pura priuatio, & pro subiecto illius priuationis; actus etiam malus similiter potest sumi dupliciter; vno modo pro ipsa substantia, siue essentia actus; alio modo figuratiuè & tropicè pro malitia seu deformitate ipsius; sic enim loquitur articulus Parisiensis, & aliæ Autoritates capitulo proximo recitatæ. Quare dicit Aug 12. de Ciuit. Dei 8. quod mala voluntas non est affectio, sed defectio. Et 2. de libero arbitrio vlt. dicit quod motus auersionis voluntatis, qui est peccatum, est defectiuus, & defectus, & ideo non est ex Deo. Et 1. contra Iulianum vltimo: Quid, inquit, est malitia, nisi boni indigentia? Non enim sunt mala, nisi quæ priuantur bonis, quia indigentia boni radix malitiæ est; & hinc intelligat ideo esse arborem malam, voluntatem malam, quia defectus est à summo bono. Et Bernardus de *Augustinus.*
E libero arbitrio 10. Velle, inquit, malum defectus est voluntatis. Augustinus etiam 6. contra Iulianum 19. exponens dictum quorundam Philosophorum, scilicet quod libido est quædam pars animi, ita dicit; Illi Philosophi loquutione tropica mihi videntur vitiosam partem animi appellasse libidinem, in qua parte est vitium, quæ vocatur libido, sicut appellatur Domus pro eis qui sunt in domo: & est iste tropus || *quidam* color Rhetoricus, qui vltimo nouæ Rhetoricæ Tullij vocatur denominatio, & ponitur ibi 33. inter colores, & est satis creber modus loquendi in sacra Scriptura. Vnde Apostolus ad Ephes. 5. Eratis, inquit, aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Et Zach. 8. Sicut eratis maledictio in gentibus domus Iuda, & domus Israel, sic saluabo vos, & eritis benedictio in gentibus domus Iuda & domus Israel. Et Deuter. 17. Non immolabis Domino Deo tuo bouem & ouem in quo est macula, aut quicquam || quidem *Apostolus.* *Zach.* *Deut.*

Parab. quam vitij, quod abominatio est Domino Deo tuo & Parab. 3. Abominatio Domino om- A
nis illusor. Et 11. Statera dolosa abominatio est apud Deum. Et 15. Abominatio Domini
Esaias. cogitationes malæ. Et 16. Abominatio Domini est omnis arrogans. Et Esai 1. Incensum
abominatio est mihi. Et infra 41. ad propositum planè dicit; Ecce vos estis ex nihilo, & opus vestrum ex eo quod non est, abominatio est qui elegit vos: & multa similia occurrunt sæpisimè in Scriptura. Malum ergo primo modo est actus secundo modo, & malum secundo modo est actus primo modo. Illud verò Augustini de vera religione, quod agere & pati non est substantia, verum est ad literam & ad mentem: Intelligit enim quod non est substantia propriè dicta, quia non per se subsistit, vel magis communiter, quod non est essentia permanens, sed consistens semper in fieri, aut in fluxu. Quapropter ex hoc probari non potest, quod agere, actus, siue actio nullam essentiam habeat & sit nihil.

B

CAP. XX.

Quod cuiuslibet actus voluntatis creatæ Deus est necessarius coeffector.

Hæ-S Nephrot resis & Pelagij

HIs itaque præostensis, iam ordo debitus postulat consequenter ostendere quod cuiuslibet actus voluntatis creatæ Deus est necessarius coeffector, cuius oppositum, Nemphrotea & Pelagiana hæresis oblatrabat: Iosephus namque 1. Antiquitatis Iudaicæ 2. sic ait, Quia iuuentutis multitudine feruebant, rursus eos Deus à semetipsis migrare fecit, quoniam non illius C
propitiatione putabant se habere bona, sed propria fortitudine causam sibi credebant esse diuitiarum: Vnde apposuerunt, vt voluntati Dei inobedientes existerent. Et infra 3. Fecit, inquit, eos esse elatos ad iniuriam Dei atque contemptum Nemphrot filius Cham filij Noe, qui cùm esset audacior, & manu fortissimus, suadebat eis vt non Deo ascriberent, quia hominibus per illum fælicitas eueniret, sed quia hoc eis propria virtute præberetur, & cognatos generis sui ad causam tyrannidis adduxit, solus ipse præsumens homines à Dei timore reuocare, & spem suam in propria virtute reponere: Multitudo autem prona erat vt Nemphrotæ præceptionibus obedirent, graue putantes seruitium obsequi Deo. Pelagius quoque 3. libro pro libero arbitrio tria distinguens in homine, videlicet posse, velle, & esse, id est, posibilitatem, voluntatem, & actionem, primum dixit hominem habere ex Deo & ex gratia Dei, reliqua verò duo à seipso solummodo sine Deo. Vnde & bea-
Augustinus. tus Augustinus 1. contra Pelagium & Cælestinum de gratia Christi, & de peccato originali D
2. cùm tria constituat atque distinguat, posibilitatem, voluntatem atque actionem; horum trium primum datum confitetur à Creatore naturæ, duo verò reliqua nostra esse asserit, atque ita nobis hæc tribuit, vt nobis non esse nisi à nobis contendat. Et infra 3. Scire quippe debemus, quod nec voluntatem nostram, nec actionem diuino adiuuari auxilio credit, sed solam posibilitatem voluntatis atque operis, quam solam in his tribus nos habere affirmat ex Deo; tanquam hoc sit infirmum, quod ipse Deus posuit in natura, cætera verò duo, quæ nostra esse voluit, ita sint firma & fortia, & sibi sufficientia, vt nullo indigeant [eius] auxilio, & ideo non adiuuet vt velimus, non adiuuet vt agamus; sed tantummodo adiuuet vt velle & agere valeamus: quod & alia opera eiusdem Sancti Patris indicant multis locis. Deo igitur qui operatur in nobis velle & perficere actus nostros in suo beneplacito dirigente, aggrediendum est intrepidè hunc errorem. Porrò secundum duo capita proxima, quilibet actus voluntatis est aliquid, & non in æternum; ergo factum; & hoc à voluntate creata, vt docet Corollarium tertij huius secundi, & non ab ipsa sola, quia per tertium primi efficientia Dei est ibi necessariò re- E
quisita; Ergo Deus est ibi necessarius coeffector, scilicet coeffector cum voluntate creata necessariò requisitus. Omnes etiam rationes probantes conclusionem principalem illius capituli tertij similiter & hanc probant, ex quibus tamen omnibus sufficiat nunc hæc vna: Minus videtur seruare aliquam rem in esse, quàm eam producere de non esse in esse; sed per secundum primi nulla creatura potest seruare aliquam rem in esse sine Deo etiam conseruante, quare nec producere aliquam rem in esse: & secundum duo capita proxima, actus voluntatis est aliqua res, non nihil. Item minus est perseuerare finaliter, vel ad tempus in bono actu voluntatis, seu in bono quocunque, quàm efficere illud bonum: sed secundum 8um. 9um. & 10um. huius

A huius secundi, nullus sine auxilio Dei potest perseuerare in bono finaliter, vel ad tempus. Item omnis actus voluntatis est quidam motus: Ergo per quartum primi, Deus ibi necessariò commouet; quod & satis ostendunt rationes & Autoritates illius capituli, ex quibus ad præsens sufficiant istæ duæ: Minus est esse quàm mouere, & per secundum primi, nulla creatura sufficit per se esse, quare nec mouere. Item si homo posset velle & mouere ex forma sua sufficienter sine Deo commouente, posset & quælibet res alia naturalis ex forma sua similiter; quare nulla esset via sumpta à motu ad probandum vnum primum motorem, quod est contra Philosophiam, & Theologiam similiter, sicut memoratum capitulum allegauit. Et hoc nedum est verum in naturalibus, sed & in voluntarijs; Vnde Philosophus in de bona fortuna 2. sicut vigesimum nonum primi plenius recitauit, probat, quod appetitus non est causa qua quis est bene fortunatus per hoc quod illius appetitus est aliqua causa, & illa causa vel est natura vel fortuna. Et reprobato primo, subdit pro reprobatione secundi, si fortuna sit, *Philosophus.*
B fortuna erit causa omnium, scilicet actuum humanorum; etenim eius quod est intelligere & consiliari: Non enim consiliabatur consilians & antequam consiliaretur, sed est principium quoddam; neque intellexit intelligens priusquam intelligeret, & hoc in infinitum; Non ergo eius quod est intelligere intellectus principium, nec consiliandi consilium; quid igitur aliud quàm fortuna? igitur à fortuna omnia sunt. Et respondet, Aut est aliquod principium cuius non est aliud extra, ipsum autem quia tale secundum esse, tale potest facere: Quod autem quæritur, hoc est, quid motus principium in anima? Palam quemadmodum in toto, Deus: Mouet enim aliquo modo omnia quæ in nobis diuinum; rationis autem principium non ratio, sed aliquid melius: Quid igitur erit melius & scientia, & intellectu, nisi Deus? Virtus enim intellectus organum. Ecce quod Deus est virtus motiua quasi artifex; & ars ipsa, & intellectus est organum motum ab eo, quod & testantur multæ Autoritates Philosophicæ & Theologicæ allegatæ capitulo 4 primi. Imò & Deus ipse per Esaiam capit. 10. docet idem, *Esaias.*
C vbi vocat Senacherib virgam furoris sui, baculum, securim & serram; vbi dicit glossa quod sicut hæc instrumenta inanimata nihil per se faciunt, sed per eum qui mouet ea; sic nec Senacherib per se, sed in Dei virtute operatus est: Quod & pulchrè multumque prosequitur Hieronymus libro 4. super Esaiam; sicut 32um. primi hæc omnia plenius recitauit. Dicitque Auicenna 10. Metaphysicæ suæ 1. sicut 29um. primi plenius allegauit; Voluntates nostræ sunt postquam non fuerunt; quicquid autem est postquam non fuit, causam habet; Ergo omnis nostra voluntas causam habet: Causa autem huius voluntatis non intendit ad infinitum, sed ad aliqua quæ accidunt extrinsecus, terrena scilicet, vel cælestia; sed terrena perueniunt ad cælestia; Collectio ergo horum omnium prouenit necessariò ex necessitate diuinæ voluntatis. Istum quoque errorem & Abraham Patriarcha clarissimus Philosophus & Propheta redarguit & refellit per similem rationem, sicut apparet ex 35a. parte corollarij primi, primi. Quare & Sanctus Thomas de Christiana religione, siue de fide, spe, & charitate ad Raynaldum *Auicenna.* *Thomas.*
D 129. sic dicit; Cùm omne mutabile & multiforme in aliquod principium immobile reducatur, sicut in causam, hominis autem intellectus & voluntas mutabilis & multiformis apparet, necesse est quod in aliquam superiorem causam immobilem & vniformem reducantur: & quia non reducuntur, sicut in causam, in corpora cælestia, oportet eas reducere in causas altiores. Et cap. sequenti, Quia verò secundæ causæ non agunt nisi per virtutem primæ causæ, sicut instrumenta agunt per directionem artis, necesse est quod omnia alia agentia, per quæ Deus ordinem suæ gubernationis adimplet, virtute ipsius Dei agant: Agere igitur cuiuslibet ipsorum à Deo causatur, sicut motus mobilis à motione mouentis; Mouens autem & motum oportet esse simul; oportet igitur quod Deus cuilibet agenti assit interius, quasi in ipso agens, dum ipsum ad agendum mouet. Quod etiam in libello quæstionum suarum de potentia Dei, quæstione 20a. de naturalibus & voluntarijs pariter probat & tenet, sicut in ostensione corollarij secundi capituli primi libri plenius recitatur: Et similiter tertio contra Gen-
E tiles, & alijs locis multis. Item Iohannes Scotus super 1. sentent. dist. 2a. Ostendens quod primum efficiens est intelligens & volens, arguit in hunc modum; Aliquid causatur contingenter, ergo prima causa contingenter causat, ergo volens causat. Probatio primæ consequentiæ, Quælibet causa secunda causat in quantum mouetur à prima; Ergo si prima necessariò mouet, quælibet alia necessario mouetur, & quidlibet necessariò causatur; Ergo si aliqua causa contingenter mouet, & prima contingenter mouebit, quia non causat causa secunda, nisi in virtute primæ causæ, in quantum mouetur ab ipsa. Probatio secundæ consequentiæ, Nullum est principium contingenter operandi nisi voluntas vel aliquod concomitans voluntatem, quia quodlibet aliud ex necessitate naturæ, & ita non contingenter. Et statim instat contra primam consequentiam isto modo; Nostrum velle potest aliquid contingenter causare; *Scotus.*

 ergo

ergo non requiritur quod prima causa illud contingenter causet: & contra secundam consequentiam, scilicet, Causat contingenter, ergo volens; sic instat, Alia naturaliter mota possunt impediri, & ita oppositum contingenter & violenter eueniet. Ad primam autem instantiam sic respondet; Dicendum quod si Deus est primum mouens vel efficiens respectu voluntatis nostræ, idem sequitur de ipsa, quod de alijs, quia siue immediatè necessariò mouet eam, siue aliud immediate, & illud necessariò moueat ex hoc quod mouetur, sequitur tandem, quod proximum voluntati necessariò moueat voluntatem, etiamsi proximum sit ipsamet voluntas, & ita necessariò volet, & sequitur vlterius impossibile, quod necessariò causat quodlibet suum creatum. Ad secundam instantiam sic respondet; Dico quod si alia causa potest impedire istam, non hoc potest nisi in virtute superioris causæ, & sic vsque ad primam causam, quæ si immediatam causam sibi necessariò mouet, vsque ad illam erit necessitas: ergo necessariò impediet, & per consequens non potest alia causa naturaliter causare. Qui & infra super distinct. 39. ista breuius recitat sub his verbis dist. 2ª. Probatum est Deum esse intelligentem & volentem per contingentiam rerum, quia nulla contingentia potest esse in causatione alicuius causæ respectu sui effectus, nisi prima causa contingenter se habeat ad causam proximam sibi vel ad suum effectum: quod probabatur breuiter ex hoc, quod causa mouens in quantum mouetur, si necessariò mouetur, necessariò mouet: quælibet igitur causa secunda, quæ producit in quantum mouetur à prima, necessariò mouet proximam sibi, vel producit effectum suum: Tota igitur ordinatio causarum vsque ad vltimum effectum necessariò producet; si habitudo primæ causæ ad sibi proximam causam sit necessaria: & hoc satis testatur illa vulgata propositio prima de causis. Omnis causa primaria plus est influens supra causatum suum, quàm causa vniuersalis secunda, cum suo commento: sicut secundum primi pleniùs allegauit. Quare & Stephanus Episcopus Parisiensis iustè damnauit & excommunicauit duos articulos contrarios veritati præmissæ: Quorum primus dicit, quod in causis efficientibus causa secunda habet actionem quam non accipit à prima causa: Secundus autem ponit, quod in causis efficientibus cessante prima, non cessat secunda ab operatione, dum tamen secunda operetur secundũ naturã suam: Ter. verò art. non damnat simpliciter, sed exponit, quod omnes scilicet motus voluntarij reducuntur in Motorem 1um error est, inquit, nisi intelligatur in Motorem primum simpliciter non causatum, & intelligendo de motu secundum substantiã, non secundum deformitatem. Item per 22um. primi, Deus necessariò habet actum voluntatis circa quemlibet actũ voluntatis creatæ, & non nolutionẽ, quia tunc non fieret, vt 10um. primi docet; ergo volutionem; & per idem 10um. illa de necessitate est efficax; Ergo necesse est, quod ipsa efficiat quemlibet actum talem; imò dato huius opposito, voluntas Dei non esset efficax, nec Deus omnipotens. Posito namque quod Deus velit voluntatem creatam producere suum actum, tunc si Deus nihil ibi agat, sed sola voluntas creata, ipsa potest libere ex se sola non producere suum actum, & per consequens frustrari voluntatem diuinam, & eius omnipotentiam similiter mutilare; quia si Deus vult aliquid fieri, & illud non fit, Deus non potest facere quod hoc fiat. Nam ex opposito conclusionis cum maiori sequitur oppositum minoris, vt idem 10um. primi plenius deducebat. Et propter istas rationes tenet Iohannes Scotus istam conclusionem super 2 sent. dist. 37. quæstione secunda, quæ quærit Vtrum voluntas creata sit totalis causa & immediata respectu sui velle, ita quod Deus respectu illius non habeat aliquam efficientiam immediatam, sed tantum mediatam; & recitata opinione ponente partem affirmatiuam, sic ait, Contra istam opinionem arguitur dupliciter; Primò quia ex ipsa sequitur quod Deus non sit naturaliter præscius futurorum; Secundò, quod non sit optimus. Probatio primæ consequentiæ, Quia Deus non habet scientiam de futuris contingentibus; nisi quia certitudinaliter nouit determinationem voluntatis suæ respectu eorum, quæ voluntas est immutabilis & impotentialis; sed si voluntas sit totalis causa respectu sui velle, quantumcunque ponatur voluntas diuina determinata ad vnam partem eorum quæ dependent à voluntate creata, poterit voluntas creata aliter velle, & ita non sequitur certitudo ex cognitione determinationis voluntatis diuinæ. Probatio secundæ consequentiæ, Quia quicquid vult optimus, hoc fit: Sed si velit volutionem meam fore, & illa est in potestate voluntatis meæ, vt totalis causæ contingenter se habentis ad illam, ipsa de se potest determinari ad vnam partem vel ad aliam indifferenter; & ita potest non fieri illud ad quod voluntas diuina eam determinat. Item si voluntas creata sola efficeret suum actum, non omnes actiones nec res humanæ per diuinam prouidentiam regerentur, contra vigesimum septimũ, tricesimũ, tricesimum primum, & trigesimum secundum capitula primi libri: Si enim Deus tales actiones prouideat, hoc est, voluntariè, & voluntas sua est efficax per decimum primi libri: Quare diuina voluntas efficit omnes huiusmodi actiones? Item aliter multa esse possent casualia & fortuita

Marginal notes: *Stephanus.* (beside "allegauit. Quare & Stephanus..."); *Scotus.* (beside "istam conclusionem super 2 sent...").

A tuita simpliciter, quia respectu causarum secundarum, & etiam primæ causæ vigesimum nonum primi. Quare & Dominus Stephanus Parisiensis Episcopus iustè damnauit duos articulos erroneos; quorum primus dicebat, quod Humani actus non reguntur prouidentia diuina; Secundus verò ponebat quod aliqua possunt casualiter euenire respectu primæ causæ, & quod falsum est omnia esse præordinata à prima causa, quia tunc euenirent ex necessitate. Item si voluntas creata sola posset producere suum actum, posset & sola producere quandoq; actum intensiorem, & quandoque remisiorem, quare & posset sola intendere suum actum, & meritum suum bonum, contra quadragesimum sextum primi. Item si voluntas creata sola posset producere suum actum, posset & intellectus creatus similiter, quare posset intelligere, componere, & diuidere, discurrere, & multas || *veritates* cognoscere sine adiutorio intellectus agentis, qui est Deus; quod est contra Philosophos, sicut sextum primi plenius allegauit. Quomodo namque homo ignorans scientias habitu simul & actu, per studium suum ipsas artificiosè quæreret, & similiter inueniret, nisi dirigeretur ab aliquo sciente in actu, eumque docente? Non enim potest hoc fieri à fortuna vel casu. Vnde & Auerroes super de somno & vigilia assignans causam cognitionis acquisitæ in somno, sic ait; Manifestum est quod istam cognitionem quæ acquiritur in somno, non antecedit modus agens; vtrum autem præcedit eam modus præparans, habet dubitationem; & cum ista cognitio est acquisita post ignorantiam, & postquam erat in potentia, & sine aliqua cognitione antecedenti, manifestum est, quod eodem modo acquiritur, sicut primę propositiones acquiruntur; & cùm ita sit, necesse est, vt agens eas sit idem, & eiusdem generis; quia omne quod exit de potentia in actum habet agens quod est de genere illius rei, || *quod* exit de potentia in actum; Ergo necesse est vt faciens istam cognitionem sit intellectus in actu, & iste dat principia vniuersalia in rebus speculatiuis, cuius esse declaratum est in libro de Anima. Item Deus agit vera somnia in intellectu hominis dormientis, & veram prophetiam in intellectu hominis vigilantis, vt docuit sextum primi;

Stephanus.

|| Virtutes

B

Auerroes.

|| quæ

C Ergo Deus est intellectus agens cognitionem humanam, & non mediante corpore cælesti, vt quidam fingunt, sed per se ipsũ, sicut multipliciter posset ostendi. Sed gratia breuitatis tantum adduco Stephanum Episcopum Parisiensem, damnantem & excommunicantem quendam articulum in hæc verba, quod Deus, vel intelligentia non infundit scientiam animæ humanæ in somno, nisi mediante corpore cælesti: Item intellectus humanus de se est potentialis, & in potentia ad intelligendum; Ergo ad hoc, quod exeat in actum intelligendi, requirit necessariò aliquod actuale quod moueat ipsum de hac potentia in hunc actum: Hoc non potest esse corpus, nec aliquid corporale, nec aliquid quod non est intellectus, nec intellectus non in actu, sicut facile est ostendere singula: Hoc ergo intellectus in actu; hoc igitur est intellectus omnem intellectionem nostram agens. Et per hanc rationem ostendit Aristoteles hanc conclusionem 3. de Anima 17. & post, & Auerroes super illum locum similiter, & super 12^um^. Metaph 18. super de somno & vigilia: Et Auicenna 5. de Anima 5. & 6. & Algazel 5. Physicæ

Stephanus.

D suæ 1. & 6. Et est similiter vnus articulus damnatus & excommunicatus à Stephano Parisiensi Episcopo in hæc verba; Quod intellectus agens non copulatur nostro possibili; Isti tamen videntur aliqualiter discrepare: Nam Aristoteles & Auerroes volunt hunc intellectum agentem esse Deum, vt patet cap. 6°. primi; Auicenna verò & Algazel volunt eum esse intelligentiam infimam, vt patet locis nunc allegatis; & etiam 9. Metaphysicæ Auicen. 3. & 5. Metaphys. Algazelis. Sed hoc est erroneum, si sic intelligatur, quod illa intelligentia sola sine Deo est agens principaliter intellectionem humanam, quia illa cùm sit entitatis terminatæ & finitæ, est necessariò similis actiuitatis; quare tot possent esse homines, quod illa non sufficeret agere intellectionem in omnibus illis simul, cùm tamen omnes intelligere simul possent. Item cum mouens & motum debeant esse simul, vt docet Philosophus 7. Phys. & in quotlibet locis quantumcunque distantibus possunt homines intelligere simul in actu, & nulla talis Intelligentia potest de se simul esse in quotlibet locis quantumcunque distantibus, cum ipsa de se sit

E determinatæ entitatis; quare nulla talis intelligentia est intellectus agens. Ad idem posset argui per rationes sumptas à motu, & per multas alias Philosophicas & Theologicas rationes; sed sufficiant istæ paucæ: Oportet igitur quod intellectus agens sit actiuitatis infinitæ, immensus, illocalis, præsens vbique & immobilis omniquaque, & talis nulla finita intelligentia potest esse, sed tantum Deus omnifariè infinitus. Nec potest quis dicere quod intellectus agens est necessarius intellectui possibili, vt intentiones materiales à materia abstrahat, & denudet, easque quodammodo ei infundat, sed ipsis iam habitis non indiget eius auxilio, sed potest facere omnia per seipsum; quia rationes præmissæ concludunt, quod quando intellectus possibilis est intelligens vel sciens in potentia, ad hoc quod exeat in actum requirit necessariò aliquem motorem in actu: Quare & Philosophus 3. de Anima 18. sic ait; Est intellectus hic

quidem talis in omnia fieri, ille verò in omnia facere, sicut habitus quidam, sicut lumen: quodam enim modo & lumen facit potentiâ existentes colores actu colores; vbi translatio, quam Auerroes exponit, sic habet; Oportet vt in ea, scilicet Anima, sit intellectus, qui est intellectus secundum quod efficitur omne, & intellectus, qui est intellectus secundum quod facit ipsum intelligere omne; & intellectus secundum quod intelligit omne, est quasi aliquis habitus, qui est quasi lux &c: vbi Auerroes super hoc verbum, & Intellectus secundum quod intelligit &c. ita dicit; Intendit per istum intelligentiam agentem, & per hoc, quod dixit, intelligit omne, quasi aliquis habitus, intendit quod facit omnem rem intellectam in potentia, intellectam in actu, postquam erat in potentia quasi habitus in forma. Auicenna quoque 5. de Anima 5. dicit; Causa dandi formam intelligibilem non est nisi intelligentia in effectu, penes quam sunt principia formarum intelligibiliũ abstractarum, cuius comparatio ad nostras animas est, sicut cõparatio solis ad visus nostros, quia sicut Sol videtur per se in effectu, & videtur luce ipsius in effectu, quod non videbatur in effectu, sic est dispositio huius intelligentiæ quantũ ad Animas nostras; & post multa dicta de ista materia 5. & 6. in fine sic ait, Possibile est ergo, vt alicuius hominis Anima eò quod est clara & cohærens principijs intelligibilibus, ita sit inspirata, vt accendatur ingenio ad recipiendũ omnes || *quæstiones* ab intelligẽtia agente, aut subitò aut penè subito, & firmiter impressas non probabiliter, sed cum ordine qui comprehendit medios terminos; & hic est vnus modus prophetiæ qui omnibus virtutibus altior est, vnde congruè virtus sancta vocatur, & est altior gradus inter virtutes humanas. Algazel etiam 5. Physicæ suæ, dicit quod Intelligentia agens est semper agens in animas nostras incessanter; & capit. 6. dicit, Clarificatur Anima in tantum, quòd coniungatur cum intelligentia agente, sic vt infundatur ei scientia: Nullus enim est speculator, qui non inveniat multa per se. Transit enim per mentem eius priùs conclusio, & deinde exercitatur ad cognoscendum medium terminum, quasi veniat in animam eius, & nescit vnde; vel priùs percipit medium terminum, & deinde præsentatur ei conclusio, & omne contingens eget causa, ex qua contingit; quare anima eget intelligentia; hæc autem & consimilia non est impossibile percipi. Quod cùm intellectum fuerit, tunc non est impossibile sic peruenire vsque ad vltimum horum quæ intelliguntur & in longo tempore, vel in paruo: Ille autem cui reuelantur hæc omnia intellecta in tempore paruo sine doctrina, dicitur Sapientissimus vel Propheta; & hoc est magnificentia vel miraculum. Similem quoque sententiam à Platonicis, ab Aristotele & Auerroe recitauit capitulum sextum primi. Item secundum omnes istos Philosophos, & secundum ipsam veritatem, sicut lux corporalis visionem efficit corporalem, sic lux aliqua spiritualis spiritualem efficit visionem; hæc autem lux est intellectus agens vel aliqua virtus eius. Hæc autem Ethnicorum sententia Catholicorum Philosophiæ concordat: Nam Sapientiæ 7°. De ipsa Sapientia increata scribitur isto modo; Omnibus mobilibus mobilior est Sapientia; attingit autem vbique propter suam munditiam: Vapor enim est virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera; Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & cùm sit vna, omnia potest, & in se permanens omnia innouat; & per notiones in animas sanctas se transfert; Amicos Dei & Prophetas constituit, neminem enim diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat. Est enim hæc speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum luci comparata, prior inuenitur. Et Ioh. 1. Deus lux est: Et Ioh. 1. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et Parabolarum 2. Dominus dat sapientiam, & ex ore eius scientia & prudentia; & multa similia occurrunt sæpissimè in Scriptura. Itẽ si homo iam habitis intentionibus denudatis posset ex se facere cætera, posset ex se per proprium studiũ, vel per Doctorem alium sine Deo adinuenire plurimas veritates, cum tamen ille Auerroes super 1. de Cœlo, comment. 32. vbi ostenditur motum circularem non habere contrarium, ita dicat; Ego autem longo tempore feci moram, in quo non intellexi explanationem istius loci vltimam, sed Deus induxit me || *ad* veritatem. Robertus quoq; Lincol. Episcopus super 1. Poster. 1. sic ait; Non solum illud voco doctrinam, quod ab ore Doctoris audimus, sed scripturã in loco Doctoris accipio: & si verius dicamus, nec qui exterius sonat, docet; nec litera Scripturę exterius visa docet; sed solum mouent hæc duo, & excitant: sed verus Doctor est, qui interius mentẽ illuminat & veritatem ostendit. Cui & clarè concordant testimonia multa præclara 38. primi præmissa. S. quoq; Tho. de Christ. religione, siue de fide, spe, & charitate 129. ostenso quomodo homo mouetur ad intelligẽdum ab homine, quia scilicet propositum intelligibile, & quomodo ab Angelo, quoniam dupliciter, quia scilicet per Angelum proponitur homini obiectum, & quia lumen naturale hominis per lumen Angeli confortatur, subiungit; Deus autem ad intelligendum hominẽ iuuat, non solum ex parte obiecti quod homini proponatur à Deo, aut per additionẽ luminis, sed etiam per hoc, quod ipsum lumen naturale

Marginalia: *Auerroes.* — ||conclusiones — *Sapientia.* — *Parab.* — || in — A — B — C — D — E

A turale hominis, quo intellectualis est à Deo; & per hoc etiam quod cum ipse sit veritas prima, à qua omnis alia veritas certitudinem habet, sicut secundæ propositiones à primis inscientijs demonstratis, nihil intellectui certum fieri potest, nisi virtute diuina, sicut nec conclusiones sunt certæ in scientijs, nisi secundum virtutem primorum principiorum. Beatus etiam Augustinus in toto libro suo de Magistro, hanc vnam conclusionem principaliter & ex intentione ostendit, quod in omni doctrina Deus tanquam summus Magister scientiam omnem docet: Vnde & 1. retract. 12. dicit ita; Scripsi liberum, cuius est titulus de Magistro, in quo disputatur & quæritur, & inuenitur, Magistrum non esse qui docet hominem scientiam, nisi Deum; secundum illud quod in Euangelio scriptum est, Vnus est Magister vester; & supra eiusdem 4. dicit, propterea vera respondere de quibusdam disciplinis etiam imperitos earum quæ bene interrogantur, quia præsens est eis quando id capere possunt lumen rationis æternæ, vbi hæc immutabilia vera respiciunt. Etiam in sententijs Prosperi cap. 382. prenotato de *Augustinu*

B cognoscendis creaturis quæ non videntur, Humana || *anima* naturaliter diuinis, ex quibus pendet, connexa rationibus, cùm dicit melius hoc fieri quàm illud, si verũ dicit, & videt quod dicit in illis supernis rationibus videt: Non enim cogitatione cerneret faciendũ fuisse, nisi in his rationibus quibus facta sunt omnia. Et 2. de lib. arb. c. 14. & post multis cap. ostendit, vnã esse veritatem communem, qua omnia vera sunt vera, & qua omnia vera cognita cognoscuntur; Vnde 21. sic ait; Hanc igitur veritatem, de qua iam diu loquimur, & in qua vna tam multa conspicimus, excelsiorem putas esse quàm mens nostra est. Et cap. 22. Hæc enim veritas ostendit omnia bona quæ vera sunt, quæ sibi suo captu intelligentes homines, vel singula, vel plura eligunt quibus fruantur; sed quemadmodum illi qui in luce solis eligunt, quod libenter aspiciant, & eo aspectu lætificantur; in quibus si qui fortè fuerint vegetioribus sanísque & fortissimis oculis præditi, nihil libentiùs quàm ipsum solem intuentur, qui etiam cætera quibus infirmiores oculi delectantur, illustrant; sic fortis acies mentis & vegeta, cùm multa & vera & incom- || Anima præclara 38. primi premissa.

C mutabilia certa ratione conspexerit, diriget in ipsam veritatem qua cuncta monstrantur, eiq; inhærens tanquam obliuiscitur cætera, & in illa omnibus simul fruitur. Idem 8. de Ciuit. Dei 8. dicit quod Philosophi, quos cæteris non immeritò fama atque gloria prælatos videmus, lumen mentium esse dixerunt ad discendum omnia, eundem ipsum Deum à quo facta sunt omnia. Et cap. 9. Quicunque igitur Philosophi de Deo summo & vero ista senserunt, quod & rerum creatarum sit effector, & lumen cognoscendarum & bonum agendarum, & quod ab illo nobis sit & principium naturæ & veritas doctrinæ, & fælicitas vitæ, siue Platonici accommodatius nuncupentur, siue quodlibet aliud sectæ suæ nomen imponant, siue Ionici, siue Italici propter Pythagoram & Pythagoreos, siue Atlantici Libyes, Ægyptij, Indi, Persæ, Chaldæi, Scythæ, Galli, Hispani, alijue reperiantur qui hoc viderunt & docuerunt, eos omnes cæteris anteponimus, eosque nobis propinquiores fatemur. Et capit. 10. Hæc itaque causa est cur istos cæteris præferamus, quia cùm alij Philosophi ingenia sua, studiaq; contriue- *Augustinus.*

D rint in requirendis rerum causis, & quinam esset modus discendi, atque viuendi; Isti, Deo cognito, reperierunt, vbi esset & causa cõstitutæ vniuersitatis & lux percipiendæ veritatis, & fons bibendæ fælicitatis: Siue ergo isti Platonici, siue quicunque alij quarumlibet gentium Philosophi de Deo ista sentiunt, nobiscum sentiunt. Idemque 5. Confess. 6. sic ait, Me iam docueras Deus meus miris & occultis modis, & propterea credo quod tu me docueris, quoniam verum est, nec quisquam præter te alius Doctor est veri, vbicunq; & vndecunque claruerit. Item B. Greg. 7. Moral. 25. super illud Iob 37. Nonne vestimenta tua candida sunt, cùm perflata fuerit terra Austro? per vestimenta Auditores; per terram, cor seu mentem; per Austrum Spiritum Sanctum intelligens, ita dicit; Nequaquam sibi Doctores tribuant, quod per exhortationem suam ad summa proficere Auditores vident; quia nisi Spiritus Sanctus eorum corda repleat, ad aures corporum vox docentium incassum sonat: Formare enim vocem Magistri exterius possunt, sed hanc imprimere interius non possunt: Neque enim qui plantat est *Gregorius.*

E aliquid, nec qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. B. quoq; Ambr. super illud 1. ad Cor. 12. Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto, sic ait; Quicquid enim falsum est, ab homine est, & quicquid verum à quocunque dicitur, à sancto dicitur Spiritu; Vnde & Ioan. 11. recitato dicto Caiphæ, scilicet, Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat, subiungit; Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius prophetauit. Dicitq; Origines, sicut allegatur in glossa, super illud Exod. 4. Obsecro Domine, non sum eloquens; Et infra; Ego ero in ore tuo. Eorum qui verba Dei loquuntur, os Deus aperit; eorum qui loquuntur mendacium, falsum testimonium, scurrilitates, turpitudines, susurronum quoque & detractorum, & eorum qui otiosa loquuntur, Diabolus aperit os. Tertij quoque Reg. 3. Offerente Domino Salomoni vt daret ei quodcunque voluerit *Ambrosius.* *Iohannes.* *Reg.*

postulare, ipsoque sapientiam postulante, & Domino eam dante, exemplo magnifico satis ostenditur, quod omnis sapientia à Domino Deo est. Ecclesiastici 1. quod & libri legales, sapientiales & prophetales sapissime & clarissime contestantur. Non solum autem Sapientia speculatiua siue politca datur à Domino, sed & ||*Sapientia* manualis, quę ars mechanica nuncupatur; vnde Exod. 31. loquutus est Dominus ad Mosen dicens; Ecce vocaui ex nomine Besaleel, & impleui eum spiritu Dei sapientia & intelligentia, & scientia in omni opere ad excogitandum fabrè quicquid fieri potest ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diuersitate lignorum, dedique ei socium Aholiab, & in corde eorum omnis eruditi posui sapientiam, vt faciant cuncta quæ præcipi tibi, tabernaculum fœderis & arcam testamenti &c. Nec etiam sapientia solorum fidelium, sed & infidelium à Domino Deo datur; Vnde Apostolus ad Rom. 1. loquens ad literam de Philosophis gentium, ita dicit; Quod notum est Dei, manifestum est illis, Deus enim illis reuelauit; inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles, quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & ||*obscuratum* est cor eorum insipiens; Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt: Ecce quod Deus suam illis notitiam reuelauit, pro qua & sibi gratias agere debuerunt, quod tamen non debuerant facere, nisi ipsam accepissent ab eo, vt docet 31. primi. Dicentesque se esse sapientes stulti facti sunt. Sed quare cum verum dixerunt? quia dixerunt se esse sapientes, & hoc à se, non ab illo fonte sapientiæ, à quo omnis sapientia velut quoddam flumen lucidum deriuatur, qui & solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, Math. 5. Vnde Augustinus de Spiritu & Litera 7. Dicentes, inquit, se esse sapientes, quod non aliter intelligendum est, nisi hoc ipsum sibi tribuentes, stulti facti sunt: & ad hoc idem facit autoritas venerabilis Bedæ contra Iulianum 13. huius secundi superius recitata. Et Esai 10. à Domino dicitur, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius: Dixit enim, In fortitudine manus meæ, ego feci, & in sapientia mea intellexi. Quare & contra istud elationis venenum pestiferum parauit Dominus antidotum salutare: Non glorietur, inquit, sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitijs suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus qui facio misericordiam, iudicium & iusticiam in terra, Ierem. 9. ac si diceret manifestè, quod nihil horum facit sibi homo ex seipso, sed hæc omnia omnibus secundum misericordiam & iudicium facit Deus. Et huic satis concordat autoritas venerabilis Bedæ contra Iulianum 13. superius memorata, aliaque eiusdem supra eodem 7. dicit Iulianum dixisse blasphemiam, eo quod dixit animum hominis per se posse fieri sapientem. Hoc autem totum autoritates vtriusque testamenti concorditer attestantur. Vnde Exod. 4. dixit Dominus ad Mosen; Quis fecit os hominis? Glossa, exterius vel interius; aut quis fabricauit mutum? Glossa, in re, vel in spiritu; & surdum, videntem & cæcum? nonne Ego? Perge igitur, & ego ero tecum in ore tuo, doceboque te quid loquaris. Et Math. 10. Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini; Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis: & Ioh. 16. Cum ergo venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, & 1. Ioh. 2. Vnctio docet vos de omnibus: & Psal. 17. Disciplina tua ipsa me docebit: & Psal. 70. Deus docuisti me a iuuentute mea: & 93. Qui docet hominem scientiam; Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Et Esaiæ 48. Hæc dicit Dominus; Ego Deus tuus docens te vtilia, & gubernans te in via qua ambulas, quod & glossæ autoritatum istarum, & ceteræ expositiones Catholicæ clarè docent, quas silendo pertranseo gratia breuiandi. Veruntamen ecce ad hæc testimonium Apostoli docti à Domino, doctorisque gentium satis clarum; Fiduciam, inquit, talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. 2. ad Corinth. 3. Proculdubio ergo nec sufficientes sumus intelligere, componere, syllogizare, aut scientiam vllam acquirere à nobis quasi ex nobis, sed in omnibus istis & singulis sufficientia nostra ex Deo est, qui aperit aures surdorum, & oculos cæcorum illuminat, qui scientiarum Dominus est, qui & docet hominem scientiam, diuidens singulis prout vult. Si igitur secundum præmissa Deus est necessario requisitus tanquam coeffector cuiuslibet actus intellectus creati, ergo & cuiuslibet actus voluntatis creatæ, & cuiuslibet operationis illius per similem rationem: & per hanc rationem Augustinus, Gregorius, Prosper & Bernardus eandem conclusionem ostendunt. Beatus igitur Augustinus de prædestinatione sanctorum 2. sic ait; Quis non videat prius esse cogitare? Nullus quippè

Marginalia: A (top); *Ecclesiasticus.*; ||Ars.; *Exod.*; *Apostolus.*; B; ||Obstinatum.; *Matth.*; *Augustinus.*; *Beda.*; *Esaias.*; C; *Ieremias.*; *Beda.*; *Exodus.*; D; *Matth.*; *Ioannes.*; *Psalmus.*; *Esaias.*; *Apostolus.*; E; *Augustinus.*

A quippè credit aliquid nisi prius cogitauerit esse credendum. Si igitur non simus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismet ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, profectò non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismet ipsis, sed sufficientia nostra, qua credere incipiamus, ex Deo est. Quocirca nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiendum quodcunque opus bonum, sed in omni opere bono & incipiendo, & perficiendo sufficientia nostra ex Deo est. Et idem argumentum facit Augustinus de bono Perseuerantiæ 18. & de gratia & libero arbitrio 17. & alijs locis multis. Beatus quoque Gregorius 33. Moral. 22. super illud Iob. 41. *Gregorius.* Quis ante dedit mihi, vt reddam ei? sic ait: Si saltem dona bonorum operum virtute nostra bene cogitando preuenimus, vbi est quod rursum per Paulum tam subtiliter dicitur; vbi omnis de se humanæ menti fiducia ab ipsa cordis radice succiditur, cum ait, Non quia sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Sanctus etiam Prosper contra Cassianum 6. recitat quartam definitionem Cassiani ||*Dicentem*; vt ||Dicentis.
B autem euidentius clareat etiam per naturę bonum quod beneficio creatoris indultum est, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi a Deo dirigantur, ad consummationem virtutum peruenire non possunt, Apostolus testis est dicens; Velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio, cui è contrario dicit Prosper, falsò igitur secundum hanc definitionem ante dixisti, non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui incipit quæ bona sunt, & exequitur, & consummat in nobis. Sed hoc nullo modo ex aliqua parte potest esse falsum, cui nequaquam inferri contraria debuerunt, vt quod rectè professus es ex gratia incipere, id postea confirmares per naturæ bonum, & per liberum arbitrium nos habere. Dixit quidem beatus Apostolus, Velle enim adiacet mihi, perficere bonum non inuenio; sed idem dixit, Non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est; & idem dixit, Deus est enim qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate; non ergo Apostolus sibi contrarius
C est, sed cum donatum nobis fuerit velle, non statim inuenimus & facere, nisi petentibus, querentibus, atque pulsantibus nobis, vt qui dedit desiderium prestet effectum: Vox ista dicentis, Velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio, vocati est etiam sub gratia constituti, qui delectatur quidem lege Dei secundum interiorem hominem, sed videt aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captiuantem se in lege peccati: & quamuis acceperit scientiam rectè volendi, virtutem tamen in se non inuenit ea quæ optat operandi, donec pro bona voluntate quam sumsit, virtutum mereatur facultatem inuenire quam quærit. Et infra 25. vult idem. Beatus quoque Bernardus de Gratia, & libero arbitrio 22. sic dicit, Hinc coadiutores Dei, cooperatores Spiritus Sancti, & promeritores regni, nos esse præsumimus, quod per consensum voluntarium diuinæ voluntati coniungimur. Quid igitur? Hoc ergo totum liberi arbitrij opus, hoc totum eius est meritum quod consentit? Est prorsus, non quidem quod vel ipse consensus in quo omne meritum consistit,
D ab ipso sit; cùm nec cogitare, quod minus est quàm consentire, à nobis quasi ex nobis sufficientes simus. Verba sunt non mea sed Apostoli, qui omne quod boni potest esse 1. cogitare, & velle, & perficere pro bona voluntate attribuit Deo, non suo arbitrio; Ergo Deus tria hæc, bonum cogitare, velle, & perficere operatur in nobis; primum sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit. Vnde & Esaias 40. Ecce, inquit, gentes quasi momentum stateræ reputatæ sunt ei: Super quod Glossa in comparatione eius, scilicet Dei, quod scilicet momentum ex nihilo in vtramlibet partem inclinatur. Et Parab. 21. Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini; quocunque voluerit inclinabit illud; omnis autem *Parabola.* creatura rationalis Rex dicitur, quia ratione se regit: Non enim potest hoc tantum intelligi de corde magni Regis terreni, & non de corde parui subiecti, quoniam pusillum & magnum ipse fecit & æqualiter est illi cura de omnibus, Sapientiæ 6. Quare & singuli Dominum humiliter deprecamur, cum Psalmista dicentes, Inclina cor meum Domine, in testimonia tua, *Sapientia.* *Psalmus.*
E & non in auaritiam, Psalmo 118. super quod dicit Augustinus, Quid est inclinatum ad aliquid cor habere, nisi hoc velle? Quare & immediatè ante super illum versum priorem; Deduc me in semita mandatorum tuorum, sic ait; Diuinum auxilium, quo deducatur, inquit; quia neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: Denique quia & ipsum velle Deus operatur in omnibus, præparatur enim voluntas à Domino. Ad hoc etiam facit illud *Sapientia.* Sapientiæ 11. Omnia in mensura, & numero & pondere disposuisti; cum || *expositione* Augustini 4. super Genesin ad literam 5. capitulo 9°. & 46°. primi plenius recitata; Est, inquit, ||explicatione, pondus voluntatis & amoris, sed hoc pondus alio pondere rapitur; pondus sine pondere est, quo referuntur omnia vt quiescant. Item si homo posset velle ex se solo, posset similiter ex se solo resistere tentamento, contra 4. 5. & 6. huius secundi; Item si homo posset velle ex

se

A se solo, posset sic male velle, & cùm potentia rationalis posit in obiecta, posset ex se solo similiter bene velle, & sic sine Dei auxilio solius liberi arbitrij viribus posset mereri, quod est error Pelagij, sicut ex superioribus satis constat, possetque ex se solo se ad gratiam præparare, & aperire Deo, hominiue pulsanti, contra 37um. & 38um. capitula primi libri. Et licet quis iam sit in gratia constitutus, adhuc per quintum huius secundi sine Dei auxilio non potest resistere tentamento, quare nec mereri. Nullus etiam, quantumlibet gratiosus, meretur, nisi gratia cooperante, sicut 40.um. primi docet, nec gratia operatur, nisi à Sancto Spiritu dirigatur, per 42um. eiusdem. Omnia quoque fidelium merita donantur à Deo, sicut superius est ostensum; Nullus ergo ex se solo sine Deo potest bene velle; ergo nec velle omninò. Nec potest quis fingere quod homo quantum est de se, & de potētia liberi arbitrij posset per se in vtrumlibet oppositorum, in malū scilicet & in bonum; sed Deus non vult permittere eū benefacere sine ipso; quoniā sic rediret error Pelag. Et Sap. 7. dicitur quod est amans bonum

|| nullum actum, seu bonum qui || *nullum* vetat benefacere. Item nec Angelus, nec Adam ante lapsum B potuit per se velle, vt docet decimum huius secundi, quare nec modo. Item si homo posset

Philosophus. per se velle, posset & per se operari, & cùm secundum Philosophum 2. Ethicorum, virtus generetur ex operibus, posset per se acquirere sibi virtutes, contra tertium primi, & contra Augustinum & Bedam in libris suis contra Iulianum, vt sextum huius secundi plenius allegauit; vbi volunt, quod omnis virtus, etiam infidelium, est à Deo. Item nulla creatura habet liberum arbitrium potentius quàm habuit Iesus Christus, sed ipse non potuit per se velle, ipsomet testante: Non possum, inquit, ego à meipso facere quicquam; sed sicut audio, iudico, & iudicium meum verum est, quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui mi-

Ioannes. sit me, Patris, Ioh. 5. Vnde Augustinus super Iohannem lib. 2. Homilia 45. sic ait, Prop-

Augustinus. ter personam Filij vnam ex duabus substantijs, diuina, humanaque constantem, aliquando secundum id quod Deus est loquitur, vt est illud quod ait, Ego & Pater vnum sumus; aliquando secundum id quod est homo, vt est illud, Quoniam Pater maior me est, secundum C quod accepimus ab eo dictum; & hoc vnde nunc disputo, Non possum à meipso facere quicquam, sed sicut audio, iudico, aliasque potuit Christus scienter voluisse contrarium voluntati diuinæ, mortaliterque peccasse. Item, Pater facit omnia opera Filij, ergo & ipsemet Filius secundum suam diuinitatem similiter ipsa facit; Nam Iohan. 14. Christus dicit, Pater

Augustinus in me manens ipse facit opera: Dicitque Augustinus 1. super Iohan. Hom. 20a. Ambulauit Filius Dei super mare; caro ambulabat, & diuinitas gubernabat; quando ergo caro ambulabat & diuinitas gubernabat, Pater absens erat; si absens erat, quomodo Filius ipse dicit, Pater autem in me manens facit opera sua? Si ergo Pater in Filio manens facit opera sua, ambulatio illa carnis super mare à Patre fiebat, per Filium fiebat; ergo illa ambulatio opus est Patris & Filij inseparabile; vtrumque ibi operantem video. Item ostensum est 46°. primi, quod illud quod petitur à Domino, sit ab eo, sed homo rectè petit à Deo, vt ipsemet homo velit, eligat, & faciat semper bonum, nolit semper & fugiat omne malum, dicens cum Psalmista, Inclina D cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam, Psalmo 118. & iterum, Domine deduc me in iustitia tua, propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam, Psalmo 5. & Hesteræ 14. Da, inquit, mihi fiduciam Rex Deorum, & vniuersæ Domine potestatis, tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu Leonis, & transfer cor illius in odium hostis nostri, vt ipse pereat, & cæteri, qui ei consentiunt, cum multis similibus creberrimè in Scriptura; oratque sancta Dei Ecclesia consequenter; Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, &c. & iterum, Fac nos amare quod præcipis. Orat etiam pro inimicis, vt Deus voluntates eorum malas conuertat in bonas; & Sacerdos in Missa Corpus Dominicum percepturus, Fac, inquit, me tuis semper obedire mandatis, &c. cum similibus suis multis. Item quicquid Deus promittit, facit; sicut docebatur in 46°. primi, sed Deus promisit hominibus voluntates & multa opera sua futura, vt idem capitulum allegauit, & patet Ismaele, Isaac, Samsone, Salomone, Ieremia, Iohanne Baptista, & Domino Iesu Christo, & alijs E multis valde; Vnde & Ezech 36. Auferam, inquit Dominus, cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini. Hæc autem duo motiua adducit Augustinus ad hanc vnam conclusionem de Gratia & libero arbitrio 31. Item illud pro quo gratiæ aguntur Deo, fit ab eo vt ostensum est 31°. primi. Sed quis tam ingratus vt pro nullo actu voluntatis suæ, aut alterius agat gratias Domino Deo suo? Dicitur etiam 1. Esdr.

Esdras. 7. Benedictus Dominus Deus, qui dedit hoc in corde Regis, vt glorificaret domum Domini; Deus ergo omnes omnium efficit voluntates. Ad hanc etiam conclusionem, & specialiter de malis actibus voluntatis faciunt multæ rationes & Autoritates adductæ 26. 31. 33. & 34°. primi.

A mi. Hanc eandem quæſtionem vtriuſque ſeries teſtamenti, & multiplex ſanctorum Autoritas clarè probat, & hoc vniuerſaliter de quacunque volutione bona vel mala; vnde Eſa. 26. Domine dabis pacem nobis; omnia enim opera noſtra operatus es in nobis. Et infra 45. Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum; ego Dominus faciens omnia hæc; quod & teſtatur planiſsimè textus & Gloſſa Eſaiæ. 10. ſuperius allegati. Item Ier. 10. Scio Domine, quod non eſt hominis via eius, nec viri eſt vt ambulet & dirigat greſſus ſuos: vbi Gloſſa, Erubeſcant, qui aiunt vnumquemque ſuo regi arbitrio: Non eſt enim hominis via eius, &c. Vnde Dauid, A Domino greſſus hominis dirigetur; Et *David.* Parabolarum 20. A Domino diriguntur greſſus viri: Gloſſa, Non à libertate arbitrij. Hinc *Parabola.* enim Eſaias dicit; Omnia enim opera noſtra operatus es nobis: & ſequitur conſequenter, *Eſaias.* Quis autem hominum poteſt intelligere viam ſuam? Super quod Gloſſa, verè quod fecit, à Deo habet, quia qualis futurus ſit, vel quamdiu victurus per ſe neſcit, ſed in Deo eſt. Et ſu-
B pra 16. Placuerint Domino viȩ eius hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem. Et infra 21. Sicut diuiſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud. Et Pſalmo 104. Conuertit cor eorum vt odirent populum eius, & dolum facerent in ſeruos eius. Item Exod. 3. legitur, Dabo, inquit Dominus, gratiam populo huic coram *Exodus.* Aegyptijs: & infra 4. Ego indurabo cor eius, ſcilicet Pharaonis: & inferius 9°. Indurauitque Dominus cor Pharaonis, & non audiuit eos, ſicut loquutus eſt Dominus ad Moſen: & iterum, Idcirco autem poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra; & 14. Ego indurabo cor Aegyptiorum, vt perſequantur vos & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius. Hanc autem eandem concluſionem probat Apo- *Apoſtolus.* ſtolus per hanc eandem Scripturam ad Rom. 9. Non volentis, inquit, nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei: Dicit enim Scriptura Pharaoni, Quia in hoc ipſum excitaui te, vt oſtendã in te virtutem meam, &c. Item Ioſue 11. Non fuit ciuitas quæ ſe non traderet filijs Iſrael præter E-
C neum qui habitabat in Gabaon, omnes bellando cæpit, ſcilicet Ioſue; Domini enim ſententia fuerat, vt indurarentur corda eorũ & pugnarent contra Iſrael, & caderent, & non mererentur vllam clementiam, ac perirent, ſicut præceperat Dominus Moſi. Et 1. Eſdr. 6. Dominus conuerterat cor Regis Aſſur ad eos, vt manus eorum adiuuaret in opere domus Dei: & 7. Benedictus Dominus qui dedit hoc in corde Regis, vt glorificaret domũ Domini. Et Nehem. 7. Deus autem dedit in corde meo, & congregaui optimates. Item 1. Reg. 10. Saul abijt in domũ ſuam, *Regum.* & abijt cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda; ſed quomodo corda eorum tetigerat? niſi quia eis inſpirauit voluntatem. Et 2. Parab. 21. Ecce, inquit, Eſaias ad Ioram, Domi- *Parabola.* nus percutiet te plaga magna cum populo tuo, & filijs & vxoribus tuis, vniuerſaque ſubſtantia tua; & ſequitur, Suſcitauit ergo Dominus contra Ioram ſpiritum Philiſtinorum & Arabum, & aſcenderunt in terram Iuda, & vaſtauerunt eam, diripueruntque cunctam ſubſtantiam, quæ inuenta eſt in domo Regis, &c. Item Heſter. 14. Heſter orauit Dominũ iſto modo; Transfer cor *Heſter.*
D illius, ſcilicet Aſſueri, in odium hoſtis noſtri, vt ipſe pereat: Et infra 15. Cumq; eleuaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, Regina corruit, &c. conuertitq; Deus ſpiritũ Regis in manſuetudinem, & feſtinus ac metuens exiluit de ſolio, &c. Item Ioh. 1. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil: Et infra 3. Non poteſt homo accipere quicquã, niſi fuerit ei datum de cœlo, & Pater, qui miſit me, traxerit eum: Et 6. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum; & infra, Nemo poteſt venire ad me niſi fuerit ei datũ à Patre meo: & inferius 15. Sine me nihil poteſtis facere; Et ad Philipp. 2. Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate; & ad Rom. 1. Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt: Et 1. ad Cor. 3. Neq; qui plantat, eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui incrementũ dat Deus. Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis: & infra 4. Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Et inferius 12. Diuiſiones operationum ſunt; idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus;
E cum multis ſuis ſimilibus, tam in teſtamento veteri, quàm in nouo. B. etiam Aug. per Autoritates præmiſſas, & alias in varijs libris ſuis, ſed ſpecialiter in his quos contra Pelagianos conſcripſit, hanc eandem concluſionem feruenti ſpiritu elaboratiſsimè demonſtrauit: Vnde de Gratia & libero arbitrio 35. ſic ait; Certum eſt nos ſeruare mandata ſi volumus, ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt, vt tantum velimus, quantum ſufficit *Auguſtinus.* vt volendo faciamus; certum eſt nos velle cum volumus, ſed ille facit vt velimus bonum: de quo dictum eſt, quod paulò ante poſui, quod voluntas præparatur à Domino: de quo dictum eſt, A Domino greſſus hominis dirigetur, & viam eius volet; de quo dictum eſt, Deus eſt qui operatur in nobis velle: Certum eſt nos facere cùm facimus, ſed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficaciſsimas voluntati, qui dixit, Faciam vt in iuſtificationibus meis ambu-

Augustinus. ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis. Idem infra eodem 43. Scriptura diuina si diligentèr inspiciatur, ostendit non solas illas bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, & à se factas bonas in actus bonos, & in æternam dirigit vitam; verumetiam illas, quæ conseruant sæculi creaturas, ita esse in Dei potestate, vt eas quò voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdam præstanda, vel ad pœnas quibusdam ingerendas, sicut ipse iudicat occultissimo quidem iudicio, sed sine dubitatione iustissimo. Nam inuenimus aliqua peccata etiam pœnas esse aliorum peccatorum, sicut sunt vasa iræ quæ perfecta dicit Apostolus in perditionem, sicut est induratio Pharaonis, cuius & causa dicitur, ad ostendendam in illo virtutem Dei, sicut est fuga Israelitarum à facie hostium de ciuitate Hay. In animo enim factus est timor, vt fugerent, & hoc factum est, vt vindicaretur peccatum eo modo quo fuerat vindicandum. Vnde dicit Dominus ad Iesum naue; Non poterunt filij Israel subsistere à facie inimicorum suorum. Quid est, non poterunt subsistere? quare non subsistebant per liberum arbitrium, sed per timorem turbati voluntate fugiebant, nisi quia Dominus dominatur & voluntatibus hominum, & quos in formidinem conuertit iratus? Et idem ostendit per illud Iosue 11. quod superius allegaui. Idem cap. 44. Nunquid non sua voluntate homo improbus filius Iemini, scilicet Semei, de quo 2. Reg. 16. maledicebat Regi Dauidi? & tamen quid ait Dauid plenus vera, alta, & pia scientia? quid ait illi qui maledicentem percutere voluit? Quid mihi, inquit, & vobis filij Zaruiæ? Dimitte eum vt maledicat, quia Dominus dixit illi maledicere Dauidi; sinite illum vt maledicat, quoniam dixit illi Deus, vt videat Deus humilitatem meam, & retribuat mihi bona pro maledictione eius in die isto. Quomodo dixit Dominus huic homini maledicere Dauidi? Quis * sapiens, & intelliget: Non enin iubendo dixit, vbi obedientia laudaretur, sed quod Deus eius voluntatem propriam vitio suo malam in hoc peccatum iudicio suo iusto & occulto inclinauit: ideo dictum est, Dixit ei Dominus. Nam si iubenti obtemperasset Deo, laudandus potius quam puniendus esset, sicut ex hoc peccato postea esse punitum nouimus. Nec causa tacita est cur ei Dominus isto modo dixerit maledicere Dauidi, hoc est cor eius malum miserit, vel demiserit; vt videat, inquit, Dominus humilitatem meam, & retribuat mihi bona pro maledictione eius in die isto. Et sequitur capit. 45. Ecce quomodo probatur Deum vti cordibus etiam malorum, ad laudem atque adjumentum bonorum: Sic vsus est Iuda tradente Christum; sic vsus est Iudæis crucifigentibus Christum: et quanta inde bona præstitit populis credituris? qui et ipso Diabolo vtitur pessimo, sed optimè ad exercendam & probandam fidem & pietatem bonorum, non sibi, qui omnia scit antequam fiant, sed nobis, quibus erat necessarium, vt eo modo ageretur nobiscum. Nunquid non sua voluntate Absolon elegit consilium quod sibi oberat? & tamen ideo fecit, quia exaudierat Dominus eius patrem orantem vt hoc fieret; propter quod Scriptura ait, Et Dominus mandauit dissipare consilium Achitophelis bonum, vt inducat super Absolon omnia mala: Bonum consilium dixerat, quod ad tempus proderat causæ, quia pro ipso erat contra patrem eius, contra quem rebellauerat, vt eum posset opprimere, nisi Dominus consilium dissipasset, quod dederat Achitophel, agendo in corde Absolon, vt tale repudiaret consilium, & aliud quod ei expediebat, eligeret. Et sequitur cap. 46. Quis non ista diuina iudicia contremiscat, quibus agit Deus in cordibus etiam malorum hominum quicquid vult, reddens tamen eis secundum merita eorum? Roboam filius Solomonis repulit consilium salubre seniorum, & verbis coæuorum suorum potius acquieuit: vnde hoc nisi propria voluntate? sed hinc ab eo recesserunt decem tribus Israel, & alium Regem sibi constituerunt Ieroboam, vt irati Dei voluntas fieret, quod etiam futurum esse prædixerat. Quid enim Scriptura dicit? Et non audiuit Rex plebem, quoniam erat conuersio à Domino, vt statueret verbum suum quod loquutus est in manu Achiæ Shilonitæ de Ieroboam filio Nabat: Nempe sic factum est, & illud per hominis voluntatem, vt tamen conuersio esset à Domino. Legite libros Paral. & inuenietis in secundo libro scriptum, Et suscitauit Dominus spiritum super Ioram, spiritum Philistinorum & Arabum, qui finitimi erant Aethiopibus, & ascenderunt in terram Iuda, & dissiparunt eam, & cæperunt omnem substantiam quæ in domo Regis inuenta est. Hic ostenditur Deum suscitare hostes eis terris vastandis, quas tali pœna iudicat dignas. Nunquid tamen Philistæi, & Arabes in terram Iudæam dissipandam sine sua venerunt, aut sic venerunt sua voluntate, vt mendaciter scriptum sit, quod Dominus ad hoc faciendum eorum spiritum suscitauit? Imo vtrumque verum est, quia & sua voluntate venerunt, & tamen spiritum eorum Dominus suscitauit: quod etiam sic dici potest, & eorum spiritum Dominus suscitauit, & tamen cum sua voluntate venerunt. Agit enim omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat quod ipse agere voluerit. Et capit. 47. Quid est, quod

Margin notes: *Augustinus.* (A) — *Augustinus.* (B) — *Enim. — *Augustinus.* (C) — *Augustinus.* (D) — *Augustinus.*

A quod homo Dei dixit ad Amasiam Regem, non veniat tecum exercitus Israel? non enim est Dominus cum Israel, quoniam putaueris obtinere te in illis, in fugam conuertet Deus ante inimicos. Quomodo est virtus Deo vel adjuuare, vel in fugam vertere? quomodo virtus Dei alios juuat in bello, dando eis fiduciam, alios immisso timore vertit in fugam, nisi quæ in cœlo & in terra omnia quæcunque voluit, fecit, etiam in cordibus hominum? Legimus quid dixerit Ioas Rex Israel, mittens nuntium ad Amasiam Regem volentem pugnare cum illo; Nam post aliqua dixit, Nunc sede in domo tua; quid prouocas in malum? & cades tu & Iuda tecum. Deinde Scriptura subjunxit, Et non audiuit Amasias, quoniam a Deo erat vt traderetur in malum, quoniam quæsierunt Deos Edom. Ecce Deus idolatriæ peccatum volens vindicare, hoc operabatur in ejus corde, cui vtique justè irascebatur, vt admonitionem salubrem non audiret, sed ea contempta iret in bellum, vbi cum suo exercitu caderet. Idem ostendit per seductionem Prophetæ à Domino, de quo Ezech. 14. & per Assuerum, de quo
B Hesteræ 15. sicut superius allegaui, & infra 48 sic ait, Scriptum est & in Prouerbijs Salomonis, Sicut impetus aquę, sic cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, declinabit illud. Et in Psalmo 104. legitur dictum de Aegyptijs, quid eis fecerit Deus; Et conuertit cor eorum, vt odissent populum eius, vt dolum facerent in seruos eius. In literis etiam Apostolicis videte quæ scripta sunt. In Epistola Pauli Apostoli ad Romanos, Propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum & in immunditiam. Item paulo post, sicut non probauerunt Domini habere notitiam, tradidit illos Deus in reprobam mentem, vt faciant quę non conueniunt. Et ad Thessalon. in Epist. 2. ait de quibusdam, pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt vt salui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio, & iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt falsitati: Et concludendo conclusionem principalem totius processus, sic ait; His & talibus testimonijs diuinorum eloquiorum satis, quantum existimo, manifestatur operari Deum in
C cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum, aliquando aperto, aliquando occulto judicio, semper autem justo. Idem de correptione & gratia multis capitulis hanc eandem conclusionem ostendit, sicut allegauit pro parte 10^um^ hujus secundi. Vnde & cap. 49. dicit de ipsa boni perseuerantia, Noluit Deus sanctos in viribus suis, sed in ipso gloriari, qui eis non solum dat adjutorium, quale primo homini dedit, sine quo non posint perseuerare si voluit, sed operatur & velle, vt quoniam non perseuerabunt nisi & posint & velint, perseuerandi eis & posibilitas, & voluntas diuinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippe spiritu sancto accenditur voluntas eorum, vt ideo posint, quia volunt, ideo sic velint, quia Deus operatur vt velint. Et infra ejusdem 70. dicit ita; Non est dubitandum, voluntati Dei, qui in cœlo & in terra omnia quæcunque voluit, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod vult; quoniam quidem de ipsis hominum voluntatibus quod vult, facit: Nisi fortè, vt ex multis aliqua commemorem, quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro, siue non subdere, quod vtique in eorum erat positum voluntate, vt etiam Deo valerent resistere; qui tamen hoc non fecit per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium quo placet inclinandorum omnipotentisimam potestatem. Sic enim scriptum est, Et dimisit Samuel populum, & abijt vnusquisque in locum suum, & abijt Saul in domum suam in Gabaa, & abierunt potentes, quorum tetigit Deus corda, cum Saule; & filij pestilentes dixerunt, || *Num* saluabit nos hic? & inhonorauerunt eum, & non obtulerunt ei munera. Nunquid aliquis dicturus est, non fuisse cum Saul quenquam eorum, quorum tetigit Deus corda vt irent cum illo, aut isse aliquem pestilentium, quorum vt hoc facerent, corda non tetigit? Item de Dauide, quem Dominus in regnum successu prosperiore constituit, ita legitur; Et ambulabat Dauid proficiens, & magnificabatur, & Dominus erat cum illo. Et cum hoc

Augustinus. *Augustinus* D ||Vnde

E præmissum fuisset, paulo post dictum est; ||*Spiritus vero Domini induit Amasai principem inter triginta*, & dixit, Tui sumus Dauid, & tecum futuri, fili Iesse; Pax tibi, & pax adjutoribus tuis, quia auxiliatus est tibi Deus; Nunquid posset ipse aduersari voluntati Dei, & non potius eius facere voluntatē qui in eius corde operatus est per spiritū suum quo indutus est, vt hoc vellet, diceret, & faceret? Item paulo post ait eadē Scriptura; Omnis hi viri bellatores ducentes aciem, corde pacifico venerunt in Hebron, vt constituerent Dauid super omnem Israel: sua voluntate vtiq; constituerunt regem Dauid, quis non videat? quis hoc neget? Non enim non ex animo, aut non ex bona voluntate corde fecerunt pacifico, & tamen in eis egit, qui in cordibus hominū quod voluerit, operatur; Propter quod pręmisit scriptura, Et ambulauit Dauid proficiens, & magnificabatur, & Dominus omnipotens erat cū illo, ac per hoc Dominus omnipotens

|| Et Spiritus induit Semei principem 30.

nipotens qui erat cū illo, adduxit istos vt eū regē cōstituerent: & quomodo adduxit? Nunquid corporalibus vinculis alligauit? Intus egit, corda tenuit, corda mouit, eosq; voluntatibus eorū quas ipse in illis operatus est, traxit. Et sequitur cap. proximo; Si ergo cū voluerit reges in terra constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas, quis alius facit vt salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correctio, vt cælesti constituatur in regno? Quid clarius, quid apertius posset dici? Ecce hic Augustinum velle expressè, quod nullus propria voluntate potuit iuisse cum Saule, nisi vt hoc faceret, Deus tetigisset cor eius; ergo eadem ratione nullus potest se vertere huc vel illuc, imò nec velle quicquam omninò, nisi ad hoc ipsum Deus tangat cor eius, & efficiat ipsum velle. Vnde & 4. contra Iulianum 16. Quid, inquit, iam vtuntur voluntatis arbitrio? nisi eo volente atque subueniente, à quo præparatur voluntas, velle non possunt. Idem de prædestinatione Sanctorum 28. Agit quippe Deus quod vult in cordibus hominum, vel adiuuando, vel iudicando, vt per eos etiam impleatur quod manus eius & consilium prędestinauit fieri: Frustra itaque etiam illud quod Regum & Paralip. Scriptura teste probauimus, cùm Deus vult fieri, quod non nisi volentibus hominibus oportet fieri, inclinari corda eorum vt hoc velint, eo scilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo & ineffabili operatur & velle, ad causam de qua disserimus, non pertinere dixerunt. Idem de bono perseuerantiæ 37. Deus est qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate: Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle: Nos operamur, sed Deus in nobis operatur etiam operari pro bona voluntate: Hoc nobis expedit & credere, & dicere, hoc est pium, hoc est verum, vt sit humilis & submissa confessio, & detur totum Deo. Hoc idem ostendit B. Prosp. contra Cassian. multis capitulis, vt patet aliqualiter ex superius allegatis: Vnde & 8. c. recitat ab Epis. Afris Papæ Zozimo rescribentibus in hunc modum; Præparatur voluntas à Domino, & vt boni agant aliquid, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum: Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt; vt nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quoq; voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium. Idem in suis sententijs capit. 312. prænotato, Nil posse hominem sine Deo, recitat Aug. dicentem; Multa Deus facit in homine bona quæ nō facit homo; nulla verò facit homo, quæ non Deus facit vt faciat homo. Item Bernardus de Gratia & libero arbitrio 23. Quid, inquit, nostra verba aliud sonant, quàm illud quod, neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei? quod sane non ideo dicit Apost. quasi quis velle aut currere non possit in vanum, sed quod is qui vult & currit, non in se, sed in eo à quo accepit & velle & currere debeat gloriari: Denique ait, Quid habes quod non accepisti? & idem ostendit capit. 18. 22. & alijs. Item Doctor & Martyr gloriosissimus Cyprianus, epistola 13. ad Quirinum intitulata, De disciplina Christianę religionis capit. 4. tantum hanc vnam conclusionem ostendit; In nullo nobis gloriandum, quando nostrum nihil sit: Et hoc per illud Ioh. 3. Nemo potest quicquam accipere, nisi datum illi fuerit de Cœlo: Et per illud Apostoli 1. ad Cor. 4. Quid habes, quod non accepisti? Si ergo accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? & per multa alia loca Scripturæ. Item venerabilis Anselmus de casu Diaboli 1. & consequenter ostendit, quod illud dictum Apostoli dicitur tam Angelis quàm hominibus, & cuilibet creaturæ; & quòd nulla creatura potest ex se sola quicquam habere, nec velle, nec peruelle. Vnde & capit. 7°. opponenti discipulo per hunc modum; In nostra natura quæri potest, quoniam credimus nullum hominem posse habere bonam voluntatem, nisi dante Deo, malam verò semper habere posse, sola permissione Dei, Cur Deus fecerit eam talē c. 8. Primo materialiter sic respondet, nec voluntatem, nec conuersionem voluntatis puto negari posse aliquid esse; Nametsi nō sunt substantiæ, non tamen probari potest eas non esse essentias, quoniam multæ sunt essentiæ præter illam quæ propriè dicitur substātia. Deniq; bona voluntas non magis est aliquid quàm voluntas mala: Nec enim magis est aliquid voluntas, quæ vult dare misericorditer, quam illa quæ vult rapere violenter; & consequenter ostendit hanc conclusionē, quam concludendo in fine sic ait; Nec igitur voluntas mala, nec praua voluntatis conuersio est ipsum malū quo Angelus vel homo fit malus, quod nihil esse dicimus; nec bona voluntas, aut bona voluntatis cōuersio est ipsum bonum quo boni fiunt; Et per multa capitula consequenter ostēdit, quod malum siue malitia pura non sit res aliqua positiua, sed pura priuatio; Et ca. 20. vt formaliter magis respondeat, ostendit quod omnis actus voluntatis tripliciter sit à Deo. Vno modo, quia Deus, non, cū posset, prohibet, sed permittit: Alio modo, quod potestas volendi, scilicet ipsa voluntas, quæ est potentia voluntaria, est à Deo: Tertio modo, quod ipsemet Deus vere per se coefficit omnem actum etiam malum secundum suam essentiā, quia sic bonus est; non autem secundū suā malitiam, sed sic tantum fit à voluntate iniusta. Vnde sic dicit, Quid mirum, si quemadmodum Deus dicitur inducere in tentationem, quando non liberet ab ea, ita fateamur

Margin: A; *Augustinus*; B; *Prosper.*; C; *Bernardus.*; *Cyprianus.*; D; *Anselmus.*; E

cum

A eum dare malam voluntatem non prohibendo eam cum potest, præsertim cum potestas volendi quidlibet non nisi ab illo sit? Ecce pro primo, & secundo,& addit pro tertio; cum Diabolus conuertit voluntatem suam ad quod non debuit, & ipsum velle, & ipsa conuersio fuit aliquid; & tamen non nisi à Deo, & de Deo aliquid habuit; nec velle aliquid nec mouere potuit voluntatem, nisi illo permittente, qui facit omnes naturas substantiales & accidentales, vniuersales & indiuiduas: In quantum enim voluntas & conuersio siue motus voluntatis est aliquid, bonum est, & Dei est; in quantum vero justitia caret, sine qua esse non debet, non simpliciter malum,sed aliquid malum est, & quod malum est non Dei est,sed voluntatis, siue mouentis voluntatem. Simplex quippe malum est iniustitia, quoniam non est aliud quam malum, quod nihil est; aliud verò malum est natura in qua est iniustitia, quoniam est aliquid, & aliud quam iniustitia, quæ malum est, & nihil est. Quare quod aliquid est,à Deo
B fit, & Dei est; quod vero nihil est, id est, malum ab iniusto fit, & ejus est. Contra quæ statim opponit Discipulus in hæc verba; Quod quidem Deus rerum naturas omnium faciat,fatendum est; quod vero singulas actiones peruersarum voluntatum, vt ipsum prauum motum voluntatis, quo ipsa mala voluntas se mouet, faciat, quid condecet? Et respondet, Nihil mirum, si dicimus Deum facere singulas actiones quæ fiunt mala voluntate, cum dicamus eum facere singulas substantias quæ fiunt || *iniusta* voluntate & inhonesta operatione. Et ||mala.
sequitur sub nomine Discipuli consequenter, Non habeo quid contradicam.; quippe nec negare possum verè aliquid esse quamlibet actionem, nec fateri volo non fieri à Deo quod verè aliquam essentiam habet: nec ista tua ratio in vllo accusat Deum aut excusat Diabolum, sed omnino Deum excusat, & Diabolum accusat. Idem de Concor. 6. quæsito vtrum præ- *Anselmus.*
scientia siue scientia Dei sit à rebus, aut è contra, & destructa prima parte, & per consequens constructa secunda, objectoq; contra hanc sententiam hoc modo; Si vero quæcunque sunt, à scientia Dei sumunt essentiam, Deus est factor & autor malorum operum; ergo non juste
C punit malos. Respondet in hęc verba; Hoc autem facilè solui potest, si prius cognoscatur bonum, quod est iustitia verè aliquid esse; malum vero quod est iniustitia omni carere existentia: Non est enim iniustitia qualitas, aut actio, aut alia essentia, sed tantùm absentia debitæ iustitiæ; omnis quippe qualitas, & omnis actio, & quicquid habet aliquam essentiam, à Deo est,à quo est omnis iustitia, & nulla iniustitia; facit ergo Deus omnia, quæ iusta, siue iniusta voluntate fiunt, id est bona opera & mala. In bonis quidē facit quod sunt, & quod bona sunt; in malis verò quod sunt, sed non quod mala sunt: Nam omni rei esse iustam & bonam, est aliquid esse; nulli verò rei est esse aliquid, iniustam vel malam esse. Et infra eodem ostendit, quod Deus dupliciter efficit omnem volitionem, actionem & motum; primò, quia Deus efficit omnem rem actiuam & passiuam & omnem earum potentiam; secundò, quia vera efficienter mouet & agit; vnde sic dicit, Sicut Deus non facit iniustitiam, ita non facit aliquid iniustum esse, qui tamen facit omnes actiones, & omnes motus, quia ipse facit res à quibus,
D & ex quibus, & per quas, & in quibus fiunt, & nulla res habet potestatē volendi aut faciendi, nisi illo dante. Ecce pro 1. & sequitur pro 2. Ipsum quoq; velle, quod aliquando iustū est, aliquando iniustū, nec est aliud quàm vti voluntate & potestate volendi, quas dat Deus in quantū est bonū,& est à Deo, quod tunc quidē quando est rectè, bonū & iustū est; quando verò non rectè, hoc solo quod non rectè est, malum est & iniustum. Est autem aliquid rectè esse,& hoc est à Deo: non esse verò rectè, non est aliquid, nec est à Deo. Sic itaque facit Deus in omnib voluntatibus & operibus || *bonis*, & quod essentialiter sunt, & quod bona sunt: in malis verò ||hominis.
non quod mala sunt, sed tantum quod per essentiam sunt. Et 8. capit. dicit idem, vbi ponit *Anselmus.*
modum alium faciendi, quo Deus dicitur facere mala, quia scilicet permittit, sicut dicitur hominem indurare cum non emollit, ac inducere in temptationem cum non liberat. Idem de *Anselmus.*
conceptu virginali 4. dantur, inquit, quibusdam actionibus nomina, quibus significatur eas iniustè fieri, vt fornicatio & mendacium; sed aliud intelligitur cum ipsa actio vel || *proloquutio,* || prolatio.
E aliud cum vtrumque, iustè aut iniustè fiat, consideretur. Denique omnis essentia est à Deo, à quo nihil est iniustum: & alijs locis multis sæpissimè vult hoc idem. Item Williamus Altissi- *Altissiodo-*
odorensis Episcopus super 2. sentent. quærit, Vtrum mala actio sit à Deo operante & coo- *rensis.*
perante; & tenet quod sit, quod probat autoritate & similiter ratione. Primò autoritate Esaiæ superius allegata, Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea?&c. Vnde concludit quod destructionis Iudæorum factæ per Senacherib fuit Deus actor principalis, & Senacherib instrumentalis, vt securis vel virga. Secundò probat idem duplici ratione: pima est, quia passio Christi fuit bona, ergo processit à causa bona; ergò à bona voluntate Dei, & non tantum à mala voluntate Iudæorum: secunda est, Aliquis fornicando generat sanctum Prophetam; tunc hæc actio est causa boni, ergo ipsa est bona; & est mala, ergo actio mala in

 quantum

quantum actio est, bona est, & a Deo est: & subiungit, quod concedimus dicentes, quod Deus est causa efficiens, formalis, & finalis malæ actionis, sed non materialis: efficiens eius causa est, quia est eius principalis Actor. Sanctus quoque Thomas in quæstionibus suis de malo, quæstione 19. quærit, vtrum actio peccati sit a Deo, & respondendo sic ait, Dicendum quod apud Antiquos circa hoc erat duplex opinio: Quidā enim dixerunt antiquitus peccati actionē non esse à Deo, attendentes ad ipsam peccati deformitatē, quæ à Deo non est; Quidam vero dixerunt actionē peccati esse à Deo, attendētes ad ipsam essentiā actus, quam oportet ponere à Deo esse, duplici ratione: Primò quidē ratione cōmuni, quia cum ipse Deus sit ens per suam essentiam, quia sua essentia est suum esse, oportet quod omne quod quocunque modo est, deriuetur ab ipso; Nihil enim aliud est quod sit suum esse, sed omnia dicuntur entia per quandam participationem; omne autem quod per participationem dicitur tale, deriuatur ab eo quod est per essentiam tale, sicut omnia ignita deriuantur ab eo quod est per essentiam ignis. Manifestum est autem quod actio peccati est quoddam ens, & in prædicamento entis positum; vnde necesse est dicere, quod sit à Deo. Secundò autem idem patet ratione speciali: Necesse est enim omnes motus secundarum causarum causari à primo mouente: Deus autem est primum mouens respectu omnium motuum & spiritualium & corporalium; vnde cum actus peccati sit quidam motus liberi arbitrij, necesse est dicere quod actus peccati, in quantum est actus, sit à Deo. Hoc idem & plane testatur Iohannes Scotus super 1. sentent. dist. 41. sicut 18° primi plenius recitatur. Ex præmissis, vt arbitror, satis claret, quod ad hoc quod voluntas creata efficiat suum actum quemcunque bonum vel malum, diuina coefficientia est necessario requisita.

(Margin: *Thomas.* — A — B)

COROLLARIVM.

Corollarium quod quicquid effecerit voluntas creata, necesse est vt & illud coefficiat increata; & quicquid operata fuerit voluntas Angelica, vel humana, necesse est vt & illud cooperetur diuina; & quod omnem actum voluntatis creatæ totum efficit voluntas creata, & totum similiter increata. C

VNde & elicitur facilè hoc porisma, Quicquid || *effecerit* voluntas creata, necesse est vt & illud coefficiat increata; & quicquid operata fuerit voluntas Angelica vel humana, necesse est vt & illud cooperetur diuina; & quod omnem actum voluntatis creatæ totum efficit voluntas creata, & totum similiter increata. Istud corollarium probat clarissime nonum primi: potest quoque ex præmissis demonstrari facillimè, sicut & illud nonum fuerat demonstratum. Nam si Deus necessario requiratur ad coefficiendum & cooperandum omnem actum voluntatis creatæ, & Deus nihil efficit aut operatur ad extra, imò nec hoc potest purè naturaliter aut ex sola cognitione, voluntas eius increata & efficax est necessario requisita. Quare & Propheta sic ait, Inclina cor meum Deus in testimonia tua. Psalmo 108. & infra eodem, Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas. Vnde & Augustinus de perfectione iustitiæ 21. dicit. Orat homo vt præcepta Dei faciat, quæ vt fierent, nec iuberetur, si nihil ibi nostra voluntas ageret, nec Deus oraretur, si sola sufficeret. Idem de correptione & gratia 7. Non se fallant, qui dicunt vt quid nobis prædicatur, atque præcipitur vt declinemus à malo, & faciamus bonum, si hoc nos non agimus, sed id velle & operari Deus operatur in nobis, sed potius intelligant, si filij Dei sunt, spiritu Dei se agi, vt quod agendum est agant, & cùm congruit, illi à quo aguntur gratias agant: Aguntur enim vt agant, non vt ipsi nihil agant. Qui & in sententijs Prosperi 310. recitatur hoc modo; Plus est proculdubio agi quàm regi: Qui enim regitur, aliquid agit, & ideo regitur vt rectè agat; qui autem agitur, agere ipse aliquid vix intelligitur. Et tantum præstat voluntatibus nostris gratia Saluatoris, vt non dubitet Apostolus dicere, Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt: Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quam vt illi se commendet qui male agere non potest. Quare & Bernardus de Gratia & libero arbitrio 23. loquens de Gratia, scribit ita; Ipsa liberum excitat arbitrium; cum seminat cogitatum, sanat; cum immutat affectum, roborat, vt producat ad actum; seruat, ne sentiat defectum: sic autem ista cum libero arbitrio operatur, vt tantum in primo illud preueniat; in cæteris comitetur. Ad hoc vtique præuenit, vt iam sibi deinceps cooperetur; ita tamen quod à sola gratia cæptum est, pariter ab vtroque perficitur, vt mixtim, non sigillatim, simul non vicissim per singulos effectus operetur, non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere indiuiduo peragunt: totum quidem hoc, & totum illa, sed vt totum in illa, sic totum ex illa.

(Margin: || efficit. — *Propheta.* — D — *Augustinus.* — *Augustinus.* — *Prosper.* — E)

A

CAP. XXI.

Recitat ſex falſas reſponſiones; quarum Prima dicit, quod ideò ſolum Deus dicitur facere omnem actum voluntatis creatæ, quia facit omnem voluntatem creatam, quæ ſola verè & proprie efficit ſuum actum. Secunda, quòd Deus ideo dicitur facere actum bonum voluntatis creatæ, quia facit charitatem ſeu gratiam effectricem illius. B *Tertia, quòd Deus conſeruat voluntatem. Quarta, quòd Deus facit obiectum & omnia mouentia voluntatem. Quinta, quòd permittit. Sexta, quòd Deus efficit propriè omnem actum bonum voluntatis, ſed penitus nullum malum, & corrigit ipſas generaliter & coniunctim.*

MVlti autem huic tam firmæ veritati & tam validis eius teſtimonijs non audentes nec valentes omnino reſiſtere, ipſam ſaltem fumoſis quibuſdam reſponſionibus conantur multipliciter obumbrare, dicentes Deum non verè & propriè efficere actum voluntatis creatæ, ſed ſolummodo tranſumptiuè. *Opiniones.* C Primi namque dicunt, quod Deus ideo dicitur omnem actum creatæ voluntatis efficere, quia fecit omnem voluntatem creatam, quæ ſola verè & propriè efficit ſuum actum. 1. Secundi ponunt conſequenter cum iſtis, quòd Deus propterea dicitur facere omnem bonum actum voluntatis creatæ, quia facit charitatem ſeu gratiam, à qua cum ſola voluntate creata efficitur bonus actus. 2. Tertij || *aſſerunt*, Deum idcirco tantum facere omnem actum voluntatis creatæ, quia conſeruat omnem voluntatem creatam, quæ ſola efficit propriè ſuum actum. 3. || ponunt. Quarti, quia facit quodlibet obiectum mouens voluntatem creatam, & cætera requiſita. 4. Quinti, quia permittit, cum poſſet liberè impedire. 5. Sexti vero fingunt quod Deus efficit propriè omnem bonum actum voluntatis creatæ, ſed penitus nullum malum. 6. Pro prima opinione poteſt adduci Philoſophus 8. Phyſ. 32. & 33. & 4 de Cœlo 25. vbi oſtendit quod generans ſeu faciens graue & leue mouet ea localiter, quia tribuit eis formas quibus ſic mouentur. Ad idem videntur facere autoritates Anſelmi de caſu Diaboli 20. D & de Concordia 6. ſuperius allegatæ. *Anſelmus.* Præterea cum Deus ſit omnipotens, poteſt creare naturam quæ per ſe ſufficiat ad mouendum, & ſimiliter ad agendum. Ponatur ergo quod faciat, & ceſſent omnes rationes ad contrariam partem factæ; ergo formaliter non concludunt: & huic rationi licet ſatis irrationali multi pertinaciter innituntur. Pro ſecunda faciunt eadem per locum à ſimili. Pro tertia, quia conſeruans eſt aliqua cauſa conſeruati, & quicquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati. Pro quarta, quia obiectum mouens voluntatem aliquo modo efficit eius actum, vt videtur ex 3. de Anima, capit. de mouente. Item Auguſtinus, ſuper illud Pſalmi 104. *Auguſtinus.* Conuertit cor eorum vt odirent populum eius, & dolum facerent in ſeruos eius, ſic quærit; Nunquid nam intelligendum vel credendum, quod Deus cor hominum ad facienda peccata conuertat? aut peccatum non eſt, vel paruum peccatum eſt odiſſe populum Dei, & dolum facere in ſeruos eius? Quis hoc dixerit? Nunquid ergo iſterum tam grauium E peccatorum Autor eſt Deus, qui nullius vel leuiſsimi peccati Autor credendus eſt? Quis ſapiens, & intelliget hæc? & pro reſponſione ſubiungit; Nam ipſa eſt illa mirabilis Dei bonitas, qua benè vtitur, etiam malis vel Angelis, vel hominibus. Cum enim ipſi [vitio] ſunt mali, ille de malo eorum bene facit: Non enim antequam odiſſent populum eius boni erant, ſed maligni & impij, tales erant qui facile incolis ſuis fœlicibus inuiderent. In eo ergo quod populum ſuum multiplicauit, hoc beneficio malos ad inuidendum conuertit: Inuidia enim eſt odium fœlicitatis alienæ. Sic ergo conuertit cor eorum, vt per inuidentiam odiſſent populum eius, & dolum facerent in ſeruos eius. Non itaque cor illorum malum faciendo, ſed populo ſuo benefaciendo cor illorum ſponte malum conuertit ad odium: Non enim rectum cor peruertit, ſed ſponte peruerſum ad odium populi, vt eo malo bene vteretur, conuertit, non illos

malos faciendo, sed istis bona quibus mali facillimè possent inuidere, largiendo, quo illorum odio & ad exercitationem populi sui, & ad gloriam, quæ nobis est vtilis nominis sui, quomodo sit vsus, consequentia docent, quæ in eius laude commemorantur. Pro quinta videtur illud Philosophi 8. Phys. & 4. de Cœlo, vbi prius quod remouens impedimentum aut prohibens mouet localiter elementa. Dicitque Augustinus Enchirid. 75. Non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo. Quare & Hugo de Sacramentis lib. 1. parte 4. cap. 2. & recitat Lumbardus 1. sentent. dist. 45. ostendit quod voluntas Dei, quinque vel sex modis accipitur in Scriptura, scilicet pro suo beneplacito, siue dispositione, pro eius præceptione, prohibitione, consilio, permissione, & operatione. Pro sexta videtur illud Gen. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Et idem videtur probare Autoritas Augustini pro tertia opinione superius allegata. Idem Hypognost. 29. Per se homo lapsum facere potuit, quia voluit, sed non sic per se, id est per propriam voluntatem resurgere valuit: satisque multæ aliæ Autoritates ipsius, & multorum aliorum testantur, hominem per se posse peccare & cadere, sed non mereri aut resurgere sine Deo. Vnde Hoseæ 13. Perditio tua ex te Israel, tantummodo ex me auxilium tuum. Has autem responsiones omnes & singulas redarguunt euidenter omnes rationes & Autoritates quamplurimæ capitulo proximo iam præmissæ, quæ nullo modo possunt admittere talem glossam. Item Autoritates Scripturæ & Doctorum accipiendæ sunt ad intellectum communem, vt docet 45. primi: sed multæ Autoritates Scripturæ & Doctorum capitulo proximo allegatæ prætendunt omnino quod Deus efficit propriè actum voluntatis creatæ. Corollaria quoque tertij ac quarti primi libri has omnes responsiunculas corrigunt aut corrumpunt. Item si Deus efficeret actum voluntatis creatæ non propriè, sed solummodo transumtiuè aliquo prædictorum modorum, cur tantum inaniter laborasset sanctus Dauid, Solomon, Ieremias, Esaias, Paulus & Christus, cæterique Autores veteris Testamenti & noui; beatus quoque Cyprianus, Augustinus, Gregorius, Prosper, Anselmus, Bernardus, Thomas & Iohannes, cæterique veteres & moderni tam studiosè probando quod Deus efficit & operatur in nobis & velle & operari, cum hoc nulli philosopho, siue catholico fuerit dubium aut ignotum? Suffecisset enim dixisse, quod Deus omnia creauit aut fecit, & quando quæcunque res agit, non impedit ipsam agere sed permittit. Item nullus Philosophus, vel Doctor catholicus, sed tantum Pelagius, vel Pelagianus exponit, glossat, aut intelligit præmissa philosophica, vel Theologica aliquo prædictorum modorum: quare quælibet talis responsio est suspecta. Vnde Pelagius postquam dixit, quod homo potest velle, & operari ex viribus liberi arbitrij per seipsum, sicut proximum huius pandit, opposuit sibi ipsi Autoritatem Apostolicam, & respondit, recitante Augustino 1. contra Pelagium & Cœlestium de gratia Christi, & de peccato originali 9. hoc modo: & quomodo, inquit, stabit illud Apostoli; Deus est enim qui operatur in nobis & velle & perficere? Deinde vt hanc oppositionem veluti solueret, quam videbat dogmati suo vehementer esse contrariam, || *secutus* adiunxit; Operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione succendit, dum reuelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis suadet omne quod bonum est. Multæ quoque responsiunculæ Pelagij similes recitantur 39. primi.

Philosophus. *Augustinus.* *Hugo.* *Lumbardus* *Gen.* *Augustinus.* *Hosea.* *Resp. generalis.* || consequenter.

A B C D

CAP. XXII.

Specialiter corrigit primam harum.

Responsio specialis ad primam. * *primi.*

ITem specialiter contra primos, Nulla res facta à Deo potest per se existere, nec aliam rem seruare in esse sine eo, vt secundum * præmonstrauit; quare nec agere aut producere aliam rem in esse, vt capitulum proximum arguebat. Item Corollaria tertij & quarti primi cum rationibus & Autoritatibus illa probantibus specialiter hos refellunt. Item tunc Deus non haberet scientiam præsentium nec etiam futurorum, nec omnia per eius prouidentiam regerentur, multaque contingerent à casu & à fortuna, nec esset aliqua via sumpta à motu efficax ad probandum primum Motorem communem: Posset enim causa secunda mouere, causa prima totaliter quiescente, cum multis impossibilibus alijs & absurdis sicut capitulum proximum plenius E

A nius manifestat. Item tunc posset homo ex se solo aperire pulsanti ianuam cordis sui, contra 38. primi. Item hoc est contra Autoritates Anselmi de casu Diaboli 20. & de Concor. 6. & 7. vbi ostendit quod Deus tripliciter efficit omnem actum voluntatis creatæ, sicut capitulum proximum allegauit. Adhuc autem & secundum similem rationem Deus diceretur & esset factor & Autor peccati, contra Doctores: vnde & Augustinus de spiritu & litera 29. sic ait; Vtique voluntate credimus de hac quæritur vnde sit nobis. Si naturâ; quare non omnibus, cum sit idem Deus omnium Creator? Si dono Dei, etiam hoc quare non omnibus, cum omnes homines velit saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire? Prius igitur illud dicamus, & videamus vtrum huic satisfaciat quæstioni, quod liberum arbitrium naturaliter attributum à Creatore animæ rationali, illa media vis est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest, & ideo nec istam voluntatem, qua credit Deo, dici potest habere quam non acceperit, quando quidem vocante Deo surgit de libero arbitrio, quod naturaliter cum B crearetur, accepit. Et cap. 31. Si autem respondetur cauendum esse, ne quisquam Deo tribuendum putet peccatum, quod admittitur per liberum arbitrium, si in eo quod dicitur, quid habes quod non accepisti? propterea etiam voluntas qua credimus, dono Dei tribuitur, quia de libero existit arbitrio, quod cum crearemur, accepimus: Attendat & videat, non ideò tantum istam voluntatem diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est quod nobis naturaliter concretum est, verumetiam quod visorum suasionibus agit Deus vt velimus, & vt credamus, siue extrinsecus per Angelicas exhortationes, siue intrinsecus, vbi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem, sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali vt ei credat (Neque enim credere potest quodlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio cui credat) profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos. Et ne fortè moueat quempiam quod dicit consentire vel dissentire esse propriç voluntatis, quasi tantum C sit voluntatis propriæ & non Dei; Caueat, quæso, quilibet, caueat; quia iste fuit error Pelagij, vt 37. & 38. capitulis primi patet: quem & Augustinus per totum librum de prædestinatione sanctorum nititur extirpare. Vnde & 4. cap. loquens de Autoritate Apostoli in de spiritu & litera superius memorata, scilicet, Quid habes quod non accepisti? sic ait; Quo præcipuo testimonio etiam ictus ipse conuictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona. Et accipit ibi fidem non pro habitu, sed pro actu; addit, Neque enim fidem putabam Dei gratia præueniri, nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis; vt autem prædicato nobis Euangelio consentiremus, nostrum esse proprium arbitrabar: Quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant, in quibus est illud quod commemorastis in libris vestris, vbi expositio est quarundam propositionum ex epistola ad Romanos. Denique cum mea cuncta opuscula retractarem, cuius operis iam duos libros ab- D solueram, cum ad hunc librum retractandum in primo volumine peruenissem, sic inde loquutus sum, & est 1. Retract. 23. Item quod disputans inquit, Quid elegerit in nondum nato, scilicet Iacobo? ad hoc perduxi ratiocinationem, vt dicerem, Non ergo elegit Deus opera cuiusquam in præscientia quę ipse daturus est, sed fidem, scilicet actum; Vnde subiungit, vt quem sibi crediturum esse præsciuit, ipsum eligeret, cui Spiritum Sanctum daret vt bona operando etiam vitam æternam consequeretur. Proinde quod continuò dixi, Dicit enim idem Apostolus, Idem Deus qui operatur omnia in omnibus; Nusquam dictum est, Deus qui credit omnia in omnibus. Ac deinde subiunxi, Quod enim credimus, nostrum est; quod autem bonum operamur illius est, qui credentibus dat Spiritum Sanctum. Profectò non dicerem, si iam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperirj, quæ dantur in eodem spiritu. Vtrumque ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis, & vtrumque tamen datum est per spiritum fidei & charitatis: Non enim sola charitas, sed sicut scriptum est, charitas cum fide E à Deo. Et quod paulò post dixi, Nostrum est credere & velle; ecce quod loquitur de actu fidei, Nostrum est, inquit, credere & velle, ipsius autem dare credentibus facultatem bene operandi per spiritum sanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus nostris. Verum est quidem, sed eadem regula & vtrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem, & vtrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis. Ecce quod Augustinus in his duobus locis retractat, quod dixit super epistolam ad Romanos, Credere & velle esse nostrum; & certum est ipsum nequaquam tam insani capitis tunc fuisse, quando scilicet post conuersionem suam exposuit illas propositiones epistolæ memoratæ, quod crederet, Credere & velle esse sic nostrum, vt anima rationalis, intellectus, & voluntas esset nostra, seu noster, & nobis ex nobis, ita quòd non à Deo, imò sicut tam series illius expositionis, quam retractationis perhibet, tunc

Augustinus.

Augustinus.

credebat intellectũ & voluntatẽ esse nobis à Deo creante, sed actus illorum esse nobis ex solis A
nobis illos agentibus, sine Deo vlterius coagẽte; & hoc est quod posterius retractauit. Est ergo posterior eius sententia, quod Deus cum homine coefficiat propriè actus potentiarũ illarũ, & non tantum impropriè, quia scilicet potentias illas fecit. Vnde & infra eiusdẽ 18. de prædest. sanct. 6. tractans illud dictũ Apostoli; Quis enim te discernit? quid autẽ habes quod non accepisti? sic ait, In hac Apostoli intentione dona Dei naturalia suspicari, siue ipsam totam perfectam naturam, qualis in prima conditione donata est, siue vitiatæ naturæ qualescunque reliquias, nimis quantum existimo, absurdum est: Nunquid enim per hæc dona, quæ omnibus sunt cõmunia hominibus, discernuntur homines ab hominibus? Hic enim prius dixit, Quis enim te discernit? & deinde addidit, Quid autem habes quod non accepisti? Posset quippe homo dicere inflatus aduersus alterum, Discernit me fides mea, iustitia mea, vel si quid aliud. Qualibus occurrens cogitationibus bonus Doctor, Quid autem habes, inquit, quod non accepisti? à quo nisi ab illo qui te discernit ab alio, cui non donauit, quod donauit tibi? Ac per B
hoc quisquam audet dicere, Habeo fidem ex meipso; non ergo accepi? profectò contradicit apertissimæ veritati; non quia credere, vel non credere non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis præparatur voluntas à Deo; ideo ad ipsam quoque fidem quæ in voluntate est pertinet; Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? & sequitur cap. 7. Multi audiunt verbum veritatis; sed alij credunt, alij contradicunt: volunt ergo isti credere, nolunt illi. Sed cum in alijs præparetur, in alijs non præparetur voluntas à Domino, discernendum est vtique quid eueniat de misericordia eius, quid de iudicio. Item Augustinus super illud Psalmi 118. Manus tuæ fecerunt me &c. distinguens duplicem modum factionis hominis à Deo, sic ait; Vtrum hoc secundum Adam dictum est, ex quo cum sint omnes homines propagati, quis hominum, quando ille factus est, & se factum non potest dicere originis seminisque ratione? An etiam secundum hoc rectè dici potuit, Manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me, quod vnusquisque non sine opere Dei etiam de parentibus || *fit*, ipso creante, C
illis generantibus, quoniam si operatoria Dei potentia rebus subtrahatur, intereunt, nec aliquid omnino siue de mundi elementis, siue de genitoribus, siue de seminibus nascitur, si ea non operetur Deus. Item tunc habens naturalia integra posset ex se solo, vel per Doctorem alium sine Deo propriè coagente acquirere sibi morales & intellectuales virtutes; cuius oppositum docet Augustinus 4. contra Iulianum multis capitulis, & Beda contra eundem Iulianum 13. sicut erat superius allegatum. Vnde & Beda satis expresè contra istam responsionem sic dicit: Quod ergo dicit Iulianus multos Philosophorum patientiam, castitatem, modestiam, aliasque de naturæ bono habuisse virtutes, constat quod quicunque Philosophorum Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam nescierunt; hi nullam veram virtutem, nec veram sapientiam vllam habere potuerunt: In quantum vero vel gustum aliquem sapientię cuiuslibet, vel virtutis imaginem habebant, desuper hoc totum acceperunt, non solum munere primæ conditionis, verumetiam quotidiana eius gratia qui creaturam suam nec deserentem deserens, dona sua, prout ipse iudicauerit, hominibus & magna magnis, & parua largitur par- D
uis. Ad illud autem quod pro ista opinione adducitur, potest faciliter responderi, quod ille est vnus bonus & verus modus loquendi, apud quos fuerit consuetus; sed per hoc non probatur, quin formæ elementares moueant elementa: Certum est enim, quod corrupto generante, & impediens remouente, elementa mouentur; ergo ab aliquo motore, & non à generante, vel prohibens remouente, quia neutrum illorum est, & per consequens nihil facit, causat, aut mouet; est igitur forma mouens. In omni quoque motu mouens & motum sunt simul, vt docetur 7. Phys. 8. & post. & 2. de Anima 74. sed neutrum prædictorum est simul cum elemento moto, quia omnino non est. Tunc etiam elementa mouentur naturaliter, ergo à natura: Ipsa enim, vt docetur 2. Phys. 3. est principium & causa mouendi & quiescendi in quo primum est; & hæc est duplex, scilicet materia, & forma, vt ibi ostenditur consequenter: sed materia prima non est principium motiuum localiter, vt nulli Philosopho est ignotum, ergo forma elementi naturaliter ipsum mouet. Per idem quoque quod elementum qui- E
escit in loco suo naturali mouetur ad eum: sed ibi quiescit per formam suam. Maior etiam terra vel ignis descendit velocius vel ascendit; ergo non tantum ab extrinseco, sed ab intrinseca sibi forma. Corpora quoque mixta mouentur ad motum elementi dominantis; ergo ipsum elementum dominans per se naturaliter habet motum. Ipse etiam idem Philosophus 4. Phys. tractans de vacuo 71. & post, supponit planissime, elementa moueri naturaliter ex seipsis: & similiter 1. de Cœlo, vbi reprobat infinitum. Auerroes quoque super loca prædicta vult idem: & super 3. de Cœlo. 28. & super 4. 22. ostendit diffusè quod in corporibus simplicibus, motor & motum non distinguntur in actu ab inuicem, & quod formæ eorum sunt motores

Augustinus.

|| *fit.*

Responsio ad obiecta.

Philosophus.

A motores eorum; & glossat ibi processum Philosophi in 7. Physicorum probantis quod nihil mouet se, sed quod omne quod mouetur, mouetur ab alio, isto modo; Aristoteles, inquit, non intendebat per istum sermonem quem scripsit in 7. Physicorum, nisi declarare quod nihil mouet se, scilicet ita quod motor sit idem cum moto, & eodem modo, & ideo posuit, quod quicquid quiescit per quietem alterius, necesse est vt motus eius non sit nisi ab altero, id est, necesse est, vt motor in eo differat essentia & definitione à moto, licet non differat in subiecto. Et similiter potest glossari similis processus Philosophi 8. Physicorum, & 4. de Coelo superius memoratus. Item si elementa non haberent ex se, sed tantum à generante, vel impediens remouente, motum seu motionem || *localē*, eadem ratione nec aliquam aliam actionem: ergo nec ignis ex se combureret, vel luceret vtroque illorum corrupto, plurimumue remoto. Mirabilis quoque modus loquendi videtur, & à veritate nimis extraneus dicere, quod lucerna, seu candela socij mei, quæ illuminauit lucernam meam, seu candelam illuminantem studium meum, illuminat studium meum cum camera sua, forsitan nimis distet, murisque lapideis includatur, vel prædicta eius lucerna forsitan extinguatur. Per similem etiam rationem, quicquid nunc scribo Oxoniæ, scriberet pater meus Cicestriæ, quia genuit me scribentem, imò avus, & proavus, ac cæteri genitores, ipsi quoque primi parentes nunc facerent omnia facta nostra. Illud autem Anselmi non mouet, quia non dicit quod Deus illo modo tantum efficit actus nostros, sed illo modo || *transumtiue*, & alio proprio, sicut capitulum proximum recitauit. Ad rationem dicendum, quod licet Deus sit omnipotens, nihil tamen potest facere quod contradictionem includit, sed sicut contradictionem includit aliquam naturam esse sine Deo per se, & propriè eam actualiter & specialiter conseruante, sicut secundum primi docebat: sic vel amplius contradictionem includit aliquam naturam agere, seu mouere sine Deo per se & propriè actualiter & specialiter coagente & similiter commouente, sicut tertium & quartum primi plenius || *ostendebant*. Et sic respondet sanctus Thomas de potentia Dei quæstione 20. qua quęritur, Vtrum Deus operetur in omni operatione naturæ, ad simile argumentum pro parte negatiua, quinto loco adductum: quandocunque inquit arguens, Deus aliquam naturam instituit, ex hoc ipso dat ei omnia illa quæ sunt de ratione illius naturæ. Similiter ex hoc ipso quod facit hominem, det ei animam rationalem: sed de ratione virtutis est quod sit principium agendi, cum virtus sit vltimum potentiæ quæ est principium agendi in aliud, secundum quod est aliud, vt dicitur in 5. Metaphys. ergo ex hoc ipso, quod virtutes naturales rebus indidit, dedit eis quod operationes perficerent: non ergo oportet quod vlterius in rebus naturalibus operetur. Et post septimo loco adducit aliud argumentum simile huic quinto, ad quorum primum sic respondet; Ad quintum dicendum quod de ratione virtutis inferioris est, quod sit aliquo modo operationis principium in suo ordine, id est, vt agat vt instrumentum superioris virtutis: vnde exclusa superiori virtute, inferior virtus operationem non habet. Et consequenter ad aliud sic respondet; Ad septimum dicendum, quod virtus naturalis, quæ est rebus naturalibus in sua institutione collata, inest eis vt quædam forma, habens esse ratum & firmum in natura; sed id quod à Deo fit in re naturali quo actualiter agat, est vt intentio sola habens quoddam esse incompletum, per modum quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento artificis. Sicut igitur securi per artem dari potuit acumen, vt esset forma in ea permanens, non autem dari ei potuit, quod vis artis esset in ea quasi quædam forma in ea permanens, nisi haberet intellectum: ita rei naturali potuit conferri virtus propria, vt forma in ipsa permanens, non autem vis qua agit ad esse, vt instrumentum primæ causæ, nisi daretur ei quod esset vniuersale essendi principium: nec iterum virtuti naturali conferri potuit vt moueret seipsam, nec vt conseruaret se in esse. Vnde sicut patet, quod instrumento artificis conferri non potuit, quod operaretur absque motu artis; ita rei naturali conferri non potuit, quod operaretur absque operatione diuina.

Margin: *Auerroes.* || totalem. || -tiue. *Responsio argumenti.* || demonstrabant. *Thomas.*

B, C, D, E (section letters in margin)

CAP

A

CAP. XXIIII

Secundam corrigit.

SEcunda autem opinio poteſt reprobari per eadem,per quæ prima: Item per locum à ſimili. Voluntas nuda non poteſt agere actum nudum ſine Deo propriè coagente, ſicut ſuperius proximo docebatur; ergo nec voluntas virtuoſa poteſt agere actum virtuoſum ſine Deo propriè coagente. Item per 40.primi; Gratia ſeu charitas efficiet propriè bonum actum: & per 42. eiuſdem, non ſine Deo [propriè] coagente. Item per 46. primi,Deus efficit propriè omne augmentum actus meritorij cuiuſcunque; ergo & totaliter omnem actum. Item per quintum & octauum huius ſecundi, Nullus habens charitatem, ſeu gratiam quantamcunque poteſt per ſe reſiſtere tentationi alicui, nec perſeuerare finaliter vel ad tempus ſine Dei auxilio ſpeciali, id eſt, ſine voluntate diuina efficaciter hoc agente, ſicut probant ſextum & 13. huius ſecundi; quare nec actum elicere virtuoſum. Item ſi Deus faciat habitum charitatis, & tu ſolus actum, cum actus ſit melior habitu, vt 22. primi, & 18. ſecundi plenius allegârunt, tu facis aliquid melius in teipſo, & teipſum ſimiliter meliorem, quam faciat Deus ipſe, quod eſt contra allegata 37. primi libri. Et per iſtud idem argumentum probat Auguſtinus eandem conclusionem de Angelis 12. de ciuitate Dei 9. vbi probato quòd malæ voluntatis malorum Angelorum nulla fuit cauſa efficiens, ſic adiungit, Si dixerimus nullam eſſe efficientem cauſam etiam voluntatis bonæ, cauendum eſt, ne voluntas bona bonorum Angelorum non facta, ſed Deo coæterna eſſe credatur. Cum ergo ipſi facti ſint, quomodo illa non eſſe facta dicetur? Porro quia facta eſt, vtrum cum ipſis facta eſt, an ſine illa fuerunt prius. Sed ſi cum ipſis, non dubium quod ab illo facta ſit à quo & ipſi. Si autem boni Angeli fuerunt prius ſine bona voluntate, eamque in ſeipſi, Deo non cooperante, fecerunt; ergo meliores à ſeipſis quàm ab illo facti ſunt. Abſit; aut ſi non potuerunt ſeipſos facere meliores, quam eos ille fecerat, quo nemo melius quicquam facit, profectò & bonam voluntatem qua meliores eſſent, niſi operante adiutorio Creatoris habere non poſſent: & cum id egit eorum voluntas bona,vt non ad ſeipſos, qui minus erant, ſed ad illum qui ſummè eſt conuerterentur, eique adhærentes magis eſſent, eiuſque participatione ſapienter beateque viuerent; quid aliud oſtenditur,niſi voluntatem quamlibet bonam inopem fuiſſe in ſolo deſiderio remanſuram, niſi ille qui bonam naturam ex nihilo ſui capacem fecerat, ex ſeipſo faceret implendo meliorem, prius faciendo,excitando auidiorem? Confitendum eſt ergo cum debita laude Creatoris,non ad ſolos ſanctos homines pertinere, verumetiam de ſanctis Angelis poſſe dici, quod charitas diffuſa ſit in eis per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt eis. Item cum beatitudo finalis ſit actus, ſicut 18. huius ſecundi plenius allegauit, & quilibet beatus ſolus ſine Deo efficit totaliter ſuum actum, quilibet beatus per ſe ſibi beatitudinem tribuit,beatificatque ſolus ſe; quod quanta abſurditate dicatur,quis non videt? Tunc enim creatura rationalis haberet bonum optimum & maximum à ſe ſola; cum tamen dicat Iacobus, Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt,deſcendens à patre luminum: ſicque ratione beneficij accepti magis deberet diligere ſe quàm Deum; maius enim beneficium recipit à ſe ſola. Nimis quoque irrationabile videretur, quod deberem facere omnia opera mea finaliter propter Deum, & ipſe non eſſet vltimus finis meus, nec mihi tribueret vltimum finem meum, nec ſuæ clementi iuſtitiæ conueniret, quod facerem & paterer tot & tanta finaliter propter ipſum, & ipſe non redderet mihi finalem mercedem, quæ eſt beatitudo, & fælicitas ſempiterna, ſed egomet redderem eam mihi; cum & Apoc. vlt. ipſemet ſic dicat, Ecce venio citò & merces mea mecum eſt,reddere vnicuique ſecundum opera ſua. Huic autem & multa ſimilia occurrunt ſæpiſsimè in Scriptura. Si etiam ſola creatura rationalis faceret actum ſuum beatificum, hoc eſſet liberè libertate contradictionis: Non enim neceſsitaretur a Deo, quia hoc eſſet per voluntatem ſuam, quæ per 10. primi, non poſſet eſſe non efficax; quare Deus efficeret illum actum, cuius oppoſitum ponitur, nec neceſsitaretur ab aliqua re creata, vt per tertium huius ſecundi. Si ergo ſic liberè facit beatificum actum ſuum, eadem ratione ſic liberè ipſum continuat: quare & ſimiliter liberè poſſet eum omnino dimittere, vel ad tempus; ergo non eſſet finaliter confirmata, ergo nec beata: Beatitudinis namque finalis præclariſsima portio eſt ſecuritas æternaliter ſic eſſendi. Vnde beatus Auguſtinus 13. de Trinitate 7. loquens de finali beatitudine ita dicit;

Margin notes: B (beside "Item per 46. primi"); *Auguſtinus* (beside "contra allegata 37. primi libri"); C (beside "dicetur? Porro quia facta eſt"); D (beside "in eis per ſpiritum ſanctum"); *Apocalypſ.* (beside "eam mihi; cum & Apoc. vlt."); E (beside "dere vnicuique ſecundum opera ſua"); *Auguſtinus.* (beside "liter ſic eſſendi").

A dicit; Quicquid amabitur aderit, nec desiderabitur quod non aderit; omne quod ibi ||*erit*, bonum erit,& summum bonum Deus ipse erit, & se amantibus præstò ibi erit, & quod est omnino beatissimum, ita semper fore certum erit; Et idem ostendit 11. de Ciuit. Dei 13. Aliterque beatus finaliter posset sic liberè fieri miser, & esse, contra 15. huius secundi, & contra omnes Doctores Catholicos. Imò secundum istud videtur, quod Deus non posset beatitudinem immediatè conferre, nec sic beatificare quemcunque: Esse namque beatitudinis, est actum beatificum immediatè fieri à solo beato: ergo si fieret immediate à Deo, iam non esset beatificus, quod est damnatum, & excommunicatum à Stephano Parisiensi Episcopo sub his verbis, quod fælicitas non potest à Deo immitti immediatè. Item si quis accepta charitate seu gratia, posset per se producere bonum actum, posset & semper discernere se ab alio, qui ||*recepit* similem gratiam, & actum similem non producit, posserque talis perseueranter bene volendo discernere se ab alio habente similem gratiam, sed casuro, sicut prædestinati à reprobis discernuntur, quod est contra illud Apostoli 1. ad Cor. 4, Quis enim te discernit? quasi diceret non tu, sed Deus; vt patet per expositiones Augustini superius allegatas capitulo proximo, & cap. 25. primi. Item si gratia gratis data à Deo solus homo efficiat bonum actum sine Deo proprie coagente, cum per 43. primi gratia iustificans præcedat naturaliter contritionem, posset peccator adultus secundum legem currentem, infusa sibi huiusmodi gratia, liberè conteri; ergo & non conteri; quare & iustificari sine contritione quacunque, & sine actu quolibet voluntatis, quod est contra testimonia multa catholica eodem capitulo allegata. Item dicit Apostolus ad Eph. 2. Gratiâ saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est: non ex operibus, vt ne quis glorietur: Ipsius enim sumus factura creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambularemus; ergo Deus efficit propriè opera nostra bona. Nam per 10. primi præparatio voluntatis diuinæ inefficax esse non potest. Et si quis fingat, vt prius, quod pro tanto dicit Apostolus nos esse Dei facturam creatos in bonis operibus, quia Deus fecit nos, & creauit in nobis bonos habitus, ex quibus nos soli bona opera facimus; quomodo ergo Apostolus per hanc suam doctrinam & huic similem in multis suis epistolis amputaret hominibus occasionem superbiendi, & materiam de proprijs viribus præsumendi, ac de meritis proprijs velut proprijs gloriandi, eosque ad humilitatem & confidentiam in solo Deo, & ad gloriandum in ipso solo ex agnitione impotentiæ propriæ, & diuini præsidij reuocaret? Hoc enim nimis inefficaciter faceret si sic esset: quod tamen Apostolus principaliter intendebat, vt satis insinuant eius verba, vt ne quis, inquit, glorietur. Et 1. ad Cor. 1. Non glorietur omnis caro in conspectu eius: Ex ipso enim estis vos in Christo Iesu, vt qui gloriatur in Domino glorietur. Et infra eiusdem 4. Quid autem habes quod non accepisti? quid gloriaris quasi non acceperis? Et 2. ad Cor. 3. Talem fiduciam per Christum habemus ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est: & ad Romanos 9. Non volentis nec currentis, sed miserentis est Dei.

|| aderit,

|| recipit

B

C

Apostolus.

D Et ad Phil. 2. Cum metu & tremore vestram salutem operamini: Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere; seu alias operari pro bona voluntate; vbi Glossa, Cum metu, id est, cum humilitate, non superbè: & ideo timendus est, quia non vos, sed Deus operatur &c. pro bona voluntate, scilicet sua, non pro meritis vestris: Et sequitur, & est Augustini de bono perseuerantię 37. Nos ergo volumus, sed Deus operatur in nobis & velle; & nos operamur, sed Deus operatur in nobis & operari: Hoc nobis expedit & credere, & dicere, quia pium est & verum est, vt sit humilis confessio, & totum detur Deo. Idem de prædestinatione sanctorum 6. Hoc Apostoli testimonium ad reprimendam hominis inflationem dixit; Quid enim habes, quod non accepisti? Non siuit quenquam fidelium dicere, habeo quod non accepi. Reprimitur omnino his Apostolicis verbis tota huius responsionis elatio, & ponit duas falsas responsiones, seu expositiones huius dicti: Prima est, quod hoc ideo dicitur, quia homo non habet ex se fidem perfectam, habet tamen eius initium quo primo credit in Christum.

Apostolus. *Glossa.*

Augustinus.

Augustinus.

E Sed hanc responsionem euacuat per hoc idem; & hic, inquit, respondetur, Quid habes, quod non accepisti? &c. Ergo eadem ratione sic potest per idem dictum euacuari responsio supradicta. Secunda est, quod hoc ideo potest dici de fide, quia bomo accepit naturalia sua a Deo, ex quibus credit. Sed contra sic respondentes subiungit, Illud nihil ad id quod volunt valere intelligitur, si, cur hoc Apostolus dixerit, cogitetur: Agebat enim ne quis gloriaretur in homine, quoniam dissentiones exortæ fuerant inter Corinthios Christianos, ita vt vnus quidem diceret, Ego autem sum Pauli alius quidem, ego Apollo, alius vero, Ego Cephæ: Et inde ventum est, vt diceret, Stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma, vt confundat fortia, & ignobilia & contemptibilia, & ea quæ non sunt, tanquam sint, vt ea quæ sunt, euacuet, vt non glorietur coram eo omnis caro. ||*Hic* certè contra humanam superbiam satis clara

|| Hæc.

clara Apostoli intentio, ne in homine quisquam glorietur, ac per hoc, nec in seipso. Deniq; A
cum dixisset, Non glorietur omnis caro coram eo, vt ostenderet in quo debeat homo gloriari, mox addidit; Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu &c. vt quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur: & sequitur, Videtisne nihil agere Apostolum, nisi vt humilietur homo, & exaltetur Deus solus, quandoquidem in eis qui plantantur & rigantur, nec ipsum plantatorem & rigatorem dicit esse aliquid, sed qui incrementum dat, Deum, quamuis hoc ipsum quod ille plantat, hic rigat, non ipsis sed Domino tribuat, dicens, vnicuique sicut dedit Dominus? Ego plantaui, Apollo rigauit. Hinc ergo in eadem intentione persistens, ad hoc venit vt diceret, Itaque nemo glorietur in homine. Idem de gratia & libero arbitrio 21.
Augustinus. Apostolus, cum dixisset, Gratiâ salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ne forte quis extollatur, vidit, vtique putare posse homines hoc ita dictum, quasi necessaria non sint opera credentibus, sed eis fides sola sufficiat, & rursus posse homines de bonis operibus extolli, velut ad ea facienda sibi sufficiant: mox itaque addidit, Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambularemus. Quid est hoc quod gratiam Dei commendans dixisset, Gratiâ salui facti estis per fidem? Et cur hoc dixerit rationem reddens, Ipsius enim sumus, inquit, figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis? Quomodo ergo non ex operibus? ne forte quis extollatur. Sed audi & intellige, non ex operibus dictum tanquam tuis ex teipso tibi existentibus, sed tanquam his in quibus te Deus finxit, id est, formauit, & creauit, non illa creatione, qua homines facti sumus, sed ea de qua ille dicebat, qua vtique iam homo erat; Cor mundum crea in me Deus. Aut ex Deo fingimur, id est formamur & creamur in operibus bonis, quæ non preparauimus nos, sed præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Idem Enchirid. 78. reddens causam quare dicit Apostolus ad Romanos 9. Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, sic ait, Altissimo quippe ac saluberrimo sacramento vniuersa faciens, atque vt ita dixerim, vultus sanctarum Scripturarum bene intuens, id admonere inuenitur, vt, qui gloriatur, in Domino glorietur. Et idem ostendit diffusè de bono perseuerantiæ C
multis capitulis versus finem. Vnde & cap. 69. dicit, hoc prædicari debere, vt qui obedien-
Augustinus. ter hoc audit, non in homine, ac per hoc nec in seipso, sed in Domino glorietur. Idem de spiritu & litera 32. sed quia dici potest illa opera scilicet miraculosa esse diuina; iustè autem viuere, ad nostra opera pertinere; suscepi ostendere etiam hoc opus esse diuinum, & hoc egi in libro isto loquacius fortasse quam sat est, sed contra inimicos gratię Dei, etiam paruum mihi dixisse videor, nihilque tam multum dicere delectat, quàm vbi mihi & Scriptura eius plurimum suffragatur, & illud agitur, vt qui gloriatur, in Domino glorietur, & in omnibus gratias agamus Domino Deo nostro sursum cor habentes: vnde a patre luminum omne datum optimum & omne donum perfectum est. Nam si ipsa est opus Dei, quia per nos non agitur, vel quia illo donante nos agimus, nec illud opus est Dei, vt mons transferatur in mare, quia per fidem hominum posse fieri Dominus dixit, & hoc ipsorum operi attribuit, dicens, Si habueritis in D
vobis fidem tanquam granum sinapis, dicetis huic monti, Tollere, & mittere in mare, fiet: & nihil impossibile erit vobis, certe vobis dixit non mihi aut patri; & tamen hoc nullo modo facit homo, nisi illo donante & operante. Et infra in fine; Aliquid ergo est in abdito & profundo iudiciorum Dei, vt etiam iustorum. Omne os obstruatur in laude sua, & non aperiatur nisi in laudem Dei, iuxta illud Apostoli ad Romanos 3. Omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo. Et infra, Vbi est gloriatio tua? exclusa est. Hoc idem sentit Do-
Cyprianus. ctor & martyr gloriosissimus Cyprianus, epistola sua 13. intitulata ad Quirinum, de disciplina Christianæ Religionis capitulo 4. cuius capituli iste est titulus; In nullo nobis gloriandum, quando nostrum nihil sit: quod probat per totum illud capitulum, & per illud Apostoli sæpè dictum, Quid habes quod non accepisti? &c. Et per multa alia loca Scripturæ. Et infra eiusdem 10. probat dilucidè, quod in solo Domino fidendum, & in ipso gloriandum. Ex his autem manifestè videtur intentionem Apostoli in doctrina sua prætacta fuisse: ne dum bona naturalia, vel bonos habitus qualescunque propriè fieri & donari à Deo, sed etiam quoslibet bonos actus: vt sic omnis materia extollendi de aliquo præmissorum à cordibus hominum penitus extirpetur, ipsos ad veram humilitatem in omnibus reuocaret, quod tamen minus efficaciter faceret, si habitus tantum haberet à Deo, & actus à se solo, cum per 22. primi actus sint habitus meliores. Item si filius miles, acceptis à patre naturalibus, ordine atque armis strenuè militaret, sicque forsitan in superbia erigeretur inflatus, quomodo in ipso eradicaretur superbia, & plantaretur humilitas, si ei ab aliquo diceretur, Non glorietur omnes miles in conspectu patris sui; Ex ipso enim est in militia, vt qui gloriatur, in patre suo glorietur; &, Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? & reliqua E

A liqua superius memorata : Posset enim rationabiliter respondere dicendo, quare non deberem de mea militia gloriari? Accepi quidem à patre meo naturalia mea, quia nullus generat semetipsum; accepi & ordinem, quia nulli conceditur insignire tali ordine semetipsum ; accepi & arma, quia similiter & cæteri militum non nascebar armatus, nec sum faber armorum, debitum tamen vsum istorum, qui omnibus præualet, non accepi ab alio, sed habeo ex meipso; actus strenuos militares non accepi ab alio, sed habeo ex meipso ; crebras victorias fama celebri diuulgatas non accepi ab alio, sed habeo ex meipso : pro huiusmodi igitur in meipso merito gloriabor, in alio autem nihil; sic & de quolibet milite Iesu Christi.

CAP. XXIV.

B

Corrigit tertiam.

TErtia verò fatuitas præmissarum potest refelli similiter vt præmissæ. Item si voluntas creata non potest per se subsistere, sed necessariò indiget, vt Deus eam in esse conseruet, multo minus potest actus eius per se aut per solam voluntatem creatam subsistere, sed necessariò indiget conseruatione diuina, quare & multò magis comproductione seu coactione diuina: Si enim voluntas creata non potest sine Deo seruare in esse actum suum iam in esse productum, quod est minus, nec potest sine eo actum quenquam in esse producere, quod est maius, vt sæpius est argutum. Ratio verò pro hac opinione adducta superius tantum probat, quod Deus ideò dicitur quodammodo transsumptiuè efficere actum voluntatis creatæ, quia conseruat voluntatem
C creatam; sed non probat, quin efficiat etiam propriè quemlibet talem actum.

CAP. XXV.

Quartam corrigit.

ADhuc autem quarta falsigraphia præmissa potest destrui vt priores. Hæc quoque fuit specialiter glossa Pelagij, sicut patet ex 21, huius. Item tunc Deus æqualiter faceret siue daret bene operanti circa quodcunque obiectum & non operanti, vel male operanti circa simile obiectum sibi similiter præsentatum : quare & ipsi tenerentur æqualiter gratias a-
D gere Domino Deo suo; sicut potest haberi ex 31. primi; sicque Lucifer, & Michael, Chain, & Abel, Linus & Petrus, imperfectus quilibet & perfectus, ad Dei dilectionem & gratiarum actionem æqualiter tenerentur, quod nullus gratus catholicus, aut vix ingratus hæreticus affirmare præsumet. Primum argumentum hanc volens ostendere soluitur, vt præcedens pro opinione proxima præcedente. Autoritas etiam Augustini satis testatur, quod ille est vnus modus causandi, *Augustinus* seu faciendi actum voluntatis, scilicet presentare voluntati obiectum; sed non dicit quod Deus nullo alio modo efficit actum voluntatis creatæ; nec loquitur ibi vniuersaliter de quocunque actu voluntatis creatæ, sed || *tantum* de malo, & illius negat Dominum esse Autorem, ||tantummodo. quod potest intelligi quantum ad deformitatem actus, non quantum ad eius substantiam, sicut vult ipsemet Augustinus de gratia & libero arbitrio 48. vbi inter multa testimonia sacræ Scripturæ, etiam per hunc eundem locum Psalmi ostendit Deum operari in cordibus homi-
E num omnem actum voluntatis bonum & malum iudicio suo occulto, sed iusto, sicut vicesimum huius secundi plenius allegauit. Hoc idem volunt Esaias, Anselmus, & articulus Parisiensis cum allegatis ca. 20. 19. & 18. huius 2. 26. & 34. 1. Aliter autē potest istud conuenienter intelligi, quod Deus non conuertit cor Aegyptiorū, vt odirent populū eius, id est, non sic conuertit vt cogeret eos pro vt ipsi essent excusabiles, vel vt ipse esset accusabilis de peccato, cum alijs intellectibus Autoritatum similium 34. primi plenius declaratis. Vnde & Augustinus de *Augustinus.* Gratia & libero arbitrio 48. ostenso per hunc locum Psalmi cum alijs locis Scripturæ, quod Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, siue ad bona, siue ad mala, quia hoc minus videtur de malis, posset que ex hoc forsitan videri cuipiam, quod Deus esset iniquus; ostendit quod Deus hoc facit pro meritis hominum iudi-

cio

cio suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem iusto: Fixum enim, inquit, de- A
bet esse & immobile in corde vestro, quia non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc, quan-
do legitis in libris veritatis à Deo seduci homines aut obtundi, aut obdurari corda eorum, no-
lite dubitare præcesisse mala merita eorum, vt iustè ista paterentur, ne incurratis in illud Pro-
uerbium Salomonis, Insipientia viri violat vias eius, Deum autem causatur in corde suo.

CAP. XXVI.

Quintam corrigit.

QVinto vero subterfugio præcludetur faciliter omnis via per eadem,
quæ ambages cæteras præcluserunt. Item istud plenè obstruitur per B
33. primi libri. Item omnis malus actus voluntatis secundum sub-
stantiam actus & non secundum deformitatem eius fit à Deo, vt satis
docetur 26. primi, & 18. 19. & 20. huius secundi, quod non potest
intelligi de factione tantummodo permisiua, quia sic efficit deformi-
tatem quamlibet cuiuscunque: intelligitur ergo de factione propriè
& realiter effectiua. Item dicere Deum tradere homines in peccata,
quæ etiam sunt pœnæ præcedentium peccatorum tantummodo permisiuè, fuit error Iulia-
ni hæretici Pelagiani, quem diffuse redarguit Augustinus 5. contra Iulianum, sicut 34. primi
plenius allegauit. Ad illas verò Autoritates, quæ istam opinionem probare videntur, potest
breuiter responderi, Quod bene probant, quod permisio est vnus modus transumptiuus &
improprius faciendi; sed non probant quod Deus tantum sic impropriè, & nullo modo pro-
priè efficit actus liberos voluntatis: cur autem Deus dicatur quosdam actus voluntarios face-
re, quosdam vero permittere, cum tamen omnes propriè faciat, satis indicant 33. & 34. pri- C
mi. Pro illa verò multiplici voluntate diuina, quam ponunt Hugo & Lumbardus, sciendum
quod vna res simplex quandoque nominum multiplicitatem admittit, vt patet de Deo, sicut
tertium primi allegauit ab Aristotele in De mundo. Multiplicitas vero nominationum est
duplex: Aut enim multa nomina eandem rem significant, aut idem nomen multas res, & hac
prima adhuc est duplex; aut enim multa nomina eandem rem significantia significant illam
omni eodem modo, & eadem ratione, & tunc sunt synonoma; de quibus dicit Auerroes su-
per 1. Physicorum primo, Quod nomina synonoma non vsitantur in doctrina demonstra-
tiua; & idem vult super 12. Metaphysicorum 39. Aut significant illam diuerso modo, & ra-
tione diuersa; & tunc secundum Auerroem eodem 39. possunt vocari nomina dispositiua, eo
quod se habent, sicut dispositio & dispositum, aut nomina attributalia, sicut Theologis ma-
gis placet, cuiusmodi sunt potentia, clementia, sapientia, & similia dicta de Deo. Si autem
idem nomen multas res significet, hoc potest esse dupliciter: Aut enim hoc est æque primo D
mediantibus diuersis modis & rationibus non relatis ad aliquod idem commune, & talia sunt
æquiuoca, vt patet expresse per Philosophum in principio Prædicamentorum, & 4. Meta-
phys. 2, innuit illud idem, & de talibus nulla ars considerat, vt patet ibi per Auerroem: Aut
hoc est non æque primo, nec modo aut rationibus omnino diuersis, sed primo & principali-
ter significat aliquid vnum vno modo, & vna ratione principali & prima; ex consequenti ve-
ro, denominatiue & transumptiue significat alia alijs modis & rationibus, non tamen penitus
alijs, sed relatis ad primum; & talia dicuntur denominatiua, vt patet per Philosophum in
principio Prædicamentorum, seu principale & sumptum, vt patet per eundem in Topic. &
Auerroes. Auerroem super 12. Metaphys. 39. & sunt media inter æquiuoca & vniuoca, vt dicit Auer-
roes super 4. Metaphys. 2. cuiusmodi nomina sunt ens vnum & similia quę in scientijs vsi-
tantur, vt patet 4. Metaphysicorum 2. & 5. Metaphys. quasi per totum. Vnde & Auerroes
super 5. Metaphys. 1. sic ait; Intendit in hoc tractatu distinguere significationes nominum E
considerandas in hac scientia; & omnia ista nomina dicuntur secundum relationem ad vnum
cum diuersis modis; & ideo expositio istorum nominum, est pars istius scientiæ per se, quare
& tota continentia huius quinti est ista; scire quot modis nomen quodlibet dicitur; & quare,
& quod est primum ad quod cætera referuntur, & quis sit ordo illorum ad inuicem, & ad pri-
Philosophus. mum, sicut tota eius series manifestat. Philosophus quoque 4. Metaphys. 2. sic ait; Ens au-
tem multis modis dicitur, sed ad vnum, & vnam aliquam naturam, & non æquiuoce, sed
quemadmodum salubre omne ad sanitatem, hoc quidem in conseruatione, illud vero in acti-
one, aliudque est signum sanitatis, hoc quia illius est susceptibile: vbi dicit Auerroes, quod
hæc

A hæc omnia attribuuntur eidem tanquam eidem fini; & infra distinguens || *tres modos* quibus aliqua attribuuntur eidem, sic ait; Intendebat per hoc declarare, quod ea quæ attribuuntur eidem fini, vt salubria vel sana sanitati, aut eidem agenti, vt medicinalia, seu medica medicinæ, aut eidem subiecto, sicut nouem prædicamenta substantiæ. Prætermittit autem quartum modum, quo, scilicet, aliqua attribuuntur eidem formæ: Nam secundum quodlibet genus causæ fit huiusmodi attributio transumptiua. Prætermisit similiter conuersiones horum 4. modorum dictorum; quia non solum causata attribuuntur suis causis, sed & causæ causatis. Nec solum fit huiusmodi transumptio secundum aliquod genus causæ propriè dictę, sed etiam secundum quamcunque connexionem, propinquitatem, comparationem, seu similitudinem qualemcunque, non autem secundum contrarietatem aut impertinentiam vllo modo. Omnis namq; transumptio notificat vnum per aliud, vel aliquam pertinentiam aut similitudinem inter illa. Vnde Philosophus 6. Topicorum sic ait; Translatio facit notum quodammodo, B quod signatum est per similitudinem: Omnes enim transferentes, secundum aliquam similitudinem transferunt. Quapropter & ille floridus Tullius, vlt. nouæ suæ Rhetoricæ, agens de coloribus Rhetoricis, quosdam alios modos attributionum huiusmodi exprimit, & innuit multo plures: Huiusmodi enim attributio, siue transumptio est quidam color Rhetoricus, quem 33. ibi ponit, quem & denominarionem appellat, quam etiam sic definit; Denominatio est quæ à rebus propinquis & finitimis contrahit orationem, qua possit intelligi res quæ non suo vocabulo sit appellata, quam dicit aliquoties confici ab inuentore ad inuentum, aliquoties è contra: vt si quis Tarpeium Capitolinum aut capitolium nominet, aut Liberum vinum, aut Cererem frugem, vel è contra. Aliquoties verò Dominus vtens aliquo instrumento denominatur ab illo, imò & nominatur nomine instrumenti, vt Macedones sarissæ, velut si Anglici dicerentur arcus & sagittæ. Aliquando autem factum à faciente, vt si quis bellum Martem vocet: aliquando vero è contra, vt si quis desidiosam artem dicat, quia desidio-C sos facit, & frigus pigrum, quia pigros efficit. Aliquando autem fit talis denominatio contenti à continente, aliquando verò e contra. Iste autem color est vna figura grammaticæ sub tropo contenta, quę à Beda, Donato, Isidoro, Hugone, & Grammaticis cæteris Metanomia, seu Methaomia vocatur, quod denominatio, seu transnominatio dicitur, qui & exprimunt hos prædictos & quosdam alios eius modos. Tullius autem reliquas diuisiones denominationum huiusmodi relinquit consuetudini poetarum, oratorum, & quotidiani sermonis: & bene, quia quælibet scientia, lingua & patria in loquutionibus talibus, proprijs modis, tropis, figuris, coloribus, & schematibus suis gaudet. Hæc autem ideo parum latius quàm propositum exigat, prosequebar; quia sacra Scriptura copiosissime talibus est respersa, nec istis incognitis potest ipsa cognosci: Hæc enim sensum eius obscurum clarificant, implicitum explicant, certificant dubium, & referant sensum clausum, prout nullus sciens figuras grammaticæ, & colores Rhetoricæ, ipsamque considerans, permittitur ignorare, sicut & Augustinus libro lo-D quutionum, & 4. de doctrina Christiana, Beda, Cassiodorus, & cæteri patres in diuersis suis operibus plenius docuerunt. Vnde & omnes penè distinctiones nominum sacræ Scripturæ, quas faciunt Mauricius, Nicolaus, & alij, non sunt distinctiones purè æquiuocorum in sua æquiuocata, sed potius denominatiuorum in sua denominata, siue transumptiuorum in ea ad quæ sunt transumpta. Quare & omnes istæ distinctiones reducuntur ad secundum modum æquiuocationis, de quo dicit Philosophus 1. Elenchorum; Alius autem transumptiue siue ex transumptione, quando soliti sumus sic dicere. Harum autem distinctionum hæc est perfecta scientia, scire quot modis quodlibet nomen dicitur, quod sit significatum eius primarium, quę ratio transumptionis ad cætera, quis ordo cæterorum in illo ordine ad inuicem & ad primum, sicut de distinctionibus nominum 5. Metaphys. Aristotelis superius dicebatur. Hæc ergo ad propositum applicando, dico quod voluntas diuina, sicut & angelica & humana, primo & principaliter accipitur pro instrumento volendi, siue pro potentia volutiua: secundo E accipitur pro habitu huius voluntatis, cuiusmodi est charitas, quia ipse similiter est quodammodo instrumentum volendi, & quædam potentia volutiua, eo quod simul cum ipsa coefficit actum suum, vt quadragesimum primi docet: tertio pro actu proprio & intrinseco voluntatis primo modo dictæ, scilicet pro ipsa volutione, eo quod ab ipsa efficitur. Hæ autem tres voluntates in creaturis realiter distinguntur; in Deo autem sunt vnum & idem realiter sua simplicissima essentia Deus ipse. Quarto loco accipitur diuina voluntas pro operatione eius extrinseca, eo quod fit à tribus prioribus, vel à prima per duas sequentes. Vnde Propheta Psalmo 110. Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius: Cum enim sit tantum vna voluntas in Domino, in omnes inquit voluntates eius, id est, in omnes effectus voluntatis illius; sicut & Deus ipse secundum Philosophum in De mundo 12. cum sit vnus, multino-

|| tribus modis.

Tullius.

Propheta.

Philosophus.

mius eſt, nominatus ab omnibus paſsionibus quas innouat ipſe, & hoc tam in abſtracto, quam in concreto. Dicitur enim nedum fulmineus, pluuialis, tonitrualis & huiuſmodi, verum & indefeſsi ignis motus, radix ponti, ſol, & luna, vt tertium primi plenius recitauit: ſic & lingua, tam in ſacra Scriptura, quàm in crebro modo loquendi accipitur pro ſermone formato per linguam: ſic etiam manus accipitur pro Scriptura. Et hæc exempla ponit Auguſtinus ad eandem concluſionem 3. de libero arbitrio, 30. & 14. contra Fauſtum, 2. & idem vult in || *quæſtionibus* Oroſij 18. exponens illud 1. ad Cor. 15. Caro & ſanguis regnum Dei non poſsidebunt; id eſt opera carnis & ſanguinis: & ſuper illud Pſalmi 50. Ecce in iniquitatibus conceptus ſum: Et infra; Libera me de ſanguinibus, vult hoc idem: Hæc enim omnia attribuuntur eidem agenti, vt Auerroes dixit ſupra. Quinto accipitur diuina voluntas pro eius ſigno: Signum enim & ſignatum ſæpius correſpondent. Sic ſecundum Philoſophum ſuperius allegatum vrina dicitur ſalubris vel ſana, quia ſignum; ſicque nomen & verbum in ſacra Scriptura frequenter accipitur pro re ſignificata per nomen & verbum; Vnde Pſalmus 39. Beatus vir cuius eſt nomen Domini [eius] ſpes eius. Et Parab. 18. Turris fortiſsima nomen Domini. Ier. 29. Suſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, vt reducam vos ad locum iſtum. Et Amos 3. Non faciet Dominus verbum, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas: verbum inquit, id eſt, rem ſignificatam per verbum. Et Matth. 7. Qui audit verba mea, & facit ea, aſsimilabitur viro ſapienti. Et infra 24. Verba autem mea non tranſibunt. Sicque Chriſtus dicitur ſerpens & aries, quia ſignatus per ſerpentem Moſis, Num. 21. & per arietem Abrahæ, Geneſ. 22. Sic & Dan. 7. dicitur, Hæ beſtiæ magnę quatuor, quatuor regna ſunt, quæ conſurgent de terra. Et infra eiuſdem 8. Aries, quem vidiſti habere cornua, Rex Medorum eſt atque Perſarum; porro hircus caprarum Rex Græcorum eſt, & cornu grande quod erat inter oculos eius, ipſe eſt Rex primus &c. ſimilia. Hæc autem dicebantur propterea eſſe illa, quia fuerunt ſigna illorum. Signorum autem, vt dicit Philoſophus 2. Priorum penult. quoddam eſt *Icos*, & quoddam prodigium: Prodigium autem, vt dicit, eſt ſignum demonſtratiuum & neceſſarium, quod ideo ſcire facit; Dicitur enim prodigium quaſi pro digito habitum. Tale autem ſignum diuinæ voluntatis eſt duplex, ſcilicet eius operatio exterior 1. voluntas eius quarto modo dicta: Nam neceſſario ſequitur, ſi Deus aliquid operetur extrinſecus, quod hoc velit, ſicut 8. & 9. capitula primi docent. Permiſsio quoque Dei eſt huiuſmodi ſignum demonſtratiuum voluntatis illius, ſicut 33. primi probat: Iſtud tamen ſignum non eſt ita euidens ſicut primum. Primum enim eſt euidens omnibus, & in omnibus operibus liberis nedum Dei, ſed & creaturæ cuiuſlibet libere operantis; ſecundum autem non eſt euidens omnibus: Rationalis etiam creatura multa permittit fieri quæ non proprie vult nec facit; Deus autem non ſic propter actualitatem ſuæ voluntatis infinitiſsime infinitam, ſicut 22. primi docebat, & quia nulla creatura poteſt aliquid facere ſine ipſo coagente; quare & volente, ſicut 2. 3. & 4. 8. & 9. primi ſatis oſtendunt. Permiſsio itaque generaliter ſumpta eſt ſuperior ad velle & agere propriè. Quicunque namque voluntarie quicquam agit, permittit, & non è contra vniuerſaliter, quia non in creaturis, licet in Deo propter cauſas prædictas; Icos vero, vt dicit, eſt ſignum probabile: Quod enim vt in pluribus inquit, ſciunt ſic factum vel non factum, aut eſſe vel non eſſe, hoc eſt icos. Tale autem ſignum voluntatis tam increatæ quam creatę eſt triplex: ſcilicet præceptum, prohibitio, & conſilium: Quodlibet enim iſtorum eſt ſignum volutionis in quolibet qui hoc facit; non tamen demonſtratiuum, ſed probabile, & ideo poteſt fallere, & fallit quandoque. Vnde & Deus ipſe præcepit Abrahæ filium immolare; nec tamen hoc voluit, vt patet Gen. 22. & per 10. primi libri: nec poteſt quis fingere quod primo hoc voluit, & poſtea noluit propter immutabilitatem voluntatis diuinæ 23 primi probatam. Prohibuit etiam duobus cæcis illuminatis, ne quis ſciret, Matth. 9. & leproſo mundato, ne cuiquam diceret, Marc. 1. nec tamen hoc voluit, quia ipſi faciendo contrarium non peccabant, vt patet ibi per omnes catholicos expoſitores, dicentes dictos curatos dicta miracula diffamantes ideo non peccaſſe, quia intellexerunt Deum non ideo prohibuiſſe, quin vellet ſua opera prædicari, ſed vt hominibus daret formam, laudem hominum declinare. Conſuluit etiam adoleſcenti vt venderet quæ habebat, & ipſum veniens ſequeretur, Matth. 19. nec tamen hoc voluit, cum hoc non fecerit adoleſcens, vt patet per Matthæum adiuncto decimo primi libri. Quod autem iſta tria ſigna ſunt probabilia, fallacia ||*tamen* reſpectu voluntatis creatæ, nullus ignorat. Eſt & quarta ſpecies huius ſigni, ſcilicet icotis, reſpectu voluntatis creatæ, ſcilicet permiſsio: Eſt enim ſignum probabile quod creatura rationalis ſciens quempiam facere quippiam, & permittens cum poſsit libere impedire, hoc velit; veruntamen ſæpe fallit. Ex his igitur ſatis patet quod permiſsio, & cætera ſigna voluntatis diuinæ, licet dicantur improprie modo prædicto Dei voluntas, non ſunt tamen increata & intrinſeca

|| concluſionibus.

Pſalmus. *Parab.* *Ieremias.* *Amos.* *Matth.* *Numeri.* *Gen.* *Daniel.*

|| tum

A B C D E

A trinseca eius voluntas, sed sunt signa creata illius: & hæc est sententia Hugonis & Lumbardi in locis superius memoratis. Hæc autem signa creata non propriè & sufficienter coefficiunt actum voluntatis creatæ, sicut nec alicuius alterius creaturæ, sed præter illa necessariò requiritur Deus ipse qui per se propriè coefficiat illum actum, sicut 3. & 4. primi, & 20. secundi docebant; & hoc per suam voluntatem & volutionem sibi intrinsecam, increatam, vt patet per 8. & 9. primi, & per corollarium 20ⁱ. huius secundi. Quare & vbique, cum dico simpliciter voluntas Dei, intelligo eius volutionem actualem, actum scilicet & proprium, & intrinsecum voluntatis ipsius primo modo acceptę.

CAP. XXVII.

B
Sextam corrigit.

VLtima verò cauillatio prædictarum destruetur faciliter, per quæ priores aliæ sunt destructæ. Item omnis actus malus secundum substantiam actus essentialiter est aliquid, sicut bonus: Actus enim fornicationis non minus est aliquid, quam actus licitus coniugalis, sicut euidenter ostendunt argumenta per se loquentia, & gradientia super terram. Vnde & Anselmus de *Anselmus.*
casu Diaboli 8. ostendens eandem conclusionem, sic ait; Denique bona voluntas non magis est aliquid, quàm mala voluntas: Nec enim magis est aliquid voluntas quæ vult dare misericorditer, quàm illa quæ vult rapere violenter. Omnis ergo actus malus secundum substantiam actus æqualiter efficitur sicut bonus, quare & æqualiter habet causam efficientem, quæ necessariò coefficientia Dei eget. Deus ergo vere & proprie efficit quemlibet actum malum, secundum substantiam seu essentiam puram actus, si-
C cut 20. & 25. huius secundi plenius suadebant. Item Williamus Altisiodorensis super 2. *Altisiodorensis.*
sentent. quærit vtrum mala actio fiat à Deo operante & cooperante, & recitat tres opiniones; quarum Prima dicit quod omnis actio mala est tantum ab homine, vel à Diabolo: Secunda ponit, quod omnis actio mala est à Deo, eo quod solummodo Deus dat potentiam ad illam exercendam; Tertia verò tenet, quod omnis actio mala, in quantum actio est, bona est, & à Deo; quam & reprobatis alijs ipse tenet, sicut vicesimum huius secundi plenius allegauit. Autoritas vero Geneseos in contrarium allegata, non vult, quod cuncta quæ Deus * vel incapacia.
fecerat, erant valde bona moraliter. Quomodo namque inanimata, * vel irrationalia erant bona moraliter, cum non sint capacia bonitatis moralis? Cuncta tamen quæ Deus fecerat, erant naturaliter valde bona, sic sunt & actus mali quantum ad suam substantiam siue essentiam quam facit Deus, non quantum ad malitiam, quæ per 26. primi nihil est, & ideo nec facta proprie ab homine, nec à Deo; improprie tantum ab homine. Ad primam autoritatem Au-
D gustini respondet 25. huius: ad secundam verò & alias tales potest responderi per idem, & per tricesimum quartum primi.

CAP. XXVIII.

Obijcit contra vicesimum & respondet.

OBijcitur etiam contra capitulum vicesimum isto modo. Si Deus necessariò requiratur ad agendum propriè quemlibet actum voluntatis creatæ, cum Deum agere non sit in potestate voluntatis creatæ, nullus actus esset in potestate illius, ergo nec liber, nec ipsa esset Domina suorum
E actuum liberorum: cum tamen dicat Philosophus 3. Eth. 13. quod [nostrarum] operationum à principio vsque ad finem domini sumus, & sententiam similem alibi multis locis. Et hoc idem in prima institutione hominum videtur etiam Dominus attestari: Nam Geneseos quarto legitur Dominum dixisse ad Cain, Nonne si bene egeris, recipies? sin autem male, statim peccatum tuum in foribus aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Item si homo non posset solis proprijs viribus perficere suos actus, irrationabile videretur quicquam sibi præcipere vel etiam prohibere, quia non esset in sua libera potestate sic facere vel vitare. Vnde Ecclesiastici 15. scribitur, Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu *Ecclesiast.*
consilij sui: adiecit mandata & præcepta; Si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in

 perpetuum

perpetuum fidẽ placitã facere. Apposuit tibi aquam & ignẽ; ad quod volueris, porrige manũ tuam. Ante hominẽ vita & mors, bonũ & malũ; quod placuerit ei, dabitur illi. Item si Deus faceret hominis actũ malũ, iniustè puniret pro illo, quia si Deus eum facit, facit eum voluntate diuina, cui non potest homo resistere, vt 10. primi docet. Item si Deus voluntate sua faciat malum actum, vult & diligit illum actum; imò & vult illũ voluntate beneplaciti: Illa namque est voluntas sua essentialis & intrinseca, per quam facit quicquid facit exterius, vt patet per præmissa: Malum ergo bene placet Deo; ergo non iustè punit pro illo. Et 3. Regum 11. scribitur, Fecitque Solomon quod non placuerat coram Domino, scilicet mulieres alienigenas adamando, idolaque colendo. Et ad Rom. 8. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Et ad Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere Deo. Item multæ sunt volutiones & bonæ & malæ, quæ nunquam implentur. Si ergo Deus has volendo causaret, faceret & vellet volutionem fieri in aliquod volutum, quam nollet effectuari, imò vellet non effectuari, vt per 10. & 23. cum 22. primi potest faciliter apparere; quare & vellet & faceret eam frustra. Item Augustinus de Sipritu & litera 27. Apostolus dicit, Non est potestas nisi à Deo: Nusquam autem legimus in Scripturis sanctis; Non est voluntas nisi à Deo, & rectè non scriptum est, quia verum non est. Idem 5. de Ciuit. Dei 8. A Deo sunt omnes potestates, quamuis ab illo non sunt omnium voluntates. Idem in sententijs Prosperi propositione 288. Nocendi cupiditas potest esse à suo cuique animo prauo: non est autem potestas nisi à Deo. Idem 12 Confess. 11. Dixisti mihi Domine in aure interiore voce forti, quod omnes naturas & substantias quæ non sunt quod tu es, & tamen sunt, tu fecisti, & hoc solum à te non est, quod non est; motusque voluntatis à te qui es ad id quod minus est, quia talis motus delictum atq; peccatum est. Et idem probat diffusè 2. de libero arbitrio vlt. Idem 5. contra Iulianum 6. Deus non facit voluntates malas, sed vtitur eis vt voluerit, cùm aliquid iniquè velle non possit. Idem Hypognost. 33. Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod sit idoneum quod ad Deum pertinet, sine Deo aut inchoare, aut certe peragere, sed tantum in operibus vitæ præsentis tam bonis quam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id est, velle laborare in agro, velle bibere, velle manducare, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, vxorem ducere, pecora nutrire, artem discere diuersarum rerum bonarum, vel quicquid bonum ad præsentem pertinet vitam, quæ omnia non sine gubernaculo diuino subsistunt, imò ex ipso, & per ipsum sunt, & esse cæperunt: Malis vero, id est, velle idolum colere, blasphemare & similia. Item Iohannes Damascenus in sententijs suis, 39. prætitulato de eo quod est in nobis, id est, de libero arbitrio, enumeratis sex causis effectiuis, sic ait; Cui igitur horum subijcimus quæ per homines sunt, si equidem homo non est causa & principium actuum? Non enim Deo fas est inscribere quandoque actus turpes & iniustos, nec necessitati: non enim eorum quæ semper similiter se habent, sunt: Nec fortunæ; non enim contingentium, sed necessariorum quæ fortunæ ‖ *dominantur*: Nec naturę; naturæ enim opera sunt animalia & plantæ; Nec euentui; nec enim rari & inopinabiles sunt hominum actus: Nec casui; Inanimatorum enim dicunt, vel irrationabilium symptomata casus. Relinquitur igitur vtique ipsum agentem & facientem hominem principium esse propriarum operationum & arbitrio liberum. Et ad eandem conclusionem statim subiungit aliam rationem; Amplius, inquiens, si nullius est principium actus homo, superfluè habet consiliarium: ad quid enim vtetur consilio nullius ens Dominus actus? Omne enim consilium actus gratia. Quod autem optimum est & pretiosissimum eorum quæ in homine, superfluum enuntiare, inconuenientissimorum vtique erit; & capitulo sequenti rubricato, de his quæ non sunt in nobis; Eorum, inquit, quæ non in nobis, hęc quidem ex his quæ in nobis, habent principia, scilicet causas, hoc est remunerationes actuum nostrorum, & in præsenti, & in futuro sæculo, reliqua verò omnia à diuina voluntate dependent; ergo secundum eum, actus nostri non dependent à voluntate diuina, ergo nec à Deo. Item Ammonius super 1. ❧ hermenias vlt. vtuntur autem nobis Dij tanquam ‖ *autolomicis*, id est, à nobis ipsis mobilibus; & hoc modo ea quæ circa nos sunt gubernant, & omnia nobis nostramet dignitate distribuunt. Ad primum istorum ad præsens sufficiat responsio talis breuis; In rerum temporalium & spiritualium administratione videmus quod respectu eiusdem sunt plures potestates, & plura dominia secundum superius & inferius ordinata: vnde & in quibusdam partibus Maiores seu Præpositi Ciuitatum potestates dicuntur, qui tamen potestati superiori imperatorię scilicet, per omnia sunt subiecti; sicut & quidem ordo medius Angelorum, qui Potestates similiter nuncupantur, potestati diuinæ, & quidem alius medius aliorum qui dominationes dicuntur, dominationi diuinæ; Quare & ille Centurio rectè dixit, Ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, Mat. 8. Quare

[Margin notes: *Regum.* *Apostolus.* *Augustinus.* *Prosper.* *Augustinus.* *Augustinus.* *Damascen.* ‖ dicuntur: *Ammonius.* ‖ automatis, *Responsio.* *Matth.*; section letters A, B, C, D, E]

A Quare nulli dubium debet esse, quin licet voluntas creata habeat potestatem & dominium sui actus, per hoc tamen non excluditur superior potestas, & dominans, scilicet ipse Deus à superiori potestate, dominio, & efficientia respectu eiusdem. Vnde & sanctus Thomas in libro suo de potentia Dei, quæstione 20. qua quæritur, Vtrum Deus operetur in omni operatione naturæ, arguit isto modo; Voluntas est Domina sui actus: hoc autem non esset, si agere non posset, nisi Deo in ipsa operante, cum voluntas nostra non sit domina diuinæ operationis: ergo Deus non operatur in voluntate nostra operante. Et respondet hoc modo; Dicendum, quod voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causæ primæ, sed causa prima non ita agit in voluntate, vt eam de necessitate ad vnum determinet, sicut determinat naturam, & ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis & voluntatis. Cui & concorditer exponit Glossa illud Geneseos 4. Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius, sic dicens; Non super te, quia liberi arbitrij es, in potestate tua, quia liberi arbitrij es. *Thomas.*
B Secundum argumentum nullum debet mouere, qui Pelagio hæretico noluerit adhærere: Nam sicut recitat Augustinus de hæresibus 88. & Petrus 2. sentent. dist. 28. & Isidorus 8. Eth. 14. & Canon 24. quæstione vlt. Quidam autem; Hæresis sua fuit, quod homo solius liberi arbitrij viribus posset implere Dei mandata; quam & per istud idem argumentum astruere nitebatur. Vnde & Augustinus de gratia & libero arbitrio 35. dicit, Magnum aliquid se scire Pelagiani putant, quando dicunt, non iuberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? Sed ideo iubet aliqua quæ non possumus, vt nouerimus quid ab illo petere debeamus: Ipsa est enim fides quæ orando impetrat, quod lex imperat. Denique ipse qui dixit, Si volueris, conseruabis mandata, in eodem libro Ecclesiastico aliquanto post dicit; Quis dabit in ore meo custodiam, & super labia mea signaculum astutum, ne fortè cadam ab eo, & lingua mea perdat me? Iam certè mandata acceperat, Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Cum ergo verum sit quod dixit, Si volueris, conseruabis manda-
C ta, quare quærit in ore suo dari custodiam, similis ei qui dicit in Psalmo, Pone Domine custodiam ori meo? Non ei sufficit mandatum Dei & voluntas sua, quandoquidem si voluerit conseruabit mandata? Quam multa mandata Dei sunt contra superbiam? Nouit ea, si voluerit, conseruabit ea. Quare ergo paulo post dicit, Domine Pater & Deus vitæ meæ, elationem oculorum ne dederis mihi. Iam dixerat ei lex, Non concupisces: velit ergo & faciat quod iubetur, quoniam si voluerit conseruabit mandata; quare sequitur, & dicit, Concupiscentiam auerte à me. Contra luxuriam Deus quam multa mandauit? Faciat ea, quia si voluerit conseruabit mandata. Quid est, quod clamat ad eum ventris appetitio & concubitus ne apprehendat me? Si hęc ei in præsenti diceremus, rectissime nobis responderet & diceret; Ex ista oratione mea, qua hæc à Deo peto, intelligite quomodo dixerim, Si volueris conseruabis mandata: Certum est enim nos mandata seruare, si volumus, sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, vt tantum velimus, quantum sufficit, vt volendo fa-
D ciamus. Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit vt velimus bonum, de quo dictum est quod paulo antè posui, quod præparatur voluntas à Domino, de quo dictum est, A Domino gressus hominis dirigetur, & viam eius volet: Deus est enim qui operatur in nobis & velle. Certum est enim nos facere cum facimus, sed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dicit, Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis. Idem de Correptione & gratia 7. docet idem. Petrus etiam 2. sentent. dist. 28. istud argumentum Pelagianum recitat & refellit. Iulianus quoque Pelagij discipulus & sectator in epistola sua ad Demetriadem, de qua 35. primi fit mentio, innuit simile argumentum, Ascribimus, inquiens, iniquitatem iusto, dum eum aliquid impossibile præcepisse conquerimur. Hoc autem argumentum velut hæreticum cum alijs sex hęresibus recitat venerabilis Beda contra Iulianum 12. ex epistola supradicta; Et infra 18. sic respondet, Quod *Beda.*
dicit Dominum non impossibile aliquid præcepisse, qui iustus est, verum profectò dicit, si ad
E eius respicit auxilium, cui catholica vox supplicat, dicens; Deduc me in semita mandatorum tuorum. Si verò viribus animi sui fidit, refellit eiusdem iusti veridicam sententiam, qua dicit, Sine me nihil potestis facere. Item de perfectione iustitiæ 7. recitat Augustinus tale argumen- *Augustinus.*
tum Cœlestij Pelagiani; quærendum est vtrumne præceptum sit homini sine peccato esse: Aut enim non potest, & præceptum non est, aut quia præceptum est, potest; Nam cur præciperetur quod fieri omnino non posset? Et sequitur responsio Augustini, respondetur, consultissime homini præcipi, vt rectis passibus ambulet, vt cum se non posse prospexerit, medicinam requirat, quæ interioris hominis ad sanandam peccati claudicationem gratia Dei est per Iesum Christum Dominum nostrum. Idem de prædestinatione sanctorum 13. Cum di- *Augustinus.*
citur, inquiunt, scilicet Pelagiani, Si credideris saluus eris, vnum horum exigitur, alterum offertur.

fertur. Quod exigitur, in hominum, quod offertur, in Dei est potestate. Quos redarguit, subiungendo; Cur non vtrumque in Dei & quod iubetur, & quod offertur? Rogatur enim vt detur quod iubet, rogant credentes vt sibi fides augeatur, rogant pro non credentibus vt eis donetur fides. Et in suis igitur incrementis, & in suis initijs donum Dei est fides. Sic autem dicitur, Si credideris saluus eris; quemadmodum dicitur, Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis: Nam & hic ex duobus vnum exigitur, alterum offertur. Si spiritu, inquit, facta carnis mortificaueritis, viuetis. Vt ergo spiritu facta carnis mortificemus, exigitur; vt autem viuamus, offertur. Nunquid igitur placet, vt facta carnis mortificare non donum Dei esse dicamus, quoniam exigitur à nobis, præmio vitæ, si hoc fecerimus, oblato? Absit, hoc vt placeat participibus, defensoribus gratiæ: Pelagianorum est iste error damnabilis, quorum mox Apostolus ora obstruxit, adiungens; Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei, ne facta mortificare nos carnis non per Dei, sed per nostrum spiritum crederemus: de quo spiritu Dei etiam ibi loquebatur, vbi ait, Omnia autem hæc operatur vnus atque idem spiritus, diuidens propria vnicuique sicut vult, inter quæ omnia nominauit & fidem. Sicut ergò quamuis Dei donum sit facta carnis mortificare, exigitur tamen à nobis proposito præmio vitæ: Ideo Dei donum est & fides, quamuis & ipsa cum dicitur, Si credideris saluus eris, proposito præmio salutis, exigatur à nobis. Idem de sancta virginitate 17. Testes sunt voces piarum deprecationum in Scripturis sanctis, quibus ostenditur, ea ipsa quæ præcipiuntur à Deo, non fieri nisi dante & adiuuante qui præcipit: Mendaciter enim petuntur, si ea non adiuuante eius gratia facere possemus. Idem 10. Confess. 30. dicit Domino, Da quod iubes, & iube quid vis. Imperas nobis continentiam; & cum scirem (ait) quidem quod nemo potest esse continens nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum. O Deus meus attende me: Continentiam iubes; da quod iubes, & iube quid vis. Ex his Autoritatibus Augustini satis ostenditur ipsum velle, quod Actus præcepti non sit à solo homine sine Deo, nec à solo Deo sine homine, nec partim à solo homine, & partim à solo Deo, sed totus totaliter ab vtroque sicut corollarium 20. huius secundi demonstrat. Vnde & Propheta, Psalmo 118. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Ecce, primò petit actionem diuinam; Da mihi, inquit, intellectum; deinde promittit & suam; & scrutabor, inquit, &c. Rursumque petens actionem diuinam, subiungit, Deduc me in semita mandatorum tuorum, Inclina cor meum in testimonia tua. Et infra actionem propriam exprimens; Inclinaui, ait, cor meum ad faciendum iustificationes. Cor autem inclinare est facere ipsum velle, vt patet per processum Psalmistæ & per expositionem Augustini 20. secundi plenius allegatam. Item Ezech. 36. Faciam, inquit Dominus, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini. Super quod dicit Augustinus de prædestinatione sanctorum 13. Ideò enim hæc à nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur, vt intelligatur, quod & nos ea facimus, & Deus facit vt illa faciamus, sicut per Prophetam Ezechielem apertissimè dicit: Quid enim apertius quam vbi dicit, Ego faciam vt faciatis? Locum ipsum Scripturæ attendite, & videbitis illa Deum promittere se facturum vt ‖ *faciant*, quæ iubet vt fiant. Non tacet eorum merita, sed mala; quibus ostendit se reddere pro malis bona, hoc ipso quo eos facit habere deinceps opera bona, cum ipse facit vt faciant diuina mandata. Et si tu quæras, quare Deus illa præcipit homini, quæ suis viribus sine Deo non sufficit adimplere, respondet 35. primi, quòd hoc ‖ *fit* vt ostendatur hominem habere liberum voluntatis arbitrium, quo liberè potest perficere Dei præcepta: Cur enim non præcipitur homini, quod potest liberè facere quandcunque voluerit? Sed quia nihil potest facere solis proprijs viribus sine Deo, ideò docetur vt de sua virtute nihil superbè sentiat aut præsumat, sed diuinum semper auxilium imploret humiliter, in ipso spem ponat, per omniaq; confidat. Cur quæso Magister nauis non satis rationabiliter præcipit suo nautæ vt trahat nauem huc vel illuc, erigat malum, leuet velum, & similia, quorum nullum potest facere sine ipso? Hoc autem totum probant expresse autoritates 35. primi plenius allegatæ. Item Augustinus de gratia & libero arbitrio 39. Hæc omnia præcepta dilectionis, id est charitatis, quæ tanta & talia sunt, vt quicquid se putauerit homo facere benè, si fiat sine charitate, nullo modo fiat benè, inaniter darentur hominibus non habentibus liberum voluntatis arbitrium: sed quia per legem dantur & veterem & nouam, lex autem sine gratia litera est occidens, in gratia verò spiritus viuificans, vnde est in hominibus charitas nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: si autem ex Deo, vicimus Pelagianos. Sedeat ergo inter nos iudex Iohannes, & dicat nobis, Charissimi, diligamus inuicem. In his verbis Iohannes, cum se illi extollere cœperint & dicere, vt quid nobis hoc præcipitur, nisi quia ex nobis habemus, vt inuicem diligamus? sequitur continuò illud Iohannis confundens eos

Marginalia: A; B; *Augustinus.*; *Augustinus.*; C; *Propheta.*; *Ezechiel.*; *Augustinus.*; D; ‖ fiant.; ‖ fit.; E

A eos & dicens, Quia dilectio ex Deo est. Cur ergo dictum est, Diligamus inuicem, quia dilectio ex Deo est, nisi quia præcepto admonitum est liberum arbitrium, vt quæreret Dei donum, quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, vt addi sibi quæreret vnde quod iubebatur impleret? Cum dicitur, Diligamus inuicem, lex est; cum dicitur, Quia dilectio ex Deo est, gratia est: sapientia quippe Dei legem & misericordiam portat in lingua: vnde scriptum est in Psalmo; Etenim benedictionem dabit qui legem dedit. Idem de perfectione iustitiæ 21. Pręcepta vt fierent, non iuberetur, si nihil ibi nostra voluntas ageret, nec oraretur, si sola sufficeret. Et supra 12. Ad hoc enim lex ista præcepit, vt cum in his implendis homo defecerit, non se extollat superbia tumidus, sed ad gratiam fugiat fatigatus, ac si eum lex terrendo ad Christum diligendum pædagogi perducat officio. Ad illam autoritatem Ecclesiastici dicentem, quod Deus reliquit hominem in manu consilij sui, dicendum, quod per hoc ostendit hominem in possibilitate liberi arbitrij constitutum, *Augustinus*
B qua, si voluisset Dei mandata seruasset. Vnde Augustinus Hypognost. 28. recitata tota autoritate prædicta, subiungit; Quid est autem, & reliquit illum in manu consilij sui, nisi dimisit eum in possibilitate liberi arbitrij sui? In manu enim potestas intelligitur. Ipsa est prima gratia qua primus stare potuisset, si seruare Dei mandata voluisset: sed hoc nec tunc sine alio Dei speciali auxilio potuit voluisse, sicut ostendit idem Augustinus tangendo eandem autoritatem de Correptione & gratia 47. & alijs locis multis, sicut 9. & 10. secundi plenius allegarunt. Idem de perfectione iustitiæ 32. recitat Cælestium hanc autoritatem cum multis similibus allegantem; Apostolus, inquit, de quodam ait, Quid vult, faciat. Item inquit ad Philemonem de Onesimo, quem ego volueram apud me detinere, vt pro te mihi ministraret, sed sine consilio tuo nihil volui facere, vt non quasi ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. Item in Deuteronomio, Vitam & mortem dedit ante faciem tuam, bonum & malum; elige vitam vt viuas. Item apud Solomonem, Deus ab initio constituit hominem, & reliquit *Augustinus.* *Deut. 30.* *Ecclesiastici 15.*
C eum in manu consilij sui &c. Item apud Esaiam, Si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt terræ manducabitis; si autem nolueritis nec obaudieritis me, gladius vos comedet; Os enim Domini loquutum est hæc. Hæc scelestus Cælestius, non cælestis: & subdit cælicus Augustinus; Hic verò quantumlibet isti se obtegant, aperiuntur: Declarant enim se contra Dei gratiam & misericordiam disputare, quam volumus impetrare cum dicimus, Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra; vel, Et ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. Vt quid enim ista orando tanto gemitu petimus, si volentis hominis & currentis, non miserentis est Dei? Non quia hoc sine voluntate nostra agitur, sed quia voluntas non implet quod agit, nisi diuinitus adiuuetur. Hæc est fidei sanitas, quę nos facit quærere, vt inueniatur; petere, vt accipiatur; pulsare, vt aperiatur nobis: Contra istam qui disputat, contra seipsum claudit ostium misericordiæ Dei. Nolo plura dicere de re tanta, quia melius eam committo fidelium gemitibus, quàm sermonibus meis: Videte tamen obsecro quale sit, Ideò volenti & cur- *Augustinus.*
D renti misericordia Dei non est necessaria, quæ etiam illum præuenit vt curreret, quia de quodam ait Apostolus, quid vult faciat? Ibi autem arbitror, vbi sequitur & dicitur, Non peccat si nubat, quasi pro magno habendum sit velle nubere, vbi de adiutorio diuinæ misericordiæ operosius disputatur: Aut verò etiam ibi prodest aliquid velle, nisi Deus prouidentia, qua gubernat omnia, marem fæminamque coniungat: Aut verò quoniam ad Philemonem scripsit Apostolus, vt non quasi ex necessitate bonum eius esset, sed voluntarium, quasi aliter sit voluntarium bonum, nisi cum Deus operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate: Aut quia in Deuteronomio scriptum est, Vitam & mortem dedit ante faciē hominis, bonum & malum, & admonuit vt eligeret vitam, quasi & ipsa admonitio non de misericordia veniat, vel aliquid prodesset eligere vitam, nisi Deus eligendi charitatem inspiraret, & electam habere præstaret, de quo dictum est, Quoniam ira in indignatione eius & vita in voluntate eius: Aut quia dictum est, Si voles, præcepta seruabunt te; quasi non debeat Deo gratias agere,
E quia præcepta voluit qui desertus omni lumine veritatis hæc velle non posset. Positis ante hominem igne & aqua, ad quod vult quidem porrigit manum: Sed altior est qui vocat, & nemo potest venire ad me, ait princeps fidei, nisi pater, qui misit me, traxerit illum. Magnum autem aliquid pro sua causa [*inuenire*] se arbitratus est apud Esaiam Prophetam, quia Deus dixit, Si volueritis, & audieritis &c. quasi non lex tota huiusmodi conditionibus plena sit, aut ob aliud superbis præcepta ista data sunt, nisi quia lex præuaricationis gratia posita est, id est, vt acciperet homo præcepta, superbè de suis viribus fidens, in quibus deficiens, & factus etiam præuaricator, liberatorem saluatoremque requireret; atque ita eum timor legis humilem factum, tanquam pædagogus ad fidem gratiamque perduceret: ita multiplicatis infirmitatibus postea accelerauerunt; & ad hoc idem vadit directè totus eius liber de spiritu & litera nominatus.

Thomas. minatus. Item Sanctus Thomas de potentia Dei, quæstione 20. supradicta arguit isto modo, A Ecclesiastici 15. dicitur quòd Deus fecit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui: non autem reliquisset, si semper in voluntate operaretur; ergo non operatur in voluntate operante. Et respondet, Dicendum quod Deus non dicitur reliquisse hominem in manu consilij sui, quin in voluntate operetur, sed quia voluntati hominis dedit dominium sui actus, vt non esset obligata ad alteram partem contradictionis, quod quidem dominium naturæ non dedit, cum per suam formam sit determinata ad vnum. Beatus quoque Prosper *Prosper.* contra Casſianum, postquàm cap. 16. ostendebat actum voluntatis fieri tam à Deo, quàm ab homine, capit. 17. recitat simile argumentum Casſiani Pelagiani, per similem autoritatem ad conclusionem præmissam, adiacere homini dicit Casſianus arbitrij libertatem. Etiam Liber, *Pastor.* qui dicitur esse Pastoris, apertisimè docet, in quo duo Angeli vnicuique nostrum adhærere dicuntur, id est, bonus & malus; in hominis verò optione consistere vt eligat quem sequetur, & idcircò manet in homine liberum semper arbitrium, quod gratiam Dei posſit vel negligere B vel amare. Qui & 19. capitulo respondendo primò dicit, librum Pastoris nullius autoritatis *Prosper.* existere, & consequenter probat diffusè per multa loca Scripturæ, quod voluntas non est sic libera quod posſit facere aliquid sine Deo, sed quodcunque cum eo. Vnde & subdit, Ita nec libera est ista libertas, vt tantum ex se habeat fastidij vt negligat gratiam Dei, tantum ex se habeat delectationis, vt diligat. Et probat, quia de || *Lydia* purpurata scribitur, quod Deus ap- || Lidda. peruit cor eius, vt intenderet his quæ à Paulo dicebant; & quia secundum Apostolum, charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, & quia secundum Iohannem, dilectio ex Deo est: Ex quibus concludendo, subiungit; Agnoscat ergo humana egestas hoc quod de quibuslibet bonis rectè dicitur, multo rectius dici de eo sine quo bona cuncta non prosunt, Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Pro tertio argumento satis respondet 34. primi: Pro quarto verò respondet capitulum proximum, cum eodem 34. primi; Potest tamen pro isto specialiter ita dici, quòd cum arguitur malum actum benè placere Deo, hoc verbum (bene) potest determinare placere Deo ra- C tione placentiæ diuinæ, & sic nulli dubium est, quin sicut actus malus placet sibi, sic summe benè placet sibi, sicut prima suppositio primi, & tertia pars corollarij eius probant; aut ratione actus beneplaciti, & hoc vel ratione substantiæ actus, vel ratione eius malitiæ. Si ratione actus, adhuc dupliciter, quia vel bene naturaliter, & sic verum, vel bene moraliter, & sic falsum. Si ratione eius malitiæ, sic non efficitur propriè ab homine, nec à Deo, quia per 26. primi, sic non est effectum nec aliquid, sed priuatio pura tantum. Quintum argumentum fuit Casſiani Pelagiani ad eandem conclusionem probandam, sicut recitat sanctus Prosper in libro, quem edidit contra eum capit. 15. in hæc verba; Volens, scilicet Casſianus, probare quod religiosæ cogitationes & sancta consilia nulla Dei inspiratione concepta de naturali posſint prodire sapientia, ponit verba Salomonis dicentis; Voluitque Dauid pater meus ædificare domum nomini Domini Dei Israel; Et ait Dominus ad Dauidem patrem meum, Quòd D cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente pertractans; veruntamen tu non ædificabis domum nomini meo. Hæc ergo cogitatio atque iste tractatus Regis Dauidis, vtrumne bonus fuit & ex Deo, an malus, & ab homine fuisse dicendus? Si enim bona & ex Deo fuit illa cogitatio, cur ab eo in quo inspirata est, denegatur effectus? Si autem mala & ex homine fuit, cur laudatur à Domino? Restat ergo vt & bona, & ab homine fuisse credatur, in quem modum etiam nostras quotidiè cogitationes posſumus iudicare: Neque enim aut soli Dauidi bonum ex semetipso cogitare concessum est, aut nobis nequid boni vnquam sapere aut cogitare posſimus naturaliter denegatur. Cui Prosper respondendo subiungit; Nullo modo hoc testimonio atque argumento probari potest, quod piæ cogitationes ex solo libero arbitrio, & non ex Dei inspiratione nascantur: Non enim ideo voluntas Dauidis, quæ vtique bona erat, non ex Deo fuisse credenda est, quia templum sibi Dominus non ab eo ædificari, sed à filio ipsius voluit; quod vt ex exemplis magis elucescat, requiramus vbi Deus noluerit, quod homines facere Deo volente voluerunt. Dominus Apo- E stolis præcepit, dicens; Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti, docentes eos seruare omnia quæ mandaui vobis: Quod cum Apostoli audierunt, sine dubio non verba nuda per corporales sonos exterioribus tantùm auribus acceperunt, sed virtute viuentis verbi accensa est in cordibus eorum inextinguibilis flamma charitatis, qua ardentisimè vellent Euangelium in omnibus gentibus prædicare. Sed cum vetiti sunt loqui verbum in Asia, & ire in Bythiniam prohibiti sunt à Spiritu Iesu; Nunquid non ex Deo hanc voluntatem habebant, quod etiam istorum optabant ad fidem corda conuertere, quos occulto iudicio Deus Euangelium tunc nolebat audire? Aut quia Ecclesia quo-

A tidiè pro inimicis suis orat, id est, pro his qui nondum Deo crediderunt, nunquid non ex spiritu Dei facit? Quis hoc dixerit, nisi qui hoc non facit, aut qui putat fidem non esse donum Dei? Et tamen quod pro omnibus petitur, non pro omnibus obtinetur: nec est iniquitas apud Deum, qui sæpe postulata non tribuit quæ postulare donauit. Hoc idem docet Augustinus 22. de Ciuit. Dei 2. Sicut trigesimum tertium primi plenius allegauit. Nec debet hoc videri mirabile, quia sancti sic sanctè volentes, & si vno voluto careant, aliud tamen volutum consequuntur, scilicet ipsum Deum, propter quem finaliter cætera sanctè volunt, & quia similiter merito suo & præmio non fraudantur, & quia forsitan ipsi nolunt aliquid talium penitus absolutè, sed tantùm sub hac conditione expressa vel tacita; Si hoc fuerit placitum coram Deo, sicut in vicesimo quinto primi fuerat persuasum: quare probari non potest quod volutiones huiusmodi fiant frustra. Sexto verò argumento respondet vicesimum quintum secundi, & tricesimum quartum primi. Ad illam vero autoritatem hypognost. 33. dicen- *Augustinus.*
B tem, quod liberum arbitrium hominum non potest peragere aliquid quod ad Deum pertinet sine Deo, sed tantum opera vitæ præsentis bona & mala, dicendum, tantum intelligere Augustinum, quod liberum arbitrium non potest peragere aliquod opus suum ad Deum pertinens sine Deo, id est, sine Dei gratia, & eius charitate per spiritum sanctum in cordibus nostris diffusa, sicut satis ostendit tricesimum nonum primi: Potest tamen opera vitæ præsentis, licet non sine eius influentia generali ac prouidentia & efficientia speciali. Quare numeratis quibuscunque vitæ præsentis operibus, reliquis vero vniuersaliter comprehensis, subiungit; Quæ omnia non sine gubernaculo diuino subsistunt, imo ex ipso, & per ipsum sunt, & esse cæperunt. Et quod in loquutionibus talibus Augustinus intelligat modo dicto, ipsemet sit testis de perfectione iustitiæ 32. vbi recitato argumento Cælestij, per quod volebat ostendere ex se solo hominem posse velle, quia de quodam dicit Apostolus, quid vult, faciat; sic subiungit; Videte tamen obsecro quale sit, ideò volenti & currenti misericordiam Dei non esse necessari- *Augustinus.*
C am, quæ illum etiam præuenit vt curreret, quia de quodam ait Apostolus, Quid vult, faciat. Ibi arbitror, vbi sequitur, Non peccat si nubat, quasi pro magno habendum sit velle nubere, vbi de adiutorio diuinæ misericordiæ operosius disputatur: aut vero etiam ibi prodest, aliquid velle, nisi Deus prouidentia qua gubernat omnia marem fœminamque coniungat; vnde & Parab. 19. Domus & diuitiæ dantur à parentibus, à Domino autem proprie vxor prudens: Glossa, à Domino autem propriè, id est, immediate & per se datur vxor bona. Quare & sacra Scriptura alijque Autores, vbi loquuntur similiter, sunt similiter exponendi, sicut & similia quædam exposuit tricesimum quartum primi. Pro septimo argumento dicendum, quòd si ille Damascenus sic intellexit interius, sicut verba sua sonant exterius, ab omnibus Philosophis & Theologicis incunctanter & simpliciter est negandus; & re vera secundum regulam veritatis Magistri nostri Matth. 12. Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis: ex verbis eius intellectum eius conijciens, credo quod sicut verbaliter pro- *Parabola.* *Contra Damascenum.*
D tulit, sic & mentaliter intellexit; maximè, quia illum intellectum toties exprimit, & secundum illum totum processum capitulatim contexit, nec aliqua lateralia verba profert, ex quibus possit rationabiliter elici alius intellectus. Igitur cum dicit Deum non esse causam efficientem actuum humanorum, Interimo istam planè; & ad rationem suam primam dicentem, Non enim Deo fas est inscribere quandoque actus turpes & iniustos, respondet vicesimum quintum secundi, & tricesimum quartum, & vicesimum sextum primi. Ad secundam dicendum, quod illa non probat, quod homo sit aliter Dominus sui actus liberi voluntatis, quàm sui consilij intellectus; sed sui consilij non est sic Dominus, quin seruus & instrumentum superioris Domini, scilicet intellectus agentis Domini Dei nostri, sicut sextum primi, & vicesimum secundi docebant: Vnde & Philosophus in De bona fortuna 2. Sicut sextum primi plenius allegauit; Non enim consiliabatur consilians, & antequam consiliaretur, sed est principium quoddam, nec intellexit intelligens priusquam intelligeret, & hoc in infinitum: Non
E enim eius quod est intelligere intellectus principium, nec consiliandi consilium. Quid igitur? Et respondet; Aut est aliquod principium cuius non est aliud extra ipsum, aut quia tale secundum esse, tale potest facere. Quod autem quæritur, hoc est, quid motus principium in anima? Palam, quemadmodum in toto, Deus: mouet enim aliquo modo omnia, quæ in nobis, diuinum; rationis autem principium non ratio, sed aliquid melius: Quid igitur erit melius & scientia & intellectu nisi Deus? Virtus enim intellectus organum. Ipse quoque secundum Prophetam est terribilis in consilijs super filios hominum, Psalmo 65. & Iob. 12. In cuius manu anima omnis viuentis, & spiritus vniuersæ carnis hominis, Ipse habet consilium & intelligentiam. Si destruxerit, nemo est qui ædificet; si incluserit hominem, nullus est qui aperiat; si continuerit aquas, omnia siccabuntur; si emiserit eas, subuertent terram. Quare *Iob.*

&

Ioseph. & Ioseph in Aegypto fratribus suis dixit, Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus A
Esaias. sum. Nec mirum; ipse namque est spiritus sapientiæ & intellectus, & spiritus consilij, Esaię 11. Hæc enim omnia operatur vnus atque idē spiritus diuidens singulis prout vult. 1. ad Cor. 12. Ipse igitur diriget consilium, Ecclesiastici 39. Hæc igitur ratio non concludit, quod homo sit Dominus sui actus liberi voluntatis, quin etiam seruus & instrumentum superioris Domini, sicut de actu consilij est ostensum. Et quia secundum Philosophum 1. Phys. 22. vno in-
Philosophus. conuenienti assignato, alia contingunt; & secundum eundem 1. de Cœlo 31. Qui modicum transgressus fuerit à veritate in principio, discedēs fit longè plus decies millies; in isto vno principio incōuenienti à veritate transgrediens scilicet, quod solus homo sine Deo efficit actus suos, vlterius procedendo in multa inconuenientia alia, imò & inconuenientiora decies millies
Nota 12. inconuenientia contra Damascenum. est deductus. Ex isto enim primo inconuenienti sequitur hoc secundum, quòd omnia, quæ sequitur laus & vituperatio, per nos solos aguntur; Et inde hoc tertium, quod omnia in quibus est persuasio vel lex posita, possunt sic agi à nobis, vt patet cap. quadragesimo [primi.] B
2. Quod si intelligatur sine diuina gratia nos iuuante, est hæresis Pelagij, vt patet superius hoc
3. eodem capitulo, & tricesimo nono primi; si autem intelligatur cum huiusmodi gratia, illa
|| 48 efficit actus nostros laudabiles & obseruationem legis diuinæ, sicut || *quadragesimum* primi docet, & non sine Deo specialiter coagente, vt docet quadragesimum secundum eiusdem, & videtur quod intelligat sine gratia, quia de ipsa non facit in toto processu aliquam mentionem. Sequitur etiam ex hoc quartum, quod in solis nobis sine Deo sit accipere omnem artem; quod
4. & concedit cap. quadragesimo contra præostensa de intellectu agente vicesimo huius secun-
5. di. Quintum inconueniens, consequens tamen est istud, quod remunerationes nostræ in præsenti & in futuro, & per consequens tota prædestinatio electorum dependet à voluntate humana, & non diuina: vnde cap. quadragesimo secundo sic ait; Eorum quę non in nobis, hæc quidem ex his, quæ in nobis, habent principia & causas, hoc est, remunerationes actuum
|| ipsorum || *nostrorum* in præsenti & in futuro sæculo; reliqua verò omnia à diuina voluntate dependent; ergo secundum eum ista non dependent à voluntate diuina, sed tantum humana; quare & prædestinatio ipsa non est præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro: ergo & prædestinatio esset ex operibus prædestinatorum, non ex Deo prædestinante; quod est hæresis Pelagiana, vt per totum patet quadragesimum quartum, & quadragesimum quintum C
6. primi. Sextum est, quod actus humani nequaquam sub diuina prouidentia continentur, quia si Deus illos non facit, ergò non vult illos, vt per decimum primi patet, quare nec vnquam voluit, vt per vicesimum tertium primi patet; quare nec vnquam prouidit; vt per vicesimum septimum & sequentia primi patet: vnde & huic deductioni, seu huius deductionis principio
Damascenus ipsemet innitens capitulo quadragesimo secundo de prouidentia prænotato, sic ait; Necesse est enim eundem esse factorem eorum quæ sunt, & prouisorem; neque enim decens, neque conueniens est, alium quidem esse factorem vniuersorum, alium autem prouisorem: Ita enim D
in imbecillitate omninò sunt vtrique, hic quidem faciendi, hic autem prouidendi. Et infra consequenter ostendit, quod omnia illa quæ non sunt in nobis, sicut sub diuina efficientia, sic sub diuina prouidentia continentur; ea verò quæ sunt in nobis nequaquam: vnde sic ait; Cogitationes nostræ, & actiones, & quæ futura ei soli cognita. Omnia autem dico quæ non in nobis; quæ enim in nobis, non prouidentiæ sunt, sed nostri liberi arbitrij; quod est contra
7. tricesimum & sequentia primi libri. Septimum autem ex isto sexto sequitur euidenter, scilicet quod Deus nulli prędestinauit opera sua bona, nec quenquam bonum futurum. Nihil enim prædestinauit, quod non prouidit; quod est contra quadragesimum quartum, & quadragesimum quintum primi. Quare & ipsemet cap. quadragesimo quarto intitulato de præcognitione & prædestinatione, sic ait; Oportet autem scire, quoniam omnia quidem præcognoscit Deus, non omnia autem prædeterminat, præcognoscit quidem & quæ in nobis, non prædeterminat autem ipsa, id est, prædestinat. Et cap. nonogesimo primo, Oportet scire, quoniam consuetudo est diuinæ Scripturæ permissionem Dei eius actionem vocare, vt E
Apostolus. quando dicit Apostolus in epistola ad Romanos, Aut non habet potestatē figulus ex eadem massa luti facere hoc quidem in honorem, vas illud autem in dehonorationem? Nam quoniam quidem ipse fecit hæc & illa: solus enim ille est vniuersorum conditor, sed non ipse honorabilia construit vel dehonorabilia, sed propria vniuscuiusque voluntas; & hoc manifestum, ex quibus ipse Apostolus in epistola secunda ad Timotheum ait; In magna domo, non sunt solum vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & hæc quidem in honorem, illa autem in dehonorationem. Si quis igitur purgauerit seipsum ab his, erit vas in honorem sanctificatum [in honorem Dei] & vtile dominatori in omne opus bonum paratum: manifestum autem quod voluntariè purgatio fit. Si quis enim, ait, purgauerit seipsum. Et idem ostendit ex alia

alia parte in malo, & subdit, hæc omnia non vt Deo agente suscipienda, sed vt Deo permittente. Ex hoc autem septimo sequitur istud octauum, quòd peccator adultus quiscunque per 8
se sine Dei gratia, & sine aliquo eius auxilio potest resurgere à peccatis: Si enim Deus non prædestinauit peccatori actum pœnitentiæ quo resurgit; ergo nunquam illum voluit, nec vult nunc, cum sit immutabilis, per vicesimum tertium primi; ergo nec facit, quia nihil facit ad extra purè naturaliter, sed tantum voluntarie, vt docuit nonum primi. Et hoc plane testatur dictum eius proximo allegatum: Dicit enim quod dictum Apostoli ad Romanos asserens Deum facere vas in honorem, intelligitur tantum de permissione, & quod non [ipse] Deus honorabilia vasa constituit, sed propria vniuscuiusque voluntas. Nec ratio sua valet: Non ipse Deus, inquit, honorabilia constituit, sed propria vniuscuiusque voluntas; quia dicit Apostolus, Si quis purgauerit seipsum erit vas in honorem. Manifestum autem quod voluntariè
B purgatio fit: Si quis enim ait, purgauerit seipsum: modo non sequitur, homo se purgat, ergo Deus eum non purgat, quia & homo purgat manus suas & aqua similiter, & adhuc qui aquam infundit; & quia per corollarium vicesimi primi huius secundi, tam Deus quàm homo facit totum actum voluntatis humanæ. Vnde sicut dicit hic Apostolus; Si quis purgauerit se, vel secundum translationem Hieronymi, emundauerit; Ita & alibi idem dicit; Purgationem peccatorum faciens, scilicet Dei filius Iesus Christus ad Hebr. 1. Et infra eiusdem nono, Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis. Et Dominus de Christo, Sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, Malach. 3. Et filius de patre; Omnem qui fert fructum, purgabit eum, Ioh. 15. & Act. 15. Fide || *purificans* corda eorum. Et Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus || *iniquinamentis* vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos, & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et Esaiæ 43. Ego sum, ego sum ipse, dicit Dominus, qui deleo iniquitates
C tuas propter me: Et infra; Narra si quid habes vt iustificeris, quasi diceret, ex te nihil. Quod sane videns Propheta || *Domini* humiliter precabatur, Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius, Laua me Deus ab iniustitia mea, & à delicto meo munda me. Asperges me Domine, hysopo, & mundabor; lauabis me, & super niuem dealbabor, Psalm. 50. Sed quia, sicut prædictum est, Deus non lauat peccatorem adultum, nisi etiam ipse collauerit, seu lauanti coegerit; ideo dicit idem Propheta, Lauabo per singulas noctes lectum meum; lacrymis meis stratum meum rigabo, Psalmo 6. Et Esaiæ 1. Lauamini, mundi estote, & auferte malum cogitationum vestrarum. Et Ierem 4. Laua à malitia cor tuum Ierusalem, vt salua fias. Et Iacob. 4. Emundate manus peccatores, purificate corda duplices animo. Et Augustinus de verbis Apostoli Sermone 15. Qui creauit te sine te, non iustificat te sine te: Istud autem octauum prædictum quàm impiè sonet pijs auribus, quis catholicorum ignorat? Est enim peius hæresi Pelagiana, quæ dixit gratiam non esse necessari-
D am ad merendum, eamque omnem secundum merita nostra dari, hac sola excepta qua peccata homini dimittuntur, vt dicit Augustinus de Gratia & libero arbitrio 16. Est etiam contra quadragesimum tertium primi libri. Et ex isto octauo sequitur istud nonum, quod homo 9
potest primam Dei gratiam promereri cum tota Pelagiana hæretica prauitate: Si enim homo peccator inimicus Dei, & Deo ingratus ex se solo potest se purgare, potest ex se solo ab ira & inimicitia Dei ad eius amorem & amicitiam, & per consequens ad primam charitatem & gratiam se transferre. Quare & capit. 43. ita dicit; Oportet autem scire, quoniam electio quidem operationum in nobis est, finis autem bonarum quidem Dei operationis iustè cooperantis præelegentibus bonum iusta conscientia secundum præcognitionem eius: Hoc autem est contra tricesimum quintum primi, & alia quæ sequuntur. Ex hoc autem nono sequitur de- 10
cimum, quod homo ex se solo potest sequi Deum vocantem; vnde & capit. 44. sic dicit; Oportet autem scire, quoniam virtus quidem ex Deo data est naturæ, & ipse est omnis boni
E principium & causa; In nobis autem est sequi Deum ad hanc vocantem, vel recedere. Et supra 43. Finalis derelictio est, quando, Deo omnia quæ ad salutem faciente, insensibilis & immedicabilis, magis autem incurabilis ex proprio proposito permanet homo. Vbi innuit euidenter, quod vocatio, seu pulsatio Dei exterior sufficit homini absque vocatione interiori, & apertione cordis humani digito dextro Dei: Hoc autem est contra tricesimum octauum pri-
mi. Ex his etiam sequitur vndecimum manifestè, scilicet quod homo ex se solo potest perse- 11
uerare finaliter in virtute; quare & capit. quadragesimo quarto dicit; Oportet autem scire, quoniam virtus quidem ex Deo data est naturæ, & ipse est omnis boni principium & causa; In nobis autem est vel permanere in virtute, vel recedere à virtute, quod est in malitia fieri. Hoc autem est contra octauum secundi, & alia quæ sequuntur. Duodecimum inconueniens se- 12
quens

Apostolus. *Malachias.* *Iohannes.* *Acta.* || purgans *Ezechiel.* || iniquitatibus. *Esaias.* || Deum *Psalmus.* *Propheta.* *Esaias.* *Ieremias.* *Iacobus.* *Augustinus.*

quens ex præmiſsis, ſeu potius ex quo ſequuntur præmiſſa, eſt iſtud, quod ſi Deus ageret actus voluntarios hominum, violentaret & compelleret voluntatem: neſciuit enim videre quomodo actio Dei in volutionibus hominum, & libertas arbitrij ſimul ſtarent. Et hoc, vt opinor, fuit originalis cauſa totius ſui erroris: vnde & capit. nonodecimo primo tractans quomodo Deus facit vnum vas in honorem, & aliud in dehonorationem, oſtendit quod hoc eſt tantummodo permiſsiuè non propriè effectiuè, ſicut in ſeptimo inconuenienti erat ſuperius recitatum; enumeratiſque alijs locis ſimilibus de Scriptura ſubiungit; Hæc autem omnia non vt Deo agente ſuſcipiendum, ſed vt Deo permittente. Et ſtatim exprimens cauſam, dicit, Propterea quod liberum arbitrium eſt inuiolentum quoad bonum; vel ſecundum aliam literam, propterea quod liberi arbitrij eſt, inuiolentum quoad bonum. Et capit. quadrageſimo quarto ſic ait; Oportet autem ſcire, quoniam omnia quidem præcognoſcit Deus, non autem omnia prædeterminat. Præcognoſcit quidem & quæ in nobis, non prædeterminat autem ipſa: Non vult enim malitiam fieri, nec compellit virtutem; quaſi diceret manifeſtè; Ideò Deus non prædeterminat virtuoſa opera quæ in nobis, quia tunc compelleret nos ad illa. A B

Stephanus. Iſte autem error damnatus eſt & excommunicatus à Domino Stephano Pariſienſi Epiſcopo ſub hac forma; Quod aliqua poſſunt caſualiter euenire reſpectu primæ cauſæ, & quod falſum eſt, omnia eſſe præordinata à prima cauſa, quia tunc euenirent ex neceſsitate. Iſte ſimiliter eſt error Pelagij damnatus in Synodo Palæſtina, ſicut ſatis teſtatur liber Proſperi contra Caſsianum: vnde & in fine recitantur 13. errores Pelagij. Iſte ponitur vndecimus ſub his verbis, Et non eſſe liberum arbitrium ſi Dei indigeret auxilio, quoniam in propria voluntate habet vnuſquiſque facere aliquid, aut non facere. Non ſolum autem in iſto, ſed & in alijs multis incidit in articulos Pariſijs condemnatos. Quorum vnus eſt, quòd humani actus non reguntur prouidentia diuina: Alius eſt, quod in cauſis efficientibus cauſa ſecunda habet actionẽ quam non accipit à prima: Tertius eſt, quod in cauſis efficientibus ceſſante prima, non ceſſat ſecunda ab operatione ſua, dum tamen ſecunda operetur ſecundum naturam ſuam: Quartus eſt, quòd omnes motus voluntarij reducuntur in motorem primum: error, niſi intelligatur in motorem primum ſimpliciter non cauſatum, & intelligendo de motu ſecundum ſubſtantiam, non ſecundum deformitatem. Adhuc autem præter hæc omnia eſt aliud inconueniens contrarietatis & repugnantiæ ſibi ipſi: Nam capit. triceſimo nono dicit, quod Deus non efficit actus noſtros: Et capit. quadrageſimo quarto ait; Oportet autem ſcire quoniam virtus quidem ex Deo data eſt naturæ, & ipſe eſt omnis boni principium & cauſa, & ſine eius cooperatione & auxilio impoſsibile eſt bonum velle vel facere nos. Et capit. 42. dicit quod permanentia noſtra reponenda eſt Deo: eſt enim eius virtutis contentiuæ. Si ergo ſubſtantia non poteſt per ſe permanere, ſed neceſſariò indiget virtute diuina quæ contineat, & continuè teneat ipſam in eſſe; à multo fortiori nec poteſt aliquod accidens, quare nec aliquis actus voluntatis creatæ. Quamobrem ſicut actus voluntatis iam factus non poteſt permanere, niſi ipſo ſpecialiter conſeruante; ita nec poterit fieri, niſi ipſo etiam ſpecialiter faciente. Item capit. quadrageſimo tertio, primo || *probat*, quod omnia diuina prouidentia gubernantur: ſecundò vero dicit quod ea quæ ſunt in nobis non ſunt prouidentiæ, ſed noſtri liberi arbitrij. Et ſi tu dicas pro eo, quod non intelligit illam primam vniuerſalem dicentem; Omnia diuina prouidentia gubernari, vniuerſaliter abſolutè, ſed de omnibus naturalibus rebus tantum, ſaltem omnes rationes quas fecit ad illam vniuerſalem ſub illo intellectu probandam, probant & de voluntarijs æquè bene vel melius, ſicut cuilibet conſiderare volenti faciliter apparebit. Eodem quoque capit. primo dicit, quod prouidentia eſt voluntas Dei propter || *quam* omnia, quæ ſunt, conuenientem deductionem ſuſcipiunt: Secundo autem dicit, quod ea, quæ ſunt in nobis, non ſunt prouidentiæ, ſed noſtri liberi arbitrij. Si ergo actus noſtri non ſunt prouidentiæ, nec ſunt voluntatis diuinæ, nec Deus vult illos, quia nihil vult nouiter, per viceſimum tertium primi libri. Tertio verò dicit, Eorum autem quæ in nobis, quæ quidem bona antecedenter vult & acceptat. His autem non obſtantibus, ſi quis eum gloſſare voluerit, poteſt dicere coloratè, quòd ipſe non intendit probare quod Deus nullo modo efficit actus humanos, ſed quod Deus non ſic iſtos efficiat, quin homo ſimiliter faciat ſuos actus; nec etiam Deus ſic facit actus humanos, quod compellat aut violentet hominem ad agendum, tollendo ſibi vſum liberum voluntatis, laudemque & vituperium hominis excludendo: vnde & illo capit. trigeſimo nono ſic dicit; Cui ergo horum ſubijcimus quæ per homines ſunt, ſiquidem homo non eſt cauſa & principium actuum &c. in principio recitata? Et capit. quadrageſimo primo, Omnis conſilians, in ſeipſo ente electione actibilium conſiliatur, vt quod præiudicatum eſt ex conſilio eligat, & eligens agat: ſi vero hoc ex neceſsitate exiſtit rationali, liberum arbitrium non erit rationale, aut rationale ens Dominus actionum, & liberum arbitrio; Vnde & irrationalia non ſunt libera

Proſper. — 13 — *Damaſcenus* — *Damaſcenus* — || monſtrat, — || quem — C D E

A bera arbitrio: aguntur enim magis à natura quam agant, ideoque non contradicunt naturali appetitui, ſed ſimul appetunt quid, & impetum faciunt ad actum; homo autem rationalis ens magis agit naturam quam agatur; ideoque appetens, ſi equidem velit, poteſtatem habet refrænare appetitum, vel ſequi eum; vnde irrationalia quidem nec laudantur, nec vituperantur, homo autem & laudatur, & vituperatur. Et ad hoc idem poſſunt adduci alia eius dicta de compulſione & violentia in oſtenſione vndecimi inconuenientis ſuperius recitata. Vltima verò autoritas, ſcilicet ipſius Ammonij, nihil obſtat, ſed probat intentum: Dicit enim, Vtuntur nobis dij tanquam || autolomicis, id eſt, à nobis ipſis mobilibus; vult ergo quod Deus in motibus noſtris vtatur nobis tanquam ſuis inſtrumentis, non tamen vt inſtrumentis inanimatis, aut animatis irrationabilibus quæ de neceſſitate mouentur, ſed velut rationabilibus quæ ex ſeipſis, id eſt, ſua libera voluntate mouentur. Quare & ſubdit, & hoc modo ea quæ circa nos ſunt gubernant; quod tamen non facerent, niſi etiam actus noſtros liberos guber-
B narent, nec eos gubernare valerent, niſi prouidentia mediante; nec prouidentia poteſt eſſe ſine voluntate diuina, & ipſa eſt neceſſariò efficax, ſicut decimum primi docet: ergo ſecundum ipſum, Deus per ſuam prouidam voluntatem efficit omnem actum liberum voluntatis humanæ.

|| forte, automatis

CAP. XXIX.

Quod voluntas increata & creata in coefficiendo actum voluntatis creatæ, non ſunt coæquales, nec coæquæuæ in ordine naturali.

C NVnc igitur ſtabilito quòd omnem actum voluntatis creatæ propriè agit Deus & creatura ſimiliter, voluntas increata etiam & creata, reſtat conſequenter inquirere, an iſtæ duæ cauſæ agentes ſint in iſta ſua actione communi æquales in ordine naturaliter & coæquæuæ, aut vna illarum alteram naturaliter antecedat, & ſi ſic fuerit, quæ ſit illa. Si autem ponantur æquales in ordine actionis & naturaliter coæquæuæ, ambæ reducuntur ad aliam tertiã naturaliter his priorem, per cuius agentiam iſtæ agunt; quoniam ſic eſt in omnibus taliter ordinatis, ſicut omnes Philoſophi vnanimiter conteſtantur, quorum teſtimonia aliqua, primum, ſecundum, tertium, & quartum primi, & ſpecialiter probatio [tertij] corollarij, ſecundi capituli primi libri plenius recitarunt: Ergo Deus agens habet cauſam agentem priorem, cuius virtute & agentia ipſe agit. Illa cauſa neceſſariò non eſt Deus, ſed creatura; ergo in actione communi
D creaturæ & Dei, creatura eſt prior in ordine agendi quàm Deus. Et ſi hoc ſit verum de aliqua creatura in aliqua actione, hoc maximè videtur de creatura rationali in ſua libera actione: ſed hypotheſis poſuit ipſos pares. Docent quoque multi Philoſophi multis locis, quod omnis motor, vel eſt primus ſimpliciter, vel ad illum reducitur in mouendo, vt patet quarto & tertio primi libri, & viceſimo huius ſecundi. Si ergo Deus & creatura rationalis in ſua motione communi ſint pares in ordine, neuter illorum eſt ſimpliciter primus motor, vt patet per proximam rationem: & quia ille eſt vnicus, nec eſt poſsibile plures eſſe, ſicut docet Philoſophus 8. Phyſicorum, & 12. Metaphyſ. & alij Philoſophi alibi multis locis; quod & teſtatur illud vulgatum 5. Topic. ſcilicet, quod per ſuperabundantiam dicitur, Vni ſolo inerit, vt ignis eſſe leuiſsimum. Vnde & Propheta, Tu ſolus altiſsimus in omni terra, Pſalmo 72. Ergo Deus in huiuſmodi motione habet motorem priorem &c. ſicut prius.

Philoſophus.
Propheta.

E

A

CAP. XXX.

Quod in omni actione communi voluntatum increatæ & creatæ, increata creatam naturaliter antecedit.

DEstructa siquidem prima parte diuisionis præmissæ, quare & constructa secunda, de tertia inquirendum: Superbissimus namque Pelagius, quia superbior Lucifero, qui Deo voluit coæquari, compulsus vt Deum coeffectorem humanorum actuum fateretur, prioritatem & superioritatem sibi vendicat super Deum, & in actione communi hominem priorem naturaliter & superiorem constituit, Deum vero posteriorem naturaliter & subiectum, & voluntatem humanam diuinæ præficit voluntati, sicut in tractatu primi de gratia tangebatur. Vnde & humilis Augustinus de prædestinatione sanctorum ad Prosperum B
Augustinus. & Hilarium 3. destructo per testimonia sacræ Scripturæ errore Pelagij affirmante fidem, scilicet actum fidei esse nobis ex nobis tantummodo sine Deo, subiungit; Nolens ergo his tam claris testimonijs repugnare, & tamen volens à seipso sibi esse quod credit, quasi componit homo cum Deo, vt partem fidei sibi vendicet, atque illi partem relinquat; & quod est elatius, primam tollit ipse, sequentem dat illi, & in eo quod dicit esse amborum, priorem se facit, posteriorem Deum. Idem de hæresibus 88. sic ait; Denique Pelagius à fratribus increpatus, quod nihil tribuerit adiutorio gratiæ Dei ad eius mandata facienda, correctioni eorum hactenus cessit, vt non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret. Verum C
quis Philosophicus in actione aut motione communi agentium aut mouentium primi naturaliter & secundi, secundum naturaliter primo naturaliter contrario ordine naturaliter anteponat? Et quis Philosophicus dubitat Deum omnium secum agentium aut mouentium naturaliter esse primum, maximè cum à Philosophis vocetur communiter prima causa, primum agens siue efficiens, primum mouens seu etiam primus motor, sicut vicesimum huius tam à Philosophis quàm à Theologis recitauit? Quis enim Theologicus, aut catholicus, imò vel hæreticus, schismaticus aut Paganus audeat se præponere Deo suo, dicere seipsum Dominum in agendo, Deum autem suum seruum, seipsum superiorem, Deum inferiorem, seipsum architectum & principalem artificem, Deum verò subseruientem, & suum quodammodo instrumentum, seipsum ducentem, Deumque ductum, suam voluntatem primam, diuinam autem pedissequam, suam voluntatem dominam, diuinam ancillam, suam præcipientem, diuinam obsequentem, suam trahentem, diuinam tractam, suam præfectam, diuinam verò sub- D
iectam, cum hoc sit contra primam suppositionem primi capituli primi libri, quæ ab omnibus qualemcunque Deum colentibus est admissa, cum nullus ignorat aliud esse perfectius quàm sit istud, quod & secunda suppositio ac tertia pars corollarij primi docent? Licet autem nulli sit rationabiliter dubium, quod scilicet Deus creaturam, & voluntas diuina humanam in qualibet actione eis communi præcedat naturaliter in agendo; veruntamen propter aliquos, qui forsitan trepidarent timore vbi non est timor, istud aliquibus breuibus certificare curabo. Porro volutio diuina qua vult voluntatem creatam producere suum actum, & illam producere suum actum secundum essendi consequentiam, conuertuntur: Nam quandocunque vnum istorum est, est & reliquum, & è contra, vt patet per vicesimum secundi, & per decimum primi, & illa volutio diuina est causa alterius, quia causa efficiens, vt patet per nonum primi, & vicesimum secundi: ergo illa est prior natura, dicente Philosopho in prædicamentis, vbi distinctis quatuor modis prioris, adiungit hunc quintum; eorum quæ conuertuntur secundum E
essentiæ consequentiam quod alterius quomodolibet causa est, dignè prius natura dicitur. Item aliter voluntas humana esset liberior quam diuina: hæc namque sicut domina semper præcederet, illa vt pedissequa sequeretur: hæc de omnibus sibi possibilibus liberè præeligeret facere hoc vel illud, illa necessariò consentiret: hæc per omnia regeret, illa per omnia regeretur. Item aliter voluntas humana necessitaret diuinam ad agendum, quod videtur libertati voluntatis diuinæ nimium derogare, & ipsam subijcere nimiæ seruituti: Nam quando voluntas humana efficit suum actum, illud efficere illum actum tunc est, & pro tunc necesse est ipsum esse. Nam secundum Philosophum 1. περὶ hermenias vlt. esse quod est, quando est, necesse est: ergo per vicesimum secundi pro tunc necesse est Deum volendo coefficere illum actum, & illa necessitas accidit voluntati diuinæ ex actione voluntatis humanæ, tanquam ex causa

A causa priori. Et similiter sequitur quod voluntas humana necessitat diuinam ad certam actionem non agendum, & ad illam actionem non volendum; imo & impossibilitat eam, & necessariò prohibet, ne agat aut velit huiusmodi actionem: quia si homo pro instanti quo posset agere *A.* volutionem respectu *B.* obiecti, agat volutionem respectu eiusdem, vel penitus nihil agat; pro tunc *A.* non est, & necesse est *A.* pro tunc non esse, quia secundum Philosophum vbi prius, non esse quod non est, quando non est, necesse est; ergo necesse est Deum pro tunc non agere *A.* neque velle *A.* agi, aut esse, sicut per decimum primi patet, & impossibile est Deum pro tunc agere *A* aut velle *A.* agi, aut esse, & tota ista necessitas & impossibilitas accidit Deo & voluntati diuinæ ex homine, & ex voluntate humana tanquã ex causa priori, quod nullo modo permittit eius sũma libertas omnipotensq; potestas. Amplius sic ad idem; si voluntas humana sic præcedat diuinã, voluntas humana posset antecedenter necessitare diuinã ad agendũ, continuandũ & cessandũ, quiescendũ, & iterum resumendum quoties B & quando voluerit; Nam quilibet homo quoties & quando voluerit, potest agere actum liberũ proprię voluntatis, continuare, cessare, quiescere, & resumere iterato: & si homo sic faciat, sequitur necessariò per 20um secundi, Deum similiter facere, & antecedens tanquã causa prior est naturaliter in hominis potestate, ex quo necessariò consequitur aliud tanquã causatum posterius, naturaliter esse in hominis potestate libera. Si autem dicatur hoc non sequi, quia Deus posset liberè resistere & impedire quemlibet hominẽ à quolibet prædictorum; potest sibi faciliter contradici: Nam pro instãti quo Deus agit ista cum homine, non potest resistere nec etiã impedire, sicut argumenta præcedentia docuerunt. Item responsio ista non obuiat nisi in || *actione & continuatione*, non in cessatione & quiescione; quia Deus non potest resistere, nec impedire hominem agentem ne cesset, aut non agentem vt quiescat, quia hoc esset faciendo eum continuare aut nouiter agere: sed hoc non potest Deus, quia si hoc faceret, præueniret naturaliter hominem sic agendo. Nam si homo Deum ibi naturaliter præueniret, potius di- || actionis continuatione,

C ceretur hominem facere, Deum continuare aut nouiter facere quippiam quàm è contra: Nam causa naturaliter principalis & prima potius facit causam instrumentalem & secundariam facere quàm è contra. Si ergo in tali actione aut continuatione libera Deus naturaliter præueniat hominem, & voluntas diuina humanam, cum hoc possit contingere in qualibet specie actuum liberorum, in quolibet actu libero secundum speciem voluntas diuina potest humanam naturaliter præuenire: ergo sic præuenit nunc de facto. Nam nulla penitus ratio dari potest, quare duorum actuum liberorum eiusdem speciei respectu eiusdem obiecti ab eisdem duabus causis actorum, &, vt breuiter multa dicam, habentium omnes causas & circumstantias similes specie, in actione vnius naturaliter præueniat voluntas diuina, alteriusque humana. Item quicquid est naturale alicui singulari alicuius speciei, est sibi essentiale, scilicet tota sua essentia, vel pars eius, aut aliquid consequens ipsam essentialiter & inseparabiliter, si sic fuerit in sua dispositione maximè naturali: & quicquid est sic essentiale alicui singulari, est sic

D essentiale speciei & eius cuilibet singulari; alias enim non esset essentiale speciei, nec alicui singulari, sed accidentale & extraneum. Posset enim manente specie, & quolibet eius singulari in dispositione maxime naturali nunc adesse, nunc abesse. Vnde & trina conclusio sequi potest. Prima, quod quicquid est naturale alicui singulari alicuius speciei, est naturale illi speciei. Secunda, quod quicquid est naturale alicui speciei, est naturale eius cuilibet singulari. Tertia, quod quicquid est naturale alicui singulari alicuius speciei, est naturale eius cuilibet singulari. Item species & eius quodlibet singulare habent eandem naturam; ergo quicquid est naturale vni illorum, est & illorum cuilibet naturale. Quare Philosophus 2. de Cœlo 48. & 49. arguit, quod si vna stella moueatur motu circumgirationis aut volutationis, quælibet sic mouetur; & si vna non sic mouetur, nec alia sic mouetur. Et 59. Ex hoc quòd vna stella est sphæricæ figuræ, arguit idem vniuersaliter de quacunque. Super quòd dicit Auerroes illo commento 59. Dedit demonstrationem naturalem & dixit, Si igitur inueniatur vna stellarum

E sphærica, necesse est vt omnes sint sphæricæ. Et hoc non est manifestum, sed demonstratio fundatur super hoc, quod omnia corpora cælestia sunt eiusdem naturæ specie, & quod corpora cælestia sunt plura indiuidua in specie, & necesse est vt illud, quod existit in aliquo indiuiduorum speciei ex rebus essentialibus, existat in omnibus indiuiduis eiusdem speciei; & quod figura est ex rebus essentialibus in corporibus cælestibus, quia sunt animata. Secundum has igitur propositiones verificatur suus sermo, & non est, sicut diximus, per exemplum: Quare si in actu aliquo libero fuerit naturale, quod Deus præueniat hominem, & diuina voluntas humanam, hoc erit in quolibet naturale. Rursum nec prædicta responsio obuiat in agendo: Si enim voluntas humana agens liberum actum suum non necessitet Deum ad coagendum cum illa, quia ipse posset eam libere impedire; ergo tunc Deus liberè non impedit eam ab a-

 gendo;

gendo; ergo Deus voluntariè non impedit eam; ergo vult non impedire eam; quia per 22^{um} A primi Deus habet aliquē actū voluntatis circa non impedire, & non volutionē, quia per 10^{um} primi, tunc non impedire non esset, quare & impedire tunc esset; ergo volutionem: voluntate ergo humana agente, Deus coagit volendo coagere, & volendo non impedire: vel ergò voluntas humana agendo, sicut præcedit naturaliter volutionem diuinam qua vult agere; sic etiam præcedit illam volutionem diuinam, qua vult non impedire; vel è contra. Si sic, ergò vtraque illarum volutionum necessariò sequitur voluntatem humanam agentem. Et per decimum primi, Si Deus vult non impedire, sed coagere, necessariò non impedit, sed coagit, &c. sicut in principio est argutum. Si è contra, & ab illa volutione diuina, qua vult non impedire, dependet tota actio voluntatis humanæ, tanquam à causa naturaliter præcedente; ergò volutio diuina cum voluntate humana concausans liberum actum suum ipsam præcedit naturaliter in causando. Et si ista Dei volutio, qua vult non impedire voluntatem hominis ab agendo, eam præcedat naturaliter in agendo; cur non illa eius volutio, qua vult coagere B cum eadem? Item si voluntas humana diuinam naturaliter antecedat in earum actione communi, & voluntas Christi creata siue humana voluntatem suam diuinam in omnibus de necessitate consequitur, voluntas puri hominis cuiuscunque esset liberior voluntate humana Domini Iesu Christi; quod ratio nulla permittit: Quomodo namque deceret quod seruus esset liberior Domino? discipulusque Magistro? Esset enim corruptissima politia, seu potius ipsa corruptio politiæ, vt pæne totus liber Politicorum Aristotelis manifestat. Vnde & Lucæ sexto; Non est discipulus super Magistrum. Et Ioh. 13. Non est seruus maior Domino suo. Et supra eodem; Vos vocatis me, Magister, & Domine, & bene facitis; sum etenim. Quod autem in Christo sit duplex voluntas, diuina scilicet & humana, à nullo catholico dubitatur: quia si Christus habuit duas perfectas naturas, diuinam scilicet & humanam, sicut || *Euangelica symbola* & omnes Doctores catholici contestantur, habuit & perfectè operationes, & per consequens volutiones illarum. Et è contrario, si Christus habuit vnam tantum operationem, C & vnicam voluntatem, habuit consequenter & vnam naturam tantùm, quod est hæresis Eutychiana, vt dicit Isidor. 8. Eth. 5. seu 14. Et recitatur in Canone 24. quæst. vlt. Quidam autem; Quare & illa hæresis habet ponere hanc etiam hæresin consequenter, quod in Christo est tantum vna voluntas; Ideoque Hieronymus super illud Marc. 14 Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma; dicit hoc esse contra Eutychianos qui ponunt vnam tantum voluntatem in Christo, quod etiam quia concessit Macarius Archiepiscopus in Metropolitana Synodo fuerat condemnatus. Lumbardus quoque 3. sentent. dist. 17. per autoritates quamplurimas probat diffusè in Christo fuisse duplicem voluntatem, diuinam scilicet & humanam. Insuper Damascenus in sententijs suis 36. probat hoc idem. Quod autem voluntas Christi humana eius diuinam necessariò sequebatur, potest faciliter catholicis demonstrari. Quis enim dubitauerit hoc esse decentius & naturalius quàm è contra. Item aliter posset Christus voluntate humana velle contrarium voluntati eius diuinæ; sicque posset Christus voluntate D sua diuina velle, quod Christus voluntate sua humana iret ad Orientem, & voluntate sua humana posset velle, quod eadem voluntate iret ad Occidentem. His igitur voluntatibus stantibus, non posset ire ad Occidentem, quia tunc voluntas humana superaret diuinam, contra decimum primi: nec ad Orientem, quia tunc hoc suppositum iret voluntariè, inuitum tamen & nolens; & sic idem totum suppositum faceret idem factum voluntariè & inuitè respectu eiusdem totius suppositi, & liberè volens, liberè quoque nolens, & hoc etiam secundum eandem naturam; nec staret in medio, quia tunc voluntas humana impediret diuinam, cum tamen diuina sit potentior infinitè; ipsa quoque diuina voluntas à suo proposito frustaretur, contra decimum primi libri. Aliter etiam Christus filius Dei & Deus potuit indebitè voluisse & per consequens peccauisse, quod est nimis erroneum & absurdum: Nam secundum Philosophum primo & septimo Metaphys. Actus & operationes sunt circa singularia, & singularium siue suppositorum; Christus autem fuit suppositatus tantum suppositatione diuina, scilicet verbi Dei, sicut per testimonia satis authentica ostendit Lumbardus 3. sentent. dist. 5. Si E ergo Christus secundum voluntatem suam humanam iniustè quicquam volendo peccasset, illud totum suppositum, scilicet verbum Dei, & Deus sic iniustè volendo peccasset, sicque || *summa* iustitia esset iniusta, summa rectitudo distorta, & summa bonitas esset mala, summa quoque beatitudo siue fælicitas summæ miseriæ subiaceret, cum absurditatibus alijs infinitis. Item si Deus posset peccare, posset mentiri, sicque summa veritas esset falsa. Vnde Apostolus ad Hebr. 9. loquens de Deo sic dicit; Abundantius volens ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est Deum mentiri, fortissimum solatium habeamus. Glossa, per duas res immobiles,

Lucas. *Ioannes.* || Euangelia, Symbola *Lumbardus.* *Damascen.* *Philosophus.* || humana *Glossa.*

A biles, id est, per promissionem & iuramentum. Item 2. ad Timoth. 3. Ille, scilicet Christus, fidelis manet, negare seipsum non potest. Glossa, Qui est veritas, quod faceret, si dicta sua non impleret? Hoc autem quod seipsum negare non potest, laus est voluntatis diuinæ. Et Numer. 23. Non est Deus quasi homo, vt mentiatur. Vnde tibi opinanti quod Deus possit mentiri, potest bene dicere illud Psalmi 49. Existimasti iniquè quod ero tui similis, quia omnis homo mendax: Ideoque arguam te, & statuam contra faciem tuam. Vnde & ipsa veritas Iesus Christus huiusmodi mendaces redarguens, deducit eos ad istud tanquam ad impossibile manifestum, quod ipse foret similis eis mendax, Ioh. 7. Item Anselmus 2. Cur Deus homo 10. tractans illud Iohannis prætactum, inquirens nunquid Christus potuit mentiri, dicit, quod habuit potestatem, sed non habuit, nec habere potuit voluntatem: vnde sic ait; Omnis potestas sequitur voluntatem. Cum enim dico, quod possum loqui, vel ambulare, subauditur, si volo; Si enim non subintelligitur voluntas, non est potestas, sed necessitas. Possumus itaque dicere de Christo quia potuit mentiri, si subauditur, si vellet; & quoniam non potuit mentiri nolens, nec potuit velle mentiri, non minus dici potest, nequiuisse mentiri: sic itaq; potuit & non potuit mentiri. Item si Christus potuit mentitus fuisse, potuit mendaciter prædicasse, & similiter docuisse verbo & facto, quod qui concesserit totam fidem Catholicam nimia hæsitatione perfundet, ac suspicione nimia fermentabit. Item Augustinus de prædest. sanct. 19. loquens de Christo, sic ait; Nunquid metuendũ fuit ne accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio, aut ideo in illo non libero voluntas erat, ac non tanto magis libera erat, quanto magis seruire peccato non poterat? Idem de Correptione & gratia 46. Neque enim metuendum erat ne isto inæstimabili modo in vnitatem personæ à verbo Deo natura humana suscepta per liberum arbitrium voluntatis peccaret, cum ipsa susceptio talis esset, vt natura hominis à Deo suscepta, nullum in se motum malæ voluntatis admitteret. Idem Enchiridij 45. Modus, inquit, iste quo natus est Christus de spiritu sancto, non sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo ille nullis præcedentibus meritis in ipso exordio naturæ suæ quo esse cępit, Verbo copularetur in tantam personæ vnitatem, vt idem esset filius Dei qui filius hominis & filius hominis qui filius Dei, & sic in naturæ humanæ susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, qua nullum peccatum posset admittere. Item Lumbardus 3. sent. dist. 12a ita scribit; Non immerito quæritur, Vtrum ille homo potuit peccare, vel non esse Deus: Si enim potuit peccare, potuit damnari; si potuit damnari, potuit non esse Deus; ergo si potuit peccare potuit non esse Deus; quia esse Deum, & posse velle iniquitatem simul esse nequeunt. Hîc distinctione opus est, Vtrum de persona, an de natura agatur: Si enim de persona agitur, manifestum est, quia peccare non potuit, nec Deus non esse potuit: Si verò de natura, discutiendum est vtrum agatur de ea vt verbo vnita, an de ea tanquam non vnita verbo, & tamen enti, id est, aut de ea secundum quod fuit vnita verbo, aut de ea secundum quod esse potuit, & non vnita verbo. Non est enim ambiguum, animam illam entem vnitam verbo peccare non posse; & est sine ambiguo verum, eandem si esset, & non vnita verbo, posse peccare. Item si Christus secundum voluntatem suam humanam posset peccare, posset etiam secundum intellectum suum humanum decipi & errare: minus enim est sic decipi quàm peccare: sicque summa veritas esset falsa, & summa sapientia falleretur, cum in conuenientijs alijs multis nimis. Per has autem rationes præmissas probat Damascenus easdem conclusiones in sententijs suis 36. sic dicens; Oportet autem scire quoniam in Deo voluntatem quidem dicimus, electionem autem principaliter non dicimus. Non enim consiliatur Deus: Ignorantiæ est enim consiliari: de eo quod cognoscit, nullus consiliatur. Si autem consilium est ignorantiæ, omnino & electio; Deus autem omnia noscens simpliciter non consiliatur; neque vero in diuina anima inquirimus consilium vel electionem; non enim habuit ignorantiam; & si ignorantis futura natura erat, sed tamen secundum hypostasim vnita Deo verbo omnium cognitionem habebat, non gratia, sed vt dictum est, propter eam quæ secundum hypostasim vnionem: Idem enim erat Deus & homo; Ideoque sententialem habebat voluntatem. Voluntatem enim habebat naturalem simplicem, eam, quæ in omnibus hypostasibus hominum similiter consideratur: Sententiam, id est, theleton, id est, voluntabile non habebat sancta eius anima contrarium diuinæ eius voluntati, nec aliquid præter diuinam voluntatem eius. Sententia enim simul diuiditur cum hypostasibus præterquàm in sancta & simplici & incomposita, & indiuisibili trinitate & deitate: Illic enim hypostasibus non in totum diuisis & distantibus, neq; quod voluntabile diuiditur, & illic quidem quia vna est natura, vna & naturalis voluntas; quia vero & hypostases indistabiles sunt, vnum est & quod voluntabile, & vnus est motus trium hypostasium. In hominibus autem quia natura vna est, vna & naturalis voluntas, quia vero & hypostases separatæ sunt, & distant ab inuicem & secundum

Numeri. *Psalmus.* *Anselmus.* B *Augustinus.* *Augustinus.* *Lumbardus*

dum locum, & tempus, & eam, quæ ad res est, dispositionem; & secundum alia plurima sunt A
differentes voluntates & sententiæ. In Domino autem nostro Iesu Christo, quia quidem differentes sunt naturæ, differentes sunt & voluntates naturales suæ diuinitatis, & [suæ] humanitatis, scilicet voluntatiuæ virtutes: quia verò vna hypostasis, & vnus volens vnum, & quod voluntabile scilicet gnomicon, id est, sententiatiua voluntas humana sua voluntate sequente, scilicet suam diuinam voluntatem, & hac volente quæ diuina eius voluntas volebat eam velle, ecce quod humana Christi voluntas eius diuinam consequitur voluntatem. Et si Damasceno & mihi credere non velitis, credite ipsi Christo, qui Ioh. 12. ita dicit; Ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar. Et Ioh. 5. Non possum ego à meipso facere quicquam, sed sicut audio, iudico, & iudicium meum verum est, quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me Patris: ergo voluntas eius humana sequitur voluntatem Patris, quare & voluntatem
Augustinus. Christi diuinam in omnibus necessariò sequebatur. Vnde Augustinus super Ioh. libro secundo, homilia 45. siue 49. totius, sic ait; Propter personam Filij vnam ex duabus substantijs diuina humanaque constantem, aliquandò secundum id quod Deus est loquitur, vt est illud, quod ait; Ego & Pater vnum sumus: aliquando secundum id quod homo est; vt est illud; Quoniam Pater maior me est: secundum quod accepimus ab eo dictum & hoc vnde nunc B
Augustinus. disputo; Non possum à meipso facere quicquam, sed sicut audio, iudico. Item Augustinus 1. super Iohan. homilia 20. Ambulauit Filius super mare, pedes carnis fluctibus imposuit: caro ambulabat, & diuinitas gubernabat. Nonne & Esaiæ 11. scribitur sic de Christo? Requiescet super eum spiritus Domini. Super, inquit, non subtus, nec iuxta. Et infra 41. Quis, inquit Dominus, suscitauit ab Oriente iustum? Glossa, id est, Christum. Vocauit eum, vt sequeretur se. Glossa, quis nisi ego? Et infra || 49. Timebunt, qui ab Occidente nomen Domini; &
|| 59. *Esaias.* qui ab ortu solis, gloriam eius cum venerit, quasi fluuius violentus, quem spiritus Domini cogit; quod intelligitur plane de Christo. Et infra 61. Spiritus Domini super me &c. Quod C
in persona Christi proculdubio dicebatur, sicut ipsemet Christus Luc. 4. clarissimè attestatur:
|| ibidem. *Lucas.* Vnde & supra || *eisdem*, Agebatur in desertum à spiritu. Et Matth. 4. Iesus ductus est in desertum à spiritu. Et Marci primo, Expulit eum spiritus in desertum; quæ omnia Doctores in-
Matth. *Marcus.* *Chrysost.* *Anselmus.* telligunt de spiritu sancto Deo. Vnde & Chrysostomus super illud Marc. 1. Præmissum, dicit, quod Euangelista non ostendit eum simpliciter euntem in desertum, sed expulsum, vt hoc intelligas fieri iuxta diuinæ dispositionis verbum. Item Anselmus 1. Cur Deus homo. 9. sic dicit; Quod autem ipse ait; Non veni voluntatem meam facere, sed eius qui misit me, tale est, quale est illud, Mea doctrina non est mea: Nam quod quis non habet à se, sed à Deo, hoc
|| enim. non tam suum quàm Dei dicere debet. Nullus || *verò* homo à se habet veritatem quam docet, aut iustam voluntatem, sed à Deo: non ergo venit Christus voluntatem suam facere sed Patris, quia iusta voluntas quam habebat non erat ex humanitate, sed ex diuinitate. Et infra 10. D
Potest, inquit, rectè intelligi, quia per illam piam voluntatem qua voluit Filius pro salute mundi mori, dedit illi Pater, non tamen cogendo, mandatum, & calicem passionis, & non pepercit illi, sed pro nobis tradidit illum, & mortem illius voluit; & quia ipse Filius obediens fuit vsque ad mortem, & didicit ex his quæ passus est obedientiam: Quemadmodum enim secundum humanitatem non habebat à se voluntatem iustè viuendi, sed à Patre; ita & voluntatem illam qua vt tantum bonum faceret mori voluit, non potuit habere nisi à patre luminum, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum. Et sicut pater trahere dando voluntatem dicitur, ita non incongruè fit, si impellere asseritur: Sicut enim Filius dicit [de Patre] Nemo venit ad me nisi Pater traxerit eum; Ita dicere potuit, nisi impulerit eum. Similiter quoque proferre potuit; Nemo currit ad mortem propter nomen meum, nisi Pater impulerit, aut traxerit eum. Quoniam namque voluntate quisq; ad id, quod indeclinabiliter vult, trahitur vel impellitur, non inconuenienter trahere aut impellere Deus, cui talem dat voluntatem, affirmatur. In quo tractu vel impulsu nulla intelligitur violentiæ necessitas, E
Propheta. sed acceptæ bonæ voluntatis spontanea, & amata tenacitas. Item Propheta, Tenuisti, inquit, manum dextram meam, & in voluntate tua deduxisti me, Psalmo 72. Quod in persona Christi hominis dicit Deo, sicut docent expositiones sanctorum, quod & testatur Ecclesia, quæ tempore passionis Dominicæ, scilicet Dominica palmarum, canit hunc versum in Missa. Voluntas ergo Christi diuina tenet & deducit eius voluntatem humanam, quare & eam naturaliter antecedit. Item Apostolus 1. ad Cor. 15. loquens de Patre, & Filio suo Christo se-
Apostolus. cundum formam serui; Omnia, inquit, subiecit sub pedibus eius. Cum autem dicat, Omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subiecit ei omnia: cum autem subiecta fuerint illi
Glossa. omnia, tunc ipse Filius subiectus erit illi qui subiecit sibi omnia. Glossa, præter eum, id est, diuinitatem

A diuinitatem eius, qui sicut ex nullo est, ita nulla ratione potest alicui esse subiectus: Ipse enim principium est omnium. Ideò Deus non ei subiectus, sed potius ipse Deo secundum quod homo. Et quod ait; Ipse subiectus erit, non hoc ita dicit, quinetiam modo subiectus sit, sed quodam genere locutionis vtitur, quo plerumque loquitur Scriptura, vt quod semper est, tunc in aliquo fieri dicatur, cum incipit cognosci. Amplius autem isti præponentes se Deo, nedum volunt esse liberiores Christo secundum voluntatem suam humanam, verumetiam secundum voluntatem[suam] diuinam, & Spiritu sancto similiter, quia nec Filius Dei, nec Spiritus sanctus aliquod velle potest habere, nisi quod prius quodammodo causauerit & dederit eis Pater, & Spiritui Sancto, Pater simul cum Filio. Imò nec intelligere, aut esse, aut quicquam omnino possunt habere, nisi quod à suo principio eis manat & causaliter deriuatur: Habent enim esse à suis principijs causatiuis, quare & posse intelligere, velle, & cætera vniuersa. Et quis in ista beatissima Trinitate præsumet asserere Trinitatem personarum omninò confu-

B sam, & nullum ordinem penitus inter illas? Nonne apud Theologos Pater dicitur principium Filij? Nonne & Pater dicitur principium totius diuinitatis? Nonne & Pater dicitur prima persona? Nonne causa producens, generans, & dans esse aliquo modo præcedit causatum, productum, ||*genitum*, & illud cui dat esse? Quis Philosophicus, aut Theologicus istud neget? Vnde & Hermes de mundo & Cœlo 1. Docens quod tria sunt rerum principia, videlicet causa, ratio, & natura, dicit à causa sua causatum præcedit, & intelligit ibi per causam, causam primam simpliciter penitus non causatam, scilicet Deum Patrem, qui primo causat rationem procedentem ab eo; scilicet Filium, & per ipsum vniuersam naturam. Quapropter & ait; Ratio ex causa, & ex vtroque natura. Et infra; Ratio est vis quædam à causa procedens, à principio cuncta ordinans: vbi & accipit ista tria, ratio, *nous* & mens diuina indifferenter & conuertibiliter pro eodem; sicut secundo primi breuiter tangebatur. Huic quoque sententiæ & multa alia Philosophica atque Poetica constat testimonium perhibere, quorum quædam se-

|| generatum,

Apostolus.

C cundo primi fuerant recitata. Nonne & hoc videtur sensisse Paulum, cum dixit, quòd Deus, scilicet Pater, nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio suo, per quem fecit & sæcula, & quod est splendor gloriæ & figura substantiæ eius &c. Ad Hebr. 1. Quare & Chrysostomus super illam epistolam homilia secunda, sic ait; Dicitur operari per Filium, quia eum constat opificem genuisse: Si enim causa est eius Pater secundum quod Pater est, multò amplius eorum causa quę per Filium facta declarantur. Qui & Roberto Lincolniensi Episcopo de libero arbitrio 9. recitante, sic ait super, In principio erat verbum; Præcedit Pater verbum, non natura, sed causa; præcedit Pater Verbum causaliter, præcedit Filius omnia quæ per illum facta sunt naturaliter. Cui & concorditer Augustinus 83. quæstionum decimasexta scribit ita; Deus omnium quæ sunt causa est: Quia autem omnium rerum causa est, etiam sapientię suæ causa est, nec vnquam Deus sine sapientia fuit; suæ igitur sempiternæ sapientiæ causa est sempiterna, nec tempore prior est quàm sua sapientia. Deinde si sempiternum Patrem esse

Chrysost.

Robertus Lincolniensis

Augustinus.

D Deo inest, nec fuit aliquando non Pater, nunquam sine Filio fuit: Qui & de triplici habitaculo, siue de gaudijs iustorum & pœnis malorum, dicit, quod Pater non præcedit Filium tempore, sed origine. Vnde & Richardus 5. de Trinitate 6. distincta triplici processione, videlicet immediata tantummodo, mediata tantummodo, & mediata simul ac immediata: Et infra eiusdem 7. 8. & 9. ostendit quod prima & tertia processio sint in diuinis, sed secunda nequaquam; dicitque processionem Filij à Patre esse immmediatam tantummodo, processionem verò spiritus sancti à Patre & Filio mediatam simul & immediatam, hanc quoque processionem esse priorem naturaliter altera, & vnam personam esse priorem causaliter, & ideo naturaliter altera. Vnde & illo cap. 7. scribit ita; Naturaliter prior est dualitas quàm trinitas: nam illa potest esse sine ista, ista verò nunquam sine illa: naturaliter itaque & illa processio prior est quæ potest subsistere in personarum dualitate, quam illa quæ non potest esse sine personarum * Trinitate. Sed in illa personarum pluralitate & vera æternitate nihil ibi aliud

Richardus.

Richardus.

* dualitate & trin-

E præcedit, nihil ibi alteri succedit, & eo ipso nihil ibi tempore prius, nihil ibi tempore posterius: sed quod non potest esse prius temporaliter, potest esse prius causaliter, & eo ipso naturaliter: Sicut enim longè superius diximus, perfectio personæ vnius exigit vtique consortium alterius, & ita fit vt vna sit causa alterius. Nonne & Augustinus 15. de Trinitate 17. dicit, quod Spiritus sanctus principaliter procedit à Patre? Verum rei huius sublimitas inaccessa, & verba Doctorum præmissa, tum propter sui profunditatem, tum propter sui contrarietatem superficialiter apparentem, pium & religiosum auditorem, siue lectorem requirunt, humilem & prudentem. An non & Filius ipse dicit, Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est? Ioh. 10. Quod debet intelligi de Filio secundum diuinitatem ipsius, testante Augustino 1. part. super Iohan. sermone 48. Et Hilario 7. de Trinitate: Et Innocentio Papa tertio in Concilio

Augustinus.

Iohannes.

Augustinus.

Hilarius.

Innocentius

Concilio generali, *Extra*, de summa trinitate & fide catholica, Damnamus: quod videlicet A
Pater gignendo Filium dedit ei suam substantiam, suam essentiam, & esse plenarium || *di-*
|| Deitatis *uinitatis*; Dedit ei vt Deus esset, vt coæternus Patri esset, vt æqualis Patri esset, & hoc
maius est omnibus creaturis, & creabilibus vniuersis. Et nonne per verbum præteriti tem-
poris, Dedit, aliqualis prioritas designatur originis siue causæ? Nonne ergo & modo con-
simili Filius recipit, & habet à Patre, & Spiritus Sanctus pariter ab vtroque totum suum cog-
Ioannes. noscere atque velle? Nonne Ioan. 5°. ex ore Filij scribitur isto modo, Non potest Filius à
se quicquam facere, nisi quod viderit Patrem facientem? quæcunque enim ille fecerit, hæc
& Filius similiter facit: Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.
Et infra 8. A memetipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor. Et 16. spi-
ritus veritatis docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque B
Augustinus. audiet, loquetur. Quare & Aug. super Ioan. Hom. 20. exponendo primam Autoritatem
istarum, hoc est, inquit, non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem faciē-
tem, quia videre filij hoc est natum esse de Patre, non alia visio eius, & alia substantia eius, nec
alia potentia eius, alia substantia eius; totum quod est de Patre est, totum quod potest de Pa-
Augustinus. tre est, quoniam quod potest & est, hoc vnum est, & de Patre totum est. Qui & homilia 40.
exponendo secundam, Incorporaliter, inquit, Pater locutus est Filio, quia incorporali-
ter Pater genuit Filium, nec eum sic docuit, quasi indoctum genuerit; sed hoc est eum do-
cuisse, quod est scientem genuisse; & hoc est docuit me Pater, quod est, scientem genuit
|| filius me Pater: Si enim quod pauci intelligunt, simplex est natura veritatis, hoc est || *filio* esse
quod nosse; ab illo ergo habet vt nouerit, à quo habet vt sit; non vt prius ab illo esset, &
ab illo postea nosset; sed quemadmodum illi gignendo dedit vt esset, sic gignendo dedit,
vt nosset, quia simplicis, vt dictum est, Naturæ veritatis esse & nosse, non est aliud at-
Prosper. que aliud, sed hoc ipsum. Vnde & 351. propositio sententiarum Prosperi sententialiter C
videtur extracta, quæ dicit; Non sic docuit Pater Filium, quasi indoctum genuerit, & sci-
entiam contulerit nescienti, sed intemporalis doctrinæ est intemporalis essentia; hoc est à
Patre doceri, quod est à Patre generari, quia simplicis naturæ esse & nosse, non est aliud at-
que aliud, sed idipsum. Quare & 374. sic ait; Quicquid Deus Pater [Deo] Filio dedit, gig-
nendo dedit: Ita enim dedit Filio Pater, sine quibus Filius esse non possit, sicut ei dedit vt
esset, ideo quomodo verba daret aliqua in quo ineffabiliter dixit omnia? Augustinus etiam
super illud Psalmi 118. Super omnes docentes me intellexi, tractans eandem autoritatem, sic
ait; Dicit ipse Filius, Sicut docuit me Pater, hæc loquor: quod difficillime ex persona ver-
bi intelligitur, nisi quis vtcunque capere valeat, id esse Filium à Patre doctum quod genitum.
Cui enim non est aliud esse, aliud doctum esse, sed quod est illi esse, hoc est doctum esse;
Augustinus profecto à quo ei est esse, ab illo simul est ei doctum esse: ex persona verò hominis vbi for-
mam serui accepit, faciliùs intelligitur à Patre didicisse quæ dixit. Qui & super Ioan. part. se- D
|| 99. cundæ, homilia 45ª. siue || 49. totius, exponendo tertiam autoritatem præmissam; Non lo-
quetur, inquit à semetipso, quia non est à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur: ab
illo audiet, à quo procedit; audire illi scire est, scire verò, esse; sicut superius disputatum est.
Quia ergo non est à semetipso, sed ab illo à quo procedit, à quo illi est essentia, ab illo scien-
tia, ab illo ergo audientia, quod nihil est aliud quàm scientia. Ex isto quoque loco, 368ª.
propositio sententiarum Prosperi videtur extracta. Amplius autem si Filius vel Spiritus
Sanctus posset aliquod velle habere ex se, id est velle proprium, quod Pater ei non daret,
posset in illa beatissima, & concordissima Trinitate esse discordia, & contrarietas volunta-
Augustinus. tum; quare & aliqua personarum vel quælibet posset esse non beatissima, imò & misera,
sicut patet per octauam partem corollarij primi, primi. Dicitque beatus Augustinus 13. de
Trinitate 5. Beatus non est nisi qui & habet omnia quæ vult, & nihil vult malè; aliqua quo-
que persona posset non esse omnipotens, & non habere voluntatem vniuersaliter efficacem: E
Contrariarum etenim voluntatum vna necessariò impeditur, vel ambæ; quare & posset non
esse Deus, contra primam suppositionem, tertiam partem, sextam, septimam, & octauam
corollarij primi, primi. Adhuc autem & si sic esset, posset vna persona creare, altera non
|| namque creante, quod omnibus Theologis constat esse falsissimum, quod ideo breuibus confirma-
Ioannes. bo: Ipse || *nempe* Filius Dei, dicit; Pater meus vsque modo operatur, & ego operor, Ioan. 5.
& infra, Amen, Amen, dico vobis; Non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod vi-
Augustinus. derit Patrem facientem; quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit. Super quod
dicit Augustinus, 1. super Ioan. homilia 20. Catholica fides hoc habet firmata spiritu Dei in
sanctis eius contra omnem hæreticam prauitatem, quia Patris & Filij opera inseperabilia sunt:
Et infra, Non tantum Patris & Filij; sed etiam Spiritus Sancti, sicut est æqualitas & insepa-
rabi-

A rabilitas personarum, ita etiam opera inseparabilia sunt; & hoc ostendit principaliter & quasi singulariter, sed diffusè per totam illam vigesimam homiliam. Est etiam istud totum contra autoritatem Damasceni superius allegatam. Hoc etiam destruitur manifestè per autoritatem Christi proximo allegatam; Non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem: Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit; quod ideo dictum est, vt patet diffusè per Augustinum, illa homilia vicesima memorata; quia sicut Filius non est, nec esse potest à se, sed à Patre; sic nec facit, nec facere potest quicquam à se solo, sed à Patre. Item Ioan. 5. Non possum ego à meipso facere quicquam, sed sicut audio iudico, & iudicium meum verum est, quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me Patris. *Ioannes.* Quod Augustinus 1. super Ioannem, homilia 22ª. exponit de Filio non secundum naturam suam humanam, sed diuinam modo prædicto: quanquam & de ipso secundum naturam eius humanam conuenientius forsitan posit exponi; maximè quia ibi exprimitur diuersitas voluntatum in Filio, & in Patre; *Augustinus.*

B quod quantum ad naturam suam diuinam non potest intelligi quouismodo, vt patet per præmissa, & quia aliter, non esset illa beatissima Trinitas summè vna, dicitque Augustinus illa homilia 22ª. Trinitatis huius vna voluntas, vna potestas, vna maiestas: *Augustinus* Quare & 2. super Ioannem, homilia quadragesima quinta exponit istam autoritatem de Christo secundum naturam eius humanam, sicut erat superius allegatum. Vnde potest colligi euidenter, quod tales autoritates dictæ de Christo vtroque modo possunt intelligi & exponi; quod & idem testatur super illud Psalmi 118. super omnes docentes me intellexi, superius allegatus. Item Ioan. 12. Ego ex meipso non sum *Iohannes.* locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar; & scio quia mandatum eius vita æterna est: Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor; & infra 14. verba quæ ego loquor vobis à meipso non loquor; Pater autem in me manens, ipse facit opera. Hæc etiam Augustinus 1. super Ioan. homilia 54. scilicet vltima; & *Augustinus.*

C 217ª. exponit de Filio modo præmisso, scilicet secundum naturam eius diuinam. Vnde illa homilia 17ª. Non, inquit, non loquitur Filius à seipso, quia non est à seipso: & ideo Pater in illo manens facit opera; quia per quem, & cum quo facit, non est nisi ab ipso; qui & de verbis Domini sermone 56. eandem autoritatem eodem modo exponit, dicitque, Ei quippe tribuit, quicquid facit, de quo est ipse qui facit. Amplius autem si voluntas humana naturaliter præcedat diuinam in actione communi; voluntas humana est causa prior naturaliter, quare voluntas Dei agit, ergo quare ipsa vult, sicut per corollarium decimi primi patet, quod est contra vigesimum primi libri. Item si voluntas diuina qua vult præsentialiter agere, dependeat à voluntate humana præsenti, tanquam à causa priori; eadem ratione voluntas sua æterna qua æternaliter voluit nunc agere, æternaliter dependebat à voluntate humana æternaliter nunc futura, tanquam à causa priori; & cùm Deus nesciat ista complexa posteriora nisi per suam voluntatem, sicut 18ᵘᵐ. primi probauit; patenter consequitur, quod ista po-

D steriora sunt causæ diuinæ || *essentiæ*, contra decimum quintum primi, & alia quæ sequuntur: || scientiæ Imò & sequitur manifestè, quod Deus nesciat certitudinaliter hæc futura, nec præsentia, quare nec præterita, sicut per decimum octauum primi faciliter apparebit; Deus enim nescit determinatè & certè futura, nisi per aliquid determinatum sibi & certum; sed voluntas libera secundum contradictionem respectu actus sui futuri contingenter æqualiter, non est determinata, & certa respectu illius: alioquin ille actus esset determinatè & certè futurus, & non ad vtrumlibet contingenter; nec Deus est certus de actu illo futuro per suam propriam voluntatem, quia voluntas sua diuina nihil vult nec agit in talibus, nisi præueniatur voluntate humana; sed talis præuentio est indeterminata penitus & incerta. Adhuc autem si voluntatem humanam nunc agere, sit prius naturaliter quam voluntatem diuinam nunc agere, ipsam nunc agere est causa prior naturaliter, quare voluntas diuina nunc agit: ergo ipsam semper fuisse nunc acturam, semper fuit causa prior naturaliter; Quare voluntas diuina semper voluit nunc

E agere. Nam secundum Philosophum 2. Post. 3. quæ verè est causa essendi quodcunque, eadem est causa fiendi, siue esse & futuri esse; ergo istud esse futurum fuit causa prior naturaliter. quare Deus hoc voluit esse futurum, non è contra, contra decimum quartum primi libri, quod & rationes illius capituli reprobant & condemnant. Item si aliquo futuro demonstrato, hoc esse futurum est causa quare Deus vult hoc esse futurum; & per idem 14. Deum velle hoc esse futurum est causa quare hoc est futurum; ergo hoc esse futurum est causa quare hoc est futurum. Et similiter potest deduci, quod rem esse præsentem est causa quare ipsa est præsens, iuuante nono primi, & autoritate Philosophi superius allegata. Item si voluntatem humanam esse quicquam acturam, esset causa volutionis diuinæ æternè prioris, ipsam esse acturam esset causa prior naturaliter prædestinationis & reprobationis diuinæ: quare & ipsam præsentia-

præsentialiter agere, esset causa prior naturaliter effectu prædestinationis, scilicet collationis gratiæ in præsenti: quorum vtrumque est hæresis Pelagij à Patribus condemnata, sicut patet 45. & 35. primi cum alijs, quæ sequuntur, quorum & vtrumque eadem capitula condemnabant. Amplius autem si voluntas humana diuinam præcederet naturaliter in agendo, res humanæ diuinæ prouidentiæ non subessent, contra vigesimum septimum primi & alia quæ sequuntur: Imo quod est multum indignius, si sic esset, volutiones diuinæ humana prouidentia regerentur, sibique subessent, quod est omnino contrarium rationi; Nam secundum verum iudicium rationis, Sapientis & boni est regere insipientes & malos, & sapientioris & melioris minus sapientes, & eis per omnia prouidere. Vnde Philosophus 1. Metaphys. in Prolog. existimamus || *principaliorem* subseruiente magis esse sapientiam: Non enim ordinari, sed sapientem ordinare oportet, nec hunc ab altero, sed ab hoc minus sapientem suaderi. Et 5. Eth. 11. Non sinimus principari hominem, sed rationem. Et 1. Polit. 1. Quod potest mente præuidere, hoc principans naturâ & dominans. Et infra tertij nono; Qui intellectum iubet principari, videtur iubere principari Deum & leges: qui autem hominem iubet, apponit & bestiam. Et Tullius 3. de Repub. Annon, inquit, cernimus optimo cuique dominatum ab ipsa natura cum summa vtilitate inferiorum datum? Vnde & Sapient. 7. & 8. secundum quotationem quorundam; Sapientiam autem non vincit malitia, attingit autem à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Sed quis nesciat hæc prædicta peramplius & perfectius infinitè in Deo reperiri, quàm in homine? Ipse ergo secundum sententiam Philosophi 12. Metaphys. in fine, est vnicus omnium summus princeps. Item tunc homo agens quippiam esset artifex principalis, & Deus eius quodammodo instrumentum, cum tamen naturaliter sit è contra, sicut quamplures autoritates Philosophicæ & Theologicæ allegatæ vicesimo secundi planissimè contestantur. Vnde & Ierem. 18. ait Dominus; Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel. Amplius autem tunc Deus non esset omnipotens: Non enim posset facere hominẽ velle quantũcunq; ipse Deus hoc vellet; quia si posset, faciat: ergo Deus hominẽ in aliqua hora velle, in qua ipse homo se statuit minime voluturũ, & in qua minime voluisset, nisi Deus hoc fecisset: aut ergo in illa volutione naturaliter præuenit humana voluntas, aut diuina; Si humana, ergo Deus non facit hominẽ istũ velle, sed magis è contra, sicut superius est argutum; Si diuina, ergo sic est in omnibus, sicut superius est ostensum. Imo secundum hypothesin, quantumcunq; Deus prius naturaliter aut antecedenter voluntati humanæ hoc velit, ipsa nullam actionem producet, quia tunc voluntas humana naturaliter præueniret, sicut hypothesis illa ponit. Nec ille dignè censetur omnipotens, qui agendo quippiam necessario eget auxilio agentis prioris, qui ipsum naturaliter prȩueniat in agendo. Nec potest quis fingere, quod istud nequaquam sub omnipotentia continetur: Istud enim est vnum verè factibile; Imò & tunc homo esset potentior Deo in hac parte. Licet enim Deus vellet hominem velle quicquam, & faceret ad hoc, quantum posset ad vltimum, posset homo libere sibi resistere & non velle: Omnes enim res humanæ sunt præordinatæ, & prouisæ per prouidentiam diuinæ voluntatis æternam, sicut vigesimum septimum primi cum sequentibus manifestat: ergo omnes causæ inferiores exequentes istam præordinationem & prouisionem in motu suo quolibet aut quiete, huic voluntati diuinæ necessariò sunt subiectæ, ipsique de necessitate obediunt imperanti. Nimis etenim fatuum videretur, ipsum prouidere, aut præordinare quodcunque, nisi illud posset perficere in effectu. Quare & dicit Philosophus 3. Eth. 8. quod Consilium est possibilium quæ vtique per nos fient. Vnde & summus Philosophus Esaiæ 46. Consilium, inquit, meum stabit, & omnis voluntas mea fiet: locutus sum, & adducam illud, creaui, & faciam illud. Et Esaiæ 51. Cogitauit Dominus, & fecit quæcunque locutus est. Alias etiam posset voluntas humana frustrari diuinam, quare & reddere || *miserum* fœlicissimum Deum nostrum, contra decimum primi libri, & contra omnes fœlices & etiam miseros quantumcunque. Vnde & Parab. 21. non est Sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum; equus paratus ad diem belli, Dominus autem salutem tribuet. Item Ecclesiastici 42. Magnalia sapientiæ suæ decorauit quæ est ante sæculum, & vsque in sæculum, neque adiectum est, neque minuetur, & non eget alicuius || *consilio*. Quam desiderabilia sunt omnia opera eius, & tanquam scintillam quæ est considerare omnia hæc viuunt & manent in sæculum [sæculi] & in omni necessitate omnia || *obaudiunt* ei. Et Parab. 21. Sicut diuisiones aquarum, Ita cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud. Multa insuper alia istis similia vigesimo secundi sunt plenius allegata. Dicitque Augustinus Enchirid. 77. Quis porro tam impiè desipiat, vt dicat Deum malas hominum voluntates: quas voluerit, & quando voluerit, & vbi voluerit, in bonum non posse conuertere? Et de correptione & gratia 69. Sic enim seu velle, seu nolle in volentis, aut nolentis

[Margin notes: *Philosophus.* || sapientiorem; *Tullius.*; *Philosophus.*; *Ieremias.*; *Philosophus.*; *Esaias.*; || miserrimum; *Parabola.*; *Ecclesiastic.*; || auxilio; || obediunt; *Parabola.*; *Augustinus.*]

[Section letters in right margin: A, B, C, D, E]

A lentis est potestate, vt diuinam voluntatem impleat, nec superet potestatem. Et 71. Deus magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas. Item humana volutio est donum Dei, vt patet vicesimo secundi: ergo per septimum secundi non est antecedenter ab homine, sed à Deo. Item fideles rationabiliter petunt à Deo, vt faciat homines velle hoc vel illud; vt patet 20° secundi: ergo Deus antecedenter hoc facit, vt patet quadragesimo sexto primi. Item tunc voluntas humana in merendo, in conterendo, in resurgendo à peccato, & in bonum quodlibet faciendo Deum & voluntatem diuinam naturaliter antecedit; quare & actionem gratiæ multo magis. Quæ omnia sunt falsa, & hæresi Pelagianæ coniuncta, sicut per 35. 36. 37. 38. 39. & 41um. primi patet, & per autoritates Scripturæ, & Doctorum ibi copiosius allegatas. Vnde & Apostolus ad Rom. 11. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Et Iob. 41. Quis autem dedit mihi, vt reddam ei? *Apostolus.* *Iob.*

B Omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt. Super quod Gregorius 33. Moral. 22. sic scribit; Nemo quippe, vt diuina illum gratia subsequatur, aliquid prius contulit Deo: Nam si nos Deum bene operando præuenimus, vbi est quod Propheta ait, Misericordia eius præueniet me? Si quid nos bonæ operationis dedimus vt eius gratiam mereremur, vbi est quod Paulus Apostolus dicit, Gratiâ salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed hoc donum Dei est, non ex operibus vestris? Si nostra dilectio Deum præuenit, vbi est quod Iohannes Apostolus dicit, Non quasi nos, dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos? Vbi est quod per Hoseam Dominus dicit, Diligam eos spontaneè? Si sine eius munere, nostra virtute Deum sequimur, vbi est quod per Euangelium veritas protestatur, dicens; Sine me nihil potestis facere? Vbi quod ait; Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum? Vbi quod iterum dicit; Non vos me elegistis, sed ego elegi vos? Si saltem dona bonorum operum nostra virtute bene cogitando preuenimus, vbi quod rursum per Paulum tam subtiliter dici- *Greg.*

C tur, vt omnis de se humanæ menti fiducia ab ipsa cordis radice succidatur, cum ait; Non quia sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est? Nemo ergo Deum meritis præuenit, vt tenere eum quasi debitorem possit: sed miro modo æquus omnibus conditor, & quosdam prælegit, & quosdam in suis reprobis moribus iustè dereliquit, nec tamen electis pietatem sine iustitia exhibet, quia hic eos duris afflictionibus præmit; nec rursum reprobis iustitiam sine misericordia exercet, quia æquanimiter tolerat, quos quandoque in perpetuum damnat. Si ergo & electi præuenientem [se] gratiam sequuntur, & reprobi iuxta quod merentur, accipiunt, & de misericordia inueniunt electi quod laudent, & de iustitia non habent reprobi quod accusent; Bene itaque dicitur, Quis ante dedit mihi, vt reddam ei? Ac si apertè diceretur, ad parcendum reprobis nulla ratione compellor, quia eis debitor ex sua actione non teneor. Idcirco enim nequaquam cœlestis patriæ præmia æterna percipiunt, quia ea nunc, dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempserunt:

D quod ||*videlicet* liberum arbitrium in bono formatur electis, cum eorum mens à terrenis desiderijs gratia aspirante suspenditur. Bonum quippe quod agimus, & Dei est, & nostrum; Dei per præuenientem gratiam; nostrum, per obsequentem liberam voluntatem: Si enim Dei non est, vnde ei in æternum gratias agimus? Rursum, si nostrum non est, vnde nobis retribui præmia speramus? Quia ergo non in merito gratias agimus, scimus quod eius munere præuenimur: & rursum quia non in merito retributionem quærimus, scimus quod subsequenti libero arbitrio bona elegimus quæ ageremus. Et infra; Omnibus liquet, quod non solum ea quæ sub Cœlo sunt, sed ipsa|| *etiam* quæ super Cœlos condita cœlestia vocantur, eius voluntati seruiunt. Cui & concorditer Augustinus 4. contra Iulianum Pelagij filium & sequacem 5. Cum, inquit, diuinitùs adiuuatur homo, non tantum ad capessendam perfectionem adiuuatur, quod ipse posuisti, vtique volens intelligi eum per se incipere sine gratia, quod perficit gratia; sed potius quod Apostolus loquitur, vt qui in nobis bonum opus cæpit, perficiat vsq; ||quidem ||quoque *Augustinus.*

E in finem: In quo enim vis hominem sicut loqueris, ad aliquid laudabile generosi cordis stimulis incitari, in hoc non vis in Domino, sed in libero arbitrio gloriari, ac sic priorem dare vt retribuatur illi. O ingrati gratiæ Dei! O inimici gratiæ Dei, & solo vocabulo Christiani! Nonne pro inimicis suis orat Ecclesia? Quid orat? Vt conuertatur in bonum voluntas mala, quoniam præparatur voluntas à Domino, & Deus est, vt ait Apostolus, qui operatur in nobis & velle. Et infra eiusdem vndecimo, Tu autem quanta arrogantia & de vestræ præsumtione virtutis dixeris (Perfacile igitur studio sanctitatis, quod Deus adiuuat, potest homo carere peccatis) ille non agnoscit, qui dogmata vestra non nouit. Nam & studium sanctitatis sine adiutorio Dei vultis & in hominis voluntate præcedere, quod merito Deus debeat adiuuare, non gratis. Amplius autem isti præponentes suam voluntatem voluntati diuinæ superbius faciunt primo superbo Angelo, qui æqualitatem Dei appetendo, dicebat; Similis ero Altissimo.

Esaias. Altißimo, Esaiæ 14. Isti enim æqualitate Dei aut eius similitudine nullatenus contentantur, sed maioritatem & superioritatem vendicant supra Deum. Sed caueant, ne descendant ad eum, vel potius subtus eum, sicut in Esaia subiungitur; veruntamen ad Infernum detraheris, in profundum laci: qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient. Isti etiam dicunt superbius de Domino Deo suo, quam illi ciues inciuiles de illo nobili homine Domino suo, dicentes; Nolumus hunc regnare super nos, Luc. 19. Nedum enim dicunt, Nolumus hunc regnare super nos, sed nos regnare volumus super illum: Volunt enim se naturaliter præcedere Deum, & per consequens ducere eum, & regere in omnibus factis suis. Sed timeant & caueant, quod ibi dicitur consequenter, Inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite || *ante* me. Nec mirum: Ipsi namque conspirauerant in regiam maiestatem, quare & pœnâ criminis læsæ maiestatis erant iustißime puniendi. Vnde Anselmus de similitudinibus 8. Superbia ideo vocatur, quia super quam debeat graditur: Superbia namque supergreßio dicitur. Propria itaque voluntas, quia Dei voluntati non subijcitur, sed super eam extollitur, ob hoc rectè Superbia dicitur, ipsa quoque omnis peccati est initium, quia ex ea nascitur omne peccatum. Et quoniam homo illam habet ex se, nec voluntatem Dei quam sequatur, vult habere super se, ipsi Deo aufert quod propriè & singulariter debet habere. Et sequitur 9. Solus enim Deus, quicquid vult, debet velle propria voluntate, ita vt aliam quam sequatur, non habeat supra se. Cum igitur homo vult aliquid per propriam voluntatem, Deo aufert quasi suam coronam: Sicut enim corona soli Regi competit, sic propria voluntas soli Deo, & sicut Regem aliquem inhonoraret, qui suam coronam ei coronato auferret; sic homo inhonorat Deum qui aufert ei propriam voluntatem, priuilegium habendo, quod ille deberet habere solum. Quare & Aristoteles in ænigmatibus suis ænigmate tertio sic hortatur, Coronam Regis ne accipias. Quod prudenter aduertentes 24. seniores, nequaquam suas coronas aut voluntates superposuerunt superbè coronæ aut voluntati diuinæ, sed humiliter submiserunt. Vnde Apoc. 4. Procidebant 24. seniores ante sedentem in throno & adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum, dicentes; Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam & honorem & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt. Sic & ille Regum clarißimus & eximius Prophetarum, Nonne, inquit, Deo subiecta erit anima mea? Psalmo 61. Et infra; Veruntamen Deo subiecta esto anima mea. Sic & ille Antiochus, primo superbißimus Principum, postremo humiliter recognouit, quoniam iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire. 2. Machab. 9. Si ergo non paria, qualiter altiora? Excelsus enim super omnes gentes Dominus, Psalmo. 112. Vnde & ad Romanos 4. Omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo. Item Psalmo 22. Dominus regit me. Et Psalmo 79. Qui Regis Israelem, intende; qui deducis velut ouem Ioseph. Et Esaiæ 49. Miserator eorum reget eos. Et Apoc. 7. Agnus, qui in medio throni est, reget eos, & deducet eos. Et Hester 15. ita scribitur; Cumque inuocasset omnium rectorem Deum, & Saluatorem Deum &c. Et Psalmo 46. Quoniam Rex omnis terræ Deus, & regnabit Dominus super gentes. Et Psalmo 102. Regnum ipsius omnibus dominabitur; cum suis similibus infinitis. Isti similiter impiè magis dicunt, quam illi impij qui dixerunt, Quis est omnipotens vt seruiamus ei? Iob. 21. Hi || *namque* tantum noluerunt omnipotenti seruire; sed isti nedum hoc, imo quod est elatius, volunt omnipotentem eis seruire, dum voluntas humana præcipit, & præcedit vt Domina, & diuina obsequitur & subsequitur vt ancilla. Non sic Propheta, non sic, sed Ordinatione (inquit) tua perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi, Psalmo. 118. Non sic Iacob de Domino suo sensit, sed præcedat, inquit, Dominus meus ante seruum suum, & ego sequar paulatim vestigia eius.

Lucas. — || coram — *Anselmus.* — *Anselmus.* — *Aristot.* — *Apocalyps.* — *Psalmus.* — *Macchab.* — *Psalmus.* — *Apostolus.* — *Psalmus.* — *Esaias.* — *Hester.* — *Iob.* — || itaque — *Propheta.*

Item tunc voluntas diuina potius se curuaret obediendo humanæ, quàm è contra, quod ratio nulla sinit, ac ipsemet docet contrarium. In memetipso, inquiens, iuraui, egredietur de ore meo iustitiæ verbum, & non reuertetur, quia mihi curuabitur omne genu, Esaiæ 45. vel aliter; Mihi curuabunt omnia genu: vel tertiò; Mihi curuabunt omnia genua: vel quartò; Mihi curuabuntur omnia genua. Quam Scripturam Apostolus ad Romanos 14. sic allegat; Scriptum est enim; Viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu. Amplius autem tunc voluntas humana duceret diuinam quo vellet, cum tamen rationabilius sit è contra, cum ipsa melius videat, audiat, atque posit. Vnde Iob. 37. Nubes spargunt lumen suum quæ lustrant cuncta per circuitum, quocunque voluntas gubernantis duxerit ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum, siue in vna tribu, siue in terra [sua] siue in quocunque loco misericordiæ suæ eas iusserit inueniri. Super quod Gregorius, 27. moral. 22. sic ait; Nubes lumen spargere est prædicatores sanctos exempla vitæ & loquendo & agendo dilatare;

Esaias. — *Apostolus.* — *Iob.*

A dilatare; sed * prædicatores sancti exhortari quosdam volunt, sed nequeunt: sæpe quosdam * sæpe declinare appetunt, sed tamen internæ instigationis impulsu exhortari eos instantisimè compelluntur. Videamus nubem Dei, quomodo gubernantis manu & ad ea quæ non appetit, ducitur, atque ab impulsu suo iterum gubernantis manu retinetur. Et ponit exemplum de Paulo, qui cum voluit à Corinthijs discessisse, cum eis per Dominum tenebatur; qui etiam cum ad Thessalonicenses pergere voluit, nec valebat, vt dicit, nec poterat recedere ab eis, cum quibus tunc erat, vt dicit, per Dominum impeditus. Vnde sic concludit; Nubes igitur Dei cuncta per circuitum lustrant, quia prædicationis luce mundi fines illuminant: sed quia diuinis nutibus subditæ nequeunt explere quod volunt, ideo ire non possunt nisi quo eas voluntas gubernantis duxerit. Vnde & adhuc subditur, Ad omne quod præceperit eis super faciem orbis terræ: Sæpe enim cum gubernantis voluntate perducuntur, aliter agere appetunt, sed
B aliter disponuntur. Nam plerumque quosdam auditores suos student blandè corrigere, & tamen eorum sermo in asperitatem ducitur; plerunque resecare quosdam asperè appetunt, sed tamen eorum vigor, seu rigor per mansuetudinis spiritum refrænatur. Sicut ergo non possunt ire quo volunt, ita etiam nequeunt agere sicut volunt: Quia enim eos internus arbiter tenet, cum mittit, ita illos etiam modificans suscipit, cum perducit, vt aliquando in cogitatione alia disponant, sed alia in opere peragant; aliquando aliter inchoent, sed aliter consumment. Quia igitur iuxta hoc quod sibi præcipitur, seruiunt, dicatur rectè, Quocunque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terræ. Item Deut. 31. *Deut.* Dominus Deus tuus, ipse ductor tuus. Et Esaiæ 63. Spiritus Domini ductor eius fuit. Et 2. *Esaias.* Paralip. 13. In exercitu nostro dux Deus est. Et Psalmo. 54 Dux meus & notus meus. Et *Paralipom.* Sapient. 10. Iustum deduxit Dominus per vias rectas. Et Psalmo 72. Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me: cum multis similibus creberrimè in Scriptura: *Psalmus.* *Sapientia.*
C Voluntas ergo diuina ducit humanam, ipsam naturaliter præcedendo. Vnde & ille || *Annicius* Seneca, sicut allegat Augustinus 5. de Ciuit. Dei, 8. Quodammodo metricè dicit ita; *Psalmus.* || Antiquus *Seneca.* Duc me summe Pater, altique dominator poli, quocunque placuit, nulla parendi mora est: Assum impiger, fac velle, comitabor, gemens, malusque patiar facere quod licuit; bono ducunt volentem fata, nolentemque trahunt. Vbi & Augustinus subiungit, nempe euidentissimè hoc vltimo versu ea fata appellauit, quæ supra dixerat summi Patris voluntatem: Cui *Augustinus.* *Gregorius.* concordans beatus Gregorius 6. moral. 12. super illud Iob. 5. Qui comprehendit sapientes in astutia sua &c. ita dicit; Sic quippe Dei opera magna sunt, vt per omne quod ab hominibus agitur, eius voluntas exquiratur, cui videlicet cognitæ debet nostra actio deuotè famulari, & quasi Ducem sui itineris persequi, ne ei etiam nolens seruiat, si hanc superbiens declinat: vitari enim vis superni consilij nequaquam potest. Item aliàs voluntas humana traheret post se diuinam, cum rationalius sit è contra, vt patet per Autoritatem Senecæ allegatam. Item si sic
D esset, voluntas humana potius gubernaret diuinam agendo, quàm hæc humanam, quod est contrarium rationi, & contra autoritatem Iobi præmissam; Nubes spargunt lumen suum, quæ lustrant cuncta per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis duxerit. Et Sapient. 14. Tu autem Pater gubernas prouidentia; & loquitur de nauigatione, & talibus rebus hu- *Sapientia.* manis. Et Esaiæ 48. Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via qua ambu- *Esaias.* las. Vnde & Cantic. 1. Trahe me post te. Et Ioh. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, *Cantica.* qui misit me traxerit eum. Et infra 12. Omnia traham ad meipsum. Et Esaię 10. Num glo- *Ioannes.* *Esaias.* riabitur securis contra eum qui secat in ea, aut exaltabitur serra contra eum à quo trahitur? Quod intelligitur de Senacherib, & de Deo, vt vicesimum primi plenius allegauit. Item aliter voluntas humana potius suscitaret diuinam ad agendum quippiam, quàm è contra, quod est contra sacram Scripturam sæpissimè tam in malis actibus, quàm in bonis: Vnde 1. Paralip. 5. *Paralip.* Suscitauit Dominus Deus Israel spiritum || *Pul* Regis Assyriorum, & spiritum Tiglatho Pela- || Sar, alias Ful
E sar Regis Assur, & transtulit Ruben, & Gad, & dimidiam tribum Manassis &c. Et 2. Paralip. 21. Suscitauit Dominus contra Ioram spiritum Philistinorum & Arabum, qui confines sunt Aethiopibus, & ascenderunt in terram Iuda, & vastauerunt eam &c. Et Ezech. 23. Hæc *Ezechiel.* dicit Dominus Deus, Ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te, de quibus satiata est anima tua, & congregabo eos aduersum te in circuitu, filios Babylonis, & vniuersos Chaldæos, nobiles, tyrannosque & Principes omnes filios Assyriorum, iuuenesque forma egregia duces, & magistratus vniuersos principes principum, & nominatos ascensores equorum, & venient super te &c. Et Amos 6. Ecce ego suscitabo super vos, domus Israel, dicit Dominus *Amos.* Deus exercituum, gentem, & conteret vos. Hæc & alia multa valde de malis actibus voluntatis: de bonis verò scribitur 2. Paralip. vlt. & 1. Esdr. 1. Suscitauit Dominus spiritum Cyri *Esdras.* Regis &c. Et Esaiæ 41. Quis, Glossa, nisi ego, suscitauit ab Oriente iustum? Vocauit eum, *Esaias.*

vt sequeretur se? Dabit in conspectu eius gentes &c. Et sequitur: Quis hæc operatus est & fecit, vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, primus, & nouissimus; ego sum. Et in- A
fra. 45. Ego, inquit Dominus, suscitaui eum ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam. Et Aggæi 1. Suscitauit Dominus spiritum Zorobabel, & spiritum Iosedech, & spiritum reliquorum de omni populo, & ingressi sunt, & faciebant opus in domo Domini. Item si voluntas humana naturaliter præcedat diuinam in actione ambabus communi, humana potius inclinat diuinam & eam determinat ad agendum, quam diuina humanam, quod est contra præostensa & præallegata, vicesimo huius secundi; Vnde & Parab. 21. Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud. His etiam rationibus hic præmissis satis consonant autoritates Augustini de gratia & libero arbitrio, & de correptione & gratia, vicesimo secundi plenius allegatæ. Item tunc potius diceretur hominem facere Deum velle, & facere aut agere quippiam quam è contra: est enim prior & superior causa in istis; quod est contra multas autoritates 20° secundi plenius allegatas. Vnde & Apostolus ad Phil. B
2. Deus est, (inquit) qui operatur in nobis & velle & perficere (seu alias operari) pro bona voluntate. Et ad Romanos 15. Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus. Et Esaiæ 45. Ego Dominus & non est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: Ego Dominus faciens omnia hæc; sic Dominus ergo prior & superior in huiusmodi actione. Et Ezechielis 36. Faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini. Et ad Rom. 8. Quicunque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei: super quod 310ª. propositio sententiarum Prosperi quæ est Augustini, & allegatur in glossa sic ait; Plus est proculdubio agi, quam regi: Qui enim regitur aliquid agit, & ideo regitur, vt rectè agat: qui autem agitur, agere ipse aliquid vix intelligitur. Et tantum præstat voluntatibus nostris gratia Saluatoris, vt non dubitet Apostolus dicere, Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt: nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quàm vt illi se commendet, qui * malè agere non potest. Item Augustinus de verbis Apostoli sermone C
13. tractans eandem autoritatem, sic ait; Dicit mihi aliquis, ergo agimur, non agimus. Respondeo; Imo & agis & ageris, & tunc bene agis, si à bono agaris: Spiritus enim qui te agit, agentibus est adiutor, quia sicut dicit Dominus, Sine me nihil potestis facere. Iam nunc quod audistis; Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei, nolite vos dimittere: Nec enim templum suum sic de vobis ædificat Deus, quasi de lapidibus qui non habent motum suum, leuantur, & à structore ponuntur; non sic sunt lapides viui, & vos tanquam lapides viui coædificamini in templnm Dei; ducimini, sed currite & vos; ducimini, sed sequimini, quia & cum secuti fueritis, verum erit illud, quia sine illo facere nihil potestis: non enim volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei; maxime quia processus Apostoli & Prophetarum planissime ad hoc tendit, quod Deus in huiusmodi actibus nedum sit agens, sed etiam primum agens. Nam per huiusmodi suam doctrinam intendit Apostolus principaliter humilitatem cordibus humanis inserere & nutrire, sicut vicesimum tertium huius docet: quod tamen nedum non D
faceret, imo homines in superbiam maiorem erigeret, si doceret Deum operari in nobis velle & perficere, non antecedenter vt Dominus, sed subsequenter vt seruus. Nam quomodo amputaret hominibus, non amplius ministraret superbiendi materiam, docendo eos habere Deum semper promptissimè tantum seruum ad nutum quemlibet voluntatis, eorum votis in omnibus obsequendo. Quare & Apostolus congrue præmittebat; cum metu & tremore vestram salutem operamini: Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Super quod Augustinus de verbis Apostoli sermone 1. sic ait; Ne sibi inde aliquid darent, quia dixit, operamini, continuo subiunxit; Deus enim est qui operatur in vobis & velle & ||*perficere*. Deus est || qui operatur in vobis: ideo cum timore & tremore; vbi & Glossa, cum metu, id est, cum humilitate, non superbè; & ideo timendus est, quia non vos, sed Deus operatur &c. pro bona voluntate; voluntate, scilicet, sua. Quomodo namque potest verè intelligi, quod non vos, sed Deus operatur in vobis velle & perficere, cum ex prioribus satis E
constet huiusmodi esse actus humanos, nisi quod non vos antecedenter, aut principaliter, aut prius naturaliter, sed sic Deus; vos autem subsequenter, instrumentaliter & subseruienter? ac si diceretur, non baculus, sed homo percutit, non securis, sed homo ædificat. Sic etiam loquitur idem Apostolus ad Rom. 9. Non (inquiens) volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei, quod aliter nequit exponi. Vnde Augustinus Enchirid. 23. Iterum ne quisquam, etsi non de operibus, de ipso glorietur libero voluntatis arbitrio, tanquam ab ipso incipiat meritum, cui tanquam debitum reddatur præmium bene operandi. Ipsa libertas audiat eundem gratiæ præconem dicentem; Deus est enim, qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate. Et alibi; Igitur non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei; cum proculdubio si homo eius ætatis est vt ratione iam vtatur, non posit credere, sperare, diligere nisi velit, nec peruenire

Marginalia: *Parabola.* — *Apostolus.* — *Esaias.* *Ezechiel.* *Apostolus.* *Prosper.* — * aliquid — *Augustinus.* — *Apostolus.* *Philip.2.* *Augustinus.* — || operari — || enim — *Apostolus.*

A peruenire ad palmam supernæ vocationis Dei, nisi voluntate cucurrerit; Quomodo ergo non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei? nisi quia & ipsa voluntas, sicut scriptum est, A Domino præparatur; alioquin si propterea dictum est, Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, quia ex vtroque fit, id est, & voluntate hominis & misericordia Dei; vt sic dictum accipiamus, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, tanquam diceretur, Non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei; Non ergo sufficit sola misericordia Dei, si non sit etiam || *volentis* hominis: ac per hoc, sicut recté dictum est, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia id voluntas hominis sola non implet; cur non è contrario rectè dicitur, Non miserentis Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? Porrò, si nullus dicere Christianus audebit, non miserentis Dei, sed volentis est hominis, ne Apost. apertissimè contradicat, restat vt propterea rectè dictũ intelligatur, Non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei, vt totum || voluntas
B detur Deo, qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam: Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia: quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa. Nam vtrumque legitur in Sanctis Scripturis; Et misericordia eius præueniet me, & misericordia eius subsequetur me: Nolentem præuenit vt velit, volentem subsequitur ne frustra velit: Cur enim monemur orare pro inimicis nostris vtique nolentibus piè viuere, nisi vt Dominus in eis operetur vt velint; Iterumque cur admonemur petere vt accipiamus, nisi vt ab illo fiat quod volumus, à quo factum est vt velimus? Oramus ergo pro inimicis nostris, vt misericordia Dei præueniat eos, sicut præuenit nos: Oramus autem pro nobis, vt misericordia eius subsequatur nos. Idem de gratia & libero arbitrio 17. ad eundem sensum eandem Autoritatem pertractat. Anselmus quoque de Concor. 9. Neque volentis est, inquit, quod vult, neque currentis est quod currit, sed miserentis est Dei: Omnibus enim excepto Deo solo, dicitur, Quid habes quod non accepisti? quod si *Anselmus.*
C accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Sic loquitur Ioan. 11. Vnus autem ex eis, Caiphas nomine dixit eis, expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat: Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit. Sicque loquitur ipse Magister, & veritas discipulis suis dicens; Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis Matth. 10. & Ioan. 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Et 1. Ioan. 4. In hoc est charitas Dei, non quia nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos. Et Tobiæ 3. Non est in hominis potestate consilium tuum; Et Ierem. 10. Scio Domine, quia non est hominis via eius, nec viri vt ambulet & dirigat gressus suos: vbi Glossa, Erubescant, qui aiunt, vnumquemque suo regi arbitrio: Non est enim via hominis, &c. Vnde Dauid, A Domino gressus hominis dirigetur; secunda verò Glossa falsigraphiæ per trigesimum secundum primi conuincitur euidenter. Erubescant ergo illi Pelagiani, & non erubescam ego, Christianus, Paulinus, Augustinianus & Gregorianus. Pa- *Ioannes.* *Matthæus* *Ioannes.* *Tobias.* *Ieremias.*
D ueant illi, & non paueam ego, qui in agendo cum te, Domine Deus meus, tam inuerecundè & impauidè te regendo, se faciunt altiores: Imple quæso facies eorum ignominia, & quærant nomen tuum, Domine: Erubescant, & conturbentur in sæculum sæculi & confundantur, & pereant, vt cognoscant, quia nomen tibi Dominus; Tu solus altissimus in omni terra, Psalmo 82. Adhuc autem, quod etiam in actione communi Dei, & hominis, Deus hominem, & diuina voluntas humanam naturaliter antecedat, Autoritates quamplurimæ Philosophorum, sacræ Scripturæ, & Catholicorum Doctorum concorditer attestantur. Omnes enim Philosophi conueniunt in hoc vno, quod in causis essentialiter ordinatis non est procedere in infinitum, sed deueniendum est ad vnam supremam, & primam naturaliter omnium, omnes alias regulantem atque mouentem, sicut Artifex instrumenta, vt quarto primi, & vigesimo secundi satis fuerat allegatum. Vnde & Auicenna 10. Metaphys. 1. loquens de dispositione entium, dicit [ita]; Hoc totum fluit desuper, nec hoc totum sequitur ex imagina- *Auicenna.*
E tione cœlestium tantum, sed quia primus verus voluit hoc totum, ideo ab eo incipit esse omnis || *res*, quæ fuit, sed mediante alio. Igitur propter has causas prosunt hominibus orationes & sacrificia, & præcipuè litan æ pro pluuia, & alia huiusmodi. Item Aristoteles in de mundo 11. ita dicit; Sicut autem in chorea inchoante choraula concinit tota chorea virorum, & mulierum varijs vocibus acutis & grauibus vnam harmoniam continuam continuantibus: Sic se habet res & in Deo, qui cuncta disponit; Et infra eodem, Comparato Deo & Mundo duci & exercitui, dicit ita, Omnia autem sub vno signatore mouentur nutu ducis qui fungitur potestate: sic & de vniuerso sapiendum. Nam ab vno momento omnibus excitatis fiunt propria, & hoc inuisibili ente & occulto, quod nequaquam est impedimento, nec illi ad agendum, nec nobis ad credendum, &c. tertio primi plenius allegata. Commentator etiam super || rei *Aristoteles* *Comment.*

primam propositionem de causis dicentem, Omnis causa prima plus est influens supra causatum suum, quàm causa vniuersalis secunda, sic ait; Quid est, quia causa vniuersalis prima agit in causatum causæ secundæ, antequam agat in ipsum causa vniuersalis secunda, quæ sequitur ipsam, &c. satis plana? Quare & quidam articuli huius contrarium asserentes sunt Parisijs condemnati, sicut vigesimum secundi pleniùs recitauit. Nec Philosophi istud tantum intelligunt in actione naturæ, sed etiam intellectus, & similiter voluntatis, vt patet per Philosophum in De bona fortuna, & per omnes loquentes de intellectu agente, sicut idem vigesimum similiter recitauit. Vnde Auicenna 10°. Metaphys. 1. parum post Autoritatem superius allegatam, loquens de dispositione partium Animalium, & plantarum, sic ait; Non est ibi causa || *naturalis* vllo modo, sed principium est eius sine dubio ex cura diuina: similiter crede esse istarum intentionum pendere ex cura diuina; scias etiam quod plus approbat seu appropinquat vulgus, & tenet, & dicit verum esse, nec refugiunt hoc nisi illi qui volunt videri Philosophi, eo quod ignorant causas & occasiones istorum: Iam ergo in hac materia fecimus librum de peccato & eius opposito. Inde ergo attende dispositionem omnium, & crede quod dicitur de diuinis flagellis quæ descendunt super ciuitates flagitiosorum, & super homines iniuriosos, & consimilia, qualiter defenditur veritas. Scias etiam quod causa orationis hic & eleemosynæ & similium, similiter euentus, iniuriæ & peccati non sunt nisi illinc: Principia enim horum omnium perueniunt vsque ad naturam, vel voluntatem, vel casum; Naturæ verò principium est illinc; sed voluntates, quæ sunt in nobis, sunt postquam non fuerunt. Quicquid autem est postquam non fuit, causam habet; igitur omnis voluntas, quæ est in nobis, causam habet. Causa autem huius voluntatis non tendit ad infinitum, sed ad aliqua quæ accidunt extrinsecus, terrena scilicet & cœlestia; sed terrena perueniunt ad cœlestia: Collectio ergo horum omnium prouenit necessariò ex necessitate diuinæ voluntatis; Casus autem fit ex concursu horum omnium. Cùm autem resolueris omnia profecto, reducentur ad principia, quorum necessitas descendit à Deo: Iudicium autem Dei est prima positio simplex. Ecce quod dicit, quod vulgus hoc approbat & volentes videri Philosophi refugiunt istud soli, sicut dicit Propheta, Quoniam non cognoui literaturam, introibo in potentias Domini Psalmo 70. Et hæc ratio Auicennæ est ratio sancti Thomæ ad hanc eandem conclusionem, in De Christiana religione, cap 120. sicut vigesimum secundi plenius allegauit. Pro hac eadem sententia possunt adduci ferè vel potius verè omnes illæ Autoritates Philosophicæ & Theologicæ, quæ de fato, casu, & fortuna 28. & 29. primi pleniùs sunt adductæ. Quare & quidam articulus à Domino Stephano Parisiensi Episcopo condemnatus, sic ait; Quod omnes motus voluntarij reducuntur in primum motorem; Error, nisi intelligatur in motorem primum simpliciter non causatum, & intelligendo de motu secundum substantiam, non secundum deformitatem. Hoc idem testatur Scriptura canonica multis locis, quorum aliqua erant superiùs allegata, aliqua verò, sed pauca nunc breuiter allegabo. Dicit ille disertissimus Esaias 26. A facie tua, Domine, concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis nostræ; & Dominus per eundem 45. Ego ante te ibo. Et Ecclesiastic. 33. Quasi lutum figuli in manum ipsius plasmare illud & disponere, omnes viæ eius secundum dispositionem eius; sic homo in manu illius qui se fecit. Interrogantibus siquidem Dominum, Tu quis es? ipse respondit, Principium, Ioan. 8. & Apoc. 1. Ego sum alpha & omega, principium, & finis, dicit Dominus Deus; Etiam si secundum sententiam sapientis Ecclesiastici 25. Mulier si primatum habeat, est contraria viro suo, quod reputat indecens; quanto magis si anima aut voluntas humana primatum habeat super Deum, indecens magis erit? Certè tanto magis, quanto maior est disparitas Dei & hominis, quàm viri & mulieris. Vnde & supra 24. ipsa sapientia increata sic dicit; In omni populo, & in omni gente primatum habui, & omnium excellentium, & humilium corda virtute calcaui. Quare & Apostolus ad Coloss. loquens de Filio, qui est ista sapientia Dei summa; Omnia, inquit, per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante || *omnes*, & omnia in ipso constant; & ipse caput corporis Ecclesiæ qui est principium, progenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens. Et ad Coloss. 2. Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum, quę non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput ex quo totum corpus per nexus & connexiones subministratum, & constructum crescit in augmentum Dei. Glossa, Caput, id est, Christum, ex quo totum corpus, id est, Ecclesia, &c. ergo Ecclesia crescens in merito subministrat Christo capiti tanquam primo, & capiti agenti, non è contra. Item Exodi 14. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Et infra 17. scribitur, quod victo Amalek ædificauit Moses altare, & vocauit nomen eius, Dominus exaltatio mea, dicens, quia manus solius Domini, & bellum Dei erat. Glossa, qui omnia opera nostra operatur in nobis, sicut & sancta

Auicenna. || naturaliter *Propheta.* *Esaias.* *Ecclesiast.* *Iohannes.* *Apocal.* *Ecclesiast.* *Apostolus.* || omnia *Glossa.* *Exodus.*

A B C D E

A ctaEcclesia canit Deo: Non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. Et Sapientiæ 6. legitur de sapientia isto modo; Præoccupat qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat: & infra, Initium illius verissima est disciplinæ concupiscentia, & ipsa præoccupat, & præuenit istud initium; quare & initiatum quodcunque. Ad quod etiam sunt aliæ autoritates sacræ Scripturæ quamplurimæ, quas non recito ista vice, ne forte his nimium fastidium parerent, aut nauseam prouocarent, qui talibus velut pane quotidiano quotidiè saturantur. Ampliùs autem paucas autoritates authenticorum Doctorum annectam. Beatus siquidem Augustinus Hypognost. 42. sic ait; In omni opere sancto prior est voluntas Dei, posterior liberi arbitrij; id est, operatur Deus, cooperatur homo. Quòd si dicas, scilicet tu Pelagiane, vt dicere consueuisti, quia ego prior volui, Deus voluit, iam meritum facis, vt gratia ex operibus iam non sit gratia sed merces: Hoc loco redar- *Augustinus.*
B guit te Apostolus, dicens; Si ergo gratia iam non est ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia; gratia ergo donatur, non redditur. Idem de prædestinatione sanctorum 3. allegatis autoritatibus sacræ Scripturæ contra Pelagium, dicentem hominem credere ex seipso, ponit materiam responsionis Pelagij sub his verbis; Nolens ergo his tam claris testimonijs repugnare, & tamen volens à seipso sibi esse quòd credit, quasi componit homo cum Deo, vt partem fidei sibi vendicet, atque illi partem relinquat; & quod est elatius, primam tollit ipse, sequentem dat illi, & in eo, quod dicit esse amborum, priorem se facit, posteriorem Deum; Quem statim refellendo subiungit, Non sic pius atque humilis Doctor ille sapiebat, Cyprianum beatissimum loquar qui dixit, In nullo nobis gloriandum, quoniam nostrum nihil est: quod vt ostenderet, adhibuit Apostolum testem dicentem; Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti; quid gloriaris, quasi non acceperis? & capitulo quarto subdit, Quo præcipuo testimonio etiam ictus ipse conui- *Augustinus.*
C ctus sum, cùm similiter errarem putans, fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis. Nec enim fidem putabam Dei gratia præueniri, nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis, vt autem prædicato nobis Euangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar, ex quibus euidenter apparet istam sententiam Pelagianam hæresin continere: & sequitur, Quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant, in quibus est expositio quarundam propositionum Epistolæ ad Romanos. Denique cum mea opuscula retractarem, cùm ad hoc liberum arbitrium retractandum peruenissem, sic inde locutus sum; Quòd dixi, nostrum est credere & velle, illius autem dare credentibus facultatem bene operandi per Spiritum Sanctum, verum est quidem, sed eadem regula & vtrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem, & vtrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus & nobis: & ista retractatio ponitur 1. Retractationum 23. Idem super illud Psalm. 126. In va- *Augustinus.*
D num est vobis ante lucem surgere, sic ait; Qui volebant discipuli esse super Magistrum, & serui super Dominum suum, ante lucem volebant surgere, in vanum ibant, quia non post lucem ibant. Illis ergo dicit iste Psalmus, In vanum est vobis ante lucem surgere. Tales erant filij Zebedæi, qui antequam humilarentur secundum passionem Domini, iam sibi loca elegebant vbi sederent, vnus ad dextram, alter ad sinistram, & Petrus ante lucem surrexerat, quando consilium domino dare volebat, vt non pateretur pro nobis, cùm ait; Absit à te Domine, propitius esto tibi, non fiet istud: ante lucem volebat surgere, & luci consilium dare. Sed quid fecit Dominus? Fecit illum vt post lucem surgat; Redi post me Sathanas: Ideo enim Sathanas, quia ante lucem ‖ *vis* surgere, Redi post ‖ volebas
me, vt ego præcedam, tu sequaris quo ego eo, & illuc eas: non quo tu vis ire, illuc *Augustinus.*
me velis ducere. Qui & super illud Psalmi quinquagesimi quinti; Conuertentur inimici mei retrorsum, tractans verba Petri & Christi prætacta; Sathanas, inquit, dictus est Pe-
E trus; Quare? Quia præcedere volebat Dominum, & Duci cælesti terrenum dare consilium. Absit Domine, non fiat istud. Dicis, absit; & dicis, Domine. Vtique si Dominus est, potestate facit: Si magister est, nouit quid faciat: Tu autem vis ducere ducem, docere magistrum, iubere Domino, optare Deo; multum præcedis, sed retro conuerteris. Idem 1. super Ioannem, homilia 49. exponens illud Iohan. 11. Nonne duodecim horæ sunt diei? Tractansque incidenter prædictum consilium Petri, & responsionem Domini, dicit idem: Vnde inter cætera in persona Domini dicit Petro; Quod verò dixi, Redi post me Sathanas? Audi etiam huius rei causam: Non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominis. Nemo ergo se palpet; de suo Sathanas est, de Deo beatus est. *Augustinus.*

Quid est enim de suo, nisi de peccato suo? Tolle peccatum, quid est tuum? Iustitia, inquis, de meo est. Quid enim habes quod non accepisti? Qui & intelligendo per diem Dominum, & per duodecim horas duodecim eius Apostolos dantes consilium Domino ne iret in Iudæam, Ita prosequitur exponendo: Cum ergo vellent dare consilium homines Deo, discipuli Magistro, serui Domino, ægroti medico, corripuit eos, & ait; Nonne 12. horæ sunt diei? Si quis ambulauerit in die, non offendet; me sequimini, si non vultis offendere: nolite mihi consilium dare, quos à me consilium oportet accipere: Quo ergo pertinet, nonne sunt duodecim horæ diei? quia vt diem se esse ostenderet, duodecim discipulos elegit. Si ego sum, inquit, dies, & vos horæ, nunquid horæ diei consilium dant? horæ diem sequuntur, non horas dies. Si tamen Deus opera nostra cuncta semper nobiscum & posterius naturaliter operetur; ipse in omnibus nostris operibus, saltem consiliatis, nostrum consilium sequitur, non nos suum. Ex præhabitis quoque patet, quod cuilibet tali hæretico præponenti se Deo, & voluntatem suam diuinæ, potest in persona Dei catholicè ita dici, Redi post me Sathanas; vel secundum translationem Hieronymi, Vade retro me Sathana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum, Marc. 8. & Matth. 16. Vade post me Sathana, scandalum es mihi &c. Item Lumbardus 2. sentent. dist. 18. sic ait; Sciendum est omnium rerum causas in Deo ab æterno esse, & hæ dicuntur primordiales causæ, quia istas aliæ non præcedunt, sed istæ alias, quæ sunt causæ causarum. Cumque vnum sit diuina potentia, dispositio, siue voluntas, & ideo vna omnium principalis causa; tamen propter diuersos effectus pluraliter dicit Augustinus causas primordiales omnium rerum in Deo esse, inducens similitudinem artificis, in cuius dispositione est qualis figuræ sit arca; Ita & in Deo, vniuscuiusque rei futuræ causa præcessit. In creaturis verò quarundam rerum, sed non omnium, causæ sunt, vt dicit Augustinus, quia etiam inseruit Deus seminales rationes rebus, secundum quas alia ex alijs proueniunt, vt de hoc semine tale granum, de hac arbore talis fructus, & huiusmodi: & hæ dicuntur primordiales causæ, etsi non à Deo propriè, quia habent ante se causam æternam, quæ propriè & vniuersaliter prima est; Illæ verò ad res reliquas dicuntur primæ, scilicet quæ ex eis proueniunt: Ideo etiam primordiales [rerum] causæ dicuntur, quia in prima rerum conditione rebus à Deo insitæ sunt, & sicut creaturæ mutabiles sunt, ita & hæ causæ mutari possunt: quod autem immutabili Deo causa est, mutari non potest. Item Hugo de Sacramentis lib. 1. part. 2. cap. 2. sic ait; Omnium ordo ac dispositio à summo vsque ad imum in vniuersitatis huius compage, ita sese causis quibusdam rationumque geniturıs prosequitur, vt omnium quæ sunt, nihil inconnexum aut separabile naturâ, exterumque inueniatur: Et rerum quidem aliæ, causæ tantum sunt, & non effectus, sicut prima omnium; aliæ effectus tantum & non causæ; sicut vltima vniuersorum; alia autem & causæ sunt ad posteriora quæ generant, & ad priora à quibus generantur, effectus: & sicut his quæ vltima sunt & effectus tantum nihil posterius cernitur; sic quidem his quæ prima sunt & causæ tantum subsequentium nihil prius inuenitur. Primę autem causæ aliæ sunt generatæ, quę sunt in suo genere primę, aliæ increatæ, quæ vniuersaliter primæ sunt. In hac enim vniuersitate rerum omnium ita cunctis causaliter cohærentibus aliquid primum inuenitur, vt ex his omnibus nihil prius esse possit, quoniam ipsum ex omnibus primum est omnium: his verò causis quæ vniuersaliter primæ sunt nihil prius est, quoniam ipsæ primæ sunt omnium, nec habent alias causas ipsæ priores, quoniam omnium causæ ipsæ sunt. Et capit. 6. ostendit, quod hæ primæ causæ sunt Dei voluntas, sapientia & potestas; quod & priora capitula ibi volunt. Vnde & capitulum quintum dicit; In prædestinatione itaque creandorum operata est bonitas; In creatione iterum prædestinatorum operata est potestas; In beatificatione verò creatorum potestas simul & bonitas. Et capit. vltimo ita dicit; Cum sint ergo in Deo tria, sapientia, potestas, & voluntas primordiales causæ; à voluntate quidem proficiscuntur, per sapientiam diriguntur, per potestatem perducuntur. Voluntas enim mouet, sapientia disponit, potestas explicat. Hæc sunt æterna fundamenta causarum omnium, & principium primum. Idem part. 4. capit. 1. dicit; Prima rerum omnium causa voluntas est Creatoris, quam nulla præcedens causa mouit, quia æterna est; nec subsequens aliqua confirmat, quoniam ex seipsa iusta est: Neq; enim idcirco iustè voluit, quia futurum iustum fuit quod voluit, sed quod voluit meritò iustum fuit, quia ipse voluit. Et capit. vltimo; Sic ergo, inquit, constat ordo rerum, vt prima posteriora sequantur: primum omnium voluntas est Creatoris, quoniam ex ipsa sunt omnia. Item Anselmus Monol. 10. ita scribit; In hoc differunt ab inuicem illæ in creatrice sapientia, & in fabro suorum operum faciendorum intimæ loquutiones, quod illa nec assumta, nec adiuta aliunde, sed prima & sola causa sufficere potuit artifici suo ad suum opus perficiendum: ista verò nec prima, nec sola, nec sufficiens est ad suum opus incipiendũ. Qua-

Marcus. *Matth.* *Lumbardus.* *Hugo.* *Hugo.* *Hugo.* *Anselmus.*

A B C D E

A Quapropter ea quæ per illam creata sunt, omnino non sunt aliquid, quod non sunt per illam; quæ verò fiunt per istam, penitus non essent, nisi essent aliquid quod non sunt per illam. Item Doctor facundissimus, & Martyr gloriosissimus Cyprianus, epistola sua 13. intitulata De Disciplina Christianæ religionis ad Quirinum, quarto capitulo ostendit diffusè in nullo nobis gloriandum, quoniam nihil nostrum sit. Et cap.10. In Domino solo fidendum, & in ipso gloriandum, quod, per multa loca Scripturæ confirmat; per Ieremiam dicentem, Non glorietur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine, nec diues in diuitijs; sed in hoc glorietur qui gloriatur, Intelligere et nosse quoniam ego sum Dominus qui facio misericordiam & iudicium, & iustitiam super terram: quoniam in his est voluntas mea, dicit Dominus; Et post, Non nisi soli Deo subiecta est anima mea. Item Hier. lib. 12°. *Hieronymus.* super Esaiam, tractans illud Esaiæ.45. Accinxi te, & non cognouisti me, sic ait Ecclesiasticus B vir, Tibi dedit Deus sermonem atque sapientiam, cauere debet ne suum putet esse quod loquitur, sed omne ad datoris referat gloriam, ne & ipse mereatur audire, Accinxi te, & non cognouisti me. Item beatus Prosper contra Cassianum cap.1. recitat primam definitionem suam *Prosper.* dicentem, Non solum actuum, verumetiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum, quæ rectè cupimus, tribuit peragendi: Omne enim datum bonum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, qui & incipit quæ bona sunt, & exequitur & consummat in nobis, dicente Apostolo, Qui dat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & crescere faciet fructus iustitiæ vestræ; & hanc definitionem tanquam verissimam Prosper sæpissimè approbat & confirmat. Idem cap. 8. recitat B. Zozimum Papam v- *Prosper.* niuerso orbi sic scribentem, Nos cum instinctu Dei; (Omnia enim ad autorem suum referenda sunt, vnde nascuntur,) ad fratrum & coepiscoporum nostrorum conscientiam vniuersa re- C tulimus; ergo secundum eum omnia opera nostra bona à Deo autore nascuntur; ergo à Deo volente. Nam secundū Aug. 83 q. 3. illo autore cùm dicitur, illo volente dicitur; ergo huiusmodi opera hominum per prius nascuntur, & procedunt à voluntate diuina quàm humana. Si enim per prius nascerentur à voluntate humana, principalius & potius referentur ad illam; Ipse quoque homo veriùs quàm Deus, ac potius huiusmodi operum Autor esset, quod nullus dicet, nisi qui Autori omnium, & omnibus orthodoxis autoritatibus contradicet; sicut & ostensum est breuiter nono primi. Quare & idem Prosper statim consequenter eodem cap. re- *Prosper.* citat de epistola synodali Episcoporum Afrorum ad eum Papam rescripta verba quę sequuntur; Illud verò quod in literis tuis, quas ad vniuersas prouincias curasti esse mittendas, posuisti, dicens, Nos cum instinctu Dei (Omnia enim bona ad Autorem suum referenda sunt, vnde nascuntur) ad fratrum & coepiscoporum nostrorum conscientiam vniuersa retulimus: sic accepimus dictum, vt illos, qui contra Dei adiutorium extollunt humani arbitrij libertatem, di- D stricto gladio veritatis, velut cursim transiens amputares. Quid enim tam libero fecisti arbitrio, quàm quod vniuersa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti, & tamen instinctu Dei factum esse fideliter sapienterque vidisti, veraciter fidenterque dixisti; Ideo vtique quia præparatur voluntas à Domino, & vt boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum? Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei, vt nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in his bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium. Hoc & planè testantur S. Thomas, & Ioannes Scotus vigesimo huius plenius recitati. Item Lumbardus 4. sent. dist. 5. vlt. In bonis, inquit, operibus nostris ipse Deus operatur bona, & nos; nec nos tantum, nec ipse tantum, sed etiam ipse nobiscum & in nobis, & tamen in illis agendis ministri eius sumus, non sumus Autores. Idem 1. sent. dist. 45. asserit, & ostendit per autoritates quamplurimas, quod voluntas Dei prima & summa causa sit omnium, scilicet omnium specierum & omnium motionum, quod & E sufficienter ostendit cap. 20^{um}. primi libri. Item si homo ageret prius Deo, & voluntas humana in merendo ageret prius naturâ quàm gratia & Spiritus Sanctus; & in pænitendo similiter, contra 41^{um}. 42^{um}. & 43^{um}. primi libri. Hæc etiam est fides & professio generalis Ecclesiæ, quæ sic orat, Actiones nostras quæsumus, Domine, aspirando præueni, & adiuuando prosequere, vt cuncta nostra operatio à te semper incipiat, & per te incepta finiatur: Et iterum, Vota nostra, quæ præueniendo aspiras, etiam adiuuando prosequere: Et rursum, Deus à quo sancta desideria, & recta consilia et iusta sunt opera, da seruis tuis illam quam mundus dare non potest pacem, &c. quæ & Spiritum Sanctum similiter deprecatur, cùm dicit, Hostem repellas longius, Pacemque dones protinus, Ductore sic te præuio, Vitemus omne noxium. Ex omnibus iam præmissis satis, arbitror, manifestum cuilibet [sobriè] sapienti; In omni actione seu motione Deo, & creaturæ rationali communi, Deum priùs naturaliter agere seu mouere, & volun-

voluntatem Dei cum voluntate creata quidlibet facientem ipsam præuenire naturaliter faciendo. A

COROLLARIVM.

Corollarium habet triplex porisma: Vnum naturale, quod est in omni causatione communi Deo & causæ secundæ, Deum causare prius naturaliter, quàm causam secundam: Aliud Theologicum, Deum videlicet conditionaliter nihil velle: Tertium Logicum, nullam scilicet propositionem tribuentem quamcunque causationem cuicunq causæ inferiori & posteriori voluntate diuina, seu aliud quicquam positiuum inferius cuicunque sub Deo esse de primo simpliciter, nisi fortaßis propositio dicatur de primo simpliciter ratione primitatis subiecti; non causæ; Plurimæ tamen tales secundum quid & B *in certo genere sunt de primo.*

EX his autem triplex porisma consequitur manifestè: Vnum naturale, quod est, in omni causatione communi Deo & causæ secundæ, Deum causare prius naturaliter quàm causam secundam: Aliud Theologicum, Deum videlicet conditionaliter nihil velle: Tertium Logicum, nullam scilicet propositionem tribuentem quamcunque causationem cuicunque causæ inferiori & posteriori voluntate diuina, seu quicquam aliud positiuum inferius cuicunque sub Deo, esse de primo simpliciter, nisi fortasis propositio dicatur de primo simpliciter ratione primitatis subiecti, non causæ; plurimæ tamen tales secundum quid & in certo genere sunt de primo. *Prima pars corollarij.* Prima pars euidenter apparet: Si enim secundum quod capitulum demonstrauit, in omni causatione rationalis creaturæ, quæ est prima, dignissima, & suprema inter omnes causas secundas, Deus prius naturaliter, & ipsa posterius semper causat, multo magis in omni causatione causæ secundæ; quod & de ipsis potest ostendi, sicut de alijs est ostensum. C *Secunda pars.* Secunda pars patenter infertur: Si namque Deus velit aliquid sub conditione, vel illud est præteritum, presens, vel futurum: Non præteritum, nec præsens, quia omne præteritum vult determinatè, absolutè, & certè esse præteritum, & omne præsens || *similiter* esse præsens. [|| certe] Si autem dicatur (sicut magis videtur) quod velit sub conditione aliquid futurum fore, quomodo potest rationabiliter ita esse, cum per tricesimum huius, & partem corollarij præcedentem, & sextum primi Deus absolutè sciat, quod nulla res, aut vlla rei conditio posit esse, nisi ipse antecedenter cuicunque causæ secundæ, independenter & non impedibiliter à causa secunda, illam velit & faciat; cum nec frustra, nec fatuè quicquam velit? Item si vellet conditionaliter quicquam fore, extantia seu positio conditionis cum extaret, esset antecedenter determinans, mouens, & actuans voluntatem diuinam, ad tunc determinatè, absolutè, simpliciterq; volendum, contra capitulum & partem corollarij præcedentem. Item illa conditio, vel est præterita, præsens, vel futura: Nunquid scilicet impletio, seu extantia conditionis illius est præterita, præsens vel futura? D Non præterita, nec præsens, quia tunc illa conditio est determinata, absoluta, & certa Deo; quare & similiter vult rem fore: non ergo sub conditione quacunque. Si verò sicut magis apparet, velit aliquid futurum fore sub conditione futura, vel vult illam conditionem fore, vel non: Si non, nec alias vult rem fore; frustra ergo & fatuè vult conditionaliter illam fore, ac si vellet conditionaliter inconuenientia & imposibilia vniuersa, puta se non esse si esset Chymæra: Si etiam non vult conditionem illam fore, per vicesimum secundum primi & eius corollarium, vult illam non fore: Similiter enim posset velle omnia imposibilia fore, & seipsum cras fore Chymæram. Simili quoque || *irrationali* ratione posset velle, & vellet similiter nihil fore. [|| -bili] Si autem vult conditionem illam fore; vel absolutè, vel sub alia conditione: Si absolutè, tunc per decimum primi illa absolutè implebitur, & extabit, & hoc bene scit & vult Deus; quare cum frustra vel fatue nihil velit, non conditionaliter, sed absolutè, determinatè & simpliciter vult rem fore, præsertim cum volutio eius E aut actio à nullo alio antecedenter dependeat, aut à quoquam alio valeat impediri: Si autem dicatur Deum velle conditionem illam fore sub alia conditione, quærendum vlterius de illa alia conditione, an velit illam fore vel non &c. sicut prius, cum nullus audeat fingere chaos infinitum, processum scilicet infinitum in conditionibus talibus in voluntate diuina, respectu vnius voluti singularis. Item si Deus velit aliquod futurum tantum conditionaliter, hoc maxime videtur de tali futuro quod dependet à libertate voluntatis humanæ, cur non similiter illud quod dependet à libertate propriæ voluntatis? Sicque nullum futurum absolutè, determinatè, aut simpliciter, sed conditionaliter tantum vult Deus. Et si quis respondeat; Imo quia constat sibi determinate de sua propria voluntate, certe ita & de voluntate humana, cum nihil posit sine ipso specialiter & prius naturaliter idem volente,

A lente & similiter operante, sicut vicesimum & tricesimum huius docent. Item cum voluntas absoluta & simplex sit determinatior, certior, & actualior conditionali, Deus determinatius, certius & actualius, quare & perfectius intrinsecè vellet vnum futurum quam aliud: quamobrem & similiter illud sciret, sicut per decimum octauum primi potest ostendi; quod per primam suppositionem potest redargui, & per tertiam partem corollarij primi primi. Item quando res illa erit præsens vel præterita, Deus determinatè, absolutè & simpliciter volet eam, sicut & || *semper* vult præsentia & præterita vniuersa; quare secundum volumina temporum, || simpliciter temporalium quoq; rerum volubiliter, aliter, & aliter intrinsecè vult & volet, contra vicesimũ tertium primi, corollarium quoq; ipsius. Item aliquod tale volutum Dei de futuro potest non fore: ponatur; tunc Deus vult illud absolute non fore, sicut & scit; sic enim volet post, & sciet; cur ergo inaniter vult conditionalitèr illud fore? Tertia pars consequitur euidenter, quoniam nulla propositio est de primo simpliciter quæ, habet causam extrinsecam priorem sim- *Tertia pars.*
B pliciter attributionis huius inhærentiæ extremorum, & veritatis ipsius, sed quælibet propositio attribuens quamcunque causationem cuicunque causæ, habet causam huius priorem simpliciter, scilicet Deum, seu voluntatem diuinam, sicut prima pars corollarij manifestat. Quæcunque insuper propositio verè affirmat quodcunque positiuum inferius de quocunque sub Deo, habet causam superiorem & priorem simpliciter, scilicet Deum & voluntatem diuinam, sicut ex hîc & nono primi præmissis potest perspicuè demonstrari. Si quis autem voluerit dicere propositionem esse de primo simpliciter, quia attribuit propriam passionem, vel quodlibet accidens suo primo subiecto, licet habeat causam priorem, simpliciter satis dicit: Primum enim simpliciter nedum subiectum prius, sed & causam priorem, imo & vniuersaliter omne prius excludit. Loquantur tamen homines sicut volunt: Non enim est litigandum de vocibus, dum res constent. Certum est autem propositionem attribuentem quodlibet accidens suo subiecto primo sub Deo esse de primo primitate subiecti, cum Deus nullius acci-
C dentis sit subiectum, sed causa, sicut patet ex corollario primi, primi. Plurimæ tamen propositiones secundum quid, & in certo genere sunt primæ respectu scilicet causarum seu rerum inferiorum & naturalium; puta tales quæ attribuunt effectum proprium causę propriæ, & primę in genere omnium causarum naturalium, vel in certo genere limitato; & in aliqua determinata scientia, scilicet naturali, vel alia subalterna; aut quæ attribuunt propriam passionem suo primo subiecto, seu definitioni sui primi subiecti modis prædictis. Secundum hæc autem puto Philosophum primo Poster. vbi tractat istam materiam, non irrationabiliter exponendum.

CAP. XXXI.

D

Obijcit & respondet.

HAc autem turri Dauidicæ ciuitatis vsque ad Cœlum, imo & super Cœlos erecta, propugnaculis roborata, clypeis mille tecta, omni armatura fortium communita, & in cuius cacumine solus Deus cunctis excelsior, dignissimè residet summus rector; Pelagiani turbantur, mente insaniunt, corpore furunt, pallescunt facie, ignescunt oculis, fremunt & tremunt, frendent & strident, tumultuantur, vociferantur, clamant, latrant, ac tota malignitatis furia debacchantur. Nihil enim magis Pelagianorum pestiferi dogmatis destructiuum, nihil magis salutiferi dogmatis defensiuum, nihil magis superbiam ipsorum humiliat, nihil magis omnem proter-
E uiam ipsorum subpeditat, quàm hæc turris. Quamobrem hic apertis insultibus, illic occultis insidijs; hic arte, illic fraude; hic audacia, illic fallacia, ipsam destruere moliuntur; nec quicquam se reputant profecisse, nisi aduersariam turrim construxerint, in qua ipsi supremi præsideant, & subpeditent eis Deum: in qua ipsi principientur vt Domini, & Deus subijciatur vt seruus; in qua voluntas ipsorum præcedat vt Domina, & Dei voluntas sicut pedissequa subsequatur; in qua voluntas ipsorum ordinet & imperet vt Regina, & Dei voluntas obtemperet & subseruiat vt ancilla. Hi ergo [in primis] aggrediuntur hoc modo: Si Deus prius || *natura* agat actum liberum voluntatis creatæ quam ipsa, ipsa prius natura patitur quàm agit, ||naturaliter non ergo liberè patitur: & si illiberè patitur, cum ipsam sic pati, sit ipsam agere, vel saltem ad ipsam sic pati, sequatur necessariò ipsam agere liberum actum suum, ipsa illiberè agit liberum

rum actum suum; quod contradictionem includit, & arbitrij perimit libertatem. Item causa A
præcedit naturaliter suum causatum; Merita verò nostra bona vel mala sunt causa quare Deus diligit nos, vel odit, quare vult nobis gloriam siue pœnam, sicut tenet tota fides catholica, & tota Scriptura Canonica contestatur. Qui & in testimonium suæ falsitatis hæreticæ [veracem] Scripturam, Catholicorumque linguas Doctorum peruertere satagunt violenter. Scriptum est aiunt; Præoccupemus faciem eius in confessione Psalmo, 94. Mane oratio mea præueniet te, Psalmo. 87. Præueni in maturitate, & clamaui; præuenerunt oculi mei ad te diluculò, Psalmo 118. Conuertimini ad me, dicit Dominus Deus exercituum, & ego conuertar ad vos; Zach. 1. Dominus vobiscum quia fuistis cum eo. 2. Paralip. 15. Quibus & multa similia se offerunt multis locis. Item Marci vltimo scribitur; Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante; Discipulis ergo operantibus prius, Dominus cooperatur posterius. Vnde Damascenus in sententijs suis 43. Oportet, inquit, scire quod Deus antecedenter vult omnes saluari, & regno eius fortunari: Non enim in puniendo plasmauit nos, sed ad per- B
cipiendum bonitatem eius vt bonus, peccantes autem vult puniri vt iustus. Dicitur ergo prima quidē antecedens voluntas & acceptatio ex ipso existens; secunda autem sequens voluntas & concessio ex nostra causa, & ipsa duplex; hæc quidem dispensatiua & eruditiua ad salutem; hæc autem desperatiua ad finalem punitionem: hæc autem in his quæ non in nobis; eorum autem quæ in nobis, quę quidem bona antecedenter vult & acceptat; quæ perniciosa autem & verè mala, nec antecedenter nec consequenter vult. Robertus quoque Lincolniensis in quadam quæstione de scientia Dei quærente, Quomodo Deus scit ea quæ contingunt à casu, vel à libera voluntate; respondens distinguendo de causa antecedente & coniuncta, dicit quod primo modo Deus non est causa contingentium, sed secundo, quia cum fiunt facit ea esse: nil enim fit, quod eo agente non fiat. Qui & in quadam quæstione de voluntate Dei quærente de voluntate signi, dicit, quod beneplacitum Dei est causa antecedens boni vniuersitatis & boni singulorum; mali autem singulorum non est Dei beneplacitum antecedens, sed con- C
iunctum, quia cum malum || *fit* bene ordinatur in vniuerso. Cui & concorditer Damascenus vbi prius; Oportet autem scire, quoniam electio quidem operationum in nobis est, finis autem bonarum quidem Dei operationis iustè cooperantis præeligentibus bonum iusta conscientia secundum præagnitionem eius; malarum autem derelictionis Dei, rursus secundum præcognitionem eius iustitiæ derelinquentis. Augustinus quoque 13. de Ciuit. Dei 15. dicit, quòd ad malum hominis prior est voluntas eius; ad bonum verò eius prior est voluntas Creatoris eius, siue vt eam faceret, quæ nulla erat, siue vt reficiat, qua lapsa perierat. Quibus etiam nonnulla similia possunt allegari à Chrysostomo in scriptis suis diuersis. Vnde super epistolam ad Hebræos homilia 12. scribit ita, Oportet vndique cautelam exhibere nos, ne fortè obdormiscamus: Ecce enim, inquit, non obdormiet nec obdirmiscet qui custodit Israelm; & ne des commotionem pedibus || *tuis*. Non dixit, non commouearis, sed tu ne des. In nostro arbitrio est dare, & in nullo alio: Si enim voluerimus stare firmi & immobiles, D
non commouebimur. Quid ergò, nihil Dei? omnia quidem Dei sunt, sed non ita vt liberum arbitrium lædatur. Si ergo Dei sunt, inquit, omnia, quid nos culpat? propterea dixi, vt liberum arbitrium nostrum non lædatur. Ex nostro itaque arbitrio est, oportet quippe nos eligere primùm quæ bona sunt, & tunc ipse, quæ ab ipso sunt introducit: Non antecedit nostras voluntates; ne lædatur nostrum arbitrium; Cùm autem nos elegerimus, multam tunc introducit auxiliationem. Et quomodo ergo Paulus inquit, Nec volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei? Primùm, quod non secundum propriam sententiam introduxit, sed veluti ex his quæ præposita erant, hoc collegit ex his quæ ante præmiserat: Dixit enim, scriptum est, miserebor cui || *miserebor*: & igitur nec volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei. Dicis ergo mihi, quid adhuc quæritur? Secundò autem illud est dicendum, quòd cuius est amplius, totum eius esse dixit: Nostrum enim eligere totum est & velle, Dei autem efficere & ad perfectionem perducere. Quia ergò illius est amplius, eius esse dixit vniuersum E
secundum consuetudinem hominum: sic quippe facimus, verbi gratia; Videmus domum bene edificatam, & dicimus, quia totum artificis est, & tamen non omne opus eius est, sed etiam operariorum, & qui materiam tribuunt domui, & aliorum plurimorum; veruntamen quoniam ampliùs contulit ille, illius vniuersum opus dicimus: sic etiam & hic. Iterum in multitudine, vbi plurimi sunt, omnes esse dicimus, vbi autem pauci, nullum sic & Paulus dixit, Neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Astruit autem hic duo quædam magna: vnum quidem, ne in superbiam erigamur; si festines, inquit, non potest tuus esse effectus, nisi enim desuper adueniat adiumentum, omnia || *in vanum erunt*; Veruntamen quicquid adeptus fueris eorum ad quæ festinas, manifestum quia currendo & volendo adipisceris.
Non

Psalmus. *Zacharias.* *Paralipom.* *Marcus.* *Damascen.* *Robertus Lincolniensis.* || fit. *Damascenus* *Augustinus.* *Chrysost.* || meis. || misereor. || in vano, alias, in vacuo.

A Non ergo hoc dixit, quoniam in vanum currimus, sed quid? quoniam in vanum currimus, si nostrum esse vniuersum putauerimus, si non plurimam partem Deo tribuerimus: Neque enim Deus totum suum esse voluit, ne videatur sine causa nos coronare; nec iterum nostrum, ne in superbiam incidamus; si enim minimam partem habentes alta sapimus, quid si totius nos operis nostri Domini essemus? Et infra, Propheta dicebat, Laua a malitia cor tuum Ierusalem, intueris quia & nostrum est bonum. Huius autem munitionis altitudinem aduersus Dei scientiam se superbissimè extollentis, miles Christi spiritualibus armis potentibus Deo accinctus, faciliter destruet, in captiuitatem rediget, & in obsequium Iesu Christi, omnemque procacis ceruicis inobedientiam vlciscetur, vniuersa arma eius carnalia auferet, conteret, & confringet. Prima siquidem horum sagitta flatu Dei repulsa vulnerat sagittantem, prima namque illorum argutia redarguitur per seipsam; si inquam, vt conaris arguere, voluntas creata prius naturaliter agit, liberum actum suum quam Deus voluntas creata prius B naturaliter agit, quam Deus hoc velit, per corollarium decimi, primi libri, quoniam, sicut dicis, quia illa agit, ideò Deus vult eam agere, non è contra, ipsam ergò agere est causa quarè Deus vult eam agere, & causa prior secundum naturam: voluntas ergò creata, & voluntas diuina concausant illum actum voluntatis diuinæ, & voluntas creata priùs naturâ: quarè secundum deductionem tuam pręmissam, Deus causat illiberè liberum actum suum. Similiter quoque posses arguere de filio Dei Patris: Nam secundum omnes Doctores Catholicos, filius quicquid habet, habet à Patre, & hoc secundum quandam causalitatem & prioritatem, sicut præmissa tricesimo huius docent. Similiter etiam posses arguere de Sole, & actione ipsius; quod Sol prius naturá patitur, quàm agit: & si concedas, quęro quam passionem. Si dixeris creationem vel conseruationem, sic & voluntas creata; nec istud te iuuat. Si dixeris præparationem ad agendum: sic & voluntas creata. Ponatur quoque Sol creatus præparatissimus ad agendum, & voluntas creata ad volendum; nec istud te iuuat, quia vo- C luntas præparatissima ad agendum potest non agere, sicut ex primo & secundo huius euidenter apparet. Si dixeris motionem ad agendum: illa motio sub qua specie motus continetur? si sit alteratio, cuiusmodi alteratio, & in cuiusmodi qualitate? Illa quoque motio, & illuminatio solis exterior sunt diuersæ realiter, potestque prior per omnipotentiam Dei esse sine posteriori: Non ergo ex illa necessariò sequitur alia, vt supponis; quare & in voluntate creata similiter sentiendum. Talis quoque motio facta in voluntate creata est quædam dispositio seu præparatio ad volendum; sed per priora, voluntate sufficientissimè præparata non necessariò sequitur ipsam velle, & sicut secundum huius ostendit, nulla res creata, nec vlla causa secunda potest necessitare voluntatem creatam ad liberum actum suum. Si dixeris, quòd Sol priùs patitur suum agere, quàm agat; prius ergo natura recipit suum agere quàm ipsum agat; quare agere Solis prius natura est, quam Sol agat ipsum: Sed quomodo, cùm omnis causa efficiens præcedat saltem naturâ omnem suum effectum? Si dixeris, quòd illa D passio prima Solis non est suum illuminare, sed vnum aliud agere prius illo, istud videtur superius reprobatum. Præterea de illo agere reuertitur argumentum præmissum: Nam illud agere, est agere Solis, vt concedis: quare prius naturâ Sol recipit illud suum agere, quàm id agat, &c. sicut prius. Et si adhuc non erubueris fingere, quod Sol recipit illud agere per vnum aliud agere, quod recipiendo patitur prius illo, corripieris vt prius. Præterea, vel facies processum infinitum hoc modo, quod natura abhorret, & secunda suppositio prohibet; vel tantùm finitum, & tunc dabis aliquod agere Solis primum, contra quod reuertitur argumentum. Si vero dixeris, quod illa passio prima Solis est quædam eius coniunctio, seu adiunctio cum suo agere, illa adiunctio vel est aliqua motio, vel sola relatio: Si motio, remouebitur per præmissa: Si sola relatio, oportet quod sit relatio realis ex quo iuuat realiter ad agendum, oportet quod fundetur in extremis adiunctis, sicut æqualitas in quantitatibus æqualibus, & similitudo in qualitatibus similibus: fundamentum autem est E prius natura fundato, sicut causa causato; quare tam Sol, quam eius agere naturaliter hanc præcedit, cuius oppositum ponebatur. Cum ergo arguis, Deus agit actum voluntatis creatæ prius naturâ quàm ipsa; ergo ipsa prius naturaliter patitur quam agit: falleris, non concludis. Non enim patitur ibi voluntas nisi recipiendo suum actum seu agere, & prius natura est actum seu agere eius esse, quam recipi, & adhuc prius natura est voluntatem producere suum actum seu agere, quam ipsum esse, quia per producere capit esse: prius ergo natura est voluntatem agere suum actum, quam ipsam recipere & sic pati. Et si adhuc replices, quod voluntatem agere agitur, quia non æternaliter sed nouiter habet esse; & si agitur, agitur per aliquod agi ipsum præcedens: quare adhuc voluntas prius naturaliter patitur quam agit, falleris, sicut prius. Sic enim posses arguere, omne agens seu actiuum, etiam ipsum Deum esse passi-

uum,

uum, & hoc prius naturaliter quàm actiuum, & semper prius pati quam agere. Detur enim *A*. agere Dei ad extra, in quo Deus non patitur, vel non prius patitur, quam agit; tunc vt prius, Deum agere *A* agitur, quia non æternaliter, sed nouiter habet esse: agitur ergo per aliquod agi ipsum præcedens; quare & Deus prius ibi naturaliter patitur quam agit. Similiter quoque posses arguere, nullum esse primum agere Dei ad extra: Detur enim *A* primum; Tunc (vt prius) *A* agitur, quia non æternaliter, sed nouiter habet esse; agitur ergo per aliquod agi præcedens, & omne agi fit per aliquod agere prius illo. Illud ergo agi, & *A* primum agere, aliud agere causaliter & naturaliter antecedit. Ex his igitur euidẽter apparet non esse necessariũ de quolibet nouo agere, quod ipsum agatur per aliquod agi naturaliter prius illo, imo nec per aliquod agere prius illo, sed per aliquod agens causaliter, & ideo naturaliter prius illo. Cum igitur arguis, volũtatem agere agitur; ergo per aliquod agi prius naturaliter: non oportet. Primũ enim suũ agere agitur per Deũ & per ipsam, non per aliquod suũ agi, aut agere temporaliter aut naturaliter antecedens. Si quis tamen voluerit dicere, quodlibet agens creatũ prius naturaliter pati quàm agere, quia in agendo subijcitur, & posterioratur Deo agenti, probabiliter multum potest, & concorditer dictis multorum, & sic loquendo de pati, ratio non procedit. Quod autem arguitur de causalitate meriti respectu dilectionis odijque in Deo, redarguitur per tricesimum nonum primi. Illud autem Psalmi, Præoccupemus faciem eius in confessione, non mouet: Non enim dicit Propheta, Præoccupemus cooperationem diuinam nobiscum, sed faciem eius in confessione; in confessione, inquam, laudis Deum laudando: vnde subiungitur, & in Psalmis iubilemus ei; & in confessione fraudis teipsum accusando; Ideo sequitur; Venite, adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus ‖ *coram Domino*; quod vt faciamus, nos preuenit operando: Confessio namque & magnificentia opus eius. Nec illud Psalmi, Mane oratio mea præueniet te, debet mouere: quia non dicit oratio mea præueniet cooperationem tuam, sed te; quasi diceret; Mane orabo coram te, coram facie Dei mei; quod vt faciam, Spiritus Sanctus facit; ipso namque filij Dei aguntur. Illa vero de Psalmo 118. similiter possunt intelligi & exponi, reliqua autem de Zacharia, & Paralip. erant exposita tricesimo quinto primi. Illud autem Marci, Domino cooperante &c. nec apparentiam quidem habet; Dictum verò Damasceni non obuiat: Non enim affirmat quod electio operationum est nostri & Dei, & prius nostri quam Dei, sed quod prius bene elegimus operando, quam finale præmium consequamur. Dictum etiam Lincolniensis, si bene intelligatur, non obuiat: Causa namque antecedens, vt ibi loquitur, necessitatem naturalem includit. Vnde sic ait; Antecedentia, de qua fit hic sermo, est euentus futuri secundum cursum naturæ necessarij præordinatio. Quod autem idem Lincolniensis, Damascenus, & Augustinus videntur asserere, quod in bonis voluntas diuina sit prior humana, & in malis posterior, quomodo facit pro vobis? Actus enim bonus voluntatis & malus secundum substantiam actuum sunt boni naturaliter, sicut patet per vicesimum quintum secundi, & vicesimum sextum primi; sunt etiam quantum ad naturalem substantiam actuum similis rationis: si ergo vnus secundum substantiam actus fiat antecedenter à Deo, & alius. Si etiam (sicut supponitis) non deceat Deum velle aut facere malum antecedenter; quomodo decet eum trahi à Diabolo, à quolibet peccatore, & à qualibet meretrice ad consentiendum eorum maleficijs quibuscunque, & ad volendum & faciendum ea omnia consequenter? Quomodo namque decet, quod voluntas diuina cuilibet pessimo, velut adultera, supponatur, & opprimatur à quolibet violenter? Qualiter etiam habet Deus voluntatem nouellam sequentem malam voluntatem creatam? Aut quomodo voluntas diuina, causatur & sequitur ex humana contra vicesimum, & vicesimum tertium primi libri. Veruntamen pro intellectu Patrum, sciendum quod sicut 34. & 39. primi præmissa testantur, Deus vult seipsum primo, secundo quodammodo vult bona alia extra ipsum, tertio verò mala, quatenus videlicet ex malis proueniunt quædam bona, ipsius prouidentia omnia suauiter disponente; sicque vult Deus bonum prius quodammodo & antecedenter, malum verò posterius & consequenter, quia finaliter propter bonum. Sciendum insuper, quod Deus vult & facit bona merita voluntatis per gratiam naturaliter præcedentem, sicut 40. & 41. primi docebant; mala verò non sic: Quare potest dici Deum velle bona antecedenter, mala autem nequaquam. Augustinus verò cum dicit, quod ad malum hominis prior est eius voluntas quam Dei, intelligit, sicut puto, quod ad malum pœnale hominis prior est voluntas eius delinquens, quam Dei puniens: Ait enim, Si in eo quod dictum est, Morte moriemini, quoniam non est dictum, Mortibus, eam solam intelligamus, quæ fit cum anima deseritur sua vita, quod illi Deus est: Nõ enim deserta est vt desereret, sed vt desereretur deseruit: Ad malum quippe eius prior est voluntas eius; ad bonum verò eius prior voluntas Creatoris eius, siue vt eam faceret, quæ nulla erat, siue vt reficiat, quæ lapsa perierat: ‖ *etiamsi* ergo hanc intelligamus

A
B
C
D
E

‖ coram qui fecit nos;

‖ etsi

A intelligamus Deum denuntiasse mortem, in eo quod ait, Qua die ederitis ex illo morte moriemini, tanquam diceret; Qua die me deserueritis per inobedientiam, deseram vos per iustitiam, profectò in ea morte etiam cæteræ duæ denuntiatæ sunt, quæ proculdubio fuerant securturæ. Quod autem dicit Damascenus, Deum non velle mala nec antecedenter, nec consequenter secundum superficiem literæ, potest refelli, per tricesimum quartum primi, potest quoque per ibi ostensa intelligi & exponi. Et quid mirum, si Damascenus negaret præefficientiam Dei, in actu liberi arbitrij, cum coefficientiam eius neget, sicut tricesimo octauo huius apparet. Dictum quoque Chrysostomi, si intelligatur ad literam, videtur corrigendum in multis, sicut octauum huius, vicesimum & eius corollarium, & tricesimum huius probant.

B

COROLLARIUM.

Corollarium notabile, quod sacra Theologia pium & prudentem Lectorem requirit.

EX his autem alijsque præmissis euidenter cognoscitur, quod sacra Theologia Lectorem pium requirit pariter & prudentem, ne forsitan cum Manichæis in sacra Scriptura falsum quippiam suspicetur, aut dum omnia esse vera veraciter confitetur, Pelagianorum consentiat fallitati, ne vel defendendo Doctores Catholicos, hæreticis faueat, vel persequendo hæreticos autores, Catholicos criminetur, ne quia rectè dictum alicuius amplectitur, etiam errorem eius sequatur, aut quia errorem cuiuspiam reprobat,
C etiam rectè dictum eius contemnat. Quis enim lectis capitulis isto secundo & primo præmissis, imò lectis libris Scripturæ canonicæ & Doctorum, non facilè videat quot & quanta loca horum & illorum superficialiter videantur Pelagianæ hæresi consentire? Loca autem huiusmodi sacræ Scripturæ sæpe se offerunt copiosè, quorum & quædam præmissis capitulis recitantur, quibus & Pelagius se muniuit, cui & Augustinus aliquando in parte consensit, sicut patet ex tricesimo quinto & quadragesimo quinto primi; aliquando verò apparuit consentire in tantum, quod Pelagius & Pelagiani quandoque ex dictis proprijs Augustini contra ipsum pugnabant, sicut patet 1. Retrac. 9. & 15. de natura & gratia 67. & 2. sent. Lumbardi dist. 28. nimisque sedulò experimur multos afferre dicta Augustini & aliorum Doctorum ad Pelagianam nequitiam roborandam, quod & patet ex capitulis memoratis. Huic quoque Pelagio videtur & Chrysostomus consentire. Homilia namque quadragesima septima super Iohannem exponens illud Iohan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi fue- *Chrysost.*
D rit ei datum à Patre meo, sic ait; Cum autem audieris, Quoniam dedit, non destinationem simpliciter æstima, sed illud crede, quoniam qui tribuit seipsum dignum vt accipiat, ille suscepit. Qui & super illud Matth. 7. Petite & dabitur vobis &c. homilia decima octaua in imperfecto, Petite, inquit, &c. Quærite &c. Pulsate, & aperietur vobis, gratia vos prosequente; nec gratiam acquirimus nisi studuerimus & laborauerimus ne donum Dei negligentibus detur. Gratia enim adiutorium est infirmitatis humanæ; adiutorium autem dormientibus non datur, sed festinantibus & præualentibus. Et infra homilia vicesima tertia super illud Matth. 19. Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est, sic ait; Non dixit, Non omnes possunt, sed non omnes capiunt, id est, omnes quidem capere possunt, non tamen omnes capere volunt, sed quibus datum est: non hoc significat, quoniam quibusdam datur, quibusdam non datur, sed illud ostendit, quia nisi auxilium gratiæ acceperimus, nihil ex nobis valemus: Quoniam autem volentibus gratia non denegatur, in Euangelio Dominus dicit,
E Petite, & dabitur vobis; Quærite, & inuenietis; Pulsate, & aperietur vobis: Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Debet autem voluntas præcedere, & sic sequitur gratia; nam nec gratia sine voluntate aliquid operatur, nec voluntas sine gratia potest. Super illud quoque Matth. 13. Vobis datum est nosse &c. Illis autem non est datum, recitante glossa Thomæ, sic ait; Hoc autem dixit, non necessitatem inducens, nec fatum, sed demonstrans quod illi, quibus non est datum, causa sibi sunt vniuersorum malorum, ostendere volens quoniam cognoscere diuina mysteria donum est Dei & gratia desuper data, non tamen propter hoc liberum arbitrium destruitur. Et hoc, ex his quæ sequuntur, manifestum est. Vt enim neque illi desperent, neque isti pigritentur audientes

quoniam eis est datum, demonstrat à nobis principium horum esse, cum subdit; Qui enim habet, dabitur ei & abundabit, qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo: Ac si dicat, cum aliquis desiderium habuerit & studium, dabuntur ei & vniuersa quæ à Deo sunt; cum autem his vacuus fuerit, & quæ ad se pertinent non inferat, nec quæ à Deo sunt, ei dantur. Qui & in expositione sua perfecta super Matth. & super epistolam ad Hebræos varijs locis, & in alijs multis opusculis videtur eandem sententiam profiteri. Damascenus etiam tricesimo nono sententiarum videtur Pelagio consentire, conans ostendere liberum arbitrium sine Deo posse producere actum suum, sicut vicesimo octauo huius apparet; Qui & infra quadragesimo quarto, Oportet, inquit, scire quoniam electio quidem operationum in nobis est; finis autem bonarum quidem Dei operationis iustè cooperantis præeligentibus bonum iusta conscientia secundum præagnitionem eius; malarum autem derelictionis Dei rursus secundum præcognitionem eius iustitiæ derelinquentis. Et infra eodem, Oportet scire quod Deus antecedenter vult omnes saluari: Non enim in puniendo plasmauit nos, sed ad percipiendum bonitatem eius vt bonus, peccantes autem vult puniri vt iustus. Robertus quoque Lincolniensis Episcopus in De libero arbitrio, in quæstionibus suis de voluntate Dei, & alijs suis operibus videtur similiter Pelagianis fauere, dicendo Deum non facere, vel non antecedenter facere actum liberum voluntatis, ipsamque ex se posse consentire vel dissentire Deo gratiam offerenti, vel ad bonum quodlibet excitanti. Magnus similiter Cassianus in libro suo, De protectione Dei, sicut decimam tertiam collationum Patrum, seu tertiam, septem collationum trium Patrum ad Honoratum & Eucherium scriptarum cuidam Chæremoni ascriptam legentibus euidenter apparet, cum Pelagio delirauit, sicut & luculenter ostendit sanctus Prosper in libro suo intitulato pro prædicatoribus gratiæ Dei contra librum Cassiani Presbyteri De protectione Dei, sicut & tricesimo septimo primi, & post aliqualiter recitatur. Porro de autoritate huius sancti Prosperi viris scholasticis satis constat. De quo & in canone dist. 15. cap. vlt. vbi recitantur scripta Doctorum authentica, scribitur isto modo; Item Opuscula beati Prosperi viri religiosi. De quo & Martinus in Chronicis, agens de Leone primo Imperatore, dicit quod Prosper Aquitanicus natione his temporibus floruit, qui apud regnum Italiæ factus Episcopus, doctrina & miraculis claruit. De quo & Cassiodorus in quodam opere ad Monasterij sui fratres sic scribit; Cassianum Presbyterum, qui conscripsit de institutione fidelium Monachorum, sedulò legite, libenter audite, qui inter ipsa initia ‖ *sani propositi*, octo principalia vitia dicit esse fugienda: & paulò post; Qui tamen de libero arbitrio à beato Prospero iure culpatus est: Vnde monemus, vt in rebus talibus excedentem sub cautela legere debeatis. Cuius dicta Victor Maritanus Episcopus ita Domino iuuante purgauit, & quæ minus erant addidit, vt ei rerum istarum palma meritò conferatur. Quibus Gennadius Massiliensis dissentiens, & Pelagianis, vt videtur, consentiens, de viris illustribus 84. agens de Prospero, Lege, inquit, librum sub persona eius aduersus opuscula Cassiani, quæ Ecclesia Dei salutaria probat, ille infamat nociua; Re enim vera Cassiani & Prosperi de gratia Dei & libero arbitrio sententiæ in aliquibus sibi inueniuntur contrariæ. Abbas etiam Ioachim, licet vir in diuinis Scripturis præclarus, hac peste Pelagij est infectus, sicut ex vlt. primi patet; Multi insuper alij & magni Doctores videntur frequenter in multis Pelagio consentire: Imo & totus pæne mundus, vt timeo, & doleo, post hunc abit, & eroribus eius fauet, dum fere omnes communiter æstimant solius liberi arbitrij viribus se posse declinare à malo, facere bonum, seruare mandata, mereri gratiam, perseuerare finaliter, facere se prædestinatum & de numero saluandorum; vel si qui pauci auxilio Dei & eius coefficientia speciali se reputent indigere, se & suum liberum arbitrium Deo diuinoque libero arbitrio superbissime anteponunt. Quis ergo inter Scyllam & Charibdin, inter voraginem & procellam, inter dextram & sinistram directè tutus incedit, nisi pius Lector & prudens, non innitens prudentiæ propriæ, sed super eum, qui est simul dux, via & terminus? Quia veritas indeflexa; qui teste Sapiente dux est sapientiæ & sapientum emendator. Et quis Catholicus nesciat sacram Scripturam quam Pater sanctificauit & misit in mundum, in nulla sui parte debere aut posse ab homine emendari? Et quis Theologus nesciat alias Scripturas quorumcunque scriptorum non tanta firmitate semper muniri, sed posse quandoque ab hominibus emendari? Quod euidenter demonstrat realis contradictio inter ipsos: Qui enim post scriptores canonicos maiores Origine, Hieronymo, Cypriano, & clarissimo Augustino? Quorum posteriores primum meritò reprehendunt. Errauit * enim grauissime, sicut Theologus nullus nescit, beatusque Hieronymus aliqua eius opera emendauit. Idem quoque Hieronymus seipsum quandoq; super translationis

[Margin notes: *Damascen.* — *Cassianus.* — *Prosper.* — *Martinus.* — *Cassiodorus.* — ‖ sano proposito — *Victor.* — *Gennadius.* — *Ioachim.* — * Origenes.]

[Margin letters: A, B, C, D, E]

nis

A nis vitio reprehendit. Vnde ſuper Eſaiam libro quinto exponens illud cap. 19. Non erit Aegypto opus quod faciat caput & caudam incuruantem & refrænantem ſe, ſic ait; In eo quod tranſtulimus incuruantem & refrænantem, poſſumus dicere incuruum & laſciuientem, vt intelligamus ſenem & puerum: nos autem verbum Hebraicum, Acmon, dum celeriter quæ ſcripta ſunt vertimus, ambiguitate decepti refrænantem diximus. Et infra eodem libro, & capitulo ſuper illud; Erit terra inde Aegypto in feſtiuitatem, ſic dicit; Melius reor proprium errorem reprehendere, quam dum erubeſco, imperitiam confiteri, perſiſtere, pro eo quod tranſtuli, Et erit terra inde Aegypto in feſtiuitatem. Pro feſtiuitate in Hebræo legitur Agga, quod interpretari || *ſolet* feſtiuitas; vnde & Aggeus, in feſtiuum vertitur, & timor: quod ſignificantius Aquila tranſtulit in verbum græcum, ſignificans cum aliquis pauidus & timidus circumfert oculos, & aduenientem formidat inimicum. Quare arbitror, quod in timorem pro feſtiuitate vertitur, quod & magis concordat proceſſui Prophetiæ. Qui & ſuper materia || poteſt

B bigamia, eo quod ſcribens ad || *Oceanum*; & ſuper epiſtolam Pauli ad Timotheum, ſicut recitatur in canone diſt. 26. vnius, & infra 28. quæſtione vltima, oportet; aſſeruit eum, qui ante baptiſmum habuit vnam vxorem, & poſt baptiſmum aliam, non fieri bigamum, cum prorſus innouato per baptiſmum omnia vetera ſunt dimiſſa; quem ſuper hoc errore Ambroſius, Auguſtinus, & Innocentius reprehendunt, ſicut eiſdem locis in canone continetur, quos & Eccleſia imitatur. Quis etiam Theologorum ignoret contradictionem & concertationem maximam inter Hieronymum & Auguſtinum, quam eorum epiſtolæ clarè monſtrant; In quarum vna, ſcilicet viceſima epiſtolarum Hieronymi, dicit Hieronymus ſe quædam in quadam epiſtola Auguſtini ad ipſum directa hæretica iudicare. Qui & tranſlationibus Bibliæ, in titulis Pſalmorum, in autoribus ipſorum, in Melchiſedech & in multis alijs contradicunt. || Occianum

Beatus etiam Cyprianus, Doctor Catholicus & Martyr egregius, docens baptiſmum collatum ab hæreticis non valere, à beato Auguſtino de vnico baptiſmo, ſicut & recitatur 4. ſent. *Cyprianus.*

C Petri, diſt. 6. corripitur. Idem quoque Auguſtinus Doctor præcipuus ſeipſum ſæpius reprehendit, quare & librum retractationum ſcriptorum ſuorum compoſuit. Qui & poſt illum in libro ſuo de prædeſtinatione ſanctorum, qua dam dicta ſua retractat, ſicut patet ex triceſimo quinto & quadrageſimo quinto primi. Sic & venerabilis Beda librum retractationum conſcripſit; ſic & beatus Hilarius dicitur librum retractationum ſcripſiſſe, in quo refertur meritò retractaſſe id quod Petrus 3. ſentent. diſt. 15. recitat de libro eius de Trinitate, Chriſtum ſcilicet non ſenſiſſe dolorem aliquem paſsionis, imò nec habuiſſe naturam ſenſitiuam doloris. Beatus quoque Hieronymus aliqua facta ſua corrigit, & retractat, ſicut præhabita manifeſtant. Si ergo tot & tanti Doctores & Scribæ delirarunt aliquoties in ſcribendo, cur non licet quandoque de alijs ſimiliter ſuſpicari, præſertim cum quandoque iſtis magnis Doctoribus, quandoque verò ſibi inuicem contradicant? Cur ergo non licet & dicta ipſorum in locis dubijs & ſuſpectis, & præſertim vbi ad inuicem contradicunt, diſcutere, & cum omni humili- *Auguſtinus.* *Beda.* *Hilarius.* *Hieronymus.*

D tate, reuerentia & ſobrietate, ſi oporteat emendare, ſeu potius à melioribus Patribus emendata humiliter declarare? Quare & ſanctiſsimus ac doctiſsimus Auguſtinus, de natura & gratia 61. recitato quod aduerſarius contra quem ſcribit, adduxit pro ſe multa teſtimonia non de Scripturis Canonicis, ſed de quibuſdam catholicorum tractatorum opuſculis, ſic ſubiungit; Prima quæ poſuit, quia nomen eius qui ea dixit, ibi non legit, ſiue quia ille non ſcripſit, ſiue quia codex, quem miſiſtis, ſi id aliqua fortè mendoſitate non habuit, pertractare quid opus eſt? Maximè quoniam noui me in huiuſmodi quorumlibet hominum ſcriptis liberum, quia ſolis canonicis debeo ſine vlla recuſatione conſenſum. Qui & ad Paulinam de videndo Deo. 4. Si quid, ait, diuinarum Scripturarum, earum ſcilicet quæ canonicæ in Eccleſia nominantur, perſpicua firmatur autoritate, ſine vlla dubitatione credendum eſt; Alijs vero teſtibus vel teſtimonijs, quibus aliquid credendum eſſe ſuadetur, tibi credere, vel non credere liceat, quantum ea momenti ad faciendam fidem vel habere vel non ha- *Auguſtinus* *Auguſtinus.*

E bere perpendens. Et infra 29. His, inquit, quæ vides diligenter fidenterque perſpectis, attende quæ credis, & in eis ipſis, quibus non viſis accommodas fidem, ipſa teſtium pondera diſcernendo perpende: Neque enim mihi ſic credis, quemadmodum Ambroſio, de cuius libris tanta illa teſtimonia poſui: aut ſi nobis æqua lance putas credendum, nunquid vllo modo Euangelio comparabis? aut ſcripta noſtra Scripturis Canonicis coæquabis? Profectò ſi rectè in dijudicando ſapis, longè nos infra vides ab illa autoritate diſtare, & me quam longius; ſed vtriq; noſtrum quantumlibet credas, vtrumq; illi excellentiæ nequaquam comparas. Qui & epiſtola 7. ad Marcellinum, Literæ tuæ, inquit, habent quæſtionem, non ex diuinis || *libris*, ſed meis. In talibus autem quæſtionibus non multum laboro; quia etſi defendi *Auguſtinus.* || literis,

 ſententia

ſententia mea liquida ratione non poteſt, mea eſt, non eius autoris, cuius ſenſum improbare A fas non eſt, & cum eo non intellecto hoc inde ſentitur quod improbandum eſt. Ego proinde fateor me ex eorum numero eſſe conari, qui proficiendo ſcribunt, & ſcribendo proficiunt. Vnde ſi aliquid vel incautius vel indoctius à me poſitum eſt, quod non ſolum ab alijs qui videre id poſſunt, meritò reprehendatur; verumetiam à meipſo, quia & ego ſaltem poſtea videre debeo, ſi proficio, nec mirandum eſt, nec dolendum, ſed potius ignoſcendum atque gratulandum, non quia erratum eſt, ſed quia improbatum eſt: Nam nimis peruerſe ſeipſum amat, qui & alios vult errare vt error ſuus lateat. Quanto enim melius & vtilius ipſe vbi errauit, alij non errent, quorum admonitu errore careat? Quod ſi voluerit, ſaltem comites erroris non habeat: Si enim mihi Deus quod volo præſtiterit, vt omnium librorum meorum quæcunque mihi rectiſſimè diſplicent, opere aliquo ad hoc ipſum inſtituto colligam atque demonſtrem, tunc videbunt homines quàm non ſim acceptor perſonæ meæ; vos autem qui me multum diligitis, ſi talem aſſeritis aduerſus eos, quorum malitia, vel imperitia, B vel intelligentia reprehendor, vt me nuſquam ſcriptorum meorum erraſſe dicatis, fruſtra laboratis, non bonam cauſam ſuſcepiſtis: facile in ea meipſo iudice ſuperamini, quoniam non mihi placet, cum à cariſsimis meis talis eſſe exiſtimor, qualis non ſum. Et infra loquens quibuſdam amicis vrgentibus, vt libros de Geneſi, & de Trinitate feſtinanter compleret, quatenus ipſemet ſuperſtes ipſos iam ſcriptos poſſet defendere contra omnes, ſic ait; Quod vtique propterea dicitis, quia non putatis eſſe in eis aliquid, quod vera poſſit ratione culpari, alioquin non me ad eorum editionem, ſed ad diligentiorem emendationem potius hortaremini. Ego autem Iudices veros, & veritate ſeueros magis intueor, inter quos & meipſum primitùs conſtituere volo, vt ad illos ea tantum reprehendenda perueniant, quæ a me quamuis ſedulò perſcrutante minime videri potuerunt. Et infra; Si ratio contra diuinarum Scripturarum autoritatem redditur, quantumlibet acuta ſit, fallit veri ſimilitudine; nam vera eſſe non poteſt. Rurſus, ſi manifeſtiſsimæ certæque rationi velut Scripturarum ſanctarum ob- C ijcitur autoritas, non intelligit qui hoc facit, & non Scripturarum illarum ſenſum ad quem penetrare non potuit, ſed ſuum potius obijcit veritati, nec quod in eis, ſed quod in ſeipſo, velut pro eis inuenit, opponit. Cuius autoritatem eo ipſo tutius proſequor, deuotius veneror, firmiuſque amplector; Scio enim quod Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam & paruulis intellectum. Idem ad Hieronymum epiſt. 9 in epiſtolari Auguſtini; Fateor, inquit, charitati tuæ, ſolis eis Scripturarum libris qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, vt nullum eorum autorem ſcribendo erraſſe aliquid firmiſſimè credam; ac ſi in eis aliquid offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe quod dictum eſt, vel me minime intellexiſſe non ambigam: alias autem ita lego, vt quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi vel per illos D autores canonicos, vel probabili ratione quod à vero non abhorreat perſuadere poterant: nec te, mi frater, ſentire aliud exiſtimo. Prorſus, inquam, non te arbitror ſic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum vel Apoſtolorum, de quorum ſcriptis quod omni errore careant, dubitare nefarium eſt; abſit hoc a pia humilitate & || *veraci.* Hæc idcirco dixerim, ne videar altum ſapere, perperam agere, & Patres reprehendere minus iuſtè: Quiſquis enim fuerit Pater, vel frater, etiam Angelus de Cœlo, qui Pelagianam hæreſin dixerit, ſcripſerit, tenuerit, ſiue docuerit, ipſum intrepidus reprehendam. Certiſsimus enim ſum, nec in minimo hæſito, vetus Teſtamentum & nouum, Chriſtum, Paulum, Auguſtinum, Gregorium, cæteroſque Doctores, Eccleſiam ſanctam Dei in tot Synodis & Concilijs, tot Papas & ſanctos, ac tot & tam validas rationes in deſtructione huius hæreſis non erraſſe, non cæcos fuiſſe, nec cæcos in foueam adduxiſſe. Porrò de ſacra Scriptura audacter pronuntio, quod nulla pars eius realiter alteri contradicit, aut hæreſi Pelagianæ conſentit, & ſi quæ ſic facere ſuperficialiter videatur, profecto hoc accidit ex defectu oculi minus ſani; quare E purgandus eſt oculus, vt poſſit ſincere videre veram mentē Scripturæ ſecundum expoſitiones Sanctorum, vel aliam ſibi diuinitùs inſpirandam. Quod autem Auguſtinus Pelagianis aliquando conſenſit, in parte inficiari non poteſt; quare & ſeipſum redarguens pœnitebat. Si quæ autem ſint alia loca librorum ſuorum quam retractata expreſſè, quibus nedum apparenter, ſed verè conſenſit Pelagio, illa in generali & in ſuo ſimili retractauit, ſicut poteſt haberi ex 45° primi. Si igitur Auguſtinus Doctorū doctiſsimus, ſubtiliſsimus penetrator, acutiſſimus diſputator, & Pelagianorū ſtrenuiſsimus expugnator fuit, quādoque errore ipſorum deceptus, quid mirum, ſi Chryſoſtomus, alijq; minores? Et reuera videtur mihi Chryſoſtomus

|| veritate

quaſi

A quasi contradicere Augustino, & ab eo parumper recedere, ac Pelagianis nimium propinquare, nec in expositionibus suis per omnia rectè ambulare ad Euangelij veritatem. Saluator namque gratuitam gratiam Dei commendans, Nemo, inquit, potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit illum, & nisi fuerit ei datum à Patre meo: Si autem, vt dicit Chrysostomus, qui tribuit seipsum dignum vt suscipiat, ille suscipit, potius ille, qui facit se dignum, per hoc trahit ad se Patrem & Christum, quàm e contra; Potiùs quoque talis per dignificationem suam, tanquam per meritum dignum, pretiumque condignum emit à Patre vt veniat ad Christum, quam Pater hoc det ei; quare & melius diceretur; Nemo potest venire ad me, nisi per meritum suum pręcedens traxerit Deum Patrem, & nisi prius mereatur vt hoc ei à Patre vendatur siue reddatur. Qui & in hac expositione videtur contradicere Augustino 1. part. super Iohan homilia vigesima sexta, qui exponendo illud verissimum verbum verbi, sic ait; Magna gratiæ commendatio, nemo venit nisi tractus. Quem trahat, & quem non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare si non vis errare: tamen secundum Chrysostomum, aliqua esset causa, differentia scilicet meritorum. Quòd etiam dicit Chrysostomus, quòd aliquis tribuit se dignum veniendi ad Christum, posset forsitan corrigi per præmissa tricesimo nono primi: Non enim est ibi dignitas antecedens voluntati diuinæ. Augustinus quoque de Prędestinatione sanctorum duodecimo, tractans illud quod dixit in libello suo contra Porphyrium; Salutem scilicet religionis Christianæ nulli vnquam defuisse qui dignus fuit, si discutiatur, inquit, & quæratur vnde quis sit dignus, non desunt qui dicunt voluntate humana: Nos autem dicimus gratia vel prædestinatione diuina. Quod || *etiam* dicit Chrysostomus voluntatem debere præcedere gratiam, videtur nimis suspectum & Pelagiano errori propinquum, imò non propinquum, sed idem, sicut capitula primi de gratia manifestant. Nonne & super epistolam ad Hebræos superius recitatus, videtur astruere, quod non dare commotionem pedibus, superare temptationes quascunque, stare firmiter & perseuerare finaliter sit in libero arbitrio hominis tantum, & in nullo alio contra quartum, octauum, & alia capitula huius secundi, & contra Autores satis maiores illis capitulis recensitos? Quod etiam dicit Deum nostras voluntates nequaquam antecedere, sed è contra, etiam in actibus suis bonis, tricesimum huius damnat autoribus maioribus, & rationibus validis roboratum. Ratio || *verò*, quam pro se abducit, satis irrationabilis esse constat; vt liberum, inquit, arbitrium nostrum non lædatur: Qualis enim læsio liberi arbitrij creati seruire, subijci & subsequi Creatorem Regem Regum, & Dominum Dominorum? Absit enim vt aliquis cum || *Nimphrotæis* graue putet seruitium obsequi Deo summo; Imo ipsi seruire proculdubio est regnare, libertas optima, & salus perfecta; A cuius etiam subiectione velle discedere seruitus pessima comprobatur. O Pater Catholice, vel ponis quod voluntas humana sufficit sola producere suos actus, vel quod diuina coefficientia necessariò requiratur. Si primum, à doctrinæ catholicæ veritate cum Nemphrot & Pelagio te separas & aberras, vicesimo huius D teste. Si secundum, cur doctor sobriè, si in actu voluntatis humanæ & diuinæ communi alterum liberum arbitrium te iudice necessariò debet lædi, cur, inquam, non maius læderetur diuinum liberum arbitrium quam humanum, dum humanum præponis & diuinum postponis? Dum voluntatem humanam efficis dominam præcedentem, & voluntatem diuinam pedissequam subsequentem? Dum voluntatem humanam constituis liberam, & eam à Dei etiam eximis seruitute, & voluntatem diuinam facis ancillam & seruam, & eam etiam hominis subijcis seruituti? Hic etiam Pater videris consentire Pelagio, tricesimo huius teste. Quomodo etiam dicis Apostolum non sicut propriam sententiam induxisse, nec volentis, nec currentis, &c. cum ex Scriptura canonica veraciter, non fallaciter hoc concludat? Quod & totus ille processus, & aliæ epistolæ eius multæ indicant euidenter; multi quoque & magni Doctores Catholici illud verbum Apostolicum exponentes & sæpius allegantes. Secunda quoque tua responsio, & expositio illius || *Apostolici* verbi prætacti videtur eidem Apostolo, Christo, & E alijs discipulis multis Christi, doctoribus verò nostris planissime contraire, & Pelagio consentire, sicut vicesimum huius & eius corollarium cum capitulis sequentibus clare docent. In illa similiter ratione, quam innuis consequenter, Propheta dicebat; Laua a malitia cor tuum; ergo nostrum est bonum. Si intelligas nostri tantum, Ita videlicet quod peccator solus se posset à peccato lauare sine Deo specialiter eum lauante, sicut videris sentire, falleris turpiter, sicut & Damascenus in argutia simili turpiter fallebatur, sicut vicesimum octauum huius ostendit. Nonne & Peopheta alibi dicit Deo, Amplius laua me Deus ab iniustitia mea? Ista quoq; sententia videtur sententiæ insensatæ Pelagij consentire, sicut 43 primi pandit. Scio tamen quod possem fingere ei glossas; sed reuera non habeo scientiam, nec conscientiam

Chrysost.

Augustinus.

|| autem *Chrysost.*

|| quoque

|| Nemphotæis

|| Apostoli

ipſum gloſſandi in iſtis: Ideo ſicut dixi ſuperius, Theologica ſtudia lectorem pium & prudentem requirunt: qui autem magis pius & prudens ipſum in huiuſmodi gloſſare veraciter ſciuerit non reconciliando Pelagium, placet mihi, congaudeo, acquieſco. Abſit, quin lubentius ſemper addiſcam à quolibet cuiuſlibet doctoris irreprehenſibilis veram mentem, quam ipſum non intelligendo ex ignorantia reprehendam. Sed caueant, quæſo, dictorum ipſius huiuſmodi gloſſatores, ne Pelagianis à Chriſti Eccleſia relegatis viam aperiant redeundi, & dictis ipſorum hæreticis catholicam gloſſam parent. Si nempe inueniatur talis gloſſator magis pius & prudens Auguſtino, Gregorio, Beda, Proſpero, quampluribus ſanctis Papis, & inferioribus Epiſcopis, Synodis atque Concilijs, & tota Eccleſia ſancta Dei, ſimilia dicta Pelagij & Pelagianorum non gloſſantibus, ſed abſolutè damnantibus, ſicut docent multa capitula primi & ſecundi, & quamplures libri authentici, & hiſtoriæ conteſtantur, mirabiliter admirandum quis ſe ſimilem ac tantum audeat profiteri. Si namque hi ſancti Patres ſciuerunt talia dicta catholicè gloſſauiſſe, & noluerunt, ſed tanquam hæretica condemnarunt, impietas peſſima: ſi voluerunt, & neſcierunt, ignorantia maxima, cum tu ſolus & faciliter iſtud ſcias. Idem videtur dicendum de Damaſceno, & alijs Patribus ſuperius memoratis, quanquam & quidam eorum in quibuſdam dictis ſuis coloratiùs poſſent gloſſari. Robertus autem Lincolnienſis Epiſcopus multa ſcripſit de ſcientia & voluntate diuina, & de libero arbitrio. De libero ſiquidem arbitrio bis ſcripſit. Primò, vnum libellum qui ſic incipit; Quia circa eſſe rei poteſt eſſe dubitatio: in quo magis diſputatiuè, & inquiſitiuè, quàm determinatiuè aut definitiuè procedit. Vnde & in fine; Vtrum, inquit, motus liberi arbitrij ſit ſibi à ſe, an non, non determino, ſed perſpicuè videntibus inueſtigandum relinquo. Et infra, Quæſito & diſputato, Vtrum motio liberi arbitrij qua mouetur ad malum, ſit à Deo, ſubiungit, Iſtud iterum non determino. Et infra; Quæſito & diſputato, Numquid liberum arbitrium poſſit velle bonum gratuitum, & conſentire appoſitioni primæ gratiæ ex ſeipſo, vel non, ſed ex Deo illud prius volente & agente, & quomodo tunc non eſſet ibi neceſſitas, non determinat, ſicut dicit: quas quæſtiones, cum multis alijs ibi tactis, dicit ſe poſteris determinandas relinquere. Secundò ſcripſit alium libellum de libero arbitrio, qui incipit iſto modo; Cum per arbitrij libertatem dignior ſit homo cæteris animantibus: In quo magis determinatiuè procedit; Quapropter primum iſtorum nunquam, ſed ſecundum quandoque ſoleo allegare. Et ſi quis obiecerit indignum videri tantillum reprehendere tantos Patres; reſpondendum conſtanter, indignius eſſe pro certo, tantis fauendo erroribus hæreticis conſentire, & repræhendi permittere irreprehenſibilem Patrem noſtrum fidei noſtræ autorem, irreprehenſibilem ſponſam Chriſti, non habentem maculam neque rugam, irreprehenſibilem matrem noſtram & Doctores noſtros maiores: Quis enim Chriſtianus ignorat doctrinam Chriſti Catholicam omni doctrinæ contrariæ præferendam? Et quis neſciat, ſi Doctores diſſentiant, magis authenticum in tali materia præferendum? Et quis in iſta materia poſt Autores ſacræ Scripturæ authenticior Auguſtino? Etſi ego puſillus non debeam reprehendere tantos Patres, magna eſt veritas, quæ omnem reprehenſibilem ſine acceptatione perſonarum reprehendere non veretur: Nec ipſos ſimpliciter reprehendo, ſed ſi ſectentur errorem Pelagij, reprehenſos à maioribus Patribus manifeſto. Sed nec adhuc ipſos ſimpliciter reprehendo, nec reprehenſos oſtendo, ſed dico me adhuc non habere ſcientiam, neque conſcientiam ipſorum dicta per omnia ſuſtinendi: Si enim admiſero ſuperficiem literæ, Pelagianis videor conſentire: ſi literam gloſſare tentauero, timeo ne, ſi ad mentem dicentium, adhuc Pelagio faucam: ſi autem contra vel præter mentem dicentium, contra mentem propriam mendax ero. Neſcio etiam veraciter coram Deo talia dicta gloſſare, niſi meo iudicio per ſimilem gloſſam Pelagianos reconciliari conſenſero, & Patres, qui ipſos damnauerant, condemnari, vel ſaltem ipſorum Patrum ſententiam irritari; quod ideo maiorum prudentiæ derelinquo, & ſi talia dicta catholicè ſuſtinenda docuerint, deuotiſſimus acquieſcam. Veruntamen probabiliter dici poſſet, Chryſoſtomum nolle aſſerere quenquam poſſe inchoare, continuare, conſummare, vel vniuerſaliter facere quicquam boni ſine auxilio gratiæ; quare & videtur velle conſequenter aſſerere, nullum poſſe primam gratiam promereri. Vnde ſuper illud Matth. 7. Petite, & dabitur vobis &c. In opuſculo imperfecto homilia 18. vbi erat ſuperius allegatus, ſic ait, Sciens Dominus quoniam quæcunque mandauerat ſupra hominibus, impoſſibilia erant, & quantum ad naturam humanam ſupra naturam, & quoniam maiora erant mandata, quàm virtus humana eſt, tranſmittit eos ad Deum, cuius gratiæ impoſſibile nihil eſt, dicens; Petite & dabitur vobis; vt quod ex hominibus conſummari non poteſt, per gratiam Dei adimpleatur. Omnem creaturam ſenſibilem Deus armatam & munitam creauit: Alios enim muniuit veloci pedum curſu,

Matthæus *Chryſoſt.*

A cursu, alios armauit vnguibus, alios velocibus pennis, alios dentibus, alios cornibus; hominem autem solum sic disposuit, vt virtus illius sit ipse; & in eo quod infirmiorem eum fecit omnibus in ipso, fortiorem eum voluit esse in se. Nam sciens Deus, quia cognoscere & colere Deum vita æterna est, ignorare autem & contemnere perditio sempiterna, nec ita infirmum eum creauit, vt omnino nihil boni facere posset, ne quem super omnia & propter quem omnia fecerat, omnibus inueniretur esse deterior: nec ita potentem eum creauit, vt etiam sine Dei auxilio ex seipso facere posset quid vult, vt infirmitatis suæ necessitate coactus, semper necessarium habeat Dominum suum. Et verè iustissima res est, vt factura necessariò habeat factorem suum: Si enim omnis virtus hominis in Deo est, & tamen contemnit omnium bonorum suorum Autorem; quanto magis negligeret Deum, si potentia eius esset in ipso? Qui *Chrysostom.*
& infra tractans illud Matth. 21. De asina alligata, & solutione ipsius sic ait; Propter quasdam autem similitudines || *asinis* assimilati sunt homines, Dei filium non cognoscentes. Est enim || animalibus
B Animal hoc immundum, & præ cæteris pæne iumentis magis irrationale, & stultum, & infirmum, & ignobile, & oneriferum: Sic fuerunt homines ante Christi aduentum. Ligata autem erat asina, id est, Diabolici erroris vinculo impedita, vt non haberet libertatem ire quo vellet. Nam antequam peccamus, liberum habemus arbitrium sequi voluntatem Diaboli, aut non: quod si semel peccantes obligauerimus nos operibus eius, iam nostra virtute euadere non possumus, sed sicut nauis, fracto gubernaculo, illuc ducitur vbi tempestas voluerit; sic & homo diuinæ gratiæ auxilio perdito per peccatum, non quid vult agit, sed quid Diabolus vult; & nisi Deus valida manu misericordiæ suæ soluerit eum, vsque ad mortem in peccatorum suorum vinculis permanebit. Quod igitur videtur dicere, aliquando hominem mereri gratiam, & voluntatem humanam præcedere gratiam, potest fortaßsis exponi de augmento gratiæ, siue de gratia secunda, non prima, seu etiam de quocunque Dei dono, quod homo per gratiam promeretur. Infra namque eadem homilia sic ait, Scriptum est, Concupisce sapientiam, *Chrysostom.*
C serua iustitiam, & Deus præbet eam tibi. Sed quid dicis? Hoc ipsum peto vt sciam, & faciam; & quomodo possum facere priusquam accipiam? Etiam quod potes fac, vt amplius possis, & quod scis serua, vt amplius scias: Iustitia enim ipsa se operatur, & ipsa se manifestat? Quomodo? Dum tu iustitiam operaris in te, iustitia te operatur in se: nam omne artificium seipsum operatur. Vt puta, operaris vineam, colligis fructus eius, & delectatus in eis melius operaris. Vides quia ipsa se colit fructificando tibi dum colitur: sic ex diuerso, qui opus peccati exequitur, ipsum peccatum, cum sit spiritus immundus, operatur in eo delectationem peccandi, vt dum delectatur circa peccatum amplius peccet. Sic & qui iustitiam operatur, cum sit ipsa iustitia spiritus sanctus, operatur in ea delectationem iustitiæ faciendæ, vt delectatus circa iustitiam amplius faciat. Tale est quod dicit sapientia, Cogitatum habe in præceptis Dei, & in mandatis eius meditare semper, & ipse confirmabit cor tuum, & concupiscentiam sapientiæ tibi dabit. Vides quia iustitia ipsa se operatur, te tantummodo inchoante & laborante; sed
D ipsa se adaperit dum colitur: Sic enim qui peccat, dum peccat, magis atque magis tenebrescit mens eius, & à luce veritatis recedit, ita vt nulla scientia salutaris remaneat in eo, nisi sola malignitas, de qua dicit Solomon, Sapientia impiorum nequitia: Sic & qui iustitiam operatur, dum operatur, magis atque magis clarescit mens ipsius, & ad notitiam sapientiæ maioris ascendit, & ipsa se iustitia quasi speculum offert ante oculos cordis ipsius. Per gratiam etiam quandoque intelligit aliquid donum Dei gratum & acceptum, quod laborando meremur, puta scientiam, sapientiam: vnde & immediatè ante illud dictum de eadem homilia supra obiectum, exponendo illud verbum, Petite, & dabitur vobis, sic ait, Deus ita nos disposuit esse, *Chrysostom.*
vt nec studentes & laborantes circa Scripturas, acquiramus salutem scientiæ sine gratia Dei, vt ne nobis imputemus, quod scimus: nec tamen gratiam acquiramus, nisi studuerimus & laborauerimus circa Scripturas, ne donum Dei negligentibus detur. Per hoc quoque quod innuit laborem & voluntatem hominis præcedere gratiam, fortasse intelligit præparationem, infu-
E sionem gratiæ aliquoties præcedentem, sicut tricesimum septimum & quadragesimum tertium primi faciunt mentionem; quam tamen præparationem non dicit solum hominem facere sine Deo, nec antecedenter Deo, neque ipsam esse meritoriam quomodolibet gratiæ gratis datæ. Et licet super epistolam ad Hebræos videatur velle negare Deum propriè agere actum voluntatis humanæ, apparet tamen alibi hoc sentire: Vnde super illud Matth. 27. Si quis vo- *Chrysostom.*
bis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos, sic ait, Nec paruum esse existimes quod factum est: Quis enim suasit dominis iumentorum non velle contradicere, vel nolentes silere & concedere? Et in hoc discipulos erudit, quoniam & Iudæos poterat prohibere, sed noluit. Aut forsitan intelligit, quod Deus non sic agit aut præagit actum voluntatis humanæ, quod eam inuitam compellat, aut violenter necessitet ad agendum. Vnde super

super illud Matth. 16. Si quis vult post me venire &c. scribit ita; Vide quod non coactiuum A
facit sermonem: Non enim dixit, si volueritis, & si nolueritis, oportet hoc vos pati; si quis
vult &c. Hoc autem dicens, plus attrahebat: Qui enim libertati auditorem dimittit, magis
Chrysost. attrahit; qui verò violentiam infert multoties impedit. Qui & super idem verbum Christi,
Luc. 9. sic ait; Cum autem Saluator sit pius & benignus nullum inuitum aut coactum habere
vult famulum, sed spontaneos, & gratias agentes ei pro famulatu; & ideo neminem cogendo, aut necessitatem imponendo, sed persuadendo & benefaciendo vniuersos volentes attrahit, dicens, Si quis vult. Ex isto autem apparet quod ipse ponit Deum præagere actum voluntatis humanæ; cur alias dicet, quod Saluator vult habere spontaneos famulos, & pro famulatu gratias ei agentes: Cur enim agent gratias Saluatori, nisi pro famulatus beneficio priùs dato, & priùs accepto ab eo? Alioquin videretur, quod Saluator potius teneretur reddere gratias famulis, eo quod ipsum sui famulatus obsequio gratuitè præuenirent. Nonne & si quis aliter saperet, peruerteret verba Christi, nec posset esse Christi discipulus sed magister, sicut B
Euangeliorum series manifestat? Dicit enim Christus; Si quis vult post me venire: Non dicit, Si quis vult ante me ire, aut me præire; dicitque, & sequatur me; non dicit, & præcedat me. Et iterum, qui non baiulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus. Licet igitur Chrysostomus aliquoties forsitan aberrauit, videtur se postea correxisse, &
Cyrillus. quod erroneè dixerat retractasse. Vnde Beatus Cyrillus Alexandrinus Episcopus in quadam epistola ad Ioannem Antiochenum Episcopum, & recitatur in canone dist. 50. Iohannes, sic scribit, Ioannes Chrysostomus duabus Synodis orthodoxorum Episcoporum fuit dijudicatus, sed iterum fuit restitutus: Non tamen expresse ibi habetur, quod ipse fuit dijudicatus ex causa hæresis aut erroris in sua doctrina, in scriptis suis aut dictis; veruntamen immediatè ante præmittitur isto modo; Petrus negauit Christum, & tamen postea princeps Apostolorum factus est; Paulus Stephanum lapidauit, & tamen à Domino in Apostolum est electus;
multique ab hæresi ad vnitatem Catholicæ fidei reuertentes, in suis ordinibus sunt recepti, alij C
verò ad Episcopalem gradum sunt promoti, vtpote Augustinus & alij quamplures. Item ex epistola Cyrilli ad Ioannem Antiochenum, Ioannes Chrysostomus &c. sicut supra. Isidorus tamen Hispalensis Episcopus de viris illustribus 6. post magnam commendationem huius
Isidorus. Iohannis, subiungit; Hic autem decimo tertio Episcopatus sui anno discordia Theophili Alexandrini Episcopi est oppressus. Nam fauentes Episcopi Arcadio Imperatori damnauerunt eum innocentem, atque ab Episcopatu deiectum, Ponto in exilium retruserunt. Nescio tamen an ista damnatio fuit aliqua dijudicatio prædictarum, an alia separata: multum tamen præsumendum videtur pro multorum orthodoxorum Episcoporum bino iudicio synodali. Theophylus quoque Alexandrinæ ciuitatis Episcopus, teste Gennadio Massiliensi Presbytero, de viris illustribus 33. erat Doctor Catholicus, hæreticorum strenuus expugnator, erat-
Damascenus que vitæ sanctitate laudabilis & insignis. Iohannes etiam Damascenus videtur errasse non
parum in vita; Cur ergo non potuit errasse similiter in doctrina? In libello namque de Phi- D
locosmis & Philanteis, refertur de eo, quod in Damasco inter Agarenos, qui dicuntur communiter Saraceni, ipsorum literas didicit opportunè, & quod propter eam, quæ ad omnes mansuetam & dulcem colloquutionem manifestus Regi effectus est, & honore maximo ab ipso dignificatus est, & cum ipso adibat, vt dilectus ad ipsius Mahumetis foueam seu sepulchrum; coactus est autem illic à Rege adorare, & ipse ipsius corpus venerari, & lapidi inclinari, & ipsum Mahumet prædicare, & prædicans Mahumetum, dixit obscurè, Isti dicunt, & magna voce, quod Mahumet Dei Apostolus est: Reuerentibus autem ipsis in Damascum honoratus est à Rege, & magnatibus ipsius magnificè velut prædicans omnino inquinatum. Si quid tamen hæc faciens prophanæ pollutionis contraxit, videtur abolitum & purgatum in accusatione sui mendosa sequente super crimine pessimo erga Regem, & abscisione pollicis dextræ manus, quem secum deferens flexis genibus coram imagine misericordissimæ virginis,
quam penes se habuit, & orans deuotè cum lacrymis & profundissimo gemitu per tres dies, E
ipsum perfectè restitui impetrauit; mortuo quoque Rege prædicto, factus Monachus, in libro suo, qui Pinax, siue de centum hæresibus nuncupatur, loco centesimo hæresin Agarenorum, eorundem & Ismaelitarum redarguit & reuicit: Veruntamen similibus forte modis, quibus Chrysostomus, & etiam per vicesimo octauo huius præmissa potest fortasiis & Damascenus exponi, & similes Doctores Catholici, qui similia protulerunt. Rationabiliter namque
|| catholice debemus || *catholicorum* dicta in benigniorem partem quam possumus interpretari; hæreticorum verò in odium eorum perfectum iuxta ipsorum hæresin æstimare. Intelligentia namque dicti ex intentione & causa pensatur dicendi. Nec debeo rationabiliter argui accusare Chrysostomum, Damascenum, & alios sanctos crimine pessimo, hæreticæ scilicet prauitatis, quo-

niam

A niam etſi dixerint hæreſin, non ſtatim hæretici haberentur: Qui enim ex ſimplicitate & ignorantia dixerit hæreſin, non intendens illam pertinaciter defenſare, ſed paratus ſtare iudicio Eccleſiæ & maiorum, non ſtatim pro hæretico habendus eſt. Abſit; tunc enim nimis multi & magni Doctores Catholici eſſent hæretici; Abſit, abſit; ſed potius de numero talium qui æmulationem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam: quolibet dici poteſt, Si quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus reuelabit; corripiendus eſt ergo & leniter inſtruendus. Dicit enim *Papias.* Papias, Hæretici dicuntur, qui de Domino vel creatura, ſiue de Chriſto vel Eccleſia prauè ſentiunt, ac dehinc conceptam noui erroris perfidiam pertinaci prauitate defendunt. Augu- *Auguſtinus.* ſtinus quoque 18. de Ciuitate Dei 52. Qui, inquit, in Eccleſia Chriſti morbidum aliquid prauumque ſapiunt, ſi correpti vt ſanum rectumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaque peſtifera & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, hæretici fiunt, & foras exeuntes habentur in exercentibus inimicis. Hoc idem euidenter probatur per Innocen- *Innocentius.*
B tium tertium, qui, ſicut patet. Extra. de ſumma trinit. & fide Catholica, Damnamus, damnauit & reprobauit quendam libellum Abbatis Ioachimi de Trinitate, tanquam hæreticum; ipſum tamen Ioachim, quia omnia ſcripta ſua ſubmiſit iudicio Romanæ Eccleſiæ, nequaquam ſicut hæreticum condemnauit. Vnde ſic ait; Si quis ſententiam vel doctrinam præfati Ioachim in hac parte defendere vel approbare præſumpſerit, tanquam hæreticus ab omnibus confitetur; In nullo tamen propter hoc florenti Monaſterio, cuius ipſe Ioachim extitit inſtitutor, volumus derogari; quoniam & ibi regularis eſt inſtitutio & obſeruantia ſalutaris; maxime cum idem Ioachim omnia ſcripta ſua nobis aſſignari mandauerit Apoſtolicæ ſedis iudicio approbanda, ſiue etiam corrigenda; dictans etiam epiſtolam, cui propria manu ſubſcripſit, in qua firmiter continetur ſe illam fidem tenere, quam Romana tenet Eccleſia, quæ, diſponente Domino, cunctorum fidelium mater eſt, & magiſtra. Et ſi quis adhuc obijciat, quod ſecundum meam ſententiam ſaltem ſcripta Chryſoſtomi, Damaſceni, Caſſiani, Ioachimi, &
C cæterorum Doctorum ſcribentium quandoque hæretica non eſſent legenda, nec etiam alleganda propter ſuſpicionem & timorem veneni incluſi; Imo ſunt legenda, non tamen ſicut *Quomodo libri hæreticorum ſint legendi.* ſanctum Euangelium, ſed cum prudentia & cautela, ſicut Caſſiodorus monet legere Caſſianum, ſicut ſuperius recitatur; ſicuti etiam alij Doctores monent legere Origenem, quem conſtat, ſicut ijdem Doctores affirmant, in pluribus peſſime deliraſſe. Vnde Caſſiodorus de inſtitutione diuinarum literarum 1. Origenem, inquit, multorum Patrum ſententia deſignat hæ- *Caſſianus.* reticum. Hunc licet tot Patrum impugnet autoritas, præſenti tamen tempore & à Vigilio beatiſſimo Papa denuo conſtat eſſe damnatum; ſed quemadmodum legi debeat, in epiſtola, quam ſcripſit ad Tranquillum ſanctus Hieronymus, probabiliter indicauit, vt nec ſtudioſos ab eius lectione neceſſaria remoueat, nec iterum incautos præcipitet ad ruinam: quem quidem non immeritò more Aneti habendum eſſe dixerunt, qui dum ſacrarum condiat pulmentaria literarum, ipſe tamen decoctus exiccatuſque proijcitur; de quo concluſiuè dictum
D eſt; Vbi bene, nemo melius; vbi male, nemo peius; & ideo caute ſapienterque legendus eſt, vt ſic inde ſuccos ſaluberrimos aſſumamus, ne pariter eius venena perfidiæ vitæ noſtræ contraria ſorbeamus. Cui & illud conuenienter aptari poteſt quod Virgilius, dum Ennium legeret, à quodam, quid faceret, inquiſitus reſpondit; Aurum in ſtercore quæro. Quapropter in operibus eiuſdem Origenis, quantum tranſiens inuenire præualui, loca quæ contra regulas Patrum dicta ſunt, hæc hæreſeon repudiatione ſignaui, vt decipere non præualeat, qui tali ſigno in prauis ſenſibus cauendus eſſe monſtratur: Poſteriores autem in toto dicunt eum eſſe fugiendum, propterea quia ſubtiliter decipit innocentes. Sed ſi adiutorio Domini adhibeatur cautela, nequeunt eius nocere venenoſa. In concilio quoque Carthaginenſi 4. ſicut recitat Gratianus, diſt. 37. legitur iſto modo; Epiſcopus libros Gentilium non legat, hæretico- *Gratianus.* rum autem perlegat, aut pro neceſſitate, aut pro tempore. Iſtam quoque ſententiam clarè probat autoritas ſeptimi Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſeptimo, & quædam aliæ tertio huius ſcriptæ.
E Quomodo autem ſcriptores, aut ſcripta huiuſmodi debent allegari, cognoſcitur ex præmiſſis: *Quomodo ſcriptores errantes debent allegari.* Non enim debent nec poſſunt ſicut ſanctum Euangelium allegari, ſed ſicut teſtes probabiles & famoſi in locis vbi non probantur erraſſe. Veruntamen autoritas talium quantum eſt ex parte dicentis non efficit plenam fidem: Quem enim conſtat ſemel erraſſe, & falſum dixiſſe, quomodo ratione ſolius dicentis, in alijs credam ei? Scio quod Iura ciuilia, & canonica de teſtibus idem tenent. Quare & Auguſtinus ad Hieronymum epiſt. 19. in epiſtolari Hieronymi, oſtendit, Nullum omnino eſſe mendacium in tota ſacra Scriptura; quia admiſſo ſemel in ſacra Scriptura officioſo aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quæ non, vt cuique videbitur, eadem regula ad mentientis autoris officium referatur, ſicque nuſquam certa erit in ſacris literis caſtæ veritatis autoritas. Imo nedum autoritas talium qui errarunt

rarunt, verumetiam illorum qui non errarunt, sed errare potuerunt, si qui sunt tales, quantum est de autoritate solius dicentis, nequaquam fidem plenissimam administrat, sed solum illius, qui nec errat, nec potuit, potest, aut poterit vnquam errare. Authenticissima igitur est allegatio Prophetarum, cum dicunt, hæc dicit Dominus; non autem hæc dicit Priscianus, Aristoteles, Tullius, Iustinianus, Pythagoras, Boetius, Euclides, Ptolomæus, aut quilibet aliorum errabilium. Quare constat sacram Scripturam, quam Pater sanctificauit, & misit in mundum, ratione sui Autoris inerrabilis, in firmitate & certitudine authenticis omnibus alijs incomparabiliter præferendam, & ipsi soli ratione solius Autoris fidem plenissimam adhibendam: Licet enim homines Scripturam canonicam videantur scripsisse, Et omnis homo mendax; non tamen ipsi eam scripserunt, sed per ipsos velut per calamum suum Spiritus veritatis, Digitus dexter Dei, sicut eadem scriptura multis locis testatur, & Doctores Catholici contestantur, & catholica fides tenet: De alijs autem scriptoribus errabilibus quibuscunque, per quos non constat Spiritum Sanctum fuisse locutum, aliter sentiendũ, sicut probat & docet doctissimus Augustinus locis superius memoratis. A B

CAP. XXXII.

Quod in omni non actione Deo & creaturæ communi, prius naturaliter est Deum ibi non agere quàm ipsam, & est, quia Deus certam actionem per creaturam non agit, ideo creatura illam non agit, & non è contra. C

OStenso siquidem, quod in omni actione Deo & creaturæ communi, Deus prius naturaliter agit quàm ipsa; restat consequenter ostendere, quod in omni non actione Deo, & creaturæ communi, prius naturaliter est Deum ibi non agere, quàm creaturam: Videlicet quia Deus certam actionem per creaturam non agit, ideo creatura illam non agit, & non è contra. Hoc namque consequitur ex trigesimo huius planè: Sicut enim duorum mouentium secundum prius & posterius ordinatorum, ita quod primum potest ex se solo non impedibiliter mouere secundum, & secundum mouere non potest, nisi sicut instrumentum motum antecedenter per primum, prius natura est primum mouere quàm secundum; & quia primum mouet, ideo mouet secundum, & non è contra: sic & in non mouere similiter, sicut euidenter apparet in brachio, baculo, & pila, & motore cœlesti Cœlo, & aëre: quod & ratio manifestat. Priuatio namque non propriè est effectus, sed defectus; quare non propriè habet causam efficientem, sed deficientem. Hæc autem esse non potest, nisi causa superior deficiens ab agendo, quæ si ageret, causaret habitum quo priuatio tolleretur. Sicut igitur positio causæ prioris est causa positionis sui effectus posterioris: sic & remotio causæ est causa remotionis effectus: Sicut enim præsentia solis est causa diei, sic & eius absentia est causa noctis: sicuti & præsentia gubernatoris est causa salutis in naui, & eius absentia perditionis, sicut Philosophus 2. Phys. 30. 5. Metaphys. 2. & Anselmus de conceptu virginali 5. testantur. Quare Philosophus 5. Metaphys. 16. distinguens priora & posteriora; Alia, inquit, secundum potestatem: Excedens enim potestate prius & quod potentius: tale verò est cuius secundum præuoluntatem sequi est necesse, alterum est posterius; vt non mouente illo non moueatur, & mouente moueatur; & est præuoluntas principium; vbi & textus quem Auerroes habet, Et dicitur ante secundum potentiam vel virtutem, sicut dicimus ante dominatum: Dominus enim quia est superior in potentia dicitur; dicitur ante etiam illud quod est fortius, dicitur ante & tale est illud quod cogit alterum sequi suam voluntatem: ita quod si illud quod est ante non mouetur, non mouebitur aliud quod est post; & si mouetur, mouebitur, & voluntas est principium hic. Super quod Auerroes, Dignius, inquit, est illud quod cogit illud quod est post, vt voluntas eius cõsequatur voluntatem suam; adeo quod si illud quod est prius, non mouerit, non mouebitur illud quod est posterius; & initiũ secundũ quod hic dicitur ante, & post est volũtas scilicet quoniã volũtas debilioris sequitur voluntatẽ fortioris. Et hoc intendebat, D E

Philosophus. *Auerroes.*

A debat, cùm dixit, Et voluntas est initium; vbi & in eadem sententia Albertus, Thomas, Forandus, & omnes expositores concordant. Vnde & Augustinus super illud Psalmi 148. Confessio eius super cœlum & terram; Attende, inquit, Cœlum & terram ipse fecit, ipse regit, ipsius nutu gubernantur, ipse traijcit tempora, momenta, ipse instaurat, per ipsum omnia; ergo ista laudant illum siue in statu, siue in motu, siue de terra deorsum, siue de Cœlo sursum, siue vetustate, siue renouatione: Cùm vides hæc & gaudes, & attollis in artificem, & inuisibilia eius per ea, quæ facta sunt, intellecta contueris, confessio eius in Cœlo & in terra. Hoc idem similiter confirmatur per Philosophum 1. Prosper 12. vbi inquirit medium negatiuum, propinquum demonstratiuum conclusionis negatiuæ; vt quare paries non respirat, ostendens non posse dici quia non est animal, quia tunc esse Animal, esset causa propinqua respirandi, & sic omne animal respiraret: Si enim negatio est causa *Augustinus.* *Philosophus.*

B ipsius non esse, affirmatio est causa ipsius esse: Sicut esse sine mensura calidi & frigidi non sanandi causa est; sic esse cum mensura eorundem est causa sanandi: & similiter, si affirmatio est causa esse, & negatio est causa non esse. Quod & Robertus Lincolniensis illum locum exponens similiter plane tenet; Thomas quoque ac alij exponentes. • Item si creaturam non agere esset causa quare Deus non agit, & creaturam agere esset causa quare Deus agit; quare & prius naturâ esset creaturam agere quàm primum agens, & prius naturâ esset causam secundam mouere quàm primam contra tricesimum huius plane. Item proportionalia indicantur actiuum prius non agere in passiuum posterius, & passiuum posterius non pati ab actiuo priori, atque actiuum prius non agere per actiuum posterius, & actiuum posterius, non agere per actiuum prius; Sed duorum primorum primum est causa secundi & naturaliter prius illo, quare & reliquorum duorum similiter. Quis enim vel leuiter dubitet, quod quia actiuum non agit in passiuum, ideo passiuum non patitur, non è con-

C tra; sicut quia actiuum agit, ideo passiuum patitur, non è contra; sicut & agere est causa pati, & ipsum naturaliter antecedens? Quis enim nesciat, quod quia Deus non fecit vnum Angelum possibilem fieri quem non fecit, ideo ille Angelus non est factus, & non è contra? Et quia non fecit aliam stellam in cœlo, ideo non est facta, non è contra? Et quia non fecit Angelum perfectiorem in naturalibus, ideo non est perfectior, non è contra? Et quia non fecit Cœlũ maius, ideo non est maius, & non è contra? Item cuiuslibet negationis verę prima causa est in Deo, sicut decima pars, & vndecima decimi tertij primi monstrant; Negationis autem, quæ non est necessaria, sed contingens causa, in Deo videtur esse, non velle sic esse, vel non facere ita esse, sicut similium affirmationum causa in Deo est Deum velle & facere ita esse, sicut nonum primi demonstrat. Ita quicquid non fit à causa secunda Deus vult non fieri, & non vult positiuè, scilicet habet nolle illud fieri ab ea; sicut vigesimum secundum primi & corollaria eius docent; & hoc non causaliter, nec antecedenter à causa secunda, sicut vigesi-

D mum primi monstrat: Prius ergo naturaliter & causaliter est Deum nolle positiuè, quare & non velle atque non facere causam secundum agere, quàm ipsam non agere. Item per idem vigesimum; Nulla res positiua posterior voluntate diuina est causa voluntatis ipsius; & multum videretur indignius, quod aliqua priuatio esset causa voluntatis diuinæ; Causam ergo secundam non agere, non est causa quare Deus vult illam non agere, & non vult positiuè agere, nec quare non agit, sed è contra. Item per secundum primi, si Deus subtraheret manum suam qua cuncta sustentat, ipsa in nihilum verterentur; & hoc causaliter propter subtractionem conseruationis diuinæ; quia namque Deus non seruaret entia, ideo non essent; non autem quia non essent, ideo Deus non ea seruaret; sicut ante productionem rerum, quia Deus non produxit res, ideo non fuerunt, & nõ è contra; sicut & adhuc fuisset, si adhuc nihil produxisset; & sicut nunc est de multis nõ entibus non productis, quæ potuit produxisse. Vnde & Auicenna 1 Metap. 9. Intentio essendi est ex causa, quę est causa essendi, & intentio non essen- *Auicenna.*

E di est ex causa, quæ est priuatio intentionis causæ essendi. Cui & concorditer August. 12. de Ciuitate Dei 17. Deus, inquit, vna eademque sempiterna, & incommutabili voluntate res quas condidit, & vt prius non essent, egit, quamdiu non fuerunt, & vt posterius essent, quando esse cępere. Dicitque Apostolus, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, ad Rom. 4°. quanquam & hoc aliter exponatur: Dicit quoque Propheta, vocauit famem super terram, Psalmo 104. Super quod Augustinus vna expositione præmissa subiungit, An quod est credibilius, vocauit famem, id intelligendum est, dixit vt fames esset? vt hoc sit vocare quod appellare, hoc appellare quod dicere, hoc dicere quod iubere: Nam ille vocauit famem, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Vnde & Anselmus de Casu Diaboli 1. Deus dicitur facere non esse, quod non est, quoniam cum posſit, non facit esse; ac si consideras ea quæ sunt cum transeunt ad non esse, non ipse facit ea non esse? quoniam namque *Augustinus.* *Apostolus.* *Propheta.* *Augustinus.* *Anselmus.*

que non solum non est alia aliqua essentia nisi illo faciente, sed nec aliquatenus manere potest, quod factum est, nisi eodem ipso seruante. Cum ipse desinit seruare quod fecit, ideo quod erat, redit in non esse, quod non ab illo habet scilicet non esse, sed quia cessat facere esse. Ecce quam plane testatur, non esse, non habere causam efficientem propriè, sed potius deficientem; causam scilicet factiuam, & seruatiuam deficientem facere & seruare, id est non facientem rem possibilem fieri, aut factam non seruantem, sicut superius tangebatur. A

COROLLARIVM.

Huius Capituli Coroll. in Catalogo non reperitur.

EX his autem non improbabiliter videtur inferri, quod Deum non dare scientiam, gratiam, aut perseuerantiam, seu quodlibet munus suum creaturæ capaci, est causa quare ipsa non accipit, & non habet, & quia Deus non dat, ideo creatura non accipit, & non è contra. Hoc autem corollarium non negat Deum quandoque non dare gratiam aut alia munera propter culpam non recipientium, sed affirmat quod propria & per se causa non acceptionis, est non datio, non è contra. Videtur autem hoc corollarium ad præhabita consequi manifeste: Apparet quoque posse ostendi, sicut & conclusio principalis. Quis etiam nesciat omnem scientiam dari à Deo, sicut ex sexto primi, tertio & vigesimo huius secundi patet, & specialiter scientiam Prophetalem, & reuelationes multiplices arcanorum, ad quæ nullus potest attingere per viam ingenij naturalis, sed tantum per reuelationem diuinam? Cur ergo non omnes habent omnes istas scientias, nisi quia ille non dat, per quem datur sermo sapientiæ & scientiæ, diuidens singulis prout vult? Quare & Elizæus, Dominus, inquit, cælauit à me, & non indicauit mihi 4. Regum 4. per hoc reddens ignorantiæ suæ causam? quis etiam legens, & non negligens libros Propheticos, non facile videat Prophetas non semper habuisse reuelationes diuinas, nec spiritum Prophetiæ; quare nec semper habuisse Propheticas visiones, sed quando placuit reuelanti? quæ ergo causa huius non acceptionis, nisi non datio, sicut & videtur Gregorius super Ezech. homilia prima testari? Et si dixeris quod desidia, aut peccatum alicuius sit causa quare Deus non dat ei huiusmodi scientiam Prophetalem, certè peccato & desidia non obstante posset Deus, si vellet, huiusmodi scientiam ei dare. Malis etiam quandoque ostendit Deus reuelationes Propheticas, & viris sanctissimis non ostendit; Eisdem quoque Prophetis sanctissimis quandoque ostendit huiusmodi visiones, & quandoque abscondit; Angelis quoque malis & primis parentibus ante Peccatum, & sanctis Angelis confirmatis, quia nunquam peccauerunt, nec vnquam peccabunt, non dedit Deus omnimodam Prophetiam, sicut ex 16. huius patet; quæ ergo causa huius non acceptionis, nisi non datio reputanda? Præterea si Angeli, & primi parentes secundum opinionem quorundam erant creati extra gratiam, & tales sine culpa per aliquam morulam permanserunt, causa quare tunc non acceperunt nec habuerunt gratiam fuit, quia Deus non dedit, non è contra, sicut nullus ignorat; quare & nunc similiter. Item proportionalia iudicantur non dare gratiam, & non accipere gratiam, atque non dare tantam gratiam, & non accipere tantam; sed certum est quod Deum non dare Angelo in principio, vel paruulo baptizato tantam gratiam, vnam scilicet maximam, cuius fuit capax, quam ei non dedit, causa fuit quare non recepit, & non è contra. Item de paruulis hoc videtur perspicuum: Qua namque rationis imagine dici potest, quod paruulus non accipit gratiam, ideo Deus non dat eam, & non potius è contra? Item de adultis ponatur iuxta præmissa de gratia & pœnitentia primo huius, quod duorum peccatorum omnino æqualium ante hoc instans, qui & quantum in eis fuisset, fuissent æquales in hoc instanti, Deus vni conferat gratiam suam gratis, alteri verò nequaquam; tunc causa quare iste non recipit est, quia Deus non dat: Si enim daret aut dare vellet isti, ita reciperet iste sicut & ille. Et si dixeris quod vnus prius meruit, vel saltem disposuit se, vel nunc facit, & alter nequaquam, & ideo iste accipit gratiam, ille nequaquam, non seruas positionem præmissam, quæ posuit in omnibus paritatem. Secundum etiam præostensa de gratia primo libro, nullus gratiam primam meretur per dispositionem præuiam, nec per aliam quamlibet actionem. Cùm etiam isti sint pares in omnibus, excepta illa dispositione seu merito, & per trigesimum huius nullus potest elicere meritum, dispositionem, vel actionem quamcunque, nisi Deo præuolente & præagente; & per decimum primi, si Deus præuelit quemcunque quidlibet facere, hoc necessariò faciet; Causa ergo quare iste ita meretur, & se disposuit ad gratiam, est quia Deus antecedenter hoc vult & facit; et si Deus ita vellet de altero, ille similiter faceret, alterque non potest: Causa ergo quare iste non ita meretur, & se disponit, est quia Deus non vult hoc

Marginal letters: B (beside "aut perseuerantiam"), *Regum.* (left, beside "dicauit mihi 4. Regum 4."), C (beside "negligens libros Propheticos"), D (beside "extra gratiam"), E (beside "quaquam, & ideo iste").

A hoc, nec efficit hoc in eo, quare & ista similiter erit causa quare iste non recipit gratiam, præsertim cum secundum te Deus non conferat gratiam sine merito aut dispositione huiusmodi præcedente. Et si iterum dixeris, quod Deus offert cuilibet gratiam, & vult quod eam recipiat, non tamen absolutè, sed sub ista conditione, si sponte consentiat, per corollarium 3c.i huius iterum corrigeris. Præterea videris supponere hominem posse ex se solo vel saltem ex se antecedenter cum Deo oblationi gratiæ consentire contra 38um primi, 20um & 30um huius secundi. Item iuxta præmissa contra responsionem priorem ponantur duo peccatores pares in omnibus, quibus Deus offerat æqualiter gratiam, & cum secundum te non sit necesse quemlibet recipere gratiam sibi oblatam, ponatur vnum || *illam* recipere, alterum verò nequaquam: qui ergo recipit gratiam consentit, & causa huius est, quia Deus volendo & præuolendo operatur & præoperatur in eo consensum, nec potest aliter consentire, sicut 30um huius monstrat:

Responsio 2.

|| illorum

B & qui non recipit gratiam non consentit, nec hoc potest, nisi Deus præuolendo hoc præoperetur in eo, nec ipse potest facere Deum præuelle & præoperari hoc in ipso, nec Deo præuolenti & præoperari volenti resistere per 10um primi libri: causa ergo quare non consentit, est quia Deus ipsum non vult præuenire, nec præuenit operando; Si enim Deus hoc vellet, ita consentiret iste sicut ille. Aliter forte dices, quod Deus offert gratis cuilibet gratiã, dum tamen aperiat manũ suã, dũ aperiat sinũ suũ, dũ aperiat cordis arcã, gratiæ receptricẽ; quare qui accipit, ideo accipit, quia Deus dat; qui verò non accipit, ideo non accipit, quia non aperit, sicque Deus non dat, quia iste non accipit gratiã quæ offertur: sicut si porrigã tibi munus & tu accipis, non ideo do quia accipis, sed e contra; & si alteri porrigã quippiã & ille nõ accipit, nõ ideo non accipit, quia non do, sed ideo non do, quia non accipit. Hec autẽ responsio castigabitur vt præcedens, & per 38um cap. primi libri. Præterea quando Deus offert cuipiam gratiam, quid intendit de receptione gratiæ finaliter circa ipsum? Vel enim intendit & vult quod eam recipiat,

Responsio 3.

C vel nequaquam: si intendit & vult quod eã recipiat, per 10um primi semper fit ita, nec potest dicere, quod Deus conditionaliter hoc intendit, sicut præmissa contra responsionem proximam manifestant. Si Deus hoc non intendat, nec velit cum bene sciat, quod nisi hoc intendat & velit, & hoc antecedenter & independenter respectu actionis seu passionis humanæ, inaniter & delusoriè eam offert; quis enim rationabiliter offert quicquam alicui indigenti, non concessis alijs necessarijs, sine quibus bene scit offerens indigentem non posse illud recipere, nec illa alia posse habere à se solo aut antecedenter à se, nec ab aliquo alio, præterquam ab ipsomet offerente omnia gratis dante, & gratuite inchoante? Mirabilis misericordia esset illa quę in nullo releuaret miseriam miseri, sed potius aggrauaret, dum ei delusoriè porrigeret talia & non daret. Imo per 22um primi & eius corollarium, Si Deus non intendit, nec vult hoc, intendit & vult eius oppositum, vbi maior & delusio & duplicitas videretur. Vel arguatur hoc modo, Deus cum offert alicui gratiam, vel vult eam dare ei, vel non vult eam dare ei &c. sicut

D supra. Item in exemplo proposito, si tu offerres mihi quicquam, & bene scires quod non possem per me solum, nec per adiutorium cuiusquam alterius aperire manum meam contractam ad recipiendum, nec incipere aperire, aut aliquid facere, nisi per te omnia inchoantem & continue prosequentem, scireśq; non esse in potestate mea quid tu circa me velles, & quod quicquid velles statim fieret, & non velles, imò nolles quicquam agere vel iuuare ad aperiendum manum meam, nonne tu esses in causa quare non aperirem manum & reciperẽ munus tuum? Quare & te non dare, esset causa quare ego non reciperem. Hoc etiam confirmatur. Dare, vt dicũt Iuristæ, est || *accipere* facere; dare ergo non solum importat offerre, sed & accipere: quomodo ergo dicis acceptionem non esse causam dationis? Imò non est causa oblationis, sed dationis est causa, sicut & oblatio. Sicut enim oblatio, sic & acceptio pręcedit naturaliter & causaliter dationem, & ipsam efficit & consummat: nisi enim accipero, non fit meum. Præterea si dare importat hæc duo, offerre & accipere, defectus dationis seu non dare potest contin-

||accipientis

E gere vel ex defectu oblationis, vel ex defectu receptionis: qui ergo cum potest, non facit vtrumq; necessario requisitũ ad dare, & sine quo neutrũ potest fieri, est causa quare non datur. Si ergo offeras mihi quicquã, & potes facere me recipere, nec ego aliter possum recipere, causa quare non accipio, est quia non facis me accipere. Quod vt adhuc clarius elucescat, ponatur te esse sapientẽ Doctorẽ, me autẽ insipientẽ discipulũ, qui & ex præcepto Patris mei Domini nostri cõmunis tenearis præbere mihi doctrinã, simq; talis sub potestate tua; quod si efficaciter offeras mihi doctrinã, ego illã accipiã; sin autẽ minus, nequaquam. Si igitur tu non offers nec das mihi doctrinã, nec ego eã accipio, nõne Dominus reputabit te in causa quare ego nõ accipio disciplinã? æstimo quod iusto iudicio reputabit. Adhuc forsitan non desines respondere dicẽdo, quod Deus offert cuilibet gratiã, & quidã non ponunt obicẽ gratiæ, sed potius eũ tollũt, & ideo ipsi recipiunt gratiam eis oblatã; alij autẽ ponunt obicem gratiæ, positũue non tollunt; quare ipsi nequaquã eum accipiunt: sicut est de illuminatione & non illuminatione domus à

Responsio 4.

sole per fenestrā apertā & clausā. Pro ista autē responsione videtur quærendū rationabiliter A
quid sit obex: & videtur quod sit aliquod obiectum, seu obsistens gratiæ, scilicet peccatum mortale repugnans gratiæ salutari, siue non consensus, seu dissensus, non apertio seu clausio cordis humani cùm gratia Dei offertur. Et quicquid obex dicatur, potest ista responsio corripi, sicut aliæ præcedentes, cùm nullus posſit hunc obicem tollere nisi Deus, vel per Deum ipsum prætollentem, & si ipse eum voluerit tollere, irresistibiliter tollitur, sicut decimum primi docet. Hoc idem & præostensa de gratia & pœnitentia cum eodem decimo primi monstrant; vnde & ipsemet Dominus, Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi
Exodus. placuerit, Exod. 33. Et iterum, Auferam cor lapideum, &c. Ezech. 36. glossa; id est, om-
Ezechiel. nem duritiem, & cor incredulum. Et Apostolus, Cuius vult miseretur, & quem vult indu-
Apostolus. rat, ad Rom. 9. Et Augustinus de prædestinatione sanctorum 9. tractans illud Iohan. 6. Om-
Augustinus. nis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me; Valde, inquit, remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Deus auditur, & docet. Multos venire ad filium videmus, quia multos cre- B
dere videmus in Christum; sed vbi & quomodo hæc à Patre audierint & didicerint, non videmus. Nimirum gratia ista secreta est: gratiam verò esse quis ambigat? Hæc itaque gratia quæ occultè humanis cordibus digna largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur: Ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primitùs auferatur. Quoniam ergo Pater intùs auditur, & docet vt veniatur ad Filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum, sicut Propheta prædicente promisit; sic quippe facit filios promisſionis, & vasa misericordiæ quæ præparauit in
Augustinus. gloriam. Et sequitur decimo; Cur autem non omnes docet vt veniant ad Christum, nisi quia omnes quos docet, misericordia docet; quos autem non docet, ideo non docet, quoniam cuius vult miseretur, & quem vult obdurat. Et si dixeris obicem esse actum aliquem positiuum gratiæ repugnantem, puta actualem contradictionem, rebellionem siue contemptum, & ipsum tolli non posse, nisi per non actionem seu priuationem actus huiusmodi, quæ non est à Deo, seu non antecedenter à Deo, sed ab homine, adhuc poteris corripi sicut prius. Præ- C
terea tunc omnis non habens huiusmodi actum contrarium reciperet gratiam, quod falsum est de paruulis, de morionibus, de adultis, sanis, dormientibus, seu vigilantibus, habentibus actus bonos morales, vel indifferentes, vel venialiter tantùm malos, quales potest habere in gratia constitutus. Item quomodo dicis actum talem tolli non posse, nisi per non actionem, aut solam priuationem agendi? Potest enim per actum contrarium positiuum, sicut contemptus per obedientiam, odium per dilectionem, & ita de alijs: Quàm facilè ergo posset Deus, si vellet, tollere huiusmodi obicem, siue actum? Huiusmodi quoque obex per 30. huius fit, & ponitur antecedenter à Deo: quomodo ergo vult Deus conferre huic gratiam, in quo parat obicem gratiam repellentem? vel si Deus non dat gratiam propter obicem resistentem, & ipse Deus scienter & præcedenter causat hunc obicem, quomodo non ipse Deus est causa non acceptionis gratiæ salutaris? Huic etiam Corollario attestari videtur vtriusq; series testamenti, D
& Doctorum autoritas copiosa: Quis enim, qui vel corticem sacræ scripturæ aut Doctorum respexit, nesciat Deum omnia suis mensuris, numeris & ponderibus originaliter statuisse, sicut & breuiter tangitur 46. primi? Cur ergo non sicut antecedenter & originaliter statuit & prouidit numerum electorum, sicut 46. primi & 5. huius testantur, sic & numerum crediturorum & perseueraturorum finaliter similiter statuebat, ita quod sit tantus, & non maior, neque minor? Quis ergo causa primaria negationis istius? Nonne ille, qui numerat multitudinem stellarum, multitudinem scilicet saluandorum, sicut est causa quare non sunt plures stellæ materiales in cœlo, sicuti etiam est causa quare cœlum non est maius? quæ etiam causa quare istæ sunt vnitates numeri electorum, & non pro istis aliæ totidem, nisi ille qui omnibus eis nomina vocat, sicut est causa quare hæ stellæ materiales non sunt aliæ creatæ, & iste mundus non alius cum istis non alijs creaturis? Quis etiam dubitet, sicut Deus prouidit & statuit numerum certum stellarum, sic & arenæ maris qua reprobi figurantur, sicut 27. primi & sequentia manifestant, cùm & post finale iudicium volet numerum damnatorum esse tantùm præcisè, & E
non volutione nouella, nec à posterioribus rebus causata, sicut 23. & 20. primi docent? Quis etiam Theologus, si non Pelagij socius, nesciat primam causam reprobationis, & volutionis diuinæ qua quosdam æternaliter reprobat, esse ex parte Dei reprobantis, non ex parte Angeli vel hominis reprobati, sicut patet ex 45. primi? Si tamen non accipere gratiam & perseuerantiam esset causa non dandi, esset è contra. Quare & Augustinus, Gregorius, alijq; Doctores innuunt frequenter, & dicunt non esse quærendam, neq; asſignandam causam non tractionis à Deo, non auditionis, non obedientiæ, non perseuerantiæ, & similium, ex parte non tracti & similiū; sicut multa præmissa de gratia, de pœnitentia, & de perseuerantia manifestant.
Augustinus. Augustinus siquidem 1. part. super Iohan. homil. 26. Quem, inquit, trahat, & quem non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare. Si tamen ideo

Pater

A Pater quenquã non traheret, quia ipse non trahitur, posset rationabiliter quæri quare, quia & veraciter reddi quare. Item Exod. 4. legitur Dominum dixisse ad Mosen, Quis fecit os hominis, aut quis fabricauit mutũ & surdũ, videntẽ & cœcũ? Nonne ego? Glossa super verbum, mutum, In ore, inquit, vel in spiritu; quare & reliqua sunt similiter exponenda. Vbi & alia glossa, scilicet Augustini, Sunt, inquit, qui de Deo calumniantur, vel potius scripturæ veteris testamenti, quia dixit Deus quod fecit mutum. Quid ergo dicunt de Christo apertè dicente, Ego veni, vt qui non vident, videant; & qui vident, cœci fiant? Quis autem nisi insciens crediderit, aliquid homini secundum vitia corporalia posse accidere quod Deus nolit? Sed cum iustè totum velle nemo ambigit. Cui & concorditer Moses Deut. 29. Vos, inquit, vidistis vniuersa quæ fecit Dominus coram vobis in terra Aegypti, Pharaoni & omnibus seruis eius vniuersæq; terræ illius temptationes magnas quas viderunt oculi tui, signa illa portentaq; ingen- *Exodus.* *Glossa.* *Augustinus.* *Deuteron.*
B tia, & non dedit vobis cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possint audire vsq; in præsentẽ diem. Glossa, cor intelligens, i. voluntatem operandi quæ intelligitis, & oculos scilicet cordis videntes, audire, i. obedire. Quibus & non discorditer Esaias, Excœca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum, Esa. 6. Similem quoq; sententiam docet Christus, sicut Matt. 13. Marc. 4. & Luc. 8. euidenter apparet. Vnde & Ioh. 12. Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eũ, vt sermo Esaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit Dominus, Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, Excœcauit oculos eorum, & indurauit cor eorũ, vt non videant oculis & intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos. Quod tractans Augustinus 1. part super Iohan. homil. 53. ita scribit, Quod verò addidit, & conuertantur, & sanem eos; vtrum subaudiendũ sit, non, i. non conuertantur, connexa desuper sen- *Glossa.* *Esaias.* *Iohannes.* *Augustinus.*
C tentia, vbi dictũ est, vt non videant oculis, & intelligant corde, quia & hîc vtiq; dictum est, vt non intelligant; & ipsa enim conuersio de illius gratia est, cui dicitur, Deus virtutũ conuerte nos; An fortè & hoc de supernæ medicinæ misericordia factũ intelligendum est, vt quoniam peruersæ & superbæ voluntatis erant, & suam iustitiam constituere volebant, ad hoc deserentur vt excœcarentur; ad hoc excœcarentur vt offenderent in lapidem offensionis, & impleretur facies eorũ ignominia, atq; ita humiliati quærerent nomen Domini, & non suam qua inflatur superbus, sed iustitiam Dei qua iustificatur impius? hoc enim multis eorum profuit in bonum, qui de suo scelere compuncti in Christum postea crediderunt; pro quibus & ipse orauerat dicens, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Qui & in quæstionibus Euangelij, sicut recitat glossa Thomæ super Matt. 13. vbi allegatur eadem autoritas Esaiæ, sic ait; Oculos suos clauserunt, ne quando oculis videant; i. ipsi causa fuerunt, vt Deus eis oculos clauderet. Alius enim Euangelista dicit, Excœcauit oculos eorum, sed vtrum nunquam videant, *Augustinus*
D an verò ne vel sic aliquando videant cœcitate sua sibi displicentes & se dolentes, & ex hoc humiliati atque commoti ad confitendum peccata sua, & piè quærendum Deum. Sic enim Marcus hoc dicit, Ne quando conuertantur & dimittantur eis peccata: vbi intelliguntur peccatis suis meruisse vt non intelligerent; & tamen hoc ipsum misericorditer eis factum, vt peccata sua cognoscerent, & conuersi veniam mererentur. Quod autem Iohannes hunc locum dicit, Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, Excœcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis & intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos, aduersari videtur huic sententiæ, & omninò cogere, vt quod hîc dictum est, ne quando oculis videant, non accipiatur, ne vel sic aliquando oculis videant, sed prorsus vt non videant; quandoquidem apertè dicit, Ita vt oculis non videant. Et quod ait, Propterea non poterant credere, satis ostendit non ideo factam excœcationem, vt ea commoti & dolentes se non intelligere conuerterentur aliquando per pœnitentiam. Non enim possent hoc facere nisi priùs crede-
E rent, vt credendo conuerterentur, conuersione || *sanarentur*, sanitate intelligerent, sed ideo potiùs excœcatos vt non crederent: Dicit enim apertissimè, Propterea non poterant credere. Quòd si ita est, quis non exurgat in defensionem Iudæorum, vt eos extra culpam fuisse proclamet, quòd non crediderunt? Propterea enim non poterant credere, quia excœcauit oculos eorũ. Sed quoniam potiùs Deus extra culpam debet intelligi, cogimur fateri alijs quibusdam peccatis ita eos excœcari meruisse, qua tum excœcatione non poterant credere: Verba enim Iohannis ista sunt, Non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, Excœcauit oculos eorum. Frustra itaque conamur intelligere ideo fuisse cœcatos, vt conuerterentur cùm conuerti non poterant, quia non credebant; & ideo credere non poterant, quia excœcati erant. An fortè non absurdè dicimus quosdam Iudæorum fuisse sanabiles, sed tanto cum tumore superbiæ periclitatos, vt eis expediret primò non credere, & ad hoc || saluarentur

 fuisse

fuisse cęcatos vt non intelligerent Dominum loquentē parabolas, quibus non intellectis non A
in eum crederent, non credentes autem cum cæteris desperatis crucifigerent eum, atque ita post eius resurrectionem conuerterentur, quando iam de reatu mortis Domini humiliati amplius diligerent, à quo sibi tantum scelus dimissum esse gauderent, quoniam tanta eorum superbia tali humiliatione esset deijcienda? Quod incongruè dictum esse quilibet arbitretur, si non ita contigisse in actubus Apostolorum manifestè legerit. Non ergo abhorret quod ait Iohannes, Propterea non poterant credere, quia excœcauit oculos eorum vt non videant, ab ea sententia, qua intelligimus ideo excœcatos vt || *conuerterentur*, hoc est, ideo eis per obscuritates parabolarum occultatas sententias Domini, vt post eius resurrectionem salubriore pœnitentia resipiscerent; quia per obscuritatem sermonis excœcati, dicta Domini non intellexerunt, & ea non intelligendo, non in eum crediderunt, non in eum credendo crucifixerunt, atque ita post resurrectionem miraculis quæ in eius nomine fiebant exterriti, maioris criminis reatu compuncti sunt, & prostrati ad pœnitentiam; deinde accepta indulgentia ad B
pœnitentiam flagrantissima dilectione conuersi: quibusdam autem non profuit illa cœcitas ad conuersionem. Qui & de bono perseuerantiæ 41. dicit, In perditionis massa relicti sunt Tyrij & Sidonij, qui credere potuerunt, si mira Christi signa vidissent; sed quoniam vt crederent non eis erat datum, etiam vnde crederent est negatum: Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant, & tamen si Dei altiore iudicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta diuina vel facta, per quæ possent credere si audirent vtique talia, vel viderent. In eadem perditionis massa relicti sunt etiam Iudæi, qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tam magnis clarisque virtutibus: Cur enim non poterant credere? Non tacuit Euangelium dicens; Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non crediderunt in eum, vt sermo Esaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit; Domine, quis credidit auditui nostro? Et brachium Do- C
mini cui reuelatum est? Et ideo non poterant credere, quia iterum dixit Esaias; Excœcauit oculos eorum, & indurauit cor illorum, vt non videant oculis, nec intelligant corde, & conuertantur & sanem illos. Non erant sic ergo excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum & Sidoniorum, quoniam credidissent, si qualia viderunt isti signa vidissent: sed nec illis profuit quod poterant credere, quia prædestinati non erant ab eo, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & inuestigabiles viæ: nec istis obfuisset, quod non poterant credere, si ita prædestinati essent vt eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre. Scio quod multi præmissa verba Domini, Mosis & Esaiæ, atque similia multum aliter intelligunt & exponunt; nec obstat. Sacra namque Scriptura ex sua fæcunditate multiplici multiplicem parturit intellectum: nullus tamen Catholicus, sicut puto, ita alias aut alienas expositiones admittet, quod expositionem Euangelistæ pręcipui de ipso prædicatore veritatis in- D
structi, imò ipsius sanctissimi Euangelij, & doctissimi Augustini repudiet. Propterea Dominus ipse dixit, Ego indurabo cor Pharaonis, & non dimittet populum; Exod. 4. Et infra 9. Indurauitque Dominus cor Pharaonis, & non audiuit eos, sicut locutus est Dominus. Quid autem significat quod dicitur, Dominum cor hominis indurare, nisi autoritatem, superioritatem, & causalitatem indurationis cordis humani esse apud eum, non apud hominem, licet fiat propter peccatum hominis antecedens? Et quid est Dominum cor hominis indurare, nisi non emollire cum possit, non dare oleum pietatis, non misereri misero peccatori, seu nolle aut non velle hæc facere, sicut expositiones Doctorum quamplurimæ contestantur? Vnde Gregorius 11. Moral. 5. super illud Iob. 6. Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat. Obdurare Deus per iustitiam dicitur, quando cor reprobum per gratiam non mollitur. Cui & concorditer Augustinus de prædestinatione & gratia Dei, qui est quintus inter eius sermones 7. Quid est, inquit, indurabo, nisi non emolliam? Dicitque Petrus 1. sentent. dist. 41. 1. quod reprobatio Dei est nolle misereri, & obduratio Dei non E
misereri; vt non ab illo irrogetur aliquid quo sit homo deterior, sed tantum quo sit melior non erogetur: Quia igitur Deus non emollit cor hominis, ipsum non emollitur, & non è contra. Quare & Apostolus ad Roman. 9. tractans hunc locum Scripturæ, & ostendens prædestinationem seu electionem & reprobationem non esse ex operibus hominum, sed ex voluntate diuina, disputatione præmissa concludit; ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat; & consequenter valida disputatione compescit homines, ne de huiusmodi quærere vel disputare præsumant. Si || *tamen* Deus ideo quempiam induraret quia ipse induraretur, id est, non emolliret hominem quia ipse non emolliretur, esset causa quærenda rationabiliter & reddenda: Cur etiam diceret Apostolus, quem vult indurat? Alias enim potius

[Marginal notes: || confiterentur, — *Augustinus.* — *Exodus.* — *Gregorius.* — *Augustinus.* — || enim]

A tius diceret, qui vult obdurari, vel qui non vult molliri, vel qui non mollitur obdurat. Quapropter beatus Augustinus de prædestinatione & gratia Dei 17. Nonne, inquit, Nabuchodonosor post innumeras impietates flagellatus pænituit, & regnum quod perdiderat rursus accepit? Pharao autem ipsius flagellis est durior effectus, & perijt. Hic mihi rationem reddat, qui diuinum consilium nimium alta sapienti corde dijudicat, cur medicamentum vnius Medici confectum alij ad interitum, alij valuerit ad salutem, nisi quia Christi bonus odor, alijs est odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem? Quantum ad naturam ambo homines erant, quantum ad dignitatem ambo Reges, quantum ad causam ambo captiuum populum Dei possidentes, quantum ad pœnam ambo flagellis clementer admoniti? Quid ergo fines eorum fecit esse diuersos, nisi quod vnus manum Dei sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnauit arbitrio? Hic quicunque respondet, illi vt mutaretur affuisse diuinum, huic vt induraretur defuisse præsidium, & hoc contendit iniustum; propter quod rerum ipsarum fines in Dei voluntate constituens dixit Apostolus, Cui vult miseretur, & quem vult indurat, dicente etiam Domino, Sine me nihil potestis facere: Intelligat ita omnia vel adiuuante Domino perfici, vel deserente permitti, vt nouerit tamen nolente eo nihil prorsus admitti. Et sequitur 18. Sed reditur ad paruulos, reditur ad geminos. Parum est, quod dixi, reditur ad nec dum natos, qui & in eodem concubitu seminati, & in eodem momento fuerant in lucem proferendi: eis discrepans diuersumque iudicium diuinæ voluntatis apparens, sensus hominum de voluntate Dei superbè nimium disputantes magnitudo quæstionis obruebat. Exalta iam viribus vocem tuam, O iniuste accusator iusti, & dic mihi quid boni ille meruit? Quid mali ille commisit? Et respondeo tibi; non ego, sed Paulus Apostolus; Nihil quidem ambo meruerunt, & habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam. Dicturus es, quare? Quæ est iudicij huius tam confusa diuersitas? Rursus ad hanc præsumptionem ille te confutet, & dicat, O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Maxime quia ad illam humanorum actuum comparationem rursus intentio conuersa respondet, iniustitiæ non posse argui creditorem, qui duobus debitoribus tale voluerit habere iudicium, vt vni donet, ab alio exigat quod ab vtrisque debetur. Quod si ita est, qua tandem impudentia homo de Deo, lutum de figulo iudicabit, non solum dicens, quid me fecisti sic? Sed etiam de alijs damnabili curiositate perscrutans, & dicens, quare de eadem massa fecisti alium quidem sic, alium verò sic? Si humanum genus, quod creatum primitùs constat ex nihilo, non cum debito mortis & peccati origine nasceretur, & tamen ex eis Creator omnipotens in æternum nonnullos damnare vellet interitum, quis omnipotenti Creatori diceret, Quare fecisti sic? Qui enim cum non essent esse donauerat, quo fine essent habuit potestatem, nec dicerent cæteri, Cur paribus omnium meritis diuinum discreparet arbitrium? Quia potestatem habet figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam. Nunc autem cum damnatis pœna iusta reddatur, saluatis autem gratia donetur indebita, quis vsque adeo humanæ conditionis oblitus diuini sensus arcana discutiat, vt cum ipse pœnam meritò fuerit consecutus, quæratur cur alius gratiam, quæ ei non debebatur acceperit? Pro his tamen sciendum quod obduratio dupliciter potest sumi: vno modo pro reprobatione, scilicet pro obduratione actiua, id est, pro voluntate diuina nolente seu non volente mollire, aut volente non mollire; & sic non habet causam superiorem & priorem ex parte hominum assignandam, sicut apparet ex vicesimo, & quadragesimo quinto primi, & sic puto loqui Apostolum ad Romanos, vbi fuerat allegatus, sicut processus eius indicat euidenter: alio modo accipitur obduratio pro reprobatione passiuè, id est, pro effectu reprobationis, effectu scilicet voluntatis diuinæ prædictæ, hoc est, pro defectu collationis, siue pro ipsa non collatione gratiæ mollientis: & sic dicitur, licet impropriè, habere causam ex parte hominis obdurati, culpam videlicet præcedentem, quæ tamen culpa non est ipsa non receptio gratiæ, sed alia prior ea, vt patet de Pharaone & alijs, quando actualiter obdurantur: prius namque est quis peccator, quam Deus sit vltor. Et sic loquuntur plerunque Doctores, dicentes Deum ex misericordia liberare, sed secundum iudicium obdurare; Iudicium autem videtur esse secundum opera iudicati. Vnde & Petrus 1. sent. dist. 42. Sicut, inquit, prædistinationis effectus est gratiæ appositio; ita reprobationis effectus obduratio. Qui & supra dist 41. 1. dicit, aliquod esse meritum obdurationis, misericordiæ verò nullum: & subdit, Miseretur itaque secundum gratiam quæ gratis datur, obdurat autem secundum iudicium quod meritis redditur. Vnde datur intelligi, quod sicut reprobatio Dei est nolle misereri, ita obduratio Dei sit non misereri, vt non ab illo irrogetur aliquid, quo sit homo deterior,

Augustinus.

terior, sed tantum quo sit melior, non erogetur. Vlterius aduertendum quod quandoque A
|| Deum legitur || *Dominum* cor hominis indurare, quod debet intelligi modo prædicto, seu modis prę-
dictis: quandoque verò ipsum hominem cor suum, ceruicem suam & huiusmodi indurare;
quod dupliciter potest intelligi; vel quia hoc fit propter culpam eius priorem, sicut præmissa
testantur; vel quia spontè non inuitè, nec coactè est durus: quandoque autem simpliciter le-
gitur cor eius esse induratum, quod vtroque modo potest exponi. Amplius autem de Robo-
am legitur, Non acquieuit Rex populo, quoniam aduersatus fuerat eum Dominus, vt susci-
Regum. taret verbum suum quod loquutus fuerat in manu Ahiæ Silonitæ ad Ieroboam 3. Reg. 12. &
de Amasiah, Noluit audire Amasias, eo quod esset voluntas Domini vt traderetur in mani-
Augustinus. bus hostium propter Deos Edom. Quare & Augustinus de gratia & libero arbitrio 46. Quis
non diuina iudicia contremiscat, quibus agit Deus in cordibus etiam malorum hominum B
quicquid vult, reddens tamen eis secundum merita eorum? Roboam filius Solomonis repu-
lit consilium salubre seniorum quod ei dederant, ne cum populo durè ageret, & verbis seruo-
rum suorum potius acquieuit, respondendo minaciter quibus leniter debuit. Vnde hoc, nisi
propria voluntate? Sed hinc ab eo recesserunt decem tribus Israel, & alium Regem sibi con-
stituerunt Ieroboam, vt irati Dei voluntas fieret, quod etiam futurum esse prædixerat: quid
Scriptura dicit? Et non audiuit Rex plebem, quoniam erat conuersio à Domino, vt statue-
ret verbum suum quod loquutus est in manu Ahiæ Silonitæ de Ieroboam filio Naboth;
Nempe sic factum est, & id per hominis voluntatem, vt tamen conuersio esset à Domino. Qui
& infra 47. Quid est quod homo Dei dixit ad Amasiam Regem, Non veniet tecum exer-
citus Israel; Non enim est Dominus cum Israel, omnibus filijs Ephraim; quoniam si puta-
ueris obtinere te in illis, in fugam conuertet te Deus ante inimicos? deinde Scriptura subiun-
git, Et non audiuit Amasias, quoniam à Deo erat vt traderetur in malum, quoniam quæ-
sierunt Deos Edom. Ecce Deus idololatriæ peccatum volens vindicare, hoc operabatur in C
eius corde, cui vtique iustè irascebatur, vt admonitionem salubrem non audiret, sed ea con-
tempta iret in bellum, vbi cum suo exercitu caderet. Item quid aliud significat, Non omnes
Matth. capiunt verbum istud, sed quibus datum est, qui potest capere, capiat? Matth. 19. & illud,
Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent? Luc. vlt. & illud, Vos non creditis,
Ioannes. quia non estis ex ouibus meis Ioh. 10. Imò & hanc regulam Philosophicam prælibatam, Si
affirmatio est causa affirmationis, & negatio est causa negationis, videtur ipsa veritas cano-
nizare, cùm dicit, qui est ex Deo, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo nō
Chrysostom. estis? Ioh. 8. Quare & Chrysostomus, sicut allegatur in glossa Thomæ, super illud Io. 10. præ-
missum, sic ait, Quare non credant, ostendit subdens, Sed vos non creditis, quia non estis ex
Augustinus. ouibus meis. Super quod verbum Augustinus 1. part. super Ioan. homilia 48. Oues, inquit,
sunt credendo, pastorem sequendo, per ostium intrando. Quomodo ergo istis dixit, Non
estis ex ouibus meis? quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vi- D
tam æternam sui sanguinis pretio comparatos. Qui & supra homilia 42. exponens illud
Ioan. 8. præmissum, Quoniam, inquit, præsciuerat qui fuerant credituri, ipsos dixit ex Deo,
quoniam regenerationis adoptione renascerentur ex Deo: ad hos pertinet, Qui est ex Deo
verba Dei audit: Quod verò sequitur, Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis, eis
dictum est, qui non solum peccato vitiosi erant, (Nam hoc malum commune erat omnibus)
sed etiam præcogniti quod non fuerant credituri ea fide, qua sola possent à peccatorum obli-
gatione liberari. Quapropter præsciebat illos quibus talia dicebat, in eo permansuros, quod
ex diabolo erant, id est, in suis peccatis atque impietate morituros, in qua ei similes erant, nec
venturos ad generationem, in qua essent filij Dei, hoc est ex Deo nati, à quo erant homines
creati. Secundum hanc prædestinationem loquutus est Dominus: Istud tamen potest & ali-
ter intelligi & exponi, de quolibet existente in gratia, vel sic existente ex Deo, quamdiu est
talis, & de quolibet carente gratia, & sic non existente ex Deo, quamdiu est talis iuxta præmis- E
sa 38. & sequentibus primi libri. Vnde Saluator, Quare loquelam meam non cognoscitis?
quia non potestis audire sermonem meum, Ioan. 8. quamdiu scilicet mali estis. Quare &
Chrysostomus sicut ibi recitat glossa Thomæ, sic ait; Primo igitur captanda est virtus quæ
verbum diuinum exaudiat, vt deinceps validi sistamus ad percipiendam totam loquutionem
Iesu; quoniam quamdiu quis curatus non est in auditu proprio à Verbo, quod dicit surdo, A-
periaris; auditu percipere nequit. Veruntamen vnum verbum Dei est, quod & omnes, &
singuli prædestinati audiunt, vel audient aliquando, & nullus reprobatus vnquam audiet il-
Augustinus lud verbum. Hoc autem verbum, sicut Augustinus, homilia 45. super Ioannem per lon-
gam disputationem ostendit, est; Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. Patet
ergo secundum sententiam veritatis, Augustino testante, quod sicut esse ex ouibus Christi, &
ex

A ex Deo secundum prædestinationem, scilicet esse prædestinatum, est causa credendi, & audiendi salubriter vocem Christi: ita & non sic esse, non sic faciendi: Non autem esse prædestinatum originaliter est ex Deo, quia non ex operibus reprobati, teste 45°. primi. Eandem quoque sententiam contestantur autoritates eiusdem de prædestinatione sanctorum 10. de bono perseuerantiæ 41. superius allegatæ; qui & de correptione & gratia quasi per totum ostendit, quod omnes homines debent charitatiuè corripi & moueri; quod tamen correptio prædestinatis tantum prodest, non prædestinatis non prodest: vbi & 68. longa disputatione præmissa ita concludit; Patiantur ergo se homines corripi quando peccant, nec de ipsa correptione argumententur contra gratiam, nec de gratia contra correptionem, quia & peccatis iusta pœna debetur; ad ipsam pertinet iusta correptio, quæ medicinaliter exhibetur, etiamsi salus ægrotantis incerta est; vt si is, qui corripitur, ad prædestinatorum numerum pertinet, sit ei correptio salubre medicamentum; si autem non pertinet, sit ei correptio pænale tormentum: sub isto ergo incerto ex charitate adhibenda est, cuius exitus ignoratur. Istam quoq; sententiam videtur Saluator docuisse capaces, quando murmurantibus Iudæis contra sermonem suum de pane vitæ, respondit, Nolite murmurare inuicem; Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit illum. Scriptum est in Prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei: Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me, Ioh. 6. vbi videtur minuere, quod quia illi non fuerunt tracti nec docti, quia non audierunt, nec didicerunt, ideo non venerunt ad eum credendo. Quare & infra, Sunt, inquit, quidam ex vobis, qui non credunt; sciebat enim ab initio Iesus, qui essent credentes, & quis traditurus eum esset: & dicebat, Propterea dixi vobis, quod nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Si mihi exponenti non credis, crede Augustino homilia 26. super Ioannem dicenti, Murmurantibus respondit Iesus, Nolite murmurare ad inuicem, tanquam dicens; Scio quare non esuriatis, & istum panem non intelligatis, nec quæratis. Nolite murmurare ad inuicem, Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Nota quare & causam. Et sequitur magna gratiæ commendatio, Nemo venit nisi tractus: quem trahat, & quem non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare. Noli, inquam, velle iudicare per causam sumptam ex parte tracti, vel non tracti, antecedenter trahentem seu mouentem voluntatem diuinam, iuxta præmissa 20. & 35. & sequentibus primi libri. Si tamen quenquam non trahi à Deo, esset causa quare Deus illum non traheret, rationabiliter posset quæri, quare Deus illum trahat, & rationabiliter, quia causaliter responderi, quia ipse non trahitur. Similiter quoque de similibus posset quæri, & similiter responderi. Et infra, Scriptum est enim in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei: Quare hoc dixi, ô Iudæi; Pater vos non docuit; quomodo me potestis agnoscere? Et infra homilia 27. exponens illud, Sciebat enim ab initio Iesus, &c. sic ait, Posteaquam distinxit credentes à non credentibus, expressit causam quare non credant: Propterea dixi vobis, quod nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Qui & de prædestinatione Sanctorum 9. & 10. istam expositionem confirmat, sicut superius recitatur; vbi & 10. loquens de doctrina Patris, sic quærit & soluit; Cur ergo non omnes docet vt veniant ad Christum, nisi quia omnes quos docet, misericordia docet; quos autem non docet, in Deo non docet; quoniam cuius vult miseretur, & quem vult indurat? Et infra, Quare, inquiunt, non omnes docet? si dixerimus, quia nolunt discere quos non docet; respondebitur nobis, & vbi est quod ei dicitur, Deus conuertens tu viuificabis nos? aut si non facit volentes ex nolentibus Deus, vt quid orat Ecclesia secundum præceptum Domini pro persecutoribus suis? Ecce quod Augustinus reprobat positionem dicentem, Patrem ideo quempiam non docere, quia non vult discere: & nonne posset similiter, imò & euidentius reprobare opinionem dicentem, Patrem ideo quempiam non docere, quia non docetur? Et sequitur, cùm ergo Euangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt: sed qui credunt prædicatori forinsecus insonanti, intus à Patre audiunt atque discunt; qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt neque discunt: hoc est, illis datur vt credant, illis non datur; quia Nemo, inquit, venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum; quod apertius postea dicitur. Nam post aliquantum cùm de carne sua manducanda, & bibendo sanguine suo loqueretur, & dicerent quidam etiam discipulorum eius, Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Sciens Iesus apud semetipsum, quod murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis; Hoc vos scandalizat? & paulo post, Verba, inquit, quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt: Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt; Et mox Euangelista; Sciebat enim, inquit, ab initio Iesus qui essent credentes; & quis esset traditurus eum, & dicebat; Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi ei datum fuerit à Patre

[Margin notes: *Augustinus.* (beside "ostendit ... correptio"); *Iohannes.* (beside "nes docibiles Dei"); *Augustinus.* (beside "homilia 26"); *Augustinus.* (beside "vobis, quod nemo ... prædestinatione"); section letters B, C, D, E in left margin.]

Patre meo; ergo trahi ad Chriſtum à Patre, & audire, & diſcere à Patre vt veniat ad Chri- A
ſtum, nihil eſt aliud quàm donum accipere à Patre, quo credat in Chriſtum. Neque enim audientes Euangelium à non audientibus, ſed credentes à non credentibus diſcernebat, qui dicebat; Nemo veniat ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. Fides igitur inchoata & perfecta donum Dei eſt, & hoc donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari omnino non dubitat, qui non vult manifeſtiſſimis ſacris literis repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem mouere non debet, qui credit ex vno omnes iſſe in condemnationem ſine dubitatione iuſtiſsimam, ita vt nulla Dei eſſet iuſta reprehenſio, etiamſi nullus inde liberaretur: vnde conſtat magnam eſſe gratiam, quod quamplurimi liberantur; & quid ſibi deberetur, in eis qui non liberantur agnoſcant, vt qui glorietur, non in ſuis meritis, quæ paria videt eſſe damnatis, ſed in Domino glorietur. Cur autem iſtum potius quam illum liberet? Inſcrutabilia ſunt iu- B
dicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Melius enim & hic audimus & dicimus, O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Quam dicere audeamus, quaſi nouerimus, quod occultum eſſe voluit, qui tamen aliquid iniuſtum velle non potuit. Non ergo quia quiſquam non trahitur, non docetur, non liberatur, non recipit iſtud donum, ideo Deus ipſum non trahit, non docet, non liberat & non donat, ſed potius è contra. Vnde & Auguſtinus de bono perſeuerantiæ, 64. dicit, Qui in peccatorum damnabilium delectatione remorantur, ſi prædeſtinati ſunt, ideo nondum ſurrexerunt, quia nondum eos adiutorium miſerantis erexit: quanquam coram infirmis nolit iſtam ſententiam iſto modo, ſed alio prædicari. Hoc idem plane teſtari videtur beatus Ambroſius, libro 9. ſuper Lucam, ſic dicens; Quos Ieſus reſpicit, plorant: negauit primo Petrus, & non fleuit, quia non reſpexerat Dominus: negauit ſecundo, non fleuit, quia adhuc non reſpexerat Dominus; negauit & tertio, reſpexit Ieſus, & ille amariſſimè fleuit. Nec poteſt dici, quod corporalibus oculis Dominus eum viſibiliter admonendo reſpexerit; & ideo quod ſcriptum eſt, Reſpexit eum Dominus, intus actum eſt, in mente, in voluntate, ſicut C
quadrageſimo tertio primi pleniùs recitatur. Adhuc autem & Auguſtinus 4. contra Iulianum 16. ſic alloquitur Iulianum, Ab eo dicis pulſantibus aperiri, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, vt videlicet intelligamus, docentibus nobis, ideò non omnes ſaluos fieri, & non in agnitionem veritatis venire, quia ipſi nolunt petere, cùm Deus velit dare; nolunt quærere, cùm Deus velit oſtendere; nolunt pulſare, cùm Deus velit aperire. Iſte ergo ſecundùm ſententiam Auguſtini fuit error Iuliani Pelagiani, quem & ibi redarguit conſequenter. Et infra tractans illud Iohannis præmiſſum, Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater &c. ſic ait, Qui iam vtuntur voluntatis arbitrio, niſi eo volente atque ſubveniente à quo præparatur voluntas, velle non poſſunt. Et ſequitur 17. vbi ſi dixeris mihi, Cur ergo non conuertit omnium nolentium voluntates? reſpondebo, Cur non omnes morituros adoptat lauacro regenerationis infantes, quorum adhuc nullas, & ideo nec contrarias inuenit voluntates? Si hoc profundius eſſe perſpicis, quàm vt abs te valeat inueniri, vtrumque vtri- D
que noſtrum profundum ſit; Cur & in maioribus, & in minoribus Deus velit alteri, & nolit alteri ſubuenire. Ecce ſecundum ſententiam Auguſtini, quòd ſicut Deum velle ſubuenire, eſt cauſa ſubuentionis, ſic & ipſum nolle ſeu non velle ſubuenire, eſt cauſa non ſubuentionis: non quia cuiquam non ſubuenitur à Deo, ideo Deus non vult ei ſubuenire, aut ei non ſubuenit, ſed è contra: aliàs enim eſſet planiſsimum, non profundum. Et infra eodem loquens de duobus ſimilibus, quorum vnus ſecundum iudicium damnatur, alter ſecundum miſericordiam liberatur; Cur, inquit, iſtum potius quàm illum damnet aut liberet? Nos quid ſumus qui reſpondeamus Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, Quare me ſic feciſti? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa originis vitiatæ atque damnatæ facere aliud vas in honorem ſecundum miſericordiam, & aliud in contumeliam ſecundum iudicium? Idem 11. ſuper Gen. ad literam 14. opponendo & reſpondendo, ſic ait, Poſſet, inquiunt, etiam ipſorum voluntatem in bonum conuertere, quoniam omnipotens eſt, poſſet planè. Cur ergo E
non fecit? quia noluit: cur noluerit penes ipſum eſt; debemus non plus ſapere, quàm oportet ſapere. Qui & in pluribus libris ſuis locis quamplurimis eandem ſententiam profitetur. Hoc idem videtur ſimiliter de perſeuerantia ſentiendum, quòd videlicet ideo quiſquam non accipiat, ſiue non habeat perſeuerantiam, quia Deus illam non dat ei, licet fortaſsis in pœnam peccati ſui prioris, & non è contra: Hoc enim ſequitur ex præmiſsis, & poteſt oſtendi ſimiliter per præmiſſa. Hanc quoque ſententiam clarè teſtari videtur Propheta, Non veniat, inquiens, mihi pes ſuperbiæ, &c. Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem; expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare; Pſalmo 35. Quod Auguſtinus exponens, Prior, inquit, ille qui in veritate non ſtetit, deinde parentes illi quos dimiſit Deus de paradiſo: vnde ille humilis qui dicit ſe non dignum ſoluere corrigiam calceamenti non eſt expulſus, ſed ſtat & audit eum, & gaudio gaudet

Auguſtinus *Ambroſius.* *Auguſtinus.* *Propheta.*

A gaudet propter vocem sponsi, non propter suam, ne veniat ei pes superbiæ & expellatur, nec possit stare. Hinc & quidam prædestinatus & perseuerans discipulus atque Doctor, Ex nobis, inquit, prodierunt, sed non erant ex nobis ; nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum ; sed vt manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis, 1 Ioh.2. volens ostendere quod sicut esse ex numero electorum secundum prædestinationem diuinam est causa permanendi & perseuerandi finaliter, & non sic esse, est causa non sic manendi, i. sicut volutio & electio Dei æternaliter præparans & temporaliter conferens gratiam & perseuerantiam cuiquam est causa perseuerandi finaliter : Ita & non volutio, & non electio, seu reprobatio Dei opposita est causa non perseuerandi finaliter : aliàs etenim non electio seu reprobatio Dei non esset originaliter & causaliter ex vocante, sed ex operibus & meritis reprobati, quod fuerat reprobatum quadragesimo quinto primi. Vnde & Augustinus de bono perseuerantiæ 17. disputando, sic ait, Cur quibusdam, qui eum bona fide coluerunt, perseuerare vsque in finem non dedit? Cur putas, nisi quia non mentitur qui dicit, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis? Nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. Hominibus autem videtur, omnes qui boni apparent, fideles, perseuerantiam vsque in finem accipere debuisse ; Deus autem melius esse iudicauit, miscere quosdam non perseueraturos certo numero sanctorum suorum, vt quibus non expedit in huius vitæ temptatione securitas, non possint esse securi : Multos enim à perniciosa elatione reprimit, quod ait Apostolus, Quapropter qui videtur stare, videat ne cadat. Et infra 19. Ex duobus autem pijs, cur huic donetur perseuerantia vsque in finem, illi non donetur? Inscrutabilia sunt iudicia Dei : illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse : nam si fuissent ex nobis, ait vnus prædestinatorum, qui de pectore biberat Domini hoc secretum, mansissent vtique nobiscum. Quid est quæso, non erant ex nobis ; nam etiam si fuissent, mansissent vtique nobiscum? Nonne vtique à Deo creati, vtique ex Adam nati, vtique de terra facti erant, & ab eo qui dixit, Omnem flatum ego feci, vnius eiusdemque naturæ animas acceperant? Nonne postremò vtique vocati fuerant, & vocantem secuti? vtrique ex impijs iustificati, & per lauacrum regenerationis vtrique renouati? Sed si hoc audiret ille qui sciebat, proculdubio quod dicebat, respondere posset & dicere, vera sunt hæc ; secundùm hæc omnia ex nobis erant, veruntamen secundùm aliam quandam discretionem ex nobis non erant : nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. Quæ est tamen ista discretio? Patent libri Dei, non auertamus aspectum ; clamat scriptura diuina, adhibeamus auditum. Non erant ex nobis, quia non erant secundùm propositum vocati ; non erant in Christo electi ante mundi constitutionem, non erant in eorum sortem sequuti, non erant prædestinati secundùm propositum eius qui vniuersa operatur. Et infra, 45. recitat quosdam obijcientes hoc modo, Sed aiunt, vt scribitis, neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conuentu Ecclesiæ audientibus multis ; Ita se habet in prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, vt alij ex vobis de infidelitate, accepta obediendi voluntate veneritis ad fidem, vel accepta perseuerantia maneatis in fide : cæteri verò, qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia nec dum vos adiutorium gratiæ miserantis erexit : Veruntamen si qui estis nondum vocati, quos gratia sua prædestinauerit eligendos, accipietis gratiam qua velitis & sitis electi, & si qui obeditis, si prædestinati estis, reijciendi, subtrahentur obediendi vires, vt obedire cessetis ; vel secundùm aliam literam, si qui obeditis, si imprædestinati estis recipiendi, &c. sicut supra, quod oportet intelligi in pœnam culpæ prioris. Qui capitulis sequentibus respondendo, nihil horum de prædestinatione interimit, sed asserit omnia esse vera : Vnde capit. 46. sic ait ; Ista, cùm dicuntur, ita nos ad confitendam veram Dei gratiam, id est, quæ non secundùm merita nostra datur, & ad confitendam secundùm eam prædestinationem sanctorum deterrere non debent, sicut non deterremur à confitenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur, vt dicat ; siue nunc rectè viuitis, siue non rectè, tales eritis posteà quales vos Deus futuros esse præsciuit, vel boni si bonos, vel mali si malos. Nunquid enim si hoc audito, nonnulli in torporem segnitiemque vertantur, & à labore || *procliuius*, & ad libidinem post concupiscentias suas eant, propterea de præscientia Dei falsum putandum est esse quod dictum est? Et 47. Dicatur ergo verum, maximè vbi alia quæstio, vt dicatur, impellit. Et 64. Docet præmissa de prædestinatione, & specialiter illud verbum, si qui obeditis, si imprædestinati recipiendi estis, vel si prædestinati estis reijciendi, subtrahentur obediendi vires vt obedire cessetis, quamuis sit verum, neminem prædicare debere multitudini infirmorum sub ista forma verborum loquendo in secunda persona & dirigendo eis sermonem ; sed sub alia in tertia persona loquendo, vt tamen nihil sententiæ detrahatur. Idem de correptione & gratia, 24. Qui inquit perseueraturi non sunt, ac sic à fide Christiana

Ioannes

Augustinus.

|| Procliues.

&

& conuerſione lapſuri ſunt, & tales eos vitæ huius finis inueniat, proculdubio nec A
illo tempore quo bene pieque viuunt, in iſtorum numero computandi ſunt: Non e-
nim ſunt à maſſa illa perditionis præſcientia Dei, & prædeſtinatione diſcreti, & ideo nec ſe-
cundum propoſitum vocati ſunt, ac per hoc nec electi. Vbi & 25. ſubiungit, Hic ſi à me
quæratur, cur eis Deus perſeuerantiam non dederit, quibus eam qua Chriſtianè viuerent,
dilectionem dedit? Me ignorare reſpondeo; Non enim arroganter, ſed agnoſcens modu-
lum meum, audio Apoſtolum dicentem, O homo quis tu es, qui reſpondeas Deo, &c. & ô
altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſti-
gabiles viæ eius? Qui & in De confutatione 16. capitulorum falsò ei imputatorum, reſpon-
ſione 14. Cur, inquit, illum retineat ne recedat, illum non retineat, nec poſsibile eſt com-
prehendere, nec licitum veſtigare. Hanc quoque ſententiam vltimam quamplures autorita- B
tes Auguſtini, & Gregorij 14. huius præmiſſæ lucidè conteſtantur, quæ omnes poſſunt in-
telligi ſecundum expoſitiones præmiſſas; quod videlicet ex parte non perſeuerantis, non eſt
cauſa ſufficiens ſuæ non perſeuerantiæ aſſignanda, quia non culpa ſua: Duorum namque
charorum Deo, & piorum æqualium, & æqualiter tentatorum, Deus ſtantem preſeruat per
quintum huius; cadentem non preſeruat à lapſu. Sed cur hunc magis quàm illum? Quid
hic nunc primo peccans, illi prius peccauit, vt in hoc primum ſuum peccatum cadere merere-
tur? Duorum quoque charorum æqualium æqualiter tentatorum, & æque peccantium Deus
vnum reſuſcitat & aſſumit, & facit perſeuerare finaliter, alterumque relinquit; imò & ſine
iniuria cuiuſcunque eum qui plus peccauit, poteſt ſuſcitare & facere perſeuerare finaliter, &
eum, qui minus peccauit, relinquere incorrectum; quomodo ergo eſt culpa cauſa ſufficiens
non perſeuerantiæ? patet etiam ex trigeſimo nono primi, quod meritum bonum vel ma-
lum non eſt propriè cauſa præmij, nec pœnæ actualis, licet propter merita hæc reddan-
tur, ſicut ibi fuit oſtenſum. Non ergo non accipere perſeuerantiam eſt cauſa, vel cauſa ſuf- C
ficiens & præcedens non dationis eius à Deo: Si namque eſſet cauſa, eſſet ſufficiens & præce-
dens; videtur igitur, quod ſit è contra. Vlterius autem pro intellectu pleniori Doctorum di-
centium, Nullam eſſe cauſam, quare duorum piorum æqualium Deus vni dat perſeue-
rantiam, & alteri minimè; aduertendum, quod hoc habet duplicem intellectum: vnum, quod
nulla eſt cauſa ſufficiens ex parte ipſorum hominum, quod verum eſt, ſicut nulla cauſa præde-
ſtinationis & reprobationis ex parte hominum eſt ponenda, ſicut præcedentia docuerunt: al-
terum quod nulla eſt cauſa ſufficiens ex parte Dei, quod & dupliciter poteſt intelligi, vno mo-
do omnino generaliter, & ſic eſt falſum: Voluntas enim diuina eſt cauſa ſufficiens vtriuſque;
alio modo ſpecialiter, quod videlicet in Deo non eſt cauſa nec ratio antecedens voluntatem
ſuam, quæ ipſam potius & præponderanter determinet ad dandum huic perſeuerantiam, &
illi non dandum; & hunc intellectum arbitror eſſe verum, ſicut vigeſimum, & vigeſimum
primum primi lucidè manifeſtant. D

CAP. XXXIII.

Obijcit & reſpondet.

HIc autem obijcitur à quibuſdam, Deus omnia rationabiliter operatur,
& ex aliqua iuſta cauſa; alias enim temerariè agere videretur: Dicit-
Iob. que Iob 5. Nihil in terra ſine cauſa fit: Eſt ergo aliqua ratio & ali-
qua iuſta cauſa, quare Deus huic dat gratiam aut perſeuerantiam, &
illi non dat; & non ex parte Dei, quare ex parte iſtorum. Item tunc
nullus peccaret ſimpliciter omittendo: Non enim ipſe eſt in cauſa E
qui omittit, ſed Deus. Item Deus neminem deſerit, niſi prius deſera-
tur ab eo: Qui enim quærit auerſos, quomodo deſerit iam conuer-
Ioannes. ſos? aut qui attrahit inimicum, quomodo repellit amicum? Vnde Ioan. 6. Eum qui venit ad
Iudith. me, non eijciam foras: & Iudith. 13, Non deſeruit ſperantes in ſe: qui & Apoſtolo teſte dixit,
Apoſtolus. Non te deſeram, nec derelinquam, ad Hebr. 13. qui & per Prophetam ſic ait, Quia tu ſci-
Propheta. entiam repuliſti, repellam & ego te, Hoſeæ 4. Dicitque Auguſtinus 13. de Ciuit. Dei 15.
Auguſtinus. quod anima peccatrix non eſt deſerta vitâ ſuâ, quæ eſt Deus, vt desereret; ſed vt deſerere-
|| impoſitorum tur, deſeruit; qui & de confutatione 16. Capitulorum falsò ei || *imputatorum* reſponſione
ſeptima dicit, quod Deus priuſquam deſeratur neminem deſerit, & multos deſertores ſæpè
conuertit; Et infra reſponſione 14ª. Deus receſſurum non deſerit, antequam deſeratur, &
facit

A facit plerumque ne deserat, & etiam si discesserit, vt redeat: quod & plurimæ autoritates canonicæ, & aliæ contestantur. Item Sapiens admonet quemlibet sapientem sic dicens, Non dixeris per Deum abest, scilicet sapientia Dei. Item Anselmus de casu Diaboli 1. dicit, quod solus Deus à se habet quicquid habet, & omnia alia non nisi ab illo habent; & sicut à se non nisi nihil habent, ita ab illo non nisi aliquid habent: vbi & consequenter ostendit, nihil & non esse, non esse à Deo, sed infuisse cuilibet alij ex seipso; qui & infra 2. mouet quæstionem; An sicut bonus Angelus ideo accepit perseuerantiam, quia Deus eam dedit; nunquid ita malus Angelus ideo non accepit perseuerantiam, quia Deus eam non dedit? Et infra 3. respondendo dicit, quod in bono Angelo dare fuit causa accipiendi; in malo tamen Angelo non dare, non fuit causa non accipiendi perseuerantiam, sed è contra. Primum autem obiectorum istorum soluitur per præmissa hic proximo & vigesimo primo primi; Nec obiectum de omissione boni procedit; Similiter enim potes arguere, nullum mereri omittendo *Sapientia.* *Anselmus.*
B malum, seu declinando à malo; Similiter etiam potes arguere de commissione, nullum scilicet peccare vel mereri aliquod faciendo, cùm Deus ibi præueniat operando. Quare & Augustinus in glossa, super illud Deuter 29. Non dedit vobis cor intelligens, &c. proximo allegata, sic ait, Quomodo ait superius, vos vidistis tentationes, &c. si non dedit Dominus oculos videre? sed corpore viderunt, non corde: Vnde præmisit, Non dedit Dominus * vobis scire; Ad hoc pertinent duo quæ sequuntur, oculos videre, & aures audire, id est, intelligere, & obedire; Quod verò dicit, Non dedit vobis Dominus; increpans & arguens, non diceret, nisi ad eorum culpam pertineret, ne quisquam se ex hoc excusabilem putet; Simul enim ostendit sine adiutorio eos intelligere & obedire non posse oculis & auribus cordis; & tamen si adiutorium Dei desit, non ideo esse excusabile hominis vitium, quoniam iudicia Dei, quamuis occulta, iusta sunt. Quod verò arguitur, Deum neminem deserere priusquam deseratur; quid verius? Non enim irrogat Deus pœnam, nisi prius offendatur per culpam; *Augustinus.* * cor
C Nullum ergo deserit gratiam auferendo, nisi qui eum prius deseruit delinquendo: Sed hoc quid obstat? Non enim quia cuipiam non dat Deus gratiam & perseuerantiam, ideo deseritur à Deo, nec quia quisquam non accipit gratiam perseuerantiamue à Deo, ideo desertus est ab eo, sicut patet de Angelis, & primis parentibus, qui secundum sententiam aliquorum per aliquam morulam gratia caruerunt, & postquam gratiam acceperunt Apostatę Angeli & primi parentes per aliam morulam perseuerantia caruerunt, sicut sequens casus ostendit; nec tamen in hac morula vel in illa deserebantur à Deo, quia nullam culpam penitus habuerunt. Si autem non sic fuit de facto, potuit sic fuisse; & quæ quæso fuit tunc causa non accipiendi gratiam? Nonne non dare? & cur de non accipiendo perseuerantiam non similiter iudicandum? Quod autem dicit Sapiens, sapientiam Dei non abesse per Deum; per quem ergo abest à multis sanctis viris sapientia prophetalis sine suo demerito præcedenti? & adest multis malis hominibus multiplici suo demerito non obstante, sicut & malis Angelis, & pri-
D mis parentibus ante peccatum; Et sanctis Angelis confirmatis abfuit sapientia multiformis, sicut ex decimo sexto huius patet; & per quem nisi per Deum non dantem? Verum est tamen sapientiam Dei necessariam ad salutem semel datam, alicui non abesse per Deum illam omnino voluntariè subtrahentem sine aliqua culpa præcedente, quia neminem deserit, nisi prius deseratur ab eo, sicut superius est ostensum. Illud verò dictum Anselmi, quod non entia non habent non esse à Deo, indiget scrutinio altiori: Oppositum enim videtur ex secunda parte, quinta, nona, & sequentibus 13[a]. & capitulo 14. primi libri. Item Antichristum non esse est verum, iustum, & rationabile, & non prius naturaliter voluntate diuina, quia tunc esset necessarium, vt patet ex decimo octauo & vigesimo primo primi; quare posterius & causatum, & dependens ab illa, vt patet ibidem; & ex ostensione duodecimæ partis decimi tertij primi libri. Item Antichristum non esse, non est prius naturaliter voluntate diuina, quia tunc esset necessarium per præmissa, & quia tunc non || *subiaceret* voluntati diuinæ; est || subijceretur
E ergo posterius & dependens ab illa. Item per corollarium vigesimi secundi primi, Deus vult Antichristum non esse; & per vigesimum primi, non quia Antichristus non est, ideo Deus vult eum non esse, cùm ipsum non esse sit posterius voluntate diuina, & ei subiectum; cùm & per idem vigesimum entia contingentia non sint causa voluntatis diuinæ; multò ergo indigniùs non entia contingentia; est ergo è contra: quia scilicet Deus vult Antichristum non esse, ideo non est. Item Deus scit Antichristum non esse, & non quia Antichristus non est, sicut ex decimo quinto primi patet, sed per decimum octauum primi, quia vult eum non esse: Hæc ergo scientia & volutio est causa non entitatis ipsius. Item Antichristus habet non esse & est non ens, vel ergo per se, vel per aliud; si per se, sicut Anselmus videtur ibi asserere, & Augustinus de immortalitate Animæ 13. sicut secundum primi allegat; ergo

|| *sem-*

simpliciter || *semper* & necessariò, sicut patet ex secundo & vigesimo sexto primi. Quomodo etiam per se habet non esse, cùm nec se habeat nec quicquam sui, quia nec materiam nec formam? Si etiam Antichristus de se aut per se habet non esse, vel ergo non esse necessarium, ita quod impossibile sit ipsum esse; vel non esse possibile & contingens; Non primum constat, nec secundum, sicut ex decimo quarto primi etiam per Anselmum apparet. Si per aliud, vel per aliud ens, vel non ens: si per aliud non ens, similiter inquirendum de illo, & cùm non sit processus infinitus in talibus, detur status in aliquo, &c. sicut supra: si per aliud ens, illud vel est Deus, vel dependens ab eo; & ita tandem tota processio reducetur ad eum; Multa quoq; sunt non entia, quorum esse vel non esse non dependet nisi tantum à Deo, illa scilicet quæ fiunt immediate, & solum ab eo. Item Antichristus non per se habet esse, neque non esse; quia tunc per præmissa, alterum semper de necessitate haberet; sed de se est indifferens, id est, nullam differentiam de se habet ad esse, vel ad non esse; si ergo nunc habet vnum horum, nunc alterum, necesse est hoc esse per aliquid aliud ipsum determinans, nunc ad hoc, nunc ad illud. Item secundum istam positionem videtur, quod non esse entium, siue non entium sit esse eorum, imò & necesse esse eorum, & quod habent illud à se, non à Deo; quod etiam Deus non posset destruere illud esse, & quod esse, quod à Deo recipiunt, sit eis accidentale, & ipsis essentialiter manentibus adueniat & recedat, sicut vestis homini permanenti: Dicit enim Anselmus ibidem, quod omnia alia à Deo, à se non nisi nihil habent. Et infra, cum Deus quasi iratus destruendo aliquid aufert esse, non est ab illo non esse; sed illo tollente velut esse suum quod præstiterat, quod ab eo factum seruabatur vt esset, redit in non esse, quod non ab illo, sed à se, antequam fieret habebat; sicut si ab aliquo repetas tunicam, quam illi nudo sponte ad tempus præstiteras, non habet à te nuditatem, sed te, quod tuum erat, tollente, redit in illud quod erat antequam à te indueretur. Sed nulli dubiũ hanc non esse mentem Anselmi, quia alia subtilia eius opera vidit: Deus enim de nihilo verè creat totum esse rei nouiter ei præstans, imò fortè non propriè præstans ei: prius enim videtur esse, cui præstatur quàm ei præstetur, sed totam rem nouiter faciens & producens. Nec debet mouere quod secundum Doctores omnia æternaliter fuerunt in Deo: Non enim fuerunt ibi realiter, & veraciter diuersa ab eo, sicut ex prima suppositione potest ostendi, & per multiplices rationes, & autoritates quamplures: Sed quia hoc reputo tam Philosophis quam Theologis quasi notum, breuissimè hoc confirmo. Dicit siquidem Augustinus de gaudijs iustorum, & pœnis malorum, quod Mundus erat in Deo antequam in semetipso erat, non mundus, sed Deus. Wilhelmus quoque Parisiensis Episcopus damnauit articulum asserentem, quod multæ veritates fuerunt ab æterno, quæ non sunt ipse Deus. Potest tamen Anselmus exponi, quod non esse non est à Deo efficienter, propriè, sed deficienter; nec sicut effectus, sed sicut defectus, sicut proximum huius dixit; quod & verba ibi præmissa, & alia testari videntur. Dicit enim cùm Deus iratus destruendo aliquid aufert esse, non est ab illo non esse, sed illo tollente velut esse suum quod præstiterat, quod ab eo factum seruabatur vt esset, redit in non esse. Et infra, Nempe sicut à summo bono non est nisi bonum, ita à summa essentia non est nisi essentia; Vnde quoniam summum bonum est summa essentia, consequens est vt omne bonum sit essentia, & omnis essentia bonum: Nihil ergo & non esse, sicut non est essentia, ita non est bonum: Nihil namque & non esse non est ab illo, à quo non est nisi bonum & essentia. Quod autem tam Anselmus quàm Augustinus videntur asserere res per se vel de se non esse, seu habere non esse, potest exponi præponendo negationem; scilicet, quod res non per se sunt, nec habent esse, seu nullæ res per se, &c. sed per Deum. Et si quis obijciat, quod etsi Deus non esset, adhuc non entia, puta Chimæra & Antichristus non essent, vltima pars 13ᵉ. & coroll. 14ᵉ. primi cum suis ostensionibus respondebunt. Secundum quoque dictum Anselmi, scilicet non accipere perseuerantiam fuisse causam non dandi, similiter indiget perscrutatione maiori: Hoc enim repugnare videtur dicto eius priori. Si enim nullum ens, quia nec Deus, est causa non esse, seu non entis, sed quodlibet non esse, seu non ens per se est tale; quomodo vnum non esse siue non ens erit causa alterius? Quomodo ergo potest non accipere, esse causa non dandi? Si || *etiam* non accipere sit causa non dandi, vel ergo causa positiua, vel priuatiua. Non positiua constat; nec priuatiua: Hoc enim esset quia priuaret causam dandi, & cum non priuet per se nisi accipere esset causa dandi, contra positionem Anselmi. Si etiam non accipere sit causa non dandi, in quo genere causæ? non materialis, nec formalis, constat, nec finalis; quia tunc non dare esset causa efficiens non acceptionis, & non dans finaliter non acceptionem intenderet, & causaret contra Anselmum ibidem. Nec potest dici, quod non accipere sit causa efficiens non dandi, quia non causa efficiens positiuè, constat; Nec causa efficiens priuatiuè: hoc enim esset, quia priuaret causam efficientẽ, seu effecti-

Margin notes: *Augustinus.* *Wilhelmus.* || ergo

Section letters (right margin): A, B, C, D, E

A effectiuam positiuè; quapropter accipere esset causa efficiens positiuè dandi contra positionem Anselmi. Venerabilis autem Pater Anselmus intendit, sicut puto, quòd omnes Angeli acceperunt bonam voluntatem à Deo; in qua si ad certum terminum præstitutum à Deo stetissent, merito stationis illius fuissent beatificè confirmati, sicut & perstantes fuerunt, sicut infrà de casu diaboli: 6. patet; & in hac bona voluntate etiam Apostata Angelus stetit ad tempus, sed non perstitit, non peruoluit, non perseuerauit finaliter sic volendo, & hanc voluntatem perseuerantem non habuit, non quia Deus omninò voluntariè & mero motu sine demerito præcedenti illam abstulit, seu non dedit; ac si nunc de sua omnipotentia absoluta auferret à Gabriele suam beatificam voluntatem purè voluntariè sine culpa aliqua præcedente; sed quia malus Angelus priùs voluit culpabiliter aliud per illam culpabilem voluntatem, priorem iustam amisit. Intelligit ergo breuiter, quòd Deus non sine culpa mali Angeli præcedente abstulit ab eo iustam voluntatem, seu dare aut seruare cessauit; sed
B hoc fecit propter peccatum eius præcedens, sicut illo tertio planè patet: vbi post longam disputationem, in fine sic ait, Dico, quia non ideo non voluit cùm debuit, & quod debuit, *Anselmus.*
quia voluntas defecit non dare deficientem, sed quia ipse volendo quod non debuit, bonam voluntatem expulit, mala semper veniente. Quapropter non ideo non habuit bonam voluntatem perseuerantem, aut non accepit, quia Deus non dedit, sed ideo Deus non dedit, quia ille volendo quod non debuit, & eam deseruit, & deserendo non tenuit: Quod & 4. & 6. consequenter ostendit, quod & consonat multis dictis proximo huius scriptis. Quare & Augusti- *Augustinus.*
nus de correptione & gratia, 48. Tunc, inquit, scilicet in statu innocentiæ ante peccatum dederat Deus homini bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat qui fecerat eum rectum, dederat adiutorium, sine quo in ea non posset permanere si vellet, vt autem vellet in eius reliquit libero arbitrio. Posset ergo permanere si vellet, quia non deerat adiutorium, per quod posset perseueranter bonum tenere quod vellet: sed quia noluit permanere, profectò eius est
C culpa, cuius meritum fuisset, si permanere voluisset, sicut fecerunt Angeli sancti, qui, cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit semper se in illa esse permansuros.

COROLLARIVM.

Corollarium, nedum videlicet entia ad suum esse verum, & non entia ad suum non esse Deo necessariò indigere, Deum quoque non solùm super entia, sed & super non entia tenere dignissimè Principatum.

D EX his autem reputo manifestum, nedum entia ad suum esse, verùm & non entia ad suum non esse Deo necessariò indigere, Deum quoque non solùm super entia, sed etiam super non entia tenere dignissimè principatum. Hoc autem corollarium ex hîc præmissis, & corollario 14[i]. primi libri consequitur euidenter. Quare & tres pueri Danielis, quasi ex vno ore inuitant noctes & dies, lucem & tenebras, vt Domino benedicant, laudent, & superexaltent eum in sæcula, Daniel. 3. Beatus quoque Dionysius, 4. de diuinis nominibus, Om- *Daniel.*
nis, inquit, virtus, omnis operatio, omnis habitus, omnis sensus, omne verbum, omne factum, *Dionysius*
omnis tactus, omnis scientia, omnis vnitio, & simpliciter omne existens, & ex pulchro & bono, & in pulchro & bono est, & ad pulchrum & bonum conuertitur, & omnia quæcunque sunt, & fiunt, & ad ipsum omnia respiciunt, & ab ipso mouentur & continentur, & in ipsius gratia, & propter ipsum & in ipso exemplare principium omne, scilicet materiale, efficiens, formale, elementarium, & simpliciter omne principium, omnis continentia, omnis finis, aut, vt comprehendens dicam, omnia existentia ex pulchro & bono, & omnia non existentia su-
E persubstantialiter & in pulchro & bono, & est omnium principium & finis super principale & super perfectum; quoniam ex ipso, & in ipso, & per ipsum, & ad ipsum omnia, sicut dicit sanctus sermo. Et infra, 5. Omnia quæcunque sunt & fiunt, per bonum & optimum sunt & fiunt; & ad hoc omnia videt, & ab ipso mouentur & continentur, & propter ipsum & per ipsum & in ipso omne principium exemplatiuum, consummatiuum, intellectuale speciale, formale, & simpliciter omne principium, omnis continentia, omne summum, aut, vt comprehendens dicam, omnia quæ sunt ex bono & optimo, & omnia quæ non sunt superessentialiter in bono & optimo; & est omnium principium, & finis super principiale, & superfinale, quia ex ipso, & per ipsum, & in ipso, & in ipsum sunt omnia, vt ait sacer sermo.

A

CAP. XXXIIII.

Per præmissa allicit homines ad timorem & amorem, ad confidentiam, ad patientiam & humilitatem, ad orationem, & ad gratias referendas.

O Magne & mirabilis Deus noster, lux vnica oculorum, aperi quæso oculos cordis mei, & oculos aliorum, vt magnalia & mirabilia tua præmissa veraciter contemplemur, & contemplata deuotius veneremur. B
Præmissis namque discreta consideratione pensatis, quis non timore concutitur? Quis non amore succenditur? Quis confidentia non firmatur? Quis patientia non armatur? Quis non ad humiliationem infimam, ad orationem sedulam, & ad gratiarum actionem continuam prouocatur? Quis, inquam, consideratis discretè præmissis, non concutiatur timore videndo tuam omnipotentissimam voluntatem in omnibus efficacem, secundum quam omnia cœlestia, terrestria & infera moderaris? Qua quem vis, & quando vis, exaltas; quem vis, & quando vis, humilias, sanas, infirmas, viuificas, mortificas, quem vis prædestinas atque saluas, & quem vis reprobas atque damnas. Etiam si innocentem damnaret, quis eum argueret, cum voluntas eius in talibus sit domina rationis, auctrix iustitiæ, & regula æquitatis, sicut patet ex 20° & 21° & 39° primi? Quod & in parte Nabuchodonosor ille C
Daniel. Magnus expertus testatur, de quo Dan. 4. scribitur isto modo; Sermo completus est super Nabuchodonosor & ex omnibus abiectus est, & fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem Aquilarum crescerent, & vngues eius quasi vngues auium. Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui & glorificaui, quia potestas eius potestas sempiterna, & regnum eius in generatione & generationem, & omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt. Iuxta enim voluntatem suam facit tam in virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ, & non est
Iob. qui resistat manui eius, & dicat ei, Quare fecisti? Quare & Iob, licet sanctissimus, dicit ita, Vestigia eius secutus est pes meus; Viam eius custodiui, & non declinaui ex ea; à mandatis labiorum eius non recessi, & in sinu meo abscondi verba oris eius: Ipse enim solus est, & nemo aduertere potest cogitationem eius; & Anima eius quodcunque voluit, hoc fecit, & cum expleuerit in me voluntatem suam, & alia multa similia præsto sunt ei; & idcirco à facie eius D
Gregorius. turbatus sum, & considerans cum timore sollicitor: Iob. 23. super quod beatus Gregorius 16. Moral. 15. ita scribit; Ac si à parte dicat, iam perpendo quæ patior, sed adhuc formido quæ pati possum: Explet enim in me voluntatem suam, quia multis me percussionibus affligit, sed multa similia præsto sunt ei, quia si ferire cogitat, adhuc inuenitur vbi plaga crescat. Hinc itaque pensandum est quam pauidus ante flagellum fuit, qui etiam percussus adhuc metuit ne feriatur. Incomprehensibilem quippe vim ei inesse considerans & potestatis & examinis, esse vir iustus noluit nec de flagello securus; vnde adhuc metuens adiungit, Et idcirco à facie eius turbatus sum, & considerans eum, timore sollicitor. Bene à facie Domini turbatur, qui terrorem maiestatis illius cordis sui obtutibus proponit, & eius rectitudinis pauore concutitur, dum se reddendis rationibus conspicit idoneum non esse, si districtè iudicetur. Rectè autem dicitur, & considerans eum, timore sollicitor, quia diuinæ animaduersionis vim cum minime quisque considerat, minime formidat, & tanto magis in hac vita quasi securus est, E
quanto à consideratione internæ districtionis alienus: semper etenim iusti viri ad cordis secretarium redeunt, vim occultæ districtionis intuentur, maiestatis intimæ iudicio assistunt, vt eo magis quandoque securi sint, quo hic quamdiu viuerent, securi esse voluerunt. Sed ecce,
|| sancto de || *beato* Iob nouimus quod omnibus sanctitatis operibus deditus fuit, & tamen tot flagella suscipit, nec etiam securus inter flagella existit, sed adhuc metuit, adhuc diuinæ districtionis vim considerans contremiscit. Quid nos itaque miseri, quid peccatores dicimus, si sic timet, qui sic egit? Vnde & Augustinus super Psalmum 70^{um} tractatu primo; Multum, in-
Augustinus.
quit,

A quit, mouet Dei amor & timor: timor, quia iustus est: amor, quia misericors est. Quis enim ei diceret, quid fecisti, si damnaret iustum? Quanta ergo misericordia eius || *vt* iustificet iniustum? Quis talem ac tantum Dominum non timebit? Et quis non tanto timore compunctus, offensam eius vitare, & ipsum placare curabit, & sic mala omnia fugiendo, ac bona omnia persequendo, ipsum tandem super omnia totis viribus non amabit? Amor namque ad bonum extenditur, & quanto fuerit maius bonum, tanto magis amandum. Tu autem Domine Deus meus es omnis boni bonum, super omnia bona bonus, bonum infinitissimè infinitum, sicut suppositio prima monstrat: quantum ergo rationabiliter debeo te amare? Nunquid proportionabiliter infinitè? Vtinam ita possem. Sed quomodo ego tam paruulus & finitus possum te diligere infinitè? Et quomodo aliter seruabitur proportio debita amabilium & amorum? Tu enim superamabilis

|| si

B Deus meus excedis amabilia cætera infinitè. Quomodo etiam si te infinitum bonum finitè diligerem, non possem diligere congruè aliquod bonum finitum æqualiter, aliquod verò magis? Aut forsan Domine debeo te diligere infinitè quantum ad modum, & si fortassis non quantum ad actum. Quantum enim ad modum pertinet diligendi, debeo diligere te finaliter propter te, & nullum aliud bonum finaliter propter se, sed propter te Domine summum bonum, qui cunctorum bonorum principium es & finis. Aut forte te diligam quodammodo infinitè, quantum ad actum tam intensiuè quàm extensiuè. Intensiuè quodammodo, quia quantocunque bono finito intensiùs, firmiùs & fortiùs si te & illud congrue diligam, cum illud non nisi propter te diligam: semper enim propter quod vnum quodque illud magis est, vt propter quod amamus, illud amicum magis est. Extensiuè quodammodo, comparando videlicet te Domine, summum bonum, ad alia bona quæcunque quantumlibet multa & magna, & te Domine præ omnibus & su-

C per omnia diligendo, dum vellem potius omnia illa etiam & me ipsum non esse, quam te solum; siue dum mallem omnia illa insuper & meipsum non esse, quàm te semel offendere bone Deus. Sed adhuc, amantissime Domine, quandam aliam proportionalitatem amorum & || *amicitiarum* considerans, valde sollicitor, & conturbor. Si enim verum est quod quidam ait, Analogum in omnibus secundum superabundantiam existentibus amicitijs & amationem fieri oportet, puta meliorem magis amari, quam amare, & vtiliorem, & aliorum vnumquodque similiter: cum enim secundum dignitatem amatio fiat, tunc fit aliqualiter æqualitas, quod vtique amicitiæ esse videtur: quanto tu es melior me, & vtilior mihi quam ego tibi, tanto magis debeo amare te quàm tu amas me. Sed nunquid hoc possum? Quantum quæso amas me Domine? Nunquid exiliter & remisse, sicut exiliter & remisse sum bonus? Absit hoc à te Domine summè bone. Non enim esses summe bonus, nisi in qualibet bonitate quam habes esses sum-

|| amabilium.

D mus summe bonus, & summe perfectus, sicut & me superius docuisti. Non est ergo amor tuus, quo amatorem & amicum tuum, licet indignum, amas, exilis aut tenuis, frigidus aut remissus, sed perfectissimus atque summus: Alias quoque bonitate amati & amici tui crescente posses amorem tuum intendere, in amore proficere & mutari, cuius oppositum in præcedentibus ostendisti quinto & vicesimo tertio primi. Quomodo ergo tantum amabo te, quantum tu amas me? Imo quomodo tantum plus amabo te, quam tu amas me, quantum tu es melior me? An fortè, quia debeo amare te infinitè quodammodo quantum ad modum amandi, & quantum ad actum amoris tam intensiuè quàm extensiuè modis prædictis, tu vero non sic amas me, quia non sum sic amandus? Debeo namque amare te finaliter propter te, & omnia alia propter te, tu autem non amas me propter me, nec cætera propter me, sed me & alia propter te, sicut nec aliter || *sunt* amanda. Debeo etiam amare te infinite quodammodo intensiue, supra videlicet quodcunque bonum finitum, tu autem non sic amas me. Debeo quoque amare te, Domi-

|| sumus

E ne, summum bonum, infinite quodammodo extensiue, volendo scilicet potiùs quotcunque & quantacunque bona alia, etiam & meipsum non esse quam te, vel quàm te semel offendere, tu vero non sic amas me, quia non debeo sic amari. Scio tamen quod modo quodam ineffabili mihi || *muto* incomparabiliter magis amas tuos amicos, quam ameris ab eis, sicut & incomparabiliter melior es & maior: Sic enim tuus amor omnis creaturæ amorem, sicut & tua quælibet bonitas omnis creaturæ quàlibet bonitatē transcendit incomparabiliter infinitè. O magne Domine, magnum bonum, qui imples cœlum & terram, imo quem cœlum, & cœli cœlorum non capiunt, sicut 2. & 5. primi mihi pusillo ostendere dignabaris! Cur paruulam animam meam non reples? O anima, quàm pusilla, tam misera,

|| ignoto.

|| tantæ bonitatis

quæ || *tanti boni* amore pleniſſimè non repleris; cur non omnia oſtiola aperis? cur non om- A
nes ſinus expandis? cur non omnem capacitatem extendis, vt tanti amoris dulcore tantilla
totaliter occuperis, totaliter ſatieris, & totaliter deebrieris? præſertim cum tu quantum libet
paruula, minoris boni amore non valeas ſatiari, quod videtur mirabile; Sed adhuc mirabi-
lior Deus meus; Dic ergo quæſo ſuppliciter, vt ſic fiat amabiliſſime Deus meus, & procul-
dubio ita fiet. Quid etiam efficacius ad amorem, quam præuenire amando? Tu autem
amantiſſime, vtinam, amatiſſime Domine, me miſerum non amantem, ſed inimicantem
præueniſti amando, reconciliando, præclaræ charitatis iocalia magnificè largiendo, ſicut ex
multis præmiſſorum oſtendis. Quid inſuper amabilius multipliciter miſero, quàm multiplex
miſericordia, aut multiplicior miſericordia, ſine fine, numero, pondere, vel menſura? Tu
autem Domine, ſicut ex primo primi oſtendis, quia infinitè & ſummè bonus, ideo conſequen- B
ter & infinitè & ſummè miſericors, ita quod nihil miſericordius poſſet eſſe, aut etiam cogitari.
Tu miſericordiſsime Domine, me ingratiſsimum ſeruum tuum, nedum debitum tibi ſerui-
tium ſubtrahentem, ſed multipliciter rebellantem, nequaquam à protectione tua pijſſima
ſecluſiſti; ſed à leonibus rugientibus, à dæmonibus frendentibus, ne me deuoratum ad in-
ferna detraherent, miſericorditer defendiſti; ſicut ex 22°. primi; & 32°. ſecundi & alijs piè
doces; & quod non computo pro minori à tot peccatis maioribus & minoribus miſericor-
diter præſeruaſti, quot alias potui incurriſſe, ſicut ex quarto huius oſtendis. Quinimo &
quod videtur miſericordiæ incomparabiliter amplioris, me nedum nihil boni merentem, ſed
ſcelera ſceleribus cumulando, te tante Domine tam multipliciter continuè offendentem, tua
gratuita gratia miſericorditer præueniſti, omnes infirmitates meas ſanaſti, & ſanum iam fa-
ctum, ad omnia ſana & ſancta quæ feci, de virtute in virtutem prouehens ſublimaſti, ſanum
& ſaluum ab omnibus inimicis, & infirmitatibus animæ, donec te ſuperbè deſererem, cuſtodi-
ſti, ſicut ex trigeſimo quinto primi cum ſequentibus, & ex quinto huius cum trigeſimo eius, & C
proximo reuelaſti. Quin etiam & ſi poſt gratiæ tantæ munus, poſt amicitiæ tantæ fœdus, te
contumaciter deſerens, quantumcunque ingratus efficiar & indignus, quantumcunque te
Domine irrideam & contemnam, ab inimicis defendis, à peccatis præſeruas, ſicut ſupe-
rius docuiſti, & quando miſericordiæ tuæ placet, me nedum immeritum, verum & ma-
lis meritis deditum, gratia tua gratuita præuenis & reducis, nec de ignominijs retroa-
ctis improperas, neque ad amicitiæ tuæ gradum inferiorem, ſed ad æqualem vel excellen-
tiorem reſtituis miſericordiſſime Deus meus; ſicque me diligenter cuſtodis, foues, & nutris,
protegis, & prouehis continuè ad maiora, donec fortaſsis iterato ſuperbiens, te relin-
quam, ſicut per præhabita cum quadrageſimo tertio primi doces, pijſsime Deus meus.
Sicque toties quoties à te receſſero quantumcunque in regionem longinquam, etiam ad ex-
tremum deſerti, profundumue maris; Imò etſi ad portas inferi inferioris abiero, præſto
eſt tua miſericordia miſerum reductura: Alias enim eſſes miſericordiæ numerabilis & fini- D
tæ, cuius contrarium ſuperius demonſtraſti. Et ſuper bona hæc omnia memorata, bo-
num conſummatiuum, & coronatiuum cunctorum, ſine quo nec cætera proderunt, non
propter exigentiam meritorum, ſed ex gratia tua gratuita, ſcilicet finalem perſeueranti-
am mihi donas, ſicut per decimum quartum huius monſtras; Et ſic tandem vitam ſempi-
ternam, gloriam, & teipſum. Miſericordia enim miſerationibuſque coronas, & gratia
tua vita æterna. Tu meritorum noſtrorum tibi placentium operator, remunerator, & mer-
ces; qui tamen ſi velles computare diſtrictè nobiſcum, nihil boni penitus mereremur, ſicut
à te didici trigeſimo nono primi: Non eſt ergo volentis, nec currentis, ſed tui, Domine,
ſuperabundantiſsimè miſerentis. Vt autem non ſolum bona maiora, ſed & minora con-
ſiderem, puta bona naturæ & fortunæ, ſicut vulgariter nuncupantur, bona interiora &
exteriora: interiora, mentis & corporis; mentis ingenioſitatem, virtutes morales &
intellectuales; corporis ſanitatem, fortitudinem, pulchritudinem, virtuteſque cæteras E
corporales: exteriora; nobilitatem, diuitias, victorias, famam, gloriam, & honorem, &
quæcunque ſunt alia, infallibiliter video omnia bona iſta eſſe gratuita dona tua; ſicut per
vigeſimum ſeptimũ primi, & ſequentia tua gratuita gratia me docebas. Sunt autem & alia bo-
na multa & magna, quæ pauci conſiderant, vel aduertunt; priuationes videlicet cunctorum
malorum, quæ quis non habet? quod ſcilicet non es amens nec fatuus, non es leproſus nec
cæcus, non es infamis in populo, nec opprobrium hominum, nec plebis abiectio & deri-
ſus, non es in factis tuis clericus vel laicus deficiendo confuſus, non es ignominioſè deui-
ctus, nec vili ſeruituti addictus, non es inedia maceratus, non es à latronibus ſpoliatus
nec mactatus, non es à beſtia deuoratus, non es in mari ſubmerſus, non in patibulo es ſuſ-
penſus, nec aliqua turpiori & acerbiori morte conſumptus: Et à quo quæſo, Domine, hæc
bona

A bona quamplurima, quia multitudine infinita; & maxima, quia & magnitudine infinita, vel quasi inutili seruo tuo, nisi à te multiplicissimè summe, & infinitissimè bone Deus, sicut ex 13. & 22. primi, ac 32 huius benignus ostendere voluisti? Vnde & quadā quæstiūcula animū meū pulsas; Nunquid viz. magis tibi, bone Domine, tenear ad amorem pro bonis positiuis creatis, quæ te donāte accepi, an pro bonis priuatiuis prædictis, sc. exclusiuis malorū, quæ etiā nisi te donāte, non valebā accipere, nec habere, cū illa, sicut videtur, tā multitudine quā magnitudine sint finita, hæc autē tā multitudine quā magnitudine infinita, vel saltē plura atq; maiora? Sed quis me redarguet, si quæstiunculā istā bonā transiliens, te, Domine, summū bonū quæram, inueniam, ac teneam, nec dimittam? Scio enim, & ista vice sufficiat mihi scire, quod tam propter hæc bona tua quam illa, amori tuo tenear multum valde, sed propter teipsum summum bonum incomparabiliter amplius supra modum. Alia quoque quæstione me moues; nunquid videlicet præseruatus misericorditer à peccato, magis teneatur tuo amori, quam B lapsus & resuscitatus misericorditer à peccato? Sed istam quæstionem ad præsens mihi similiter relinquenti, da vt faciem tuam quęram, inueniam, & videam iugiter atque fruar. His ergo & huiusmodi quæstionibus nunc relictis, quis tam bonum Dominum, & tanta beneficia eius considerans, non totus dilectione succenditur, non totus deuotione suspenditur, non totus conuertitur in amorem? Sed video, Domine, quod facile est hæc dicere, & depingere in membrana, difficile forsitan facere & perficere in effectu. Tu ergo, optime, & ideo potentissime Domine, cui nihil difficile, da quæso vt facilius ista faciam corde meo, quàm proferam ore meo: Aperi, || *supplice*, munificentissimam manum tuam, & præsta, vt nihil mihi facilius, nihil dulcius, nihil delectabilius, quam ista effectuosissimè & affectuosissimè adimplere. Tu autem amantissime Domine, qui diligentes te diligis, & præuenis diligendo, atque incomparabiliter magis nos amas, quam reamaris à nobis, quem tanti amoris charismate, tantæ amicitiæ fœdere non erigis ad sperandum in te? ad confidendum de te? imò ad supersperandum & fiducialiter præsumendum? Tu siquidem Domine tam infinite bonus & misericors es, quod nihil melius aut misericordius possit esse, aut etiam cogitari, sicut superius misericorditer ostendisti; & quantum es bonus & misericors, tantum pius & clemens, diues & potens, magnificus, liberalis, & virtutibus omnibus gratiosus; sicut ex illa prima prætiosissima & verissima suppositione tua verissimè manifestas. Quid ergo negare poteris amico tuo egenti, auxilium tuum suppliciter mendicanti? Permitte me, quæso, iam super speratione concepta paulisper præsumere, & cum tua bonitate magnifica disputare, vt sic altius adhuc sperem, ampliusque confidam. Non est, inquam, humanæ amicitiæ, amicum egentem, mendicantem, & erubescentem repellere, & confundere faciem eius magis, præsertim si facultas affuerit copiosa; quanto magis tam horribile vitium à tua amicitia longe abest? Ostendisti quoque mihi superius, me non posse quicquam boni cogitare vel petere, nisi te operante, & antecedenter operante hoc in me: qui ergo plantas initium, da medium, dona finem: qui facis me pe-

|| quæso

D tere, fac consequi, & tenere: qui das non petentibus multa bona, quomodo petentibus nihil dabis? Qui inimicos tuos, etiam dæmones impiè petentes exaudis, quomodo amicos tuos & filios piè petentes repellis? Nec potes qualemcunque inopiam allegare, sicut prædicta suppositio clare docet. Obijcis forsan mihi, quod non mereor adiuuari. O liberalissime Domine, si nullum adiuueris, nisi adiuuari meruerit, non das adiutorium tuum gratis, sed vendis: quæ ergo laus tua? Vbi est liberalitas tua magna? Adhuc forsan replicas, quod non solum non mereor, sed demereor abundanter. O misericors Domine, abundantior est misericordia tua magna. Totum namque meum peccatum, etiam omnium hominum est finitum; posset enim augeri: tua autem misericordia infinita, quæ augeri non potest. Nonne etiam misericordius atque liberalius est benefacere inimico egenti, & alias perituro, inimicanti continue, quàm amico bene merenti? Quid misericordius aut liberalius, quàm nullo modo præuentus inimicum inimicantem continue ad amicitiam gratis conuertere, omnem inimicitiam E & iniuriam gratis remittere, & gratis ei conferre beneficia copiosa? Tua autem misericordia & liberalitas est tam magna, quod maior esse non posset, nec etiam cogitari. Et quid proportionalius & congruentius tantæ misericordiæ, liberalitatiq; tantæ, quā tantā miseriā gratuito fœlicitare, & tantā egestatē gratis ditare; vel siquid misericordius & liberalius inuenitur, quis alius autor eius putabitur, quam tu misericordissime & liberalissime Deus meus? Qui ergo das maius, quomodo minus negabis? Si autem adhuc mihi opponas quantācunq; meā miseriam; fateor, & ideo confidēter accedo ad tuam misericordiā sine cōparatione maiorē. Vbi namq; monstratur tua misericordia, nisi in reuelata miseria? Et vbi tua magna misericordia, nisi in magna miseria reuelata? Nonne etiam, Domine, ostendisti mihi superius, vbi ad amorē tuū me paululū excitasti, quod gratia tua gratuita gratis præuenis peccatores, ingratos gratis gra-

tificas, & gratificatos gratis conseruas? Quis ergo peccator in te, Domine, non sperabit? A
Scio tamen, Domine, scio, & non sine dolore scio, aut refero, quod istis nequaquam obstantibus, sunt quidam, puta Pelagiani superbi, qui mallent sperare in hominibus, scilicet in seipsis: Dicunt enim, Si Deus nos & opera nostra gratis prædestinat, & sicut voluerit administrat; ita quod nihil sine eo operante & || *præparante* possimus; potest & nos similiter reprobare, opera bona non dare, vel data auferre; in mala opera præcipitare, & præcipitatos ligare: Quis ergo potest esse securus? quis certè sperabit, & non potiùs desperabit? Sed si prædestinatio & reprobatio ex nostro penderet arbitrio, & nos soli essemus liberi Domini nostrorum actuum sine Deo, possemus esse securi, bene esset nobis, tunc tutè possemus confidere & sperare. O vani filij hominum, mendaces filij hominum, in stateris fallaciter ponderantes! quare non vultis sperare in illo qui est summè bonus, summè misericors, summè propitius, & in charismatibus omnibus gratiarum inæstimabiliter copiosus, sed in || *vobis* ipsis multipliciter miseris & malignis, in bonisque omnibus defectiuis? quare non vultis sperare in eius fælici regimine, qui errare non potest, sed in vobis ipsis, qui sicut ouis quæ perijt, sępius aberratis? quare non vultis sperare in eius potenti iuuamine, cuius potentię non est finis, quem vincere nihil potest, cui resistere nihil potest, sed in vobis ipsis fragilibus, & infirmis, & quasi nihilum & inane? Caueatis quæso, maledictionem propheticam, imò maledictionem dominicam per Prophetam: Hæc enim dicit Dominus; Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius, Ierem. 17. Aduertatis etiam, supplico, quid vnus sperans in Domino, nec fraudatus in materia ista, dicat, Ego, inquit, nolo exaggerare verbis meis, sed in illis potius cogitandum relinquo vt videant quale sit quod sibi persuaserunt, prædicatione prædestinationis plus desperationis audientibus quàm exhortationis afferri; hoc est dicere, tunc de sua salute hominem desperare, quando spem suam non in seipso, sed in Deo didicerit ponere; cum Propheta clamet, Maledictus homo qui spem habet in homine. Augustinus de bono perseuerantiæ quinquagesimo secundo. Et infra 64. agens contra eos qui dicunt prædicationem de prædestinatione facere homines desperare; Absit, inquit, à vobis, ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere iubemini, non in vobis: Maledictus enim omnis qui spem habet in homine, quia beati omnes qui confidunt in eo. Et 65. Cur metuimus sanctorum prædestinationem & veram Dei gratiam, id est, quæ non secundùm merita nostra datur, sicut etiam sancta Scriptura, prædicare? An verò timendum est, ne tunc de se homo desperet, quando spes eius ponenda demonstatur in Deo? non autem desperaret, si eam in seipso superbissimus & infidelissimus poneret. Et 69. Sicut cætera prædicanda sunt, vt qui ea prædicat obedienter audiatur: Ita prædestinatio prædicanda est, vt qui obedienter hoc audit, non in homine, ac per hoc nec in seipso, sed in Domino glorietur, quia & hoc præceptum Dei est, & hoc præceptum obedienter audire, vt qui gloriatur, in Domino glorietur, similiter vt cætera, Dei donum est: quod donum qui non habet non dubito dicere, alia quæcunque habet, inaniter habet. Hæc Pelagiani optamus vt habeant. Idem de prædestinatione Sanctorum 13. Cum Apostolus dicat, Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio, miror homines infirmitati suæ se malle committere, quàm firmitati promissionis Dei. Sed incerta est mihi, inquis, de meipso voluntas Dei. Quid ergo? tua ne tibi voluntas de teipso certa est? Non times? Qui videtur stare, videat ne cadat; cùm igitur vtraque incerta sit, cur non homo firmiori potius quàm infirmiori fidem suam, spem & charitatem committit? Qui & 2. contra Iulianum 17. agens contra Pelagianos dicentes homines prouocari ad virtutem, cùm prædicatur eis se posse virtute propria facere facta sua, sed cùm prædicatur eis se nihil posse facere sine misericordia Dei, auxilio eius & gratia, desperatione deijci atque frangi, sic ait; Quantum sancti de misericordia Dei, quæ magna est, tantum vos de vestra, quæ nulla est, virtute præsumitis: & quantum ipsi aduersus ingenerata vitia bella gerunt adiuti per Dei gratiam, tantum vos bellum geritis aduersus ipsam Dei gratiam: sed itane in corde vestro dicere audetis, quod cùm vos audiunt, accenduntur homines ad virtutem, cùm autem istos audiunt tantos ac tales viros, Cyprianum, Hilarium, Gregorium, Ambrosium, cæterosque Domini sacerdotes, desperatione franguntur, ac renuntiant studijs perfectionis? Hæccine monstra cogitationum ascendunt in in cor vestrum, & non elidunt frontem vestram? Vos etiam Pelagiani qui videmini vobis subtiles, quomodo non videtis, si per argutiam vestram præmissam prædestinatio, & cooperatio Dei tollatur, etiam eius præscientiam similiter posse tolli? aut si hæc non tollatur, nec illa? Speretis vos, vt vultis; sed vtinam [speretis] in Domino; mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam: Psalmo 72, Benedictus enim vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius, Ierem. 17. Quare & Augustinus super Psalmum

|| præoparante

Ratio sumpta ex bonitate Dei.

|| nobis

Ratio sumpta ex sapientia Dei.

Ratio sumpta ex potentia Dei.

Ieremias.

Augustinus

Augustinus.

Ieremias.

Augustinus.

A mum 70^{um} tractatu primo, Tota, inquit, spes nostra in Deo sit, nihilque de bonis tanquam
de nostris viribus præsumamus, ne nostrum facientes quod ab illo est, & quod accepimus a-
mittamus: quibus & tota Scriptura sacra concordat, cum omnibus tractatoribus eius sacris,
sicut & tricesimum secundum primi, de timore, amore atque spe licet breuiter suadebat. Et
quis perfecte confidens in tali tantoque Domino, sine cuius voluntate semper optima, sapi-
entissima, iustissima, & misericordissima, nec vnquam errante, nihil aduersi potest accidere,
non ad perfectam patientiam in aduersis omnibus confortetur, sicut tricesimo secundo primi
breuiter tangebatur? Quis etiam diligens plenè Deum, & proximum, aduertens quod dili-
gentibus Deum omnia cooperantur in bonum, & quod Deus omnia ordinat propter electos
& propter seipsum, sicut ex 39. & 32. & alijs primi patet, aduersa quæcunque non æquanimi-
ter tolerabit, imò & gaudenter atque hilariter sustinebit, ac vehementer sitiet aduersariam
passionem, sicut de Apostolis legitur, & alijs sanctis multis? Quis insuper peccator, vel alius,
B si quis tamen alium se præsumat confidens in Deo iustissimo & pijssimo, quod omnis aduersi-
tas || *immittitur* ab eo, vel ad punitionem peccati, vt si sufficiat, statim post vitam præsentem || immittatur ei ab
aduolet ad æternam, vel si minus sufficiat, saltem proportionaliter minus, vel forsan incom-
parabiliter quasi minus in Purgatorio puniatur, præsertim si consideret, quod secundum præ-
missa tricesimo nono primi, quæcunque aduersitas siue pœna immissa ei à Deo sit minor quo-
dammodo infinitè, quam peccatum eius requirat, si cum eo remotâ misericordiâ ageretur, vel
ad materiam, & cumulum meriti dum sustinet patienter? Quis enim coronabitur gloria, nisi
gloriose certauerit? Et quis gloriose certabit, vbi defuerit concertator? Affert ergo Deus ho-
mini aduersarium certatorem, vt habeat cum quo certare legitimè, sicque victoriosi certami-
nis merito coronetur, sicut ex tricesimo primo & tricesimo secundo primi apparet, præsertim
si secundum præmissa tricesimo nono primi aduertat, quod Passiones huius temporis & me-
rita patientiæ quantacunque non sunt condigna, imò quasi nihilum & inane ad futuram mer-
C cedem & gloriam pro istis liberaliter compensandam, vel tam ad punitionem peccati, quam
etiam ad augmentum meriti sui non minus, sicut ex tricesimo nono, & quadragesimo tertio
primi patet? Quis, inquam, sic confidens in Deo, non patientissimè, libentissimè, & gauden-
tissimè aduersa omnia sustinebit? Amplius autem quis ista debite ponderans, inimicos & ini-
micitias exercentes non solum non odiet, sed diliget? Non solum non maledicet, sed è con-
trario benedicet? Non solum non respuet, sed amplexando suscipiet, sicut Dei ministros &
suos beneficos adiutores? Præstat enim Deus per ipsos, ipsique præstant materiam, quæ de-
fuit, exercendæ virtutis gloriosissimi meriti & præmij consequendi. Quare & Senacherib
vastator Israelitici populi, vocatur virga, & baculus, securis, & serra in manu Dei: & Nabu-
chodonosor depopulator eiusdem sæuissimus, seruus Dei, sicut ex tricesimo secundo primi
apparet. Quapropter & Abishai volenti occidisse Shimæi maledicentem Dauidi, & mitten-
tem lapides contra eum, sanctus Dauid respondit, Dimitte eum, vt maledicat iuxta præcep-
D tum Domini: Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauidi; & quis est qui audet dicere,
quare sic fecerit? Dimitte eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini, si forte respiciat Do-
minus afflictionem, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna, 2. Reg. 16. Bea- *Regum.*
tus quoque Gregorius homilia 35. super Euangelia, tractans illud Lucæ 21. In patientia ve- *Gregorius.*
stra possidebitis animas vestras, refert quod quidam Stephanus Pater cuiusdam monasterij,
valde sanctus, patientiæ virtute singularis, in quo virtus patientiæ ita vehementer excreuerat,
vt eum sibi amicum crederet, qui sibi molestiæ aliquid irrogasset, reddat contumelijs gratias,
& si quid in ipsa sua inopia ei damnum fuisset illatum, hoc maximum lucrum putabat. Et
quis tanta patientia præditus humilitate carebit? Quis etiam discretè considerans, quod nihil
boni penitus per se potest sine Deo illud specialiter operante, nec adhuc cum Deo anteceden-
ter sed subseruienter, velut in manu artificis instrumentum, & hoc tam in consensu libero vt
sub & cum tali artifice operetur, quam in alijs eius motibus & quietibus vniuersis, vt 20. 30.
E & 32. huius ostendunt, non ad humilitatem infimam faciliter inclinetur, sicut vicesimo tertio
& tricesimo huius patet? Quare duorum vasorum æqualium aut inæqualium quantum voles
in nobilitate materiæ suæ & formæ, si in vnum liquor pretiosissimus infundatur, altero vacuo
remanente, istud superbiat, & super aliud inaniter se extollat? Eadem & non irrationabili ra-
tione etiam vas ignobilius quantumcunque liquorem talem recipiens, simili modo posset?
nobilius autem vas, si liquor huiusmodi in ipsum specialiter infundatur, posset forsitan super-
bire credendo ipsum propter sui nobilitatem ad tale officium præassumi. Sed nonne in vas
vilius posset iste liquor infundi? Cur etiam de nobilitate tua, tu vas nobile inaniter gloriaris?
Vnde tibi tua nobilitas? Non à te; constat. Nonne potuit Plastes tuus ad vsum vilissimum
te plasmasse? Duarum quoq; tubarum æqualium vel inæqualium modo dicto, si nobilis tu-
bicen

bicen vnâ canat solenniter, altera muta manente, cur ista superbiat & super aliam se extollat, A
pensatis causis præmissis? Duorum insuper calamorum, seu duarum pennarum æqualium vel inæqualium quantumlibet modis prædictis, si scriptor subtilis vno vel vna scribat subtiliter, altero seu altera quiescente, quæ superbiendi materia, & inaniter gloriandi, omnibus vt præmittitur debite ponderatis? Veraciter sic videtur mihi adhuc misero peccatori, Si Deus dignetur infundere aliquem habitum seu actum mihi ignobili vasi suo præ quibusdam alijs mihi æqualibus aut interioribus, si qui sunt tales, vel superioribus (frequenter enim contingit quod vasis inferioribus, & simplicioribus plus infunditur de liquore) Similiter etiam sentio, si cor meum eructet aliquod verbum bonum, imò non cor meum, sed si spiritus Patris nostri per me organum suum loquatur aliquod verbum bonum; aut si summus scriba digito dextræ suæ per me calamum suum aliquod verum scribat. Quis etiam non humilimè & abiectisimè sentiat de seipso, si prudenter aduertat, quàm pauper & miserabilis fuerit ex seipso, & quod præcipua bona, quæ habet, non ex præcedentibus suis meritis, habet, B
sed ex gratuito dono Dei, quod etiam nec bona sua iam habita, imò nec minimũ bonum suum sufficit conseruare, sed Deus continuè ea seruat; quod etiam nullum malum animæ vel corporis intrinsecum vel extrinsecum potest per se vitare, sed per Dei auxilium speciale? Quam ergo miserabilis, fætidus & abiectus fuisset omnibus miserijs & fętoribus mentis & corporis, interius & exterius totus plenus, nisi Deus eum misericorditer præseruasset, sicut præmissa testantur, quæ alliciunt ad amorem! Quare & quidam multum ‖ *humilis* ‖ *humiliter* multum scribit; Felix est cui ostendit Deus misericordiam suam; ipse est qui superbire non potest, cui Deus ostendit misericordiam suam; Ostendendo enim illi misericordiam suam, persuadet illi, quia quicquid boni habet ipse homo, non habet nisi ab illo, qui omne bonu nostrũ est; & cum viderit quicquid boni habet non se habere à se, sed à Deo suo; videt quia totum, quod in illo laudatur, de misericordia Dei est, non de meritis ipsius, & videndo ista non superbit, non superbiendo non extollitur, non se extollendo non cadit, non cadendo stat, stando inhæret, in- C
hærendo manet, manendo perfruitur, & lætatur in Domino Deo suo: erunt illi delicię ipsæ, qui fecit eum, & delicias ipsas nemo corrumpit, nemo interpolat, nemo aufert. Quis etiam ista humilitate infima radicatus, verè perpendens se nihil boni à se habere, aut per se posse ‖ *perquirere*, vel acquisitum seruare, nec vllum malum vitare, nequaquam deuota & continua orationis instantia ad illum se semper conuertit, qui supra mensuram est diues & potens, & liberalis & clemens, sicut testantur præmissa ad amorem & confidentiam inductiua, instantissimè deprecando vt noxia cuncta submoueat, & omnia profutura concedat? Quis non vijs & modis omnibus eius promerebitur voluntatem? Sed licet Pater infinitè magnificus, & super effluentissimè liberalis, nolit vendere, sed dare liberalissimè suis filijs data bona; non vult tamen eos torpere ignauiâ, acediâue marcere, verum per preces & alia merita probitatis pertingere strenuè ad coronam, sicut patet ex vigesimo tertio, & D
trigesimo nono primi. Dominum autem dare coronam militibus sus dignificatis per præces, & alia merita probitatis est multum liberaliùs, quàm ipsos indignos sine meritis coronare; Nonne liberalius est dare multiplicia dona quàm simpla? quibusdam autem filijs suis dat quasi vnicum, simplex munus, paruulis scilicet baptizatis gloriam sempiternam: Quibusdam verò, quos voluit spectabiliori dare honori & gloriosiori coronæ, alia munera præuia liberaliter destinauit; accinxit eos liberaliter cingulo militari, dedit eis liberaliter certamina fortia, gloriosas victorias, & quàm multiplicia opera probitatis, quibus nec minus liberaliter adhuc dedit vt ipsummet insuper in bello patronum haberent, à quo omnia alia habuerunt, eiusque nomen, quod est omnipotens, continuè acclamarent, saltem in corde & opportunis temporibus ore fiducialiter resonarent: Turris enim fortissima nomen Domini, ad ipsam currit iustus deuotius inuocando, & exaltabitur triumphãdo: Et quis ignorat omnes præces & merita vniuersa esse specialia dona Dei, sicut quamplura loca primi & secundi lucidè manifestant? Quare & Dominus ipse dicit, Ef- E
fundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem spiritũ gratiæ, & præcũ Zach. 12. hæc autem omnia Deus dat suis, non propter sui vtilitatem aliquam, sed ipsorum. Nonne ergo maior liberalitas hic quam ibi, præsertim cùm Dominus non det coronam vitæ suis militibus propter merita eorum priora, tanquam propter aliquam vtilitatem sibi allatam, aut propter aliquam causam antecedenter mouentem voluntatem ipsius, sed merita propter coronam, & tam merita quam coronam secundum suam liberalisimam & gratuitam voluntatem, sicut patet ex 35. & 39. primi? Et quis tot & tanta, ac tam grata beneficia positiua & priuatiua grate considerans, non facile prouocatur, imò non quadam grata & spontanea violentia, gratis trahitur & vrgetur ad gratias omnimodas rependendas, & gratiarum gratisimas

Margin: ‖ humiliter ‖ humilis — *Augustinus super illud Psalmi 84. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, &c.* — ‖ acquirere — *Parabol. 18.* — *Zacharias.*

A gratissimas actiones ad semper Deo gratias decantandum? Quicquid enim boni habemus aut possumus, quicquid mali non habemus, nec facimus, totũ est gratuitum donum tuum, gratissima gratia, & Autor gratiæ Deus meus. Quinimo & quia tibi magno hæc parua videntur, insuper & teipsum das nobis: Dedisti enim te nobis nondum existentibus prouisorẽ, prædestinatorem, electorem, & tandem factorem: Das quoque te nobis iam per te existentibus continuissimum seruatorem, magnificentissimum promotorem, promptissimum adiutorem, & pijssimum in omnibus protectorem. Quid ergo retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi gratis? quas gratias referam tot & tantarum gratiarum gratuito largitori? Retributio namque grata aliquid proportionale requirit, sicut tam per rationem naturalem, quàm per morales Philosophos tu Domine gratis doces; quid ergo bonis tuis de bonis meis tibi retribuã, cùm nihil boni habeam, habereuè valeam, nisi de gratuito dono tuo? nec etiam sic das mihi a-
B lia dona tua, vt ita sint mea, quod desinant esse tua; Ego namque totus magis sum tuus, quàm meus; imò sum tuus, non meus; & omnia mea magis sunt tua quã mea, imò sunt tua non mea. Quid ergo tibi retribuam, Deus meus? imò Domine, pro bonis tuis, tibi retribuam bona tua, & idem bonum quodammodo pro seipso. Quare & quidem filius tuus gratus gratiæ tuæ muneribus sublimatus gratias referens gratè dicit, Benedictus es Dominus Deus Israel Patris nostri ab æterno in æternum; Tua est Domine magnificentia & potestas, & gloria, atq; victoria, & tibi laus: Cuncta enim quæ in cœlo sunt, & in terra, tua sunt. Tuum Domine regnum, & tu es super omnes Principes: Tuæ diuitiæ, & tua est gloria; tu dominaris omnium; in manu tua virtus & potentia; in manu tua magnitudo & imperium omnium. Nunc igitur Deus noster confitemur tibi, & laudamus nomen tuum inclytum. Quis ego, & quis populus meus, vt possimus tibi hæc vniuersa promittere? tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Tu enim, Domine Deus meus, qui bonorum nostrorum non eges, nequaquam sic retri-
C butionem requiris vt ditior inde fias, sed vt per eandem retributionem nos efficias ditiores, & te & tua amplius nobis dones. Sed adhuc, Domine, proportionalitatem præmissam beneficij & retributionis considerans, || *multipliciter* distrahor & conturbor: Si enim retribuere tibi ad æqualitatem, vel vltra, sicut forsitan deberem si possem, voluero, quid æquale vel maius tibi retribuam pro meipso, pro omnibus bonis meis positiuis & similiter priuatiuis; quid insuper pro teipso gratuito mihi dabo? Si verò retribuere tibi noluero, vel non secundum proportionalitatem debitam, quomodo ingratus tibi non ero? quomodo ab ingratitudine excusabor? Imò fortasis remittes mihi obligationem, qua me tibi retribuere astrinxi. Cur enim, summe liberalis, in tantum quod liberalior esse non posses, etiam obligationem huiusmodi nõ remitteres, nec donares; cùm multo maiora, quia peccata contra te grauissima remittis & donas; cùm etiam obligationem fortissimã ex præcepto tuo proprio & expresso, ex proprio iuramẽto & voto solenni, siue virginitate mentis vel corporis, siue continentię à peccato mortali con-
D tractam lapso resurgenti remittis? & quomodo es omnipotens, si hoc non potes? & quomodo es tu deterioris, illiberioris, & illiberalioris conditionis misero homine, qui sic potest remittere, scilicet obligationem etiam fortissimam, vt videtur, qua quisquis ei fuerit obligatus? Quare & vnus de amatoribus sapientiæ tuæ, si sapiens, nescio, tu scis; loquens de obligatione filij ad patrem & retributione, sic ait; debentem, scilicet filium reddendum patri: Nihil autem faciens dignum eorum quæ subfuerunt operatus est; quare semper debet; quibus autem debetur, potestas dimittere, & Patri vtique. Sed aliter, Domine, me ingratum, & insipientem trigesimo nono primi gratiùs docuisti. Si namque me non retribuentem ab obligatione qua tibi astringor, absolueres, liberiorem me faceres, libertatem maiorem conferres, & nouum beneficium mihi dares: quomodo ergo nisi ingratus efficiar pro beneficio tanto nouo vna cum prioribus non subtractis, non tibi arctius sum astrictus, & amorosius obligatus? Nonne si quisquam accommodet mihi pecuniam sub obligatoria cautione, & mihi non soluenti dimittat
E gratis pecuniam, & obligationem gratis retradat, multiplicioris obligationis vinculo me sibi alligat & astringit, non obligatione, quæ in foro contentioso violentam pariat actionem, sed quæ in foro gratitudinis amoroso animum gratum requirit, & retributionem concordem, præsertim si opportunitas hoc permittat, necessitasue requirat? cuius quæso animus nisi ingrati forsitan, intrinsecus non sic sentit? Quare & quidam alius amator moralis sapientiæ, studiosus || *beneficiorum* liberator æquissimus & gratissimus retributor saltem doctrina & verbo; vtinam Domine sic coram te operatione & facto! sic ait, Diligentius quærendus beneficij quàm pecuniæ creditor. Hinc enim reddendum est quantum accepi, & si reddidi solutus sum ac liber: at illi, & plus soluendum est, & nihilominus etiam gratia relata debemus: debeo enim cùm reddidi, rursus incipere. Verum Domine, vt cum priore sapiente siue cum sapientiæ amatore, de promissione tua, pro te & lege gratitudinis, quam sanxisti, paululum dis-

|| multum

Aristoteles 8. Ethic. vltimo,

Seneca. 2. de beneficijs 32

|| benefactorum

dispurem. Si, inquam, pater potest remittere filio obligationem naturalem qua ei tenetur; A remittat; & tunc per tuam ingratam hypothesin, in quantamcunque calamitatem pater inciderit, quantumcunque filius sit diues & potens, in nullo penitus ei tenetur, vel saltem non plus patri quàm extraneo; imo quemcunque extraneum, à quo minimum beneficium nondum remuneratum receperit, potius teneretur liberare à morte quàm patrem proprium moriturum: quod quis, nisi ingratissimus filius vel gratis audiet, vel etiam cogitabit? Vt autem ad obligationes minores descendam, & tandem ab eis ad maiores ascendam: videtur quòd nulla obligatio quantumlibet parvula inter benefactorem & beneficiatum contracta, etiam ex beneficio minimo possit ipsis manentibus plenè solui, ita quod beneficiatus ratione beneficij præaccepti benefactori in nullo penitùs teneatur: non enim plenariè solui potest, benefactore omne debitum & obligationem omnimodam dimittente; sic enim amplius beneficians amplius obligat receptorem; nec beneficiato retribuente æquale vel maius etiam centies B millesies, vel amplius quantumcunque. Ponatur enim secundum suppositionem ingratam, beneficiatum retribuisse plenariè benefactori, & se penitus exuisse ab omni obligatione contracta ratione beneficij præaccepti; tuncque benefactor & extraneus indigentes, existente in cæteris paritate, occurrant beneficiato potenti vnico subuenire, eius auxilium suppliciter deprecantes; & quis, nisi ingratus, imò secundum quendam gratum ingratissimus omnium, oblitus scilicet beneficij præaccepti, ambigit benefactorem extraneo præponendum ratione beneficentiæ præacceptæ? Quis igitur patri sufficienter retribuet? aut quis tibi sufficienter retribuet, summe Pater?

Seneca 3. de beneficijs 1.

COROLLARIVM. C

Corollarium multiplex est, & omnibus gratis gratum.

EX his autem gratissimis gratitudinis regulis gratis omnibus porisma gratissimum deriuatur, obligationem videlicet gratitudinis naturalem, qua beneficiatus benefactori ratione cuiuscunque beneficij præaccepti etiam minimi non posse plenè dissolui; nec beneficiatum posse benefactori retribuere ad condignum sufficienter seu plenè, ita videlicet quòd tota obligatio totaliter extinguatur, imò forsan quanto beneficiatus abundantiùs benefactori retribuit, tanto ei amplius obligatur, & amplius ei debet: multo magis nec obligationem gratitudinis naturalem, qua patri filius obligatur, posse plenè dissolui, nec filium posse patri retribuere ad condignum, sed fortasis quo amplius ei retribuit, tanto ei amplius obligari. Quare supra modum magis & magis nec obligationem creaturæ rationalis beneficiatæ à Deo, qua ei lege gratitudinis obligatur posse dissolui, etiam per Dei omnipoten- D tiam infinitam, nec aliquem posse Deo pro aliquo beneficio etiam minimo retribuere ad condignum, ita videlicet quòd tota obligatio totaliter annulletur; imo quod videtur mirabilissimum, & tamen verissimum atque gratissimum, quanto quis amplius retribuerit Domino, & amplius soluerit gratitudinis debitum, tanto amplius ei debet & amplius obligatur. O admirabile gratitudinis vinculum, & gratæ obligationis ligamen, quod nec creatura nec creator soluere plenè potest! imo quanto dator beneficij vel acceptor illud multipliciùs sategerit soluere, omne debitum & obligationem omnimodam dimittendo, retributiones retributionibus cumulando, tanto multipliciùs illud stringit, firmius efficit, & insolubilius illud nectit. O ergo ingratitudinis vitium quamplurimum detestandum, quod tam insolubile gratitudinis vinculum soluere, imò rumpere nititur, & penitus dissipare, quod nec aliqua creatura, nec etiam Deus potest. Quis cum tanto vitio valeat dispensare? Certè nec homo, nec Angelus, nec Deus; cum alijs autem possunt. Nullus ergo beneficiatus ab ho- E mine vel à Deo, retribuere sic intendat, vt se ab omni obligatione & vlteriori retributione liberare festinet. Hoc enim animi est ingrati: verùm retributiones || *retributionibus*, munera muneribus, & gratias gratijs semper accumulet, vt sic semper gratissimis gratitudinis vinculis multipliciùs alligetur, & gratior ac gratior semper fiat, sicque tandem totus in gratiam gratissimè transformetur. Prima pars huius porismatis euidenter consequitur ex præmissis; secunda sequitur ex hac prima & similiter ex præmissis. Sed quæ ratio aut quæ causa, quare ex tam pusilla radice, ex tam exili beneficio & finito, procedit & oritur tam fortis obligatio, tam magna & quodammodo infinita, quia nec à potentia finita nec forsitan infinita, nec per aliquam retributionem finitam, aliquasvè finitas potest extingui? Puto, quia manentibus benefactore & beneficiato, beneficiatum affici quodammodo & teneri benefactori

|| retribuentibus,

A factori est rationabile & iustum mixtum ex rationabili & iusto antecedente quodammodò
voluntatem diuinam, & sequente, sicut potest haberi ex 21. primi. Sicut enim est rationabile
& iustum sic mixtum hominem affici & inclinari ad bonum; ita & ad boni datorem: ipse
enim est ei bonus. Et sicut hoc est rationabile & iustum, ita & necessarium, sicut patet ex eo-
dem 21. primi. Sicut ergo existentibus creatura & creatore, rationabile est & iustum atque
necessarium, creaturam teneri & subijci creatori: sic & creaturam rationalem esse bonam, ac
naturaliter affici & inclinari ad bonum, & ad boni datorem, eique similiter obligari. Non
ergo ex beneficio paruo vel magno tantùm oritur tanta obligatio, nec ex aliqua natura cre-
ata, nec ex aliquo statuto humano vel diuino, sed ex diuinæ essentiæ immutabili veritate, sicut
potest aliqualiter apparere ex 21. primi. Tertia pars apparet, quoniam quilibet, vt videtur,
rationabiliter amplius diligit, & amplius tenetur diligere illum per quem habet bonum,
quàm alium: quare & illum per quem, & in quem exercet operationem laudabilem, & me-
B ritoriam actionem; quamobrem & beneficiatus retribuens, benefactorem, circa quem lau-
dabiliter & meritoriè operatur, & quanto magis hoc fecerit, tanto magis. Hanc autem ra-
tionem secutus Philosophus, 9. Ethic. 7. astruit benefactores magis amare beneficiatos,
quàm è contra, quod & quibusdam alijs rationibus manifestat. Sed quis dubitat retributio-
nem gratè factam, beneficiato gratam esse? Benefactor quoque retributione recepta magis
diligit beneficiatum retribuentem quàm priùs, & est paratior facere ei bonum: quare & be-
neficiatus potest tunc in benefactore confidere plusquam priùs, & quanto magis retribuerit,
tanto magis. Nonne ergo beneficiatus retribuens magis tenetur benefactori recipienti
quàm priùs, & quanto magis retribuerit, tanto magis? Tres autem partes sequentes de pa-
tre & filio sequuntur secundum ordinem ex his tribus, quæ & possunt probari vt istæ, & per
locum similiter à minori. Aliæ verò tres partes sequentes simili ordine consequuntur ex tri-
bus primis partibus, & ex istis, similiterque probantur. Vltimam autem harum, quæ mirabi-
C lissima videbatur, intellectis præhabitis, verissimam esse constat, quæ & aliter melius demon-
stratur: nam secundùm præmissa, quicquid retribuimus Deo, accipimus prius ab eo; quare
& pro retributione quacunque ampliùs ei tenemur. Cùm enim augentur dona, augentur &
rationes donorum, reliquæ partes patent. O liberalissime Domine, qui gratis dedisti me
mihi, & omnia alia bona mea! Insuper ad te ipsum quanta obligatione ad retribuendum me
ligas? quàm insolubili vinculo me astringis; quæ & quod, superius sicut docuisti, nec à me,
nec à te, omnipotens Domine, solui potest? Et quid dignum tibi retribuam? quid proporti-
onale reperiam? quid æquale vel maius inueniam? An forte condignè quoquomodo tibi re-
tribuam, fatendo humiliter & veraciter profitendo, me nunquam posse tibi retribuere ad
condignum? aut forte sufficienter tibi retribuam, si omnibus viribus mentis & corporis sem-
per tibi retribuam quantum possum? Non enim permittit tua iustitia, nec pietas tua sinit me
supra potentiam ad impossibile obligari. Nonne verum est quod quidam in materia ista
D dicit, Possibile amicitia requirit, non quod secundum dignitatem? Neque enim in omnibus
est, quemadmodum & his, quæ ad Deos, honoribus, & parentes. Nullus enim secundum
dignitatem aliquando vtique retribuet: impotentiam autem famulans ἐπιεικὴς esse videtur.
Nonne sufficit quod quidam alius nos hortatur, Glorificantes Dominum quantumcunque *Ecclesiastici*
potueritis, supervalebit adhuc admirabilis magnificentia eius? benedicentes Dominum exal- 43.
tate illum quantum potestis; maior est enim omni laude? Aut forsitan possum tibi retribuere
quoquomodo æquale aliquid mihi ipsi, bonis mihi collatis, vel aliquid maius istis, aliquidve
æquale tibi ipsi mihi collato? quia maius non possum, si me totum & omnia quæ habeo, &
quæ possum, & plura ac maiora si possem, & etiam temetipsum quodammodo tibi retribuam;
me totum videlicet tota virtute mentis & corporis, & quicquid quomodolibet habeo, aut
valeo quouismodo, ad tuam laudem, gloriam, & honorem; imo ad te, Domine, & propter
te tantummodò referendo, malens hæc omnia & plura ac maiora supra omnem numerum
E & mensuram, etiam memetipsum irrecuperabiliter perdere, quàm semel vel leuissime tuam
offendere maiestatem, teipsum quoque propter temetipsum tantummodò super omnia alia
totis præcordijs diligendo. Sic enim doces me debere te diligere, bone Deus: alias etenim
data mihi optione, aut quod bona alia quantacunque, etiam memetipsum, omnibus re-
dactis in nihilum sine recuperatione amittam, tamen sine meo peccato; aut quòd te semel
leuissimeque offendam & peccem, deberem secundum rectissimam rationem, etiam te Do-
mine iudicante, peccare; quare si sic facerem, non peccarem. Omne namque peccatum
est quædam obliquitas à rectitudine rationis. O potens & bone Domine Deus, quæso vt sicut
vocaliter proloquor, sic efficaciter faciam, & faciens finaliter perseuerem; quod munus tuum
à te mihi collatum, & per te ac per me ad te relatum, dignare quæso suppliciter pro retri-
butione

butione qualicunque misericorditer acceptare. Non enim habeo, habereve potero quicquam maius, nisi forsitan illud esset efficaciter velle, scire, & facere, & quod in me circa me, & de me in quibuscunque prosperis vel aduersis, lætis vel tristibus, & quibuslibet alijs semper solummodò fieret, quod tibi gratissimum fuerit, & tuæ placitissimum voluntati. Quod etiam munus tribue, precor humiliter, mihi misero mendicanti, quod & per te, ac per me tibi retribuas tribuenti, & pro qualicunque retributione acceptes. Et si adhuc fortassis fuerit quicquam maius, quod tamen aspiciens quaquauersùm non video, illud etiam humiliter supplico & deuotè requiro, vt mihi obnixè mendicanti ostendas & tribuas, vt per te retribuam illud tibi; vt sic pro tuis beneficijs maximis gratissimè mihi collatis, maximam & gratissimam retributionem mihi possibilem gratissimè tibi retribuam, gratissimas gratiarum actiones rependam, & gratissimas gratias referam incessanter. Sed adhuc mens tremula, & velut apes argumentosa titubat, & inquirit, Quomodo possum illi reddere gratiam, cui pro gratiosis operibus, pro beneficijs suis gratuitis, quicquid possum est debitum, etiam ego ipse? B
Rom. 11. Nonne si gratia, non ex operibus? alioquin gratia iam non est gratia. Nunquid debitor reddendo debitum facit gratiam creditori? Nonne gratia & debitum videntur mutuò repugnare? Vnde videtur confici res miranda, nullum videlicet posse quomodolibet obligari ad gratiam faciendam nec ad gratiam rependendam. An fortè ab isto ingrato nimis inuolucro me euoluam, faciendo gratis & liberè, ad quod ex debito & necessitate astringor, sicut opera Professorum tuorum, Domine, aut aliter obligatorum spontaneè ad aliqua facienda, non minùs sunt coram oculis tuis grata, dum tamen non inuitè fiant, sed gratis ac spontanea voluntate?
Anselmus 2. *Cur Deus homo*. 5. Nonne verum est, quod vnus de gratis filijs tuis, & Patribus nostris dicit; Est necessitas quæ benefacienti gratiam aufert aut minuit, & est necessitas, qua maior beneficio gratia debetur? Cùm enim aliquis ea necessitate, cui subiacet, inuitus benefacit, aut nulla, aut minor ei gratia debetur: cùm verò ipse sponte se necessitati benefaciendi subdit, nec inuitus eam sustinet, tunc vtique maiorem beneficij gratiam meretur. Non enim hæc est dicenda necessitas, sed C
|| suscipit gratia, quia nullo cogente illam || *suscepit* aut seruat, sed gratis. Tale est cùm quis sanctæ conuersationis sponte vouet propositum: quamuis enim seruare illud ex necessitate post votum debeat, ne Apostatæ damnationem incurrat, & licet cogi possit seruare, si nolit. Si tamen non inuitus seruat quod vouet, non minus sed magis gratus est Deo, quàm si non vouisset, nec sanctè viuere dicendus est necessitate, sed ea qua vouit, libertate. An fortè distinctio quæ-
|| magna dam de gratia, quam me superiùs docuisti, ab ista || *ingrata* argutia me defendet? Dicitur etenim gratia quòd gratis rependitur pro gratia gratis data. Quid ergo magis debitum? & quid magis gratum tibi, Domine Deus noster? & quid nobis magis congruum, quàm vt in omnibus, vbique & semper toto corde, ore, & opere gratias gratis agamus Domino Deo nostro?
Augustinus ad Aurelium, epist. 10. Nonne vnum de tuis gratis discipulis, & nostris Doctoribus dicere, & scribere docuisti, Quid melius & animo geramus, & ore premamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? hoc nec dici breuiùs, nec audiri lætiùs, nec intelligi gratiùs, nec agi fructuosiùs potest. Quem D
& iterum sapere ac sapidè dicere docuisti, quòd sapientia est Dei cultus, qui in hoc maximè constitutus est, vt anima ei non sit ingrata: Vnde & in ipso verissimo & singulari sacrificio Domino Deo nostro agere gratias admonemur. Erit autem ingrata, si quod illi ex Deo est, sibi tribuit, sicut faciunt Pelagiani pestiferi & ingrati. Non sic autem, non sic nos filij Dei grati, sed agnoscentes humiliter, & non minus veraciter omnia & singula bona nostra positiua, & similiter priuatiua, habitus, actus, & opera, carentiasque malorum habituum, actuum, & operum non esse nobis ex nobis, sed à Patre nostro cœlesti, à Patre luminum desursùm descendere, & esse dona gratuita Domini Dei nostri, semper & vbique, in omnibus & singulis, pro omnibus & singulis, toto corde, ore & opere gratias gratis agamus Domino Deo nostro. Sic enim te Autore nos instruit mater nostra virgo prudentissima, & pulcherrima sponsa tua, non habens maculam neq; rugam, Ecclesia sancta tua. Iterum ergo & iterum, imò continuè semper & vbique incessabili voce cordis, & oris, & operis gratias agamus Domino Deo nostro. E

LIBER

A

B

THOMAE BRADVVARDINI LIBER III.

CAP I.

Quod Deus potest necessitare quodammodo omnem voluntatem creatam ac liberum actum suum, & ad liberam cessationem & vacationem ab actu.

C Pelagiani autem, pestiferi & multiplici gratiæ Dei ingrati, nituntur auferre à Deo debitas gratias, & gratiarum debitas actiones. Negant enim prædestinationem, prouidentiamque diuinam in bono & in malo, Coefficientiam quoque Dei & specialiter eius præefficientiam cum libero arbitrio in libero actu suo, & in meritis vniuersis huic motiuo potissime innitentes; quia tunc ibi esset necessitas, non libertas neque meritum. Alij vero hæretici conantur auferre à Deo similiter actiones debitas gratiarum, dicentes ipsum agere quicquid agit ex necessitate, & nihil gratis, nec libera voluntate. Quare
D & quidam hæretici moliuntur destruere vniuersaliter liberum arbitrium tam in Deo quam in creatura, & omnem gratiam, ac gratuitam & liberam actionem, dicentes quod omnia quæ eueniunt, de necessitate eueniunt. De his ergo & istis similibus ammodò inquirendum. Pro quibus diligenter inuestigandum videtur, Nunquid necessitas & libertas, meritumque repugnant. In primis igitur ostendendum, Deum posse necessitare quodammodò omnem voluntatem creatam ad liberum, imo ad liberrimum actum suum, similemque cessationem & vacationem ab actu. Deus enim potest velle voluntatem creatam producere liberum actum suum, & hoc antecedenter, & prius naturaliter voluntate creata: quare & per 10. primi, illa de necessitate obediret, & hoc, quamdiu Deus sic voluerit ipsam velle. De cessatione quoque & de vacatione eadem ratio est omnino. Vnde Anselmus *Anselmus.* de Concordia 2. Sicut, inquit, necesse est esse quicquid Deus vult, ita esse necesse est quod vult homo in his quæ Deus ita subdit humanæ voluntati, vt si vult fiant, si non vult, non fiant. Quoniam enim quod Deus vult, non potest non esse, cum vult hominis voluntatem nulla co-
E gi vel prohiberi necessitate ad volendum vel non volendum; & vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est voluntatem esse liberam, & esse quod vult. Item aliter posset homo facere Deum falsum, & periurum: Ponatur enim quod Deus prædicat, & per semetipsum iurando affirmet, quod iste liberè faciat hoc vel illud, & ad hoc faciat quantum potest; tunc si iste non necessitetur per Deum ad hoc vel illud libere faciendum, potest dimittere libere hoc & illud. Item aliter posset homo frustrare prouidentiam & prædestinationem ac voluntatem diuinam, imo & facere miserũ fœlicissimũ Deũ nostrum. Nulli etenim dubiũ, quin Deus posset facere, prouidere, prædestinare, ac præuelle liberos actus humanos, & quæ ex eis depẽdẽt; imo ab æterno sic fecit, sicut 27. primi, & sequentia cum 45. probant: quod & plane testatur Apostolus ad Eph. 2. Ipsius, inquiens, sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bo-

 nis,

nis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Et Glossa adhuc expressius dicit idem, sicut 31um primi plenius allegauit. Item omnis potentia in proportione debita fortior, potest necessitare debiliorem naturaliter sibi subiectam in sua qualibet actione, & isto modo se habent ad inuicem voluntas diuina, Angelica, & humana; sicut prima suppositio, & decimum primi, cum 20. & 30. secundi testantur. Vnde Philosophus 5. Metaphys. 16. distinguens priora sic ait; Alia secundum potestatem scilicet dicuntur priora; Excedens enim potestate prius, & quod potentius: tale vero est cuius præuoluntatem sequi necesse est alterum est posterius, vt non mouente illo, non moueatur, & mouente illo moueatur; & est præuoluntas principium. Vbi translatio, quam exponit Auerroes, sic habet, Etiam illud quod est fortius dicitur ante, & tale est illud quod cogit alterum sequi suam voluntatem; ita quod si illud quod est ante non mouetur, non mouebitur aliud quod est post; & si mouetur, mouebitur; & voluntas est principium hic. Super quod Auerroes sic dicit; Vniuersaliter dicitur, ante, illud, quod est fortius & dignius, & est illud quod cogit illud quod est post, vt voluntas eius consequatur voluntatem suam, quoniam voluntas debilioris sequitur voluntatem fortioris. Item adhuc physice arguendo ponatur quod esset tantum vir vnus & mulier vnica; tunc ex quo species humana non potest deficere, nec sine generatione saluari, necesse est eos voluntariè generare. Nec potest quis fingere, quod licet necessario voluntariè generabunt, non tamen hac vice, nec illa; ideoque quilibet eorum concubitus erit liber, nec vlli necessitati subiectus, quia ponatur quod vir seu mulier tantum processit in diebus suis generationi aptis (qui secundum Philosophum 9. de Animalibus, in mulieribus sunt 50. anni in viris autem 70. aut secundum Plinium & Solinum 80. in viris) quod non remaneat sibi tempus, nisi pro vnico tali actu: quare tunc statim || *necessario* illum actum vnicum voluntarie exercebunt: Nam sine voluntate generatio nunquam fiet. Illud autem, quod eos sic arctabit, ponitur à Philosophis esse natura vniuersalis, quæ per tertium secundi non potest dici aliqua vis stellarum, aut quarumcunque causarum secundarum; est igitur necessario prima causa, sicut 27. primi per autoritates Philosophicas ostendebat. Et similiter potest etiam Theologicè argui; Si esset vnus vir tantum & vnica mulier ante completum numerum electorum & prædestinatorum à Deo ex propagatione hominum naturali à primis parentibus continue deriuata, Nisi [enim] ipsi necessario voluntarie gignerent, cessaretur generatio hominum, & Dei propositum frustraretur, contra decimum primi libri. De Adam quoque & Eua priusquam naturaliter conuenirent, potest fieri || *simile* argumentum. Item aliter Deus non posset necessitare creaturam rationalem, vt esset || *impeccabilis* perpetuoq; beata, contra 17. 15que secundi. Item Esaiæ 40. Ecce, inquit, gentes, quasi momentum stateræ reputatæ sunt ei: Glossa, in comparatione eius, scilicet Dei; quod scilicet momentum ex nihilo in vtramlibet partem inclinatur. Et Parab. 21. Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud, sicut vicesimum secundi plenius allegauit. Beatus etiam Augustinus de Gratia, & libero arbitrio, hac autoritate Salomonis cum multis alijs recitata, cap. 48. ita concludit; His & talibus testimonijs diuinorum eloquiorum, satis, quantum existimo, manifestatur, operari Deũ in cordibus hominũ ad inclinandas eorũ voluntates quocunq; voluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorũ. Idẽ Enchir. 77. Quis tam impie desipiat, vt dicat Deum malas hominum voluntates quas voluerit, & quando voluerit, & vbi voluerit, non posse in bonum conuertere? Idem de bono perseuerantiæ 20. quam possibile est Deo auersas & aduersas in fidem conuertere hominum voluntates & in eorum cordibus operari, vt nullis aduersitatibus cedant, nec ab illo aliquo tentatione superati discedant. Idem quoque de Correptione & gratia 69. dicit; Deo volenti saluum facere hominem, nullum resistit arbitrium. Sic enim seu velle, seu nolle in volentis aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem impleat, nec superet potestatem. Et infra per totum 70. capitulum & in principio 71. planissime & notabilissime docet idem, sicut 20. secundi plenius allegauit: Item aliter Deus non esset omnipotens: licet enim Deus faceret quantum posset, vt tu simpliciter vel certo tempore velles, seu diligeres quippiam posses, hoc non obstante omnino, || *idem* non velle, & per aliquam partem dati temporis || *illam* velle, per aliam vero non velle, imo & nolle, sicque posses reddere Deum & hominem Iesum Christum falsum, mendacem, periurum & miserum, sicut in principio est argutum. Nec potest quis dicere quod actus liberi voluntatis sub omnipotentia Dei minime continentur, propter decimum primi, vicesimum, & tricesimum secundi, ac propter autoritates Augustini proximo recitatas: tunc quoque sub prouidentia, gubernatione & prædestinatione diuina nullatenus clauderentur, contra vicesimum septimum cum sequentibus, & 45. primi. Quid etiam dignius ad eius omnipotentiam pertinet, quam suam veritatem in omnibus, etiam in actibus liberis inuiolabilem conseruare? Quomodo etiam

Philosophus. *Auerroes.* *Philosophus.* *Plinius.* *Solinus.* || necessarium || similiter || impeccabiliter *Esaias.* *Glossa.* *Parabola.* *Augustinus* || illud || illud

A B C D E

A etiam ad omnipotentiam eius non attinet, posse disponere libere de possibilibus vniuersis naturalibus & liberis quibuscunque? Quare & dicit Augustinus de correptione & gratia 70. quòd Deus habet humanorum cordium quò placet inclinandorum omnipotentissimam potestatem: Et 71. quòd Deus magis habet in potestate voluntates hominum quàm ipsi. Nulli etiam dubium, quin actus liberi voluntatis sint nobilissimi omnium, & aliqui actus sub Dei omnipotentia continentur, & non ignobiliores tantummodo: hoc enim vetat eius infinita nobilitas, & suppositio prima primi, ac fœlicitas beatorum. Si quis autem voluerit dicere, quòd Deus potest necessitare hominem ad actum voluntatis, sed hoc facto, non erit huiusmodi actus liber, potest sibi faciliter contradici; quia si Deus hoc faciat, cùm ad omne quod agit exteriùs sufficiat sua sola voluntas, sicut corollarium decimi primi || *docet*, & per suam omnipotentiam demonstratur; potest Deus hoc facere per voluntatem suam solam, videlicet sine aliquo habitu, vel aliquo creato quocunque, quod nunc ad volutionem liberam || probat
B hominis non concurrit; & non nisi volendo, seu naturaliter præuolendo hominem velle; & per tricesimum secundi, nunc de facto sic facit de quocunque actu libero voluntatis. Item eliciat Iohannes A. actum liberum voluntatis, cum B. C. causis secundis sufficientibus, & necessariò requisitis; tunc Deus potest necessitare || *Iohannem* ad A. actum, & hoc sine aliqua || hominem
alia causa secunda, vt patet per præmissa, scilicet tantùm volendo, vel naturaliter præuolendo; & per 30^{um}. secundi sic priùs fecit, quando A. fuit liber; ergo tunc Deus necessitauit || *Iohannem* ad A. actum liberum voluntatis; & etiam si tunc fuit A. liber, eadem ratione || hominem
& nunc est: omnia enim omninò eodem modo se habent nunc & tunc in omnibus causis primis & secundis. Vel etiam supponatur quòd Deus necessitet Iohannem ad D. actum similem. A. quantum potest, cum B. C. causis secundis præcisè vel omninò similibus, quod potest, sicut præmissa probarunt; aliterque aliqua causa secunda, illa scilicet alia necessariò requisita necessitaret voluntatem hominis sicut bruti, contra tertium secundi, & erunt A. & D.
C actus omninò similis rationis: nam in suis causis primis & secundis nulla potest diuersitas assignari: quare si alter est liber, vel necessarius quouismodo, erit similiter & vterque. Si autem dicatur, quòd ideo D. est necessarius, & A. liber, quia Deus vult facere ipsos tales, contradicetur hoc modo: Si Deus sic volendo necessitet ad D. actum, hoc non est faciendo D. actum per se necessarium, quia ex se potest non esse, & quia tantùm vnum est per se necesse esse, scilicet ipse Deus, vt patet per 17. partem corollarij primi primi, nec per aliquas causas secundas per se necessitantes voluntatem creatam, sicut natura & obiectum per se necessitant bestias, sicut superiùs est ostensum: hoc ergo est tantùm per voluntatem diuinam, volendo scilicet [se] necessitare ad D, seu facere D. necessarium, sicut hypothesis confitetur. Vel ergo Deus sic volendo absolutè necessitat ad D. actum, & reddit eum necessarium absolutè, vel tantùm respectu suæ volutionis; ita scilicet quod stante illa, impossibile est aliter euenire, seu quia non potest aliqualiter impediri. Primum dici non potest, vt nullus ignorat, & præhabita docuerunt; relinquitur ergo secundum, & sic loquendo A. actus liber,
D quem Deus vult facere liberum, est ita necessarius respectu illius volutionis diuinæ, sicut D. respectu alterius: quia, stante illa, ita impossibile est aliter euenire, & ita impossibile est istam impediri in aliquo, sicut illam, vt 10. primi docet: ergo A. & quilibet actus creaturæ liberrimus est ita necessarius sicut est D. Item ponatur imaginariè, vel secundum quosdam sicut est verè possibile, quod Deus faciat aliquem actum voluntatis creatæ, volendo simpliciter facere illum actum, non volendo illum facere necessarium, nec liberum; tunc per hypothesin neuter erit. Item si Deus tantùm simpliciter volendo faceret actus irrationalium animatorum vel inanimatorum, illi non essent necessarij respectu Dei, nec respectu aliarum causarum: nulla enim alia causa necessitat, nisi per virtutem & cooperationem & connecessitationem primæ causæ, quæ est primum necesse esse, sicut primum & sequentia primi docent. Item si Deus faciat aliquem actum voluntatis creatæ, non volendo necessitare ad illum, sed
E volendo simpliciter illum efficere, adhuc ille actus est necessarius respectu voluntatis diuinæ, quia illa impediri non potest. Prima ergo & per se ratio quare aliquid dicitur necessarium respectu Dei seu voluntatis diuinæ, non est quia vult necessitare ad illud, sed quia est causa prima vniuersaliter efficax, omnipotens & impediri non potest. Quare & Stephanus Parisiensis Episcopus condemnauit quendam errorem, dicentem, quod ad hoc quod effectus omnes sint necessarij respectu causæ primæ non sufficit, quod ipsa causa prima non sit impedibilis, sed exigitur, quod causæ mediæ non sint impedibiles. Error, inquit Episcopus, quia tunc Deus non posset facere aliquem effectum necessarium sine * causis posterioribus: omnes ergo effectus etiam liberi possunt esse necessarij respectu causæ primæ, quia à voluntate sua procedunt, quæ non potest aliqualiter impediri. Adhuc autem sicut necesse est quidlibet fieri, quod * aliquibus.

 Deus

Deus vult fieri, sic & necesse est quidlibet fieri eo modo quo Deus vult illud fieri, sicut præcedentia clarè monstrant. Sicut ergo effectus naturales necessarios necesse est necessariò fieri respectu causarum suarum naturalium secundarum propter efficaciam voluntatis diuinæ; sic & effectus liberos necesse est liberè fieri respectu causarum suarum inferiorum liberè actiuarum propter vniuersalem efficaciam voluntatis diuinæ. Omnes ergo effectus actusve liberi omnium inferiorum agentium liberorum respectu voluntatis diuinæ sunt necessarij, sicut necessariò liberi, & necessariò liberè producuntur. Amplius autem nulla voluntas creata est liberior voluntate Christi humana, & illam potuit necessitare voluntas eius diuina, imò & necessitauit de facto ad omnes & singulos liberos actus suos, & ad omnes & singulas cessationes & vacationes liberas ab actu & actibus quibuscunque. Si namque voluntas eius humana non necessariò consensisset voluntati eius diuinæ naturaliter præcedenti, sicut tricesimum secundi docebat, potuit dissensisse ab ea, & voluisse aliquid aliud, imo & contrarium, ac peccasse, quod pro singulis partibus repugnat præostensis de Christo 30. secundi; vnde & Ioh. 5. Non possum ego à meipso facere quicquam, sed sicut audio, iudico: quod Christus dicit secundum id quod est homo, vt Augustinus testatur, sicut ibi pleniùs allegatur. Hoc idem de Christo, scilicet quòd voluntas eius humana necessariò sequebatur diuinam, docet Anselmus 1. Cur Deus homo, 10. & 2[i]. 10. ostendit quòd Christus potuit mentiri si voluerit, sed non potuit velle mentiri, sicut 30. secundi pleniùs allegauit, & 2. Cur Deus homo 17. ostendit, quòd Deus habuit potestatem seruandi vitam suam vt nunquam moreretur, licèt nequiuerit illud velle: ergo eadem ratione non potuit quicquam velle quod diuina eius voluntas non prædisposuit ipsum velle, vel cuius oppositum disposuit circa ipsum. Vnde & infra eodem capite ita dicit, Si vis omnium quæ fecit & quæ passus est veram scire necessitatem, scito omnia ex necessitate fuisse, quia ipse voluit, voluntatem verò eius nulla præcessit necessitas: voluntatem, inquam, eius diuinam nulla præcessit necessitas, sed humanam, sicut ab eodem Anselmo ex 10. primi fuerat allegatum. Hæc est ergo sententia Christi, Augustini, Anselmi, Damasceni, atque Lumbardi, sicut præmissa in isto capitulo, & 30. secundi declarant, nec vidi quenquam Doctorum contraria sentientem: videtur ergo ista sententia satis certa.

(Margin notes: A; *Iohannes.* B; *Anselmus.*; C)

COROLLARIUM.

Corollarium, quòd aliqualis necessitas & libertas, ac meritum casusque & fortuna inuicem non repugnant: de fati quoque præscientiæ, prædestinationis & gratiæ cum libero arbitrio ac merito concordia generali.

VNde redditur manifestum, quòd necessitas & libertas, necessitas quoque & quodlibet meritum, necessitas insuper & casus & fortuna inuicem non repugnant: vnde & concordia generaliter fati, præscientiæ, prædestinationis & gratiæ cum libero arbitrio ac merito cognoscitur euidenter. Nam primam partem istius ostendit clarissimè conclusio principalis, secunda verò ostenditur ex hac prima, potest quoque probari per eadem per quæ principalis conclusio probatur. Item secundùm Philosophum, 1. peri hermenias vlt. Esse * quod est, quando est, necesse est; & aliquis actus liber & meritorius nunc est; ergo illum nunc esse necesse est. Item in Deo & in Angelis confirmatis est necessitas pro multis actibus voluntatis, maximaq; libertas. Item Augustinus Enchir. 86. sic inquit, Prius oportebat hominem fieri, vt & bene velle posset & male: postea vero sic erit, vt male velle non posset, nec ideo libero carebit arbitrio; multo quippe liberius erit arbitrium quod omninò non poterit seruire peccato. Neq; enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua bene esse sic volumus, vt esse miseri non solùm nolumus, sed nequaquam velle prorsus possumus. Idem 5. de ciu. Dei 10. postquam prius disputauit contra Stoicos dicentes voluntates nostras necessitati non subdi, eò quod tunc non essent liberæ, respondet ad motiuũ illorũ distinguens necessitatẽ bifariè, ostendendo vnã esse necessitatẽ inuitã, quæ aufert seu adimit libertatem; aliam verò voluntariam, quæ compatitur libertatem: vnde & capit. 9. sic ait, Quoquomodo se habeant tortuosissimæ concertationes & disputationes Philosophorum, nos vt confitemur summum & verum Deum, ita voluntatem diuinam, summamq; potestatem ac præscientiam eius confitemur, nec timemus ne ideo non voluntate faciamus, quòd voluntate facimus, quia illud nos facturos ille præsciuit, cuius præscientia falli non potest: quod Cicero timuit vt oppugnaret præscientiam; & Stoici, vt non omnia necessitate fieri dicerent, quamuis omnia fato fieri contenderent, quos redarguit consequenter. Et cap. 10. sic adiungit; Nec illa necessitas formidanda est, quam formidando Stoici laborarunt causas rerum ita distinguere, vt quasdam

(Margin notes: D; * omne; E; *Augustinus.*)

A quasdam subtraherent necessitati, quasdam subderent, atq; in his quas esse sub necessitate noluerunt, posuerunt etiam nostras voluntates, ne videlicet non essent liberæ si subderentur necessitati; & distinguendo subiungit, Si enim necessitas nostra illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, sed etiamsi nolumus, efficit quod potest, sicut est necessitas mortis; manifestum est, voluntates nostras, quibus rectè vel perperam viuitur, sub tali necessitate non esse. Multa n. facimus, quæ si nollemus, non vtiq; faceremus, quo primitùs pertinet ipsum velle: nam si volumus, est; si nolumus, non est: non n. vellemus, si nollemus. Et subdit pro membro secundo, Si autem illa definitur esse necessitas secundũ quam dicimus necesse esse, vt ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur ea timeamus, ne nobis libertatẽ auferat voluntatis. Neq; n. & vita Dei & præscientiã Dei sub necessitate ponimus, sc. primo modo, si dicamus necesse esse Deum semper viuere & cuncta præscire, sicut nec potestas eius minuitur, cùm dicitur mori, fallique non posse. Vnde & Ioseph. 18. de Antiq. 2 agens de 4. sectis Philosophorũ apud Iudæos, quarum vna fuit Pharisęorũ, dicit quòd illi fuerunt primi, quia meliores cæteris æstimantur, & hi, vt dicit, fato geri omnia credunt; sed neq; liberũ arbitriũ hominis auferunt, fatũ autẽ necessitatẽ importat, sicut 28. primi monstrauit: dicitq; idem Ioseph. 7. de Iudaico bello 8. homines fatũ vitare non possunt, etiã si præuiderint. Patet igitur quod necessitas & libertas nequaquã repugnant; quare nec necessitas & meritũ repugnabunt; quod & aliter potest ostendi. Ponatur n. quòd Deus aliquẽ viatorẽ confirmaret ad liberè faciendum omnia bona quæ faciet hic in via, ipso penitus ignorante, sicut boni Angeli confirmantur ad bona sua facienda scienter, tunc talis operaretur bona & bene, quia ita voluntariè & ita liberè quantũ in eo est, sicut alius viator non confirmatus omninò: ergo & ita meritoriè, quod & per exemplum euidens confirmatur. Ponatur enim quòd euntem deuotè ad Missam aliqua vis occulta ita nescium prosequatur, vt cessare, tardare, vel declinare non possit, tunc talis necessariò ita vadit, & non minus meretur quàm faceret si vis illa prædicta penitus tolleretur. Sed ne exemplũ huiusmodi C extra sacram Scripturam videar mendicare, ponatur quempiam tenentem virgam seu baculũ, volentemq; ac intentũ temerè percutere proximum, sed proprijs tamen viribus non valentẽ, fiatq; talis percussio per aliquam vim occultam, ipsum tamen validè dirigentem vt resistere omninò non possit, ipse tamen non sic, sed contrarium opinetur, tunc ipse peccat, ac si propria virtute percuteret, & ita de actibus liberis quibuscunque. Quod autem in omnibus actibus liberis, nedum posset sic esse, sed & quod sit ita de facto satis ostendit ipsemet Dominus Esa. 10. Væ inquiens Assur virga furoris mei, & baculus ipse est in manu eorum indignatio mea; ad gentẽ fallacẽ mittã eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum: ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita existimabit, sed ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum. Dicet enim, Nunquid non Principes mei simul Reges sunt, &c. Et infra, Quomodo inuenit manus mea regna idoli, sic & simulachra eorum de D Ierusalem & Samaria. Nunquid non sicut feci Samariæ & idolis eius, sic faciam Ierusalem & simulachris eius? Et sequitur comminatio pœnæ cum expressione culpæ: Et erit cùm impleuerit Dominus cuncta opera sua in monte Sion & in Ierusalem, visitabo super fructum cordis magnifici Regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius: Dixit enim, in fortitudine manus meæ ego feci, & in sapientia mea intellexi, & abstuli ‖ *terminos* populorum, & Principes eorũ deprædatus sum. Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum à quo trahitur? Quomodo, si eleuetur virga contra leuantẽ se, & exaltetur baculus, qui vtiq; lignũ est? Propter hoc mittet dominator Deus exercituũ in pinguibus eius tenuitatẽ, & subtus gloria, seu aliàs gloriã eius, succensa ardebit, quasi ignis combustio. Super quod glossa sic dicit, Sicut hic inanimata tantũ instrumenta sunt, nihil per se facientia, sed per eũ qui mouet ea; sic nec Senacherib per se, sed in Dei virtute operatus est: vnde & gloriatio eius stulta & vltione digna. Ex hoc ergo clarè videtur, quòd licèt aliquis faciat ali- E quod bonũ vel malũ necessariò, ignoranter tamen & liberè, quantũ in eo est, meretur vel peccat. Vnde Theophilus, sicut allegatur in glossa super illud Luc. 22. Filius hominis secundum quod definitum est vadit, sic ait, Non quasi non valens tueri seipsum, sed sicut definiens sibi mortẽ propter humanã salutem: sed quia Iudas ea quæ sunt scripta praua intentione agebat, ne quis putet eum innoxiũ tanquã dispensationis ministrum, subdit, Veruntamen væ homini illi per quẽ tradetur. Cui & cõcordanter Isidorus, sicut allegatur in glossa super illud Luc. 24. Nonne hæc oportuit pati Christũ, &c. sed si oportuit Christũ pati, tamẽ qui crucifixerunt rei sunt pœnæ: nõ n. satagebãt perficere quod Deus disponebat, vnde & eorũ executio fuit impia. Quibus & plane cõcordat autoritas Aug. 83. q. 27. cũ multis similibus 32. 1. plenius allegatis; quod etiã bonũ vel malũ actũ ab aliquo liberè, quãtũ in eo est, licèt nõ penitus liberè, debeat sibi pro libero merito computari, ratio planè docet, quia sic est in omnibus alijs factis humanis

Iosephus.

Esaias.

‖ dominationes.

Theophilus.

vel malis, iustis vel iniustis: nam dicens verum, volens tamen & credens mentiri, reus est mendacij; & è contra. Vnde Augustinus Enchirid. 12. Nemo sane mentiens iudicandus est, qui dicit falsum, quod putat verum, quoniam quantum in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur potius: è contrario quantum in ipso est ille mentitur, qui dicit verum quod putat falsum: quantum enim ad animum eius attinet, quia non quod sentit, hoc dicit, non verum dicit, quamuis verum inueniatur esse quod dicit; nec vllo modo liber est à mendacio, qui ore nesciens verum loquitur, sciens autem voluntate mentitur. Non consideratis itaque rebus ipsis, de quibus aliquid dicitur, sed sola intentione dicentis, melior est qui nesciens falsum dicit, quoniam id verum putat, quàm qui mentiendi animum sciens gerit, nesciens verum esse quod dicit. Item volens quenquam occidere, & faciens quantum in eo est vt occidat, verè dicitur homicida. Vnde 1. Ioh. 3. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: secundum quem modum loquitur Apostolus ad Heb. 6. dicens semel illuminatos deinde prolapsos, rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei: Sic loquitur beatus Cyprianus Carthaginensis Episcopus, Doctor & Martyr egregius, epist. 3. intitulata de lapsis. Sic & loquitur Augustinus epist. 14. ad Bonifacium, allegans & recitans verba Cypriani in serie ac exponens, Rectè, inquiens, dicuntur parentes, vel quicunque maiores, filios seu quoslibet paruulos baptizatos dæmoniorum sacrilegijs obligare conantes, spiritualiter homicidæ. Nam in illis quidem qui interfectionem non faciunt, sed quantum in ipsis est interfectores fuerunt, rectè illis dicitur quando ab hoc scelere prohibentur, Nolite occidere paruulos vestros. Dicit enim & Apostolus, Spiritum nolite extinguere, non quia ille extingui potest, sed quantum in ipsis est, extinctores eius meritò dicuntur, qui sic agunt vt extinctum velint. Isto sensu rectè intelligi potest, quod scripsit beatissimus Cyprianus in epistola de lapsis, cùm eos qui tempore persecutionis idolis immolauerant, arguens, Ac ne quid deesset, inquit, ad criminis cumulum, infantes quoque parentum manibus impositi vel attracti, amiserunt paruuli quod in primo statim natiuitatis exordio fuerant consecuti. Amiserunt, dixit, quantum attinuit ad illorum scelus, à quibus amittere coacti sunt: amiserunt in eorum mente ac voluntate, qui in illos tantum facinus cõmiserunt. Nam si in seipsi amisissent, remansissent vtiq; diuina sententia sine vlla defensione damnandi: quòd si sanctus Cyprianus arbitraretur, non eorum defensionem continuò subijceret, dicens, Nonne illi cùm iudicij dies venerit, dicent, Nos nihil fecimus, nec derelicto cibo & poculo Domini ad profana contagia sponte properauimus? Perdidit nos aliena perfidia, parentes sensimus parricidas: illi nobis Ecclesiam matrem, illi patrem Deum negauerunt; vt dum parui & improuidi, & tanti facinoris ignari, per alios ad consortium criminis iungimur, aliena fraude caperemur. Hanc defensionem non subnecteret, nisi iustissimam crederet, & in Dei iudicio paruulis profuturam. Si enim dicitur, Nos nihil fecimus, Anima quæ peccauit, ipsa morietur, nec illi peribunt sub Dei iusto iudicio, quos parentes sui suo scelere quantum ad seipsos attinet perdiderunt. Item volens & faciens, quantum in eo est, vt cognoscat alienam vxorem, cognoscens tamen propriam creditam alienam, reus adulterij condemnatur: vnde Matth. 5. Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo; sicut volens cognoscere propriam, & inscius cognoscens alienã, seu sororem propriæ creditam propriam, à crimine excusatur, sicut canon testatur, nedum de isto, sed de multis similibus, & Lumbardus, sicut primum primi pleniùs recitauit. Item per 10. primi, nullus potest facere simpliciter contra voluntatem diuinam, & per idem 10. cum 22. eiusdem primi, necesse est quemlibet semper conformiter agere voluntati diuinæ; ergo nullus meretur nec peccat, nisi liberè faciendo quantum in eo est conformiter aut difformiter voluntati diuinæ. Vnde Augustinus Enchirid. 80. Hæc sunt, inquit, magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius, & tam sapienter exquisita, vt cùm Angelica & humana creatura peccasset, i. non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est quod creator noluit, impleret ipse quod voluit, bene vtens & malis tanquam summè bonis ad eorum damnationem, quos iustè prædestinauit ad pœnam; & ad eorum salutem, quos benignè prædestinauit ad gratiam. Quantum enim ad ipsos attinet, quod Deus noluit, fecerunt; quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id ‖ *efficere* valuerunt. Idem 22. contra Faustum: Fit autem homo iniquus, cùm propter seipsas diligit res propter aliud assumendas, & propter aliud appetit res propter seipsas diligendas: sic enim quantum in ipso est, perturbat in se ordinem naturalem, quem lex æterna conseruari iubet. Cui concordans Anselmus 1. Cur Deus homo, 15. ita dicit; Dei honori nequit aliquid, quantum ad illum pertinet, addi vel minui: idem namque ipse sibi est honor incorruptibilis, nullo modo mutabilis. Verùm quando vnaquæque creatura suum quasi sibi præceptum ordinem siue naturaliter siue rationabiliter seruat, Deo obedire & eũ honorare dicitur, & hoc maximè rationalis

Iohannes. *Apostolus.* ‖ facere *Anselmus.*

A B C D E

A rationalis natura, cui datum est intelligere quæ debeat, quæ cum vult quod debet, Deum honorat, non quia illi aliquid confert, sed quia sponte se eius voluntati & dispositioni subdit, & in rerum vniuersitate ordinem suum, & eiusdem vniuersitatis pulchritudinem, quantum in ipsa est, conseruat. Cum vero non vult quod debet, Deum, quantum ad illam pertinet, inhonorat, quoniam non se sponte subdit illius dispositioni, & vniuersitatis ordinem & pulchritudinem, quantum in se est, perturbat; quod tamen absolutè non potest, sicut ostendit eodem cap. consequenter, ad duo impossibilia deducendo. Primum est, quod si sic esset, fieret in ipsa vniuersitate, quam Deus debet ordinare, quædam ex violentia ordinis in pulchritudine deformitas. Secundum est, quod Deus in sua dispositione videretur deficere; quæ duo, inquit, sicut sunt inconuenientia, ita sunt impossibilia. Aliter autem breuiùs & forsitan leuiùs potest adhuc hoc idem itidem sic ostendi. Nulli enim Philosopho, vel Theologo dubium, quin homo ideo meretur vel peccat, quia in statu merendi, & peccandi, scienter, voluntariè, B gratis, & sponte consentit, vult, & facit bonum vel malum; sed hoc & sic potest, licet necessario faciat hoc vel illud, sicut præmissa testantur. Vnde & Wilhelmus de Aluernia Parisiensis Episcopus in suo tripartito, cuius prima pars principalis est de fide & legibus, secunda de virtutibus, tertia de vitijs & peccatis, part. vlt. cap. 10. recitato errore dicentium hominem non posse peccare, quia habet necessitatem vel impossibilitatē faciendi vel non faciendi quodcunque; quare, vt arguunt, non habet liberum arbitrium, nec culpam, nec laudem, ipsisque redargutis, respondens ad motiuum eorum; Propter hoc, inquit, solebamus distinguere, quod quædam necessitas est violentiæ, & illata; & quicquid ex ea agitur, non agenti, sed violentiam inferenti imputandū est: imo non agens dicendū est illud cui violentia infertur, sed magis ipsū quod infert violentiā, vt rota molendini est. Et secunda est necessitas stabilitatis & immutabilitatis, qualē dicimus esse necessitatē Dei, qua immutabiliter bonus est, & quicquid est hac necessitate, necesse est ipsum bene agere semper, & contrarium impossibile, & ista necessitas C non aufert libertatem sed perficit. Tertia necessitas est extranea siue forinseca, quam nonnulli vocant necessitatem per accidens; & easdem distinctiones facimus de impossibilitatibus, & hoc modo dicūtur quædā de præterito necessaria vel impossibilia, sicut te comedisse & fecisse, quicquid fecisti. Est & quarta necessitas, quam vocat Aristoteles determinatam, vt Socratem sedere dum sedet, & fortè referri potest ad necessitatem quam diximus extraneam; quoniam sicut necesse est te fecisse quod fecisti, quia tempus non recipit mutationem reditus siue reuocationis: sic & Socratem sedere dum sedet; quare fluxus temporis vtriq; est causa necessitatis & impossibilitatis. Necessitas violentiæ, cum violentia contra voluntatem fuerit, inculpabilem facit: contra voluntatem autem dicimus necessitatem, aut impossibilitatem, aut etiam violentiam, cum nec affectata est, nec procurata, nec tolerata, aut neglecta. Et infra eiusdem 11. Secundum, inquit, errorem illorum, qui dicunt omnia ex necessitate euenire, non est necesse vt propter hoc nemo peccare possit, aut bene agere: & hoc apparet per ea quæ diximus de ne-D cessitate & impossibilitate, videlicet, quæ & quando excusant à culpa & obligatione, & quatenus. Ostendimus quod necessitas, qua necesse est Deum semper bene agere, & impossibilitas, qua impossibile est ipsum male agere, in nullo prohibent vel impediūt, quo minus bene & laudabiliter agat vtrumque: & hoc est, quoniam nec violenter impellunt ipsum ad bene agendum, nec violenter ipsum impediunt aut auertunt à malo agendo, nec vllo modorum resistit illa impossibilitas aut contradicit voluntati eiusdem. Sic necessitas virtutis cœlestis aut fati, quam secundum eos impossibile est ‖*auerti* vel impediri, & quæ etiam mouent animas humanas, vt ipsi opinantur, mouent, inquam, ad cogitationes & affectiones, quæ in eis sunt, & per illas ad operationes, & operum declinationes, quoniam non mouent eos violenter, imo voluntariè, non excusat animas humanas à peccatis & culpis: & hoc est, quoniam à quocunque principio fit opus voluntarium, dummodo voluntarium sit, id est, volutum quocunque trium modorum quos diximus, id est, vel affectatum, vel toleratum, vel neglectum, semper impu-E tandum est volenti & agenti per voluntatem: nec sequitur; Si non potest aliud agere, vel etiam velle propter hoc excusatus sit, quia nec vult aliud posse vel agere nec aliud velle. Propter hoc dicit Seneca, quia omne peccatum adeo est voluntarium, quia si non est voluntarium, non est peccatum: Quare necessitas vel impossibilitas, quæ non aufert operi, quin sit voluntarium, hoc est, ex necessitate, quam impossibile est non esse liberam, nec culpam aufert nec meritum eidem operi. Reuera autem si totum quod mouet animas nostras extra nos esset, & non haberemus principium motiuum operum nostrorum intra nos vel in nobis, totum attribuendum videretur extrinseco motori, vel motoribus, si plures essent: Quare non erit nobis imputandum vel ad laudem vel ad vituperium, similiter nec ad meritum, nec ad culpam: Non enim

‖ conuerti

enim erit ſecundum hoc alterutrum in poteſtate noſtra. Cùm enim à ſolo motore, qui extra nos eſt, ſint voluntates noſtræ, & voluntatum aduerſiones vel repreſſiones, & motor huiuſmodi in poteſtate noſtra non ſit vllo modo, non erunt illæ in poteſtate noſtra, nec erunt in nobis vt actiones noſtræ & opera, ſed vt paſſiones tantum à forinſeco agente, & erimus tantùm receptores huiuſmodi impreſſionum, & nullo modo actores, quare nec bene nec male agemus, ſed virtus cœleſtis vel fatum aget omnia hæc quæ videntur eſſe actiones noſtræ, & erimus tantum organa virtutis cœleſtis & fati. Manifeſtum eſt autem quod organo non eſt imputanda operatio, quæ per ipſum agitur, ad laudem vel vituperium, culpam vel meritum, ſicut motus rotæ molendini varie, nec quantum ad eſſentiam ſuam, nec quantum ad tarditatem vel velocitatem culpabiliter imputari poteſt ipſi rotæ, ſed aquæ ſoli impellenti & reuoluenti illam. Quare manifeſtum eſt, quia ſi virtus cœleſtis vel fatum, vel quicunque alius motor extrinſecus moueret animas humanas ad volendum vel nolendum, non aufert eis dominium & imperium, vel autoritatem ſuarum voluntatum & actionum, cum nec vim, nec violentiam nec coactionem eis inferre ad hæc poſſunt: & hoc eſt propter libertatem atque imperioſitatem voluntatis, propter quas nec coactionem ſuſtinet, nec receptibilis eſt vllo modorum ipſius. Ex his autem euidenter apparet, quod licet quis neceſſitatus fuerit ad faciendum quicquam boni vel mali, ſi tamen neceſſitationem illam ignoret, & faciat hoc voluntariè & liberè, quantum in ‖ *eo* eſt, meretur. Sed quia ignorantia non eſt per ſe cauſa merendi, nec neceſſario conſequens meritum, poteſt quis non ignoranter, ſed verè ſcienter neceſſitatus ad aliquid faciendum, hoc faciendo mereri. Si namque ignorantia neceſſario præexigeretur ad meritum, ipſa eſſet cauſa eſſentialis illius, vt quarto & decimo tertio primi docetur. Omnis enim effectus ponitur, vel poni poteſt, poſitis omnibus & ſolis eſſentialibus cauſis ſuis: ſed ignorantia non eſt aliqua eſſentialis cauſa meriti, vt inductio manifeſtat; ipſa quoque ignorantia pura priuatio eſt & nihil, quare nullam veram rem cauſat. Et per decimum octauum ſecundi huius, meritum eſt vera res exiſtens: ſublata igitur ignorantia ſupradicta, & ſtantibus omnibus cauſis eſſentialibus meriti, erit meritum ſicut prius; maximè quia habitus oppoſitus ignorantiæ, id eſt, ſcientia, non repugnat formaliter merito, nec alicui alij poſitiuo cum tali merito neceſſario concurrente: Quare & videtur quod eſſentialis & per ſe ratio merendi ſit iſta; meritiuum, vt ſic loquar, ſcilicet habile ad merendum facere quid morale liberè, quantum in ‖ *eo* eſt, ſeu ſimpliciter liberè, ſcilicet voluntariè ſiue ſpontaneè. Poſui meritiuum ad differentiam Dei & ſanctorum confirmatorum perfectè, ſicut erunt poſt finale iudicium, qui poſſunt tale & ſic facere non merendo, eo quod non ſunt aut erunt habiles ad merendum. Hoc autem videtur multum conſonum rationi. Nam ſi quis licet neceſſitatus ſcienter ad faciendum aliquid pro amico, faciat hoc pro eo non inuitus tanquam neceſſitate coactus, ſed quantum in eo eſt, liberè & omnino ſpontaneè ac deuote gratiſſimoque amore, videtur quod ratio exigat, & gratitudo compellat, quod ille beneficiatus benefactori ſuo aliquam gratiam referat, aut ſaltem aliquem gratum effectum rependat: Nam vis ipſa gratitudinis ‖ *intima* non permittit, vt ſit ſibi, ſicut cæteri hominum, ſicut Ethnicus & Publicanus, qui nunquam eum gratis dilexit, nunquam ſibi voluit bonum nec vnquam in minimo benefecit. Hoc autem totum demonſtratur clariſſime in Domino Ieſu Chriſto, qui fuit neceſſitatus quodammodo ad opera ſua meritoria vniuerſa, ſicut præſens capitulum oſtendebat, nec ignoranter, ſed diſtinctè ſcienter, ſicut nullus ambigit Chriſtianus: quod & ipſemet expreſſe conteſtans, Non poſſum, inquit, ego à me ipſo facere quicquam, ſed ſicut audio, iudico Ioh. 5. quod dixit de ſeipſo ſecundum naturam ſuam humanam, ſicut triceſimum ſecundi allegat. Vnde Anſelmus 2. Cur Deus homo 5. neceſſitatem bipartiendo diſtinguens iuxta diſtinctionem Auguſtini præmiſſam, oſtendit vnam eſſe, quæ prohibitionem aut coactionem importat, & reddit ‖ *neceſſitatum* inuitũ: & alteram, quæ nihil horũ importat, ſed tantum immutabilitatem ſpontaneã voluntatis. Prima, vt dicit, tollit gratiã & meritum ‖ *facienti*: ſecunda verò non tollit, ſed compatitur & adauget: vbi ad propoſitum primo quærit, Quomodo imputabimus noſtram ſalutem eius gratis, ſi nos ſaluat neceſſitate? Et ſtatim reſpondet, Eſt neceſſitas, quæ benefacienti gratiam aufert aut minuit: & eſt neceſſitas, qua maior beneficio gratia debetur. Cum enim aliquis ea neceſſitate cui ſubiacet, inuitus benefacit, aut nulla aut minor ei gratia debetur: cum verò ipſe ſponte ſe neceſſitati benefaciendi ſubdit, nec inuitus eam ſuſtinet, tunc vtiq; maiorem beneficij gratiã meretur: Non enim hæc eſt dicenda neceſſitas, ſed gratia, quia nullo cogente illã ſuſcepit, aut ſeruat, ſed gratis. Nam ſi quod hodie ſponte promittis cras te daturum, eadem cras voluntate das, quamuis neceſſe ſit te cras reddere promiſſum,

Margin notes: A; B; ‖ ſe; C; ‖ ſe; D; ‖ neceſſaria; *Ioannes.*; *Anſelmus.*; ‖ neceſſarium; ‖ facti; E

A missum, si potes, aut mentiri, non tamen minus tibi debet ille pro impenso beneficio cui das, quam si non promisisses, quoniam te debitorem ante tempus dationis illi facere non es necessitatus: tale est cum quis sanctæ conuersationis sponte vouet propositum. Quamuis namque seruare illud ex necessitate post votum debeat, ne Apostatæ damnationem incurrat, & licet cogi posset seruare si nolit, si tamen non inuitus seruat quod vouit, non minus sed magis gratus est Deo, quam si non vouisset, quoniam non solum communem vitam, sed etiam eius licentiam sibi propter Deum abnegauit; nec sanctè viuere dicendus est necessitate, sed eadem qua vouit libertate. Et eandem distinctionem decimo & decimo septimo recitat, vbi & ostendit diffusè, quod Christus ista secunda necessitate fecit & passus est quæcunque; vnde & dicit, quod Deus homo nequiuit velle seruare vitam suam, vt nunquam moreretur, & quoniam hoc à seipso habuit, vt scilicet velle non posset, non necessitate, sed libera potestate, animam suam posuit; quod & consequenter per impossibile & ostensiuè demonstrat. Primo *Augustinus*
B per impossibile isto modo; Christus potuit non mori; ergo fides virginis benedictæ & antiquorum sanctorum, qua credebant Christum passurum, in qua fide fuerunt à peccato mundati, potuit tunc semper prius fuisse falsa, quæ si falsa fuisset, neminem emundasset; potuit ergo tunc virgo benedicta, & sancti antiqui nunquam priùs fuisse mundati, cum tamen tunc erat verum de præterito, ipsos fuisse mundatos. Secundò hoc ostensiuè demonstrat, è contrario arguendo hoc modo; Tempore Christi incarnati non passi verum fuit de præterito, & necessarium virginem benedictam & sanctos antiquos fuisse mundatos in fide non ficta, sed vera passionis Christi futuræ; ergo tunc fuit necessarium Christum pati: nam si antecedens est necessarium, & consequens erit similiter, vt supponit, quod ostendit Philosophus 1. Prior. Aliter enim ex vero sequeretur falsum quandoque. Si enim consequens non esset necessarium, aut esset falsum, aut fieri posset falsum; ergo secundum Anselmum, quam necesse fuit tempore Christi incarnati non passi virginem benedictam, & sanctos antiquos fuisse mun- *Anselmus.*
C datos, tam necesse fuit Christum fore passurum secundo modo necessitatis, non primo: vnde & inter cætera ita dicit; Verè moriturus erat, quoniam si verè non fuisset moriturus, non fuisset vera fides futuræ mortis eius, per quam & illa virgo, de qua natus est, & multi alij mundati sunt à peccato. Nam si vera non fuisset, nihil prodesse potuisset: Quapropter si potuit non mori, potuit facere non esse verum quod verum erat. Deinde quærens, quare verum erat antequam moreretur, quod moriturus erat, & discipulo respondente, quoniam hoc ipse sponte voluit & immutabili voluntate; subiungit Anselmus, Si ergo, sicut dicis, idcirco non potuit non mori, quia verè moriturus erat, & ideo verè erat moriturus, quia hoc ipse sponte voluit & immutabiliter, sequitur illum non ob aliud non potuisse non mori, nisi quia immutabili voluntate voluit mori. Et paulo post sic ait; Cum dicimus quod homo ille, qui secundum vnitatem personæ, sicut supradictum est, idem ipse est, qui filius Dei Deus, non potuit non mori, aut velle non mori, post-
D quam de virgine natus est; non significatur in illo vlla impotentia seruandi aut volendi seruare vitam suam immortalem, sed immutabilitas voluntatis eius, qua se sponte fecit ad hoc hominem, vt in eadem voluntate perseuerans moreretur, & quia nulla res potuit illam voluntatem mutare: Plus enim esset impotentia, quam potentia, si posset velle mentiri, aut fallere, aut mutare voluntatem, quam prius immutabilem esse voluit. Et si quemadmodum supra dixi, cum aliquis sponte se proponit facturum bonum aliquod, & eadem voluntate postea perficit quod proposuit, quamuis cogi possit, si nolit, promissum soluere; non tamen dicendus est necessitate facere quod facit, sed ea, qua proposuit, libera voluntate. Non enim necessitate aut impotentia fieri, vel non fieri dici debet aliquid, vbi neque necessitas, neque impotentia quicquam operatur, sed voluntas. Si, inquam, ita est in homine, multo magis necessitas aut impotentia nequaquam nominandæ sunt in Deo, qui nihil nisi quod vult, facit, & cuius voluntatem nulla vis co-
E gere aut prohibere valet. Denique virgo, quæ per fidem munda facta est, vt de illa posset assumi, nequaquam credidit illum moriturum, nisi quia vellet, quemadmodum per Prophetam (qui de illo dixit, Oblatus est quia ipse voluit) didicerat. Quapropter quoniam vera fuit fides eius necesse erat ita futurum esse, sicut credidit. Legens igitur ac relegens diligenter hunc librum Anselmi Christiani Philosophi, audeo asserere pro constanti mentis suæ fuisse, quod Christus patiebatur, & fecit quæcunque secunda necessitate prædicta, non prima; nec dubium, quin Christus vtroq; modo plurimum meruit: Quare nec dubium secundum eundem, quin scita necessitas & meritũ non repugnant. Idem videtur testari Lumbardus, qui 2. sen. dist. 5. & 11. dicit sanctos Angelos cõfirmatos continuè proficere in meredo;

qui

qui & 4. ſentent. diſt. 45. dicit, quod Angeli cognoſcunt in Dei voluntate eſſe, volunt & ip- A
ſi: adeo enim voluntati addicti ſunt ſupernæ, vt nihil præter voluntatem eius queant velle, nec eſt veriſimile quod ipſi Angeli illam neceſſitatem ignorent, cum nos ignari homines hanc ſciamus. Item tu ſcis te nunc mereri. ponatur; & tu ſcis ſecundum Philoſophum 1. peri hermenias vlt. quod eſſe quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt: tu ergo ſcis, quod tu neceſſario nunc mereris; quare & ſcis, quod ſcita neceſſitas & meritum non repugnant. Prima igitur demonſtrationum iſtarum, quę per ignorantiam oſtendebat non repugnantiam neceſſitatis & meriti, eſt demonſtratio cognitionis tantummodo. Non eſt enim propter quid, nec quia, quoniam nec à cauſa ad effectum, nec è contra. Apertius tamen & facilius facit cognoſcere veritatem: ſecunda autem eſt propter quid, quia procedit à cauſa: tertia, ſcilicet in vltimo argumento, eſt demonſtratio tantum quia, eo quod ſumitur ab effectu. Has autem tres demonſtrationes tangit breuiter Auerroes, ſuper 8. Phyſ. 58. ſub alijs tamen verbis. Tertia pars corollarij patet ex prima, cum viceſimonono primi: quarta vero pars eius, fatum, præſcienti- B
am, prædeſtinationem, & gratiam cum libero arbitrio & merito ſatagens concordare ex prima & ſecunda, conſequitur euidenter: Non enim eſt cauſa quare diſcordare videntur, niſi quia hæc neceſſitatem, illa libertatem importare creduntur; ſed hæ non repugnant inuicem, ſed ſtant ſimul concorditer, teſtibus partibus ſupradictis.

CAP II.

Quod Deus *quodammodo neceſsitat quamlibet voluntatem creatam ad quemlibet liberum actum ſuum, & ad quamlibet liberam ceſſationem ac vacationem ab actu, & hoc neceſsitate naturaliter præcedente.* C

HIc autem conſequenter arbitror oſtendendum, quod Deus quodammodo neceſsitat quamlibet voluntatem creatam ad quemlibet liberum actum ſuum, ad quamlibet etiam liberam ceſſationem & vacationem ab actu, & hoc neceſsitate naturaliter præcedente. Eſt namque, ſicut docet Anſelmus 1. Cur Deus homo 17. & de Concordia 2. duplex neceſſitas, ſcilicet præcedens & ſequens, ſiue concomitans. Præcedens facit rem eſſe, & hæc eſt in omnibus agentibus irrationalibus, quoniam cum actiuū appropinquauerit paſsiuo cum circumſtantijs debitis, neceſſariò ſequetur effectus, ſicut docet Philoſophus, 9. Met. 10. & eodem modo eſt de ne- D
ceſsitate non eſſendi, de his quæ per irrationalia prohibentur ab eſſe: ſequens verò ſiue concomitans eſt, quæ quodammodo fit à re ente, & ab eſſe quolibet quaſi adoritur & deſcendit, illudque inſeparabiliter ſequitur & indiuiduè comitatur, ſimiliter & non eſſe. Et hæc ſecundum Philoſophum, 1. peri hermenias vlt. eſt vniuerſaliter in entibus & non entibus quibuſcunque: vnde ſic dicit, Eſſe, quod eſt, quando eſt, & non eſſe, quod non eſt, quando non eſt, neceſſe eſt: & idem vult Anſelmus locis prædictis. Nec ſolùm iſta præcedens neceſsitas in agentibus irrationabilibus & eorum actibus reperitur, verumetiam in agentibus rationabilibus ex arbitrij libertate & actibus liberis eorundem. Poſitis namque in actiuo rationali & libero potentia & voluntate quodlibet extrinſecum liberum faciendi, neceſſariò ſequitur quod hoc fiat: nihil enim deficit requiſitum. Dicitque Philoſophus 9. Metaphyſ. vbi prius [ſcilicet 10.] Potens ſecundum rationem omne neceſſe quando deſiderat, cuius habet potentiam, & vt habet, hoc facere. Eandem quoque ſententiam & alibi ſæpe docet, ſicut in præcedentibus recitatur. Ex quo videtur perſpicuè colligi quædam regula generalis, quod E
videlicet vniuerſaliter omnis effectus à quocunque agente rationali vel irrationali & libero producatur hoc modo, quòd poſito ſuo agente cum omnibus ſuis diſpoſitionibus ſufficientibus naturaliter præuijs quibus illum producit, neceſſariò & indefectibiliter ſequitur ipſum produci, & producitur ex neceſsitate naturaliter præcedente; quod & ſatis apparet ex ſignificationibus terminorum. Vnde & poteſt elici talis definitio neceſsitatis naturaliter præcedentis; quod ipſa eſt cauſa actiua, qua poſita cum omnibus ſuis diſpoſitionibus ſufficientibus naturaliter præuijs quibus cauſat ſuum cauſatum, neceſſariò & indefectibiliter ſequitur illud cauſari. Et ex hac clarè poteſt cognoſci definitio effectus neceſſarij neceſsitate naturaliter præcedente;

Philoſophus. *Philoſophus.*

A præcedente; scilicet, quod est causatum à causa, qua plenè posita, necessariò sequitur illud causari. Sed aliquis forsitan hic instabit negando regulam, & definitiones præmissas, dicendo illas esse veras de causis inferioribus & secundis tantummodo, non autem de causa suprema & prima, eò quod omnis causa secunda, quandocunque, quomodocunque sit disposita seu affecta, respectu cuiuscunque causabilis seu causati, necesse est tunc eam sic affici seu disponi. Prima autem causa non sic, vt dicit respondens, quia licet Deus nunc velit aliquid esse futurum, puta Antichristum, non est necesse pro nunc ipsum sic velle, sed potest pro nunc non sic velle. Sed secundum istam instantiam responsiuam, nulla esset omnino necessitas antecedens respectu alicuius effectus, nec aliquis effectus necessarius respectu suæ causæ necessitate naturaliter præcedente: nulla enim causa secunda quicquam potest sine coefficientia & præefficientia primæ causæ, diuinæ videlicet voluntatis, sicut vicesimum & tricesimum secundi
B monstrabant: si ergo in ista seu illa non sit necessitas antecedens, nec in aliqua alia potest esse. Adhuc autem & istum effectum nunc factum seu creatum immediatè à Deo necesse est nunc esse; quare & eius causam efficientem seu creantem, puta voluntatem diuinam: vel si ipsa possit pro nunc non esse, potest & iste effectus contra præmissa. Simili quoque modo potest argui de quocunque effectu præterito; quoniam secundum decimum quartum primi, voluntas Dei est causa cuiuscunque præteriti, quare ipsum est præteritum. Et si dixerit quod voluntas diuina respectu præsentium & præteritorum est necessitas antecedens, sed respectu futurorum nequaquam, facit voluntatem diuinam mutabilem, contra quintum, & vicesimum tertium primi libri: facit enim voluntatem diuinam respectu futurorum liberam secundum contradictionem, in tantum quod pro eodem instanti, in quo est, respectu alicuius futuri, potest non esse; & cum illud futurum fiat præsens, in præteritumue discedat, facit eam necessariam necessitate opposita. Adhuc autem cur non potest omnipotens Dei voluntas esse tam
C necessaria & tanta necessitas respectu effectus futuri, sicut præsentis & præteriti? Si enim ex se sola sit necessaria, & necessitas antecedens respectu præsentis & præteriti, potest & similiter respectu futuri, cum omni eodem modo intrinsecè semper se habeat respectu eiusdem rei primo futuræ, secundo præsentis, & tertio præteritæ. Si autem ponatur necessitas antecedens respectu præsentis & præteriti non sufficienter nec totaliter ex se sola, sed ex adiutorio alicuius alterius, puta rei præsentis vel præteritæ, non videtur sibi ipsi plene sufficiens, neque plene omnipotens, contra primam suppositionem, tertiam partem, quintam, & septimam corollarij primi, primi. Si etiam res præsens aliquo modo iuuaret ad necessitatem in voluntate diuina respectu illius rei præsentis, videtur quod esset aliqua causa eius, & aliquo modo ipsam causaret; quare & prius naturaliter esset rem præsentem esse, & necessariò pro nunc esse, quàm voluntatem diuinam illam necessitatem suam intrinsecam nunc habere, quod potest conuinci per 20. primi, & 30. secundi: si insuper ita esset illa necessitas in voluntate diuina,
D esset necessitas subsequens & necessitas rei præsentis necessitas antecedens contra hypothesin. Si etiam aliquod adiutorium extrinsecum potest præbere voluntati diuinæ necessitatem intrinsecam respectu omnium præsentium & præteritorum, cur non similiter respectu omnium futurorum, aut alicuius futuri? Amplius autem & si voluntas diuina, quæ nunc est respectu alicuius futuri, posset pro nunc non esse respectu illius, vt dicit responsio; hoc tamen non est in potestate illius futuri, nec alicuius causæ inferioris, nec aliquarum causarum, sed tantùm in voluntatis diuinæ libera potestate, & ipsa est vniuersaliter efficax & indefectibilis in causando, quare & necessitas antecedens respectu illius futuri. Ecce quomodo iste modus loquendi de necessitate antecedente naturaliter consonat rationi: consonat quoque modo loquendi, imo & est modus loquendi Philosophorum & Theologorum seniorum, & Patrum nostrorum, sicut præmissa hic & proximo huius docent: vnde & Augustinus 3. de libero arbitrio 3. Voluntas, inquit, illius, scilicet Dei, mihi est necessitas: & quanquam sub
E nomine discipuli hoc dicatur, hoc tamen non reprobat, sed approbat Augustinus, ostendens quod voluntas & necessitas non repugnant: huic & consonant verba & sententia Augustini, 5. de ciuit. Dei 9. & 10. post huius præmissa: qui & 6. super Genesin ad literam 22. ostendit, quod necessitas rerum futurarum est in Deo, in voluntate diuina, vbi & sic ait, hoc necessariò futurum est quod ille vult. Istud etiam consonat verbis & menti Anselmi proximo huius tactis. Vnde & 2. Cur Deus homo, 17. Omnis, inquit, necessitas & impossibilitas eius subiacet voluntati; illius autem voluntas nulli subditur necessitati, aut impossibilitati: nihil enim est necessarium, aut impossibile, nisi quia ipse ita vult. Et infra loquens de Christo, sic ait; Si vis omnium quæ fecit, & quæ passus est, veram scire necessitatem, scito omnia ex necessitate fuisse, quia ipse voluit. Qui & in quadam meditatione sua de redemptione humana sic dicit; Omnis necessitas & impossibilitas eius subiacet voluntati, quippe quod vult necesse *Augustinus.*

est

est esse, & quod non vult, impossibile est esse. Idem adhuc de concordia 2. post distinctionem de necessitate præmissa, & ostensionem eius diffusam sic ait; Opus voluntatis, cui datum est, vt quod vult fit, & quod non vult non fit, voluntarium siue spontaneum est, quoniam spontanea voluntate fit: & bifariàm est necessarium, quia voluntate cogitur fieri, & quod fit non potest simul non fieri. Opus, inquit, voluntatis, id est operatio, seu operatum extrinsecum à voluntate volente procedens cogitur, id est necessitatur, sicut processus eius & verba lucidè manifestant. Vnde & 5. Metaphys. Arist. 16. vbi vna translatio dicit, Quod prius & potentius est illud, cuius secundum præuoluntatem sequi necesse est alterum; alia translatio dicit, quod fortius & ante est illud quod cogit alterum sequi suam voluntatem: quam literam Auerroes exponendo, sic ait; Vniuersaliter dicitur Antè, illud quod est fortius & dignius, & est illud quod cogit illud quod est post, vt voluntas eius consequatur voluntatem suam, quoniam voluntas debilioris sequitur voluntatem fortioris, sicut primum huius plenius recitauit. Eundem quoque modum loquendi videtur diuinissimus Esaias diuinitùs habuisse, prædicens de Christo quod veniret quasi fluuius violentus, quem spiritus Domini cogit; violentus, inquit, id est, non inuitus, sed vi plenus, vi spiritus Domini, qui super ipsum plenariè requieuit, & ipsum agebat in omnibus, & ducebat, quem & ipse in omnibus necessariò sequebatur, sicut 30. secundi, & primum tertij plenius declarabat. Vnde & Matthæus dicit, quòd Iesus ductus est à spiritu in desertum; & Lucas, quòd agebatur à spiritu in desertum; & Marcus, quòd expulit, aut, secundum aliam literam, compulit eum spiritus in desertum, quæ omnia de spiritu sancto constat certissimè dicta esse, sicut 30. secundi breuiter memorabat. Quapropter & Stephanus Episcopus Parisiensis condemnauit quendam errorem dicentem, quòd ad hoc, quod effectus omnes sint necessarij respectu primæ causæ, non sufficit, quod ipsa causa prima non sit impedibilis, sed exigitur quod causæ mediæ non sint impedibiles. Error, inquit Episcopus, quia tunc Deus non posset facere aliquem effectum necessarium sine causis posterioribus: omnes ergo effectus, etiam liberi, sunt necessarij respectu causæ primæ, quia voluntate sua procedunt, quæ non potest aliqualiter impediri. Et si quis instandum putauerit, dicendo, quod articulus Parisiensis non dicit vniuersaliter effectus omnes, sed particulariter seu indefinitè tantùm effectus; fateor me nescire quomodo in originali articulo scribebatur: scio tamen quod inter articulos multum correctos vniuersaliter illam scriptam inueni: nec refert: ex illa namque particulari seu indefinita cum alijs veris, vniuersalis illa consequitur euidenter. Si enim ad hoc, quod aliqui effectus sint necessarij respectu causæ primæ, sufficiat, quod ipsa non sit impedibilis respectu illorum, cùm vniuersaliter omnes effectus fiant ab ipsa, & ipsa sit vniuersaliter non impedibilis respectu aliquorum effectuum, aut etiam alicuius, sicut præhabita demonstrarunt, omnes effectus sunt necessarij respectu illius. Istis igitur suppositis, principalis conclusio faciliter ostendetur. Nam secundum capitulum proximum, Deus potest sic necessitare omnem voluntatem creatam, & hoc necessitate naturaliter præcedente, quia secundum talem necessitatem capitulum totum procedit; & hoc non posset aliquid aliud faciendo, quàm tantum volendo, quoniam nullo alio modo agit ad extra, sicut 9 & 10. primi docent; nec aliter volendo quàm priùs naturaliter; & per 20. secundi iuncto 30. sic vult semper, sicut & capitulo proximo pleniùs est argutum. Item per idem 20. Deus per voluntatem suam est causa efficiens propriè omnis actus voluntatis creatæ; & per idem 30. prior naturaliter voluntate creata; & per 10. primi voluntas diuina frustrari non potest: ergo per regulam generalem & definitiones præmissas, omnis actus voluntatis creatæ producitur ex necessitate naturaliter præcedente; imò & per eadem, omnis voluntas creata agens quodcunque, illud agit ex necessitate naturaliter præcedente. Ad idem non improbabiliter arguitur isto modo: In voluntate creata nunc volente est quædam necessitas ad volendum, saltem necessitas subsequens, & in voluntate diuina similiter, quę vult & facit voluntatem creatam nunc velle, quoniam secundum Philosophum & Anselmum vbi prius, Quod est, quando est, necesse est esse: hæ ergo duæ necessitates in his duabus voluntatibus, diuina scilicet & humana, aut sunt coæquævæ & disparatæ in causalitate, & impertinentes ad inuicem, aut non sunt ita: si sint tales, ergo iuxta habita 25. secundi, ambæ reducuntur ad tertiam, tanquam ad causam communem priorem ambabus: ergo voluntas diuina necessitatur per aliquam causam priorem ad volendum aliquid extra Deum; quod nullus dubitat esse falsum, quoniam illa causa vel est rationalis & libera, vel irrationalis & necessaria in agendo. Si detur primum, ergo diuina voluntas non est prima causarum omnium liberarum, nec Deus primum agentium liberorum; cuius oppositum suppositio prima primi, & capitulum 9. cum 20. & sequentibus, ac 30. secundi huius ostendunt. Si detur secundum, ergo Deus necessitate penitus absoluta vult & facit aliquid extra ipsum; quod destruitur per præmissa. Omnis quoque

Marginal notes: *Aristoteles.* (beside "ba lucidè manifestant"); *Esaias.* (beside "recitauit. Eundem"); section letters A, B, C, D, E in the right margin.

A quoque necessitas in qualibet creatura, sicut & quodlibet aliud, producitur à voluntate diuina, tanquam à causa efficiente priori, vt nonum primi docebat: Omnis ergo volendi necessitas in voluntate creata efficitur à voluntate diuina; quare dici non potest illas duas necessitates prædictas esse disparatas & ad inuicem coæquæuas; nec quisquam in tantum desipit aut insanit, vt dicat necessitatem in voluntate humana esse causam naturaliter præcedentem, & efficientem respectu necessitatis in voluntate diuina: Hoc enim eius libertati permaximæ nimium derogaret; quod & per præmissa conuincitur esse falsum; Illa ergo necessitas in voluntate diuina est prior naturaliter necessitate in voluntate humana, & efficiens causa eius. Item nulla voluntas creata in actibus suis est liberior voluntate Christi humana, & illam necessitauit voluntas eius diuina ad singulos actus suos, sicut hic supra & capitulo proximo est ostensum. Quare & quamlibet aliam quodammodo necessitat voluntatem. Voluntas quoque diuina antecedenter necessitat beatos confirmatos in Cœlo ad beatificum actum suum,
B & ad non peccandum, & contrario modo damnatos, sicut 15. secundi 16. & 17. suaserunt: Cur ergo non agentia cætera simili ratione?

COROLLARIVM.

Corollarium, quod aliqualis necessitas antecedens & libertas ac meritum non repugnant, & quod nulla causa inferior, sed tantum superior, scilicet Dei voluntas, est necessitas antecedens respectu sui effectus: & quod omnia quæ sunt, fiunt & eueniunt, sunt, fiunt & eueniunt de aliqua necessitate ipsam naturaliter præcedente.

VNde consequitur euidenter, quod aliqualis necessitas antecedens & libertas ac meritum non repugnant, & quod nulla causa inferior, sed tantum superior, scilicet Dei voluntas, est necessitas antecedens, & quod omnia quæ sunt, fiunt, & eueniunt, sunt, fiunt, & eueniunt
C de aliqua necessitate ipsa naturaliter præcedente. Primam namque partem huius ostendit clarissimè conclusio principalis, quæ etiam potest ostendi simpliciter sicut illa; & secunda sequitur ex hac prima. Potest quoque istud corollarium demonstrari quantum ad has partes, sicut proximum fuerit demonstratum: Secunda verò pars huius sequitur manifeste, quoniam nulla causa inferior, quantumcunque disposita, quicquam potest, si voluntas diuina resistat, vel etiam si non agat, sicut 10. & 9. primi, cum 20. secundi lucidè manifestant: Relinquitur ergo sola voluntas diuina necessitas antecedens; Vnde & cum nono primi sequitur vltima pars istius.

CAP. III.

D

De contingente ad vtrumlibet secundum opiniones diuersas, & quod ipsum est.

NVnc vero iuxta regulam generalem de necessitate naturaliter præcedente capitulo proximo prælibatam, videtur de contingenti ad vtrumlibet differendum: Porro circa hoc contingens sunt opiniones || diuersæ. || diuisæ.
Aliqui namque dicunt, quod nihil est sic contingens, sed erit; dicuntque tale contingens non esse in rebus præsentibus, sed in futuris. Alij vero dicunt contingens esse in rebus; & hi multipliciter sunt diuisi. Aliqui namque dicunt ipsum esse in propositionibus aliquibus de futuro, & in alijs rebus nusquam: alii vero in rebus aliis ponunt ipsum; & horum hi
E quidem in potentiis tantũ passiuis, illi autem tantũmodo in actiuis; & isti causis efficientibus actu tantum: Illi vero in earum effectibus, dum actualiter tantum fiunt: Alii autem dicunt, quod illud tantum, & ideo est contingens ad vtrumlibet, quod & quia Deus vult posse esse, & non esse. Motiuum primæ opinionis est istud; Nullum ens essentialiter se habet ad vtramque partem contradictionis, ad esse scilicet & non esse, quia omne ens determinatur ad esse; sed omne contingens ad vtrumlibet, siue contingens æqualiter, æqualiter se habet ad ista: Aliter enim non esset contingens ad vtrumlibet & æqualiter. Vnde & Philosophus 1. Prior: capit. de Contingenti, vocans illud contingens infinitum, sic ait; Infinitum autem eo quod non magis sic vel illo modo. Hæc etiam videtur sententia eiusdem Philosophi 1. peri hermenias vlt, vbi in his quæ sunt, & quæ facta sunt, ponit necessitatem, quia determinatam veritatem; *Philosophus.*

in his verò quæ erunt, contingentiam ad vtrumlibet, quia indeterminatam veritatem in singularibus, scilicet de futuro, quæ nostræ subiacent potestati, nec magis nata sunt fieri isto modo quam illo: Vnde & ante illud cap. vltimum ita || *dicit*; In his ergo quæ sunt, & quæ facta sunt, necesse affirmationem vel negationem veram vel falsam esse. Et infra cap. vltimo sic subiungit. Quare in alijs futuris, quæcunque secundum potentiam dicuntur huiusmodi, manifestum est, quoniam non omnia ex necessitate fiunt, sed alia quidem vtrumlibet, nihil magis est affirmatio vel negatio vera; alio verò magis quidē in pluribus alterū; sed contingit fieri alterū, alterū verò minime: Igitur esse, quod est, quādo est, & non esse, quod non est, quādo nō est, necesse est. Et infra, dico autem, necesse est quidem futurum esse bellum nauale cras, vel non esse futurum: sed non futurum esse cras nauale bellum necesse est, vel non futurum esse; futurum autem esse, vel non esse, necesse est. Quare, quoniam similiter orationes veræ sunt, quemadmodum & res, manifestum est, quoniam quæcunque sic se habent, vt vtrumlibet sint, & contraria ipsorum contingere queant, necesse est similiter se habere ad contradictionem. Vbi & Boetius ita dicit, Contingentia sunt, quæcunq; & ad esse & ad non esse æqualiter sese habent: & infra; Hæc quæ vtrumlibet vocamus, talia sunt, quæ cum nondum sint facta, & fieri possunt & non fieri. Istud autem motiuum mouere non debet. Si enim contingens huiusmodi, quia est contingens æqualiter, ideo non est existens; eadem ratione non erit non existens, nec magis futurum quam præsens, nec etiam magis futurum quam non futurum: aliter enim non æqualiter se haberet ad vtramlibet partium, sed esset tantum sub vna: quare oporteret ipsum nec esse, nec non esse; nec esse futurū, nec non esse futurum: & ita de contradictorijs singulis; sed inter omnia contradictoria æqualiter mediaret, quod contradictoria implicat euidenter: Hoc ergo motiuum à veritate longius est remotum. Et ipsamet opinio non est vera: contingens enim necessarium; & contingens in pluribus, & contingens in paucioribus opponuntur contingenti æqualiter; & si vnum oppositorum est possibile aut naturale, & reliquum, vt 1° secundi fuit ostensum. Sed illa sunt possibilia & naturalia actualiter quæ existunt; quare & contingens æqualiter est possibile esse actu, imo & naturaliter est in actu. Secunda vero positio concedit esse tale contingens, propter autoritates plurimas hoc testantes, & non in rebus contra propositiones distinctis, propter motiuum præmissum, ideoque tantum in propositionibus aliquibus, vt est dictum. Istud autem suum motiuum fuerat iam amotum, ipsa quoque positio est errori admota; Si enim contingentia sit in propositionibus talibus; vel hoc est propter ipsasmet propositiones, quatenus essentialiter existunt res tales, & tunc est in rebus existentibus iam in actu, & etiam eadem ratione, qua contingentia ponitur in his rebus, posset poni in alijs rebus præsentibus, quod hi negant: vel contingentia ponitur in propositionibus talibus propter res significatas per eas, & tunc potius est ponenda in rebus illis, quam in propositionibus, dicente Philosopho 1. Post 2. Semper propter quod vnumquodque, illud magis est: & in Prædicamentis cap. de substantia; In eo quod res est, vel non est, in hoc oratio vera vel falsa dicitur: & 1. peri hermenias vlt. Similiter orationes veræ sunt, quemadmodum & res & ratio docet idem. Nam contingentia non ponitur in propositionibus talibus, nisi tanquam in signo, non essentialiter propter ipsas, sed propter res || *signatas*; ergo in ipsis rebus || *signatis* primò & essentialiter est ponenda; & cum illæ res sint tantum futuræ, ista opinio ponit realiter vt præcedens. Tertia opinio præmissarum est ipsius Auerrois, super 2. phys. Arist. comment. 48. & est ratio sua talis; Contingentia || *æqualiter* est in aliquibus potentijs, & non in actiuis; ergo tantummodo in passiuis. Et quod non sit in actiuis potentijs sic ostendit; quoniam natura contingentis æqualiter est natura materiæ & non formæ, & quoniam aliter natura ageret otiose: potentia enim ad esse, & ad non esse essent æquales in eodem per se: sed ratio sua fortissima, quæ potest elici ex dictis suis ibi & super 8. Phys: comment. 8. est ista, quoniam si contingentia æqualis ponatur in aliqua potentia actiua, illa æqualiter se habet ad agendum & non agendum, & ad agendum vnum oppositorum & reliquum; ergo neutrum faciet vel vtrumq;: cur enim potius faceret hoc quam illud? Et hæc eadem videtur sententia Philosophi, infra eodem 8 17. Sed hæc eorum ratio irrationalis est omnino; omnem enim destruit libertatem, seu potius à libertate destruitur, sicut 34. pars corollarii 1[i], primi clarissimè demonstrauit, ostendens quod posito agente rationali & libero cū omnibus dispositionibus naturaliter præuiis, quibus producit suā liberā actionē, non necessario sequitur quod producat, nec necessario sequitur, quod si aliquā actionē producat, istā producet, sed stat oppositum vtriusque: sic igitur perit simul tam opinio quam ratio opinantis. Quarta autem opinio stare non potest. Nam in lapide quiescente est contingentia æqualis, vt moueatur ad Orientem vel Occidentem, ad Boream, vel ad Austrum. His autem duabus, scilicet tertia & quarta destructis, quinta & sexta similiter destruantur. Opinio insuper septima mirabiliter

[Margin: || dicitur; — *Boetius.* — || significatas. — || significatis — || æqualis]
[Margin letters: A, B, C, D, E]

A mirabiliter opinatur: vt enim à facilioribus inchoem; Omne existens, determinate & necessario nunc existit; & omne non ens, determinate & necessario nunc non existit: neutrum ergo istorum indifferenter æqualiter ad vtrumlibet se habet ad esse, vel ad non esse; quod tamen secundum præmissa videtur de ratione huius contingentis, quod & nomen suum videtur ostendere: nam ideo, vt videtur, contingens æqualiter & ad vtrumlibet appellatur; alias etiam tam contingens in pluribus quam in paucioribus, contingens æqualiter & ad vtrumlibet rationabiliter dici posset, contra Philosophum & omnes Philosophice sapientes. Et si opinans se corrigat, æqualiter seu ad vtrumlibet apponendo, dicendo videlicet illud & ideo esse contingens æqualiter seu ad vtrumlibet, quod & quia Deus vult posse sic esse & non esse; videtur definire idem per seipsum: tale insuper contingens non videtur posse poni aliqua res existens propter præmissa, nec res præterita, quare tantum futura; Hæc ergo opinio redit in primam
B superius reprobatam. Item si propterea aliquid sit contingens, quia Deus vult illud posse esse & non esse; simili ratione propterea aliquid est necessarium, quia Deus vult illud sic esse, & non posse non esse: Contrariorum namque debent esse contrariæ rationes; quod est contra prius ostensa, vicesimo primo primi. Non enim quia Deus vult se esse, ideo necesse est ipsum esse, sed potius è contrario; & ita de aliis necessariis absolutè. Adhuc autem secundum præmissa vicesimo, & vicesimo primo primi videtur, quod Deum esse omnipotentem, & posse facere aliquid esse & non esse, est necessarium absolutè, & prius naturaliter quoquomodo voluntate diuina: non ergo, quia Deus vult aliquid posse esse & non esse, ideo causaliter ita potest, sed potius è contrario, iuxta præmissa eodem vicesimo primo primi. Amplius autem illa Dei volutio seu voluntas, quæ ponitur causa contingentiæ talis in rebus, vel est simpliciter & absolute necessaria, vel contingens: non necessaria absolute, quoniam cum per decimum primi ipsa sit causa simpliciter efficax, & infrustrabilis omni modo, omnes eius effe-
C ctus prouenirent necessario absolute. Quis enim nescit ex antecedente necessario absolute in consequentia necessaria absolute nihil consequi, nisi necessarium absolute, sicut & ex vero nihil consequitur nisi verum? Sicque omnis effectus positus contingens ad vtrumlibet præsens vel futurum, esset & foret necessario & necessarius absolute. Si autem voluntas illa sit contingens, quæ causa illius contingentiæ? Si alia talis voluntas, illa vel est necessaria vel contingens: non necessaria, propter præmissa: Si contingens, reuertitur quæstio, quæ contingentiæ suæ causa? Sicque vel procedet in voluntatibus talibus sine fine, vel stabit in aliqua voluntate seu volutione diuina, quæ sit contingens ad vtrumlibet, non ea solummodo ratione, quia Deus vult illam esse taliter contingentem, sed aliqua alia propria ratione; sicut nec sola voluntas diuina est quare homo est animal rationale seu homo, sed sunt causæ aliæ, materialis scilicet & formalis necessario concurrentes.

D

CAP. IIII.

Quid sit contingens ad vtrumlibet.

HAbito igitur per præmissa, quod contingens ad vtrumlibet est, & quid & quale non est, restat consequenter inquirere quid est & quale. Porro secundum Philosophum 9, Met. 10. Sicut agente irrationali posito cum omnibus dispositionibus sufficientibus & naturaliter præuiis ad agendum, sequitur de necessitate quod agat: Sic secundum eundem ibidem, posito agente rationali cum omnibus dispositionibus sufficientibus & naturaliter præuiis suæ liberæ actioni, non sequitur de necessitate quod agat, nec sequitur quod non agat, sed stat
E oppositum vtriusque, sicut primum primi plenius manifestat: cuius & vnam breuem demonstrationem commemorare non piget. Supposito quod A. sit aliquod agens rationale & liberum, accipio primum liberum actum eius qui sit B. & sit C. collectio omnium dispositionum sufficientium & naturaliter præuiarum: Aut ergo posito C. necessario sequitur B. produci, vel non: si sic, & non est in libera potestate A. C poni, nec aliquam eius partem, cum totum C. præcedat naturaliter B. & B. sit || *primus liber actus* ipsius A. ergo nec B. est in ipsius A. libera potestate, cuius oppositū dicebatur: si autē posito C. non necessario sequitur B. produci, habetur intētū. Nunc enim A. cū C. producit B. & hoc non sequitur necessario; ergo oppositū potest stare; quare & possibile quod A. stet cū C. nō producēdo B. & etiā producēdo. Quãobrē, sicut iuxta prędicta, in isto cap. cū regula generali de necessitate naturaliter præced. 2. hui9 || primum liberum

 præmissā

missa, effectus proprius agentis irrationalis dicitur fieri ex necessitate naturaliter præcedente, naturaliter prædeterminata ad alteram partem tantum : sic actus proprius agentis rationalis & liberi || *rectè* dicitur fieri seu produci ex libertate naturaliter præcedente, naturaliter inprædeterminata ad alteram || *partium*, sed ad || *vtrumlibet* æqualiter se habente : & sicut ille dicitur contingens necessarium respectu suæ causæ totalis, sic iste dicitur contingens liberum ad vtrumlibet & æqualiter respectu suæ causæ totalis. Quod & patet per Stephanum Parisiensem Episcopum damnantem quendam articulum erroneum sic dicentem; Voluntate existente in tali dispositione in qua nata est moueri, & mouente sic disposito quod natum est sic mouere, impossibile est voluntatem non velle; & iterum alium sic ponentem, Scientia contrariorum solum est causa quare anima rationalis potest in opposita, & quod potentia simpliciter vna non potest in opposita nisi per accidens, & ratione alterius. Et ad hoc idem faciunt alij articuli ab eodem damnati, tertio secundi plenius recitati. Quare videtur mihi, quod contingens æqualiter per se & primo acceptum potest sic congruè definiri, quod est actus agentis liberi per se & primus, quo posito cum omnibus dispositionibus naturaliter præuijs cum quibus illum producit, non necessario sequitur ipsum produci, sed vtralibet partium potest stare æqualiter. Porro contingens æqualiter accipitur multis modis; sed iuxta præhabita, 26. secundi, per se & primo accipitur vno modo tantum, & ad illum primum omnes alij velut attributales & accessorij reducuntur, & ille est modus eius prædictus; Nam contingens æqualiter cum sit, per se & primo est causa vel effectus, sed non causa : Omne enim tale contingens contingit esse ab aliquo alio: nam si esset per se & à se solo, non diceretur contingere illo modo. Quis enim dixerit, quod Deus est sic contingens, & sic contingere Deum esse? Causa autem per se & primo non est sic contingens. Nam causa quæ est ab alio, non est ab alio in quantum causa, sed in quantum causatum. Etiam, si causa per se & primo esset sic contingens ab alio, tunc per ostensa secundo primi, omnis causa sic esset, & per consequens prima causa: Contingens ergo æqualiter per se & primo est causatum, effectus seu actus, vt dicit definitio iam præmissa, & agentis liberi, quia non agentis irrationalis, sicut præcedentia docuerunt; & est effectus seu actus eius per se, scilicet secundum quod est agens liberum : multos enim effectus non liberè, sed necessariò efficit, quorum quilibet est contingens necessarium respectu suæ causę totalis, sicut præhabita manifestant; Et est effectus seu actus eius primus, scilicet actio immanens, vt velle vel nolle, non effectus eius extrinsecus & secundus, scilicet operatio transiens, siue exterior. Nam talis effectus secundus, posito primo eius actu, à quo procedit ille secundus, puta velle & nolle, de necessitate naturaliter præcedente producetur, sicut secundum huius docebat : Quare ipse est contingens necessarium respectu suæ causæ totalis, non autem simpliciter contingens æqualiter. Iste tamen effectus secundus quodammodo denominatiue & tropice potest dici contingens æqualiter, quia est actio deriuata ab agente, seu actione per se & primo agente, seu contingente æqualiter : & sic loquitur Philosophus 1. Prior: frequenter dicendo, Contingit ad vtrumlibet hominem currere vel sedere. Quod autem posito agente libero cum omnibus dispositionibus cum quibus producit liberum actum suum, non necessario sequitur ipsum produci, patet ex præmissis hoc eodem capitulo; Vnde & consequitur manifeste, quod vtralibet partium æqualiter potest stare, & hunc arbitror intellectum dicentium contingens ad vtrumlibet æqualiter se habere ad esse, & ad non esse, scilicet in consecutione respectu suæ causæ totalis; & similiter Philosophi. 1. Prior: dicentis, Infinitum autem eo quod nihil magis sic vel illo modo sicut capitulum proximum allegauit. Posita enim causa tali actiua totali, nihil magis necessario sequitur sic vel illo modo, scilicet effectum produci quam non produci, Iuxta transumptionem insuper supradictam, Contingens æqualiter reperitur in potentijs actu agentibus, non quia illæ sunt contingentes æqualiter, sed quia contingit æqualiter illas agere & non agere, cum fuerint dispositæ modo dicto. Reperitur quoque in potentijs non actu agentibus sed actiuis, propter similem causam huic; reperitur similiter in potentijs actu patientibus, & passiuis de se æque dispositis ad contrarias passiones, quia contingit æqualiter lapidem moueri ad hanc partem vel ad illam; reperitur in rebus præsentibus, sicut ex præhabitis satis || *patet*, & similiter in futuris, eo quod à causis huiusmodi producentur; in rebus etiam possibilibus non futuris, eo quod possunt à causis huiusmodi prouenire. Nec solum reperitur in rebus, sed in priuationibus ipsis rerum; in priuationibus scilicet huiusmodi effectuum liberorum, eo quod illæ & sui habitus æqualiter possunt contingere, vt est dictum. Reperitur quoque in propositionibus de præsenti & de futuro, tanquam in signis. Omnes autem hi modi transumptionum prædicti cum suis causis, & ordine ipsorum ad inuicem possunt plane patere per Philosophica, Grammaticalia, & Rhetorica, 26. secundi plenius allegata.

|| proprie
|| partem
|| vtramlibet
Stephanus.
Definitio contingentis ad vtrumlibet.
Contingens.
Philosophus.
|| constat

CO-

A

COROLLARIVM.

Corollarium, quid ſit libertas contradictionis, & quis ſit actus liber libertate contradictionis.

VNde cognoſcitur manifeſtè quid ſit libertas contradictionis, & quid ſit actus liber libertate contradictionis. Eſt n. libertas contradictionis libera poteſtas actiua, qua poſita cum omnibus diſpoſitionibus neceſſarijs ad agendum, libere poteſt agere & non agere, nec ſequitur de neceſſitate quod agat, ſed & hæc & altera pars contradictionis æqualiter poteſt ſtare. Iſtud per præhabita ſatis patet. Dicitque Philoſophus 9. Met. 18. hæc verba; Potentiæ vero aliæ, ex quibus definitum eſt, omnes contradictionis ſunt. Nam poſſibile ſic mouere poteſt, & non ſic, quicunque ſecundum rationem: Irrationales vero per adeſſe & non contradictionis erunt eodem. Vult ergo Philoſophus dicere, quod quæcunque potentiæ ſecundum rationem agentes, ſunt contradictionis per ſe & primo; ita ſcilicet quod cum fuerint in diſpoſitione, in qua poſſunt libere agere, poſſunt & libere non agere, ſicut & ſupra decimo docebat, vt erat ſuperius allegatum; & quod irrationales potentiæ ſint contradictionis tantum per accidens & non primo, ſcilicet per adeſſe & non adeſſe actiuas paſſiuis; quoniam cum aſſunt & poſſunt, neceſſe eſt has agere, illas pati, vt ipſemet teſtatur ſupra decimo, ſicut ſuperius erat tactum. Vnde & tranſlatio, quam Commentator exponit, ſic habet; Aliæ vero potentiæ, ex quibus aguntur, omnes ſunt contradictoriorum. Illud enim quod habet potentiam mouere hoc, habet potentiam non mouere hoc, etiam omnia quæ habent verbum; illa autem quæ non habent verbum, non erunt contradictoriorum, cum ſint præſentes primo. Quare & Stephanus Pariſienſis Epiſcopus iuſtè damnauit quendam articulum erroneum, aſſerentem quod poſt concluſionem factam de aliquo faciendo voluntas non manet libera, & quoſdam alios ſimiles tertio ſecundi expreſſius recitatos. Actus vero liber libertate contradictionis, eſt actus proprius libertatis contradictionis, liberæ ſcilicet potentię actiuæ, qua poſita cum omnibus diſpoſitionibus naturaliter præuiis actui, libere poteſt produci vel non produci, id eſt, non neceſſario ſequitur actum produci. Sed & hæc, & altera pars contradictionis æqualiter poteſt ſtare, quod intellectis præmiſſis, reputo manifeſtum.

Definitio libertatis. B C *Stephanus.*

CAP. V.

Quaſi Corollarie ex præmiſsis 13. partes infert.

D

Prima eſt, quod propoſitiones de contingenti æqualiter conuertuntur per oppoſitas qualitates. 1

Secunda, quod aliqua conſequentia bona non eſt neceſſaria ſimpliciter, neque vt nunc, ſed contingens æqualiter. 2

Tertia, quod aliqua cauſa indeterminata, ſcilicet non prædeterminata ad agendum agit. 3

E

Quarta, quod omnis & ſolus actus liber libertate contradictionis eſt contingens æqualiter. 4

Quinta, quod omne & ſolum contingens æqualiter eſt actus liber libertate contradictionis. 5

Sexta, quod contingentia ad vtrumlibet & neceſsitas non repugnant. 6

A

7 *Septima, quod contingentia dicitur propriè respectu præsentis.*

8 *Octaua, quod libertas dicitur propriè respectu præsentis.*

9 *Nona, quod nullus actus creaturæ est simpliciter contingens æqualiter, sed tantum in determinato genere, puta respectu causarum inferiorum.*

10 *Decima, quod nullus actus creaturæ est liber simpliciter libertate contradictionis, sed secundum quid tantum, scilicet respectu causarum omnium secundarum.* B

11 *Vndecima, quod solus actus voluntatis Diuinæ ad extra est simpliciter contingens æqualiter.*

12 *Duodecima, quod solus actus voluntatis diuinæ ad extra est liber simpliciter libertate contradictionis.*

13 *Decimatertia, quod prima & summa libertas contradictionis similis quoque contingentia ad vtrumlibet est in voluntate diuina; & quod hæ sunt causæ similis libertatis & contingentiæ in alijs vniuersis.* C

Probatio prima. PRimum sequitur ex præmissis capitulo proximo manifestè. Nam secundum ibi ostensa, Quicquid contingit æqualiter fieri, vel esse ex causa quacunque, stante illa causa totali cum omnibus suis dispositionibus naturaliter præuijs, potest & contingere æqualiter non fieri, & non esse, & è contra similiter, & hunc reor intellectum Philosophi 1. Prior: vbi propositionum de contingenti *huiusmodi* conuersionem hanc docet. Secundum similiter sequitur: (margin: l huius)
2 Nam secundum superius allegata, in prædicamentis & 1. peri hermenias, In eo quod res est, vel non est, in hoc oratio vera vel falsa dicitur; & similiter orationes veræ sunt quemadmodum & res, & realiter nunc de facto ex ista causa libera cum istis dispositionibus, quas nunc habet, naturaliter antecedentibus istum actum liberum, realiter producitur & consequitur iste actus, non autem necessario necessitate antecedente, nec simpliciter, nec vt nunc, vt patet per definitionem contingentis æqualiter capitulo proximo positam, cum regula generali de necessitate naturaliter præcedente secundo huius ostensa; sed tantum contingenter æqualiter: quare & in oratione similiter consequetur. Ista ergo consequentia, Ista causa sic ponitur; ergo iste effectus producitur, est nunc bona non tamen necessaria vllo modo necessitate naturaliter præcedente, sed tantum contingens æqualiter. Hanc etiam consequentiam contingentem æqualiter satis ostendunt quotidiana dicta & facta. Nam apud omnes homines, gentes, & linguas communiter dicitur, Si tu feceris hoc vel illud, & ego faciam hoc vel illud; & si iste Rex vel populus fecerit istud illi, & iste reficiet istud isti: sic dicunt & sic faciunt consequenter. Multas quoque tales consequentias in sacris literis reperimus; vnde Gen. 13 dixit Abraham ad Lot, Si ad sinistram ieris, ego dextram tenebo, si tu dextram elegeris, ego ad sinistram pergam. Et Matt. 13. Væ tibi Corazin, væ tibi Bethsaida; quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent: aliæ quoque tales conditionales non paucæ ponuntur crebertimè in scriptura, quarum tamen nulla est necessaria quouismodo, sed tantum contingens æqualiter, sicut res ipsa. Item ab vniuersali ad suam singularem est consequentia bona vt nunc, quia vt nunc consequens intelligitur & importatur in antecedente. Posito ergo, quòd quilibet homo cras contingenter voliturus sedere sit A, & quòd iste homo sit cras contingenter voliturus sedere, tunc consequentia ista est nunc bona; Omnis homo cras contingenter voliturus sedere est A; ergo iste est A, & tamen non est necessaria quouismodo, sed tantùm contingens æqualiter, vt est dictum:
3 Contingit enim æqualiter ipsum pro nunc contineri sub subiecto vniuersalis illius. Tertium etiam sequitur manifestè: Omnis enim determinatio causæ actiuæ ad agendum præcedit naturaliter actionem ad quam determinat: sed per præmissa capitulo proximo possibile est quòd

A quòd aliqua causa liberè actiua æqualiter omninò se habeat quantum ad omnes dispositiones naturaliter præuias actui libero, & æqualiter contingenti tempore quietis & tempore actionis: & tempore quietis est indeterminata, ergo & tempore actionis. Neque effectus posterior determinat suum efficiens ad agendum propter causam prædictam. Idem patet per Stephanum Episcopum Parisiensem condemnantem quendam articulum erroneum sic ponentem, quòd nullum agens est ad vtrumlibet, imo determinatur. Item nisi sic esset, nulla causa ageret, nisi esset prius determinata tali determinatione, qua posita, necessariò sequeretur effectus, & sic nullus esset actus liber, sicut capitulum proximum demonstrauit. Quare & alius quidam articulus fuit condemnatus Parisijs ab eodem Stephano, qui sic dixit, Quod de sui natura non est determinatum ad esse vel non esse, non determinatur nisi per aliquid quod est necessarium respectu sui. Quartum verò ex definitionibus actus liberi libertate contradictionis & contingentis æqualiter concluditur euidenter. Et quintum similiter sequitur ex eisdem. Stephanus. 4 5

B Sextum statim infertur, quoniam per præostensa isto capitulo, & proximo, & tertio, contingens ad vtrumlibet est aliqua res existens; & per Philosophum 1. peri hermenias vlt. Esse quod est, quando est, necesse est. Verùm vt istud elucidatiùs declaretur, parum altius ordiendum. Sciendum igitur || *secundum* proximo huius præmissa, quod contingens dupliciter potest sumi: vno modo, per se propriè & in primo gradu contingentiæ, cuiusmodi est actus primus & immanens agentis rationalis & liberi contradictoriè, puta velle: & talis contingentia & sequens necessitas non repugnant, sicut iam erat ostensum. Alio autem modo potest sumi contingens per accidens quodammodo, siue per aliud secundariò denominatiuè, & in secundo gradu, qualis est actus transiens & extrinsecus prædicti agentis descendens à primo, puta mouere manum, baculum, & percutere: vbi & secundum propinquitatem & remotionem possent assignari vlterius plures modi; qui ideo dicitur contingens æqualiter, quia à contingente huiusmodi deriuatur. Talis autem effectus est necessarius respectu suæ causæ tota- 6 || per

C lis, sicut proximum huius docet, & contingens similiter modo dicto: vnde & euidenter apparet, quòd contingentia sic accepta, & antecedens necessitas non repugnant. Ex quo & vlterius clarè colligitur, quod vnus talis effectus exterior in secundo gradu contingens potest dici respectu vnius & eiusdem causæ suæ, puta velle, necessarius necessitate præcedente, & etiam denominatiuè, seu transumptiuè quodammodo necessitate sequente, quia videlicet causa sua, scilicet illud velle, est necessaria illo modo. Quapropter & ille idem effectus respectu vnius & eiusdem causæ suæ potest dici similiter necessarius & contingens, imo necessarius necessitate naturaliter præcedente, & contingens similiter modo dicto: quæ omnia ex præmissis 26. secundi possunt lucidius apparere. Septimum consequitur isto modo; Contingens 7
æqualiter, sicut tertium huius ostendit, est aliqua res existens, & sicut capitulum proximum ostendebat, Contingens æqualiter, per se primò proprieque acceptum est actus causæ actualiter præsentialiterque agentis. Dicit etiam Iohannes Scotus super 1. sentent. dist. 39. Non

D modò est contingens causa, quia præexistebat ante istud instans in quo causat, & tunc vt præexistens potuit causare vel non causare; quia sicut hoc ens, quando est, est necessarium vel contingens, ita causa quando causat, tunc causat necessariò vel contingenter: ex quo igitur in isto instanti voluntas causat hoc velle, & non necessariò, ideo contingenter. Qui & super dist. 2. eiusdem sic dicit, Voco contingenter causatum, cuius oppositum posset fieri quando illud fit: quare & Stephanus Parisiensis Episcopus damnauit articulum asserentem quod nullum agens est ad vtrumlibet, imo determinatur. Octauum demonstratur ex septimo iuncto 8
quarto: potest etiam demonstrari ex definitionibus libertatis contradictionis & liberi actus sui, quas corollarium proximi ostendebat. Item necessitas & libertas quodammodo opponuntur; ergo sic habent fieri circa idem subiectum & tempus: sed necessitas dicitur propriè respectu præsentis, vt patet per definitionem illam seu regulam de necessitate naturaliter præcedente secundo huius præmissam. Item secundum allegata secundo huius, Omne quod est,

E quando est, necesse est esse; & omne quod non est, quando non est, necesse est non esse, licèt prius non fuerit necesse nunc sic esse, vel non esse, nec nunc sit necesse post sic fore vel non fore; ergo necessitas maximè dicitur respectu præsentis. Item nihil propriè dicitur necesse esse, quia prius non potuit, vel nunc non potest, vel in futurum non poterit non esse; sed propter aliquid positiuum, scilicet propter vehementiam essendi, sicut septima pars 13. primi docet. Item ignis in primo instanti sui esse, si totus subito crearetur, de necessitate luceret; si illuminatio sit subita, sicut ponitur à quibusdam, & non propter aliquid eius quod præcesserit tempore, vel etiam sequeretur, sed propter hoc tantum, quia esset actiuum irrationale, quod de necessitate naturæ agit cùm potest. Item Deus de necessitate est, gignit filium, atque intelligit, non tamen propter quemcunque respectum ad tempus præteritum vel futurum, sed

propriè

propriè in ſuo ſemper præſenti æterno, ſicut & fecerat ante tempus: neceſsitas ergo propriè A
dicitur reſpectu præſentis, quare & libertas. Item actiuum liberum in aliquo inſtanti creatum cum omnibus requiſitis neceſſariò ad volendum poteſt liberè pro tunc velle: nihil enim ſibi deficit cur non poſsit, & quia Chriſtus ſecundum animam ita fecit, quia in merito non profecit, ſicut tertio ſecundi præmiſſa ſuadent, & quia actiuum irrationale ſic poteſt, ſicut ſuperiùs
|| hanc eſt argutum; & propter hanc rationem tenet Iohannes Scotus || *eandem* concluſionem ſuper 1. ſentent. diſt. 39. vbi prius; qui diſtinguendo multipliciter libertatem ſic ait; Eſt & alia libertas non ita manifeſta abſque omni ſucceſsione: ponendo enim voluntatem creatam tantùm habere eſſe in vno inſtanti, & quod ipſa in illo inſtanti habeat volutionem, non neceſſariò tunc habet eam. Probatio: Si enim in illo inſtanti: haberet eam neceſſariò, cùm non ſit cauſa niſi in illo inſtanti quando cauſat eam ſimpliciter, voluntas quando cauſaret, neceſſariò cauſaret. Item voluntas antiqua, quæ diu vacauit, poteſt in aliquo inſtanti primo liberè producere liberum actum ſuum, ſicut videtur quòd beata virgo primò conſenſit in illo inſtanti quo B
verbum caro factum eſt, & habitauit in ea: quare ſi in eodem inſtanti fuiſſet creata cum omnibus diſpoſitionibus naturaliter præuijs coefficientibus illum actum, in eodem inſtanti ipſum ſimiliter liberè produxiſſet. Item aliter voluntas diceretur nunc liberè velle, quia prius tempore potuit liberè pro nunc velle vel non velle. Sed iſtud non eſt verum: ipſam namque prius potuiſſe nunc velle, vel eſt aliquid vel nihil: ſi nihil, nihilum inde venit, nullius eſt cauſa, nullius libertatis, nec alicuius penitus veritatis. Si ſit aliquid, ergo totalis cauſa quare actus dicitur, & eſt liber præſentialiter eſt exiſtens. Item ſi tempus præteritum neceſſariò requiratur, vel hoc eſt propter ipſummet tempus tantummodo, vel propter aliquid quod deficit vel reſiſtit afferendum in tempore, & etiam auferendum. Non primo modo, quia tempus præteritum nihil eſt omninò, & etiam quia omne tempus per ſe non plus facit ad velle quàm ad nolle, nec ad libertatem in agentibus liberè, quàm ad neceſsitatem in actionibus aliorum: nec ſecundo modo; habeantur etenim in inſtanti omnia & ſola neceſſariò requiſita. Item ſi C
tempus præteritum neceſſariò præſupponatur ad liberam actionem, ipſum eſt aliqua cauſa illius, vt quarto primi eſt oſtenſum; quod falſum eſt, ſicut inductio plenè docet: item tempus præteritum nihil eſt penitus; ergo penitus nihil cauſat. Item & ſi tempus non eſſet, nec vnquam fuiſſet, poſſet Deus & Angelus liberè velle & nolle. Item aliter Deus non liberè creauit cœlum & terram: non enim prius fuit tempus in quo potuit creare vel non creare, nec æternaliter liberè voluit ſic creare propter defectum temporis præcedentis, temporis inquam veri & poſsibilis ſeu imaginabilis. Tempus etenim nullo modo potuit temporaliter præceſsiſſe illam volutionem Dei æternam, quoniam & ſi tempus fuiſſet coæternum cum Deo, adhuc nullo modo illam temporaliter præceſsiſſet. Item ſi non, hoc maximè videretur, quia neceſsitas, quę ex pręſentia rei deſcendit, repugnaret ſimpliciter libertati, cuius oppoſitū corollariū primi huius oſtendit.
9 Nonum, quantū ad primā ſui partē conſequitur euidenter: ſi enim aliquis actus creaturæ eſſet ſimpliciter contingens æqualiter, hoc maximè videretur de actu libero rationalis & liberæ creaturæ, ſicut docent præhabita capitulo præcedenti; ſed omnis actus D
liber illius prouenit ex neceſsitate naturaliter præcedente, & eſt neceſſarius illo modo, ſicut ſecundum huius oſtendit: ergo per definitionē contingentis æqualiter capitulo proximo declaratā, nullus actus liber liberæ creaturæ eſt ſimpliciter contingens æqualiter, quin ſit neceſſarius reſpectu voluntatis diuinæ ipſum naturaliter præuolentis. Hoc idem apparet per Stephanum Pariſienſem Epiſcopū condemnantē quendā errorem dicentē, quod ad hoc, quod effectus omnes ſint neceſſarij reſpectu cauſæ primæ, non ſufficit quod ipſa cauſa prima non ſit impedibilis, ſed exigitur quod cauſæ mediæ non ſint impedibiles; & ipſa cauſa prima non eſt impedibilis, ſicut decimum primi docet. Et quod omnis talis actus ſit contingens æqualiter in determinato genere, puta, in genere inferiorum cauſarum, patet per eadem cum tertio ſecundi. Poſitis namque omnibus cauſis inferioribus naturaliter præuijs & producentibus talem actum, non neceſſario ſequitur ipſum produci, ſed & oppoſitum æqualiter poteſt ſtare. E
Quare & Philoſophi, qui cauſas vt plurimum conſiderant naturales, dicunt ſimpliciter, contingit ad vtrumlibet ſiue æqualiter facere hoc vel illud, & intelligunt hoc ſic, contingere reſpectu harum cauſarum. Quare & ad communem modum loquendi, contingens ad vtrumlibet ſiue æqualiter, licet proferatur ſimpliciter, accipitur & ſignificat iſto modo: Vnde & quidam dicunt quod contingentia, libertas, poſſibilitas, impoſsibilitas & neceſsitas dicuntur tantum reſpectu cauſarum inferiorum, & non reſpectu ſuperiorum omnino. Quare & Stephanus Pariſienſis damnans articulum affirmantē, quod illud, quod impoſsibile eſt ſimpliciter à Deo nō poteſt fieri, vel agente alio; ſic adiūgit, Error, ſi intelligatur de impoſsibili ſecūdū naturā. Impoſsibile igitur ſecūdū naturā, puta, ſecūdū cauſas inferiores cōſuetius dicitur

impoſsibile

A impoſsibile ſimpliciter; quare & poſsibile ſimiliter, neceſſarium & contingens. Sed quia ſecundum Auguſtinum 4. ſuper Gen. ad literam 6. dum res conceditur, non eſt de vocabulis laborandum, *Auguſtinus.* quia dicente Salomone, qui tantùm verba ſectatur, nihil habebit, Parab. 19. quoniam *Parabolæ.* ſecundum Pythagoram, ſicut allegat Boetius 2. Muſicæ ſuæ, 1. Sapientia, quam primus *Pythagoras.* Philoſophiam nuncupauit, eſt eius rei notitia, quæ propriè vereque eſſe dicitur. Notitia, inquit, rei, non verbi. Et ſecundum eundem Boetium, 1. Arithmeticæ ſuæ, 1. Sapientia eſt earum *Boetius.* rerum, quæ verè ſunt, cognitio & integra apprehenſio. Non dicit verborum, ſed rerum. Ideoque ſecundum Auerroem ſuper 1. Phyſ. comment. 1. Mos erat Ariſtotelis habere modicam *Auerroes.* ſollicitudinem de nominibus. Quare & Auicenna 6. Metaphyſicæ 2. ſic ait, Nos non curamus de nominibus, poſtquam intentiones eorum habemus diſcretas. Ideo cùm ex præhabitis, quomodo res ſit, conſtet, litigioſam diſputationem & ad nomen relinquo (vt Apo-
B ſtoli verbis vtar) ſuperbis nihil ſcientibus, languentibus circa quæſtiones & pugnas verborum, *Apoſtolus.* hominibus mente corruptis, & veritate priuatis, 1. ad Tim. 6. Quare & eorum cuilibet contra me tantùm nominaliter diſputanti, ſicut dicente Philoſopho 2. de cœlo & mundo 80. *Philoſophus.* Omnibus nobis hoc conſuetum, non ad rem fieri quæſtionem, ſed ad contraria dicentem, dico quod recitante Themiſtio ſuper 3. de cœlo & mundo Protageras dixerat Socrati, Si tua *Themiſtius* contradictio, ſeu aliàs || *quæſtio* eſſet ſecundum intellectum meæ intentionis, certè concluderetur *|| concluſio* mihi; cùm autem tu non intelligis intentionem mei ſermonis, non reputo mihi concludi. Nec tamen quiſquam in tantum deſipit & inſanit, vt neget nomen contingentiæ, libertatis, poſsibilitatis, impoſsibilitatis & neceſsitatis ad cauſas ſuperiores poſſe extendi, cùm nomina ſint ad placitum. Quis etiam negauerit contingere Deum liberè facere hoc vel illud, Deum poſſe facere aliquid, cœcum illuminare, vel mortuum ſuſcitare, impoſsibile eſſe Deum facere contradictoria ſimul vera, vel non gignere filium, aut neceſſe eſſe Deum eſſe, Deum in-
C telligere, ac dicere verbum ſuum? Quare & Stephanus Pariſienſis Epiſcopus damnauit quendam *Stephanus.* articulum aſſerentem, quòd poſsibile vel impoſsibile ſimpliciter, i. omnibus modis, eſt poſsibile vel impoſsibile ſecundum Philoſophiam: hæc enim vt plurimum conſiderat poſsibile & impoſsibile ſecundum cauſas naturales ſecundas. Decimum ſimiliter ſequitur ſatis 10
clarè ex quarto vero præmiſſo cum iſto nono. Sequitur etiam ex definitione actus liberi libertate contradictionis capitulo proximo prælibata, cum definitione illa ſeu regula generali de neceſsitate naturaliter præcedente ſecundo huius præmiſſa. Vndecimum etiam conſequitur 11
manifeſtè: nam ſecundum præhabita capitulo iſto & proximo, aliquis actus voluntatis eſt ſimpliciter contingens æqualiter, & per corollarium nonum præmiſſum nullus actus voluntatis creatæ, ergo increatæ diuinæ; & non ad intra, quia non poteſt non diligere ſemetipſum, nec poteſt non velle eſſentiale quodlibet intra eum, quia tunc poſſet non eſſe Deus; ergo tantum ad extra. Hoc idem patet per definitionem contingentis || *ſimiliter* ex capitulo proximo *|| ſimpliciter.*
D ſæpiùs memoratam. Poſita namque in Deo cognitione ſimplici Antichriſti, & potentia volutiua cum omnibus diſpoſitionibus naturaliter præuijs volutioni, qua vult Antichriſtum fore, non neceſſariò ſequitur Deum ſic velle; ſed eius oppoſitum æqualiter poteſt ſtare, ſicut de agente rationali capitulo proximo eſt oſtenſum. Si enim hoc neceſſariò ſequeretur, cùm omnia naturaliter præcedentia illam volutionem in Deo ſimpliciter & abſolutè neceſſe ſit ſic poni, ſimpliciter & abſolutè neceſſe eſſet Deum ſic velle; & ſic per decimum primi Antichriſtum fore eſſet neceſſarium abſolutè, & hoc neceſsitate naturali aut violenta naturaliter præcedente; quare nihil eſſet liberum aut contingens, cuius oppoſitum præcedentia docuerunt. Duodecimum clariſsimè ſequitur ex quinto cum vndecimo ſibi iuncto: ſequitur etiam ex definitione actus liberi libertate contradictionis oſtenſa capitulo proximo cum decimo iam præ- 12
miſſo. Decimum tertium quantum ad primam partem patenter conſequitur ex præmiſsis, 13
poteſtque oſtendi per corollarium, & ſicut corollarium [decimi] primi libri. Et prima parte conceſſa, quis negabit vel dubitabit ſecundam? Quis enim neſciat primum in quolibet genere
E eſſe cauſam omnium aliorum, quatenus in illo genere continentur? Quis inſuper, conſideratis prioribus, neſciat quòd ſi voluntas diuina non eſſet libera nec contingens, ſed neceſſaria abſolutè, omnia alia eſſent ſimiliter neceſſaria abſolutè? Et hoc eſt fortaſsis quod opinio ſeptima recitata ſuperius ſomniauit.

A

CAP. VI.

Obijcit & respondet.

OBijciet forsitan aliquis contra dicta. Contra primum verò capitulo proximo præostensum hoc modo: Ponatur Iohannem contingenter æqualiter non velle. A. ergo conuertendo per oppositas qualitates sequitur Iohannem contingenter æqualiter velle. A. ergo Iohannem velle. A. est contingens æqualiter. Ergo per tertium & quartum huius, Iohannem velle A. est; ergo Iohannes vult A. ergo Iohannes simul vult A. & non vult A. Item pura negatio nihil ponit; ergo negatiua de contingenti ad vtrumlibet non ponit affirmatiuam: ergo nec verè in illam conuertitur quouismodo. Pro primo istorum dicendum, quòd ista, Contingit Iohannem, &c. & quælibet talis dupliciter potest sumi, scilicet de inesse & modaliter: de inesse significat, quòd contingens, seu aliquod contingens sit Iohannem velle, & sic argumentum procedit, sed non obuiat conuersioni prædictæ, quia illa fit in propositionibus modaliter tantùm sumptis, sicque non significat quòd aliquod contingens est Iohannem velle, sed quòd Iohannes potest ad vtrumlibet velle. Et si obijciatur per regulam Grammaticorum, quòd omne verbum tertiæ personæ potest resolui in participium suum eiusdem temporis, & in hoc verbum est, quare necessariò sequitur, Contingit Iohannem velle, ergo contingens est Iohannem velle; dico quantum ad propositum pertinet illam regulam veram esse, quando verbum sumitur categorematicè & de inesse: tunc enim significat inhærentiam participij talis verbi alteri extremo propositionis expresso: cùm autem verbum modaliter sumitur, non habet regula illa locum: non enim significat contingens inesse alicui aut aliquid illi, sed aliquid contingenter posse inesse alteri, puta, velle Iohanni. Est etiam vlterius aduertendum, quod hæc est similiter distinguenda; Contingens est Iohannem velle, & quælibet similis, eò quod potest sumi de inesse vel modaliter; si de inesse, patet sensus eius ex prædictis; si modaliter, tunc contingens non sumitur ibi tanquam vnum propositionis extremum, & est velut copula propriè connectens propositionis extrema: sed hæc duo, Contingens est, accipiuntur pro contingit, scilicet, pro vno modo quo significatur velle, posse inesse Iohanni. Sic & ista, Possibile est Antichristum fore, est similiter distinguenda, eo quod potest esse de inesse, vel modalis. Si sit de inesse, significat possibile sit Antichristum fore, ac si diceretur possibile est lignum, possibile est animal; id est, aliquod possibile seu aliqua res possibilis est lignum vel animal. Si autem sit modalis, sensus eius est notus. Secundum faciliter soluitur, quia omnes illæ conuersæ & conuertentes de contingenti æqualiter sunt affirmatiuæ: non enim sequitur, Contingit Iohannem velle, ergo non contingit Iohannem velle; sed, ergo contingit Iohannem non velle, quæ affirmat vt prima. Vnde Philosophus 1. Prior. capitulo de contingenti sic ait; Accidit autem omnes quæ secundum contingens sunt, propositiones conuerti sibi inuicem; dico autem non affirmatiuas in negatiuas, sed quæcunque affirmatiuam habent figuram in oppositum, vt ea quę est, Contingit esse, ei quæ est, Contingit non esse. Contra secundum obijcitur isto modo; In tali consequentia contingenti oppositum consequentis stat, vt nunc cum antecedente; ergo consequentia vt nunc non tenet. Respondeo statim per interemtionem assumpti: Oppositum enim consequentis non stat vt nunc cum antecedente illius, sed vt nunc potest stare, ideoque vt nunc consequentia non est necessaria, sed pro nunc potest non valere. Sicut ista consequentia est bona vt nunc, Omne cursurum est A, ergo Iohannes est A. si ipse sit cursurus; quæ tamen potest non valere pro nunc, quia Iohannes pro nunc potest esse non cursurus, & sic non contineri sub subiecto vniuersalis illius; quare & oppositum consequentis illius non stat vt nunc cum antecedente, sed potest pro nunc stare: non stat, inquam, nisi illud dicatur stare quod in consequentia necessaria simpliciter vel vt nunc non repugnat; sed quia est alia consequentia bona quàm talis, bona scilicet contingenter; sic & alia repugnantia est quàm talis, scilicet repugnantia correspondenter contingens. Cùm ergo res constet, non est laborandum inaniter circa verba. Contra tertium sic instatur; Si aliqua causa actiua sit indeterminata ad agendum, nulla est causa seu ratio vt agat potiùs quàm non agat; ergo simul agit & non agit, vel nec agit nec non agit. Ad istud autem tertium huius, & 34. pars corollarij primi primi respondent. Contra sextum videtur esse Philosophus 1. Prior. & 2. peri hermenias expressè. Nam secundum suam doctrinam sequitur euidenter, Contingit esse,

Margin notes: B — C — D — *Philosophus.* — *Contra 2.* — E — *Contra 3.* — *Contra 6.* — *Philosophus*

A eſſe, ergo contingit non eſſe, ergo non neceſſe eſt eſſe, & è contra. Neceſſe eſt eſſe, ergo non
contingit non eſſe, ergo non contingit ad vtrumlibet eſſe; vtrumque ergo iſtorum infert contradictionem alterius euidenter. Pro hoc autem ſciendum, quod omnis contingentia ad vtrũlibet aliquã neceſsitatẽ excludit, & illi repugnat, & è contra ſimiliter; quare ſicut eſt duplex neceſsitas ſcilicet præcedens & ſequens, ſicut 2. huius docebat; ſic & duplex eſt contingentia ad vtrumlibet, vna propriè ſtricteq; accepta, quæ tantùm excludit neceſsitatem naturaliter præcedentem, & illi ſoli repugnat, vt patet per definitiones contingentis æqualiter, & neceſsitatis naturaliter præcedentis 4. & 2. huius præmiſſas: hæc tamen contingentia neceſsitatem ſequentem non excludit, nec illi repugnat. Alia eſt contingentia ad vtrumlibet impropriè, communiter, largeque vocata, quæ vtramque neceſsitatem prædictam à contingenti excludit, & vtrique repugnat; ſicque ſecundum Philoſophum, nihil actualiter ens vel non ens dicitur contingere pro præſenti, quia ſecundum eum 1. peri hermenias vlt. Eſſe quod eſt,
B quando eſt, & non eſſe quod non eſt, quando non eſt, neceſſe eſt, ſcilicet de neceſsitate ſequente, ſicut 2. huius oſtendit: ſed ſecundum eundem ibidem tantùm futurum dicitur ſic contingere pro futuro; ipſum enim futurum contingens licèt pro nunc neceſſe ſit non eſſe hac neceſsitate ſequente, quia nunc non eſt, pro futuro tamen ſecundum ipſum neutra neceſsitate eſt neceſſe illud non eſſe ſeu non fore, aut eſſe vel fore, ſed per oppoſitum vtriuſq; æqualiter poteſt contingere hoc & illud. Contra ſeptimum vadit directè autoritas Philoſophi cum expoſitione Boetij, 1. peri hermenias vlt. tertio huius pro prima opinione adducta, innuens euidenter, contingentia tantummodo reperiri in propoſitionibus de futuro. Hic poſſet reſpon- *Contra 7.*
deri, ſicut videtur Anſelmus 2. Cur Deus homo, 17. reſpondiſſe, dicendo Ariſtot. hic erraſſe, *Anſelmus.*
quia ponendo omne quod eſt, quando eſt, de neceſsitate eſſe, videtur contingens ad vtrumlibet deſtruxiſſe, eò quòd neceſsitas & cõtingentia ad vtrumlibet videntur inuicem repugnare. Vnde Anſelmus, diſtincta ibi neceſsitate in præcedentem & ſequentem, ſicut 2. huius præmi-
C ſit de ſequenti neceſsitate ſubiungit, Hæc eſt illa neceſsitas, quæ, vbi tractat Ariſtoteles de propoſitionibus ſingularibus & futuris, videtur vtrumlibet deſtruere, & omnia eſſe ex neceſſitate aſtruere. Veruntamen ne tanto Philoſopho, & plurimis viris philoſophicis ego tam ſimplex ſimpliciter contradicam, dico quòd Contingentia ad vtrumlibet ad propoſitum dupliciter ſumitur; propriè atque ſtrictè, & communiter ſiue largè, ſicut reſponſio proxima diſtinguebat. Prima dicitur propriè reſpectu præſentis; ſecunda verò reſpectu futuri, vt erat in proximo præoſtenſum, & hanc opinor mentem autoritatis Philoſophi allegatæ. Contra octauum faciunt omnia quæ contra ſeptimum ſunt adducta, cùm omnis libertas ſit contin- *Contra 8.*
gentia, ſicut quartum proximi demonſtrabat. Item omnis neceſsitas repugnat libertati, ſed per autoritatem Philoſophi ſæpius memoratam, Eſſe quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt; ergo reſpectu cuiuſlibet præſentis eſt neceſsitas, non libertas. Item liberè operans vel dicitur liberè operari, quia nunc liberè poteſt operari & non operari, vel quia prius potuit liberè pro
D nunc ambo. Primum dici non poteſt propter autoritatem præmiſſam, relinquitur ergo ſecundum, quod probat libertatem dici tantummodo reſpectu futuri. Item Auerroes ſuper 1. de *Auerroes.*
Cœlo, comment. penult. ſupponit & dicit expreſſè, quòd omnis potentia eſt reſpectu futuri.
Item Hugo de Sacramentis lib. 1. part. 5 cap. 22. dicit & probat, quòd libertas non eſt re- *Hugo.*
ſpectu præſentis, ſed tantùm futuri. Quem & ſequendo Lumbardus 2. ſentent. diſt. 25. ſic ait, Sciendum quòd liberum arbitrium ad præſens vel ad præteritum non refertur, ſed ad futura contingentia: quod enim in præſenti eſt, determinatum eſt, nec in poteſtate noſtra eſt, vt tunc ſit vel non ſit quando eſt. Iſta ſoluuntur faciliter per ſimilem diſtinctionem de libertate diſtinctioni de contingentia prælibatæ. Libertas enim conſuetè loquendo accepta excludit neceſsitatem & illi repugnat; quæ & dupliciter poteſt ſumi, propriè ſcilicet atque ſtrictè, & communiter ſiue largè. Propriè tantum excludit neceſsitatem naturaliter præcedentem & illi repugnat, vt patet per eius definitionem, quam corollarium 4. huius præmiſit; ne-
E ceſsitatem autem ſequentem non excludit, nec illi repugnat, ſed illam compatitur, amplectitur, & includit, vt patet per corollariũ memoratũ corollario primi huius adiuncto. Libertas igitur ſic accepta per ſe primò & propriè dicitur reſpectu præſentis: communiter verò & largè, & ſecundum tranſumptionem vulgarem accepta, excludit omnem neceſsitatem tam præcedentẽ quàm ſequentẽ, & ſic ſupponendo illud dictum famoſum Philoſophi, Eſſe quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt, non dicitur reſpectu præteriti vel pręſentis, ſed tantùm futuri. Adducta ſiquidẽ contra 7. ſunt ſoluta. & primũ ſequens contra iſtud 8. Cùm autem quæritur cur liberè operans dicatur liberè operari, dico quòd ideo propriè, quia operatur ex potentia naturaliter præcedente ſuam operationem, qua poſita cum omnibus diſpoſitionibus naturaliter præuijs operi nõ neceſſariò ſequitur operari, ſed & operari & nõ operari æqualiter poteſt ſtare, ſicut

corollarium

corollarium quarti huius ostendit per contrarium agentium irrationabilium, quæ cùm possunt agunt necessariò necessitate naturali naturaliter præcedente, sicut idem quartum docebat. Hæc autem prioritas naturalis est illa circa quam multi contendunt, dicentes, quicunque liberè operatur, prius potuit libere operari, & non operari; quod & aliquid habet falsi, aliquid autem veri. Si enim verbum, potuit, significet potentiam temporaliter præcedentem, falsum est, sicut probationes partis octauæ capituli proximi ostendebant: si autem significet potentiam naturaliter præcedentem, quemcunque scilicet liberè operantem habere potentiam naturaliter præcedentem suam operationem, ex qua non operatur necessariò necessitate naturaliter præcedente, sed cum illa stat operari & non, verum est sicut præhabita docuerunt. Vnde & Iohannes Scotus super 1. sentent. dist.39. immediate post dictum eius de eadem distinctione in ostensione partis septimæ capituli proximi recitatum, subiungit; Est igitur potentia causæ ad oppositum eius quod causat sine successione, & illa potentia realis est potentia prioris naturaliter, vt actus primi, ad opposita, quæ sunt posteriora naturaliter, vt actus secundi. Actus enim primus consideratus in illo instanti, in quo est, prior naturaliter actu secundo, ita ponit illum in esse tanquam effectum suum contingenter, qui vt prior naturaliter posset eum non ponere, sed oppositum in esse. Autoritates verò inductæ procedunt per secundam partem distinctionis de libertate præmissæ: miror tamen de Auerroe dicente quòd potentia non est, nisi respectu ||*futuri*, cum textus translationis, quem exponit, sic dicat; Potentia enim non est in tempore præterito, sed in tempore in quo dicitur modò, & in tempore futuro: Et translationis nouæ, sic; Nec enim vna virtus eius quod est factum esse, est, sed eius quod esse aut futurum esse; vnde videtur quòd Philosophus contrariæ sententiæ magis fauet. Contra nonum hoc modo, Aliqua creatura sic agit, quòd posita potentia eius agente cum omnibus necessarijs concurrentibus naturalibus & supernaturalibus naturaliter præuijs actioni, non necessariò sequitur actio, sed & actio, & non actio æqualiter potest stare; ergo per definitionem contingētis æqualiter 4. huius præmissam, illa actio est simpliciter contingens æqualiter: aliter enim omnis creatura agens, si non sit determinata naturaliter, ex seipsa determinatur per aliquid aliud, puta per velle diuinum, quod est necessarium respectu huius actionis, quod videtur damnatum per Stephanum Parisiensem Episcopum sub hac forma, Quod de sui natura non est determinatum ad esse vel non esse, non determinatur nisi per aliquid quod est necessarium respectu sui: & iterum sub his verbis, quòd nullum agens est ad vtrumlibet, imo determinatur. Dicendum quod hæc ratio sumit falsum, sicut probatio istius noni ostendit, nec damnatio articuli obuiat: articulus etenim vniuersaliter posuit, quod omne quod de sui natura &c. quare condemnatio negat eum vniuersaliter, nec affirmat oppositum cuiuslibet singularis, sed particularem sibi oppositam pro aliqua singulari; quæ & verificatur per velle Dei ad extra, non tamen essentialiter secundum id quod est, quia sic est essentia ipsa Dei, sed tantummodo relatiuè, vt scilicet est velle ad extra. Tale etenim velle Dei non est de sui natura determinatum ad esse tale velle vel non esse, nec determinatur per aliquid quod est necessarium respectu illius, sicut pars vndecima proximi demonstrauit: Et per hoc idem etiam alia condemnatio deuitatur. Aliter autem & bene pro illis ||*condemnationibus* respondendum, quod illi articuli loquebantur de determinatione necessaria per causas inferiores siue secundas, quod patet per quosdam alios articulos statim in eadem serie condemnatos, quorum vnus dicit, quod voluntas de se est indeterminata ad opposita, sicut materia, determinatur autem ab appetibili, sicut materia ab agente: Alter autem, quod voluntas, manente passione & scientia particulari in actu, non potest agere contra eam: Alius vero, quod voluntas & intellectus non mouentur in actu per se, sed per causam sempiternam, scilicet, per corpora cœlestia: & iterum alius, quod voluntas hominis necessitatur per suam cognitionem, sicut appetitus bruti. Vnde manifestum est quod iste condemnator negat voluntatem humanam determinari necessario per aliquas causas inferiores siue secundas, non autem per voluntatem diuinam, cùm in eadem serie condemnando quendam alium errorem sic dicat, quòd omnes motus voluntarij reducuntur in motorem primum: error, nisi intelligatur in motorem primum simpliciter non causatum, & intelligendo de motu secundum substantiam, non secundum deformitatem. Et prius condemnauit quendam alium errorem dicentem, quod humani actus non reguntur prouidentia diuina. Contra decimum potest similiter obijci, sicut obiectum fuerat contra nonum: aliqua enim creatura rationalis & libera ita agit, quod positis omnibus causis superioribus & inferioribus naturaliter præuijs suo actui libero, non necessario sequitur agere, sed & agere & non agere æqualiter potest stare, ergo & cætera per corollarium 4. huius; aliter etenim positis omnibus causis & dispositionibus naturaliter præuijs actui libero creaturæ, ipsa necessariò ageret liberum actum suum: quod videtur

Marginalia: *Scotus.* — || rei futuræ — *Contra 9.* — *Stephanus.* — || condemnatoribus. — *Contra 10.* — A B C D E

A tur damnatum per Stephanum Epis. Paris. sub his verbis, quod voluntate existente in tali dispositione in qua nata est moueri, & mouente sic disposito quod natum est mouere, impossibile est voluntatem non velle. Hęc autem soluuntur penitus vt præmissa. Hic enim articulus volebat hoc dicere vniuersaliter de qualibet voluntate, quod falsum est pro voluntate Dei ad extra, sicut duodecima pars proximi manifestat. Verius tamen ad mentem damnantis & damnati, vt æstimo, potest dici, quod articulus dicitur de dispositione per causas inferiores tantummodo & secundas, ita quod voluntate & obiecto sufficienter dispositis secundum causas huiusmodi, impossibile esset eam non velle. Posuit enim articulus, vt videtur, voluntatem tantum passiuam, vel saltem necessario pati volutionem ab obiecto: Vnde dicit, voluntate existente in tali dispositione, in qua est nata moueri, moueri inquit, non mouere, & mouente sic disposito quod natum est mouere, scilicet sufficienter & necessariò ex seipso, sicut & quidam alius articulus expressiùs affirmabat, quem idem alia
B vice damnauit, sic dicens, quod liberum arbitrium est potentia passiua, non actiua, & quod de necessitate mouetur ab appetibili. Item quod iste articulus supradictus loquatur de dispositione per causas inferiores tantummodo, patet per multos alios articulos in eadem serie positos sic loquentes. Iste namq; articulus ponitur inter superiùs proxime recitatos, vbi & quidā alius ita dicit; Appetitus, cessantibus impedimentis, necessariò mouetur ab appetibili: & alter, quod homo agens ex passione coactè agit: & alius, quod Post conclusionem factam de aliquo faciendo volūtas non manet libera: & iterū alius, quod Voluntas necessariò prosequitur quod principaliter creditur à ratione, & quod non potest abstinere ab eo quod ratio dictat; hæc autem necessitas non est coactio, sed natura voluntatis: & adhuc alius asserit quod voluntas nostra subiacet potestati corporum supracælestium. Is igitur condemnator negat à voluntate humana necessitatem secundum causas inferiores siue secundas, non secundum superiores & primam, sed eam concedit, sicut articulus adductus ad probationem nonæ partis
C proximi manifestat. Contra vndecimum sic instatur; Vbi est maior mutabilitas, maior contingentia reperitur: sed in creaturis est maior mutabilitas, quàm in Deo, seu in voluntate diuina, sicut quintum & vigesimum tertium primi docent. Dicendum quod consequentia facta non tenet: Licet enim in creaturis sit mutabilitas varia, & nulla in Deo aut volutione diuina; tota tamen mutabilitas creaturæ necessariò subiacet immutabili volutioni diuinæ, sicut trigesimum secundi, & decimum primi docent. Ipsa verò volutio Dei ad extra nulli necessitati subiacet præcedenti, sicut probatio huius vndecimi demonstrauit; quare in illa aliqualis præcedens necessitas, in hac autem tantummodo || *purissima* contingentia reperitur. Adhuc autem contra istam vndecimam, & duodecimam atque decimam tertiam obijcitur grauiter isto modo; Omnis voluntas volutiovè diuina agitur siue producitur, & est acta siue producta; ergo per aliquod agere siue producere ipsum naturaliter antecedens, & posito huiusmodi agere, siue producere volūtatis seu volutionis illius necessariò sequitur illā agi siue
D produci: Omnis ergo actus voluntatis diuinę producitur ex necessitate || *naturaliter* præcedēte, & est necessarius illo modo, & nullus simpliciter contingens æqualiter, nec liber cōtradictionis, videlicet libertate secundum præmissa. Omnē quoq; actum voluntatis diuinæ producit Deus voluntariè, omnem ergo talē actum priùs naturaliter vult producere quā ipsum producat, & priùs naturaliter potest ipsum producere; omnis ergo actus huiusmodi producitur ex necessitate naturaliter præcedente, secundū pręmissa, &c. sicut priùs. Pro primo istorum sciendum, quod aliqui opinantur quod actio & passio sint res relatiuę, seu ipsæ relationes purę tantummodo: sed eruditioribus puto constat, quod relationes huiusmodi actionem & passionem naturaliter consequuntur, & per eas causantur. Quapropter & alij arbitrantur, quod actio & passio sint res absolutæ secundum suam essentiam, relationibus tamen necessariò copulatæ; & horum quidam existimant, quod actio & passio sint res diuersæ secundum essentiam absolutè quia sunt prædicamenta diuersa: Alij verò putant, quod sint eadem res, & idem rea-
E liter absolutè, sed differant relatiuè: Aliam enim relationem, & aliam denominationem habet actus & motus, quatenus ab agente procedit, & aliam prout in patiente recipitur, sicut semidiameter mundi respectu puncti sui superioris dicitur descensus siue deorsum; respectu verò centri dicitur ascensus, seu sursum; sicuti & habitudo inter primum & secundum, & etiam vnum & duo est alia proportio, quatenus est primi ad secundum, aut vnius ad duo, & alia quatenus est è contra: Et hæc videtur sententia Philosophi 3. Phys. 18. & consequenter in textu, & Auerrois in comment. 2. de Anima 137. & 138. & Auerrois similiter in commento. Quibus & concordanter Ansel. de veritate; Multis, inquit, modis eadem res suscipit diuersis cōsiderationibus cōtraria, quod in actione sępe cōtingit, vt in percussione. Percussio namq; & agentis & patientis est, vnde & actio dici potest & passio, quamuis secundū ipsum

Kkk nomen

Marginal notes: Contra 11. (at C); || pura (for *purissima*); || naturali (for *naturaliter*); Anselmus (at "commento. Quibus")

nomen actio vel percussio, & quæ similiter dicta à passiuis in actiua significatione dicuntur, A
magis videantur esse patientis quam agentis; quippe secundum id quod agit magis proprie
videntur dici agentia & percutientia, & secundum id quod patitur, actio & percussio. Nam a-
gentia & percutientia ab agente & percutiente dicuntur, sicut prouidentia à prouidente, &
continentia à continente: quæ, scilicet agens & percutiens prouidens & continens actiua sunt;
actio vero & passio ab acto & percusso quæ passiua sunt, deriuantur. Sed quoniã, vt in vno di-
cam, quod in cæteris intelligas, sicut percutiens non est sine percusso, nec percussus sine percu-
tiente; ita percutientia & percussio sine inuicem esse nequeunt, imo vna & eadem res est diuer-
sis nominibus secundum diuersas partes significata: Idcirco & percussio, & percutientis &
percussi esse dicitur; quapropter secundũ agens & patiens eidem subiacet iudicio [indifferen-
ter] vel contrarijs; Ipsa quoque actio ex vtraq; parte similiter iudicabitur aut contrarie. Sed
ista reuera altiora, & subtiliora, & fœcundiora mihi videntur, quàm à me, præsertim hic, in
breuibus dignè valeant explicari; veruntamen probabilior mihi videtur hac vice secunda o- B
pinio recitata. Ex prima namque per rationem prius obiectam, quam & opinio hæc admittit,
sequi videtur, quod in actionibus, agere siue agentijs sit processus essentialiter ordinatus secun-
dum sub & supra, secundum prius & posterius naturaliter infinitus. Si enim non sequatur, sit
A. primum agere, seu prima actio, siue agentia: ergo A. agitur siue producitur, & est a-
cta siue producta; ergo per aliquod agere siue producere ipsum naturaliter antecedens,
sicut aduersarius arguebat. A. ergo primum positum non est primum, imo & adhuc su-
pra A. oportet necessario ascendere infinite per similem rationem. Quod & aliquis for-
tassis concedere non timebit, sed quomodo tunc stabit secunda suppositio primi primi? Quo-
modo etiam omnes Philosophi abhorrent processum infinitum in actu, præsertim in essenti-
aliter ordinatis modo prædicto? Nonne & Philosophus 2. Met. 10. reprobans processum in-
finitum in causis formalibus, dicit ita; Cuius autem primum non est, nec habitum est? habitum,
i. aliquid quod ad aliud se habeat consequenter, quod & Auerroes & omnes exponentes vna- C
nimiter contestantur. Secundum istam quoque sententiam non esset aliqua prima actio seu
productio in diuinis, sed ante quamlibet intellectionẽ & volutionem, ante quamlibet genera-
tionẽ & spirationẽ aliæ infinitæ. Adhuc autem secundũ istam sententiam Deus creans aut agẽs
quippiam nouiter mutaretur: reciperet etenim & haberet actionẽ nouellã, quam non habuit
vnquam prius. Hæc enim opinio ponit actionem esse in agente, sicut & passionẽ in passo, sicut
& necessario cogitur ad ponendũ; alioquin in omni motu essẽt necessario duo motus motio-
nesue duæ, quos nec Deus omnipotens posset ab inuicem separare: esset quoq; in creationib⁹
& actionibus talibus nouellis simul tempore creatis & actis processus secundum prius & po-
sterius, sub & supra naturaliter infinitus. Illa enim creatio siue actio crearetur seu ageretur per
aliam causaliter & naturaliter non temporaliter præcedentem, & illa per aliam, & ita deinceps
infinite superius ascendendo. A quo etiam reciperet Deus hanc nouam nouiter actionem, D
Non ab aliquo inferiori agente, propter 7. part. coroll. 1. primi, & quia tunc illa actio creatu-
ræ causaliter & naturaliter præcederet illã actionẽ Dei, & è contra. Omnis namq; actio crea
turæ est a Deo actore, sicut præced. docuerunt: aut erit in actionibus talibus essentialiter ordi-
natis multitudo super numerũ infinita. Si insuper noua creatio siue actio insit Deo creãti quip-
piã nouiter seu agẽti, inest quoq; & ipsi similiter noua relatio, qua refertur ad suũ creatũ, siue a-
ctũ, quare & noua mutatio. Per hanc autẽ rationẽ Aug. 5. de Trin. vlt. se reputat demonstrare,
quod Deo nõ accidit nouiter aliqua noua relatio temporalis. Esset quoq; in relationib⁹ talibus
essentialiter ordinatis processus super numerũ infinitus. Illa namq; relatio est creata seu acta à
Deo quare & Deus refertur ad illam vt creans seu agens per aliam relationem, & ad illã per
aliã simili ratione, & ita deinceps super omnem numerum & mensuram. Amplius autem po-
natur Carbunculus luminosus obtectus, nec illuminans quicquam extra, qui nouiter detega-
tur, & illuminet aerem; habet ergo nunc nouam actionem, nouam illuminationem intrinse-
cam intra ipsum, sed vnde? à quo agente? Non à seipso tantummodo: cur enim potius nunc E
quàm prius, cùm sit agens irrationale, inelectiuæ & illiberæ actionis? Nec ab aere: aer enim
ab ipso recipit passionem, nec potest assignari modus quo aer causaret illam illuminationem
carbunculi, nisi per viam reflexionis aut reactionis, sed prior causaliter & naturaliter est actio
Carbunculi, sicut constat. Illæ insuper actiones Carbunculi & aeris se inuicem mutuò agerent
& causarent; quare & causaliter & naturaliter mutuo se præcederent atque succederent; aut
ponetur processus in talibus infinitus, nec recipit actionem hanc nouam ab aliquo alio. A quo
enim? Si dixeris, quòd à Deo; ergo & Deus ipse similiter tunc recipit vnam actionem nouel-
lam contra pręmissa. Si insuper Deus agat istam actionem in Carbunculo illuminante, & istam
passionẽ in illuminato, cum istæ sint res absolutè diuersę, & neutra pars alterius, nec quicquam
vnius

A vnius de essentia alteri9, videtur quod Deus omnipotēs posset ista ab inuicē separare, & facere alterutrū sine reliquo & seruare, præsertim rē priorē sine posteriori, quod contradictionē includit. Adhuc autē & Deus facit futura esse futura per 14. 1. lib. ergo per aliquā factionē & nō nouā, quia tūc nouiter incæpissēt esse futura, ergo æternā. Aliquid ergo aliud à Deo & corruptibile est coæternū aut anteri9 ipsi Deo, qd. & de futuritione simili modo patet: Deus quoq; facit aliqua sēper non entia sēper non esse, sicut ex 32. & 33. 2di apparet; ergo per aliquā factionem, & non temporalem, constat, sed Deo simpliciter coæternam. Quæ si sint vera, non posset Deus quicquam creare, nisi aliud annihilaret, factionem videlicet, qua prius fecit illud non esse, & esse futurum, & futuritionem ipsius. Amplius autem nec Deus omnipotens posset quicquam annihilare, nisi aliud mox crearet, annihilationem videlicet, & relationem inter annihilantem & annihilatum: Imo nec Deus omnipotens vniuersæ creaturæ conditor & ser-
B uator posset annihilare vniuersitatem rerum creatam: Si enim posset, ponatur; Deus ergo annihilat mundum, & est annihilans & annihilator; ergo per aliquam annihilationem actiuam & relationem nunc factam. Dicetur fortassis pro ipsis, quod creatio & factio rerum in Deo est voluntas seu volutio eius æterna, & de annihilatione similiter; sed quomodo? Vel enim, Deo creante quippiam nouiter, puta mundum, volutio eius æterna est creatio æterna, vel noua. Non æterna, quia tunc æternaliter creauisset, & esset creatura similiter coæterna. Si noua, per quid est illa voluntas tunc creatio, & non prius? Vel per aliquid æternum, vel nouum. Non æternum, quia tunc æternaliter fuisset creatio: nec nouum, quia tunc illud est creatum à Deo, & Deus prius natura illud creat, & est creans, quam illud sit creatum aut sit: Illa quoq; volutio Dei producitur, ergo per aliquod producere antecedens, & illud per aliud simili ratione, &c. sicut supra. Per quid insuper nouum est volutio seu nolutio Dei æterna, annihilatio modo noua? Si etiam sit ita in Deo, cur non simili ratione quodlibet actiuum creatum, ratio-
C nale vel irrationale, sufficienter dispositum ad agendum, potest agere sine aliqua actione nouella nouiter producta in ipso? Obijcies forsitan, quod agens A. actionem signatam, quæ ponatur actio prima in Deo, quare & prima simpliciter omnium actionum, constituitur in esse agentis; ergo per aliquid formale, per aliquam causam formalem, seu formam aliquam quoquomodo, quemadmodum loquitur Sapiens, vbi dicit, Amator factus sum forma illius, Sap. 8. *Sapiens.*
Et Apostolus ad Phil. 2. Qui cum in forma Dei esset: illud autem formale seu forma non potest poni A. actio, cum sit posterior naturaliter quam hoc sit agens: Per hoc enim, quod Deus est agens, producitur A actio & causatur, nec potest poni aliquid nisi actio; quid enim aliud poneretur? Est ergo aliqua actio alia A. actionem naturaliter antecedens. Forma namq;, qua aliquid est formatum, præcedit causaliter, quare & naturaliter, licet non temporaliter suum formatum. Pro isto sciendum, quod actio, & huiusmodi nomina verbalia dupliciter possunt sumi; actiuè videlicet & passiuè; id est quatenus ab actiuo siue agente procedit, & sic agentia *Apostolus.*
D congrue dici potest; & quatenus in acto seu patiente recipitur, & sic actio seu passio nuncupatur. Adhuc autem secundum quod potest haberi ex Philosopho, 3. Phys. vbi prius: & 5. met. 20. Et Anselmo vbi superius, vlterius aduertendum, quod, quando actiuum seu agens producit aliquod agere, seu mouere aliquam actionem, actum seu motū, & duas relationes similiter quodammodo comproducit, vnam actionis siue actiuam, quatenus viz. agere, actio, actus seu motus ab actiuo seu agente procedit, & qua sic ad ipsum refertur; aliam passionis siue passiuam, quatenus scilicet in acto seu patiente recipitur, & sic refertur ad ipsum. Imo & si quis intueatur subtilius, & diligentius perscrutetur res ipsas, & Aristot. & Auer. & Anselm. vbi superius, apparebit vnam esse relationem actiui siue agentis ad actum, quatenus scilicet agit seu causat, & aliam è conuerso, viz. acti ad actiuum seu agens, quatenus scil. agitur seu causatur; sicut alia est relatio patris ad prolem seu filium, puta paternitas, & alia filij ad patrem, puta filiatio; & simili modo in alijs, quæ & nominibus supradictis, vel alijs similibus possūt congrue nominari,
E & hæ relationes quandoq; actionis & passionis nominibus nuncupantur. In Deo autem licet sit agere, actio atq; actus, non tamen pati seu passio proprie poni debet, sed aliquid simile passioni, puta receptio siue conceptio, vel si aliquid simile melius dici possit: quare & secundum sententiam antiquorum, Deus vtriusq; sexus nominibus fuerat nominatus, non solummodo genitor, in quantum gignit & agit, sed etiam genitrix, in quantum concipit & conseruat propriam actionem, actum proprium immanentem, sicut primum primi plenius manifestat. Vnde & Ierem. 50. Audite consilium Domini quod mente concepit. Et Parab. 8. Sapientia Dei, dicit Dominus, possedit me in initio viarum suarum, ab æterno ordinata sum; nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram; Ante colles ego parturiebar. His itaque prælibatis verisimiliter dici potest, quod agens A. primam actionem, constituitur in esse agentis per suum primum agere; Prius enim quoquomodo videtur agere, quam esse agens. Primum enim videtur esse actiuum, secundum agere, tertium esse agens, non tempore, sed natura seu causa. Vel aliter *Ieremias.* *Parabola.*

dici poteſt, quod agens conſtituitur in eſſe agentis per illam relationem actionis ſiue actiuam prædictam, ita quod primum ſit actiuum, ſecundum agere, tertium illa relatio, quartum ſecundum hunc ordinem eſſe agens. Tertio dici poteſt, quod non eſt omnino clariſſimum, quod nihil denominatur formaliter quoquomodo ab aliquo, niſi fuerit prius ſecundum naturam. Aliquid enim dicitur formandum à forma futura quam recipiet, & facturum refertur ad faciendum, & denominatur facturum à factione futura, ſicut & ædificans, pullificans & fœtificans ab eodem pullo & fœtu futuris per actiones quas agunt ad iſta finaliter terminandas; multa quoq; naturalia & alia à ſuis effectibus, & à ſuis accidentibus ſæpius nominantur. Nonne & Deus dicitur Creator ſeu creans per aliquid poſterius ſecundum naturam? Capiatur enim primum in ordine naturali creatum à Deo: tale namq; eſt dandum; alioquin ante omnẽ creaturam & creationem eſſet alia prior illa cauſaliter & naturaliter ſine fine contra priora. Sit ergo B. primum creatum à Deo; Deus igitur denominatur & dicitur Creator ſeu creans, à qua forma? & per quod formale? Non per aliquod increatum æternum, quia tunc æternaliter fuiſſet Creator; per aliquod ergo creatum; puta per B. vel per aliquod poſterius ipſo B. & B. & omne poſterius ipſo, eſt poſterius cauſaliter & naturaliter quam Deum creare & eſſe creantem; hoc enim eſt cauſa B. atque ſequentium. Si etiam Deus omnia poſteriora annihilaret, per quod formale præcedens naturaliter eſſet annihilator, ſiue annihilans? Non æternum; quia tunc æternaliter fuiſſet annihilans: neque nouellum; quia illud tunc eſſet annihilatum, redactum ad nihilum & non eſſe. Et per has fortaſsis & huiuſmodi rationes poteſt oſtendi, quod creatio actiua ſiue creantia non eſt in creante (niſi forſitan principiatiuè, vel potius principiantiuè, ſicut ad modum loquendi Philoſophi 4. Phyſ. 23. Res regni ſunt in Rege, & motũ in primo motiuo; vel ſecundum aliã tranſlationem, in primo motore; & ſecundum Auerroẽ, res in agente; quia tunc aliquid nouiter accideret intrinſecus Creatori, recederetq; ab eo, & eſſet mutabilis) ſed tantummodo in creato; & quod relationes non habent exiſtentiam realiter poſitiuam à rebus abſolutis, ſiue relatis omnino diuerſam, quemadmodum ponitur à quibuſdam. Adhuc autem fortaſſis obijcies arguendo, quod creantia ſit in creante, quia nihil conſtituitur, informatur, aut denominatur formaliter ab aliqua forma extrinſeca extra ipſum; ſed creans conſtituitur, & informatur quodammodo, & denominatur formaliter à creantia; eſt ergo creantia in creante. Sed nonne in moralibus opus exterius dicitur, & eſt bonum propter bonitatẽ, quæ eſt in agente, virtutem videlicet intentionẽ & cætera moraliter requiſita? Nonne & ſecundum veritatẽ & ſecundũ Philoſophum 5. Met. 20. hoc dicitur & eſt viſum aut ſcitum propter viſionem aut ſcientiã in aliquo exiſtentem? Nonne & ſecundum Philoſophũ 5. Phyſ. 10. & ſecundum Auerroem in com. contingit quandoq;, quod aliquid denominetur aliquo modo nouiter relatiuè, non per aliquã nouã formã aut mutationẽ in ipſo, ſed in altero relatiuo? Quibus & ||*concorditer* Auguſt. 5. de Trinit. vlt. oſtendit, quod Deus dicitur nouiter Dominus huius rei, refugium noſtrum & Pater, non per aliquid quod ipſi nouiter accidit relatiuè, quia tunc eſſet mutabilis, ſicut ſuperius arguebam, ſed tantummodo illi rei, cui ſic nouiter dicitur relatiue. Sed nec ſic fortaſſis deſines replicare, ſed dices; Non eſt idem, ſed diuerſum, generare & generari, agere & pati, percutere & percuti, docere & doceri, ſicut & eſſe generans & generatum, agens & paſſum, percutiens & percuſſum, docens & doctum, ſicut omnibus clare patet. Pro iſto breuiter dici poteſt, quod generare & generari, & cætera talia, ſunt eadem res, & idem realiter abſolute, ||*habent* tamen relationes prædictas diuerſas, & ſecundum illas nominationes correſpondenter diuerſas. Verum vt iſtud pateſiat lucidius aduertendum, quod homo percutiens mouet brachium & gladium, ſeu quodlibet inſtrumentum applicans ad percuſſum; percuſſus vero recipit paſſionem & patitur vulnus ſeu ictum; Illud vero mouere in percutiente & gladio videtur communi iudicio eſſe percutere tantum non percuti; illud autem moueri, recipere, ſiue pati in percuſſo, tantummodo percuti & non percutere quouiſmodo. Reſpiciendo tamen ſubtilius apparebit, quod illud mouere in percutiente brachio & gladio, non eſt ſine moueri inſeparabiliter ei annexo & eis infixo; nec illud moueri in percuſſo eſt ſine mouere ei annexo; imo ſecundum præmiſſa, illud mouere & moueri ſunt idem realiter non diuerſa: quod clarius forte patet, ſi quis in vacuo manu percutiat lapidem ſtabilem & ſolidum non cedentẽ, nec aliqua ſpecie motus motum: tunc enim illud mouere & moueri, percutere & percuti eſſent in vno & eodem, & vnum & idem realiter abſolutè, denominaretur tamen diuerſis nominibus propter conſiderationes, relationes, & reſpectus diuerſos prædictos. Quapropter neq; idẽ eſt eſſe generans & generatum reſpectu eiuſdem, ſed generans dicitur & eſt generans per ſuum generare, ſiue per illam relationem actiuã ſeu cauſatiuã prædictam; generatum vero dicitur & eſt generatum per ſuum generari, ſiue per relationem illam paſſiuam ſeu cauſatiuam præmiſſam. His itaq; iam præmiſſis ad primum principalium obiectorum dicendum, quod videtur ſupponere vnum falſum. Videtur enim ſupponere quod omne quod agitur,

Marginalia: A; B; *Philoſophus.*; *Auerroes.*; C; *Philoſophus.*; *Auerroes.*; || concordanter; D; || habens; E

A tur, siue producitur, agitur siue producitur per aliquod agere siue producere ipsum naturaliter antecedēs: quod falsum videtur, quia tunc in actionibus seu productionibus huiusmodi esset processus infinitus simpliciter ascendēdo contra præmissa. Tunc etiam nulla esset prima productio in diuinis nec aliquod primum productum, sed ante quamlibet & quodlibet aliæ infinitæ, & alia infinita; quomodo ergo, secundum Philosophiam & Theologiam; In principio erat verbum, i. primum omnium productorum? Imo nec vna quidem productio, nec vnum productum Verbū & Filium Dei præcedit, sicut puto omnes tractatores catholicos concorditer profiteri; Quinimo & Oxoniæ est damnatum, quod cum Deus pater sit prior origine filio, in illo priori potuit produxisse aliquid ante eum. Adhuc forsitan replicabis, Verbum Dei est productum, ergo per aliquod producere antecedens. Sed quis præsumet filium in diuinis tantum remoueri à patre, vt constituat vnum pontem, parietē, seu limitem quēlibet medium inter eos patre posteriorem prioremq; filio? Quis aufert verbo Dei & filio principium, primogeniturā, & primatum omnium productorum? Nonne & illud producere, per quod moliris verbum Dei produci similiter est productum? Quapropter & (vt gladio tuo te feriam) per aliud producere antecedens &c. sicut supra. Quamobrem & maiorum meorum meliore sentētia semper salua, videtur non improbabiliter dici posse, quod verbum Dei nedum est primum productum, verumetiam primum producere, & prima productio in diuinis, considerationibus tamen, relationibus, siue respectibus supradictis quoquomodo diuersis, sicut est intelligens & intellectum, imo & intelligere & intelligi modis quoquomodo alijs seu diuersis, sicut & Auerroes licet balbutiendo super 12. metaphys. 39. tangit. Nonne verbum Dei est verbum perfectissimū? Quare & actualissimum, & quod actualius verbum quam ipsum dicere actuale, ipsaue dictio actualis: quare & secundum Philosophum 12. Met. 51. & secundum Auerroem Deus est intelligentia, i. actio siue agentia intelligentis ad modū loquendi Anselmi præmissum; imo & intelligere atque intelligi secundum eundem ibidem. Sed quæ persona est dignius ista quam verbum? Quibus & concorditer Sapiens; Sol, inquit, intelligentiæ non est ortus eis, Sapient. 5. Sol intelligentiæ, i. Sol qui est intelligentia intransitiue loquendo: vnde & Iob. 12. Apud Deū est sapientia & fortitudo, ipse habet consiliū & intelligentiam. Super quod Greg. 11. Moral. 4. Hæc, inquit, non incongrue de vnigenito summi Patris accipimus. Et nonne Sapientia est actio siue agentia Sapientis, sicut intelligentia intelligentis, & prouidentia prouidentis? Quare & Sapiens dicit de sapientia increata quod est emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera, Sap. 7. Quod etiā verbū Dei sit eius locutio actualis, & nō terminus eius tantū videtur per Anselm. Monol. 33. sic dicentem; Nulla ratione negari potest, cum mens rationalis seipsā cogitando intelligit, imaginē eius nasci in sua cogitatione, imo ipsā cogitationē sui esse suam imaginē ad eius similitudinē tanquā ex eius impressione formatā. Habet igitur mens rationalis, cum se cogitando intelligit, secū imaginē suā ex se natā, i. cogitationem sui ad suam similitudinem quasi sua impressione formatā; quæ imago eius verbū eius est. Hoc itaq; modo quis neget summā sapientiā, cum se, dicendo, intelligit, gignere consubstantialē sibi similitudinē suā, i. verbū suū? Qui & infra 48. & post diffuse trinitatē in mente nostra (viz. quod meminit sui, cogitat seu intelligit se, & amat, & est memor, sic cogitans seu intelligens se & amans, habetq; meminisse sui, cogitare, (seu intelligere & amare) comparat summæ trinitati in Deo Patri & Filio & Spiritu Sancto, hæc tria secundū ordinē istis tribus; qui & dicit sæpissimè filium esse intelligentiā Dei patris; qui & in hac parte sequitur Aug. 10. de trinit. 10. & 11. & vlt. & 11. de trinit. 1. & 2. & 14. de trinit. 3. 6. & 8. vbi trinitatem in mente nostra repertam viz. meminisse, intelligere & velle, memoriam intelligentiam & voluntatem, corpus, visum, visionem actualem, & voluntatem seu voluntatis intentionem hæc ad inuicem copulantem diuinæ assimilat trinitati, & intelligentiam actualem & visionem actualem similiter assimilat filio verbo Dei. Obijcies forsitan, Producere Dei quodcunque est productum; ergo per aliquod producens præcedens, & per aliquod producere antecedens: per quid enim aliud posset produci? Sed responsū est prius. Primū namq; producere Dei producitur per ‖ *productiuū* quoquomodo præced. & non per aliquod producere antecedens. Veruntamē, vt videtur, illud producere primū Dei prius est producere quam productū: nam primū omniū videtur productiuū secundū producere, consequenter relatio productionis actiua, & esse producēs, & relatio productionis passiua, & esse productū. Sed nec si forsitan desines obiectare, dicēdo; Illud producere est productū, ergo per aliquid; quid est illud? Si, per, significet causā productiuā siue actiuā, per Dei ‖ *productiuū* & potentiā eius actiuā; si causā formalem, nō habet causam formalem productam priorem, sed ipsum est prima forma producta, sicut & de ‖ *primo actu Angeli hominisue* apparet. Quapropter & Augustinus 83. quæstionum, quæstione 23. dicit, quod similitudo Patris, scil. filius est prima species & prima forma, qua specificata & formata sunt omnia. Verum adhuc pro prima principali argutia absolutius dissoluenda, specialiter aduertendum, quod

Margin: B (at "inter eos patre"), C (at "verbum? Quibus"), D (at "neget summā"), E (at "sponsū est prius"); *Obiectio.* (at "filio, in illo priori"); *Sapiens.*; *Iob.*; *Gregorius.*; *Sapiens.*; *Anselmus.*; *Anselmus.*; *Augustinus.*; *Obiectio.*; *Resp.*; ‖ productū; *Obiectio.*; *Resp.*; ‖ productionem; ‖ primo Angelo hominéue.; *Augustinus.*

 volutio

volutio Dei ad extra producitur per intelligere Dei quoquomodo procedens, sed illud intelligere non causat necessario illud velle, sicut præcedentia manifestant. Pro secunda argutia principali sciendum, quod duplex est velle in Deo, ad intra, videlicet, & ad extra. Ad intra, quo vult seipsum & amat: ad extra, quo vult & amat extrinseca, efficit, & conseruat; & vtrumque istorum velle producit Deus voluntariè, sed diuersimodè: Primum producit voluntarie, quia per voluntatem propriam spontaneam non inuitam, nec violenter coactam, non tamen libere libertate contradictionis, sed necessario necessitate opposita, sicut & spiritum sanctum spirat, qui secundum præmissa, & secundum Augustinum 15. de Trinitate. 20. voluntas Dei, sicut & charitas, maximè proprie appellatur. Secundum autem velle producit Deus voluntarie, quia per voluntatem propriam spontaneam, non inuitam, sed liberam secundum contradictionem, sicut præcedentia docuerunt. Nec ex isto consequitur, quod omnem talem actum prius naturaliter velit producere quam producat; sicut nec de homine quid volente; alias etenim esset processus in volutionibus talibus infinitus contra priora; im o ad producendum voluntarie talem actum sufficit voluntas, potentia scilicet volitiua sufficienter disposita. Sed hic potest quis non improbabiliter sic instare. Sit A. primum velle Dei ad extra; Deus ergo producit A. ergo per aliquid ipsum naturaliter antecedens; & per quid, nisi per aliud velle respectu illius? Dicitque Anselmus de casu Diaboli 12. quicquid se mouet ad volendum, prius vult se ita mouere. Rursus autem Deus vult A. Vult enim & amat omnia bona quæ habet, & magis vt videtur, & charius vult & amat quodlibet bonum suum intrinsecum, quam aliud bonum extrinsecum, quam muscam, aut folium, seu festucam; ergo & prius ordine naturali. Adhuc autem & per vicesimum secundum primi, quemlibet actum suum volendi vult Deus; vult ergo istum actum suum volendi per alium, & illum per alium, & sic semper deinceps; habet ergo Deus actus volendi simpliciter infinitos, & non inordinatos penitus & confusos, propter præmissa primo, & vicesimo sexto primi. Quemlibet ergo actum huiusmodi præcedit naturaliter alius talis actus, & illum alius adhuc talis, & sic infinitè simpliciter ascendendo. Quilibet ergo actus voluntatis diuinæ producitur ab actu alio præcedente, quo posito, cum potentia plena Dei necessariò sequitur ipsum produci: Quilibet ergo actus voluntatis diuinæ producitur ex necessitate naturaliter præcedente &c. sicut supra. Pro istis autem sciendum, quod quidam non abhorrent concedere processum in volutionibus Dei talibus taliter infinitum. Sed nonne superius est ostensum, non esse processum infinitum in essentialiter ordinatis in actu secundum sub & supra, aut secundum prius & posterius ordine naturali? Secundum istos quoque in causis efficientibus siue agentibus essentialiter ordinatis modo prædicto est processus simpliciter infinitus, cum quælibet volutio talis Dei sit causa actiua, & agens hunc effectum extrinsecum, vel causam esse ipsius. Adhuc autem & cum quælibet talis volutio sit forma quædam & species, in causis formalibus est processus similiter infinitus, contra Philosophiam & Philosophos plurimos multis locis. Cui etiam dubium, quin Deus prius velit seipsum, quam aliquid extra ipsum, cum ipse sit finis omnium, & finis primario intendatur & cætera propter finem? Quare & dicit Sapiens sapienter; Vniuersa propter seipsum operatus est Dominus, Parab. 16. Sit ergo A. volutio, qua Deus vult seipsum, & B. volutio, qua immediatè vult producere hunc effectum; B. ergo volutio producitur per aliam immediate priorem, & illa per aliam, & ita deinceps ascendendo superius in volutionibus talibus infinite, quæ omnes sunt posteriores A. volutione prædicta. Sed quomodo, positis terminis & extremis, puta A. & B. interponuntur media actualia infinita essentialiter ordinata, & hoc in causis agentibus formalibus atque finalibus, contra Philosophum 2. Metaphys. 5? & deinceps, Nonne & vbicunque contingit accipere duo extrema aliquorum in actu essentialiter ordinatorum secundum prius & posterius seriosè, contingit accipere & omnia media? Quare & aliqua est tota multitudo extremorum illorum, & omnium pariter mediorum; & illa est necessario simpliciter infinita, contra præmissa parte quadragesima primi; & capit. septimo primi libri. Sit insuper C. illa multitudo totalis; C. igitur multitudine potest esse & est aliqua multitudo maior, aliqua quoque minor, & nihilominus infinita; cur ergo est tantæ quantitatis præcisæ? Videtur quoque quod minor sufficeret; cur ergo superflue ponitur ista tanta? Amplius autem secundum istos, nullum est primum contingens ad vtrumlibet siue æqualiter, nec aliquis primus actus liber contradictoria libertate. Imò & secundum istos nullus actus est contingens æqualiter simpliciter, nec liber secundum contradictionem simpliciter, sed quilibet necessarius quodammodo necessitate naturaliter præcedente. Detur enim A. actus contingens æqualiter simpliciter, & liber simpliciter secundum contradictionem in Deo; sed A. est vnum velle Dei, seu vna volutio; quare & secundum hypothesin Deus habet aliud velle præcedens || *respectu* illius, & illo velle præcedente Dei posito

[Margin notes: A; B; *Obiectio.*; C; *Responsio quædam.*; D; *Parabola.*; E; || quod est causa]

A sito cum potentia Dei plena, necessariò sequitur A. produci ; A. ergo secundum præmissa est actus necessarius necessitate naturaliter præcedente, & non simpliciter contingens æqualiter nec liber. Ad hæc autem cùm secundum præmissa sp. sanctus dicatur proprie voluntas, charitas, & amor in Deo, quis audeat dicere ipsum non esse primam voluntatem, charitatem, & amorem in Deo, sed ipsum præcedi ab alijs infinitis, ab vnauè alia voluntate, ab alia charitate, ab aliovè amore producta prius causaliter seu producto ? Sicut enim filius Dei est primum verbum, & primus actus diuini intellectus, sic & spiritus sanctus diuini affectus. Cùm ergo spiritus sanctus sit prima Dei voluntas procedens à Deo, qua vult seipsum, aliqua est eius voluntas immediata & proxima ab ipsa procedens ipsamq; sequens, qua vult A. seu aliud quodcunque signatum. Sicut enim hanc voluntatem vltimam, qua Deus vult immediatè hoc signatum, vna alia voluntas diuina immediatè præcedit : sic, vt videtur, simili ratione illi primæ voluntati diuinæ aliqua alia immediatè succedit ; non sunt ergo infinitæ voluntates huiusmo-
B di mediæ per præmissa. Si insuper in volutionibus Dei sit processus huiusmodi infinitus, & in intellectionibus, intelligentijsvè ipsius similiter, vt videtur, simili ratione. Intellectio namque lapidis in Deo gignitur seu agitur ; ergo per gignitionem seu actionem aliquam præcedentem, & sic semper ascendendo superiùs infinitè, sicut isti de diuinis volutionibus argumentant : quæ enim alia actio quàm intellectio poneretur, illa actio, per quam intellectio generatur contra præmissa ? Tunc etiam non esset aliquod verbum Dei primum, sed ante quodlibet alia infinita : secundum hoc quoque non essent aliquæ primæ formæ rerum in Deo, nullæ primæ species, idææ, exemplaria, nec vllæ originales & primariæ rationes. Puto igitur aliter respondendum. Cùm ergo instatur, Deus producit A. primum velle suum ad extra, ergo per aliquid ipsum naturaliter antecedens : verum est, per intellectionem & potentiam volutiuam ipsum quodammodo causaliter præcedentem. Et si replices, Deus producit A. ergo per aliquid antecedens, quo posito, necessariò sequitur A. produci : non est verum, sicut
C præhabita declarabant ; potestque Anselmus exponi, quòd quicquid mouet se ad volendum, prius vult se ita mouere ; hoc est, prius habet voluntatem habitualem volutiuam ita mouere. Ad illud verò quod arguitur consequenter, quòd Deus prius natura vult A. primum videlicet suum velle ad extra, quàm illud extrinsecum volutum, potest multipliciter responderi. Primò dicerent aliqui, quod etsi prius velit A. quàm illud volutum quod sit B. non tamen per aliud velle, sed per idem ; dicerent insuper quod eodem amore amat, & vult se & cætera : sicut & eodem verbo dicit se & cætera, sicut Anselmus Monolog. 33. & 34. docet. Adhuc autem, neque si quis magis & chariùs vult & amat A. quàm B. ideo consequens est, vt priùs velit & amet A. quàm B. ordine naturali, sicut de inordinatis ad inuicem in amore & in partibus planè constat : imo & aliquibus forsitan videretur, quod si A. sit velle Dei ad extra respectu B. voluti, & Deus velit alterum horum prius, quod prius quodammodo vult B. quàm A, quatenus A. est talis volutio : in omnibus namque volitis secundum seriem ordinatis, prius
D videtur volutum propter posterius, potius quàm è contra : Sit ergo C. volutio Dei qua vult A. & prior A. secundum hypothesin; horum ergo trium secundum seriem positorum C, A. B. A. videtur volutum propter B. non è contra. Quis etiam diceret Deum aut hominem velle obiectum propter ipsam volutionem obiecti, quin potius è contra ? Veruntamen mihi videtur, quod Deus primò vult seipsum, & secundò cætera ad & propter seipsum : nec videtur mihi necessarium ponere voluntatem aliquam mediam inter istas : non enim audeo ceruicem in tantum erigere, vt ab omnipotente Deo negem posse post volutionem, qua primò vult seipsum, secundò immediatè velle extrinseca, vel aliquid extrinsecum ad seipsum : Si quis tamen sit consiliarius Dei in tantum, vt securus audeat ponere voluntatem mediam inter istas, quâ videlicet Deus velit se velle extrinseca, vitet processum infinitum in voluntatibus talibus essentialiter ordinatis, & superfluitatem ponendi plura, vbi sufficiunt pauciora ; & secundum ipsum videtur consequenter dicendum, quod sola talis volutio media si sit vnica, aut prima
E omnium (si sint multæ, tamen finitæ) est simpliciter contingens æqualiter, & simpliciter libera secundum contradictionem ; aliam tamen partem reputo veriorem Quod autem opponitur vltimò, quod Deus quamlibet voluntatem suam vult, quare & habet infinitam multitudinem voluntatum ordinatarum essentialiter secundum prius & posterius, sub & supra ; potest similiter obijci de cognitione diuina, quod quia quamlibet cognitionem suam cognoscit, ideo habet cognitiones huiusmodi infinitas : quomodo etiam sequitur, Deus habet voluntates infinitas ordinatas, ergo hoc ordine ordinatas, semper videlicet à voluntate accepta superius ascendendo ? Cur enim sic potius quàm inferius descendendo, sicut de cognitionibus cognitionum in eo, vel saltem in creaturis magis videtur ? Aut cur sic potius quàm coævè, coæqualiter, seu collateraliter procedendo, sicut videtur esse de infinitis eius volutionibus proprijs

Responsio propria.

proprijs respectu infinitorum punctorum in linea circulari, vel respectu vnitatum infinitarum secundum nullam causalitatem, dependentiam, aut ordinem essentialem ad inuicem coniunctarum? Aliter posset dici, quod Deus eadem voluntate vult seipsum & cætera vniuersa, & suam quamlibet voluntatem, sicut & eodem verbo dicit seipsum, & creata vniuersa sicut superius dicebatur. Veruntamen multiplicando & distinguendo quodammodo voluntatem diuinam secundum multitudinem & distinctionem volitorum, secundum respectum, considerationem seu etiam rationem, sicut Plato & antiqui multiplicant & distinguunt cognitionem diuinam per idæas, formas, species, seu etiam rationes in mente diuina, secundum multitudinem & distinctionem multiplicem cognitorum; sicut etiam Augustinus Platonem imitans in hac parte 83. quæstionum 46. dicit, Restat vt omnia ratione sint condita, nec eadem ratione homo qua equus; hoc enim absurdum est existimare: singula ergo proprijs sunt creata rationibus; has autem vbi esse arbitrandum est, nisi in ipsa mente creatoris? Sic inquam, multiplicando & distinguendo voluntatem diuinam, non improbabiliter dici potest Deum velle rem istam per vnam voluntatem propriam, & velle illam voluntatem siue volutionem per aliam, & sic infinitè deinceps; quòd tamen hæ voluntates non sint essentialiter ordinatæ superius ascendendo, secundum posterius & prius, sub & supra, sed sunt collaterales inuicem & coæuæ, sicut de voluntatibus infinitis punctorum & vnitatum superius dicebatur; alicui tamen fortassis nequaquam impossibile videretur, quod in voluntatibus & complacentijs talibus esset infinitus processus secundum prius & posterius, inferius quodammodo descendendo: talis enim processus non cogit, quin sit aliquis primus actus contingens & liber, & simpliciter contingens æqualiter atque liber, nec ad inconuenientias alias prius tactas. Et has forsitan voluntates tam mirabiliter multiplicatas intuens Propheta dicebat, magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius: nunquid tamen aliquæ sint omnes * huiusmodi voluntates in Deo, potest disputatiuè inquiri, sicut de eius cognitionibus 7. primi fuerat inquisitum.

[Margin: A; *Augustinus.*; B; *Psal. 110.*; * talis; C]

CAP. VII.

Mouet quæstionem, nunquid aliquid sit in potestate voluntatis creatæ: & ponit vnam responsionem, & corrigit.

HÆc autem præhabita grauem parturiunt quæstionem; Vtrum, scilicet, aliquid sit in potestate voluntatis creatæ: quomodo namque iudicabitur aliquid in potestate voluntatis creatæ, cùm omnis eius actio & non actio dependet à voluntate diuina naturaliter præcedente, sicut 20. 30. & 32 secundi docebant? Quomodo enim est in potestate causæ secundæ, scilicet voluntatis creatæ, quòd causa prima, scilicet voluntas diuina, ipsam volendo præueniat, quam etiam voluntatem diuinam oportet voluntatem creatã necessariò imitari, sicut decimũ primi docet? Quomodo tandem est aliquis actus, cessatio, seu vacatio in potestate nostra, cùm hæc omnia fiant in nobis ex necessitate naturaliter præcedente, sicut secundum huius præmisit? Et si nihil sit in potestate voluntatis creatæ, quomodo liberum arbitrium creatum saluatur? Aliqui hic respondent, quod supposita influentia generali aliquid est in potestate voluntatis creatæ, aliter vero nihil. Sed de illa generali influentia est quærendum, vtrũ aliquid sit aut nihil; si nihil, nihilum inde venit; si aliquid, aut ergo creatura aut Creator; non creatura, quia Creator, scilicet Deus ipse, necessario requiritur tanquam causa verè efficiens cuiuslibet actionis voluntatis creatæ, sicut præhabita docuerunt: si ponatur Creator, scil. Deus ipse; aut ergo absolute quatenus est Deus tantũmodo, aut quatenus est actualiter influens ad actũ voluntatis creatæ. Non primo modo, quia per 8. & 9. 1. sic nihil agit ad extra, quare nec influit illo modo, Si secundo modo & per 8. & 9. primi nihil agit ad extra, quare nec influit nisi volendo; & hoc non vniuersaliter & confuse, sed singulariter & distincte, sicut & cognoscit, vt per 22. 27. & sequentia primi faciliter ostendetur; sicque eius influentia generalis est eius volentia, siue volutio specialis, qua vult specialiter facere hoc vel illud. Nihil aliud ergo est dicere, supposita influentia generali, aliquis actus est in potestate voluntatis creatæ, quam dicere, supposita Dei volutione, seu volentia speciali ad aliquem certum actum voluntatis creatæ, ille actus est in potestate voluntatis creatæ; sicque ista responsio quæstionem non soluit, sed magis inuoluit.

[Margin: D; E]

Si

A Si quis autem voluerit fingere, quod influentia generalis est conseruatio generalis rerum à Deo, ac eius permissio generalis, qua permittit res secundum potentias sibi inditas operari, & hac supposita potest voluntas creata ex se sola sine Deo aliter & proprie coagente producere actum suum, per 21. secundi & sequentia clarissime conuincetur. Sed quia influentia generalis est nomen communiter vsitatum, & per omnium ora volans, ne illud inexpositum penitus simplicibus prætermittam, dico quòd influentia generalis in sacris literis minimè reperitur; sed secundum modum loquendi naturalium Philosophorum, Mathematicorum, & similiter Magicorum est emanatio, seu irradiatio potius (vt placet Autori de radijs) à cœlesti corpore in sibi subiecta generaliter deriuata. Posset tamen dici catholicè influentia generalis Dei volentia siue volutio generalis, qua omnibus generaliter influit quicquid habent, sicut 8. & 9. primi docebant; quæ tamen nequaquam sic est omnibus generalis, quin etiam singulis speci-
B alis, sicut 22. & 27. & sequentia primi docent.

CAP. VIII.

Recitat alias sex responsiunculas, & emendat.

SVnt & aliæ sex responsiunculæ similes ad hoc idem, quæ omnes fatentur concorditer voluntatem increatam præuenire in omnibus voluntatem creatam, sed vlteriùs variantur. Nam prima dicit ideo aliquid esse
C in potestate voluntatis creatæ, quia in potestate sua est quod Deus velit, & præuelit liberum actum suum. Secunda verò ponit ideo actum liberum futurum esse in potestate voluntatis creatæ, quia in potestate sua est facere aliquid, vnde sequitur Deum hunc velle, vel non velle. Tertia æstimat ideo aliquid esse in potestate voluntatis creatæ, quia æquè primò sicut increata præcedit creatam ad aliquem liberum actum suum, potest creata in oppositum, scilicet ab actu illo vacare, & actum oppositum exercere. Quarta verò affirmat ideo aliquid esse in potestate voluntatis creatæ, quia licet voluntas increata præuelit creatam aliquem certum actum habere pro certa mensura temporali futura, in potestate tamen creata est ita se prius disponere, ne Deus hoc tunc velit, & ne tunc habeat illum actum. Quinta opinatur, quod Deus non agit proprie actum voluntatis creatæ, sed tantum improprie, quia videlicet ordinauit & vult, quod ipsa sola proprie & libere faciat actum suum. Sexta debilior cæ-
D teris, debiliter arbitratur, quod Deus coagit & præagit proprie omnem actum voluntatis creatæ, sed tam debiliter influendo, quod nequaquam ipsam necessitat ad agendum. Prima siquidem inter istas videtur mirabilis dictu, & mirabilior intellectu, cùm ad communem modum loquendi vulgarium & Doctorum nihil dicatur in potestate cuiusque, nisi quod eius subiacet voluntati, & eius sequitur voluntatem sicut eius effectus, priuatiove effectus vt motus & quies: vnde Augustinus 1. Retract. 22. In potestate nostra non est, nisi quod nostram sequi- *Augustinus*
tur voluntatem; & loquitur ibi de se, qui sicut effectus, vt puta meritum sequitur effectorem; sed velle diuinum præuenire velle humanum nequaquam humanæ subiacet voluntati, nec eam sequitur vt effectus, sed e contra, sicut 30. secundi demonstrat. Item nihil est in potestate cuiusque, nisi quod potest facere cùm voluerit, dicente Augustino 3. de libero arbitrio 3. *Augustinus.*
Non possum aliud sentire esse in potestate nostra, nisi quod cùm volumus, facimus. Et Phi- *Philosophus.*
losophus 9. Metaphys. 10. Potens secundum rationem omne, necesse quando desiderat, cu-
E ius habet potentiam, & vt habet, hoc facere; Nullus autem potest facere Deum ipsum præuenire volendo, quia quidlibet faciens aliquid, naturaliter præuenit suum factum; quare voluntas humana volendo præueniret diuinam contra hypothesin, & contra 30. secundi; & quia per 23. primi, quodlibet velle Dei est æternum, non temporaliter factum à quoquam, & quia tunc voluntas diuina esset passibilis ab humana, contra 20. primi libri. Item si Deum præuelle sit in potestate voluntatis creatæ, vel hoc est aliquid faciendo vel nihil: non aliquid faciendo, vt proximo est argutum. Præterea quilibet volens & faciens, eo ipso necessariò præuenitur volutione diuina; sed illud quod prius est actum, puta diuina volutio, quod tunc sit actum vel non, non est in potestate posterioris agentis, cùm nihil à posteriori actione dependeat, sed è contra: nec tamen nihil faciendo, vt nullus ignorat; omne quoque suum non facere fit à diuino non facere præcedenti, per 32. secundi, & hoc per volutionem diuinam,

sicut

A ſicut 22. primi cum corollario ſuo probat; per volutionem inquam diuinam illud non facere naturaliter præcedentem, per vicesimum quoque ſecundi; ſicque redit argumentum contra aliam partem factum. Item ſi Deum præuelle ſit in poteſtate voluntatis creatæ, vel ergo dum ipſa actualiter vult, vel prius: non dum ipſa actualiter vult, vt ipſimet fatentur, quia tunc eſt neceſſarium neceſsitate naturaliter præcedente illud velle creatum; dicitq; Lumbardus 1. ſent. diſt. 25. quod in præſenti eſt, determinatum eſt, nec in poteſtate noſtra eſt, vt tunc ſit vel non ſit. Illud etiam quod iam prius eſt actum, puta velle diuinum, quod tunc ſit actum vel non actum, non eſt in poteſtate poſterioris agentis, cùm prius factum à poſteriori nullo modo dependeat, ſed è contra, ſicut ſuperius eſt argutum. Nec prius, quia tunc ſi homo faciat quantum poteſt vſq; ad A. inſtans futurum, vt Deus præueniat ipſum volendo in A. inſtanti, & ſi Deus hoc noluerit, imo & reſiſtat, ac totis viribus agat ad contrarium, ita fiet contra 10. B primi libri. Nam ſecundum Philoſophum 9. Metaphyſ. 10. Potens ſecundum rationem omne, neceſſe quando deſiderat cuius habet potentiam & vt habet, hoc facere: dicitque Auguſtinus 3 de libero arbitrio 3. Non poſſum aliud ſentire eſſe in poteſtate noſtra, niſi quod cùm volumus facimus. Nec poteſt quis dicere, hoc eſſe in poteſtate hominis, niſi fuerit impeditus. Subiungit enim Philoſophus vbi prius; Nullo namque exteriorum prohibente, adiungere nihil adhuc oportet: potentiam enim habet vt potentia faciendi; eſt autem non omnino, ſed habentiũ aliquo modo, in quibus excludentur quæ exterius prohibent; remouẽt autẽ hæc eorũ, quæ in determinatione apponuntur, quædã. Vbi & Auerroes ſic ait, Non indigemus cum hoc, quod potentia poſsit agere, hoc addere, niſi aliquid extrinſecũ impediat, quoniam ſufficit in hoc quod dicimus, quod potentia poteſt agere; quoniam cùm illic fuerit impediens, tunc potentia non poterit. Præterea vel eſt in poteſtate hominis tollere impedimentũ volutionis & reſiſtentiæ diuinæ, vel non. Si ſit, poteſt tollere illud cùm voluerit; quare non oportet addere niſi fuerit impeditus: & ſi faciat quantum poteſt vſque A inſtans in caſu præmiſſo, neceſſariò tollet illud: ſi non, & niſi illud impedimentum tollatur, non conſequetur intentum; non eſt ergo in poteſtate ſua vt propoſitum conſequatur: quomodo namq; eſt in poteſtate debilioris domũ fortioris intrare, ipſum ligare, & vniuerſa eius diripere? Item ſecundũ iſtud voluntas in primo inſtanti ſuę creationis nõ poſſet liberè velle quicquã, nec voluntas antiqua in primo inſtanti adultionis ſeu euigilationis à ſomno, aut curationis à furia, quia tunc non eſſet in poteſtate ſua quod præueniretur à Deo, nec etiam prius fuit, cuius oppoſitũ docuit octaua veritas 5. huius. Item ſi Linus debilior haberet Petrũ Dominũ fortiorẽ cuius (vt vtar verbis Philoſophi recitatis 1. huius) præuoluntatem neceſſariò ſequeretur, vt non mouente illo non moueretur, & mouente neceſſariò moueretur, quomodo [etiam] eſſet in poteſtate ſua facere aliquam motionem, puta trahere hoc vel illud? quomodo namq; eſſet in poteſtate ſua ſui Domini præuoluntas? Sic autem ſe habet omne agens rationale ad Deum, ſicut præhabita perhibent, & ipſa opinio confitetur: ſicut ſi eſſet ſecuris vel ſerra rationalis, quæ tamen non D poſſet ſecare vel ſerrare niſi tracta per voluntatem artificis præcedentem, quam etiam neceſſariò ſequeretur, quomodo eſſet in poteſtate ſua ſcindere vel ſerrare? hoc autem modo ſe habet omnis homo ad Deũ, teſte Eſaia 10. cum gloſſa cõmuni & expoſitione Hieron. ſicut 32. primi plenius recitauit. Item ſi ſit in poteſtate mea quòd Deus præuelit, & velit hoc aliquid, cur non aliud, aliudq; quodcunque? Si etiam ſit in poteſtate mea vt Deus faciat antecedenter me velle hoc aliquid ſub hoc gradu & modo, cur non eſt in mea ſimiliter poteſtate, vt Deus [ſtatim] faciat antecedenter me velle & nolle, amare & odire quodcunq; ſub quocunq; gradu & modo per Deũ mihi poſsibili, vt ſummè Deũ diligere, beatificeq; amare, cum ſummo odio vitiorũ, cum multis ſimilibus, quæ non poſſum pro quolibet tempore, vt quilibet experitur? quod & teſtantur multa allegata 46. primi; vnde & Propheta, Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas, Pſ. 118. Item ſi aliqua actio ſit in alicuius libera poteſtate, ipſe eſt Dominus illius, ſicut per Philoſoph. 3. Ethic. 13. & alijs locis multis: & per Ioh. Damaſcen. 39. E ſent. ſicut 28. 2. cõmemorat: ſed nullus eſt Dominus volutionis liberæ Domini Dei ſui, ſicut nullus Chriſtianus ambigit aut prophanus; hoc n. ſuæ ſummæ libertati nimiũ derogaret, quod ſuppoſitio 1. vetat. Item tunc voluntas diuina magis eſſet in poteſtate hominis, quàm voluntas alicuius infimi ſerui ſui: nemo n. habet ſeruũ tam infimũ, qui ſemper voluntatẽ ſuã volendo ſequatur; imo nec actio alicuius alterius cauſę creatæ tantum eſt in poteſtate voluntatis creatæ, ſicut actio voluntatis diuinæ: nõ n. eſt in poteſtate cuiuſq; volũtatis creatæ, vt aliqua alia cauſa creata agat ad quodlibet ſuũ velle, nec de aliqua cauſa creata eſt in poteſtate voluntatis creatæ, vt ipſa voluntatẽ creatã præueniat in agẽdo, ſicut inductio per ſingulas manifeſtat: quare actio libera voluntatis diuinę magis eſt in poteſtate volũtatis creatæ, quã quæcunq; actio libera, vel ancilla cuiuſcũq; alterius cauſæ creatæ, quod eius ſummã deſtruit libertatẽ, ſeu potius ab eius ſumma

Lumbardus

Reſponſio falſa.

Philoſophus.

Auerroes.

A summa destruitur libertate. Item quomodo potest esse causa actiua superior atque prior in potestate causæ inferioris & posterioris, mouens in potestate moti, trahens in potestate tracti, & actio eius iam naturaliter prius acta, imo iam æternaliter prius acta in potestate causæ post naturaliter temporaliterque agentis? Item quomodo potest esse in hominis potestate quid Deus velit, & quando; imo & per 23. primi, quod voluerit ab æterno, cum tamen non sit in hominis potestate quid ipsemet voluerit pridie? Sic namque voluntas diuina magis esset in hominis potestate, quàm propria sua voluntas, quod ratio renuit, || *& reprimit Augustino 3.* de libero arbitrio 3. de nostra voluntate sic ||*dicente*, Nihil tam in nostra potestate quam ipsa voluntas est. Si quoque sit in hominis potestate quid Deus iam in præterito voluit, cùm per 10. primi, Dei velle necessariò sequatur facere cùm voluerit, quia ipse dixit & facta sunt, est similiter in hominis potestate quid Deus iam in præterito fecerit, puta si Deus fecerit tibi cœlum vel infernum, vel sedem aliquam hic aut ibi, vel etiam tunicam sicut fecit Adæ, qua nun- *Augustinus.* || Et reprimit Augustinus. || dicens

B quam fuisti indutus, ad hunc effectum, vt tu solus te illa indueres, in potestate tua est, vt Deus nunc vel in futuro velit te illam induere: ergo per 23. primi in potestate tua est vt Deus vnquam hoc voluit; ergo & in potestate tua est, vt Deus illam sic fecerit, quia per 10 primi Dei propositum frustrari non potest; ergo in potestate tua est facere sic factum in præterito, non sic factum, contra multos Autores in obiectionibus sexti huius contra octauam partem quinti huius plenius allegatos. Hic fortè dicetur non sequi, quòd sit in hominis potestate quod Deus in præterito fecerit, sed propter quam causam finalem hoc fecerit. Non enim est in potestate huius viatoris Deum fecisse sedem cœlestem, vel tunicam, sed Deum fecisse illas finaliter propter eum, siue ad vsum illius; potest enim sic facere quod nunquam habebit finaliter hanc vel illam, & si hoc faciat, Deus non fecit illas finaliter propter ipsum, sed propter aliquam aliam causam finalem. Sed istud videtur mirabile, quomodo sit in nouella hominis potestate, quod Deus intenderat antiquitùs ab æterno. Sequitur etiam quod sit vel erit in po-

C testate Antichristi, & cuiuslibet viatoris facere Christum fuisse incarnatum, & passum ex alia causa finali quàm fuit, pro illo scilicet redimendo quem non intendebat redimere, & non pro illo redimendo, quem redimere intendebat, quod non videtur conueniens fidei Christianæ. Imo sequitur fuisse & esse in hominum potestate euacuare totum effectum atque totam virtutem finalem dominicæ passionis, resurrectionem scilicet mortuorum, finale iudicium, reparationem ciuitatis cœlestis, & cœlestium ciuium numeri complementum. Potuerunt enim, & poterunt homines maximè, si omnes fuissent & forent adulti, perseueranter peccare; potueruntque & poterunt adulti non succurrere paruulis non adultis, vt sic omnes homines pariter damnarentur: sicque esset in hominum potestate verificare illud impossibile ad quod deducit Apostolus; ergo Christus gratis mortuus est, ad Galat. 2. glossa; id est, frustra sine causa. Porro & de voluntate Christi humana potest similiter argui: Ipsa namque eius voluntati diuinæ necessariò conformatur, sicut 30. secundi & primum huius ostendunt. Item per de-

D cimam partem quinti huius, nullus actus creaturæ est liber simpliciter libertate contradictionis; ergo nec simpliciter in eius libera potestate: nullus enim actus dicitur esse in potestate nostra, nisi ille, cuius habemus potestatem seu potentiam contradictionis. Item quomodo potest esse quippiam in hominis libera potestate, cùm per secundum huius quælibet eius actio siue non actio proueniat ex necessitate naturaliter præcedente? Item secundum Philosophum 5. Metaphys. 17. potestas est duplex, actiua scilicet & passiua; & secundum eundem Philosophum 9. Metaphys. 2. potentia est duplex similiter, actiua scilicet & passiua: cùm ergo dicunt Deum præuelle esse in potestate voluntatis creatæ, vel intelligunt de potestate eius actiua vel passiua: si passiua, quid mirum si voluntas creata possit pati quod Deus præuelit, cùm nedum possit hoc pati, sed & si Deus voluerit, necessariò patietur? Sicque Deum præuelle melius diceretur in eius necessitate, quàm in eius libera potestate. Non enim dicimus quicquam esse in potestate nostra, quod possumus tantùm pati; ideo si voluntas esset

E tantùm passiua, non esset liberæ potestatis, sicut corollarium tertij secundi monstrauit. Si in potestate eius actiua, & non æqualiter coactiua, nec præactiua, sicut 29 & 30. secundi huius ostendunt, & opinio confitetur; ergo tantùm in potestate subactiua, subexecutiua, subseruiente vereque passiua. Sed voluntatem creatam subagere, subexequi, subseruire & pati Deo preuolente est necessarium necessitate naturaliter præcedente per secundum huius; quomodo ergo est in sua potestate, nisi præcedens necessitas dicatur potestas? Et quomodo ad communem modum loquendi, hoc est in libera eius potestate, libertate scilicet contradictionis? Sed loquatur quilibet sicut placet, dum veritas rei constet. Veruntamen si quis loqui voluerit sicut Patres, quibus credita sunt eloquia Domini, prophanas vocum nouitates deuitans, non poterit dicere, Deum præuelle, nec aliud quippiam esse simpliciter in hominis libera potestate.

Nam

Nam Tobiæ 3. ſcribitur, Non eſt in hominis poteſtate conſilium tuum. Et Eccleſ. 6. Vir A
cui dedit Deus diuitias & ſubſtantiam, & honorem, & nihil deeſt animæ ex omnibus quæ
deſiderat, nec tribuit ei poteſtatem Deus vt comedat ex eo: ſi tamen homo ex ſe haberet li-
beram poteſtatem, vt Deus præuellet eum comedere, haberet ex ſe ſimiliter liberam pote-
|| huiuſmodi ſtatem vt ipſemet comederet, nec indigeret vt Deus ſibi tribueret || *huius* poteſtatem. Item
Num.22. dixit Baalam, Si dederit mihi Balak plenam domum ſuam auri & argenti, non
Numeri. poſſum immutare verbum Domini Dei mei, vt plus vel minus loquar: plus ſcilicet maledi-
cendo populo Domini, vel minus, ſcilicet benedicendo, qui tamen voluit maledixiſſe & non
benedixiſſe, vt ſequens hiſtoria manifeſtat; & infra 23. dixit Balaam ad Balak, Ad bene-
Gloſſa. dicendum adductus ſum: Gloſſa; A Deo, qui verum poſuit in ore meo, benedictionem pro-
Gloſſa. hibere non valeo: Gloſſa; Non enim poteſt etiamſi velit verbum Dei humana lingua con-
Eſdras. uertere. Item 1. Eſdræ 5. Oculus Dei eorum factus eſt ſuper ſenes Iudæorum, & non potu-
erunt inhibere eos. Item Iob 5. Qui diſsipat cogitationes malignorum, neque poſſunt im- B
plere manus eorum quod cœperant, qui ſapientes in aſtutia eorum, & conſilia prauorum diſ-
Gregorius. ſipat; ſuper quod beatus Gregorius 6. Moral. 12. ita dicit, Supernæ voluntati cognitæ debet
actio noſtra deuotè famulari, & quaſi ducem ſui itineris perſequi, ne ei etiam nolens ſeruiat,
|| vitare vis viam ſup. con ſilij neq. potes, ſi hanc ſuperbiens declinat. || *Vitari enim vis ſuperni conſilij nequaquam poteſt*, quod & planè
teſtatur Autoritas eiuſdem vigeſimi ſeptimi Moralium vigeſimo ſecundo trigeſimo ſecundi
præmiſſa. Item Eſaiæ 14. Deus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare? Item Ie-
Eſaias. rem. 10. Scio, Domine, quod non eſt hominis via eius, nec viri vt ambulet & dirigat greſ-
Ieremias. ſus ſuos: ſuper quod Gloſſa Erubeſcant, inquit, qui aiunt vnumquemque ſuo regi arbitrio:
Gloſſa. Non eſt enim hominis via eius: Et Parab. 20. A Domino diriguntur greſſus viri: Gloſſa,
Parabol. Non libertate arbitrij: Gloſſam autem falſigraphi trigeſimum ſecundum primi redarguit &
Gloſſa. conuincit. Item Apoſtolus ad Rom. 9. ſic ait; Non volentis nec currentis, ſed miſerentis
eſt Dei. Non volentis (inquit Anſelmus de Concord. 9.) eſt quod vult, nec currentis quod C
currit: Si ergo proprium velle non ſit in poteſtate volentis, & ſecundum Auguſt. 3. de libe-
ro arbitrio 3. Nihil tam in noſtra poteſtate quàm ipſa voluntas eſt, quomodo erit velle Dei
in noſtrum cuiuſlibet poteſtate? Item nullus Chriſtianus præſumet ſe dicere maioris poteſta-
tis quàm Dominum ſuum Chriſtum; ſed nullus actus Chriſti, nec voluntas Patris fuit ſim-
pliciter in poteſtate ipſius, ipſomet teſtante; non poſſum, inquit, ego à meipſo quicquam
facere, ſed ſicut audio iudico, & iudicium meum verum eſt, quia non quæro voluntatem
Ioannes. meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me, Patris. Ioan. 5. quod ſecundum Auguſtinum ac-
cipiendum eſt ſecundum naturam Chriſti humanam, ſicut trigeſimum ſecundi pleniùs alle-
gauit: Quis igitur hominum poteſt aliquid ex ſeipſo? quod & omnibus planiſsimè conte-
Lucas. ſtatur, Nec, inquiens, quod minimum eſt poteſtatis: Luc. 12. Item ſi quippiam eſſet ſim-
pliciter in hominis poteſtate, hoc maxime videretur, vitare peccatum; quod ſi eſſet, fruſtra D
peteretur à Patre cæleſti dicendo, Ne nos inducas in tentationem, ſicut erat oſtenſum diſ-
fuſè quadrageſimo ſexto primi, quod tamen ab omnibus catholicis deuotiùs eſt petendum, vt
Auguſtinus quartum & quintum ſecundi huius oſtendunt. Vnde & Auguſtinus de gratia & libero arbi-
trio 29. dicit, Dicimus ne nos inferas in tentationem, vt peccata caueantur, quod à Patre,
qui in cœlis eſt, nulla ratione peteremus, ſi virtute voluntatis humanæ hoc poſſemus effice-
re: quod & dicunt concorditer Autoritates quamplurimæ dictis capitulis allegatæ. Nec po-
teſt quis reſpondere dicendo Auguſtinum intelligere iſto modo; ſi virtute ſolius voluntatis
humanæ hoc poſſemus efficere, nulla ratione hoc peteremus. Sed non eſt ita; Ideo ratio
|| non minus non procedit; quia ratio || *nihilominus* procedit. Licet enim hoc non ſit in poteſtate volun-
tatis humanæ ſolius per ſe, ſed cum alio, ex quo illud aliud cooperari cum voluntate huma-
na eſt in eius libera poteſtate, totum eſt in eius libera poteſtate. Non eſt igitur hoc petendum,
ſicut ſi habito equo, ſit in poteſtate hominis equitare, & in poteſtate ſua ſit habere equum,
eſt in poteſtate ſua equitare, quare non oportet eum rogare quenquam vt equitet. Item E
nullum donum Dei eſt ſimpliciter in hominis poteſtate, ſicut vigeſimo tertio ſecundi doce-
tur, ſed quilibet actus noſter eſt donum Dei, ſicut vigeſimum, vigeſimum tertium, & trige-
ſimum ſecundi oſtendunt. Item ſi Deum præuelle & liberi actus noſtri eſſent ſimpliciter in
noſtra libera poteſtate; quomodo Apoſtolus per huiuſmodi ſuam doctrinam (Non glorie-
tur omnis caro in conſpectu eius, Ex ipſo enim eſtis vos in Chriſto Ieſu, vt qui gloriatur,
in Domino glorietur; & quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti quid gloriaris qua-
ſi non acceperis? &, Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed
ſufficientia noſtra ex Deo eſt; &, Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini; Deus
eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere, & multa ſimilia vigeſimo tertio ſecundi
pleniùs

A plenius memorata) homines à superbia reuocaret & in humilitate fundaret, sicut principaliter intendebat, vt idem vicesimum tertium manifestat? Imò si sic esset, non hoc sed contrarium faceret. Magnam enim occasionē superbiendi daret hominibus, si eos tantum extolleret super Deum, vt voluntas eius & actio essent in eorum libera potestate; Ideoque non sic sanctus Dei Apostolus, non sic Augustinus, non sic cæteri Catholici tractatores; Quinimo & actus liberos hominum negant ab eis, & tribuunt ipsos Deo, dicendo, Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei; Gratiâ saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est: Neque qui plantat, neque qui rigat, aliquid est, sed qui incrementum dat Deus. Et secundum Augustinum; hoc ipsum quod ille plantat, hic rigat, non ipsis sed Domino tribuit, sicut vicesimum tertium secundi cum multis similibus recitauit, quibus & tricesimum secundi similia recitat à Glossa; Non vos operamini, sed Deus operatur in vobis:

B A Cypriano, In nullo nobis gloriandum est, quoniam nostrum nihil est; ab Anselmo, Non est volentis quod vult, nec currentis quod currit: à Iohanne de Caipha; Hoc autem à semetipso non dixit, sed prophetauit: & à Domino Iesu Christo; Non vos me elegistis, sed ego elegi vos; non vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris. Quomodo ergo hæc omnia sunt in hominum potestate, quæ simpliciter negantur ab eis, & Domino conceduntur? Vnde & Act. 4. Non possumus nos quæ vidimus & audiuimus non loqui. Item Augustinus de natura & gratia 27. Cætera, inquit, vitia tantum in malefactis valent; sola autem superbia etiam in recte factis cauenda est, vnde admonentur illi ne dona Dei suæ potestati tribuendo, sese extollendo grauius pereant, quam si nil operarentur boni; quibus dicitur cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini; Deus enim est qui operatur in vobis & velle & operari. Idem de bono perseuerantiæ 18. Voluntate Dei stat qui stat; potens est enim Deus illum statuere; non ergo se ipse, sed Deus; veruntamen bonum est non altum sapere, sed timere, sicut Apostolus

Cyprianus. *Anselmus.* *Ioannes.* *Act. Apost.* *Augustinus* *Augustinus.*

C ait, Non sumus idonei cogitare aliquid ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Quem secutus & beatus Ambrosius || audet & dicit; Non enim in potestate nostra cor nostrum, vel cogitationes nostræ, quod omnis qui humiliter & veraciter pius est, esse veracissimum sentit. Hoc autem Ambrosius vt diceret, in eo libro loquebatur quem de fuga sæculi scripsit, docens hoc sæculum non corpore sed corde fugiendum, quod nisi auxilio Dei fieri non posse discernit; & allegato Propheta dicente, Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam, subiungit Ambrosius; Non enim in potestate nostra cor nostrum & cogitationes nostræ; non itaque in hominum, sed in Dei est potestate, vt habeant homines potestatem filij Dei fieri. Quod videtur fundari super illud, Iohan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, quam tamen eis non daret si eam ex se ipsis haberent. Vnde & Augustinus 2. Retract. 1 Non dicimus, inquit, esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus fit, vbi prius, & maxime est ipsum velle, sed hanc quoque ad bene viuendum desuper accipimus potestatem; quare & idem 3. de libero arbitrio. 25. Non habet, inquit, homo in potestate vt sit bonus, siue non videndo qualis esse debeat, siue videndo & non valendo esse talem, qualem debere esse se videt; quod & 1. Retract. 9. non retractat, sed contra Pelagianos recitat approbando. Idem de corrept. & gratia 70. ita scribit; Non est dubitandum voluntati Dei, qui in cœlo & in terra omnia quæcunque voluit fecit, humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cum vult, facit; nisi forte vt ex multis aliqua commemorem, quando Deus voluit Sauli Regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro siue non subdere, quod vtique in eorum [non] erat positum voluntate, vt etiam Deo valerent resistere; qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium quo placet inclinandorum omnipotentissimam potestatem. Dicit igitur Augustinus, quod Deus habet potestatem super voluntates humanas, sed quod

|| audit *Ambrosius.*

D

E homo habeat potestatem super voluntatem diuinam nusquam affirmat, sed innuit contrarium eius crebro: Imo & hic docet expresse, quod quando Deus voluit dare regnum Sauli, non fuit in potestate Israelitarum subdere se ei siue non subdere; quare multo magis non fuit in potestate eorum quod Deus hoc vellet siue non vellet; ergo eadem ratione nec aliquod velle Dei est simpliciter in hominis potestate, imò nec aliquis actus hominis aut non actus, cum hæc ambo proueniant à voluntate diuina naturaliter præcedente, sicut tricesimum & tricesimum secundum secundi cum corollario vicesimi secundi primi lucide manifestant. Hæc igitur contra responsiunculam primam harum. Secunda verò potest per eadem similiter emendari. Deum namque velle & præuelle actum voluntatis creatæ, vel est in potestate ipsius voluntatis creatæ, vel non: si || *sit*, ista responsio incidit in priorem: si non, & ad Deum velle & præuelle quicquam fieri quouismodo per decimum primi necessariò sequitur illud fieri illo

Responsio 2. || sic

 modo

modo; non est ergo in potestate voluntatis creatæ velle vel nolle. In consequentia namque A
necessaria, si antecedens non est in cuiusquam libera potestate secundum contradictionem,
*simpliciter nec consequens: & si consequens est in cuiusquam libera * potestate, est & similiter antecedens. Si autem potes facere aliquid, vnde sequitur Deum non velle liberum actum tuum? vel potes facere illud solus sine coactione diuina, aut sine præactione diuina, vel non, nisi Deo tecum agente, & etiam præagente: si sine coactione & præactione diuina, cur non similiter cæteros actus tuos, quod etiam vicesimum & tricesimum secundi non sinunt? Si autem non potes facere illum actum, nisi Deo tecum agente, & etiam præagente, quomodo est ille actus in tua libera potestate? Si per alium talem actum priorem, similiter quærendum de illo, & si nolis, sicut nec potes in infinitum procedere, sed stare in aliquo actu finaliter, de illo quæratur, & arguatur vt supra. Adhuc autem quomodo est in potestate tua, quid voles & facies immediatè post hoc præsens instans? Non enim potes facere in præsenti aliud quam nunc facis. B
Amplius autē creatus, adultus, euigilans, seu curatus à furia in præsenti instanti, secundū prius ostensa in eodem instanti liberè potest velle, & nunquam prius potuit liberè facere quippiam, vnde Deum non velle nunc aut prius ipsum sic agere sequeretur. Secundum istam quoque sententiam, mouere vel non mouere, percutere vel non percutere esset in potestate manus & baculi, & serrare vel non serrare in potestate serræ; in potestate videlicet contradictionis: Potest enim facere aliquid vel non facere, talem videlicet actionem: vnde consequitur euidenter quod moueat, percutiat, siue serret, vel non; maximè si manus, baculus, siue serra ponatur imaginariè rationalis, & liberè voluntatis hoc modo, quod non possint mouere originaliter ex seipsis, sed homine seu artifice præmouente, quorum & præmotionem necessario consequantur, sicut superius tangebatur. De Lino quoque & Petro simili modo dispositis potest fieri simile argumentum, sicut & contra responsionem proximam erat factum. Adhuc autem & potest similiter argui de Sole & Luna, præsertim supposito secundum opinionem quorundam, quod sint animati anima rationali, & quod voluntarie moueantur; non tamen solummodo nec primo ex seipsis, sed à superiore motore, puta ab intelligentia vel à Deo ipsos voluntarie præmouente, cuius & præuolutionem & præmotionem necessario subsequantur; quod sit in potestate ipsorum moueri ab Oriente in Occidentem, vel è contra procedere vel retrogradi, facere eclipsim, vel non facere, mouere vel stare, iuxta prætacta, 32. parte corollarij primi primi: Possunt enim virtute superioris motoris facere aliquid, vnde sequitur hoc C
Responsio 3. vel illud. Responsio tertia potest corrigi vt secunda. Præterea si æque primò, sicut voluntas increata præcedit creatam ad productionem liberi actus sui, potest creata non producere illum actum, vel hoc potest aliquid faciendo, vel nihil. Si aliquid, vel potest hoc aliquid facere ex se sola sine Deo etiam coagente, contra vicesimum secundi, vel non potest hoc aliquid facere nisi Deo idem specialiter coagente, & etiam præagente, & tunc tota reuertitur difficultas, quo modo scilicet illud facere, illa actio siue actus sit in potestate illius voluntatis creatæ. Si autem dicatur, quod hoc potest nihil penitus faciendo, illum videlicet actum nullatenus producendo, vel illa non productio potest esse sibi ex se sola sine Deo illam causante & naturaliter præcausante contra decimum tertium primi, & tricesimum secundum secundi, vel non, nisi Deo illam similiter concausante & naturaliter præcausante, & tunc reuertitur pristina difficultas. Adhuc autem, si agere sit in potestate contradictoria voluntatis creatæ, est & non agere; & si agere sit in potestate voluntatis creatæ propter causam prædictam, est & non agere propter causam consimilem; quia videlicet æquè primo sicut voluntas increata præcedit creatam ad liberè non agendum, potest creata in oppositum, scilicet libere agere; vel hoc potest ex se sola, vel non, nisi Deo propriè coagente, & etiam præagente, &c. sicut supra. Quarta responsio D
4 la, vel non, nisi Deo propriè coagente, & etiam præagente, &c. sicut supra. Quarta responsio
5 potest similiter corrigi vt secunda. Quinta responsio per vicesimum secundi & sequentia reprobatur, nec etiam difficultatem euitat. Si enim Deus ordinauit & velit, quod voluntas creata sola faciat actum, cum per decimum primi ex hoc necessario consequatur ipsam sic facere, E
& antecedens non est in eius libera potestate; quare nec consequens, sicut superius est argu-
6 tum. Responsio verò sexta corripitur per decimum primi libri.

CAP.

A

CAP. IX.

Reſpondet.

IGitur vt huius quæſtionis perplexitas abſolutiùs & breuiùs enodetur, ſciendum quòd poteſtas ad propoſitum dupliciter poteſt ſumi; pro poteſtate actiua ſcilicet & paſsiua, ſicut capitulum proximum diſtinguebat: illud autem quod nullo modo poſſumus agere, ſed tantùm pati, non dicitur eſſe in poteſtate noſtra, ſicut cap. proximum oſtendebat, ſed ad communem modum loquendi vulgarium, & Autorum, ſo-
B lùm illud dicitur eſſe in poteſtate noſtra, quod eſt in poteſtate noſtra actiua, & hoc non quacunque, ſed tantummodo contradictionis, ſicut loquitur Philoſophus 9. Metaphyſ. 18. in corollario 4. huius plenius recitatus: quare omne illud & ſolùm illud dicitur eſſe in poteſtate noſtra, quod eſt in noſtra libera poteſtate, libera inquam, conſimili libertate, ſcilicet contradictionis, vt idem corollarium definiuit. Quamobrem per partem 10. quinti huius, nullus actus noſter eſt ſimpliciter in noſtra libera poteſtate actiua, ſicut & capitulum proximum ſatis probat, ſed ſecundum quid tantùm, ſcilicet reſpectu cauſarum omnium ſecundarum: Quare tam vulgares quàm docti, qui vt plurimum cauſas naturales & ſecundas conſiderant, dicunt ſimpliciter in poteſtate noſtra conſtitui hoc vel illud, & intelligunt reſpectu harum cauſarum; quare ad communem modum loquendi, in poteſtate noſtra conſtitui, licèt proferatur ſimpliciter, accipitur tamen & ſignificat dicto modo, ſicut & dictum eſt de contingenti æqualiter quinto huius. Quod tamen, ſcilicet eſſe in
C poteſtate noſtra, ſecundum vſitatiorem modum loquendi poteſt intelligibilius definiri, dicendo quod illud eſt in poteſtate noſtra, quod, cùm volumus, facimus, & cùm nolumus nequaquam. Vnde & B. Auguſtinus de Sp. & lit. 26. magna diſputatione præmiſſa, eius definitionem ſiue quid nominis exprimendo, ſic ait; Hanc dicimus poteſtatem, vbi voluntati adiacet facultas faciendi: vnde hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult, facit; ſi non vult, non facit: & 3. de libero arbitrio 3. Non poſſum aliud ſentire eſſe in poteſtate noſtra, niſi quod cùm volumus, facimus: & 5. de ciuit. Dei 10. oſtendens multa eſſe in poteſtate noſtra, ſic ait; Multa enim facimus, quæ ſi nollemus, non vtiq; faceremus, quo primitus pertinet ipſum velle: nam ſi volumus eſt, ſi nolumus non eſt; non enim vellemus ſi nollemus. Nihil ergo eſt in poteſtate noſtra niſi ſecundum quid tantummodo, ſcilicet ſubactiua, ſubexecutiua, & ſubſeruiente neceſſariò, neceſsitate ſcilicet naturaliter præcedente reſpectu voluntatis diuinæ; quod ideo in noſtra dicitur poteſtate, quia cùm volumus, illud facimus voluntarij, non
D inuiti. Simpliciter autem & penitus abſolutè, antecedenter & ſufficienter, ſine indigentia ſcilicet alicuius, quod noſtræ poteſtati ſeu voluntati non ſubiacet, nihil omninò in noſtra verè dicitur poteſtate; ſicq; rationes & autoritates quæ videntur contrariæ, inuicem concordantur. Nullus ergo hominũ indignetur, etſi nihil habeat abſolutè ſimpliciter in propria poteſtate, ſed poteſtati ſublimiori in omnibus ſit ſubiectus, dicente Apoſt. ad Rom. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Sufficiat enim cuilibet homini habere quæ debet in ſua quodammodo poteſtate; vt ſcilicet ſuperiori poteſtati diuinæ in omnibus ſit ſubiectus, & inferiori præfectus; vt ſcilicet habeat poteſtatẽ mediã inter poteſtates extremas, ſicut illi Angelici ſpiritus, qui in quodam ordine medio conſtituti, Poteſtates dicuntur, qui tamen poteſtati diuinæ ſubduntur; ſicut & ſummi Reges & Principes, qui poteſtatem habent in ſubditos, & ipſi ſunt ſubditi Regi Regum, illi ſcilicet, qui in veſtimento & femore ſuo habet ſcriptum, Rex Regũ, & Dominus dominantiũ, Apoc. 19. Ac ſicut alij homines medij, puta Duces, & Comi-
E tes, Barones & Satrapæ, ac præpoſiti cæteri qui in quibuſdã ciuitatibus Poteſtates vulgariter nuncupantur, qui ſic poteſtatẽ exercent in ſubditos, vt ipſimet tamen poteſtatibus ſublimioribus ſint ſubiecti, quod ille Centurio recte ſenſit, cùm dixit, Ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, Mat. 8. ſicut & 28. 2[i]. commemorat. Vnde & Auguſtinus de correptione & gratia 69. dicit ſic, Velle ſeu nolle in volentis aut nolentis eſt poteſtate, vt diuinam voluntatem impleat, nec ſuperet poteſtatem. Et 1. Retract. 22. ſic ait, Niſi quiſquam, inquam, voluntatem mutauerit, bonum operari non poteſt; quod in noſtra poteſtate poſitum eſſe docet, vbi ait, Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonũ, aut facite arborẽ malam, & fructum eius malum, quod non eſt contra gratiam Dei quam prædicamus: in poteſtate eſt quippe hominis mutare in melius voluntatem; ſed ea poteſtas nulla eſt niſi à Deo detur, de quo

Auguſtinus.

Auguſtinus

quo dictum eſt, Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Cùm enim hoc ſit in poteſtate, quod cùm volumus facimus, nihil tam in poteſtate quàm ipſa voluntas: ſed præparatur voluntas à Domino, eo modo ergo dat poteſtatem. Et ſupra 10. Quod verò dixi, Dei præcepta implere omnes homines poſsint ſi velint, non exiſtiment noui hæretici Pelagiani ſecundum eos eſſe dictum: verum eſt enim omninò, omnes homines hoc poſſe ſi velint, ſed præparatur voluntas à Domino, & tantum augetur munere charitatis vt velint. Et ſecundum hanc expoſitionem debent autoritates Auguſtini & aliorum intelligi, quæ dicunt abſolutè aliquid in noſtra conſtitui poteſtate; autoritates verò alię aliorum dicentes ſimiliter abſolutè nihil in noſtra conſtitui poteſtate ſecundum diſtinctionem præmiſſam ſuperius exponentur; cuiuſmodi ſunt, Non eſt hominis via eius, nec viri vt ambulet, Ierem. 10. Non eſt in hominis poteſtate conſilium tuum, Tobiæ 3. nec quod minimum eſt poteſtis, Luc. 12. Non volentis nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei, ad Rom. 9. Illud quoque Doctoris Catholici & beatiſsimi Martyris Cypriani epiſtola ſua 13. prætitulata ad Quirinum de diſciplina religionis Chriſtianæ cap. 4. In nullo nobis gloriandum, quando noſtrum nihil ſit, quod eſt quaſi titulus & continentia illius totius capituli, quod & multipliciter ibi probat. Quam autoritatem beatus Auguſtinus deuotè amplectitur, & allegat de correptione & gratia 19. de prædeſtinatione ſanctorum 3. & alijs locis multis, cuiuſmodi plurimas alias capitulum proximum recitauit. Ex his autem redditur manifeſtum qualiter homo eſt & non eſt Dominus ſui actus, & qualiter eſt & non eſt liberi arbitrij conſequenter, quoniam correſpondenter præmiſsis. Nam ſicut actus hominis conſtituitur & non conſtituitur in eius poteſtate, ſic eſt & non eſt Dominus illius, & ſic eſt & non eſt liberi arbitrij conſequenter, quod patet cuilibet ex ſignificationibus terminorum. Nullus enim, vt ſpero, tam ſuperbum dominium ſibi vendicare præſumet, vt illum ſuperiorem Dominum non agnoſcat, qui in veſtimento & in femore ſuo habet ſcriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium, Apoc. 19. ſed dicat, Volumus hunc regnare ſuper nos: quod quicunque præſumſerit, per 30. ſecundi diuino dominio ſubigetur. Nullus ergo || *hominum* eſt Dominus ſui actus omninò ſimpliciter & penitus abſolutè, ſummè, antecedenter, & ſufficienter ſine indigentia ſcilicet alicuius, quod ſuæ poteſtati ſiue dominio non ſit ſubiectum, ſed tantùm ſecundum quid, ſcilicet reſpectu cauſarum omnium ſecundarum ſubſeruiens neceſſariò cauſæ primæ, & hoc neceſsitate naturaliter præcedente, ſicut ſecundum huius oſtendit; ſicque dicitur Dominus ſui actus, quia cùm vult, agit, & cùm non vult, non agit, & hoc voluntariè, non inuitè nec coactè. Nec hoc ferat indignè: ſufficiat enim ſibi vt ſit Dominus medius, ſicut & illi ſancti Angelici ſpiritus in quodam medio ordine conſtituti qui dominationes dicuntur, ſicut ſummi Reges noſtri & Principes, qui ita ſunt Domini, vt tamen ſeruiant Domino Dominorum; ſicut & Duces ac Comites, qui ita ſunt Domini ſubditorum, vt tamen ſuperioribus Dominis ſeruiant & ſubdantur, ſicut & 28. ſecundi confirmat. Vnde Boetius ſuper 1. peri hermenias vlt. Noſtra voluntas domina quodammodo eſt noſtrorum actuum, & totius vitæ rationis: quodammodo, inquit, non penitus abſolutè. Et Auguſtinus 144. ſententiarum Proſperi, Rationalis, inquit, anima eſt domina corporis ſui, quæ inferiori non bene imperabit, niſi ſuperiori ſe Deo tota charitatis ſubiectione ſeruierit. Idem de vera religione 25. Tales ſeruos ſuos meliores eſſe Deus iudicauit, ſi ei ſeruirent liberaliter. Dicamus igitur deuotè cum Eccleſia tota Dei, Domine, in voluntate tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſsit reſiſtere voluntati tuæ: tu enim feciſti cœlum & terram, & vniuerſa quæ cœli ambitu continentur, Dominus vniuerſorum tu es, ergo ipſe eſt Dominus cuiuſlibet actus humani, & non in æquali ordine cum ipſo homine, vt iura vetant, & ratio prohibet, ſicut per oſtenſionem corollarij ſecundi primi, & per 20. ſecundi apparet; nec homo eſt ſuperior Dominus per 30. ſecundi, ſed Deus: nec quiſquam, quæſo, tantam ſibi vendicet libertatem, vt etiam Dei refugiat ſeruitutem, dicendo cum impijs, Quis eſt omnipotens vt ſeruiamus ei? Iob 21. Dicit enim Propheta, Ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi, Pſalm. 118. & Pſalm. 61. Nonne Deo ſubiecta erit anima mea? Et infra, Veruntamen Deo ſubiecta || *eſto* anima mea. Et Apoſtolus ad Rom. 3. Omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo. Vnde & Eſaię 45. In memetipſo iuraui, dicit Dominus, egredietur de ore meo iuſtitię verbum, & non reuertetur, quia * mihi curuabitur omne genu: quare & Eccleſiaſtici 42. ſic ſcribitur; In omni neceſsitate omnia obaudiunt ei. Caueant ſibi tales, ne dum liberi iuſtitiæ volunt eſſe, fiant ſerui peccati. Dicit quoq; beatus Auguſtinus de ſpiritu & litera 25. Vt quid miſeri homines de libero arbitrio audent ſuperbire antequam liberentur, aut de ſuis viribus ſi iam liberati ſunt, nec attendunt in ipſo nomine liberi arbitrij vtique libertatem ſonare? Vbi autem ſpiritus Domini, ibi libertas. Si ergo ſerui ſunt peccati, quid ſe iactant de libero arbitrio? A quo enim quis deuictus, huic & ſeruus eſt addictus. Si

autem

Margin notes: *Ieremias.* *Tobias.* *Lucas.* *Apoſtolus.* *Cyprianus.* *Auguſtinus.* || homo *Boetius.* *Auguſtinus.* *Pſalmus.* || erit *Apoſtolus.* * tunc

Section letters: A B C D E

A si autem liberati sunt, quid se iactant velut de opere proprio, & gloriãtur quasi non acceperint? An ita sunt liberi, vt nec illum velint habere Dominum, qui eis dicit, Sine me nihil potestis facere? Idem de libertate arbitrij ad Hilar. 3. Desinant, inquit, Pelagiani sic insanire, & ad hoc se intelligant habere quantũ possunt liberum arbitrium, vt non superba voluntate respuant adiutoriũ, sed vt pia voluntate inuocent Dominum. Hæc enim voluntas libera tanto erit liberior, quanto diuinæ misericordiæ gratiæq; subiectior; Ipsa quippe fideliter orat & dicit, Itinera mea dirige secundum verbũ tuum; & ne dominetur mei omnis iniquitas. Itẽ Prosp. cont. Cassian. 8. *Prosper.* sic ait; Non est periculum liberi arbitrij gratia Dei, nec voluntas aufertur, cùm in ipsa bene velle generatur. Nam si ideo non putanda est libera, quia formatur, regitur, ordinatur, imbuitur, spoliantur libertate filij Dei qui aguntur spiritu Dei. Et infra 24. Non conturbat, inquit, nos superbientium inepta querimonia, qua lib. arb. causantur auferri, si & principia, & profectus, & perseuerantia in bonis vsq; in finem Dei dona esse dicantur, quoniã opitulationes diuinæ gra-
B tiæ stabilimenta sunt voluntatis humanæ, volentes oramus, & tamen misit spiritum in corda nostra clamantem Abba Pater; volentes loquimur, & tamen si pium est quod loquimur, non sumus nos loquentes, sed spiritus Patris nostri qui loquitur in nobis; volentes operamur salutem nostram, & tamen idipsum velle ac operari Deus est qui operatur in nobis. Et in fine, vbi *Prosper.* 13. hæreses Pelag. summariè recitantur, & totidem sanctiones catholicæ contra eas, hæc locatur 11ª. Non esse lib. arb. si Dei indigeret auxilio, quoniam in propria voluntate habet vnusquisq; facere aliquid aut non facere: & hæc 11ª. sanctio contra illam fatetur esse liberum arbitrium, etsi diuino indiget adiutorio. Idemq; in senten. suis, proposit. 124. dicit, Libera semper est seruitus apud Deũ, cui non necessitas seruit, sed charitas. Nullus igitur omnium est arbitrij liberi simpliciter, arbitrij simpliciter liberi, ab omni scilicet superioris seruitute immunis omnino & ab omninecessitate naturaliter præcedente penitus alienus, sicut 10ª pars quinti huius ostendit, sed secundũ quid tantũ scilicet respectu causarũ omniũ secundarũ, sicut eadẽ pars 10ª
C & 3ª secundi docebant, subseruiens tamen necessariò causę primæ, necessariò inquã necessitate naturaliter præcedente, sicut secundum huius ostendit: Sicq; dicitur homo liber ad aliquid faciendũ, quia cùm vult, facit illud, & cùm non vult, nõ facit, volũtariè, non coactus aut inuitus. *Philosophus.* Vnde Philos. 6. Polit. 1. Viuere, inquit, vt vult quis, hoc opus libertatis esse aiunt; siquidem seruientis, ipsum viuere non vt vult. Cui & concorditer Aug. 1. contra Pelag. & Cœlestium 12°. *Augustinus.* Oratur, inquit, in Psal. Suauis es Domine, & in tua suauitate doce me iustitiam tuam; id est, non formidine pœnæ seruiliter cogar esse sub lege, sed libera charitate delecter esse cum lege; præceptum quoque liber facit, qui libens facit; & hoc idem videtur esse, quod dicitur in sentẽt. Prosp. propositione præmissa; Libera semper est seruitus apud Deum, cui non necessitas seruit, sed charitas; Non necessitas, inquit, cogens scilicet violenter, sed charitas, scilicet amor spontaneę voluntatis, sicut & corol. primi huius ostendit, Nec quisquam recalcitret murmurando; sufficere namque debet cuilibet homini talis libertas, qualem habuit, habet, ac semper
D habebit Dominus suus Christus, qui Patri in omnibus est subiectus, ac necessitate naturaliter præcedenti, vt 30°. secundi, & secũdum huius ostendunt. Dicit enim Apost. 1. ad Cor. 15. Cùm *Apostolus.* autem subiecta fuerint illi, scilicet Christo filio Dei, omnia, tunc ipse filius subiectus erit Patri, qui sibi subiecit omnia. Qui & dicitur seruus Patris; Vnde Esa. 42. Ecce seruus meus, suscipiam eum, electus meus: Complacuit igitur in illo anima mea; Dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferre. Et infra 53. Dominus voluit conterere eum in infirmitate, & voluntas Domini in manu eius dirigetur; In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Sufficiat homini talis libertas, qualis est in sanctis Angelis, & in hominibus confirmatis, qui diuinæ voluntati adeo sunt subiecti, vt peccare aut velle peccare non possint, sed ipsam in omnibus necessariò imitantur, sicut omnes ‖ *autoritates* concorditer profitentur. ‖ autores Quare & Lumbard. 4. sent. dist. 45. Adeo, inquit, volũtati addicti sunt super- *Petrus.* næ, vt nihil præter voluntatem eius queant velle. Sufficiat homini, quod sit liber, sicut Reges &
E Principes, qui ita sunt liberi, vt tamen diuinæ prouidentię seruiãt etiam in omnibus factis suis, sicut 27um. primi & seq. docuerunt. Sufficiat homini ‖ *quod* sit liber respectu omnium citra ‖ vt Deum, & tantummodo seruus Dei, seruus, inquam, spontaneus, non coactus; cui sic seruire sicut canit Ecclesia, est regnare, cùm plurimi homines dicãtur, & verè sint liberi, qui nedum vni, sed multis superioribus Dominis seruiunt & subduntur. Vnde Aug. 2. de lib. arb. 22. Hæc est libertas nostra, cùm ipsi subdimur veritati, scilicet vero Deo.

A

CAP. X.

Diſtinguit de neceſsitate & libertate.

VT autem hæc præmiſſa clariùs pateſiant, Sciendum quod neceſſitas & libertas multis modis dicuntur: Neceſsitas ſiquidem per ſe primò accipitur pro vehementia eſſendi illius quod per ſe & primò eſt neceſſe eſſe, quod eſt Deus, & ſic propriè definiri non poteſt, ſicut decimum tertium primi docet; Deſcribitur tamen & notificatur vtcunque, & hoc meliùs * per affirmationem quàm negationem, ſcilicet * per vehementiam B
& firmitatem eſſendi, quàm per impoſſibilitatem ſeu non poſſibilitatem non eſſendi, ſicut ſeptima pars illius decimi tertij manifeſtat. Aliter accipitur neceſſitas pro neceſſitate naturali, pro neceſſitate fatali, pro neceſſitate violentæ coactionis, & pro neceſſitate ſpontaneæ ſtabilitatis permanentiæ, ſeu etiam firmitatis, quæ etiam [licet] non tam propriè neceſsitas immutabilitatis vocatur. Neceſſitas etenim, ſicut in principio dicebatur, melius per affirmationem quàm per negationem deſcribitur: Vnde Eſa. 46. Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet; & 2. ad Tim. 2. Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, Cognouit Dominus qui ſunt eius; & Pſalmo 116. Veritas Domini manet in æternum; & Pſal. 32. Conſilium autem Domini manet in æternum, cogitationes cordis eius in generatione & generationem: Gloſſa; id eſt, Non ſunt mutabiles, ſed æternæ: & prædeſtinatio eius immutabilis eſt, In qua omnia repoſita ſunt, cum C
multis ſimilibus 23°. primi pleniùs recitatis; ſicut & loquuntur Aug. & Anſel. vt probatio corollarij primi huius recitat & allegat. Eſt & neceſſitas præcedens & ſequens, ſicut ſecundum huius oſtendit; & quia quot modis dicitur vnum oppoſitorum, tot modis dicentur & reliquum, & neceſſitas & libertas quodammodo opponuntur. Libertas dicitur contrariè iiſdem modis; ſcilicet libertas à neceſſitate primo modo dicta, libertas à neceſſitate naturali, à neceſsitate fatali, à neceſsitate violenta, à neceſsitate præcedente, & à neceſsitate ſequente. Harum autem omnium tres præmiſſæ, ſcilicet neceſsitas naturalis, fatalis, & violentæ coactionis libertati rationalis creaturæ meritoque repugnant; Quare & hæ tres poſſunt ad vnum generalem adduci, ad neceſsitatem ſcilicet aduerſariam ſeu contrariam libertati, quæ & ideo adimit libertatem ac peccatum excuſat: & alia poteſt dici neceſsitas ſpontanea, conſentanea, libera & compatiens libertatem & meritum iuxta diſtinctiones D
Auguſtini & Anſelmi de neceſsitate præmiſſas in probatione Corollarij primi huius. Omnes igitur autoritates negantes neceſsitatem à creatura rationali, negant tantum hanc primam quæ ſcilicet eſt aduerſaria & contraria libertati, & adimit libertatem; non autem ſecundam, ſpontaneam ſcilicet, conſentaneam libertati, quæ & compatitur libertatem: Vnde & vt plurimum cùm negant neceſsitatem quaſi aduerſando neceſsitati per hanc coniunctionem (ſed) aut aliam ſimilem, quæ ſecundum Grammaticos, & ſecundum veritatem, & ſecundum communem modum loquendi dicitur aduerſatiua, eo quòd aduerſando priori ſententię ponit eius oppoſitum, affirmant voluntatem ſiue libertatem, dicendo quempiã feciſſe vel facere hoc vel illud non neceſsitate, ſed libertate, ſeu voluntate aut libera poteſtate, innuentes ſe tantum abnuere neceſsitatem aduerſariam voluntati, aut etiam libertati: Vnde Apoſtolus ad Philemonem, Sine conſilio tuo nihil volui facere, vt ne, velut ex neceſſitate, bonum tuum eſſet, ſed voluntarium. Et 1. ad Cor. 7. Qui ſtatuit in corde ſuo firmus non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde ſuo ſeruare virginem ſuam, E
bene facit. Item Ambr. 2. de Trin. 3. ita dicit; Paulus ait, quia omnia operatur vnus atq; idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult, id eſt, pro libero voluntatis arbitrio, non pro neceſſitatis obſequio. Item Aug. de vera relig. 25. tales ſeruos ſuos meliores eſſe Deus iudicauit, ſi ei ſeruirent liberaliter, quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate ſed neceſsitate ſeruirent. Idem de fide ad Petrum 57. Firmiſsimè tene primos homines eſſe creatos cũ libero arbitrio, eoſque non neceſſitate, ſed propria voluntate peccaſſe: & idẽ dicit ſæpiſsimè in alijs locis multis. Talia quoq; frequenter dicit Anſel. 2. Cur Deus homo 5. 10. & 17. ſicut Corol. primi huius allegauit pro parte; qui & de Concordia 7. ita dicit; Neq; præſcit Deus, neque prędeſtinat quenquam iuſtum futurum ex neceſſitate: Non enim habet iuſtitiam, qui eam non ſeruat libera voluntate

Marginalia: * tam; * tam; *Eſaias.*; *Gloſſa.*; *Apoſtolus.*; *Ambroſius.*; *Auguſtinus.*

A luntate pariter. Igitur quamuis necesse sint quæ præsciuntur & prędestinantur; quędam tamen præscita & prædestinata non eueniunt ea necessitate quæ præcedit rem & facit, sed ea quæ rem sequitur, sicut supradiximus. Non enim ea Deus, quamuis prædestinet, facit voluntatem cogendo aut voluntati resistendo, sed in sua illam potestate dimittendo, qualia & alibi sæpe dicit. Sic loquitur Boetius 5. de Consolatione Philosophiæ prosa vlt. sic loquitur, Decretum 23. quæst. 4. Nabuchodonosor, & infra: sic loquuntur & omnes, Maiores scilicet & Minores, docti pariter & indocti; dicentes quempiam facere quippiam non necessitate, sed libera voluntate. Vlteriùs autem pro || *pleniori* intellectu librorum Doctorum nostrorum sciendum, quod tripliciter vel quadrupliciter ponitur actus humanos supponi necessitati naturæ. Nam quidam hæretici, puta Manichæi, dixerunt hominem facere omnia mala sua necessitate naturę animæ suæ malæ. Quidam verò alij posteriores & quasi moderni posuerunt voluntatem humanam esse tantum passiuam; quare & sicut 3um. secundi ostendit, habuerunt ponere conse- || planiori
B quenter omnes actus voluntatis humanæ, sicut & appetitus bruti ex necessitate naturæ necessariò prouenire. Tertij verò dixerunt voluntatem humanã passiuam & actiuã, sed primò passiuam, & hoc necessitate naturæ, quam sic passiuã dixerunt ex necessitate naturæ vlterius agere sicut bruta. Quarta autem necessitas voluntatis, quæ ponitur à quibusdam respectu stellarũ, videtur similiter ad necessitatem naturæ non ineptè posse reduci, quæ tamen sub necessitate fatali magis propriè forsitan collocatur. Alij autem, vt Stoici, secundum Boetium super 1. peri hermenias vlt aliqui etiam Mathematici, vt sæpè recitat Aug. & maximè 5. de Ciuit. Dei, & in quæstionibus suis veteris & noui testamenti; atque Priscillianistæ hæretici, sicut 28am. primi à Gregorio recitauit, posuerunt omnia prouenire ex necessitate fatali stellarum. Alij verò, vt Cicero & Pelagius asserebant, quod supposita præscientia, prædestinatione & reprobatione, & prouidentia futurorum in Deo, omnia prouenirent ex necessitate violenter cogente, sicut sextum & trigesimum quartum primi pleniùs recitarunt; & hi omnes in peccato quo-
C libet hominis hominem totaliter excusabant, & naturam, fatũ, vel Deum, imò necessariò semper Deum Autorem naturæ & fati, præscientiæ, prædestinationis & reprobationis totaliter accusabant. Hi etenim Manichæi posuerunt duas naturas primas contrarias & æternas, vnã bonam, alteram verò malam, sicut recitant pleniùs 1um. & 26um. primi: Qui & consequenter vlteriùs posuerunt duas animas in quolibet homine ab illis duabus naturis correspondenter impressas, vnam bonam omnium bonorum operum hominis effectiuam, alteram verò malam omnium malorum effectricem, sicut patet per Aug. de duabus animabus contra Manich. de natura & gratia, de bono perseuerantiæ, de vera religione, & alijs locis multis; dixeruntq; animam illam malam naturaliter facere quicquid facit, scilicet necessitate naturæ; quare & hominem in malo quolibet excusari, & ipsam naturam animæ seu eius autorem tantummodo accusari: Vnde Aug. 5. contra Iulianum 9. Christiani, inquit, non sicut tu simulas, cum Manichæis dicunt inesse carni suæ mali necessitatem, quod malum illi substantiale & Deo coæternum *Augustinus.*
D esse mentiuntur, sed dicunt sanè cum Apostolo, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Idem de natura & gratia 1. Vidi, inquit, hominem zelo ardentissimo accensum aduersus eos, qui cùm in suis peccatis humanam voluntatem debeant accusare, naturam potiùs accusantes humanam, hominem per illam excusare conantur. Quare & isti habent dicere consequenter hominẽ peccatũ vitare non posse propter purã necessitatem naturæ. Vnde Hieron. epist. 32a. ad Damasum Papam; Liberum, inquit, arbitrium sic confitentur, vt dicamus nos semper indigere auxilio Dei, & tam illos errare qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum vitare non posse, quàm illos qui cum Iouiniano asserunt hominẽ non posse peccare: Vterq; enim tollit arbitrij libertatem: Ipsi tamen Manichæi hominem peccantem, eo quòd necessitate naturę peccauit, dixerunt penitus excusandum, & naturam vel eius autorem solummodo accusandum. Hæc autem opinio, licet rudis nimium sit & grossa, quandoq; deceperat Aug. ipsomet testante 5. Confess. 10. sub his verbis; Mihi videbatur non esse nos qui pec- *Hieronymus*
E camus, sed nescio quàm aliam in nobis peccare naturam, & delectabat superbiam meam extra culpam esse, & cùm aliquid mali fecissem, non confiteri me fecisse, vt sanares animam meam, quoniam peccabat tibi, sed excusare me amabam, & accusare nescio quid aliud, quod mecum esset, & ego non essem; & ideo erat peccatum meum insanabilius, quo me peccatorem non esse arbitrabar: quod & liber suus de moribus Manichæorum similiter contestatur, quod & patet [similiter] legentibus vitam suam. Alij etiam ponentes qualemcunq; necessitatem naturæ, se peccantes excusare volebant, & accusare naturam: Vnde B. Hier. ep. 36a. ad Amandum Pręsb. de diuersis quæstionibus in solutione secundæ quæst. sic ait; Omnes homines vitijs nostris fauemus, & quod propria facimus voluntate ad naturæ referimus necessitatem. Item Aug. de vera & falsa pœnitentia vlt. Non itaq; peccantes, inquit, dicamus, Non aliud potui, nec mirum *Hieronymus* *Augustinus.*

si

ſi deditus ſum fornicationi, quia talis creatus ſum naturæ & fragilitatis: Fragilitas enim, non A voluntas, me cogit committere criminalia. Errat, qui ſic fallitur; Natura enim talis eſt vt poſſit quiſque reſiſtere malo cui ſe ſubijcit ex arbitrio. Secundi ſimiliter ſupponentes actus humanos neceſſitati fatali, hominem peccantem excuſant, fatum ſeu Deum potiùs accuſando: Vnde Ammonius || *Erineus* in recordatione in librum peri hermenias Ariſtot. ſup. c. vlt. primi recitans opiniones circa euētus futurorū, ſic ait; Neq; omnino idioticæ diſpoſitionis homines inuenies neglientes meditationem de hoc theoremate, ſed hos quidem velut omnibus ex neceſſitate factis, cauſas eorum in quibus peccant ad fatum vel prouidentiam diuinam & dæmonialem referre tentantes; ſicut quidam inerudité apud Homerum dicit; Ego autem non ſum cauſa, ſed Iupiter & fatum. Item Aug. ſuper illud Pſal. 31. dixi, Confitebor (ſeu pronuntiabo ſecundum tranſlationem quam exponit) aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, ita dicit; Multi pronuntiant iniquitatē ſuam, ſed aduerſus ipſum Dominum Deum, quando inueniuntur in peccatis ſuis, dicunt, Deus hoc voluit. Si enim homo dicat, Non feci, aut hoc factū quod B arguis non eſt peccatum, non pronuntiat nec aduerſum ſe nec aduerſum Deum: ſi dicat, feci prorſus & peccatū eſt, ſed Deus hoc voluit, quid ergo feci? hoc eſt pronūtiare aduerſus Deum. Fortè dicatis, Nemo dicit; quis eſt qui dicat, Deus hoc voluit? Multi & hoc dicunt; ſed & qui hoc non dicunt, aliud dicunt; quid dicunt? fatum mihi fecit, ſtellæ meæ fecerunt. Ita iā per circuitum ad Deum volunt peruenire, per circuitum volunt peruenire ad Deum accuſandū, qui nolunt de compendio venire ad Deum placandū; & dicunt, Fatum mihi fecit. Quid eſt fatum? Stellę meę fecerunt; quid ſunt ſtellę? certè iſtę, quas in cælo cōſpicimus; & quis eas fecit? Deus; quis eas ordinauit? Deus; ergo vides quid voluiſti dicere; Deus fecit vt peccarē; ita ille iniuſtus, tu iuſtus, quia niſi ille feciſſet, tu non peccaſſes. Tolle iſtas excuſationes in peccatis, memento illius Pſal. Nec declines cor meū in verba maligna ad excuſandas excuſationes in peccatis cū hominibus operantibus iniquitatem. At enim maligni ſunt, qui defendūt peccata ſua; maligni ſunt & qui numerant ſydera, & qui cōputant ſtellas & tēpora, & dicunt, quis, quando || *vel* pec- C cet vel bene viuat; & quando Mars faciat homicidā & Venus adulterū; magni docti viri & electi vidētur in ſæculo. ſed quid ait in Pſal. Ne declines cor meū in verba mala cum hominibus operantibus iniquitatem, & non cōmunicabo cum electis eorum? Dicant illi || *electos & doctos* numeratores ſyderum, dicant illi ſapientes [eos] qui quaſi digerunt in digitis facta humana, & ſcribunt de ſtellis mores humanos; Cū lib. arb. me creauit Deus; ſi peccaui, ego peccaui, vt non ſolum pronuntiem iniquitatem meam Domino, ſed aduerſus me, non aduerſus eum; ego dixi, Domine miſerere mei: clamat æger ad medicum; ego dixi; quare, ego dixi, ſufficeret? dictum eſt ego, ego, non fatum, non fortuna, non diabolus, quia nec ipſe coegit, ſed ego perſuadenti conſenſi, ego dixi, Domine miſerere mei. His & concordant multi Doct. catholici multis locis 28. primi breuiter memorati. Tertij etiā, qui, data præſcientia, prædeſtinatione, reprobatione, prouidētiauè diuina, actus humanos neceſſitati violēter cogenti ſubijciūt, hominē à peccato D excuſāt, & pro ipſo Deū accuſāt, ſicut planè teſtātur autoritates quāplurimę 34° primi pleniùs allegatæ. Multis enim videtur præſcientiā Dei &c, huiuſmodi libertati arbitrij & merito repugnare: Vnde & Anſel. de Concor. 5. dicit; pro illo autē arbitrio tantū, & pro libertate iſta vētilatur quæſtio, Sine quib⁹ homo ſaluari nequit, poſtquā poteſt illis vti. Nā ideo cōquerūtur multi; quia putant ad ſalutē, vel ad dānationem nihil valere lib. arb. ſed ſolam neceſſitatē propter Dei præſcientiam. Item Aug. 3. de lib. arb. 2. proponens hanc quæſtionem ſub nomine diſcipuli, ita dicit; Ineffabiliter me mouet quomodo fieri poſſit, vt & Deus præſcius ſit omnium futurorum, & nos nulla neceſſitate peccemus. Quiſquis enim dixerit aliter euenire aliquid poſſe, quàm Deus ante præſciuit, præſcientiam Dei deſtruere inſaniſſima impietate molitur. Quapropter ſi primum hominē peccaturum eſſe præſcierat, neceſſe erat id fieri quod futurum eſſe præſciebat Deus; quomodo eſt igitur voluntas libera, vbi tam ineuitabilis apparet neceſſitas? vbi Aug. ſtatim reſpondendo ſubiungit, Pulſaſti vehementer miſericordiam Dei; Aſſit, aperiatq; pulſantibus; Veruntamen partē maximam hominū iſta quæſt. torqueri non ob a- E liud crediderim, niſi quia non piè quærunt, velocioreſq; ſunt ad excuſationē quā ad confeſſionē peccatorum ſuorū. Alij enim nullam diuinam prouidentiā præeſſe rebus humanis libenter opinantur, dumq; fortuitis cōmittunt caſibus & animos & corpora ſua, tradunt ſe feriendos & dilaniandos libidinibus, diuina iudicia negātes, humana fallentes; eos à quibus accuſantur, fortunæ patrocinio propulſare ſe putant, Aliquando verò quanquā negare non audeant præſidere humanæ vitæ prouidentiam Dei, malunt tamen eam vel infirmam vel iniuſtam, vel malam nefario errore credere, quàm ſua peccata pietate ſupplici confiteri. Et infra 3. Hoc te mouet, & hoc miraris, quomodo non ſint contraria & repugnantia, vt & Deus præſcius ſit omnium futurorum, & nos non neceſſitate, ſed voluntate peccemus. Si enim præſcius

Marginalia: || Armenus (beside "Erineus"); *Auguſtinus* (beside "Item Aug. ſuper illud Pſal. 31"); || vult (beside "|| vel"); || electi & docti (beside "|| electos & doctos"); *Auguſtinus.* (beside "Et infra 3").

A scius est Deus, inquis, peccaturum esse hominem, necesse est vt peccet; si autem necesse est, non ergo est in peccando voluntatis arbitrium, sed potius ineuitabilis & fixa necessitas; qua ratiocinatione hoc videlicet ne conficiatur, times vt aut Deus futurorum omnium præscius impiè negetur, aut si hoc negare non possumus, fateamur non voluntate sed necessitate peccare. Et inferius adhuc 4. Sub nomine discipuli scribitur & quæritur isto modo; Nondum video quomodo sibi non aduersantur hæc duo; præscientia Dei de peccatis nostris, & nostrum in peccando liberum arbitrium. Nam & iustum Deum necesse est fateamur & præscium; sed scire vellem, qua iustitia puniat peccata quæ necesse est fieri? aut quomodo non sit necesse fieri, quæ futura esse præsciuit? aut quomodo creatori non deputandum est quicquid in eius creatura fieri necesse est? quam quæstionem, opponendo & respondendo, diffusè prosequitur multis capitulis consequenter. Idem de vera & falsa pœnitentia 8. Sunt, inquit, qui defendunt culpam ex Dei prouidentia, reputantes Dei ordinationi & necessitati, quod reli-
B ctum est voluntati & arbitrij libertati. Idemque in confutatione catholica 16. capitulorum sibi per Pelagianos falsò imputatorum, recitat obiectionem eorum 13. in hæc verba, Quòd omnes fideles illi & sancti, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, quando ad vomitum suum relabuntur, vitio etiam suo hoc facere videntur, sed ipsius vitij causa est diuina prædestinatio, quæ illis latenter subtrahit bonas voluntates, quod & multæ aliæ obiectiones eorum ibi recitatæ prætendunt. Quare & ipsi Pelagiani prædestinationem simpliciter abnegarunt, vel eam tantùm & vix in Christi Apostolis concesserunt, sicut multi libri Augustini ostendunt, sed specialiter liber de bono perseuerantiæ multis capitulis versus finem; specialsimè verò liber eius de prædestinatione contra Pelagianos, in quo per scripturam canonicam, & per rationem similiter ostendit prædestinationem diuinam generaliter concedendam; qui liber eius immediatè debet sequi opus eius prædictum de confutatione 16. capitulorum per Pelagianos sibi obiectorum; vnde & in eius principio ita dicit, Addere etiam hæc quam maximè *Augustinus.*
C huic operi, de his scilicet 16. capitulis nunc præmisso oportet, vt & vestra calumnia, quam obijcere nobis soletis, per illuminationem gratiæ Saluatoris reuincatur, imò confutetur, & nostræ fidei integritas comprobetur. Credere nos quippe vel prædicare flagitatis, quia cum lege Dei & Prophetis, cum Euangelio Christi eiusque Apostolis prædestinationem dicimus, quòd quosdam homines sic prædestinat ad vitam regni cœlorum, vt si nolint orare, ieiunare, aut in omni opere diuino vigiles esse, eos omninò perire non posse, nec prorsus debere sui esse sollicitos, quos Deus, quia voluit, semel iam eligendo prædestinauit ad vitam; quosdam verò prædestinauit in gehennæ pœnam, vt etiamsi credere velint, si ieiunijs & orationibus omnique se voluntati diuinæ subiecerint, in his Deum non delectari, & vitam illis æternam in toto dari non posse. Et infra eodem vlt. Prædestinationem igitur negare, quam apud Deum esse breuiter probauimus, in maius blasphemia est, quam non tantùm sicut soletis dicere in Apostolis debemus accipere, sed & in Patriarchis, Prophetis, Martyribus, & Confessoribus, in
D omnibus sanctis & Deo dignè seruientibus. Porrò cùm intellectus dictorum ex causa dicendi rationabiliter sit pensandus, ‖ *considerandum* est valdè in libris Autorum refellentibus hos errores, quis & vbi quem refellat, & iuxta hæc oportet elicere dictorum omnium intellectum. ‖ confitendum
Vbi namque contradicendo primo istorum errorum dicunt absolutè actus humanos non ex necessitate, sed liberè prouenire, intelligendum est de necessitate naturæ, & de libertate sibi opposita, sicut & aduersarius intellexit: aliàs enim non esset verus elenchus, nec vera contradictio contra ipsum. Nam secundum Philosophum 1. elenchorum, vbi de ignorantia elenchi determinat, Elenchus est contradictio eiusdem & vnius, non nominis tantùm, sed rei & nominis secundum idem & ad idem: vbi verò redarguendo secundum, tale quid dicunt, intelligendum est de necessitate fatali stellarum, & de contraria libertate: vbi autem tertium reprobando remouent necessitatem simpliciter ponentes liberam potestatem, intelligendum est de necessitate ex parte Dei præscientis, vel quidlibet simile facientis violenter cogente, ex-
E cusante peccatum, meritumque tollente, & correspondenter è contrario de libera potestate. Quamobrem vlterius est sciendum, quòd primum istorum errorum destruit Philosophus generaliter 9. Metaphys. 10. & post, sicut 4. huius plenius allegauit, alij quoque multi Philosophi alijs locis multis. Vnde Ammonius ‖ *vbi* prius, recitat opinionem dicentem omnia euenire ex necessitate, & hoc ipsum ex necessitate euenire vt dicant, quòd omnia sunt necessaria, vel quòd omnia sunt in nobis; quam reprobat isto modo: Si quidem secundum verum est, non omnia ex necessitate; si autem primum, quomodo opinabuntur quidam oppositum, quòd multa sint in nobis? A natura enim omnia necessariò producente, vt ponit illorum sermo, moueri nos præter naturam ad sententiandum contra ea quæ fiunt ab ipsa, penitus mirabile & consimile: vt si quis medicatiuam artem docens, per hoc ipsum instruxit discipulos ‖ vt

pulos destruere principia artis quam didicerunt, quamuis artificem quidem verisimile facere aliquid eorum quæ præter artem, non secundum quod talis, puta medicum dare corruptiuum aliquid vel venenosum, tanquam habentem animam à seipsa mobilem, & arte nihil faciente; naturam tamen contrarium aliquid proprio sui facere impossibile est. Boetius quoque super eundem locum dicit Animal esse triplex, scilicet subiectum naturæ, subiectum cœlo, subiectum rationi & libero arbitrio voluntatis: & declaratis duabus primis speciebus, subdit de tertia, || *quia* nos sumus cuncti diuinæ prouidentiæ subiecti, ex ipsa quoque diuinorum voluntate pendemus. Per hoc ergo vult dicere, quòd homines non sunt subiecti necessitati naturæ, sicut animalia cætera sunt subiecta. Idem quoque de consolatione Philosophiæ prosa vltima, ostendit non omnia prouenire ex necessitate naturæ; cuius verborum series recitatur in canone 23. quæstione 4. Non ergo, quamuis Gratianus nihil inde Boetio, sed totum tribuat Augustino, vt sic contra eum meritò valeat conqueri, sicut & fecit Virgilius in simili casu, dicens;

Boetius. — || quæ — *Gratianus.*

A — B

Hos ego composui versus, tulit alter honores:
Sic vos non vobis mellificatis apes,
Sic vos non vobis pullificatis aues,
Sic vos non vobis vellificatis oues.

Augustinus Item Augustinus quæstionum veteris & noui testamenti prima sic ait, Si homo potestatis suæ non esset, subiectus fuerat necessitati, vt neque boni operis haberet gloriam, neque mali pœnam, sed fuisset vnus ex pecoribus. Et quæstione secunda, Si diabolus natura malus esset, pœnam illi promittere aut dementis erat aut iniqui: quis enim arguat eum, quem videt non aliter aliquid facere, quàm natura eius admittit? || *Aut qui* igni potest succenseri quia vrit, aut aquæ quia infrigidat, cùm non vtique voluntate hoc faciat, sed natura? Et infra, Si hæc naturaliter putatur facere, reus constitui non potest, quia hoc facit quod naturæ suæ est & potest, & non facit quod non potest, quia naturæ suæ non est; itaque neque laudandus neque condemnandus est, quia non voluntate hæc facit, sed impulsu naturæ. Hæc generaliter contra hunc primum errorem, qui & in alijs locis quampluribus & ab alijs multis Autoribus similiter condemnatur, secundum & concorditer tertium secundi condemnat. Sed adhuc vlterius aduertendum contra istum errorem, quantum Manichæos concernit; quòd contra ipsos Manichæos beatus Augustinus scripsit specialiter & principaliter multos libros; librum scilicet de libero arbitrio, vt patet 1. Retract. 9. & de bono perseuerantiæ 27. & deinceps librum de Genesi contra Manichæos, sicut tam ipse liber quàm 10. primi Retract. ostendit; librum de vera religione, sicut capit. 13. tam illius libri, quàm primi Retract. ostendit; libros de duabus animabus contra Fortunatum Manichæum, contra Adimantium Manichæi discipulum, contra epistolam Fundamenti, contra Faustum Manichæum, contra Felicem Manichæum, De natura boni, contra Secundinum, sicut 22. primi Retract. cum secundo, septimo, octauo, nono, & decimo secundi clarissimè manifestat. Contra quem & quos similiter in multis alijs libris suis, licèt non ita principaliter, incidenter tamen & partialiter inuehit multis locis. Hunc quoque errorem quantum ad partem eius secundam, damnauit Stephanus Episcopus Parisiensis sub his verbis; quòd liberum arbitrium est potentia passiua, non actiua, & quod de necessitate mouetur ab appetibili: || *iterumque* sub istis, quòd voluntas de se est indeterminata ad opposita sicut materia, determinatur autem ab appetibili sicut materia ab agente; quam sententiam similiter sapiunt multi alij articuli ab eodem similiter condemnati. Hunc etiam eundem errorem, quantum ad tertiam eius partem, damnauit idem Episcopus sub his verbis; quòd voluntas hominis necessitatur per suam cognitionem, sicut appetitus bruti: & iterum sub hac forma; quòd voluntas necessariò sequitur quod principaliter creditur à ratione, & non potest abstinere ab eo quod ratio dictat: hæc autem necessitas non est coactio, sed natura voluntatis. Eundem quoque errorem pro quarta & vltima eius parte, quare & secundum [errorem] principalem de necessitate fati stellarum, idem opus in multis articulis condemnauit, sicut tertium secundi plenius recitauit. Hunc & Ammonius, atque Boetius super 1. peri hermenias vlt. iustè damnant. Quem & damnant omnes Philosophi, exceptis paucis Mathematicis, Geomanticis, || *Necromanticis*, cæterisque Diuinis, qui in ea parte nequaquam Philosophi, sed friuophili potius sunt dicendi; nec omnes Mathematici hoc concedunt, sed quidam directè oppositum confitentur, sicut tertium secundi plenius recitauit. Quem & Augustinus 5. de Ciuitate Dei, & 83. quæstionum 45. 2. de doctrina Christiana, & post de quæstionibus veteris & noui Testamenti 115. & multis alijs locis feruenti zelo

|| Si — *Stephanus.* — || itemque — || Nigromanticis

C — D — E

A zelo condemnat: quem & omnis turba catholicorum Doctorum varijs locis reprobat & condemnat, sicut 28. primi aliqualiter recitauit. Tertium autem errorem reprobant Ammonius & Boetius vbi prius. Quem etiam Pelagianorum errorem, ac ipsos Pelagianos errantes reprobat Augustinus, & alij Doctores Catholici multis locis, sicut aliqualiter recitat tricesimum quartum primi, & alia quæ sequuntur, & specialiter in libris contra Pelagianos conscriptis: in libro scilicet de Prædestinatione contra Pelagianos superius memorato; in libro de prædestinatione sanctorum ad Prosperum, & Hilarium; in libello de prædestinatione & gratia Dei, qui primo libro sermonum suorum ponitur quintus sermo, Hypognosticon, De libertate arbitrij ad Hilarium, De natura & gratia, De correptione & gratia, De gratia & libero arbitrio, De bono perseuerantiæ, De gestis Pelagij, De gratia Christi, & peccato originali contra Pelagium & Cœlestium, Contra duas epistolas Pelagianorum in li- *Augustinus.*

B bris quatuor ad Bonifacium, Contra Iulianum Pelagij discipulum in sex libris, De perfectione iustitiæ hominum ad Paulum & Eutropium, Contra Cœlestium Pelagianum, De confutatione 16. capitulorum Augustino per Pelagianos falsò imputatorum; In epistolis suis ad Sixtum Romanæ Ecclesiæ Presbyterum, ad Valentinum Monachum, ad Innocentium Papam, & alijs. In quibusdam etiam alijs libris suis, licèt aliam materiam principaliter prosequatur, incidentaliter tamen quandoque Pelagianam hæresin redarguit & refellit, vt 3. de libero arbitrio, 1. Retract. & 2. multis capitulis, De verbis Domini, De verbis Apostoli, Super Iohannem, & super Psalterium frequentissimè, in alijs quoque libris suis non paucis; nec à me facilè numerandis. Contra istum quoque errorem specialiter scripsit Anselmus librum de concordia præscientiæ, prædestinationis, & gratiæ cum libero arbitrio. Item beatus Prosper, cuius in canone dist. 15. capitulo vltimo, inter cæteros Doctores Catholicos opera velut authentica comprobantur; In libro suo intitulato pro prædicatoribus gratiæ Dei *Anselmus.* *Prosper.*

C contra librum Cassiani Presbyteri, qui prænotatur De protectione Dei, Pelagianorum errorem fœcundè redarguit & elidit. Quod & facit similiter venerabilis Beda in libro suo contra Iulianum, qui est primus suorum super Canticum Canticorum. Beatus quoque * Gregorius, & alij sancti Patres idipsum faciunt multis locis. Aduertendum igitur diligenter, quòd Autores vbi errorem istum redarguunt, & negant necessitatem à libero arbitrio, intelligunt de necessitate proueniente ex præscientia, prouidentia, seu prædestinatione diuina aduersaria libertati, & violenter cogente, excusante homines in peccatis, & Deum de omnibus accusante; necessitatem verò spontaneam nunquam negant, imo concedunt. Vnde Augustinus de prædestinatione * contra Pelagianos 9. dicit se non dicere, vt Pelagiani putabant, Deum non prædestinatos præcipitare inuitos ad quodlibet opus mortis, quod & planè testantur autoritates quamplurimæ tricesimo quarto primi, & hoc eodem capitulo superius allegatæ. Sunt & præter has aliæ hoc idem testantes. Gratianus enim vicesima tertia quæstione, 4. Va- *Beda.* *Gregorius.* ** Augustinus.* *Augustinus* ** Sanctorũ* *Gratianus.*

D sis iræ, allegat Augustinum dicentem, Vasis iræ Deus nunquam redderet interitum, si non spontaneum inueniretur homo habere peccatum, quia nec Deus peccanti homini iustè infert iram, si homo ex prædestinatione Dei cecidisset in culpam. Et statim subiungit aliam eius autoritatem dicentem, Prædestinationem Dei siue ad bonum siue ad malum in hominibus operari ineptissimè dicitur, vt ad vtrumque homines quædam necessitas impellere videatur; impellere, inquit, scilicet violentè, vel sic saltem vt non ex se hæc faciant, sed tantùm moti ab alio: Impulsio enim & expulsio sunt species pulsionis, quæ, sicut patet 7. Phys. 10. est motus violentus, vel saltem tantùm ab alio, non à pulso. Quare & Autoritas vt remoueat violentiam & motum tantùm ab alio statim subiungit, Cùm in bonis voluntas sit intelligenda non sine gratia, in malis autem voluntas intelligenda est sine gratia. Quare & Gratianus inferius sic concludit, Non ergo necessitatem facit correctionis vel obdurationis diuina prædestinatio seu præscientia, cùm boni per gratiam corrigantur, libero arbitrio mali pereant. Item Augustinus in ser- *Augustinus.*

E mone de prædestinatione & gratia Dei 17. Si dicitur, inquit, iam Pharaonem non posse mutari, quia eum præsciuerat Deus non esse mutandum; Respondetur, Dei præscientiam non cogere hominem vt talis sit, qualem præsciuit Deus, sed præscire talem futurum qualis futurus est, quamuis eum non sic fecerit Deus; quoniam si cogit esse, hoc vtique cogit quod non est. Porro, si præscierat futurum esse quod non est, præscientia non est, quod de Deo quàm impiè dicatur; aduertit quilibet qui peccatis suis non inde blanditur, quòd Deus eum peccatorem futurum esse præscierit. Idem de gaudijs iustorum & pœnis malorum, siue de triplici habitaculo Dei, inquit; Præscientia neminem cogit ad peccandum, vt multi errantes dicunt: Si enim, inquiunt, præsciuit Deus Adam peccaturum esse, non peccare non potuit; ex quo errore nascitur Deum causam esse peccati, quod nefas est dicere; & illi tamen etiam

suis

ſuis verbis alligantur. Si enim quod præſcientia Dei habuit, neceſſe eſt fieri, ideo voluntate propria homo peccauit, & non aliqua neceſsitate, quia in præſcientia Dei fuit vt voluntate & libero arbitrio, & non neceſsitate cogente peccaret. Si ergo præſcientia Dei non poteſt vitari, non potuit homo aliter peccare niſi volũtate, nulla alia vi cogente, quia ita eum præſciuit Deus peccaturum: Si ergo voluntate, non coactus, ductus eſt ad peccandum, potuit ſine dubio non peccare ſi vellet; ideo pœnam meruit, quia non inuitus peccauit, alioquin à Deo pœnam mortis non ſuſciperet. Idemque 3. de libero arbitrio 4. reſpondendo quæſtioni diſcipuli ſuperius recitatæ, ſic ait; ſicut itaque non ſibi aduerſantur hæc duo, vt præſcientia tua noueris, quod alius ſua voluntate facturus eſt; Ita Deus neminem ad peccandum cogens, præuidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non iudicet iuſtus, quæ fieri non cogit præſcius? Sicut enim memoria tua non cogis facta eſſe quæ præteriere, ſic Deus præſcientia ſua non cogit facienda quæ futura ſunt. Vnde & 381. propoſitio ſententiarum Proſperi eſt excerpta. Et ſupra 3. oſtendit iſtam conſequentiam non valere, Deus præſcit hominem peccaturum, ergo homo non voluntate, ſed neceſſitate peccabit; quia ſi valeret, cum Deus præſciat ſe facturum cuncta quæ faciet, ipſe non voluntate, ſed neceſſitate faceret vniuerſa. Et infra 5. ſoluit tertiam quæſtionem præmiſſam, oſtendens peccatum creaturæ non eſſe deputandum vituperabiliter creatori. Vult igitur Auguſtinus in locis iſtis & ſimilibus negare ab homine neceſſitatem inuitam violenter cogentem voluntatem, & poteſtatem liberam adimentem; non autem neceſſitatem ſpontaneam: vnde & ſupra eiuſdem 3. dicit diſcipulo; vide quam facile de tam magna quęſtione reſpondeam. Certè enim hoc te mouet, & hoc miraris, quomodo non ſunt contraria & repugnantia, vt & Deus præſcius ſit omnium futurorum, & nos non neceſſitate, ſed voluntate peccemus. Si enim præſcius eſt Deus, inquis, peccaturum eſſe hominem, neceſſe eſt vt peccet: ſi autem neceſſe eſt, non eſt ergo in peccando voluntatis arbitrium, ſed potius ineuitabilis & fixa neceſſitas. Et reſpondendo innuit argumentum peccare in forma dupliciter; primo quia hæc conſequentia prima non valet, Deus præſcit hominem peccaturum, ergo homo neceſſitate non voluntate peccabit. Secundo, quia hæc conſequentia ſecunda non tenet; neceſſe eſt hominem peccare, non eſt ergo in peccando voluntatis arbitrium, ſed potius immutabilis & fixa neceſsitas: per totum illud capitulum conſequenter multis rationibus conatur oſtendere iſtam conſequentiam non valere; hoc de neceſsitate erit vel fiet, ergo non libera voluntate, oſtenditque quod oppoſitum conſequentis & antecedens, ſcilicet libera voluntas & neceſsitas non repugnant; & hæc eſt continentia totius illius capituli tertij. Prima autem ratio, qua oſtendit neceſsitatem ex præſcientia Dei ortam nequaquam eſſe inuitam, nec adimere liberam voluntatem, eſt iſta; Deus præſcit ſe facturum te beatum ſua voluntate, quæ Dei voluntas tibi eſt neceſsitas, ergo inuitus eris beatus, dicit Auguſtinus diſcipulo, quaſi diceret, Minime ſequitur, quod & diſcipulus confitetur; Si enim, inquiens, mihi eſſet poteſtas vt eſſem beatus, iam profectò eſſem: volo enim etiam nunc & non ſum. Quam rationem confirmat innuendo diſtinctionem neceſsitatis præmiſſam, cum dicit; Rectè poſſumus dicere, non voluntate ſeneſcimus, ſed neceſsitate, aut non voluntate infirmamur, ſed neceſsitate, aut non voluntate morimur, ſed neceſsitate, aut ſi quid aliud huiuſmodi: non voluntate autem volumus, quis vel delirus audeat dicere, per hoc innuens euidenter, quod voluntas humana, quæ ſecundum eum Enchirid. 86. pro ſtatu præſenti neceſſario vult beatitudinem, vel ſaltem pro ſtatu futuro neceſſario ipſam volet, non vult eam aut volet neceſsitate naturali aut inuita, cuiuſmodi eſt neceſsitas ſeneſcendi, infirmandi & moriendi, ſed neceſsitate ſpontanea: quare & ſubdit, Quamobrem quamuis præſciat Deus noſtras voluntates futuras, non ex eo tamen conficitur, vt non voluntate aliquid velimus: nam de beatitudine dico, cum futurus es beatus, non te inuitum, ſed volentem futurum. Alia ratio ſua eſt talis, neceſsitas ex præſcientia Dei deſcendens non tollit, ſed firmat potius voluntatem. Si enim quia Deus præſcit me libere voluturum, neceſſario ſequitur quod libere velim; ergo volam liberè non inuitus, neque coactus. Vnde ſic ait; Attende, quæſo, quanta cæcitate dicatur, Si præſciuit Deus futuram voluntatem meam, quoniam nihil poteſt aliter fieri quam præſciuit, neceſſe eſt vt velim quidem quod ille præſciuit: ſi autem neceſſe eſt, non iam voluntate, ſed neceſsitate illud me velle fatendum eſt. O ſtultitiam ſingularem! Quomodo ergo non poteſt aliud fieri quam præſciuit Deus, ſi voluntas non erit, quam voluntatem futuram ille præſciuit? Cum enim ſit præſcius voluntatis noſtræ, cuius eſt præſcius, ipſa erit; voluntas ergo erit, quia voluntatis eſt præſcius: non ergo per eius præſcientiam mihi poteſtas adimitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille, cuius præſcientia non fallitur, affuturam mihi eſſe præſciuit. Ecce iam non nego ita neceſſe eſſe fieri quæcunque præſciuit Deus, & ita eum peccata noſtra præſcire, vt maneat tamen nobis voluntas

A voluntas libera, atque in nostra posita potestate. Quid clarius, quid planius potest dici? Ecce
non negat necessitatem, vt maneat tamen voluntas. Quare & infra 11. sic concludit; Quæ
cum ita se habeant, tantum abest à vero quod Creatori deputanda existimantur peccata crea-
turæ, quamuis necessitate fiant, quæ ipsa futura præsciuit, vt cum dixeris non te inuenire quo-
modo non ei deputetur quicquid in eius creatura fieri necesse est, Ego contra non inueniam
modum neque inueniri posse, atque omnino non esse confirmem, quo ei deputetur quicquid
in eius creatura ita fieri necesse est, vt voluntate peccantium fiat. Quem secutus Anselmus de
Concordia 1. innuens distinctionem de necessitate præmissam ostendit, quod necessitas præ-
scientiam Dei sequens non repugnat liberæ voluntati; & hoc duplici ratione. Prima, quasi
ex arte obligatoria sumitur, & est talis; Si talis necessitas & libertas repugnant, impossibile est
eas simul stare; ergo si ponatur eas simul stare, aliquod impossibile consequetur; sed hoc po-
B sito, nullum impossibile sequitur. Secunda ratio sua similis rationi Augustini præmissæ est ta-
lis; si præscita necessario sunt futura, ergo sicut præsciuntur esse futura, sic sunt futura; sed
multa præsciuntur esse futura sine necessitate, scilicet inuita & cogente, quia libera volunta-
te; ergo sic erunt. Has autem rationes cum sententia distinctionis præmissæ diffusè prosequi-
tur in hæc verba: Videntur quidem præscientia Dei & liberum arbitrium repugnare, quoniam
ea, quæ Deus præscit, necesse est esse futura, & quæ per liberum arbitrium fuerint, nulla neces-
sitate proueniunt. Sed repugnant; Impossibile est simul & esse præscientiam Dei, quæ om-
nia præuidet, & aliquid fieri per libertatem arbitrij; quæ impossibilitas si abesse intelligitur,
repugnantia, quæ videtur inesse, penè remouetur. Ponamus igitur simul esse & præscientiam
Dei, quam sequi necessitas futurarũ rerũ videtur, & libertatem arbitrij, per quã multa sine vlla
necessitate fieri credũtur; & videamus vtrũ impossibile sit hæc duo simul esse: quod si est im-
possibile, oritur inde aliud impossibile; Impossibile siquidẽ est, quo posito, aliud impossibile
C sequitur. Sed si aliquid est futurũ sine necessitate, hoc ipsum possit præscire Deus, qui præscit
omnia futura; qd autẽ præscit Deus necessitate futurũ est sicut præscitur; necesse est igitur ali-
quid esse futurũ sine necessitate, vel præsciri sine veritate. Nequaquã ergo rectè intelligẽti no-
men, repugnare videntur præscientia, quam sequitur hæc necessitas, & libertas arbitrij, à
qua remouetur necessitas, quoniã & necesse est, quæ Deus præscit, futura esse, & Deus præscit
aliquid esse futurũ sine omni necessitate. Sed dices mihi, non remoues tamen à me necessitatẽ
peccandi, vel non peccandi, quoniam Deus præscit me peccaturũ vel non peccaturũ, & ideo
necesse est me peccare si pecco, vel non peccare, si non pecco; ad quod ego; Non debes dice-
re, præscit me Deus peccaturum tantum, vel non peccaturum, sed præscit me Deus peccatu-
rum sine omni necessitate vel non peccaturum; & ita sequitur quod siue peccaueris, siue non
peccaueris, vtrumque sine necessitate erit, quia præscit Deus futurum esse sine necessitate hoc
quod erit: vides ergo impossibile non esse, simul esse præscientiam Dei per quam futura, quæ
D præscit, dicuntur esse ex necessitate, & libertatem arbitrij, per quam multa fiunt siue necessi-
tate. Si enim est impossibile, sequitur aliud impossibile; sed nulla ex hoc nascitur impossibi-
litas. Forsitan dicis; Nondum aufers à corde meo vim necessitatis cum dicis, quia necesse est
me peccaturum esse vel non peccaturum esse sine omni necessitate, quia hoc Deus præscit: ne-
cessitas enim videtur sonare coactionem vel prohibitionem. Quare si necesse est me peccare
ex voluntate, intelligo me cogi aliqua occulta vi ad voluntatem peccandi, & si non pecco, à
peccandi voluntate prohiberi: quapropter necessitate videor mihi peccare si pecco, vel non
peccare si non pecco; & ego; Sciendum est quod sæpe dicimus necesse esse quod nulla vi co-
gitur esse, & necesse non esse quod nulla prohibitione remouetur. Iam dicimus, necesse est
Deum esse immortalem, & necesse est Deum non esse iniustum, non quod aliqua vis cogat ip-
sum esse immortalem, aut prohibeat esse iniustum, sed quando nulla res potest facere vt non
sit immortalis, aut vt sit iniustus; sic vtique; sic dico necesse est peccaturum te esse vel non pec-
E caturum sola voluntate, sic Deus præscit; Non est intelligendum quod aliquid prohibeat vo-
luntatem quæ non erit, aut cogat illam esse quæ erit: Hoc ipsum namque præscit Deus qui
præuidet aliquid futurum ex sola voluntate, quæ voluntas non cogitur aut prohibetur vlla a-
lia re, & sic ex libertate fit quod fit ex voluntate. Qui & infra eodem 7. habet eundem pro-
cessum, prædestinationem cum libero arbitrio concordando, vbi & sic dicit; Neque præscit
Deus, neque prædestinat quenquam iustum futurum ex necessitate. Non enim habet iustitiam
qui eam non seruat libera voluntate; Pariter igitur quamuis necesse sit fieri quæ præsciuntur,
& quæ prædestinantur; quod tamen præscita & prædestinata non eueniunt eâ necessitate quæ
præcedit rem & facit, sed eâ, quæ iam sequitur, sicut supra diximus; Non enim ea Deus, quam-
uis prædestinet, facit voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo, sed in sua illam potestate
dimittendo; quamuis tamen sua voluntas vtatur potestate, nihil tamen facit quod Deus non

faciat in bonis sua gratia, in malis non sua, sed eiusdem voluntatis culpa: patet ergo quod non A negat à libero arbitrio hominis necessitatem spontaneam, sed inuitam & violenter cogentem, Deum accusantem de culpa, & hominem excusantem; Quod & plane testantur autoritates ipsius præmissæ in ostensione corollarij primi huius. Legenti igitur mihi libros Autorum, & etiam atque etiam relegenti, & nequaquam, vt arbitror, negligenti, constanter apparet, ipsos tantum velle negare à libero voluntatis arbitrio necessitatem aduersariam libertati, seu ademtoriam libertatis, scilicet necessitatem naturalem, fatalem, & violentam, quia tantum circa istas fuit erratum. Multi enim falsigraphi atque hæretici supposuerunt hominis voluntatem alicui necessitatum istarum, alteri autem nullus: necessitatem verò spontaneam & consentaneam libertati non videtur mihi quenquam Autorum velle negare à libero arbitrio voluntatis. B

COROLLARIVM.

Corollarium, quod necessitas & libertas ac meritum non repugnant ad inuicem, vel repugnant.

EX his autem reputo manifestum, quæ necessitas & libertas ac meritum non repugnant ad inuicem, vel repugnant. Necessitas enim spontanea nequaquam libertati repugnat, sicut præmissa hic & primo ac secundo huius ostendunt, quare nec merito repugnabit. Hæc autem necessitas spontanea adhuc est duplex, scilicet præcedens & sequens, sicut potest haberi ex secundo huius; sicut & libertas est duplex; vna omnino simplex & penitus absoluta, altera vero secundum quid dicta, sicut 5. & 9. huius ostendunt. Harum autem necessitatum neutra repugnat libertati contradictionis secundum quid dictæ, nec sequens repugnat libertati contradictionis simpliciter, sicut ex secundo, & quinto, ac nono huius potest haberi: neces- C sitas autem præcedens repugnat libertati contradictionis simpliciter; necessitas etiam naturalis fatalis & violenta omnimodè libertati contradictionis repugnant, sicut ex præmisis hic & tertio secundi apparet; quare nec cum merito stare possunt.

CAP. XI.

Obijcit & respondet.

SEd obijcietur forsitan contra dicta: Dictum est enim nono huius, quod licet omnes actus humani proueniant à necessitate naturaliter præcedente; ideo tamen dicitur homo liber, & liberæ voluntatis, quia non D inuitè nec coactè, sed spontaneè, & cum vult facit, & cum non vult, non facit aliquos actus suos; eodem modo bestiæ, licet faciant facta sua ex necessitate naturaliter præcedente, non tamen inuitè nec coactè sed ||*purè* spontaneè, & cum volunt seu appetunt, faciunt, & cum nolunt, seu non appetunt, non faciunt aliqua facta sua ex necessitate naturaliter præcedente; ergo ita liberè, & ita meritoriè sicut homo. Item nulla videtur ratio possibilis assignari, quare in actibus humanis necessitas respectu Dei siue voluntatis diuinæ præcedens naturaliter tales actus potius compatitur meritum, sicut dicunt corollaria proximi & secundi, quam quæcunque necessitas alia, vel saltem quam necessitas respectu naturæ vel fati, quod eis corollarium proximum denegauit, vel quam necessitas penitus absoluta. Hæc autem soluuntur faciliter, si præostensa memoriter teneantur. Nam sicut capitulum proximum docuit, creatura rationalis est libera triplici libertate, scilicet à necessitate naturali, E fatali, & violenta, imò & à necessitate respectu causarum omnium secundarum per tertium secundi: Irrationale autem non sic, sed subduntur in omnibus necessitati naturæ, &, vt placet quibusdam, necessitati fati stellarum. Pro mente vero Augustini, cum dicit ideo hominem liberè facere aliquid, quia cum vult, facit, & cum non vult, non facit, potest dici, quod loquitur ibi contra Pelagianos, & contra necessitatem violentam & inuitam, quam dixerunt sequi ex præscientia vel prædestinatione diuina, sicut capitulum proximum recitauit, illam ab homine remouendo; non tamen affirmat in homine illam tantummodo libertatem. Aliter & melius potest dici, quod ideò dicitur homo liber libertate contradictionis, quia positis omnibus causis secundis naturaliter præuijs suæ liberæ volutioni cum omnibus dispositionibus necessariò requisitis, non necessariò sequitur ipsum velle, sed potest æqualiter velle & non velle, sicut

|| tantum

A sicut ex 4. & sequentibus huius patet: ideoque his omnibus stantibus isto modo, cùm vult, vult & efficit suum velle, & cùm non vult, non vult, nec efficit suum velle; quare posito secundum opinionem insipientis Deum non esse & hominem esse, posseque agere; vel secundum opinionem quorundam, puta Pelagianorum, qui dicunt se esse sapientes, hominem posse agere sine Deo aliqualiter coagente, homo in actibus suis liberis esset liber simpliciter libertate contradictionis, bestiæ autem non sic. Imò & si ponatur ipsas posse agere Deo nullatenus coagente, adhuc posito appetibili & cæteris causis secundis cum dispositionibus requisitis & naturaliter præuijs appetitui, actui scilicet appetendi, necessariò sequitur ipsas appetere, necessitate scilicet naturali. Vnde Philosophus 9. Metaphys. 10. Irrationales, inquit, potentias necessariò, quando vt possunt, passiuum & actiuum appropinquant, hoc quidem facere, illud vero pati: quod & testatur autoritas Damasceni dicentis, Irrationalia non sunt libera arbitrio; aguntur enim magis à natura quàm agant, ideoque non contradicunt naturali *Philosophus.* *Damascenus*
B appetitui, sed simul appetunt quid, & impetum faciunt ad actum, sicut superius plenius recitatur. Hanc etiam obiectionem Anselmus de libero arbitrio 5. simili modo soluit, vbi primò à discipulo ita quærit; Quomodo non est libera voluntas, quam aliena potestas sine suo assensu subijcere non potest? Et discipulo requirente, Nonne simili ratione possumus dicere voluntatem equi esse liberam, quæ non appetitui carnis seruit nisi volens? Respondet, Non hoc est similiter: in equo namque non ipsa voluntas se subijcit, sed naturaliter subiecta semper necessitate appetitui carnis seruit: in homine verò quamdiu ipsa voluntas recta est, nec seruit nec subiecta est cui non debet, nec ab ipsa rectitudine vlla vi aliena auertitur, nisi ipsa, cui non debet, volens consentiat, quem consensum non naturaliter nec ex necessitate, sicut equus, sed ex se apertè videtur habere. Beatus etiam Augustinus 3. de libero arbitrio 1. ad similem obiectionem de motu lapidis naturali simili modo respondet. Cùm autem obijciens vlterius arguebat; bestiæ agunt liberè, ergo meritoriè; consecutio illa non tenet. Nam sicut *Anselmus.* *Augustinus.*
C in morali Philosophia, & in sacra Theologia docetur creberrimè, ad meritum non sufficit facere tantùm naturaliter vnum bonum, sed requiritur facere ipsum benè, quod non facit nisi intentio recta finis, vt patet ex 34. primi; hanc autem dirigit ratio rectè præiudicans; quare bestiæ ratione carentes, & merito de necessitate carebunt. Imò & sicut forsitan est absolute possibile, quòd Deus faceret aliquam naturam immaterialem omninò liberam ad volendum sine iudicio rationis: ex quo enim nunc facit vnam naturam habentem potentias illas ambas, posset, vt videtur, facere aliam, quæ vtramlibet tantùm haberet: si igitur talem faceret creaturam, ipsa esset æquè libera, sicut homo vel Angelus, quæ tamen omninò mereri vel peccare non posset, eò quod careret iudicio rationis, cui se liberè conformaret, vel etiam difformaret. Est etiam inexpugnabilis ratio possibilis assignari, quare necessitas in voluntate respectu voluntatis diuinæ compatitur meritum, & alia nulla omnino. Ipsa enim compatitur meritum propter rationem quam ostensio corollarij primi huius assignat; & vt breuiter rati-
D onem huius assignem, dico quòd natura voluntatis creatæ est talis, vt in suis actibus liberis nulli causæ secundæ de necessitate subdatur, vt tertium secundi ostendit, sed tantùm Deo, sicut 30. secundi, & 2. tertij docuerunt. Quod & bene in prima institutione hominis monstrabatur, quando fuerat institutus, vt soli Deo subesset, cæterisque præesset, sicut historia Gen. 1. docet; quare & in merito simili modo erit: nulli etiam menti rationali dubium debet esse, quin Creator omnipotens super creaturam rationalem, sicut & super vniuersam creaturam, prærogatiua aliqua speciali cæteris actiuis agentibusvè creatis aut creabilibus vniuersis sit rationabiliter præferendus. Nec vlla necessitas alia compatitur meritum. Nam de necessitate violenta & omnino inuita nullus dubitat aut ignorat, omnisque necessitas naturalis est formę materialis & irrationalis, sicut ex tertio secundi potest haberi: quare secundum præostensa isto capitulo meritum habere non potest. Vnde Augustinus in quæstionibus veteris & noui testamenti quæstione secunda; Diabolus si natura malus esset, voluntatem non haberet: nec enim *Augustinus.*
E posset discernere, sed vno atque eodem loco omnibus se quasi cœcus immergeret. Porro autem iudicio quodam hoc facit; vnde manifestum est voluntatem eius esse in crimine. Et infra, Si hæc naturaliter putatur facere, reus constitui non ‖ *potest*: quomodo enim reus constituitur qui nescit quid facit? Ita & diabolus si bonum nescit, quare damnandus censetur, qui non facit quod nescit? Nos autem iure rei constituimur, quia aliud facimus quàm scimus debere nos facere. Omnis quoque forma, si quæ sit subiecta necessitati fatali stellarum, necessariò est materialis & per consequens irrationalis; quare secundum præmissa non est meriti susceptiua: nam nulla forma immaterialis & rationalis subijcitur necessitati cuiuscunque formæ materialis & irrationalis per tertium secundi: non enim deceret rerum ordinem naturalem, vt perfectius imperfectiori, rationale irrationali, & sapiens nihil scienti omnino necessariò sub- ‖ posset.

 deretur.

deretur. Neque necessitas penitus absoluta compatitur meritum, quia si in actibus hominis A esset talis necessitas, nec in ipso, nec in Deo esset vlla possibilitas aliter faciendi; quare Deus sic necessariò ageret actus humanos, & eadem ratione quicquid agit ad extra; quare non esset agens rationale & liberum, vt patet per ostensa 4. huius & 5. sed agens irrationale & de necessitate naturæ; & cùm per 30. secundi ipse sit omnium primus motor, omnis motor inferior similiter tantùm ageret & moueret. Non enim deceret nec esset possibile vt motor secundus rationabilior aut liberior esset primo, sicut iam proximo est ostensum, argutum & 6. primi & 9. quare nec vllus motor inferior posset mereri, sicut superius est ostensum.

COROLLARIVM.

Corollarium, qualis sit libertas in irrationabilibus creaturis, & quomodo differt & conuenit cum rationalium libertate. B

EX his autem cognoscitur luculenter qualis libertas est vel non est in irrationalibus creaturis, & quomodo differt rationalis libertas ab irrationabilium libertate, & quomodo conuenit cum eadem. Est enim in eis respectu suarum naturalium actionum libertas à violentia & coactione inuita. Nam cùm appetunt, faciunt, & cùm non appetunt, minimè; quod primò & maximè verificatur in eis de appetitu eorum, sicut est in hominibus de voluntate eorum, sicut 9. huius plenius ostendebat: quare & Philosophus 3. Ethicorum 5. attribuit & pueris & animalibus voluntatem, voluntariò quidem, inquiens, & pueri & animalia communicant. Anselmus etiam de libero arbitrio 5. innuit equum habere voluntatem, vt præsens capitulum superius recitauit, qui & infra 13. ita dicit, Seruat naturaliter canis rectitudinem voluntatis, cùm amat catulos suos, aut Dominum suum sibi benefacientem. Est insuper in bestijs forsitan libertas à necessitate fati stellarum: Videtur enim quod si bestiæ fuissent creatæ C perfectæ primo die mundi ante creationem stellarum, quòd tunc potuissent exercuisse suas actiones proprias naturales; cuius tamen certificationem quia non multum videtur ad pietatis scientiam pertinere, relinquo Philosophis naturalibus & Astrologis, quos magis exagitat studium curiosum. Non est autem in eis libertas simpliciter, quia non respectu causarum superiorum, scilicet causæ primæ, id est, voluntatis diuinæ, sicut nec in rationalibus, sicut quintum & nonum huius ostendunt, nec est in eis libertas à necessitate naturæ, sicut præsens capitulum superius demonstrauit; quare nec potest esse in eis libertas contradictionis simpliciter, nec respectu omnium causarum inferiorum, omnium scilicet secundarum, sicut corollarium quarti huius ostendit. Differentiam autem & conuenientiam istarum libertatum adinuicem ex præcedentibus reputo manifestum.

D

CAP. XII.

Incipit disputare illam famosissimam quæstionem, nunquid omnia quæ euenient, de necessitate euenient; & recitat opinionem Mathematicorum seu Stoicorum dicentem, quòd omnia quæ euenient, euenient de necessitate simpliciter absoluta.

HIc autem ex præmissis patenter suboritur illa famosissima quæstio, acerrimum axioma, difficillimumque problema, Nunquid scilicet omnia quæ eueniunt, de necessitate euenient? Restat igitur iam ipsum discutere consequenter. Sunt autem opiniones variæ & plurimæ circa illud: quarum prima constanter affirmat, quòd omnia E quæ euenient, euenient de necessitate penitus absoluta. Et hæc est opinio Mathematicorum quorundam, & ponentium fatum; quam & Boetius super 1. peri hermenias asserit Stoicorum. Pro hac autem opinione communissimũ motivũ est istud: Quæcunq; Deus præscit certitudinaliter euentura, euenient de necessitate penitus absoluta; aliter enim nequaquam certè præsciret, eiusq; præscientia falli posset: sed omnia quę euenient, Deus præscit certitudinaliter euentura. Quod & potest violentius confirmari, si addatur scientiam Dei nullo modo dependere

A depẽdere à reb⁹ ipsáq; includere voluntatẽ diuinã necessariã & immutabilẽ respectu omniũ futurorũ,sicut ex præhabitis potest probabiliter apparere. Pro ista quoq; opinione, referente Ioanne Sarisburiensi, deinde Episcopo || *Carnutensi* secundi Policratici 23. quem B. Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo, dum Cancellariatus Angliæ officio fungebatur, conscripsit, vbi & diffusè materiam istam tractat,quidam Stoicus & motiuum aliud afferebat;quærebat enim; An posses aliquid facere eorum,quæ minimè facturus es. Quod cùm admisisses,mille tibi aureos afferebat dum illud efficeres; quos si fortè respueres, eos tibi quantalibet summa multiplicari iubebat, vt quod leniter fieri potest, efficias. Sed hæc opinio tollit omnem libertatem arbitrij, libertatem scilicet contradictionis, & omnem contingentiam ad vtrumlibet simul aufert;quod primum secundi & quartum huius cum sequentibus non permittunt. Quare & Robertus Cantuariensis Archiepiscopus damnauit Oxonię articulum asserentem,quòd omnis propositio vera de futuro est necessaria. || Carnotensi

B

CAP. XIII.

Tractat opinionem Ciceronis, dicentem Deum *nescire futura.*

ALia est opinio Ciceronis,scilicet quod multa eueniunt liberè, Sed Deus illa non præscit, propter motiuum capitulo proximo recitatum. Nesciuit enim videre quomodo esset certa præscientia omnium futurorum, nisi & esset absoluta necessitas omniquaque, sicque libertas omnimoda tolleretur. Credidit enim quod præscientia futurorum &
C libertas eorum necessariò repugnarent; quare & necessariò oportuit, vt credebat, vnum negare & alterum affirmare; videbaturque sibi vtilius pro conuersatione ciuili negare præscientiam quàm arbitrij libertatem: Quare & in libro suo de diuinatione, omnem diuinationem & præscientiam omnem negat. Sed hanc opinionem non minus infidelium quàm fidelium auribus execrandam satis reprobat sextum primi.

CAP. XIIII.

Tractat tertiam opinionem dicentem, quòd multa sunt futura
D *in natura sua, sed non apud* Deum.

TErtia opinio asserit, quod multa sunt futura in natura propria, sed non Deo. Omnia enim sunt sibi in æternitate præsentia, & ideo non propriè dicitur præscire futura, sed potius præsentialiter intueri, & per hoc intendit vitare difficultatem motiui præmissi. Et est sententia Boetij 5. de Consolatione Philosophiæ prosa vltima; & Anselmi de casu diaboli 21. & de Concordia 7. quos & Doctores multi sequuntur. Sed licet illud dictum in se non sit clarissimum, (posset enim multipliciter argui contra illud) ipsum tamen admissum difficultatem non vitat. Certum est enim quod futura non sunt in Deo materialiter,& inesse existere actualiter creata in suis naturis, sicut erunt, quando erunt præsentia;quia eadem ratione semper sic essent; ergo quando essent præterita; imò &
E omnia præterita nunc materialiter & in esse existere, modo essent in Deo & in naturis proprijs extra Deum, sicut vnquam fuerunt; aliquo ergo modo essendi, scilicet in esse existere & materialiter actu creata in suis naturis erunt futura, quando erunt præsentia, quæ non sunt modo in Deo,dicente Beda super illud Ioan. 1. Quod factum est, in ipso, vita erat; id est, quod factum in tempore, siue viuum siue vita carens apparuit, omne hoc in spiritali factoris ratione quasi semper vixerat, & viuit, non quia coæternum est Creatori quod creauit, sed quia coæterna est illi ratio voluntatis suæ, in qua ab æterno habuit & habet quid & quando crearet, qualiter creaturam gubernet, vt maneat, ad quem finem singula quæ creauit perducat. Dicitque Aug. 5. super Gen. ad literam, quod res antequam fierent,& erant, & non erant: erant in Dei scientia, non erant in sua natura, & hoc certitudinaliter præscit Deus; *Beda.*

fiat igitur de tali præſcientia argumentum, & reuertitur difficultas. Pro Autoribus tamen & A
Doctoribus eſt ſciendum, quòd omnia æternaliter ſunt in Deo, & præſentia apud Deum, id eſt, in ſcientia eius æterna immutabili penitus exiſtente: hoc eſt, æternaliter & immutabiliter illa nouit, vt patet per Bedam & Auguſtinum proximo recitatos, ſicque tales Autoritates exponit Lumbardus 1. ſentent. diſt. 35. quam expoſitionem per autoritates confirmat. Nec mirum ſi Theologi tali tranſumtione vtantur, cùm Philoſophi vtantur ſimili & maiori. Dicit
Auicenna. enim Auicenna 4. de anima 2. quòd omnia quæ in mundo ſunt præterita, præſentia, & futura,
Ariſtoteles. habent eſſe in ſapientia Creatoris. Dicit quoque Ariſtoteles 3. de anima 37. quòd omnia ea quæ ſunt, quodammodo eſt anima: aut enim ſenſibilia quæ ſunt, aut intelligibilia; eſt autem ſcientia quidem ſcibilia, ſenſu autem ſenſibilia; ſuper quod Auerroes, Contingit, inquit, neceſſariò vt anima ſit omnia entia vno modorum, ſecundum quos poſsibile eſt dicere, Anima eſt omnia entia. Sicque forſitan poſſet dici eadem tranſumtione ſermonis, quòd res factæ, antequam fierent, erant Deus, ſicut videtur patere ex 17. primi libri; vnde & Iohan. 1. quod fa- B
ctum eſt in ipſo vita erat, quæ vita certè non eſt in Deo, niſi vna vita quæ eſt vnus Deus & tres
Auguſtinus perſonæ: quod & beatus Auguſtinus ſuper Iohannem homilia prima oſtendit per exemplum de Fabro: Faber, inquit, facit arcam in opere, & ideo habet arcam in arte; ſed arca in opere non eſt vita, arca in arte eſt vita, quia viuit anima artificis, vbi ſunt hæc omnia antequam proferantur: Sic ergo, fratres chariſsimi, quia ſapientia Dei, per quam facta ſunt omnia, ſecundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia, hìc quæ fiunt per ipſam artem, non continuò vita ſunt, ſed quicquid factum eſt, vita eſt in illo. Terram vides; eſt in arte terra. Cœlum vides; eſt in arte cœlum. Solem & Lunam vides; ſunt & iſta in arte, ſed foris corpora ſunt, in arte vel artifice vita ſunt. Illa autem vita quæ in illo eſt, lux hominum eſt; hoc enim ſequitur, Et vita erat lux hominum. Aliter autem fortaſsis clarius & breuius dici poteſt,
Philoſophus. quòd omnia ſunt in Deo non realiter, ſed cauſaliter, ſicut ſecundum Philoſophum 4. Phyſ.
Auerroes. 23. res dicitur eſſe in ſua cauſa; & hoc ſecundum Auerroem 4. modis, ſecundum 4. cauſas re- C
rum. Deus autem eſt rerum omnium triplex cauſa, efficiens, formalis, atque finalis: eſt cauſa omnis rei præſentis, præteritæ, atque futuræ; quare ipſa eſt talis, & hoc per voluntatem ſuam ſemper eandem immutabilem & æternam, ſicut primus liber oſtendit. Sic igitur, ſicut puto,
Obiectio. poſſunt huiuſmodi dicta Patrum non inconuenienter intelligi & exponi. Et ſi tu obijcias quòd iſta non ſoluunt difficultatem præmiſſam; verum eſt, quòd non ſoluunt perfectè & ſimpliciter apud omnes, quia non apud ſubtiles quoſlibet & acutos; melius tamen quietant animos plurimorum quàm faceret ſolutio ipſa recta. Ideo valde expedit diſputando, ſicut etiam prædicando, vti quandoque euidentibus & groſsis exemplis, vt quem non mouet rationis ſubtilitas, moueat ſaltem groſſa & palpabilis congruentia exemplaris. Non enim ſine cauſa poſuerunt Autores exemplum inter ſpecies argumenti; quare & Ariſtoteles in De mundo 9. & Boetius vbi prius per exempla ab hominibus & eorum cognitione tranſumta oſtendunt D
Deum ſcire omnia futura, præſentia, atque præterita.

CAP. XV.

Recitat quartam opinionem Sophiſtarum dicentium nihil eſſe futurum.

OPinio quarta contendit nihil eſſe futurum; & hæc eſt opinio Sophiſtarum, circa quam ſophiſticè altercantur dicentes, Futurum non eſt ens, ergo eſt non ens, & nihil, ergo nihil eſt futurum. Rurſum ſic, Ponatur E
Antichriſtus futurus, tunc Antichriſtus eſt futurus; ergo per conuerſionem futurum eſt Antichriſtus, vel ergo futurum quod eſt Antichriſtus, vel non Antichriſtus. Si Antichriſtus, ergo Antichriſtus eſt Antichriſtus, ergo Antichriſtus eſt homo, & animal, ens, & exiſtens: Si non Antichriſtus, ergo contradictoria verificantur de ſe inuicem, & de eodem, quod primum principium non permittit. Hoc idem ſic iterum reprobatur; Si aliquid prædicatur de Antichriſto, maximè ipſe idem prædicabitur de ſeipſo, quia ſecundum regulam antiquam Boetij, nulla propoſitio verior eſt illa in qua idem de ſe prædicatur. Item tunc Antichriſtum fore eſt verum in ſenſu diuiſo; illud verum vel eſt Antichriſtus, vel aliud; non Antichriſtus,

A tichristus, quia ipse non est; ergo non est aliquod verum, nec illud verum est aliud: Quicquid enim detur præter Deum, illo destructo, adhuc Antichristum fore esset verum, vel esse posset, sicut fuit ante quamlibet creaturam: & tunc eadem ratione Deum fore & Deum esse, esset aliud à Deo; ergo Deus est & erit per aliud à seipso; ergo illo destructo non foret. Si autem dicatur, quòd illud verum est Deus, ergo Deus est Antichristum esse peccaturum, & omnia mala facturum. Item illud quod est Antichristum fore erit Antichristum esse; ergo Deus erit Antichristum esse, ergo nunc est quodcunque ens esse. Item Deus est Antichristum fore, & eclipsin fore est Deus eadem ratione; ergo eclipsin fore est Antichristum fore. Præterea dicunt ipsi, si quid esset futurum, aliquid posset illud appetere & operari propter illud; quod non videtur, cùm omnis operatio sit propter aliquem finem, & propter bonum, vt patet 1. Eth. 1. & 2. Metaphys. 8. & 9. sed tale futurum non est; ergo non est finis nec bonum. Hæc ratio confirmatur, quoniam omne appetibile seu volubile apparet bonum, vt secundum secundi ostendit, sed futurum non apparet esse ens nec bonum. Amplius autem sic instant;
B Tunc posset esse spes & confidentia de tali bono futuro; ergo talis scienter confideret in nihilo, & incurreret increpationem propheticam Es. 59. qua increpantur qui confidunt in nihilo & loquuntur vanitates. Sed hæc ineptia conatur destruere omnem scientiam, & subruere omnem fidem. Grammatica namque & Rhetorica tempora tria ponunt, præsens, præteritum, & futurum, & Dialectica similiter, vt 1. peri hermenias apparet; scientia quoque naturalis & moralis ponunt actiones naturales & voluntarias fieri propter finem non habitum sed habendum; Medicina insuper & Astrologia iudicant de futuris; omnis etiam fides ponit spem, præscientiam, & prophetiam sæpissimè de futuris. Hi etiam habent dicere consequenter, quòd ipsi non possunt imaginari aut intelligere vllum futurum, nec aliquod non existens, quoniam tunc ipsum esset imaginatum aut intellectum, & per conuersionem è contra; quare & ipsum esset ipsum & esset; sunt igitur satis rudes. Quare & consequenter vlterius habent
C concedere, quòd ipsi non agunt aliquid propter fœlicitatem, aut alium finem futurum quemcunque; quare semper infœlices & miseri remanebunt, quod & professioni eorum repugnat, quam apparentiam finaliter concupiscunt. Habent etiam eadem ratione concedere, quòd nihil est præteritum, & quòd nullum præteritum possunt intelligere, nec de aliquo memorari. Quis ergo argueret contra tales, cùm de nullo argumento valeant recordari, quare nec aliquod recitare? Quis etiam quicquam faceret pro tam ingratis, vt nunquam de aliquo beneficio memorentur? Eorum verò irrationabiles rationes præmissæ ne apparentiam quidem habent.

CAP. XVI.

D

Refellit quintam opinionem Megaricorum negantium omnem potentiam ad futura.

EST & quinta opinio, quæ non solùm negat aliquid esse futurum, sed negat omnem potentiam ad quodcunque futurum. Dicit enim nullum actiuum posse aliquid operari, nisi dum actualiter operatur. Et est hæc quorundam, qui vt recitatur 9. Metaphys. 5. Megarici nominantur, & sicut Auerroes dicit ibi, iste sermo, scilicet ista opinio, à quibusdam loquentium æstimatur. Quorum tres rationes ponit ibi Albertus. *Albertus.* Prima est, Causa dicitur actiua respectu sui effectus, & causa & causatum sunt simul; ergo causa non est actiua antequam actu agat. Secun-
E da est, si aliquod motiuum possit mouere, & sit in potentia ad mouendum antequam moueat, & nihil venit de potentia ad actum nisi per motum & mouens diuersum ab eo, illud indiget alio mouente priori ad hoc quod moueat, & eadem ratione illud aliud adhuc indiget vno alio mouente priore, & sic in infinitum, quod est impossibile. Tertia est, Nulla natura destituitur propria operatione, quare forma seu potentia actiua semper habet actualem operationem, ergo nunquam eam præcedit, nec præcedere eam potest. Has autem rationes soluit Albertus, sicut & sunt satis solubiles à quocunque. Hanc etiam opinionem Aristoteles & Auerroes satis ibi redarguunt & refellunt.

CAP.

A

CAP. XVII.

Corrigit ſextam opionem quorundam, putantium quòd aliquid eſt futurum ad vtrumlibet, vel non futurum in ſenſu compoſito, non diuiſo.

OPinio ſexta fingit quod aliquid eſt futurum ad vtrumlibet, vel non futurum in ſenſu compoſito, non autem in ſenſu diuiſo, quam ſic aſtruere moliuntur. Nulla propoſitio ſimplex de futuro in materia contingente æqualiter eſt vera vel falſa, Philoſopho 1. peri hermenias vlt. atteſtante; quare nec aliquid eſt futurum ad vtrumlibet, vel non futurum diuiſim. Hanc autem opinionem audiui in Curia Romana à quodam famoſo Philoſopho Toloſano in quadam diſputatione ſolenni de contingentia futurorum, ſecundum eam totaliter publicè reſpondente, quam & Oxoniæ ſimiliter audiebam. Sed hæc faciliter conuincetur: Nam ſecundum eam nihil eſt futurum ad vtrumlibet contingenter, ſed omnia quę euenient, euenient de neceſsitate penitus abſoluta, quod 12. huius damnat. Item ſic opinans propriæ opinionis laqueo irretitur: dicit enim nihil eſſe contingenter futurum vel non futurum in ſenſu diuiſo; ergo nihil eſt contingenter futurum, ergo Antichriſtus non eſt contingenter futurus, quod opinioni repugnat: ſequitur quoq; hanc eſſe veram, Antichriſtus non eſt futurus, & eius oppoſitam eſſe falſam, quod rationem poſitionis irrationabilem manifeſtat. Item tibi ſic opinanti propono, Antichriſtus erit; ſi concedis vel negas, habes concedere conſequenter oppoſitum poſitionis & rationis tuæ ſimiliter, nec potes eam dubitare, quia bene ſcis quod nec eſt vera nec falſa, nec potes eam diſtinguere propter ſimplicitatem & vniuocationem maximam terminorum ac totius complexi. Si autem dicas te non intelligere, nec intelligere poſſe illam, redargueris ſicut quarta opinio fuerat redarguta, niſi forſitan vanum & fatuum videatur tibi quicquam arguere non potenti intelligere arguentem, nec te ipſum etiam reſpondentem; quare non videtur tibi dignius arguendum, quàm homini fatuo, mortuo, beſtiæ, ſiue ligno. Si autem inprimis negaueris mihi iſtam, Antichriſtus erit, & hanc ſimiliter, Antichriſtus non erit, vel non Antichriſtus erit, adhuc redit oppoſitum poſiti, imò & ſequitur, Non Antichriſtus erit, ergo Antichriſtus erit, ſicut nullus ignorat qui limen Logicæ eſt ingreſſus, quare & iterum oppoſitum poſiti conſequitur. Præterea ſi vtramque illarum negaueris, concedes inter contradictoria medium reperiri, quod omnes Sophiſtæ, Logici, Philoſophi, & Theologi deteſtantur; quod & Philoſophus 4. Metaphyſ. 27. multipliciter reprobat & condemnat; qui & 29. ſcilicet vlt. Eſt, inquit, neceſſe contradictionis partem alteram eſſe veram; vbi & immediatè ſubiungit. Amplius ſi omne aut dicere aut negare eſt neceſſe, vtraque falſa eſſe impoſsibile eſt. Item Antichriſtus erit vel non erit; ergo Antichriſtus erit, vel Antichriſtus non erit; ergo illa eſt diſiunctiua vera, ergo & altera partium. Item tunc nec Deus, nec Angelus aut Propheta ſciret Antichriſtum, nec quicquam poſsibilium contingenter eſſe futurum diuiſim vel non futurum, ſed tantum eſſe futurum vel non futurum coniunctim, ſicut & ſcit quilibet idiota; quare & omnis præſcientia penitus tolleretur, ſicque hæc opinio coincidit in ſecundam 13. huius deſtructam. Hanc etiam opinionem expreſſè refellit Boetius 5. de conſolatione philoſophiæ: proſa tertia; vbi & comparat eam ridiculoſo vaticinio Tireſiæ dicentis, Quicquid dixero, aut erit aut non erit: de quo Tireſia Ouidius 3. Muthologiæ ſuæ plenius fabulatur. Item iſte actus || *liber* & contingenter productus nunc eſt, & non ſemper fuit, ergo aliquando fuit futurus, ergo tunc verum fuit ipſum eſſe futurum. Item ſi quis heri dixiſſet me hodie locuturum, verũ dixiſſet, ſicut exitus rei probat; hodie namq; loquor: dixiſſet enim totaliter ſic fuiſſe futurũ, ſicut realiter nunc contingit; ergo verũ dixiſſet; & ſi oppoſitum eius dixiſſet, falſum dixiſſet, eò quòd non ſic realiter eueniret, iuxta illã propoſitionẽ in prædicamentis communem; in eo quod res eſt, vel non eſt, oratio vera vel falſa dicitur; & 1. peri hermenias vlt. Similiter orationes veræ ſunt, quemadmodum & res. Et Ier. 28. Propheta qui vaticinatus eſt pacem, cùm venerit verbum eius, ſcietur Propheta quem miſerit Dominus in veritate. Et Ezech. 33. Cùm venerit quod prædictum eſt, tunc ſcient quod Propheta fuerit inter eos. Et Deut. 18. Hoc habebis ſignũ, quod Propheta prædixerit, & non euenerit; hoc Dominus non locutus eſt, ſed per tumorem animi ſui Propheta confinxit. Item tunc nullus deberet credere, nec ſperare aliquid

B C D E

|| liberè

Philoſophus.

Ieremias.
Ezechiel.
Deuter.

A quid tale futurum: fatuum namque videtur & friuolum quenquam credere vel ſperare quicquam futurum, quod bene ſcit, aut firmiter opinatur non eſſe verum quòd ſit futurum: quare nullus debet credere vel ſperare quòd ipſe vel aliquis hominum morietur, reſurget, aut vitam percipiet ſempiternam. Item hæc opinio tollit omnem motionem & actionem liberam, & meritoriam ſucceſsiuam. Nam ſecundum eam in contingentibus talibus nihil eſt futurum; ergo nullus terminus ad quem motus, nec aliquod mutatum eſſe; quare nec vllus talis motus eſt, nec etiam eſſe poteſt, quod totam ſcientiam moralem ſubuertit, imò & totam ſcientiam naturalem, & omnem ſcientiam motu vel tempore indigentem, ſicut & opinio Sophiſtarum, vel omnipotentiam aut libertatem diuinam, aut ſubuertetur per ipſas: omnis namque motus ſubiacet omnipotentis Dei liberæ voluntati, ſicut 9. primi & 30. ſecundi oſtendunt; ergo in motu & tempore eſt aliquid liberè & contingenter futurum reſpectu voluntatis diuinæ, quod opinioni repugnat, vel ſi nihil tale ſit liberè & contingenter futurum reſpectu voluntatis diui-
B næ, aut ipſa nequaquam liberè libertate contradictionis de futuris diſponit, aut ſi ſic diſponit, poteſt diſponere aliter, ſed non habet potentiam exequendi. Amplius autem ſecundum iſtam ſententiam, nulla propoſitio de futuro eſſet vera, aut eſſe poſſet niſi propoſitio neceſſaria; quod Logica, Philoſophia, Theologia, & omnis vera ſcientia reputat eſſe falſum. Quare & Robertus Cantuarienſis Archiepiſcopus damnauit Oxoniæ articulum aſſerentem, quòd omnis propoſitio vera de futuro eſt neceſſaria. Quod autem à Philoſopho allegatur, Nullam ſcilicet propoſitionem de futuro contingenti eſſe veram vel falſam, verum eſt ſecundum communiter exponentes determinatè & de neceſsitate, ſicut eſt in propoſitionibus alijs temporum aliorum.

C

CAP. XVIII.

Rectificat ſeptimam opinionem dicentem, quòd aliquid poteſt incipere eſſe futurum.

OPinio ſeptima confitetur, quòd aliquid poteſt incipere eſſe futurum, volens per hoc vitare difficultatem prætactam. Hanc autem opinionem audiui à quodam famoſo Doctore, qui & dixit illam fuiſſe communem in quadam Vniuerſitate ſolenniſsima, qua ſtudebat. Sed hæc opinio fallitur in duobus: Primò, quia fundatur in falſo: Secundò, quia non iuuatur per illud: Si enim aliquid poſſit incipere eſſe futurum, ponatur
D quod A. incipiat in B. inſtanti futuro, eſſe futurum; ergo A. incipiet in B. eſſe futurum; ergo A. in B. vel immediatè poſt B. erit futurum; ergo A. erit poſt B.; ergo A. erit; ergo A. eſt futurum, cuius oppoſitum ponebatur. Si autem dicatur, quod iſta de futuro A. incipiet in B. eſſe futurum, non eſt vera, nec vnquam erit, quia nec ante B. nec poſt B. nec in B.; ſed hæc de præſenti, A. incipit eſſe futurum, erit vera in B. contradicetur hoc modo. Si hæc, A. incipit eſſe futurum, erit vera in B. ergo ipſa eſt futura vera in B.; ergo futurum ſic || *eſt* realiter in B. ſicut ipſa ſignificat, vel ſignificabit in B. ergo || eſſe
futurum eſt in B. A. incipere eſſe futurum, ergo in B. A. incipiet eſſe futurum. Item ponatur B. præſens, tunc hæc eſt vera de præſenti, A. incipit eſſe futurum, & iſta ſimiliter, hæc inceptio eſt, vel ergo hæc inceptio fuit futura vel non: ſi fuit futura, ergo ante B. verum fuit hanc inceptionem eſſe futuram, & quòd hæc inceptio erit; ergo & tunc verum fuit, quod A. in B. incipiet eſſe futurum: Si non fuerit futura, ergo aliquid eſt præſens quod nunquam
E fuit futurum, quod eſt contrarium rationi, & capitulo proximo reprobatum. Si enim hæc inceptio præſens nunquam fuit futura, nunquam fuit præſcita à Deo; & ſi quis heri dixiſſet, quod hæc inceptio erit, falſum dixiſſet; at ſi quis dixiſſet, quod hæc inceptio nunquam erit, verum dixiſſet, cùm tamen non ſicut ſecundus, ſed ſicut primus prædixit, realiter nunc contingat: Imò ſequitur, ambo contradictoria fuiſſe ſimul vera. Nam per hypotheſin, hæc ſemper fuit vera, Hæc inceptio non erit, quia nunquam fuit futura; & hæc fuit vera, Hæc inceptio erit, quia ſi quis eam dixiſſet, verum dixiſſet, ſicut exitus rei probat, & præſcientia Dei monſtrat: aliter enim nullam præſcientiam huius habebat, vel falſam. Et ſi vnum aliquid ſit præſens ſine futuritione præmiſſa, quare non quodcunque? Sicque reconciliabitur opinio Sophiſtarum 15. huius perpetuò condemnata. Pręterea hęc reſponſio propriam hypotheſin perimit

perimit vel perimetur ab ea. Si enim hæc non est vera, A. incipiet in B. esse futurum; eadem A ratione nulla talis est vera, nec etiam potest esse; quia si posset, ponatur inesse; reuertitur argumentum. Si ergo nulla talis potest esse vera, nihil potest incipere esse futurum in aliquo instanti futuro, quare nec vnquam: aut si quid quod nunc non est futurum potest incipere esse futurum in aliquo instanti futuro, ponatur in esse, & reuertitur difficultas. Si enim aliquid nunc non futurum, in aliquo instanti futuro incipiet esse futurum, ergo post aliquod instans futurum erit; ergo erit, ergo est futurum, ergo aliquid non futurum est futurum. Item nulla est causa possibilis assignari, quare aliquid incipiat potius esse futurum in vno instanti quàm in quolibet alio; ergo in quolibet, vel in nullo. Si autem aliqua certa dispositio causæ illius futuri assignetur pro causa diuersitatis præmissæ, illa statim tolletur, supposito quòd effectus futurus sit semper futurus contingenter æqualiter donec fiat, sicut est de actu libero voluntatis, quæ longo tempore potest manere in æquali dispositione, in æquali indifferentia, in æquali indeterminatione per omnia inter duos actus contrarios omninò æquales, circa B duo obiecta omnino æqualia, sicut quod comedat vel bibat, vel de duobus cibis æqualibus incompossibilibus quod capiat hunc vel illum, & tandem vtrumlibet eligere liberè, scilicet hunc vel illum, sicut quartum huius cum sequentibus manifestat. Si autem dicatur quod nihil incipiet esse futurum priusquam determinetur per certam dispositionem in sua causa, quæ sit necessaria respectu illius, sequetur quod omne futurum de necessitate eueniet, quod duodecimum huius damnat. Item si aliquid incipiat esse futurum per aliquod tempus, puta per annum, antequam fiat, eadem ratione aliquid potest incipere esse futurum per minus tempus antequam fiat, puta per mensem, & eadem ratione per septimanam & per diem, & sic tandem eadem ratione potest omne tempus auferri: eadem enim est ratio de toto & de parte: quare erit possibile aliquid esse præsens quod nunquam fuit futurum, quod est superius reprobatum. Item si vnum futurum inciperet esse futurum, ergo eadem ratione & aliud, & quodcunque; ergo tempus non est æternum: aliquod enim est remotissimum instans futu- C
|| nunc rum, illud scilicet quod || *nondum* incipit esse futurum; ergo post illud non est aliquod instans futurum, quia non incipit, nec incepit esse futurum; ergo & post illud non est tempus futurum, ergo post illud instans non erit instans nec tempus. Item de quocunque futuro quandocunque dixisset quis illud esse vel fuisse futurum, verum dixisset, & dicens eius oppositum falsum dixisset; ergo omne futurum semper fuit verè futurum, vt capitulum proximum arguebat. Item si futura non semper fuerunt futura, non semper fuerunt præscita à Deo, nec æternaliter prædestinata ab eo, contra 6. & 45. primi, imò de necessitate sequetur, quòd aliquando incipit præscire & prædestinare futura, ergo est mutabilis, quod non patitur 5. primi, nec in principio mundi sciuit quid esset facturus in fine vel in medio tempore, quod non
Esaias. decet. Vnde Esaias 46. Redite præuaricatores ad cor, & recordamini prioris sæculi, quoniam ego sum Dominus annuntians ab exordio nouissimum, & ab initio quæ nondum facta sunt,
Psalmus. dicens, Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Et Psalmo 118. initio, Cognoui D de testimonijs tuis quod in æternum fundasti ea. Et Psalmo 138. Intellexisti cogitationes meas de longè. Quàm longè? Ecce, Domine, tu cognouisti omnia, nouissima & antiqua. Quare & Augustinus 3. de libero arbitrio 3. ita dicit: Hodie præscit Deus quod post annum facturus est; Et sequitur; Semper hoc præsciuit: Dicitque Philosophus 1. peri hermenias
|| 7000. vlt. quòd non differt, si aliquis affirmauerit vel negauerit aliquid in || 1000. annum magis quàm in quantolibet tempore. Item si aliquid potest incipere esse futurum, eadem ratione aliquid futurum potest desinere esse futurum absque positione eius inesse. Si namque A. nunc incipiat esse futurum, hoc est propter aliquam causam seu dispositionem in causa nunc posita, quæ prius non ponebatur, vel non sic ponebatur; ergo si causa vel dispositio illa tollatur, non posito A. in esse, A. desinit esse futurum absque positione eius in esse: sit ergo A. nunc futurum & in B. instanti futuro, desinat esse futurum sine positione eius in esse; tunc in B. sicut & semper ista consequentia erit bona, A. fuit futurum, & nunquam fuit, nec est; ergo A. est E futurum, & antecedens erit verum in B. ergo & consequens; ergo in B. A. erit futurum post B. Iterum sic ad idem A. est futurum; ergo A. erit, & non ante B. nec in B. ergo post B. ergo in B. A. erit futurum. Amplius ad hoc idem; Sit A. nunc futurum, & sine positione in esse & in B. instanti futuro desinat esse futurum, & maneat non futurum per aliquod certum tempus, quod sit C. adhuc post illud tempus Deus potest facere A. esse præsens, ergo & futurum: potest enim restituere omnes causas A. cum omnibus dispositionibus earum, propter quas A. fuit futurum ante B. ponatur ergo quod faciat, & sequetur quod A. incipiet esse futurum in aliquo instanti post C. tempus; ex quo vlterius consequetur quod A. erit vel fuit futurum duobus instantibus seu temporibus mediatis, & quolibet instanti seu tempore medio non

A non futurum nec præsens, quod est irrationabile penitus & absurdum. Nec istud difficultatem euitat. Postquam enim quicquam incepit esse futurum, & certitudinaliter præscitum à Deo, vel est possibile illud non euenire, & tunc Deus nequaquam certitudinaliter præscit illud, imò videtur consequenter possibile præscientiam Dei falli, sicut duodecimo huius erat argutum; vel illud de necessitate eueniret, & tunc necessario consequetur, quod omnia quæ euenient, euenient de necessitate penitus absoluta, quod idem duodecimum condemnauit.

CAP. XIX.

B *Castigat octauam & nonam opiniones, credentes nulla inferioris mundi sub diuina prouidentia contineri, & quod nulla voluntaria seu libera per Dei prouidentiam disponantur.*

SVnt & aliæ multæ opiniunculæ præter istas, quas, quia omnes & singulæ per prius ostensa refelluntur plenariè, proposui sub silentio præterijsse; sed ne omnino intactas se iactent, & vt appareat qualia errorum phantasmata multorum phantasiæ parturiunt, breuiter illas tangam; vt etiam sic tandem apud peritos, qui me in plurimis præostensis quia quasi notorijs possent velut superfluum condemnare, excusari
C merear nota causa. Prima igitur istarum opinionum & octaua cum cæteris recitatis, affirmat quod nulla inferioris mundi sub diuina prouidentia continentur. Opinio vero nona dicit, quod nulla voluntaria seu libera diuina prouidentia disponuntur; & hæc est ratio communis ambarum quia diuina prouidentia imponit necessitatem prouisis, & illa remota, omnis necessitas remouetur, quia nulla, vt dicunt, est causa || *necessitatis* si non illa. Has autem ambas coniunctim redarguunt vicesimum septimum, vicesimum octauum, & vicesimum nonum primi, secundam vero diuisim, tricesimum, tricesimum primum, & tricesimum secundum eiusdem. Item specialiter contra istam, Tunc saltem hæc habet concedere, quod omnia naturalia euenient de necessitate penitus absoluta, quia de hac sola loquitur, vt videtur: Concedit enim omnia naturalia sub diuina prouidentia contineri; ergo Deus quicquid prouidet aut agit in hoc mundo inferiori, hoc facit de necessitate penitus absoluta; ergo quilibet homo, etiam seruus & ancilla in omnibus prouidentijs suis & factis est liberior Domino Deo suo in suis, quod prima suppositio primi vetat. Item
D tunc Deus necessariò & non liberè prouidet atque facit quicquid prouidetur & immediatè fit ab eo; est ergo illeberior & seruilior omni seruo, per quod & prior opinio confutatur. Quare & Stephanus Parisiensis Episcopus damnauit quendam articulum asserentem, quod Deum necesse est facere quicquid immediate fit ab ipso; Error, || *inquit*, siue intelligatur de necessitate coactionis, quia tollit libertatem, siue de necessitate immutabilitatis, quia ponit impossibilitatem aliter faciendi. Idemque damnauit alium articulum sub hac forma, quod aliqua possunt casualiter euenire respectu primæ causæ, & quod falsum est, omnia esse præordinata à prima causa, quia tunc euenirent ex necessitate: & iterum alium sub his verbis, quod humani actus non reguntur prouidentia diuina. Hæc etiam eadem insensata sententia diu ante quasi hæretica fuerat iudicata Iob. 22. An cogitas, inquit, quod Deus excelsior cœlo sit, & super stellarum verticem subleuetur, & dicis quod non nouit Deus, & quasi per caliginem iudicat? Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & per cardines cœli perambulat. Et Ezech. 9.
E Dixerunt, dereliquit Dominus terram.

[Margin: || necessitans; *Stephanus.*; || inquiens]

CAP.

A

CAP. XX.

Corrigit decimam opinionem, quod Deus non habet volutionem reſpectu alicuius effectus mundi inferioris, & vndecimam, quod non vult aliquem effectum voluntarium, ſeu liberum.

DEcima verò dicit, quod nulla inferioris mundi voluta ſunt à Deo; & vndecima aſſerit, quod nulla voluntaria ſeu libera voluta ſunt ab eo. B
Et hæc eſt communis ratio vtriuſque, quia voluntas diuina eſt neceſſaria, & cauſa neceſſitatis in volutis, nec eſt aliqua alia cauſa neceſſaria, nec neceſsitatem cauſatis imponens: quare iſtâ ſublatâ, nulla erit neceſsitas, ſed libertas. Sed hæ ambæ faciliter conuincuntur. Nam ſi iſta non ſunt à Deo voluta, non ſunt ab eo prouiſa ſicut per viceſimum ſeptimum primi patet: ſed hoc erat iam proximo redargutum. Secundam etiam iſtarum ſpecialiter reprobat octauum, & nonum, viceſimum ſecundum, ac quadrageſimum quintum primi, viceſimumque ſecundi, poteſtque reprobari per eaſdem rationes, per quas nona opinio reprobatur.

CAP. XXI. C

Refellit duodecimam opinionem, putantem quod nulla inferiora fiant à Deo; & decimam tertiam æſtimantem, quod nulla voluntaria ſeu libera immediatè & propriè fiant ab eo.

REſtant adhuc aliæ duæ ſimiles his prædictis. Duodecima namque dicit, quod nulla inferiora fiunt à Deo, Decima tertia verò fingit, quod nulla voluntaria ſeu libera fiunt propriè ſaltem & immediatè ab eo, & hoc per ſimilem rationem; quia ſic & non aliter omnia neceſſario euenirent. Sed hæ poſſunt reprobari coniunctim per quæ priores harum ſimiles reprobantur, decimo primi iuncto; quas & coniunctim D
tertium primi damnat. Secunda vero iſtarum per viceſimum ſecundi ſpecialiter condemnatur, omnia quoque ipſius diuerticula cauilloſa per viceſimum primum eiuſdem & ſequentia obſtruuntur.

CAP. XXII.

Caſtigat decimamquartam opinionem, quod Deus non vult aliquid liberè futurum abſolutè, ſed tantum conditionaliter; & decimamquintam, quod nulla mala, ſed tantum bona ſunt abſolutè prouiſa, voluta, aut facta à Deo. E

DEcimaquarta verò ponit, quod Deus non vult libera futura abſolutè, ſed tantum conditionaliter, ſcilicet, ſi actiua libera ipſa velint. Decimaquinta aſſerit quod nulla mala, ſed tantum bona ſunt abſolutè, immediatè, & propriè prouiſa à Deo, voluta, atque facta. Sed hæ ambæ peccant dupliciter: primo, quia falſum ſupponunt; ſecundò, quia difficultatem problematis non euadunt. Prima falſum ſupponit, ſicut monſtrat corollarium triceſimi in ſecundo, Nec difficultatem euadit, quia poſtquam Deus abſolutè volendo fecerit aliquid liberum præſens vel præteritum, neceſ-

ſe eſt

A ſe eſt Deum in præſenti & ſemper in futuro hoc velle, vt per 23. primi claret, & non magis neceſſe tunc quàm ante, ſicut per idem 23. poteſt oſtendi, & quia aliter res voluta, præſens, vel præterita neceſsitaret voluntatem diuinam, & ei adimeret priſtinam libertatem; ergo de quocunque futuro Deus nunc vult, & ſemper voluit neceſſariò ipſum fore; ergo & per decimum [primi] omnia futura de neceſsitate euenient. Secunda ſimiliter falſum ſupponit, ſicut probant adducta contra 6. opiniones capitulis proximis recitatas. Hanc etiam reprimit 26. primi, oſtendens quòd nihil eſt per ſe malum, ſed quòd omnis actus malus, ſecundum id quod eſt, bonus eſt & à Deo; quod & 20. ſecundi demonſtrat: hanc quoq; eandem conuincit 33. 34. primi. Quare & Stephanus Pariſienſis Epiſcopus damnauit articulum affirmantem, quòd omnes motus voluntarij reducuntur in motorem primum; Error, inquiens, niſi intelligatur in primum motorem ſimpliciter non cauſatum, & intelligendo de motu ſecundum ſubſtantiam, non ſecundum deformitatem. Hæc etiam opinio ita dicit, tantùm vt hanc
B vniuerſalem euitet, Omnia quæ euenient, de neceſsitate euenient, per hoc, quòd non omnia, quia non mala ſunt à Deo prouiſa, voluta, || *neque* facta; omnia tamen bona concedit eſſe à Deo prouiſa, voluta, atque facta. Quare & conſequenter habet concedere, quòd omnia bona quæ euenient, de neceſsitate euenient, quod etiam ſatis magnum videtur abſurdum, & non multo minus impugnabile, quàm illa vniuerſalior ſupradicta. || atque

---

CAP. XXIII.

C *Arguit 16. opinionem ponentem quòd Deus non vult actum liberum creaturæ voluntate antecedente, ſed tantummodo conſequente, & quòd Deus cum creatura coefficit omnem actum liberum creaturæ, ſed poſterius ordine naturali; & 17. arbitrantem quòd licet Deus ſemper de facto agat & peragat actum quemlibet creaturæ, eſt tamen abſolutè poßibile aliquã creaturã agere per ſe ſolã.*

Decima ſexta verò credit, quòd Deus non vult actum liberum creaturæ voluntate antecedente, ſed tantummodo conſequente, i. non prius, ſed poſterius naturaliter creatura, & quòd ſic agit omnem actum liberum creaturæ. Decima ſeptima autem fingit, quòd ſemper de facto Deus agit immediatè & propriè, ac prius naturaliter omnẽ actum cuiuſlibet creaturæ, ſed quòd eſt abſolutè poſsibile aliquã creaturã agere per ſe ſolã, ſine Deo
D taliter coagente. Sed 16. peccat dupliciter: primò, quia falſum ſupponit, ſicut 30. ſecundi demonſtrat; ſecundò, quia hoc dato, non tollitur difficultas. Nam poſtquam Deus cooperatus eſt quicquam cum homine, neceſſe eſt eum ſic cooperatum fuiſſe, ſicut & illam rem fuiſſe, & cùm nihil operetur exterius niſi volendo, ſicut corol. 10. primi docet, neceſſe eſt eum hoc voluiſſe; & cùm per 23. primi voluntas ſua ſit immutabilis omniquaque, neceſſe eſt eum ſemper in futurum ſic velle, & ſemper in præterito voluiſſe; & cùm voluntas diuina non ſit minus libera, nec magis neceſſaria in productione rei, vel poſt, quàm ante, ſicut 5. & 23. primi monſtrant, & quia aliter res voluta adimeret libertatem voluntatis diuinæ, & ei neceſsitatẽ imponeret ad volendũ, quæ tamen hoc non facit in voluntate humana, ſicq; voluntas diuina eſſet illiberior & ſeruilior quàm humana: cùm, inquam, hæc ſint ita, Deus neceſſariò vult de futuro quodlibet ipſum fore; quare per 10. primi, de futuro quocunq; eſt neceſſariũ ipſum fore. Decima ſeptima verò peccat in tribus: primò, quia falſum affirmat; ſecundò,
E quia ſibi ipſi repugnat; tertiò, quia difficultatem non vitat. Quòd autem falſum affirmet, ex 3. & 4. primi, ex 20. & 22. ſecundi perſpicuè demonſtratur. Item vt breuiter aliquas breues rationes contra opiniunculam iſtam tangam; Si hoc eſſet poſsibile, eſſet conſequenter poſsibile creaturam producere aliquid ſine Deo propriè coagente, quare & conſeruare productũ ſine Deo propriè conſeruante, contra 2. primi, eſſetque vltra poſsibile, quod aliquid fieret nunc vel in futuro, quod Deus non vellet, contra 22. primi: corollarium quoque eius, & ſi hoc eſſet poſsibile, teſte 18. primi, vlterius eſſet poſsibile quod aliquid eſſet præſens vel futurũ quod Deus neſciret, contra 6. primi: quare & eſſet poſsibile quòd aliquid cauſaliter eueniret reſpectu Dei & voluntatis diuinę, contra 29. primi. Quare & Steph. Pariſ. Epiſcopus damnauit articulum aſſerentem, quòd aliqua poſſunt caſualiter euenire reſpectu primæ cauſæ. Hæc *Stephanus.*

Nnn etiam

etiam sibi ipsi repugnat. Sit enim secundum eam A. creatura potens mouere & agere sine Deo A
per se solam; aut ergo A. creatura eo ipso est necessario virtualiter infinita, vel cum hoc po-
test esse finita. Si dicatur quod est necessario infinita, hoc esse non potest, sicut primo primi fu-
erat demonstratum, cum etiam omnis creatura præsens vel futura sit vel erit tantum finita,
nulla talis potest nec poterit quicquam facere per seipsam; hæc ergo positio nihil adiuuat o-
pinantes, sed eis repugnat, cùm tantum loquantur de creaturis præsentibus vel futuris, sicut
& tantum de talibus est problema. Si vero dicatur, quod A. creatura possit esse finita; pona-
tur tunc A. excedit quamlibet aliam creaturam actiuam tantum in proportione finita, quare
& actio actionem, sicut demonstrat scientia naturalis: si ergo A. potentia per se sola potest in
B. motum vel actum, & quælibet alia potentia actiua potest nunc de facto in proportionalem
motum vel actum; vnde ergo scit opinans quod non est ita de facto? Cur ergo oppositum
huius affirmat? Tertio peccat, quia difficultatem quæstionis non vitat. Si enim ita est, &
semper erit de facto, quod voluntas diuina in omni motione & actione præueniet, & est effi- B
cax & necessario in causando per 10. primi, nec in alicuius alterius potestate per octauum hu-
ius, & omnino immutabilis in seipsa per 23. primi, videtur quod de facto omnia, quæ eueni-
unt, de necessitate eueniunt in præsenti, & omnia, quæ euenient, similiter euenient in futuro;
quomodo ergo per istud potest difficultas problematis euitari?

CAP. XXIV.

Tractat decimam octauam opinionem dicentem quod Deum velle & peruelle est in hominis potestate, & decimam nonam quod est in hominis potestate facere aliquid, vnde sequitur Deum non velle, nec vnquam voluisse aut fore, quod tamen nunc vult & semper C
voluit ipsum fore; & vicesimam, quod quamprimo voluntas diuina præuenit actum liberum voluntatis humanæ, tā primo potest humana in oppositum talis actus; & vicesimam primam, quod Deo volente hominem perducere, A. actum futurum in B. mensura, potest homo se prius ita disponere, quod Deus hoc tunc non velit, quare & quod tunc non habeat illum actum; & vicesimam secundam, quod voluntas diuina non est semper necessaria in agendo, sed defectibilis & frustrabilis aliqualiter; & vicesi- D
mam tertiam, quod voluntas diuina non est causa efficiens aliquorum, sed tantum consentiens intellectui diuino dictanti, & alia quædam virtus executiua & posterior in Deo, vel in causis secundis efficit res effectas; & vicesimamquartam, quod quanquam voluntas diuina coagat & peragat omnem actum voluntatis creatæ, hoc tamen facit tam debiliter influendo, quod nequaquam ipsam necessitat ad agendum.

SVnt & aliæ quatuor similes sibi multum, quarum prima & decima octa- E
ua affirmat, quod Deum velle atque præuelle est in hominis potestate;
decima nona æstimat, quod est in hominis potestate facere aliquid; vn-
de sequitur Deum non velle nec vnquam voluisse A. fore, quod tamen
nunc vult & semper voluit ipsum fore. Vicesima opinatur, quod quam
primo voluntas diuina præuenit actum liberum voluntatis humanæ,
tam primo potest humana in oppositum talis actus. Vicesima prima
putat, quod Deo volente hominem producere A. actum futurum in cer-
ta mensura temporis vel instantis, potest homo ita se prius disponere, quod Deus tunc hoc
non

A non velit, & quod tunc non habeat illum actum. Sed hæ omnes peccant dupliciter: Primo,
quia falsum affirmant; secundo, quia difficultatem problematis non euitant. Quod autem
omnes falsum affirment, octauo huius ostenditur manifestè; & quod difficultatem non vitant
potest ostendi, sicut contra 14. opinionem & 16. est ostensum. Voluntas enim Dei est neces-
saria respectu omnium præsentium & præteritorum; ergo & respectu omnium futurorum;
quare & omnia futura aliquo modo necessario sunt futura, & de aliquali necessitate euenient
vniuersa. Sunt autem & tres aliæ phantasticæ vanitates; quarum 1. & 22. existimat, quod vo-
luntas diuina non est semper necessaria in agendo, sed defectibilis & frustrabilis aliquando.
Vicesima tertia somniat quod voluntas diuina non est causa efficiens aliquorum, sed tantum
consentiens intellectui diuino dictanti, & alia quædam virtus executiua posterior in Deo, vel
in causis secundis efficit res effectas. Vicesima quarta putat, quod quanquam voluntas diui-
na coagat & præagat omnem actum voluntatis creatæ, hoc tamen facit tam debiliter influen-
B do, quod nequaquam ipsam necessitat ad agendum. Sed prima istarum, & tertia plane con-
uincitur per 10. primi libri; secunda verò istarum peccat in materia & in forma. In materia;
quia falsum supponit, sicut 10. primi, & 10. secundi & sequentia docuerunt: peccat in forma;
quia difficultatem propositam non euadit. Si namque voluntas diuina consentiat & velit vir-
tutem executiuam quamcunq; quicquam exequi faciendo, ipsa necessario exequetur per deci-
mum primi libri, & reuertitur difficultas.

CAP. XXIV.

*Tangit 25. opinionem fingentem Deum non prouidere, prædestinare,
velle, nec facere gradus actuum liberorum, meritorum, aut etiam præ-
miorum; & 26 quod nullus actus est aliquid; & 27. quod nullum
C non agere, cessare siue quiescere est à Deo; & 28. quod res futuræ
præscitæ sunt præscientiæ Dei causa; & 29. quod res futuræ præ-
scitæ sunt causa sine qua non diuinæ præscientiæ; & 30. quod Deus
scit & præscit res secundum modum illarum; & 31. Aca-
demicorum, quod nullus potest rimari aut scire istud tam obstru-
sum naturæ miraculum, tam absconditum Dei arcanum; & tricesi-
mam secundam, quod in omnibus rebus futuris, præsentibus atque
D præteritis respectu scientiæ & voluntatis diuinæ est semper contingē-
tia ad vtrumlibet, & libertas, & nulla omnino necessitas.*

ADhuc autem supersunt & tres aliæ opiniunculæ, breuiter retractandæ
quarum 1. & 25. cum præmissis affirmat, Deum non prouidere, præ-
destinare, velle, nec facere gradus actuum liberorum, nec quorumlibet
meritorum, aut etiam præmiorum. Vicesimasexta putat omnem actū
liberum, & vniuersaliter actum quemlibet nihil esse. Vicesimaseptima
æstimat quod nullum non agere, cessare, siue quiescere sit à Deo. Sed
hæ tres peccant communiter in duobus. Primo, quia falsum affirmant,
secundo, quia difficultatem non euitant. Quod autem omnes falsum
affirment, satis ostendunt 46. primi, 18. secundi cum 32. eiusdem. Nec prima difficultatem e-
uitat. Dicit enim Deum de gradibus nequaquam disponere, vt sic vitet necessitatem in eis, ali-
E as, vt credit, necessario concedendam. Omnes tamen actus & res omnes secundum suam es-
sentiam sub dispositione diuina contineri non negat; quare nec potest euadere quin omnes
actus & res, quæ euenient, de necessitate euenient. Item gradus vel est aliquid, vel nihil. Si
aliquid, continetur sub dispositione diuina; ergo omnes gradus, qui euenient, de necessitate e-
uenient, & omnia alia eadem ratione, sicut proximo est argutum; ergo & vniuersaliter omnia.
Si nihil, nō continetur, nec distribuitur sub nomine entis; quare non falsat hanc vniuersalem,
Omnia quæ euenient, de necessitate euenient; & hanc vniuersalem habet opinans concedere
ro omnibus entibus quæ non sunt, aut erunt gradus, quare & simpliciter pro omnibus entib⁹.
Item vel entia variātur numeraliter & essentialiter ad variationem graduū, vel non. Si sic, ergo
sic continentur sub dispositione diuina, & necessario euenient, sicut superius est argutum. Si nō
& omnia secundū suam essentiā continētur sub dispositione diuina, & grad⁹ nihil essentialiter
aut numeraliter innouat; ergo adhuc omnia quę euenięt quātū ad essētias suas & numerū, de

 necessitate

cessitate euenient ; quare & simpliciter omnia quæ euenient, de necessitate euenient. Nec 26 A
à difficultate problematis se euoluit. Negat enim actum esse aliquid, vt non cogatur concede-
re ipsum esse prouisum à Deo, volutum, siue factum, vt sic in actibus liberis necessitatem ef-
fugiat, quam alias, vt æstimat, effugere non valeret. Omnia igitur entia præsentia & futura,
quæ non sunt nec erunt actus, sicut opinio innuit, & opinans expresse concedit, sunt & erunt
prouisa à Deo, voluta, atque facta : quare secundum eum, de necessitate euenient, & nullus
actus est aliquid ; quare non continetur, nec distribuitur sub nominibus talibus ens vel aliquid,
nec falsat hanc vniuersalem, Omnia quæ euenient, de necessitate euenient. Hæc igitur vniuer-
salis est vera simpliciter, quia pro eius quolibet singulari. Item Deus vult omne agens, vel a-
cturum agere quicquid agit vel aget, sicut 22.primi, & coroll. eius cum 30. eiusdem alijsq; se-
quentibus manifestat, & maxime opera meritoria, sicut patet per 42. & 45. primi. Ipsa enim
cum fiunt, sunt Deo placita & accepta, & non nouiter, sed & æternè, sicut 23.primi monstrat;
quare per rationem positionis prætactam, necesse est omne acturũ agere quicquid aget, & ma- B
xime opera virtuosa. Itẽ nulla causa secũda potest mouere vel agere sine Deo propriè cõmouẽ-
te & similiter coagente, sicut 4.primi & 22.ostendunt, & hoc volendo, sicut 9.primi ostendit;
reuertitur igitur difficultas. Quod etiam 27 nequaquam à proposito difficultate se liberat, po-
test sicut contra proximam, perspicuè demonstrari. Restant autem & aliæ duæ opiniunculæ
similes : quarum 1. & 28. cum prioribus æstimat, quod res futuræ præscitæ sunt præscientiæ
Dei causa: Secunda vero & 29.putat, quod res futuræ præscitæ sunt causa sine qua non diuinæ
præscientiæ. Sed hæ ambæ falsum supponunt, nec per hoc difficultatem euadunt. Falsam sup-
ponunt, teste 15 & 16.primi lib. Nec difficultatem excludunt; Voluntas namq; diuina & eius
scientia respectu præsentium & præteritorum est necessaria, sicut & necesse est hæc esse & fuisse,
& non necessitate nouella ex præsentia aut præteritione rerum, aut alia causa quacunq; tempo-
raliter oriente propter 6. part. & 7.coroll.1.1. & 23.cap.1.lib. Fuit ergo voluntas Dei & eius
scientia similiter necessaria ab æterno respectu omnium futurorum ; quare & per 10.1.lib.om- C
nia futura erant æternaliter aliquo modo necessario euentura. Est & 30. opinio, quæ affirmat,
quod Deus scit & præscit res secundum modum illarum, necessaria necessario, & contingen-
tia contingenter. Nec ista opinio difficultatem euitat. Si enim Deus sciat res secundum mo-
dum illarum, aut Deus sumit modum sciendi à posterioribus rebus scitis, aut ille potius mo-
dum essendi à Deo sciente & eius scientia, ac modo ipsius. Primum dici non potest propter
primam suppositionem, 3.part. & 5. coroll.1.1. & 15. & 16. 1.lib. Potius ergo videtur è con-
||essendi & stabilitatis tra, quod omnis res futura scita à Deo sumat modum || *sciendi & scibilitatis* à Deo, à voluntate
diuina & eius scientia, sicut 14.primi libri & sequentia persuadent. Cum etiam omnis species
modus & ordo sit à Deo secundum præmissa 26. primi, & cum Deus non imponat rebus mo-
dum nisi volendo, & voluntas sua est vniuersaliter efficax, & nullo modo frustrabilis per 10.lib.
videtur quod omnes res de necessitate sint illo modo, quo Deus voluerit ipsas esse præsentes, D
præteritas, vel futuras, præsertim cum diuina voluntas non sit in potestate alicuius causæ in-
ferioris, nec etiam aliquarum, sicut 8.huius ostendit. Adhuc autem si Deus sciat futura contin-
gentia contingenter, quomodo sciet illa necessario quando fient præsentia, in præteritumue
decurrent, sicut & illa necessario erunt tunc talia ? Aut si tunc necessario sciet illa, quomodo
non necessario præscit illa, dum sunt futura, cum ipse & sua scientia immutabiles sint omnino
per 5. & 23.primi libri? Amplius autem, & de voluntate diuina simile est omnino, sicut contra
Opinio 31a. opiniones proximas tangebatur. Adhuc autem & 31. opinio arbitratur, quod nemo potest
rimari aut scire istud tam abstrusum naturæ miraculum, & tam absconditum Dei arcanum : &
Sarisburiens. hæc videtur Academicorum generalis sententia perantiqua, quam & Iohan.Sarisb. 2.Policra-
tici sui 22.in ista materia profiteri videtur; ad quam & Cicero, sicut dicit in calce vitæ suæ, di-
uertit. Sed constat certissime quod decet, expedit, & oportet Philosophos, Theologos, & cu-
iuscunq; fidei professores aliquid sufficientius, rationabilius, aut probabilius quærentibus, in-
sultantibus, & aduersantibus licet maturè & sobriè respondere. Quare & Logici, Philosophi, E
Physiologi, Ethici, & Diuini, Theologi Catholici & Ethnici circa elucidationem axiomatis
Ammonius. huius tam anxij anxiè desudabunt: Vnde & Ammonius Armenus in Record. in lib. peri her-
menias. Arist. super vlt. 1. tractans istam materiam scribit ita ; Hoc theorema ad omnes partes
Philosophiæ est necessarium; secundum moralem Philosophiam omnino necesse est præacci-
pere, quod Non omnia sunt & fiunt ex necessitate, sed sunt quædam in nobis. Quoniam enim
vt Domini operationum quarundã existentes, & in nobis existens eligere, vel non eligere quæ-
dam, & operari vel non ; has autem vituperabiles electionũ & operationũ dicimus, has autem
laudabiles. Quinimo & ad Physiologiam opportunũ videtur theorema: quæret enim Physio-
logus, Si omnia ex necessitate fiunt quæ fiunt, aut aliqua à fortuna & à casu ; & ad Logicam
methodum

A methodum eodem modo. Hoc enim ipsum est quod nunc quæritur, si omnis contradictio determinate diuidit verum & falsum. Porrectum autem theorema & ad primam Philosophiam inuenies. Quæret enim & Theologus secundum quem modum gubernantur res quæ in mundo; & si omnia determinate & ex necessitate fiunt quemadmodum in perpetuis, aut sunt aliqua contingenter euenientia. Et nec omnino idioticæ dispositionis homines inuenies negligẽtes meditationem de hoc theoremate. Amplius autem & 32. opinio, nondum quod sciuerim ab aliquo opinata, sed forsitan opinanda, quæ & me, vt verum fatear, aliquando tentauit, ex dicendis fortassis probabiliter oritura, præsumet astruere, quod in omnibus reb⁹ futuris, præsentibus, atq; præteritis, respectu scientiæ & voluntatis diuinæ, est semper contingẽtia ad vtrumlibet, & libertas, & nulla omninò necessitas. Sed ista opinio difficultati problematis nequaquam plenariè satisfacit, & || *etiam* falsum supponit. Non plenariè satisfacit: Difficultas namq; || omnino
B problematis ideo maximè videtur multos vrgere, quia in suis actibus liberis nulli necessitati superiori & priori vellent esse subiecti, sed simpliciter Domini, & liberi penitus absolutè respectu suorũ actuum liberorum, habere quoq; eos in sua simpliciter libera potestate. Sed ista opinio responsiua non tribuit istud eis. Licet enim actus liber humanus futurus posset contingenter & liberè non esse futurus, & è contra per potentiã voluntatis diuinę, hoc tamen non est simpliciter, sufficienter, & antecedenter in potestate humana; cùm voluntas humana in suis actionibus & nõ actionibus vniuersis diuinam præcedentem necessariò subsequatur, nec voluntas diuina consistat in potestate voluntatis humanæ, sicut præhabita manifestant. Adhuc autem & omnia quæ sunt, fiunt, & eueniunt, etiam in actibus & nõ actibus hominum, sunt, fiunt, & eueniunt de aliquia necessitate ipsa naturaliter præcedente, sicut corol. secundi huius ostendit. Ampliùs autem & falsum supponit. Cùm enim dicit, quod in rebus futuris, præsentibus, atq; præteritis respectu scientiæ & voluntatis diuinæ, nulla est omnino necessitas; vel in-
C telligit, quod stante scientia & volũtate diuina respectu alicuius futuri, præsentis, vel præteriti, potest illud non esse tale, id est, quod ista irrepugnanter stant simul Deus scit & vult hoc fore, esse, vel fuisse, & hoc non erit, est, aut fuit; aut intelligit quod scientia & voluntas diuina, quæ sunt causæ futurorum, præsentium, & præteritorum, sit semper in se libera, & contingens ad esse pro tunc & non esse, nunquam necessaria vllo modo ad essendum pro tunc pro mensura quacunq;, & sic consequenter ista * causata ratione harũ causarũ. Primũ dici non potest: constat enim esse impossibile simpliciter & cõtradictionẽ includere, Deus scit falsũ, & volũtas Dei frustratur, per 10.1. lib. Nec secundum veraciter dici potest, quoniam secundum omnes Philosophos, & Theologicos rem nunc præsentialiter existentẽ necesse est aliquo modo necessitatis nunc esse, & rem præteritam præfuisse, sicut secundo huius aliqualiter tangebatur. Quis enim Theologicus affirmare præsumserit, qd. nullo modo est necessariũ, mũdũ fuisse creatum, Christũ fuisse incarnatũ de virgine, natũ & passũ, hominẽ redemisse, resurrexisse, ascendisse, ad * causa
D dextram Patris sedisse atq; sedere? Præsertim cum etiã de futuris, ipsomet teste, necesse fuerit & sit, impleri omnia quę scripta sunt in lege Mosis, Prophetis, & Psalmis de eo: & cum per 2. & 14.1. lib. Nulla res posterior habeat esse aut fuisse, nisi per volutionẽ diuinã; Ipsa est aliquo modo necessaria respectu præsentiũ & præteritorũ. Necessario namq; consequitur. Hoc nunc est aut fuit, ergo De⁹ nunc vult illud esse aut fuisse; & antecedens est aliquo modo necessariũ, quare & consequens. In omni namq; cõsequentia formali simpliciter, & necessaria absolutè, si antecedẽs est necessariũ simpliciter aut aliquo certo modo, & consequẽs simili necessitate firmabitur; alioquin ex vero posset aliquoties sequi falsũ: sicut ergo præsẽtia & præterita sunt aliquo modo necessario talia, sic & volũtas volutione diuina respectu illorũ; imo & magis necessaria quã sint illa; est enim causa necessitatis in eis. Adhuc autẽ & ista assertio videtur cõtraria sẽtẽtiæ Phil. 1. peri hermenias vlt. ostendẽtis cõtingẽtiã ad vtrũlibet reperiri tãtũmodo in futuris, non autẽ in præsentib⁹ nec præteritis, sed necessitatẽ cõtrariã. Dicetur fortassis, qd. hoc est verũ re-
E spectu inferiorũ causarũ, nõ autẽ respectu causę superioris seu sũmæ. Sed proculdubio subtilius intuẽdo apparet oppositũ euidẽter; qd. viz. sicut est cõtingẽtia ad vtrũlibet in futuris respectu inferiorũ causarũ; sic & est in præsentib⁹ atq; præteritis. Nullã enim causã inferiorẽ cõtingit quicquã facere vel nõ facere in futuro, nisi Deo prius illud volẽte vel nolẽte sicut 30. & 32. 2. ostẽdunt; & simili modo cõtingit quãcunq; causã inferiorẽ actiuã facere quippiã vel non facere in præsenti, & fecisse vel nõ fecisse in præterito quodcũq; possibile fieri, non fieriue ab ea. Si n. De⁹ velit quamcunq; causam actiuam facere, vel non facere quodlibet in præsenti, fecisse vel non fecisse in præterito, de necessitate est ita per 10.1. lib. & Deus potest contingenter sic velle & nolle, possibilitate & contingentia necessitatẽ omnimodã excludente, sicut opinio || *asseuerat.* Sicut ergo contingit ad vtrumlibet te cras legere vel non legere, sic & heri legisse vel non legisse: contingit enim ad vtrumlibet Deum sic velle vel nolle: & sicut contingit ad vtrũlibet quempiã ædificare vel non, generare vel non pro futuro; sic ædificasse vel non, generasse || asserit

 vel

vel non pro præterito: contingit enim ad vtrumlibet Deum sic velle vel nolle; contingit ergo A
ad vtrumlibet Solomonem esse virginem in præsenti, & nunquam filium genuisse, nec templum fecisse, Iohannem quoque Euangelistam non esse virginem in præsenti, sed filios genuisse, & templum Solomonis fecisse cum alijs similibus infinitis. Quapropter & habet dicere consequenter quod veritas determinata non magis reperitur in propositionibus de præsenti aut de præterito, quàm in propositionibus de futuro in materia de contingenti æqualiter, sed similiter hic & ibi, contra Philosophum vbi prius, & contra multos Philosophicos tractatores. Adhuc autem & ista opinio aufert beatis totius beatitudinis beatissimam portionem, certitudinem scilicet æternaliter sic essendi, dicente Augustino 13. de Trinit. 7. vbi de beatitudinis rebus agit; Et quod est omnino beatissimum, ita semper fore certum erit: Imo secundum istam sententiam nec beati sunt certi de beatitudine sua præterita, nec præsenti; nec etiam aliquis hominum haberet certitudinem, certam scientiam, quare nec scientiam de aliquo; quia
nec de aliquo futuro, præsenti, nec præterito, & rediret opinio Academicorum olim à Philo- B
sophis & Theologis condemnata, nec aliquis esset, aut esse posset certus se esse aut fuisse, aliquid agere aut egisse contra Aristotelem, Augustinum, imò & contra omnes Philosophicos, Theologicos, & vulgares Academicorum hæresi non infectos: quapropter nec aliquis tute posset testificari de aliquo præterito, nec iurare, contra omnia iura mundi diuina pariter & humana. Posset enim Deus contingentissime facere de quocunque futuro, præterito, & præsenti citra seipsũ, ipsũ nunquã fore, fuisse, aut esse. Secundũ istã quoq; sententiã expediret orare Deũ pro malis culpę & pœnæ præteritis, vt faciat illa nunquã fuisse, imo & tantũ expedire videtur orare pro malis pręteritis, ne fuissent, quantũ pro malis possibilibus aut futuris, nisi Deus succurrat, ne fiant. Sed quis sic orat? Quæ Ecclesia? Quæ persona? Cur Pater noster cœlestis? Cur mater nostra Ecclesia? Cur spiritus veritatis, qui omnem docuit veritatem, nusquam docuit filios sic orare? Amplius autem creatura rationalis, angelica & humana, quæ tota est
mutabilis secundum naturam in essentia & in actibus, quando habet aliquem actũ etiam mu- C
tabilissimum, & liberrimum secundum contradictionem, necessarium est ei pro tunc quod habeat illum actum, & ille actus suus habet pro tunc quandam necessitatem essendi, necessitatem videlicet consequentem; quare & multo magis, vt videtur, quilibet actus Dei, cum ipse sit summe necesse est, immutabilis, stabilis atque firmus, sicut prima suppositio manifestat.

CAP. XXVI.

Tractat opinionem tricesimamtertiam famosiorem cæteris, quæ affirmat quod aliquid semper fuit futurum, & adhuc est futurum; non est tamen necessarium vllo modo illud vnquam fuisse, aut nunc esse futurum; & quod aliquid nunquam fuit futurum, D
nec nunc est futurum, & possibile possibilitate omni necessitati opposita est illud semper fuisse, & nunc esse futurum, & de præscientia Dei correspondenter omnino. De omni tamen præterito vel præsenti dicit, quod necesse est illud fuisse, & quod necesse est Deum *semper præsciuisse illud fuisse futurum, vel scire illud, esse nunc præsens, quod etiam necesse est* Deum *scire illud esse præteritum ac fuisse; & corripit eum super insufficientia responsionis, eo quod non sufficienter difficultatem euacuat.* E

PRæter has autem est & tricesima tertia opinio, quæ affirmat quod aliquid semper fuit futurum, & adhuc est futurum, non est tamen necessarium vllo modo illud vnquam fuisse, aut nunc esse futurum; & quod aliquid nunquam fuit futurum, nec nunc est futurum, & possibile possibilitate omni necessitati opposita est illud semper fuisse, & nunc esse futurum; & de præscientia Dei correspondenter omnino. De omni tamen præterito vel præsenti dicit, quod necesse est illud fuisse vel esse, & quod necesse est Deum semper præsciuisse illud fuisse futurum, vel scire

A re illud esse nunc præsens, quod etiam necesse est Deum scire illud esse præteritum ac fuisse. Et hæc est communior & famosior apud moderniores Philosophos, atque Theologos, & præcipuè apud Nostrates, & quasi sola ab eis concorditer approbata. Quorum ante omnia flexis genibus cordis mei imploro humiliter benignam patientiam charitatis (quæ sua non quærit in præiudicium veritatis, nec irritatur si quis elucidare studuerit veritatem, sed congaudet elucidatæ à quolibet veritati, omnia vera credens, & sustinens vniuersa) quatenus si non ego, sed in me & per me spiritus veritatis aliquam veritatem proferre dignetur huic opinioni forsitan repugnantem, nullatenus æmulentur, nullatenus irritentur, nullatenus indignentur, ne fortaſsis non mihi, sed spiritui sancto magis resistere conuincantur. Nam quicquid verum à quocunque dicitur, à sancto spiritu dicitur, sicut vicesimum secundi à beato Ambrosio recitauit, sed vt veri filij ‖ *charitatis* congaudeant, credant, & sustineant veritatem. ‖ veritatis Non enim est mediocre periculum in scientia veritatis nolle deserere pristinam licèt agnitam B falsitatem, sola superbia prohibente. Vnde Apostolus 2. ad Thessal. 2. Charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent, & ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, & vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Nos autem non ita, sed secundum eiusdem Apostoli salubre consilium deponentes secundum pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, renouemur spiritu mentis nostræ, & induamus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis, propter quod deponentes mendacium, loquamur per omnia veritatem, cantando cum Propheta, Aperite portas, & ingrediatur gens iusta custodiens veritatem: vetus error abijt & recesit; credo tamen veraciter me nihil noui penitus asserturum, quod non veterum ratio & autoritas confirmabit. Placeat igitur huius opinionis rationabili charitati non obaudire, sed exaudire benignè aliquas rationes. Primò autem videtur quòd responsio huius opinionis nequaquam sufficiat; secundò, quòd eius C hypothesis non subsistat: data namque opinionis hypothesi, non sufficienter soluitur difficultas. Difficultas etenim quæstionis propter hoc maximè mordet omnes & stimulat, quia in suis actibus liberis, nulli necesitati superiori & priori vellent esse subiecti, sed simpliciter Domini, & liberi penitus absolutè respectu suorum actuum liberorum, habereque eos in sua simpliciter libera potestate. Sed ista responsio non vitat omnimodam necesitatem, nec saluat omnimodam libertatem: Licèt enim illud quod est futurum posset non esse futurum, & è contra, & illud quod est præscitum à Deo, posset esse non præscitum, & è contra; hoc tamen non est antecedenter & sufficienter in potestate nostra, nec omnium causarum inferiorum, sicut septimum, octauum, & nonum huius ostendunt. Causa enim superior, puta Deus, non sequitur quæstionis modo, sciendo aut volendo causas inferiores aliquas nec omnes, sicut decimum quintum & vicesimum primi cum suis sequentibus, ac tricesimum secundi ostendunt; sed è contra ipsæ omnes, & singulæ in omnibus suis motibus ac cessationibus D vniuersis voluntatem ipsius necessariò consequuntur, sicut tricesimum & tricesimum secundum secundi, ac secundum tertij cum decimo primi docent. Cùm igitur per corollarium noni primi omnia futura euenient à voluntate diuina, quæ est causa prima & summa, per tricesimum secundi, & nullo modo frustrabilis, sed efficax omniquaque per decimum primi, nec antecedenter aut sufficienter in potestate nostra, nec causarum inferiorum aliquarum aut omnium, per octauum & nonum huius, Nullum futurum est simpliciter, scilicet sufficienter & antecedenter in nostra positum potestate, nec habemus respectu alicuius futuri omnimodam simpliciter libertatem, sed in omnibus necessariò subdimur, & seruimus necesitati naturaliter præcedenti, diuinæ scilicet voluntati, sicut quintum & sextum cum sequentibus huius docent.

Apostolus.

E

CAP.

A

CAP. XXVII.

Respondet secundum sententiam Philosophorum & Theologorum, quòd omnia futura euenient de quadam necessitate respectu causarum superiorum, non contraria, sed consentanea libertati.

VT autem super isto, prius quàm recedam, propriam sententiam proferam, imò non mei propriam, sed Patrum nostrorum communem, supposita distinctione de necessitate antecedente & consequente, secundo huius præmissa; Dico quòd duplex est necessitas antecedens: vna penitus absoluta, & alia quodammodo respectiua; & hæc duplex, scilicet respectu aliquarum vel omnium inferiorum siue secundarum causarum, aut tantùm respectu superiorum & primarum causarum, scilicet summæ & primæ causæ omnium, qui Deus est. Iste B
Augustinus autem modus loquendi de causis superioribus & inferioribus potest haberi ab Augustino 6. super Genes. ad literam 22. vbi dicit, quòd Ezechias secundum causas inferiores finierat vitam suam termino ab Esaia prædicto, secundum alias verò causas, scilicet superiores, quæ, vt dicit, sunt in voluntate & præscientia Dei, tunc erat finiturus vitam quando eam finiuit.
Lumbardus. Lumbardus autem 2. sentent. dist. 17. de superioribus & inferioribus causis loquens, dicit superiores causas esse voluntatem & potentiam Dei: Glossa verò super Esaiam 38. vbi agitur C
Glossa.
de prædictione mortis, & adiectionis annorum vitæ Ezechiæ, innuit eandem distinctionem, sub verbis tamen diuersis, dicens, quòd Deus duobus modis aliquas res considerat, scilicet secundum merita & naturam rei, quæ dicuntur causæ inferiores, & secundum suum consilium. Consilium ergo Dei secundum eam, est causa superior, vel causas superiores complectens; causæ verò inferiores, meritum & natura. Idem modus etiam loquendi quantum ad alteram eius partem, scilicet de causis primis, seu causa prima & secundis satis ex Philosophia cognoscitur, vbi Deus vocatur creberrimè causa prima; ergo in comparatione ad posteriores & secundas, quod & satis exprimitur in propositione prima de causis. Secundum hanc ergo distinctionem videtur mihi dicendum, quòd non omnia quæ euenient, euenient de necessitate penitus absoluta, sicut duodecimum huius probat, nec etiam respectiua, respectu scilicet aliquarum aut omnium inferiorum siue secundarum causarum, sicut 5. 8. & 9. huius ostendunt; sed omnia quæ euenient, euenient de necessitate respectiua, respectu scilicet superiorum siue primarum causarum, quæ sunt voluntas & potentia summi Dei. Non est autem intelligendum, quòd causæ inferiores omnes vel aliquæ, puta rationales, quantum est de se, possent agere liberè hoc vel illud; & quòd causa superior Deus ipse purè necessariò agat ad extra, & sic illas necessitet ad agendum, quoniam contradictionem includeret, quòd aliqua causa inferior quicquam ageret sine prima specialiter & propriè coagente, imò & naturaliter præagente, sicut vicesimum, vicesimum octauum, & tricesimum secundi probarunt; actus quoque voluntatis diuinæ ad extra nulli necessitati præcedenti subijcitur, sed est solus simpliciter contingens ad vtrumlibet, & liber simpliciter libertate contradictionis, sicut docuit quintum huius. Sed intelligendum hoc modo, quòd omnia quæ euenient, euenient de necessitate causarum superiorum, id est, omnia quæ euenient, euenient causaliter de potentia & voluntate Dei superioribus & prioribus naturaliter in causando alijs quibuscunque, nec est simpliciter & antecedenter in potestate alicuius aut aliquarum causarum inferiorum ne E
omnia illa eueniant: vel breuiùs isto modo, Omnia quæ euenient, euenient de necessitate causæ primæ, necessitate scilicet agentiæ siue actiuitatis seu efficaciæ in agendo; id est, omnia illa euenient de voluntate diuina, quæ respectu omnium volutorum est non impedibilis, nec à quouis auertibilis, quia in nullius alterius potestate, & ideo necessaria & ineuitabilis in causando, imò & ipsamet necessitas antecedens: hoc enim totum capitulum proximum manifestat, nec piget eius manifestationem breuiter recitare: Voluntas quippe Dei est causa superior & prior naturaliter; quare quodcunque futurum eueniet, per decimum quartum & corollarium noni primi, cum tricesimo secundi, & non frustrabilis, sed necessaria in causando per decimum primi, nec simpliciter in potestate inferioris aut inferiorum causarum per octauum huius. Quomodo namque Deum præuelle quodcunque

A quodcunque futurum est positum antecedenter, sufficienter & simpliciter in cuiuscunque alterius potestate? Imò per nonum huius nihil omnino est in nostra simpliciter libera potestate. Porro si aliquod futurum non euenire esset in nostra positum potestate, hoc esset resistendo voluntati diuinæ, vel eam impediendo aut mutando, vel faciendo eam non sic præuelle, quod est contra capitula proximo allegata: causa enim superior naturaliter atque prior non sequitur in causando inferiorem & posteriorem causam, sicut nec artifex instrumentum. Omnis quoque res inferior in actione & passione sua quacunque necessitatur quodammodo antecedenter naturaliter à voluntate diuina: ipsa enim est omnibus necessitas naturaliter antecedens, sicut secundum huius cum suo corollario manifestat. Quemadmodum igitur omnia quæ sunt, fiunt, & eueniunt in præsenti, sunt, fiunt, & eueniunt de quadam necessitate hæc omnia naturaliter præcedente in voluntate diuina; sic & quæ erunt, fient, & euenient in futuro. Possunt autem hæc omnia in vnam syllogisticam rationem breuiter sic reduci; Omnia
B quæ euenient de necessitate naturaliter præcedente, de aliqua necessitate euenient: Omnia quæ euenient, euenient de necessitate naturaliter præcedente, quia à voluntate diuina, quæ omnibus suis volitis est necessitas naturaliter antecedens; ergo omnia quæ euenient, de aliqua necessitate euenient. Vel breuius isto modo; Omnia quæ de ista necessitate euenient, de aliqua necessitate euenient, demonstrata voluntate diuina: Omnia quæ euenient, de ista necessitate euenient; ergo omnia quæ euenient, de aliqua necessitate euenient. Sed quia nimia breuitas obscuritatis & dubietatis est mater, ecce ad hoc idem paululum diffusior & clarior syllogismus: Omnia quæ euenient à causa, qua posita, necessariò sequitur quòd euenient, & cuius positio non est nec erit antecedenter in alterius potestate secundum contradictionem, euenient de necessitate respectu illius causæ, ita quod non est, nec erit antecedenter in alterius potestate secundum contradictionem quin euenient; Omnia quæ euenient, euenient à causa huiusmodi. Adhuc autem expressiùs isto modo; Omnia quæ euenient à voluntate diuina
C hoc modo, quòd illa posita, necessariò sequitur quòd euenient, & quòd illa ponatur, non est nec erit antecedenter in alterius potestate libera secundum contradictionem, euenient de necessitate respectu voluntatis diuinę, ita quòd non est, nec erit antecedenter in alterius potestate libera secundum contradictionem quin euenient: Omnia quæ euenient, euenient à voluntate diuina hoc modo prędicto. Maior potest ostendi per definitionem necessitatis naturaliter præcedentis, & sui effectus secundo huius præmissam; isto verò notorio coassumto, quòd effectus futurus causæ quæ est necessaria in causando, & necessitas antecedens ad intellectum definitionis prætactæ non potest aliter esse antecedenter in alterius potestate libera secundum contradictionem, nisi quantum ad positionem vel non positionem causæ, sicut illuminatio futura huius diaphani ab hac lucerna, est in mea libera potestate, quia possum liberè amouere, vel non amouere, extinguere vel non extinguere hanc lucernam. Aliter enim, scilicet quòd stante tali causa sit in alterius potestate secundum contradictionem, effectum euenire vel non,
D implicat contradictoria manifestè. Implicat etenim, quòd aliqua causa sit necessitas naturaliter antecedens ad intellectum definitionis secundo huius præmissæ, & quod eadem ad eundem intellectum non sit necessitas naturaliter antecedens. Nam si huiusmodi causa stante, sit in alterius contradictoria potestate, suum effectum nullatenus euenire, ex ipsa plenè posita non necessariò nec indefectibiliter sequitur causatum suum causari: ergo per definitionem prætactam illa causa non est necessitas naturaliter antecedens, quæ tamen secundum hypothesin ponitur necessitas naturaliter antecedens. Minorem verò demonstrat corollarium noni primi, cum decimo, & octauum istius. Amplius autem secundum præmissa 15. & 23. secundi, voluntas diuina necessitat quodammodo quadam necessitate spontanea Angelos, hominesque beatos, & finaliter confirmatos ad beatificum actum suum æternaliter conseruandum, ad nunquam peccandum, & ad cætera quæ ad beatitudinem pertinent vniuersa; quæ & tam efficax est & firma respectu omnium aliorum, sicut præhabita docuerunt, quia infinitæ
E virtutis simpliciter omniquaque. Verùm ne in re tanta tantillus quicquam videar minus sobriè sapere, perperam agere, aut temerè affirmare, ecce maiorum meorum magna & conuenientia testimonia ad hoc ipsum. Dicit siquidem sapiens Ecclesiastici 42. Cognouit Dominus omnem scientiam, & inspexit in signum æui, annuntians quæ præterierunt & quæ superuentura sunt, reuelans vestigia occultorum: non præterit illum omnis cogitatus, & non abscondit se ab eo vllus sermo; Magnalia sapientiæ suæ decorauit, quæ est ante sæculum & vsque in sæculum, neque adiectum est, neque minuetur, & non eget alicuius consilio. Quam desiderabilia sunt omnia opera eius, & tanquam scintilla quæ est considerare! Omnia hæc viuunt, & manent in sæculum, & in omni necessitate omnia obaudiunt ei. Vnde & Augustinus 6. super Gen. ad literam 21. loquens de factione primi hominis de limo in ætate virili, sic ait; Manifestum

Ecclesiasticus.

Augustinus.

nifestum est sic non factũ esse hominem, contra quod erat in illa prima conditione, causarum scilicet inferiorum, quia ibi erat etiam sic fieri posse, quamuis ibi non erat ita fieri necesse. Hoc enim non erat in conditione creaturæ, sed in beneplacito Creatoris, cuius voluntas rerum est necessitas. Et cap. 22. Est quippe in natura huius iuuenis vt senescat, sed vtrum hoc sit etiam in Dei voluntate nescimus; sed nec in natura esset, nisi in Dei voluntate priùs fuisset, & vtique occulta est ratio senectutis in corpore iuuenili: Neque enim oculis cernitur, sed alia quadam notitia colligitur; occulta ergo est ista ratio, qua fit vt hoc esse possit, sed oculis, menti autem non est occulta; vtrum autem hoc etiam necesse sit omni modo nescimus, & illam verò qua fit vt esse possit, in natura ipsius corporis nouimus; illam verò, qua fit, vt necesse sit, manifestum est illuc non esse; sed fortassis in mundo est vt necesse sit istum senescere: si autem nec in mundo est, in Deo est; hoc enim necessariò futurum est quod ipse vult, & ea verè futura sunt quæ ille præsciuit. Nam multa secundum inferiores causas futura sunt, sed si ita sunt in præscientia Dei, verè futura sunt; si autem ibi aliter sunt, ita potiùs futura sunt, sicut ibi sunt, vbi qui præscit, falli non potest. Nam futura dicitur † iuuentus in senectute; sed tamen futura non est, si ante moriturus est: hoc autem ita erit, sicut se habent aliæ causæ siue in mundo contextæ, siue in Dei præscientia reseruatæ; Nam secundum quasdam futurorum causas moriturus erat Ezechias, cui Deus addidit quindecim annos ad vitam; id vtique faciens, quod ante constitutionem mundi se facturum esse præsciebat, & in sua voluntate seruabat; Nec illi additi rectè dicerentur, nisi ad aliquid adderentur, quod se aliter in alijs causis habuerat; secundum aliquas igitur causas inferiores iam vitam finierat; secundum illas autem quæ sunt in voluntate & præscientia Dei, qui ex æternitate nouerat quid illo tempore facturus erat, & hoc verè futurum erat, tunc erat finiturus vitam quando finiuit vitam; quia etsi oranti concessum est, etiam sic eum oraturum, vt tali oratione concedi oporteret, ille vtique præsciebat, cuius præscientia falli non poterat: & ideo quod præsciebat, necessariò futurum erat. Lumbardus etiam 2. sentent. distinct. 18. allegat Augustinum dicentem, vt mulierem fieri de costa viri necesse foret, non in rebus conditum, sed in Deo absconditum erat, & potest sententialiter elici ex 9. super Gen. ad literam 28. Item Ambrosius super illud ad Rom. 9. vt secundum electionem propositum Dei maneret, &c. In illo, inquit, quem elegit, propositum Dei manet, quia aliud non potest euenire quàm sciuit & proposuit in illo, vt salute dignus sit; & in illo quem spernit, simili modo manet propositum quod proposuit de illo, quia indignus erit. Idem super illud 1. Cor. 7. Quid enim scis mulier, si virum saluum facias? &c. Hoc, inquit, dicit quia forte possunt credere, sicut vnicuique diuisit Dominus, diuisit Dominus vnicuique quando saluetur, hoc est, scit quando potest credere, & sustinet illum. Item B. Cypr. epist. 3. intitulata De lapsis, sic ait; Cùm corona martyrij de Dei dignatione descendat, nec possit accipi nisi fuerit hora sumendi, quisquis in Christo manens interim cedit, non fidem denegat, sed tempus expectat. Item 1. Esdr. 5. Oculus Dei eorum factus est super senes Iudæorum, & non potuerunt inhibere eos. Hanc etiam necessitatem secundum causas superiores prædictam tam non faciendo, quàm etiam faciendo, beatus Iob diuersis locis euidenter ostendit. Quinto namque capitulo loquens de Deo, sic ait, Qui dissipat cogitationes malignorum, ne posint implere manus eorum quod cœperant. Et infra 14. Breues dies hominis sunt, Numerus mensium eius apud te est: & vt ostendat quomodo sit apud eum, quia per modum necessitatis prædictæ, subiungit; Constituisti terminos eius, qui preteriri non poterunt. Et inferius 23. Nemo auertere potest cogitationes eius; & Anima eius, quodcunque voluit, hoc fecit. Super primum autem istorum B. Greg. 6. Moral. 12. ita dicit, Supernæ voluntati cognitæ debet nostra actio deuotè famulari, & quasi ducem sui itineris persequi, ne ei etiã nolens seruiat, si hanc superbiens declinat: vitari enim vis superni consilij nequaquam potest. Cui & satis concordat illud Tob. 3°. Non est in hominis potestate consiliũ tuũ: & illud Esa. 14. Dominus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare? & illud Ierem. 47. de mucrone Domini non potente quiescere, cũ Dominus præcepit ei motũ vindictæ, sicut 32°. primi pleniùs allegatur. Et illud supra eiusdem 10. Scio, Domine, quod non est hominis via eius, nec viri est vt ambulet & dirigat gressus suos: Glossa, Erubescant qui aiunt vnumquemque suo regi arbitrio: Non est enim hominis via eius: Vnde Dauid, A Domino gressus hominis dirigetur: & Parab. 20. A Domino diriguntur gressus viri: Glossa, Non libertate arbitrij. Nec potest quis exponere ista de || *bonis vijs* seu gressibus bonis tantum, sicut 32um. primi ostendit. Super secundam verò autoritatem Iobi præmissam B. Gregorius 12. Moral. 1. dicit, quod in profectu virtutum homo conatur bonum apprehendere, & non valet quia omnipotens Deus terminos constituit homini qui præteriri non poterunt, sicut 46um. primi pleniùs allegauit: qui & infra eiusdem 16. super illud Iob 15. Antequam dies eius impleantur, peribit, sic

Margin notes: A; B; † senectus in iuuentute; *Lumbardus.*; C; *Ambrosius.*; *Esdras.*; D; *Iob.*; *Gregorius.*; *Tobias.*; *Esaias.*; *Ieremias.*; E; *Glossa.*; *Dauid.*; *Parab.*; || bona via; *Gregorius.*

A ſic ait; Præfixi dies ſingulis ab interna Dei præſcientia, nec augeri poſſunt nec minui, niſi contingat vt ita præſciantur, vt aut cum optimis operibus longiores ſint, aut cum peſsimis breuiores; ſicut Ezechias augmentum dierum meruit impenſione lachrymarum. Sed ne quis credat Gregorium affirmare, præordinationem ſeu præſcientiam Dei à futuris operibus dependere, audiat eum ſupra eiuſdem 1. de eodem Ezechia dicentem, per Prophetam Dominus dixit quo tempore mori ipſe merebatur, per largitatem verò miſericordiæ illo eum tempore ad mortem diſtulit, quod ante ſæcula ipſe præſciuit. Nec Propheta igitur fallax, quia tempus mortis innotuit, quo vir ille mori merebatur; nec || *dominica* ſtatuta conuulſa ſunt, quia vt ex largitate Dei anni vitæ creſcerent, hoc quoque ante ſæcula prefixum fuit, atque ſpatium vitæ quod inopinatè foris eſt additum, ſine augmento præſcientiæ fuit intus ſtatutum. Idem quoque 16. Moral. 4. ſuper illud Iob 22. Qui ſublati ſunt ante tempus ſuum, ſic ait; Omnipotens Deus illud tempus vniuſcuiuſque ad mortem præſcit, quo eius vita ter-
B minatur, nec in alio tempore quiſquam mori potuit niſi ipſo quo moritur. Nam ſi Ezechiæ anni additi ad vitam quindecim memorantur, tempus quidem vitæ creuit ab illo termino quo mori ipſe merebatur. Nam diuina diſpoſitio eius tempus tunc præſciuit, quo hunc poſtmodum ex præſenti vita ſubtraxit. Cùm ergo ita ſit, quid eſt quod dicitur, quia iniqui ſublati ante tempus ſuum, niſi quòd omnes qui præſentem vitam diligunt longiora ſibi eiuſdem vitæ ſpacia promittunt? Sed cùm eos mors ſuperueniens à præſenti vita ſubtrahit, eorum vitæ ſpatia, quæ ſibi longiora quaſi in cogitatione tendere conſueuerant, intercidit. Idem adhuc infra eiuſdem 15. ſuper illud Iob 23. ſuperius allegatum, Nemo auertere poteſt cogitationes eius, ſic ait; De cuius mox immutabilitate aptè ſubiungitur, Et nemo auertere poteſt cogitationes eius: ſicut enim immutabilis naturâ eſt, ita immutabilis cogitatione; cogitationem quippe eius nullus auertet, quia nemo reſiſtere occultis eius iudicijs præualet. Nam etſi fuerunt quidam, qui deprecationibus ſuis eius cogitationem auertiſſe viderentur, ita fuit eius
C interna cogitatio, vt ſententiam illius auertere depræcando potuiſſent, ac ab ipſo acceperunt quod agerent apud ipſum. Dicat ergo, & nemo auertere poteſt cogitationem eius, quia ſemel fixa iudicia mutari nequaquam poſſunt: vnde ſcriptum eſt, Præceptum poſuit, & non præteribit; & rurſum, Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt: & rurſum, Non enim cogitationes meæ ſicut cogitationes veſtræ, neque viæ meæ ſicut viæ veſtræ. Cùm ergo exterius mutari videtur ſententia, interius conſilium non mutatur, quia de vnaquaque re immutabiliter intus conſtituitur, quicquid foris mutabiliter agitur. Nec debet quenquam mouere quod dicit, Diuinam ſententiam depræcationibus poſſe auerti: hoc enim ſatis exponitur 25. primi; & quia hic dicit quòd Dei cogitatio, iudicia, & conſilium mutari non poſſunt, ſicut & ſupra eiuſdem 4. ſuper autoritatem Iob 22. præmiſſam dicit, Deum plerunque mutare ſententiam, conſilium autem nunquam. Hanc etiam ſententiam planiſsimè teſtatur eiuſdem autoritas 27. Moral. 22 quam 30. ſecundi plenius allegauit. Iſtam quoque
D neceſsitatem futurorum ſecundum cauſas ſuperiores, non ſecundum cauſas inferiores oſtendit Anſelmus De concordia, ſub alijs tamen verbis. Oſtendit enim futura vno modo euenire ex neceſsitate, & alio modo ex libertate; quia ſcilicet reſpectu voluntatis diuinæ neceſſariò euenient, reſpectu verò voluntatis creatæ nequaquam; & quia apud Deum, & in æternitate ſunt immutabiliter conſtituta, ſed apud creaturam, & in tempore mutabiliter: vnde capit. 2. Sicut, inquit, neceſſe eſt eſſe quicquid Deus vult, ita eſſe neceſſe eſt quod vult homo in his quæ Deus ita ſubdit humanæ voluntati, vt ſi vult, fiant; ſi non vult, non fiant. Quoniam enim quod Deus vult, non poteſt non eſſe, cùm vult hominis voluntatem nulla cogi vel prohiberi neceſsitate ad volendum vel nolendum, & vult effectum ſequi voluntatem, tunc neceſſe eſt voluntatem eſſe liberam & eſſe quod vult. Et infra, Opus voluntatis cui datum eſt, vt quod vult fit, & quod non vult non ſit, voluntarium ſiue ſpontaneum eſt, quoniam ſpontanea voluntate fit, & bifariàm eſt neceſſarium quia voluntate cogitur fieri, & quod fit non poteſt ſimul non fieri. Qui & infra 3. ita dicit, Nihil prohibet aliquid ſciri vel præſciri a Deo in noſtris || *voluntatibus* & actionibus fieri aut futurum eſſe per liberum arbitrium, vt quamuis neceſſe ſit eſſe quod ſcit vel præſcit, multa tamen ſint nulla neceſsitate, ſupple inuita, ſed libera voluntate; nempe quid mirum ſi hoc modo aliquid eſt, ex libertate ſcilicet reſpectu noſtri, & ex neceſsitate, ſcilicet reſpectu diuinæ præſcientiæ ſiue ſcientiæ, cùm ſint quæ recipiunt oppoſita diuerſa ratione, ſicut idem ire eſt adire & abire reſpectu diuerſorum locorum? Et ſequitur, Si verò per hoc quod de homine dicit Iob Deo, Conſtituiſti terminos eius qui præterire non poterunt, vult aliquis oſtendere, quia nullus potuit accelerare vel differre diem in qua moritur, quamuis aliquando nobis videatur aliquis facere ex libera voluntate vnde moritur, non eſt quod obijcitur contra hoc quod ſupra diximus. Nam quoniam Deus non fallitur, nec videt

Marginalia: || diuina — *Anſelmus.* — *Anſelmus.* — || volutionibus.

det nisi veritatem, siue ex libertate, siue ex necessitate eueniat, dicitur constituisse apud se A immutabiliter, quod apud hominem priusquam fiat, mutari potest. Tale etiam est quod Paulus Apost. de his qui secundum propositum vocati sunt Sancti, dicit, Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus: Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, & quos iustificauit, illos & magnificauit. Hoc quippe propositum secundum quod vocati sunt Sancti in æternitate, in qua non est præteritum vel futurum, sed tantùm præsens, immutabile est; sed in ipsis hominibus ex libertate arbitrij aliquando est mutabile. Sicut enim quamuis in æternitate non fuit aliquid, aut erit aliquid, sed tantum est, & tamen in tempore fuit & erit aliquid sine repugnantia; ita quod in æternitate mutari nequit, in tempore aliquando per liberam voluntatem antequam sit esse mutabile probatur absque inconuenientia. Vt autem ostenderet idem Apostolus, non illa verba se pro temporali significatione posuisse, illa etiam quæ futura sunt præteriti verbo temporis pronuntiauit: Nondum enim quos præsciuit adhuc nascituros, sic iam temporaliter vocauit, iustificauit, [magnificauit]. Vnde cognosci potest eum propter indigentiam verbi signantis æternam præsentiam vsum esse verbo præteritæ significationis; quoniam quæ tempore præterita sunt, ad similitudinem æterni præsentis omnino immutabilia sunt; in hoc siquidem magis similia sunt æterno præsenti temporaliter præterita quàm præsentia, quoniam quę ibi sunt, scilicet in æternitate, nunquam possunt non esse præsentia, sicut temporis præterita non valent vnquam non esse præterita; præsentia verò tempore, omnia quæ transeunt, fiunt non præsentia. Et capit. 4. subiungit, Hoc ergo modo, quicquid de his quæ libero fiunt arbitrio velut necessarium sacra Scriptura pronuntiat, secundum æternitatem loquitur, in qua præsens est omne verum, & non nisi verum immutabiliter non secundum tempus, in quo non semper sunt actiones & voluntates nostræ; cùm autem res tam aliter cognoscatur esse in tempore quàm in æternitate, vt aliquando verum sit, quoniam aliquid non est in tempore quod est in æternitate, & quia fuit in tempore quod ibi non fuit, & erit temporaliter quod non ibi erit; Nulla ratione negari videtur C posse similiter aliquid esse in tempore mutabile, quod ibi est immutabile; quippe non magis opposita sunt, mutabile in tempore & immutabile in æternitate, quàm non esse in aliquo tempore, & esse semper in æternitate, & fuisse, vel futurum esse secundum tempus, atque non fuisse, aut non futurum esse in æternitate; sic vtique sine vlla repugnantia dicitur aliquid esse mutabile in tempore antequam sit quod in æternitate manet immutabiliter non antequam sit vel postquam est, sed indesinenter, quia nihil est ibi secundum tempus. Annon & istam sententiam multi præclari Prophetæ confirmant, sicut docet clarissimè series veteris testamenti? Annon & Sibylla prophetans de Christo, & de multis eum concernentibus, dicit ita, O Iudæi, necesse est ista fieri, sicut trigesima secunda pars corollarij primi, primi pleniùs recitauit? Decem siquidem leguntur Sibyllæ Gentiles omnes prophetissæ præclaræ: Hæc autem Sibylla Græcè cognominata fuit Tiburtina, Latinè D Ebulnea; quam tamen Augustinus 18. de Ciuit. Dei 23. & 24. Erithræam, siue secundum quosdam Cumæam cognominat: cuius & sub isto cognomine meminisse videtur Virgilius in Bucolicis, ecloga quarta sic dicens, Vltima Cumæi venit iam carminis ætas; carminis Cumæi, id est, carminis Sibyllæ Cumanæ secundum Seruium in commento: & sequitur consequenter, Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo, Iam redit & Virgo redeunt Saturnia regna, Iam noua progenies cœlo dimittitur alto, &c. quæ omnia ad Christum satis possunt aptari, sicut & facit Hieronymus in epistola procemiali Bibliæ prælibata. Hanc dicit Augustinus 18. de Ciuit. Dei 23. & 24. tempore Achas seu Ezechiæ Regis Iudæ & Romuli ac Romæ conditæ, siue vt nonnulli scripserunt, tempore belli Troiani fuisse. Cuius etiam aliquas prophetias de Christo, prout in libro eius scribuntur, Lactantius in libro suo Institutionum diuinarum aduersus Gentes allegat; quod & Augustinus 18. de Ciuit. Dei dignè commemorat. Huius quoque Sibyllæ versuum trigesima tertia parte corollarij primi, primi scriptorum sacrosancta Ecclesia meminit in quadam sequentia de Natali sic canens, Si non suis vatibus credat, vel gentibus Sibyllinis versibus hæc prædicta. Hæc idcirco cumulatiùs protuli, ne huius Sibyllæ sapientis autoritas contemnenda forsitan putaretur. Dicit ergo hæc Sibylla prophetans multa de Christo, necesse est ista fieri. Annon & istam sententiam ipsemet Dominus prophetarum, ac Autor ipse fidelis fidei fideliter autorisat, cùm dicit, Necesse est impleri omnia, quę scripta sunt in lege Mosis & Prophetis, & Psalmis de me. Luc. 24. Quare & simili ratione necesse est impleri omnia, quæ in libro vitę, in mente, & in voluntate diuina sunt scripta, & ibi omnia futura ęternaliter & immutabiliter, distinctissimè & certissimè sunt conscripta, sicut præhabita docuerunt. Amplius autem nisi talis necessitas supponatur,

Sibylla *Lactantius.* *Lucas.*

A natur, possibile est totam sanctam Dei Ecclesiam ruere, cadere, deficere, & perire, totam Petri nauiculam pati naufragium, & submergi, totam fidem Christi ante consummationem sæculi, etiam cras vel hodie deficere & cessare; quinimo & quoad omnes eius articulos de futuro esse & semper fuisse erroneam, falsam, fatuam, & fallacem, & Christum fuisse Pseudo-Prophetam, seductorem, mendacem & falsum, sanctos quoque Christi Apostolos, Martyres, [Confessores] olim in hac fide fideliter transeuntes non esse, nec vnquam fuisse saluatos, sed semper damnatos, aut fidem fictam sufficere ad salutem, quod quis Christi discipulus, quin potius Antichristi, quis sanctæ matris Ecclesiæ filius, quin potius synagogæ Satanæ, quis Catholicus, quin potius hæreticus præsumserit affirmare, cum sit tam absonum, tam absurdum, tam horribile, tam execrabile auribus Christianis? Quis insuper Christianus nesciat Christum esse lapidem angularem, & fundamentum Ecclesiæ militantis? Et quale fundamentum debile, labile, & infirmum, absit hoc ab animo Christiani vel leuiter somniare.

B Nonne ideo Christus comparat Christianum fidelem ædificanti domum suam supra petram, quam nulla tempestas subruit, aut euertit? Cuius causam assignat, quia ædificata erat supra petram, sicut Matth. 7. recitatur: super quod Chrysostomus, Ecclesia, inquit, ædificata a Christo dirui non potest. Vnde & Augustinus de verb. Dom. serm. 13. Hoc ei nomen vt Petrus appellaretur à Domino impositum est, & hoc in ea figura, vt significaret Ecclesiam: quia enim Christus petra, Petrus populus Christianus. Petra enim principale nomen est; ideo Petrus à petra, non petra à Petro; quomodo non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus, & super hanc petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam: Super me ædificabo te, non me super te. Discernamus quid de Deo, quid de nostro; tunc enim non turbabimur, tunc in petra fundabimur, fixi & stabiles erimus aduersus ventos, imbres, & flumina, tentationes videlicet præsentis sæculi. Illum tamen videte Petrum, qui tunc erat figura nostra, modò fidit, modò titubat, modò immortalem confitetur,

C modò timet ne moriatur: proinde quia Ecclesia Christi habet firmos, habet & infirmos, nec sine firmis esse potest nec sine infirmis. Quare & Apostolus, Fundamentum, inquit, aliud nemo potest ponere, pręter id quod positum est, qui est Christus Iesus, 1. ad Cor. 3. & iterum, Firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc, Nouit Deus qui sunt eius; nouit inquam, Dominus qui sunt eius, cognoscendo & volendo, ædificando & custodiendo, & hoc infallibiliter, insuperabiliter, & immutabiliter, & ideo firmum fundamentum Dei stat. Et quam firmum? firmius proculdubio quocunq; alio fundamento debili, labili, corruptibili, temporali, terrestri vel cœlesti, sicut præmissa testantur: quare & glossa; Firmum fundamentum Dei stat, .i. illi quos Deus elegit, & immobiliter in fide fundauit. Nonne & hoc est, quod Propheta figurate pręd ixit, Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi, Psalmo 103. & iterum, Aedificauit sicut vnicornis sanctificium suum in terra quam fundauit in sæcula, Psal. 77. & iterum, Firmauit orbem terræ qui non commouebitur Psal. 92.

D Huius autem totius causam assignans Psal. 118. sic ait, In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo, in generatione & generationem veritas tua: fundasti terram, & permanet, ordinatione tua perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi. Beatus || *siquidem* Augustinus super hæc loca per terram intelligit Ecclesiam, quę adhuc peregrinatur in terra; qui & super illud Psal. 103. recitatum serm. 1. Terram, inquit, intelligo Ecclesiam: quæ est firmitas eius, super quam fundata est, nisi fundamentum eius? An incongruè intelligimus firmitatem, super quam fundata est terra, fundamentum vbi constituta est Ecclesia? Quod est illud fundamentum? Fundamentum, inquit,* nemo potest ponere, præterquam quod positum est, quod est Christ9 Iesus. Ibi ergo firmati sumus meritò, quia ibi firmati non inclinamur in sæculum sæculi. Nihil enim firmius isto fundamento. Infirmus tu eras, sed firmum fundamentum te portat: in te firmus esse non poteras; firmus eris semper, si ab illo firmo fundamento non recedas, non inclinabitur in sæculū sæculi: Ipsa est prædestinata columna & firmamentū veritatis. Et infra

||quoque

*aliquod

E serm. 2. Fundauit terram super firmitatem eius, .i. firmauit Ecclesiam super fundamentū Christum. Nutabit Ecclesia, si nutauerit fundamentum. Et vnde nutabit Christus? Qui antequam veniret ad nos & carnem susciperet, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, qui omnia continet maiestate, & nos bonitate. Non nutante Christo non inclinabitur in sæculum sęculi; vbi sunt qui dicunt perijsse de mundo Ecclesiam, quando nec inclinari potest? Vbi & Cassiod. Mysticè, inquit, accipi potest quod Ecclesia super ipsū fundata inclinari non potest? Nonne & hoc est quod ipsemet Christus insinuat, ita dicens, Oues meę vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternū, & non rapiet eas quisquam de manu mea? Pater meus, qui dedit mihi, maior omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei: Ego & Pater vnū sumus, Ioh. 10. Nōne

Cassiodorus.

Ioannes.

& hoc est quod docet Apostolus ad Rom.8.cùm dicit, Quis separabit nos à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio &c? Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Propter eum, inquit, non propter nos ipsos. Et sequitur, Certus sum enim quia nec mors neque vita &c. poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Et 2.ad Tim.2. Fidelis sermo: nam si commortui sumus,& conuiuemus; si sustinemus, & corregnabimus; ille, qui fidelis permanet, negare seipsum non potest. Num etiam Christi promissio potest esse falsa, fallax & mendax, qua dixit; Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi Math vlt.? Num & illa oratio Christi magna ad patrem, qua ipsum rogauit pro suis vt ipsos seruaret, & illa qua rogauit pro Petro ne deficeret fides sua, & illa positio qua electos discipulos posuit vt irent & fructus afferrent, & fructus eorum maneret Ioh. 17. Luc. 22 & Ioh. 15. recitata, potest esse irrita, vacua, & inanis? Absit hoc vel leuiter cogitare, quia tunc Christus || *posset* esse & fuisse non Christus, videlicet non verus Christus, sed pseudo-Christus & falsus aut nullus. Nonne & verus Christus veraciter dixit ita, Surgent pseudo-Christi, & pseudo-Prophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem ducantur, si fieri potest, etiam electi sicut Matth. 24. claret? Ecce vera consequentia veri Christi: si fieri potest, electi in errorem ducentur: quare & secundum veram Logicæ disciplinam, ex opposito consequentis oppositum antecedentis vere infertur: Consequitur ergo verè, Nulli electi in errorem ducentur, sicut innuit ibi Christus; ergo hoc fieri nusquam potest, Christo electore ipsorum ipsos insuperabiliter conseruante. Quare & beatus Greg. 1. super Ezech. homilia 9. tractans Christi consequentiam recensitam, Vnum, inquit, ex duobus est, quia si electi sunt, fieri non potest; si autem fieri potest, electi non sunt: qui & 14. Moral. 8. super illud Iob. 18. In diebus eius stupebunt nouissimi, & primos inuadet horror, tractans consequentiam Christi dictam, sic ait, Et si electi sunt vt tormentis vinci nequeant, per hoc tamen quod homines sunt, & ipsa metuunt tormenta quæ vident: & 33. Moral. 31. super illud Iob. 41. De naribus eius procedit fumus, consequentiam illam tractans, sic ait, Si fieri potest subiungitur, quia proculdubio fieri non potest, vt in errorem plene electi capiantur. Cui & concordat Augustinus, De fide ad Petrum 67. Firmissime tene & nullatenus dubites omnes, quos vasa misericordiæ eius gratuita bonitate Deus fecit ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo, nec perire posse aliquem eorum quos Deus prædestinauit ad regnum, nec quenquam eorum quos Deus non prædestinauit ad vitam vlla posse ratione saluari. Idem de correptione & gratia 21. Illi, inquit, electi, qui secundum propositum vocati sunt, qui etiam prædestinati atque præsciti, horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus: horum si quisquam generaliter perit, vitio humano vincitur Deus; sed nemo eorum perit, quia à nulla re vincitur Deus. Idem & 26. Quid commoliturus es contra verba dicentis, Rogaui pro te, Petre, ne deficiat fides tua? An audebis dicere, etiam rogante Christo ne deficeret fides Petri defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam vsque in finem perseuerare noluisset, quasi aliud Petrus vllo modo vellet, quam pro illo Christus rogasset vt vellet? Nam quis ignorat tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea qua fidelis erat, voluntas ipsa deficeret, & permansuram, si eadem voluntas maneret? Sed quia præparatur voluntas à Domino, ideo pro illo Christi non posset esse inanis oratio; quando rogauit ergo ne fides eius deficeret, quid aliud rogauit, nisi vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, inuictissimam, & perseuerantissimam voluntatem? Ecce quemadmodum secundum gratiam Dei, non contra eam libertas defenditur voluntatis: voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem, & vt perseueret delectabilem perpetuitatem & insuperabilem fortitudinem. Idem 34. quicunque in Dei prouidentissima dispositione præsciti, prædestinati, vocati, iustificati sunt & glorificati, non dico etiam nondum renati, sed etiam nondum nati, iam filij Dei sunt, & ideo omnino perire non possunt. Idem 35. Petrus secundum propositum vocatus erat, vt nemo eum posset eripere de manu Christi cui datus erat. Idem 53. Christo discipulos sic ponente vt eant & fructum afferant & fructus eorum maneat, Quis audeat dicere, forsitan non manebit? Sine pœnitentia enim sunt dona Dei & vocatio; sed vocatio eorum, qui secundum propositum vocati sunt. Adhuc autem & idem de verbis Domini sermone 14. tractans illud Matth. 14. quomodo Christo orante in monte nauicula in mari fluctibus iactabatur, sic ait, Dum ille orat in excelso, nauicula turbatur fluctibus in profundo. Quia insurgunt fluctus, potest ista nauicula turbari; sed quia Christus orat, non potest mergi. Nauiculam quippe istam, fratres, Ecclesiam cogitate; turbulentum mare hoc sæculum. Amplius autem per 28. primi, omnia fient fato à diuino famine nuncupato: fatum autem necessitatem importat, vt patet per omnes de ipso loquentes, & per autoritates ibi adductas. Dicitq; Boetius super 1. peri hermenias vlt. Omnia

Marginalia: A; B; || potuit; *Gregorius.*; C; *Augustinus*; D; E

A Omnia quæ fatalis agit ratio, sine dubio ex necessitate contingunt: quod & vult Ammonius *Ammonius.*
super eundem locum, sicut 10. huius fuerat allegatum. Iosephus etiam 7. de Iudaico bello 8. *Iosephus.*
Homines, inquit, fatum vitare non possunt, etiamsi præuiderint. Vnde & Poeta,

Desine fata Deum flecti sperare precando. *Poeta.*

Hoc idem planè testantur autoritates Augustini 5. de Ciuit. Dei 9. & Isidori 8. Ethic. 45. ex- *Augustinus.*
ponentes illud Psalmi 61. Semel loquutus est Deus, id est, immobiliter, hoc est, incommu- *Isidorus.*
tabiliter loquutus est, sicut nouit incommutabiliter omnia quæ futura sunt, & quæ facturus
est, sicut 28. primi plenius recitauit. Idem de spiritu & litera 29. Scriptum est, inquit, Se- *Augustinus.*
mel loquutus est Deus, hoc est, incommutabiliter, quanquam & de vnico verbo posit intel-
ligi. Boetius quoque 4. de consolatione Philosophiæ prosa 6. sic ait; Hæc fati series seu pro- *Boetius.*
uidentia, actus fortunasque hominum indissolubili causarum connexione constringit; quæ
B causæ cùm ab immobilis prouidentiæ proficiscantur exordijs, ipsas causas quoque immuta-
biles esse necesse est. Ita enim res optimè geruntur, si manens in diuina mente simplicitas in-
declinabilem causarum ordinem promat: hic verò res mutabiles propria incommutabilitate
coerceat. Et infra, Deus malum omne de reipublicæ suæ terminis per fatalis seriem necessi-
tatis eliminat. Amplius autem & Hermes pater Philosophorum de verbo æterno 43. Ascle- *Hermes.*
pio quærenti de *heimarmene* ita respondet, O Asclepi, ea est necessitas omnium quæ geruntur *εἱμαρμένη*
semper sibi catenatis nexibus iuncta: hoc itaq; est aut effectrix rerũ aut Deus summus, aut sub
ipso Deo qui secundus effectus est Deus, aut omnium cœlestium terrenarumque rerum fir-
mata diuinis legibus disciplina. Hoc itaque modo heimarmene, & necessitas ambæ sibi inui-
cem in diuino connexæ sunt glutino; quarum prior, heimarmene, rerum omnium initia pa-
rit, necessitas verò cogit ad effectum quæ ex illis primordijs pendent: has ordo consequitur,
id est, textus, & dispositio temporis & rerum perficiendarum. Nihil enim est sine ordinis
C compositione, vel in omnibus mundus ordine gestatur, vel totus constat ex ordine. Hæc er-
go tria, heimarmene, necessitas, ordo, vel maximè nutu Dei sunt effecta, quæ mundum gu-
bernant sua lege, & ratione diuina: ab his ergo omne velle aut nolle diuinitùs aduersum est
totum. Hæc irâ non commouentur, nec flectuntur gratia, sed seruiunt necessitati rationis
æternæ; quæ æternitas inauersibilis, immobilis, & insolubilis est. Prima ergo heimarmene est,
quæ iacto velut semine futurorum omnium sufficit prolem; sequitur necessitas, qua ad effe-
ctum incoguntur omnia; tertius ordo textum seruans omnium rerum, quas heimarmene ne-
cessitasque disponunt. Qui & De mundo & cœlo 1. agens de prima causa, ratione, & mente *Hermes.*
diuina, sic ait; Cuncta regit & componit: illic iunguntur in specie in indiuiduali singularitate
conscripta, quicquid *hyle*, quicquid mundus, quicquid mundi machina, quicquid tempus, *ὕλη*
quicquid in temporalibus parturiunt elementa: illic textus operis fatalis series, sæculorum
D dispositio, temporalium omnium meta summi digito dispositoris exarata, illic nodus perpe-
tuitatis. Quem & eius filius Aristoteles imitatus in De mundo vlt. ostendens quare Deus,
cùm sit vnus, est multinomius, declaratisque multis eius nominibus cum suis causis, sicut
tertium primi allegat, assignat causam horum quatuor nominum diuinorum, Necessitas,
Heimarmene, Nemesis, Adrastia. Sciendum namque secundum Damascenum in sententijs *Damascenus*
suis 39. quòd apud Græcos 6. famosa principia ponebantur, scilicet Deus, necessitas heimar-
mene, quod secundum eum interpretatur fortuna, natura, euentus, & casus. Dicit igitur
Philosophus vbi prius, Reor autem & necessitatem nihil aliud dici, nisi hoc, quasi insupera- *Philosophus.*
bilem substantiam; heimarmenen verò, eo quod copulat & disiungit; Nemesin à distributi-
one vnicuique facta; Adrastiam verò ineuitabilem causam entem. Vbi & consequenter ex-
ponens tria statuta fatalia, scilicet Atropos præteriti, Lachesis futuri, & Clotho præsentis, sic
ait; Perficitur autem fabula non inordinatè; sunt autem hæc omnia nihil aliud nisi Deus,
quemadmodum & strenuus ait Plato. Fatum ergo seu famen diuinum, quo omnia fando
E disponit, secundum Augustinum, Isidorum, Hermetem, Aristotelem, & Platonem, aliosque
Autores, immutabilitatem, incommutabilitatem, indissolubilitatem, indeclinabilitatem, ne-
cessitatem, & ineuitabilitatem importat. Quod & Autoris fidei fidelis sermo testatur: Cœ-
lum, inquit, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt, seu transient, Matth. 24.
Marc. 13. & Luc. 21. quod & Luc. 16. sic exponit: Facilius est cœlum & terram præterire,
quàm de lege vnum apicem cadere. Et Matth. 5. Amen dico vobis, donec transeat cœlum &
terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant: Vnde & Ioh. 10.
Non potest solui scriptura. Quibus & concordat illud Ierem. 31. Hæc dicit Dominus, qui
dat Solem in lumen diei, ordinem lunæ & stellarum in lumen noctis, qui turbat mare, & so-
nant fluctus eius; si defecerint leges istæ coram me, tunc & semen Israel deficiet, vt non sit
coram me cunctis diebus. Glossa, quomodo rerum maximè cœlestium astrorum non potest

 ordo

ordo mutari, & maris fluctus voluitur ad littora, & fragor gurgitum terribilis auditur, nec A
vitra præceptum progreditur, vnde terminum posuisti quem non transgredientur; sic semen
Israel Domini voluntate perpetuum erit, nec aliquando cessabit. Et sequitur in Propheta;
Hæc dicit Dominus, Si mensurari poterint cœli desursum, & inuestigari fundamenta terræ
deorsum, & ego abijciam vniuersum semen Israel propter omnia quæ fecerunt. Glossa;
Ieremias. Sicut hoc impossibile est, ita & illud. Infra quoque 33. Hæc, inquit Propheta, dicit Dominus,
Si irritum fieri potest pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non sint
dies & nox in tempore suo, & pactum meum irritum esse poterit cum Dauid seruo meo, vt
non sit ex eo filius qui regnet in throno eius, & Leuitæ, & Sacerdotes ministri mei: super
quod glossa supra dixit de creatione Solis, & Lunæ, & stellarum, & cursu eorum, quia eorum
leges mutari non possunt; nunc similiter dicit pactum diei & noctis irritum non posse fieri, B
nec pactum Domini cum Dauid. Finito enim Sacerdotio legali, Christi Regnum & Sacer-
Esaias. dotium in perpetuum manebit. His etiam concordat illud Esaiæ 54. Montes commouebuntur,
& colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ
non mouebitur, dixit miserator tuus Dominus: Super quod Hieronymus lib. 15. super
Hieronymus Esaiam, sic ait, Faciliùs montes mouebuntur & colles, quàm mea sententia commutabitur,
iuxta quod in Euangelio loquitur, Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transi-
ent. Qui & Matth.24. super illud Euangelij recitatum sic allegatur in glossa Thomæ, Vt ma-
|| promis- gis eos ad fidem || *præmissorum* inducat, subdit, Cœlum & terra transibunt, &c. ac si dicat,
sorum. Facilius est fixa & immobilia destrui, quàm sermonum meorum aliquid decidere. Vbi &
Hilarius, Cœlum, inquit, & terra ex conditione creationis nihil habent in se necessitatis,
vt non sint; verba autem Christi ex æternitate deducta id in se continent virtutis vt maneant:
qui & super illud Ioh. 10. superius allegatum, dicit 7. de Trinit. vt recitat ibi glossa,
quòd sermo Dei est indissolubilis. Theophilus etiam super illud Marc. 13. recitatum se- C
|| desinent cundum glossam, sic ait, Prius elementa immobilia || *deficient*, quàm verba Christi: quod &
Gregorius. planè testatur Gregorius 16. Moral. 15. superius allegatus. Beatus quoque Ambrosius su-
Ambrosius. per illud Luc. 16. memoratum, Facilius est cœlum & terram præterire, quàm de lege vnum
apicem cadere, dicit, quòd Christus in hoc dixit de lege, vnum apicem non posse cadere.
Chrysostom. Chrysostomus etiam super illud Matth. 5. præmissum homilia decima in imperfecto sic dicit,
Quoniam omnia quæ ab initio mundi vsque ad finem erant futura, mysticè erant pro-
phetata in lege, vt ne videatur aliquid eorum quæ fiunt Deus non antea cognouisse, prop-
terea dicit, Non potest fieri vt transeat cœlum & terra, donec omnia quæ in lege prophe-
tata sunt rebus ipsis fuerint adimpleta. Ingenuus homo, si vel in vili mendacio inuentus
fuerit, erubescit, & quomodo Deus quod promisit in lege, non faciat, aut aliter faciat?
Vir sapiens quod dixerit, verbum suum non relinquit in vacuum, & quomodo verba diuina
sine exitu vacua poterunt remanere? Deus hominem punit, si quod docet alium, ipse D
non fecerit; quomodo Christus quod loquutus est in Prophetis, non adimpleuit in opere?
Hoc est ergo quod dicit, Amen, quippe dico vobis, donec transeat cœlum & terra, &c. qui
secundum Remigium ibi in glossa, permanebunt essentialiter, sed transibunt per renouatio-
Philosophus. nem. Quibus & concordanter Philosophus in De mundo 13. dicit, quòd Deus immobilis
cuncta mouet & circumfert quo vult, velut ciuitatis lex immobilis ens disponit in animabus
vtentium omnia quæ secundum ciuilitatem: & hoc ostenso quasi per singula opera ciuitatis,
concludendo subiungit; sic æstimandum est vtique & de maiori ciuitate, de mundo dico.
Lex enim nobis æquè declinans, Deus nullam recipiens corruptionem, aut directionem,
secundum aliam translationem, aut transpositionem, maior & certior, in alia translatione
firmior, scripturis quæ sunt in cyrbesibus, secundum aliam translationem in lapidibus.
Hoc idem testatur Balaam Num. 22. Non possum, inquiens, immutare verbum Domini
Dei mei, vt plus vel minus loquar: & 23. Benedictionem prohibere non valeo: vbi glossa; E
Non enim potest, etiamsi velit, verbum Dei humana lingua auertere, sicut octauum huius
Esaias. pleniùs allegauit. Et ecce maior Balaam ad hoc ipsum, sanctus scilicet Esaias, qui ait, Do-
minus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare? Esa. 14. Glossa, hoc mutari non
potest. Fatum ergo seu famen diuinum, quo omnia fatur, ordinat, & disponit, tam se-
cundum literas Theologicas, quàm Philosophicas, necessitatem saltem secundum causas
superiores & primas ingerit & importat. Quod & sanctus Thomas de Christiana religi-
Thomas. one 137. testatur realiter, licèt, vt videtur, verbaliter contradicat: vnde sic ait, Quamuis
ordo diuinæ prouidentiæ rebus adhibitus sit certus (ratione cuius Boetius dicit, quòd
Fatum est dispositio immobilis rebus mobilibus inhærens) non tamen propter hoc sequitur,
omnia de necessitate accidere: nam effectus necessarij vel contingentes dicuntur secundum
conditionem

A conditionem proximarum causarum. Manifestum est enim, quod si causa prima fuerit necessaria, & secunda causa fuerit contingens, effectus sequetur contingens, sicut ostendit per exemplum de motu cœlesti, & generatione & corruptione inferius: & subiungit, Ostensum est autem quod Deus suæ prouidentiæ ordinem per causas inferiores exequitur; erunt igitur aliqui effectus diuinæ prouidentiæ contingentes secundum conditionem inferiorum causarum. Qui & super 1. sentent. dist. 38. questione 5. quærente, An scientia Dei sit contingentium, & arguto quod non, quia causæ necessariæ, & immutabilis videtur esse effectus necessarius, vnde cum scientia Dei sit causa rerum, & sit immutabilis, non videtur quod possit esse contingentium, sic respondet; Cùm sint multæ causæ ordinatæ, effectus vltimus non consequitur primam causam in necessitate & contingentia, sed causam proximam, vt patet in floritione arboris, cuius causa remota est motus solis, proxima autem virtus generatiua plantæ: Floritio autem potest impediri per impedimentum virtutis generatiuæ; quamuis motus solis inuariabilis sit; Similiter & scientia Dei est immutabilis causa omnium, sed effectus producuntur ab ea per operationes causarum secundarum, & ideo mediantibus causis secundis necessarijs producit effectus necessarios, vt motum solis & huiusmodi; sed mediantibus causis secundis contingentibus producit effectus contingentes. Qui etiam consequenter super dist. 39. & 40. quærendo de prouidentia & prædestinatione, facit argumenta similia, similiterque respondet. Idem quoque 1. contra Gentiles 67. & 85. per idem exemplum idem ostendit. Huius igitur Doctoris sententia stat in isto, quod necessitas & contingentia non dicitur respectu superiorum, sed inferiorum causarum; quare licet superiores causæ sint necessariæ respectu omnium causarum, non sequitur tamen omnia necessariò euenire, quia concausæ inferiores & proximæ, à quibus denominatur effectus necessarius vel contingens, non omnes sunt necessariæ, sed aliquæ contingentes. Sed istud non potest sane intelligi nisi secundum communem modum loquendi Philosophorum & vulgarium, qui considerant de rebus naturalibus secundum causas naturales & inferiores tantummodo, & sicut considerant, sic loquuntur, vt quintum huius ostendit. Et huiusmodi necessarium vel contingens non dicitur tale penitus absolutè, sed secundum quid tantum & in certo genere causarum. scilicet inferiorum. Cùm ergo nomina sint ad placitum, possunt extendi, vt dicantur absolutissimè, scilicet tam respectu causarum superiorum, quàm inferiorum; imò & necessitas loquendi in Theologia maximè hoc requirit, sicut ostenditur quinto huius. Quis enim negare præsumpserit, Necesse esse Deum esse omnipotentem & bonum, & impossibile esse Deum talem non esse, ac possibile esse Deum cæcos illuminare, & mortuos suscitare, facere solem stare, vel regredi cum suis similibus? Vnde & Luc. 18. quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum: & supra 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum: Quare & beatus Ambrosius super illud 1. ad Cor. 3. Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum, sic dicit, Dum facit Deus quod mundus fieri posse negat, sapientiam illius stultitiam probat. Quis etiam catholicus vel prophanus negauerit, Deum esse omnipotentem, scilicet potentem facere omnia, omniaque fieri posse ab eo? Quis etiam vel insanus abnuerit, omnia, quæ fiunt à Deo, fieri posse ab eo, & esse possibilia respectu illius? omnia autem quæ fiunt, de necessitate fiunt ab eo, sicut tertium primi docet. Sequendo etiam Philosophicam rationem, à quo vel respectu cuius melius denominabitur quicquam in quocunque genere, quàm à principio & respectu primi in illo genere? Primum autem potens & prima potentia est summa & prima causa; quare & Philosophus 9. Metaphys. 2. dicit quod in omnibus terminis, id est, definitionibus potentiarum, inest potentiæ primæ ratio, id est, definitio. Vbi & textus quem Auerroes exponit expressiùs ita ||*dicit*, Omnes istæ definitiones habent definitionem primæ potentiæ: Super quod ipse sic ait, Istæ potentiæ non dicuntur æquiuocè, quia omnes habent definitionem primæ potentiæ, & intendit quod cùm consideratum fuerit de istis potentijs, videntur attribui primæ potentiæ: In definitione enim omnis potentiæ actiuæ accipitur definitio actionis primæ formæ, quæ est absoluta à materia. Vnde & Parisijs damnatur articulus asserens quod possibile vel impossibile simpliciter, id est, omnibus modis, est possibile vel impossibile secundum Philosophiam, scilicet secundum causas naturales & inferiores, de quibus Philosophia considerat. Præterea, exemplum Doctoris non iuuat. Dicit enim, quod licet motus cœlestis sit necessarius, effectus tamen sui in rebus inferioribus sunt contingentes propter contingentiam inferiorum causarum; & sic intelligendum est, vt dicit, de scientia seu voluntate Dei & suis causatis. Si enim motus cœli esset necessarius, & complecteretur perfectè omnes causas inferiores, puta si essent tantum causæ agentes irrationales, & in omni sua actione totaliter cœlo subiectæ, omnia quæ euenirent, de necessitate euenirent; sed quod non est ita, ideo accidit, quia aliquæ causæ inferiores,

Marginalia: *Thomas.* (beside "An scientia Dei sit contingentium"); B (beside "motus solis inuariabilis sit"); C (beside "considerant de rebus naturalibus"); *Lucas.* (beside "Vnde & Luc. 18."); D (beside "entiam illius stultitiam probat"); *Philosophus.* (beside "9. Metaphys. 2."); || habet (beside "||*dicit*"); E (beside "Vnde & Parisijs").

res puta rationales, in suis actibus liberis non sunt cœlo subiectæ, sicut tertium secundi monstrauit, quæ mediantibus talibus actibus possunt iuuare vel impedire operationem cælestem in alijs, vt patet de cultoribus arborum & agrorum, de generatione & nutritione animalium & similibus: Voluntas autem diuina perfectè complectitur omnes causas inferiores, tam rationales, quàm irrationales in suis actionibus quibuscunque, sicut 9um. & 22um. primi cum 20°. & 30°. secundi, iuncto 10°. primi docent. Quare si causa prima agat necessariò, omnes causæ secundæ similiter coagent; omnes enim causæ secundæ in omni sua causatione immediatiùs, essentialiùs, & inseparabiliùs coniunguntur cum prima causa, quàm aliqua illarum cum alia, omniaque earum causata similiter, sicut corollaria 2i. 3i. & 4i. capituli, primi docent. A

Stephanus. Quare & Stephanus Parisiensis Episcopus damnauit articulum asserentem, quod Entia declinant ab ordine primæ causæ in se consideratæ, sed non in ordine ad reliquas causas agentes in vniuerso; Error, inquiens, quia essentialior & inseparabilior est ordo entium ad primam causam quàm ad causas inferiores. Et rursus alium affirmantem, quod ad hoc, quod effectus omnes sint necessarij respectu causæ, primæ, non sufficit quòd ipsa causa prima non sit impedibilis, sed exigitur quod causæ mediæ non sint impedibiles: Error, inquiens, quia tunc Deus non posset facere aliquem effectum necessarium sine causis posterioribus. B

Thomas. Quare & idem Doctor distinctiùs ista pertractans de potentia Dei, quæst. 4a. quærente, Vtrùm sit iudicandum aliquid possibile, vel impossibile secundum causas inferiores vel superiores, dicit respondēdo, quod iudicium de possibili & impossibili potest considerari ex parte iudicantium: Si enim sint duæ scientiæ, quarum vna considerat causas altiores, & alia minus altas; iudicium in vtraque non eodem modo sumeretur, sed secundum causas quas vtraque considerat. Est autem duplex sapientia, scilicet mundana, quæ dicitur Philosophia, quæ considerat causas inferiores & secundum eas iudicat, sicut medicina de sanitate; & diuina, quæ dicitur Theologia, quæ considerat causas superiores, id est, diuinas, secundum quas iudicat quæ sunt diuina attributa, vt sapientia, bonitas, voluntas diuina & huiusmodi: quare secundum consideratiōē Theologi omnia illa quę nō sunt in se impossibilia, possibilia dicūtur. C Cùm ergo secundum huius Doctoris sententiam nihil obstet, cur non omnia quæ euenient, de necessitate euenient, nisi istud, quod necessitas non dicitur secundum causas superiores, & hoc non obstat, sed potius adiuuat, cùm sit verum maximè loquendo Theologicè, vt est doctum, sequitur manifestè quod omnia, quæ euenient, de necessitate euenient respectu superiorum causarum. Præterea multa futura fient immediate à Deo sine coactione inferiorū causarum; Illa ergo non possunt dici contingenter futura, propter contingentiam inferiorū causarum; quare in illis non habet responsio sua locum; ergo secundū eum ad minus omnia talia de cecessitate euenient, quare & simpliciter omnia: Voluntas enim diuina liberiùs & contingentiùs se habet ad omnem suum effectum extrinsecum, quàm aliqua causa secunda ad suum, sicut nona, decima, vndecima, & duodecima partes corol. 5i. huius ostendunt. Ex his ergo omnibus non immanifestè arbitror demonstratum, quod fatum seu famen diuinum necessitatem huiusmodi omnibus ingerit & D

Stephanus. imponit. Quare & Stephanus Parisiensis Episcopus damnauit articulum, qui dicebat quod Fatum, quod est dispositio vniuersi, procedit ex prouidentia diuina non immediatè, sed mediante motu corporū superiorum & quod illud fatum non imponit necessitatem inferioribus, quia habent contrarium, sed superioribus: omnia ergo quæ euenient, de necessitate causarum superiorum euenient, quod & planè testantur alij duo articuli proximo recitati. Hanc eandemque sententiam profitentur expressè autoritates Augustini 5. de Ciuit. Dei 9. & 10. allegatæ in probatione corollarij primi huius; Autoritates quoque eiusdem de Correptione & gratia 69 & 70. quas 20um. secundi recitat, volunt idem. Nam 69. dicit quod Deo volenti facere saluum hominem nullum resistit arbitrium; cuius causam statim subiungens, Sic enim, inquit, seu velle, seu nolle in volentis aut nolentis est potestate vt diuinam voluntatem impleat, nec superet potestatem, & 70. Quando Deus voluit Sauli regnum dare, non erat in potestate Israelitarum subdere se ei, siue non subdere, quod vtique in eorum erat positum voluntate, vt E etiam Deo valerent resistere, qui tamen hoc non fecit nisi per ipsorum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium quo placet inclinandorum omnipotentissimam potestatem. Et infra de quodam Semei, qui tamen 1. Paralip. 12. vocatur Abishai, quem induit Spiritus Domini vt promitteret & ferret auxilium Dauid Regi, sic ait, Nunquid posset iste aduersari voluntati Dei, & non potius eius facere voluntatem, qui in eius corde operatus est per spiritum eius, quo indutus est, vt hæc vellet, diceret & faceret? Hoc idem testa-

Auicenna. tur clarissimè autoritas Auicennæ 10. Met. suæ 1. vigesimo nono capitulo primi scripta. Boe-

Boetius. tius etiam 5. de Consolatione Philosophiæ prosa vlt. post huius problematis ventilationem plurimam finaliter sic respondet; Fatebor rem quidem solidissimæ veritatis, sed cui vix aliquis

A quis nisi diuini ingenij speculator accesserit. Respondebo namque idem futurum, cùm ad
diuinam notionem refertur, necessarium, cùm verò in sua natura perpenditur, liberum
prorsus atque absolutum videri. Et infra, Si quid prouidentia præsens videt, id esse necesse
est, tametsi nullam naturæ habeat necessitatem: at quidem Deus ea futura, quæ ex arbitrij
libertate proueniunt, præsentia contuetur. Hæc igitur ad intuitum relata diuinum necessa-
ria || *fiunt* per conditionem seu dispositionem diuinæ notionis, per se verò considerata ab- || sunt
solutam naturæ suæ libertatem non deserunt. Huic autem responsioni innititur Gratianus in *Gratianus.*
canone 23. quæstione quarta vbi præmissa disputatione de eadem materia, definitiuè res-
pondens, sic ait; Quamuis conuenienter dicatur, si hæc prædestinata vel præscita sunt ne-
cessariò euenient, non tamen ideo absolutè verum est quod necessariò euenient, quæ præ-
destinata sunt vel præscita, quia hic necessitas refertur ad rerum euentum, ibi ad intuitum di-
uinæ præscientiæ: quam responsionem confirmat per autoritatem Boetij allegatam, quam-
B uis non à Boetio, sed ab Augustino eam alleget; Nec mirum, si inter tot & toties allegatas in
vnius nomine semel erret; Veruntamen si Augustinus eandem autoritatem conscripsit, nes-
cio, non recordor, nec credo quod in libris Augustini valeat inueniri, si tamen inueniatur in
eis, tanto est magis authentica & accepta. Quem & sequitur sanctus Thomas super 1. sen- *Thomas.*
tent. dist. 38. quæst. vlt. quærente, Vtrum scientia Dei sit contingentium, vbi respondendo ad
quoddam argumentum, sic ait; Dicendum quod actus diuinæ cognitionis transit supra con-
tingens, etsi sit futurum nobis, sicut transit visus noster supra ipsum dum est, & quia esse quod
est, quando est, necesse est, quod tamen absolutè non est necessarium; ideo dicitur quod in se
consideratum est contingens, sed relatum ad Dei cognitionem est necessarium, quia ad ip-
sam refertur secundum quod est in esse actuali: & huic responsioni innititur in tota ista ma-
teria consequenter. Item nullus homo est liberior Iesu Christo; sed omnia quæ euenerunt cir-
ca ipsum, euenerunt de necessitate superiorum causarum, seu voluntatis diuinæ, sicut primo
C huius fuerat demonstratum.

CAP. XXVIII.

Recitat vnam glossam autoritatum erroneam.

AD hæc autem & maximè ad autoritates, quæ de necessitate secun-
dum causas superiores faciunt mentionem, communiter responde-
tur, quod loquuntur de necessitate consequentiæ, non consequentis,
seu de necessitate conditionali non absoluta, siue de necessitate dicti
D non rei, coniunctim non diuisim: & hoc videtur Boetius innuere vbi
fuerat allegatus; & sic notat glossa decreti super autoritatem Boetij al-
legatam. Item Ansel. de Concor. 2. Cùm dico, inquit, si præscit Deus
aliquid, necesse est illud esse futurum, idem est ac si dicam, si erit, ex ne-
cessitate erit: & cum dico, Si erit, ex necessitate erit, idē valet, si sic pronuntietur, quod erit, ex
necessitate erit. Non enim aliud significat hęc necessitas, nisi quia quod erit, non poterit simul
non esse: Hæc verò est necessitas conditionalis, consequentiæ siue dicti, atq; coniunctim, non
autem consequentis, vel rei, siue diuisim; & hanc solam concedit, aliam omnem negans, quod
& infra expressiùs manifestat; quippe, inquiens, Non est idem rem esse præteritā, & rem præ-
teritam esse præteritam; aut rem esse præsentem, & rem præsentem esse præsentē; aut rem esse
futuram, & rem futuram esse futuram; sicut non idem est rem esse albam, & rem albam esse al-
bam. Lignum enim non est semper necessitate album, sed aliquādo priusquam fieret album,
E potuit non fieri album, & postquam est album, potest fieri non album: lignū verò album sem-
per necesse est esse album, quia nec antequam sit, nec postquam est album, fieri potest vt album
simul non sit albū. Similiter res non de necessitate est præsens, quoniā antequā esset præsens,
potuit fieri vt præsens non esset, & postquā est præsens, potest fieri non præsens: Rem autem
præsentē necesse est esse præsentem semper, quia nec priusquā sit, nec postquam est præsens
potest simul esse non præsens; eodē modo res aliqua, vt quædam actio, non necessitate futura
est, quia priusquā sit fieri potest vt non sit futura; Rē verò futurā necesse est esse futuram, quia
futurū nequit simul esse nō futurū: de pręterito autem similiter est verū, quia res aliqua nō est
necessitate pręterita, quoniā antequā esset, potuit fieri vt nō esset, & quia pręteritū sēper necesse
est

est præteritum esse, quoniam non potest simul non esse præteritum, sed in re præterita est quiddam quod non est in re præsenti vel futura. Nunquam enim fieri potest, vt res, quæ præterita est, fiat non præterita, sicut res quædam, quæ præsens est, potest fieri non præsens, & aliqua res, quæ non necessitate futura est, potest fieri vt non sit futura. Itaque cùm dicitur futurum de futuro, necesse est esse quod dicitur, quia futurum nunquam est non futurum, sicut quoties idem dicimus de eodem. Cùm enim dicimus, quia omnis homo est homo; aut si est homo, homo est; aut omne album est album, & si est album, album est, necesse est esse quod dicitur, quia non potest aliquid simul esse & non esse; quippe si non est necesse omne futurum esse futurum, quoddam futurum non est futurum, quod est impossibile: Necessitate ergo omne futurum, futurum est, & si est futurum, futurum est, cùm futurum dicitur de futuro, sed necessitate sequente quę nihil esse cogit. Cùm autem futurum dicitur de re, non semper res necessitate est, quamuis sit futura. Nam si dico, Cras seditio futura est in populo; non tamen necessitate erit seditio. Potest enim fieri antequam sit, vt non fiat, etiamsi sit futura. B

Anselmus. Idem quoque secundi Cur Deus homo 27. docet idem, vnde sic ait; Si dicitur, necesse erat vt voluntate sua moreretur, quia vera fuit fides, siue prophetia quæ de hoc præcesserant; Non est aliud quàm si dicas, necesse fuisse ita futurum esse, quoniam sic futurum erat: huiusmodi autem necessitas non cogit rem esse, sed esse rei facit necessitatē esse. Est namque necessitas præcedens, quæ causa est vt sit res, & est necessitas sequens, quam res facit. Præcedens & efficiens necessitas est, cùm dicitur cœlum volui, quia necesse est vt voluatur; sequens verò, & quæ nihil efficit, sed fit, est cùm dico te ex necessitate loqui quia loqueris. Cùm enim hoc dico, significo nihil facere posse vt dum loqueris non loquaris, non quod aliquid te cogat ad loquendum: Nam violentia naturalis conditionis cogit cœlum volui, te verò nulla necessitas facit loqui. Et infra, Hac sequenti, & nihil efficienti necessitate, quoniam vera fuit fides & prophetia de Christo, quia ex voluntate, non ex necessitate moriturus erat, necesse fuit vt sic esset; hac homo factus est, hac fecit, & passus est quæcunque fecit & passus C est, hac voluit quæcunque voluit. Ideo enim necessitate fuerunt quia futura erant, & futura erant quia fuerunt, & fuerunt quia fuerunt.

Thomas. Sanctus quoque Thomas vbi proximo fuerat allegatus, statim post autoritatem eius præmissam subiungit, Vnde bona est distinctio, quod est necessarium necessitate consequentię & non consequentis, vel necessitate conditionata non absoluta: & infra distinguit istam, Omne scitum à Deo necesse est esse, eo quod potest esse de dicto, & sic vera; vel de re, & sic falsa. Qui & primo contra Gentiles 67. 83. & 85. istam distinctionem multo clariùs & diffusiùs recitat & exponit, & secundum illam semper respondet in ista materia de futuris.

Lumbardus. Lumbardus etiam 1. sentent. dist. 38. & 40. secundum istam distinctionem in materia ista respondet, quem & penè omnes posteriores Doctores communiter imitantur. Sed ista responsio multipliciter deficit. Primò quia falsa; secundò, quia incauta; tertiò quia diminuta. Primò, inquam, deficit, quia falsa. Falsò namque exponit autoritates ponentes necessitatem omnium futurorum respectu causarum D superiorum, seu causæ primæ, non autem respectu inferiorum, seu etiam secundarum, dicendo eas loqui tantummodo de necessitate consequentiæ seu conditionali. Non enim iste est intellectus Autorum, sed alius quem non tangit, quem capitulum proximum exponebat. Si enim Autores in autoritatibus talibus tantummodo loquerentur de necessitate consequentiæ seu conditionali, ita haberent concedere quod futura necessariò euenirent respectu causarum inferiorum & secundarum, sicut respectu superiorum & primæ. Consequentia namque seu conditionalis in talibus respectu causarum secundarum ita est necessaria sicut respectu primæ. Sicut enim hæc consequentia seu conditionalis est necessaria, Deus præscit hoc esse futurum, seu faciet hoc futurum, vel si Deus præscit seu faciet hoc futurum, hoc erit; ita est ista, Causa secunda præscit hoc esse futurum, vel faciet hoc futurum, ergo hoc erit; & de conditionali similiter. Item omnis doctrina debet esse alicuius dubij aut ignoti; sed ista consequentia seu conditionalis nunquam fuit alicui dubia aut ignota, Deus, vel si Deus præ- E scit hoc esse futurum, ergo hoc est futurum seu erit; quis ergo sapiens hoc scriberet vt doceret, cùm non sit docibile, sed per se scibile à quocunque, suppositâ notitiâ terminorum? Item si Autores intelligerent tantum istud, nullo modo soluerent propositam quæstionem. Supposita namque & concessa necessitate consequentiæ & conditionalis huiusmodi, quomodo per hanc soluitur perplexitas quæstionis? Quis enim tantum hac necessitate sibi ostensa, non tantum dubitabit de libero arbitrio, merito, & demerito, certitudine, fallibilitate, aut mutabilitate diuinæ scientiæ, & cæteris problema istud tangentibus, sicut priùs maximè, quia nullus vnquam sani capitis de illa necessitate consequentiæ dubitauit? Cur etiam tam multi Autores, tam multa, tam ambigua & tam difficilia de ista materia & ista necessitate scripserunt,

A runt, si nihil aliud intelligere voluerunt, cùm in vno verbo breuissimo & leuissimo se poterant expedisse, dicendo, quòd in omnibus talibus est necessitas consequentiæ seu conditionalis tantummodo? Ad eundem quoque intellectum de necessitate haberent concedere, quòd Chimæra, & omnia non futura de necessitate euenient: nam ita necessaria est consequentia & conditionalis præmissa de eis, sicut de alijs. Nam necessariò sequitur, Deus præscit, vel si Deus præscit, quod Chimæra, & omnia non futura euenient, ergo illa euenient. Nec potest aliquis respondere, quòd in præteritis & futuris ponitur antecedens inesse, in his autem non, & ideo non est similis necessitas hic & ibi, quia consequentia seu conditionalis ipsa per se in verè præscitis & futuris non ponit antecedens in esse, sicut nec in alia materia, seu alijs terminis quibuscunque, sed necessitatem consecutionis tantummodo, & sic facit alia consequentia seu conditionalis præmissa. Loquendo ergo præcisè de sola necessitate B prædicta, similem oportet concedere de Chimæra, & omnibus non futuris nec præscitis, sicut de futuris & verè præscitis. Consequentia enim & conditionalis huiusmodi simili necessitate firmatur, sicut alia qualiscunque. Præterea in ista consequentia, Deus præscit Chimæram fore, ergo Chimæra necessariò erit, supponitur, & ponitur antecedens, sicut in ista, Deus præscit Antichristum fore, ergo Antichristus necessariò erit, & necessitas consequentiæ est æqualis, ergo simpliciter æqualis & similis est necessitas in ambabus. Nec sufficit dicere, quod antecedens in secunda est verum, & in prima falsum, & ideo non est necessitas similis hic & ibi. Falsitas enim antecedentis necessitatem consequentiæ nullatenus minuit, nec veritas ipsam auget, sicut nullus Dialecticorum ignorat. Cùm ergo necessitas consequentiæ nullo modo veritatem antecedentis includat respiciendo ad solam necessitatem consequentiæ, similis est necessitas in ambabus: & hanc solam in talibus ponit ista responsio; quare habet ponere consequenter, quòd sicut necesse est Anti- C christum fore, sic & Chimæram. Textus quoque ac processus Autorum de ista necessitate loquentium, istam glossam velut vipeream, peremtoriam scilicet sui textus, non expositoriam, redarguunt & conuincunt. Causa namque, quam assignat Boetius vbi prius, quare futura contingentia sunt necessaria respectu cognitionis seu voluntatis diuinæ, & non respectu causarum inferiorum, est ista, quia apud cognitionem diuinam sunt præsentia; & esse quod est, quando est, necesse est; sed apud causas inferiores non sunt præsentia, sed futura, & ideo apud eas, antequam sint, possunt non esse. Dicit enim Boetius 5. de consolatione Philosophiæ, prosa vlt. Quoniam omne iudicium secundum sui naturam quæ sibi subiecta sunt comprehendit, est autem Deo semper æternus ac præsentarius status, scientia quoque eius omnem temporis supergressa motionem, in suæ manet simplicitate præsentiæ, infinitaque præteriti ac futuri spacia complectens, omnia quasi iam || *gerantur*, in sua simplici cognitione considerat. Itaque si præsentiam pensare velis, || generatur. D qua cuncta dignoscit, non esse præscientiam quasi futuri, sed scientiam nunquam deficientis instantiæ rectiùs æstimabis; vnde non præuidentia, sed prouidentia potius dicitur. Et infra nulla necessitas cogit incedere voluntate gradientem, quamuis eum, cùm graditur, incedere necessarium sit. Eodem igitur modo, si quid prouidentia præsens videt, id esse necesse est, tametsi nullam naturæ habeat necessitatem, atque Deus ea futura, quæ ex arbitrij libertate proueniunt, præsentia contuetur. Hæc ergo ad intuitum relata diuinum necessaria fiunt per conditionem seu dispositionem diuinæ || *notionis*. Et inferius cui- || intuitionis. dam obijcienti, & quærenti ab eo, Quid igitur refert non esse necessaria, cùm propter diuinæ scientiæ conditionem modis omnibus necessitatis instar eueniant? Quasi diceret, si sit ita, inter esse non necessaria vel necessaria nihil refert. Boetius sic respondet; Hoc refert, quòd ea quæ paulo ante proposui, Sol oriens, & gradiens homo, quæ dum fiunt non fieri non possunt, eorum tamen vnum priusquam fieret, necesse erat existere, alte- E rum verò minimè: ita etiam quæ præsentia Deus habet, proculdubio existent, sed eorum hoc quidem de rerum necessitate descendit, illud verò de potestate facientium. Haud igitur iniuriâ diximus, hæc si ad diuinam notitiam referantur, necessaria; si per se considerentur, necessitatis esse nexibus absoluta. Quem in hac assignatione causæ sequitur sanctus Thomas super 1. sentent. dist. 38. quæst. 5. Deus, inquiens, ab æterno non solùm vidit or- *Thomas.* dinem sui ad rem, ex cuius potestate res erat futura, sed ipsum esse rei intuebatur: quod qualiter sit, euidenter docet Boetius in libro de consolatione. Omnis enim cognitio est secundum modum cognoscentis; cùm igitur Deus sit ab æterno, oportet quòd cognitio eius æternitatis habeat modum, qui est totum esse simul sine successione: vnde sicut quamuis tempus sit successiuum, tamen ęternitas est pręsens omnibus temporibus vna & eadem indiuisibilis, vt nunc stans: ita cognitio sua intuetur omnia temporalia, quamuis sint succedentia, vt præsentia sibi, nec

nec aliquid eorum est futurum respectu ipsius, sed vnum respectu alterius. Vnde secundum A Boetium melius dicitur prouidentia, quàm præuidentia, quia non quasi futurum, sed omnia quasi præsentia vno intuitu prouidet, quasi ab æternitatis specula: sed tamen potest dici præuidentia in quantum cognoscit id quod futurum est nobis, non sibi. Et infra, Actus diuinæ cognitionis transit supra contingens, & si futurum sit nobis sicut visus noster supra ipsum dum est; & quia esse quod est, quando est, necesse est, quod tamen absolutè non est necessarium, ideo dicitur quod in se consideratum est contingens, relatum ad Dei cognitionem est necessarium, quia ad ipsam refertur, secundum quod est in esse actuali, & ideo omnino simile est, si ego viderem Socratem currere præsentialiter, quod quidem in se est contingens, sed relatum ad visum meum est necessarium. Et infra, Scitum à Deo potest sumi secundum conditionem qua subiacet diuinæ scientiæ, & hoc est, secundum quod habet esse terminatum, B | necesse & sic || *necessitatem* habet: vel potest sumi sine illa conditione, vt scilicet est in causis suis, ante- *Anselmus.* quam sit in actu, & sic non habet necessitatem. Venerabilis quoque Anselmus De concord. 3. & 4. similem causam similis dicti reddit. Dicit enim quod omnia futura sunt necessaria & immutabilia in æternitate, non necessaria, sed mutabilia in tempore antequam fiant; quia in æternitate, inquit, non est præteritum vel futurum, sed tantùm præsens immutabile. Hæc igitur est causa Autorum, quare omnia futura respectu causarum superiorum, scilicet cognitionis & voluntatis diuinæ, sunt necessaria, quia esse quod est, quando est, necesse est; & omnia futura sunt ibi in præsentia & in actu; & quare respectu inferiorum causarum non sunt necessaria, quia ibi non sunt actualiter præsentia, sed futura. Quomodo ergo loquuntur de necessitate, cùm dicunt, quia esse quod est, quando est, necesse est, vel de necessitate || compo- consequentiæ siue dicti vel rei? vel an intelligunt totam propositionem in sensu || *coniuncto*, sito vel diuiso? Si secundo modo intelligant, ergo cùm ex illa causa inferunt consequenter, quòd omnia futura respectu superiorum causarum de necessitate euenient, similem necessita- C tem intelligent; non ergo solam necessitatem consequentiæ seu conditionis, vt responsio ista fingit. Si autem intelligant primo modo secundum eundem intellectum, haberent concedere quod fore seu futurum esse quod erit, quando erit, necesse erit. Nam ita necessaria est ista consequentia, Si aliquid erit, ipsum erit; sicut ista, Si aliquid est, ipsum est; & ita necessaria est ista secundum eos de dicto, siue in sensu composito, sicut illa. Nam ita impossibile est quod aliquid simul sit futurum & non sit futurum, sicut quòd aliquid simul præsentialiter sit & non sit, quod tamen non concedunt, sed negant, doctrinam Philosophi 1. peri herme- || omne nias vlt. imitantes, dicendo, quòd || *Esse* quod est, quando est, necesse est; futura verò antequam veniant, & hoc est, quando & dum sunt futura, non necessariò euentura, sed posse nullatenus euenire. Præterea quando Boetius assignando differentiam inter necessarium & non necessarium in autoritate præmissa, dicit quòd Sol oriens, & gradiens homo dum fiunt, non fieri non possunt; eorum tamen vnum, scilicet primum, priusquam fieret, necesse erat exi- D stere, alterum verò minimè, id est, hominem fieri gradientem, innuendo quòd priusquam homo graderetur, possibile fuit ipsum non gradi, quomodo intelligit de necessario & possibili, vel simpliciter omnino, scilicet respectu quarumcunque causarum superiorum, & inferiorum similiter, vel secundum quid, respectu scilicet inferiorum naturaliumque causarum? Non intelligit primo modo, quia secundum suam sententiam ante & post illam differentiam positam, sicut vnum eorum priusquam fieret, erat necessarium respectu primæ causæ, sic reliquum; & quia Deus æquè liberè operatur ad extra quemcunque effectum, sicut 9. & 20. primi, 30. secundi, ac suppositio prima docent; Non est ergo magis necessarium respectu voluntatis diuinæ volentis & facientis hæc ambo, quod Sol oriatur, quàm quod homo gradiatur, sicut & decimum primi probat; & quia dicit similiter, quod alterum illorum priusquam fieret, minime necessarium erat existere, quod non potest intelligi respectu primæ causæ, scilicet prouidentiæ & cognitionis diuinæ, quia secundum suam sententiam superius recitatam, om- E nia sunt ibi præsentia: oportet ergo quod intelligat de necessitate & possibilitate istorum secundo dictorum modorum, scilicet respectu naturalium & inferiorum causarum tantummodo respectu quarum solummodo talia dicuntur futura, quod & verba sua sequentia manifestant: nam immediatè subiungit, Illa etiam, quæ præsentia Deus habet, proculdubio existent, sed eorum hoc quidem de rerum necessitate descendit. Quarum rerum, nisi naturalium & inferiorum? Et addit, illud verò de potestate facientium, de potestate, scilicet opposita necessitati præmissæ, id est libera à necessitate inferiorum causarum: differentiæ namque oppositorum oppositæ debent esse. Hæc igitur secundum eum est differentia inter necessaria, puta ortum Solis, & non necessaria sed libera, puta gressum hominis, quòd illa sunt necessaria respectu inferiorum causarum, hæc verò nequaquam, sed libera; ita quòd secundum eum

actus

A actus liberi arbitrij non dicuntur omnino & simpliciter liberi, quia non respectu quarumcun-
que causarum, quoniam respectu superiorum dicuntur necessarij, sed dicuntur liberi secun-
dum quid tantum, scilicet respectu inferiorum causarum, sicut quintum & nonum huius osten-
dunt. Quare & post verba sua præposita statim subdit, haud igitur iniuria diximus, hæc si ad
diuinam notitiam referantur, necessaria; si per se considerentur, necessitatis esse nexibus abso-
luta. Intelligit ergo Boetius in autoritatibus allegatis, quod omnia futura euenient de necessi-
tate superiorum causarum, sicut capitulum proximum exponebat, non de necessitate conse-
quentiæ seu conditionali tantummodo, sicut ista responsio somniauit: quod & adhuc aliud
verbum eius ostendit. Hanc enim necessitatem secundum causas superiores concessurus, & a-
liam negaturus, præmisit, Fatebor, inquiens, rem solidissimæ veritatis, sed cui vix aliquis nisi
diuini ingenij speculator accesserit. Respondebo namque idem futurum, cum ad diuinam
B notionem refertur, necessarium; cum verò in sua natura perpenditur, liberum prorsus atque
absolutum videri. Si tamen de necessitate consequentiæ seu conditionali tantummodo lo-
queretur, quis tamen asinini ingenij vt ad illam non facillime accesserit speculandam? Quis
vnquam istam consequentiam seu conditionalem notis terminis non sciuit, Deus præscit hoc
fore, vel si Deus præscit hoc fore, hoc erit? Et quis in literis Philosophicis, seu Theologicis
ad limen saltem prouectus, aut etiam idiota omnipotentem Deum credens, istam consequen-
tiam ignorauit, Deus prouidet & vult hoc esse, ergo hoc erit? Vel quis saltem ad istam conse-
quentiam speculandam faciliter non accedat? Non ergo loquitur de necessitate consequentię
seu conditionali tantummodo, sed alio capitulo proximo declarata. Et si quis ad istius neces-
sitatis speculationem nequaquam accesserit, non imputet quæso mihi, sed sui humani ingenij
tarditati, rogans humiliter & attente, quatenus diuini ingenij aliquod participium mereatur
accipere, quo ipsam valeat speculari: nec æstimet quispiam autoritatem Boetij contemnen-
C dam, cum sanctus Augustinus, Anselmus, & Thomas, alijque quamplures Doctores Catho-
lici ipsum in ista materia imitentur. Erat namque magnus Philosophus & Doctor Catholi-
cus, sicut libri sui Philosophici & Theologici manifestant, tandemque fælici martyrio coro-
natus, ascriptusque Sanctorum catalogo sub nomine Seuerini: habebat namque multa nomina
more nobilium Romanorum, quæ vt communiter librorum suorum initijs præscribuntur. Se-
cundo ista responsio deficit vt incauta: non enim cauit necessitatem quam voluit & credidit
præcauisse, nec tribuit nobis quam voluit & credidit liberam potestatem. Si enim ista conse-
quentia est necessaria, Deus præscit aut præuult quodcunque ergo illud erit, & antecedens
non est in potestate nostra, sicut decimum quintum primi & octauum huius ostendunt; ergo
nec consequens est in potestate nostra simpliciter libera & exclusoria necessitatis cuiuslibet
præcedentis. Tertiò deficit ista responsio, quia plurimum diminuta; quia licèt aliquibus
D paucis autoritatibus apparenter vtcunque respondeat, rationibus tamen factis & quampluri-
mis autoritatibus alijs non respondet nec poterit respondere. Quomodo namque poterit
respondere rationibus ibi factis, & specialiter syllogisticę rationi? Quomodo etiam respon-
debit Ecclesiastico, Augustino, Sibyllæ, Domino nostro Christo, Chrysostomo, Paulo, Iob,
Gregorio, Tobiæ, Esaiæ, Ieremiæ, & Glossæ? Vel quomodo poterit respondere ad necessi-
tatem fati diuini, & ad omnes autoritates ac Parisienses articulos illam probantes? Nullus e-
nim ponens necessitatem fatalem, ponit eam esse necessitatem consequentiæ, sed conditiona-
lem tantummodo. Quoue colore poterit respondere ad autoritates Augustini 5. de ciuit. Dei,
9. & 10? Nunquam enim fuit aliquis Stoicorum tam stolidus, imo nec aliquis Laicorum tam
Laicus, vt crederet omnem necessitatem consequentiæ seu conditionalem libertati arbitrij
repugnare. Quis enim tam rudis aut fatuus, qui ignoret necessitatem huius consequentiæ
& conditionalis, Si tu vis liberè, tu vis liberè, secum compati arbitrij libertatem? Cur
ergo Augustinus redargueret Stoicos hanc ponentes, si ipsemet ibidem hanc eandem & a-
E liam nullam ponat? Cur etiam frustra docet hanc necessitatem non adimere libertatem,
cùm nullus vnquam hominum hoc nesciuit? Quare haud dubiè non istam necessitatem ibi
volebat intelligi, sed aliam in capitulo proximo patefactam, quod & verba processus illius
ostendunt. Loquens enim ibi de necessitate fati diuini, scilicet à fando dicti, exponit illud
Psalmi, Semel loquutus est Deus, id est, immobiliter, hoc est, incommutabiliter loquutus
est, sicut nouit incommutabiliter omnia quę futura sunt, & quę facturus est. Deinde reprę-
hendit Stoicos, quia voluntates nostras necessitati huiusmodi subdere noluerunt, ne liberæ
tunc non essent; & distinguendo de necessitate, tollit eorum motiuum, ostendens quòd vna
necessitas, scilicet inuita, quæ contingit nobis nolentibus, puta necessitas moriendi, repug-
nat arbitrij libertati; & quod alia definitur necessitas, secundum quam dicimus necesse est vt
ita sit aliquid, vel ita fiat, quæ libertati arbitrij non repugnat. Ecce quam patenter istam
necessitatem

necessitatem exprimit, & definit per respectum ad causam actiuam, sicut capitulum proximum exponebat: & hæc est duplex, conseruatiua scilicet & factiua, sicut in secundo primi docetur. Pro conseruatiua dicit, necessitas, secundum quam dicimus, necesse est vt ita sit aliquid; & pro factiua subiungit, vel ita fiat, de necessitate verò consequentiæ seu conditionali nullam penitus faciens mentionem. Quare non videtur quod de necessitate consequentiæ seu conditionali tantummodo velit loqui. quod & ratio exemplaris, per quam ostendit suum propositum, clarè docet. Ostendit enim necessitatem prædictam, secundum quam scilicet dicimus, necesse est vt ita sit aliquid vel ita fiat, non esse timendam ne nobis libertatem auferat voluntatis, quia nec vitam & præscientiam Dei ponimus sub necessitate, scilicet primo modo, quæ aufert vel minuit libertatem, si dicamus necesse esse Deum semper viuere, & cuncta præscire, sicut nec potestas eius minuitur, cum dicitur mori fallique non posse. In hac autem ratione nihil penitus loquitur nec intelligit de necessitate consequentiæ, seu conditionali quacunque. Quomodo etiam per hanc necessitatem possunt exponi aliæ autoritates ipsius de correptione & gratia capitulo proximo memoratæ? Illa quoque eius autoritas, De fide ad Petrum quomodo per istam glossam subtilem & logicam, & non nisi talibus agnitam exponetur? imo potius peruertetur, maxime cum ipse velit omnia dicta sua in illo libello intelligi ad vulgarem & vsitatum modum loquendi simplicium fidelium vel infidelium, rudium, indoctorum, vt nullus sensus posset eis surrepere hæreticæ falsitatis: vnde & in capite libri ait, Epistolam fili Petre tuæ charitatis accepi, in qua significasti velle te Hierosolymam pergere, & poposcisti te literis nostris instrui, quam debeas in illis partibus veræ fidei regulam tenere, vt nullus tibi possit sensus hereticæ subrepere falsitatis. Qui & in calcaneo libri dicit, Hæc || *interim* 40. capitula ad regulam veræ fidei firmißimè pertinentia fideliter crede, fortiter tene, veraciter patienterque defende; & si quem contraria his dogmatizare cognoueris, tanquam pestem fuge, & tanquam hæreticum abijce. Ita enim ista, quæ posuimus, fidei catholicæ congruunt, vt si quis non solùm omnibus, sed etiam singulis voluerit contraire, in eo quod singulis horum contumaciter repugnat, & his * qui contraria docere non dubitat, hæreticus & fidei Christianæ inimicus, atque ex hoc omnibus catholicis anathematizandus appareat. Quare & planißimè affirmando & certißimè asserendo, firmißimè, inquit, tene, & nullatenus dubites ita esse. Item quomodo per hanc responsionem exponetur Anselmus, & specialiter de concor. 3. vbi dicit, Quæ tempore præterita sunt, ad similitudinem æterni præsentis omnino immutabilia sunt? Hoc enim non potest exponi de immutabilitate consequentiæ, conditionalis, seu dicti, sed rei, cùm sit categorica vna pura. Cùm etiam statim post dicit, quòd quæ sunt præsentia in æternitate nunquam possunt non esse ibi præsentia, sed præsentia in tempore possunt non esse ibi præsentia, vel intelligit in sensu compositionis & de dicto, vel in sensu diuisionis & de re. Non primo modo, quia sic secunda pars est falsa; quoniam sicut ista non est poßibilis, præsentia in æternitate non sunt præsentia in æternitate, sic nec ista, præsentia in tempore non sunt præsentia in tempore: intelligit ergo secundo modo, sicut capitulum proximum, quod tam verba eius quàm processus indicant euidenter. Pro motiuis autem huius responsionis sciendum, quòd illa distinctio de neceßitate consequentiæ seu consequentis, conditionali vel absoluta, de dicto vel de re, est in casibus suis bona, sicut in ista & suis similibus, Si sim cras lecturus, necesse est cras me legere: Veruntamen rationes & autoritates præmissæ capitulo proximo non possunt exponi rationabiliter, nec ad intellectum tantùm per ipsam, sicut superius est ostensum. Primò autem pro dicto Boetij aduertendum quod multum congruè potuit exemplariter hoc dixisse. Videns enim quòd esset multum difficile intellectu, quomodo aliquid esset necessarium respectu voluntatis & cognitionis diuinæ, & liberum in sua natura, voluit hoc vtcunque ostendere per manifestum exemplum, vt sic per faciliora & notiora, ad difficiliora & ignotiora deduceret tardiores, sicut in omni disciplina Philosophica & Theologica est creber modus docendi, & vtilis per exempla; quare non immeritò exemplum inter species argumenti à Logicis computatur. Volens igitur Boetius ostendere, quòd aliqua futura essent necessaria respectu primæ causæ, & libera in sua natura, consultè dicebat; Duæ sunt neceßitates, simplex vna, veluti quòd necesse est omnes homines esse mortales; altera conditionalis, vt si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est, vt sic puram neceßitatem à futuris contingentibus deneget, & per secundam, in qua consequens est necessarium respectu antecedentis, & liberum in sua natura, ostendat vtcunque licèt multum dispariter & remotè, quòd ita potest esse de liberè futuris respectu primæ causæ. Ipsa enim est causa naturaliter antecedens, ex qua cuncta libera necessariò consequuntur: necessariò inquam respectu illius, non in sua natura, sicut capitulum proximum exponebat: quare & in toto processu sequente negat semper neceßitatem naturæ, & coactionis ab actibus liberis, aliam

Marginalia: A; B; || iterum; C; * testimonijs; D; E

A aliam vero, scil. secundum causas superiores nunquam: qd. tamen, vt videtur, aliquando fecisset, si eam nullaten⁹ posuisset; Imo & hic & 4. prosa. 6. semper ipsam probat, expresse sustinet, & defendit, sicut testatur totus eius processus, & specialiter autoritates cap. proximo recitatæ. Secundò dico pro intellectu Boetij & omnium aliorum, qui dicunt expresse qd. in talibus est necessitas conditionalis, consequentiæ, dicti, siue coniunctim, non autem consequentis, rei, siue diuisim; quod hoc est verum ad duplicem intellectum. Primò, quia secundum ipsos in omni tali conditionali, consequentia, dicto, & enuntiatione composita est necessitas absoluta; in consequente vero, vel re, siue enuntiatione diuisa nequaquam. Secundò, ad communem & vsitatum modum loquendi: sic enim consequentia est necessaria apud omnes, sed consequens non est ita. Necessitas namq; & libertas consequentiū talium secundū cōmuniorem & vsitatiorem modū loquendi, tantum secundum causas inferiores attenditur, de quibus tam vulgares quam scientiarum ferme omnium professores considerant plurimum & loquuntur,

B sicut 5. & proximum huius docent. Tertio, pro intellectu Boetij, quia solent Philosophi pauca verba multis sententijs onerare, dicente Ouid. 3. de vetula, pauca loquuti, *Multa* subesse suis voluerūt pondera verbis, credo quod per necessitatem conditionis, præter necessitatē conditionalem prædictam, voluit intelligere cum Anselmo necessitatem concomitantē siue sequentem, quæ consurgit quodammodo ex positione rei præsentis in esse, & ipsam necessario comitatur, & sequitur dum est præsens; qua secundum Philosophos, & Theologos, & secundum omnes communiter dicitur, quod Omne qd est, quando est, necesse est esse, sicut 2. huius plenius docebatur; qui ideo sic rationabiliter intelligere potuit, quoniam sicut in conditionali ex antecedenti necessario sequitur consequens, sic & in rebus ex quacunq; re posita præsentialiter iam in esse, velut ex causa antecedēte secundū naturā, vel saltē includente causā anteced. secundum naturam, necessario rea iter sequitur velut inseparabile, consequens secundū naturam, quia posterior naturaliter necessitas quædam talis. De hoc tamen sicut de alijs omnibus

C possunt Sophistæ sophisticè altercari, quærendo quæ sit illa sequens necessitas quæ omnē rem necessario sequitur, &, quod magis videtur mirabile, omnem non rem. Sicut enim esse qd. est, quando est, necesse est; sic & non esse, qd. non est, quando non est *. Hæc autē necessitas non potest causari nec descēdere à non ente. Ad hæc autē & his similia respōdebūt 13. & 14. 1. lib. Si autem 1. necessitatē, scil. conditionalē, intelligere voluit, || *bene quidem*: 2. autē, scil. necessitatē consequētē siue sequentē, credo firmiter ipsū intelligere voluisse, qd. tam sententia eius, quā verba indicant euidenter. Causa namq; hui⁹ necessitatis secundum ipsum est ista, quia res futuræ apud diuinam notitiam seu prouidentiam sunt præsentes; & omne qd. præsentialiter est, dum præsentialiter est, necesse est esse, sicut superius est ostensum. Quare & euidenter ostendens qd. per conditionē nequaquā conditionalē intelligit, sed dispositionē, seu statū vel modū præsentialem siue præsentaneum diuinæ notitiæ, ita dicit; Nulla necessitas cogit incedere voluntate gradientem, quamuis cum, cum graditur, incedere necessarium sit. Eodem igitur modo

* necesse est

|| vnde quidem?

D si quid prouidentia præsens videt, id esse necesse est, tametsi nullam naturæ habeat necessitatē: || atqui Deus ea futura, quæ ex arbitrij libertate prouenīūt, præsentia contuetur; hæc igitur ad intuitum relata diuinum, necessaria fiunt per conditionē diuinę notionis. Vnde Rob. Lincoln. de lib. arbit. 3. super senes intelligens, & materiam istam profundissime inuestigans etiam vsq; ad fundamentum in ea, Duplex, inquit, est necessitas, sicut distinguit Anselm. in lib. 2. Cur De⁹ homo cap. 17. vna, quam vocat necessitatem præced, quæ est causa vt sit res, & cogit rem esse: Alia, quam vocat necessitatem sequentem, quæ non est causa rei, nec cogit rem esse: & hæc, vt ipse dicit, est illa necessitas vbi tractat Aristot. de proposition. singular. & futur. Videtur vtrūlibet destruere, & omnia esse ex necessitate astruere, & hac sequēti & nihil efficiēti necessitate, necessarium est Deum scire meam sessionem cras futuram, & similia. Ex necessariis hac sequente necessitate nullum inconueniens, imò magis necessarium videtur sequi contingens: dū enim sedeo, necesse est me sedere, & postquam sedi, necesse est me sedisse. Sed quam compara-

|| at qui Deus est,

E tionem habent hæc dicta, me sedere, & me sedisse ad meā sessionē dū sedeo, & postquam sedi; eandem comparationē habet scientia Dei ad meā sessionē futurā antequā sedeā; ipse enim scit futura tanquā præsentia. Et infra has duas necessitates, ex quarū altera non sequitur nisi necessariū, ex reliqua vero, vt dictum est, videtur sequi contingens. Puto Boetiū vocasse necessitatem simplicē & necessitatē conditionis, licet aliqui necessitatē cōditionis intelligāt nō illam, quæ supra dicta est necessitas sequens, sed necessitatē cōsequutionis cōsequētis ad anteced. vt puta cū dicitur, Si homo currit, mouet pedes; hic est necessitas cōsecutionis cōseq. ad anteced. licet vtrūq; scil. tam cōsequens quā antecedens sit contingens: & addit, Ex verbis autē ipsi⁹ Boetii interi⁹ cōsideratis meli⁹ perpendi potest ipsū vocasse necessitatem cōditionis quā supra necessitatē sequentē dicebam⁹. Ait namq; idē futurū cū ad diuinā notionē refertur, necessariū; cū vero in sui natura perpēditur, liberū prorsus atq; absolutū videri, & post pauca: atqui De⁹ ea fu-

tura, quæ ex arbitrij libertate proueniunt, præsentia contuetur; hæc igitur ad intuitum relata A diuinum necessaria fiunt per conditionem diuinæ notionis, per se autem considerata absoluta naturæ suæ libertatem non deserunt. Et iterum, hæc si ad diuinam notitiam referantur, necessaria; si per se considerentur, necessitatis esse nexibus absoluta. Quid autem aliud sapiunt hæc verba, nisi, ea quæ in sui natura sunt ad vtrumlibet contingentia flexibilia & mutabilia in Dei
4. Expositio Boetij. notitia esse inuariabilia, non propter rerum inuariabilitatem, sed propter scientiæ Dei immutabilitatem? Adhuc autem pro intellectu Boetij est sciendum, quod per necessitatem conditionis seu conditionalem potuit rationabiliter intelligere necessitatem consecutiuā inter causam non impedibilem & suum causatum, quia sicut in conditionali verbali ex antecedenti verbali necessario verbaliter sequitur consequens suum verbale; sic & in conditione seu colligatione reali causæ non impedibilis & causati, ex causa, quæ naturaliter antecedit, velut ex antecedenti reali, necessario realiter sequitur, quia posterius naturaliter suū causatum, qd. est consequens suum reale, & hæc est necessitas respectiua, respectu scil. superiorum & inferiorum causarum, B quarum 1. concedit in actibus liberis, 2. verò negat, sicut superius est ostensum. Hunc autem ideo verisimiliter arbitror esse intellectum Autorum, qui dicunt qd. quicquid, vel si quid Deus vult, præscit, aut prouidet, de necessitate eueniet, quia secundum eos Dei voluntas, præscientia, siue scientia & prouidentia sunt causæ rerum, & causæ non impedibiles, sed efficaces omnino & necessariæ in causando, sicut 9. & 15. 27. & sequentia cum 10. 1. docent. Glossa verò Decreti potuit intelligi iuxta secundum intellectum Boetij supradictum; potuit tamen glossa exposuisse propinquius textum suum per necessitatem sequentem, siue per necessitatem consecutiuam causarum superiorum, sicut prætert superficies literæ, sicut & præmissa exponunt. Sed fortassis quia illa expositio fuisset difficilior nimiū & multū diffusior, ipsam sub silentio transiens, faciliorē & breuiorē elegit, non præiudicans meliori. Veruntamen si quis huic glossæ pertinaciter innitatur, caueat sibi, quæso, ne forte innitatur baculo arundineo, qui intret & perforet manum eius. Ecce namq; quid dicit in fine; Hæc, inquit, est duplex. Necessarium est hoc C euenire qd. Deus præuidit: de dicto est vera, de re est falsa. Istud enim, qd. Deus præuidit, non est necesse euenire. Et nota, qd. hæc argumentatio non valet, Si Deus præuidit aliquid, necessario illud eueniet; ergo si Deus præuidit aliquid, necessarium est illud euenire, quia modo hæc dictio, necessarium, non potest determinare illam consequentiam, sed tantū consequens. Vult igitur ista glossa negare omnia talia, illud qd. Deus præscit aut præsciuit, prouidet aut prouidit, vult aut voluit aliquid necesse seu necessarium est illud euenire, quia necessitas secundū ipsam in omnibus talibus refertur non ad consequentiam, sed ad consequēns, non ad dictū, sed ad rē tantū. Sed ecce quam diligenter respexit textū Boetij & Decreti, quē glossando exponit, Si quid, inquit textus amborū, prouidentia præsens videt, id necesse est esse, siue id esse necesse est. Ecce similiter quam diligenter respexit verba Scripturæ canonicæ & Doctorū. Nam Luc. vlt.
Lucas. veritas ipsa dicit, Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosis & Prophetis, & Psal- D
Matth. mis de me: & Mat. 18. Necesse est vt veniant scandala; qd. & Luc. 17. æquipollenter expo-
Augustinus. nens, Impossibile est, inquit, vt non veniant scandala. Aug. etiam 3. de libero arbitrio 11. Tantum, inquit, abest à vero, quod Creatori deputanda existimantur peccata creaturæ, quāuis necesse fiant, quæ ipse futura præsciuit, vt cum dixeris non te inuenire, quomodo non ei deputetur quicquid in eius creatura fieri necesse est; ego contra non inueniā modū, nec inueniri posse, atque omnino nō esse confirmē, quo ei deputetur quicquid in eius creatura ita fieri necesse est, vt voluntate peccantiū fiat. Similē quoq; sentētiā cum simili modo loquendi proferunt autoritates eius quamplurimæ cap. proximo allegatæ; Dicitq; Anselm. de concord. 2. Quod Deus præscit futurū, necesse est esse futurū; & infra; Si præscit Deus aliquid, necesse est illud esse futurū: qui & 2. cur Deus homo. 17. Nihil, inquit, est necessariū aut impossibile, nisi quia ipsa vult: In Meditatione quoq; sua de redemtione humana sic ait, Anima Christiana, anima de graui morte resuscitata; omnis necessitas & impossibilitas eius subiacet voluntati, quippe qd. vult, necesse est esse, & qd. non vult, impossibile est esse. Similē quoq; sententiā similiter proferunt E
|| doctores. multi || *docti*. Pro intellectu verò Anselmi sciendū, qd. secundū suā sententiā duplex est necessitas, scil. præcedens & sequens, & vtraq; istarū triplex. Præcedens autē necessitas secūdū eum est causa actiua indefectibilis in agēdo, quā scil. positā necessariò sequitur suus effectus: & hæc duplex, quia quædā cōpatiens libertatē, quædā verò perimens libertatē: & hæc duplex: quædā enim est talis necessitas naturalis, quædam verò est talis necessitas violenta. Hi autem tres modi ex secundo huius & decimo sunt satis noti; qui & 2. de concord. possunt elici manifestè, vbi & in rebus liberi arbitrij primum istorum concedit, sicut cap. proximum recitauit, & alios duos negat. Necessitas quoq; sequēs est duplex; vna dictionalis, siue cōsequētialis & cōplexa; altera verò realis & incomplexa. Necessitas autem sequens dictionalis seu consequentialis & complexa est necessitas alicuius dicti & enuntiationis compositæ, seu coniunctim scil. in sensu

compositionis

A compositionis, vel necessitas conditionalis aut consequentiæ: & hæc secundum Logicam Anselmi De concord. 2. est tanta necessitas, quòd eius oppositum contradictionem formaliter implicat & inuoluit, sicut eius autoritas allegata indicat euidenter: Quare & habet consequenter concedere, quòd talis est necessitas penitus absoluta; in re verò & in consequente non est necessitas absoluta, sicut in secunda expositione Boetij fuit dictum. Veruntamen secundum probabilem Logicam Modernorum Oxoniæ, non omnes illæ propositiones necessariæ reputantur, in quibus idem dicitur de eodem, sicut supponit Anselmus, & antiquiores Doctores. Hæc enim non esset necessaria, nec vera, sed falsa, nullo homine existente, Homo est homo; sequitur enim, homo est homo, ergo homo est animal rationale; hoc enim est de per se intellectu illius; ergo homo est animal; ergo animal est homo; cùm tamen nullo homine existente, sed animalibus alijs, sicut ante creationem Adæ fuit, omne animal esset
B irrationale & non homo; & nullum animal esset rationale nec homo. Ad hoc autem quod solent obijcere, ergo quidem homo non est homo, dupliciter respondetur. Quidam enim simpliciter hanc concedunt, & si arguatur vlterius, ergo || *aliquid est homo, & illud non est homo*, consequentiam illam negant, quia antecedens est simpliciter negatiuum, nec quicquam ponit vel implicat, sicut dicunt, sicut nec ista, Chymæra non est animal, vel non est homo. Alij verò negantes hanc, Homo est homo, concedunt contradictoriam eius talem; Non homo, vel nullus homo est homo, & ita semper præponendo negationem, contradictoriam dicunt dandam; æquipollentias verò Philosophi dicunt semper tenere, nisi aliquid speciale impediat & repugnet. Sed quia ista magis ad Logicos, quàm ad Theologicos pertinent, sufficiat isto loco hæc breuiter tetigisse. Necessitas verò sequens realis & incomplexa est duplex: quædam est enim præsentialis, quædam autem causalis seu effectualis, vt quàm propinquius potero, licèt aliquantulum transsumtiuè, nomina eis imponam: Sequens autem neces-
C sitas realis & præsentialis à re præsente siue à præsentia dici potest. Hæc enim omnem rem præsentem necessariò sequitur isto modo, quòd omne quod est, quando est, hac necessitate necesse est esse, sicut in tertia expositione Boetij dicebatur. Pro hac autem sententia dicit Anselmus 2. de concord. isto modo, quia ponitur res esse, dicitur ex necessitate esse; aut quia ponitur non esse, affirmatur non esse ex necessitate: Et infra, Quod vult libera voluntas, & potest, & non potest non velle, & necesse est eam velle. Potest namque non velle antequam velit, quia libera est; & cùm iam vult, non potest non velle, sed eam velle necesse est, quoniam impossibile est illi idipsum simul & velle & non velle. Et sequitur, Opus verò voluntatis cui datum est, vt quod vult, sit, bifariàm est necessarium; quia voluntate cogitur fieri, & quod fit non potest simul non fieri. Qui & infra 3. dicit futura esse necessaria in æternitate & apud Deum, cuius causam assignat, quia ibi sunt præsentia non futura, sicut superius est ostensum. Idemque 2. Cur Deus homo 17.
D Esse, inquit, rei facit necessitatem esse. Est namque necessitas præcedens, quæ causa est vt sit res, & est necessitas sequens quam res facit. Præcedens & efficiens necessitas est, cùm dicitur Cœlum volui, quia necesse est vt voluatur; sequens verò & quæ nihil efficit, sed fit, est cùm dico te ex necessitate loqui, quia loqueris. Hæc autem sequens necessitas non potest tantùm exponi per necessitatem dictionalem seu consequentialem, quoniam siue res sit, siue non sit, siue loquaris, siue non loquaris, secundum eius sententiam 2. de concordant. superius recitatam, hoc dictum semper est necessarium de re quacunque; talis res est talis res, & tu loquens loqueris; & consequentia ista similiter, Si talis res est, talis res est; & si tu loqueris, tu loqueris. Hæc ergo non est illa sequens necessitas, quam dicit factam à rebus, sed illa realis necessitas supradicta, quę necessariò sequitur ex re omni. Hoc etiam verba sua sequentia contestari videntur, Hæc est, inquit, illa necessitas, quæ, vbi tractat Aristoteles de propositionibus singularibus & futuris,
E videtur vtrumlibet destruere, & omnia esse ex necessitate astruere. Sed 1. peri hermenias vlt. vbi Aristot. ista tractat, non apparet poni aliqua talis necessitas quæ possit videri vtrumlibet destruere, & omnia esse ex necessitate astruere, nisi necessitas realis & præsentialis prædicta, quæ affirmat, quòd omne quod est, quando est, necesse est esse; & similiter de eo quod non est: vnde sic ait, Esse quod est, quando est, & non esse quod non est, quando non est, necesse est. Hunc quoq; intellectum Anselmi de necessitate sequente testatur autoritas Roberti Lincoln. superius recitata, in qua primò allegat duplicem necessitatem ab eo; præcedentem, scil. & sequentem: & infra ostendit, quòd necessitas conditionis, quam Boetius asserit, non est necessitas consecutionis, sed necessitas sequens quam prædixit, necessitas scil. præsentialis, sicut in 3. expos. Boetij est ostensum: necessitas verò sequens, causalis, seu effectualis, potest dici à causa vel ab effectu; & videtur esse illa necessitas consecutiua inter causam non impedibilem

|| aliquid quod est homo, non est homo.

& suum effectum, in 4. expositione Boetij supradicta, propter rationem & causam ibi similiter asignatam; & hunc intellectum satis attestari videntur Autoritates Anselmi cap. proximo allegatæ. Et si quis obijciat, quòd tunc eadem esset necessitas antecedens & consequens; dicendum, hoc esse satis possibile, imò & necessarium diuersis respectibus rationibusque diuersis. Necessitas tamen præcedens propriè & strictè accepta tantùm est causa siue in causa indefectibili in causando, de qua secundo huius est dictum, & hæc correspondet antecedenti logicali in consequentia logicali: necessitas verò sequens, realis, causalis, seu effectualis dupliciter potest sumi; vno modo, vt sit tantum effectus, seu in effectu huiusmodi causæ non impedibilis in causando, & correspondet necessitati præcedenti prædictæ, sicut effectus efficienti, & passum agenti; & hæc asimilatur consequenti logicali in consequentia logicali: alio modo, vt quodammodo complectatur vtramque, vt videlicet sit necessitas consecutiua, siue consecutio, seu consequentia ipsa realis inter causam huiusmodi & suum causatum, sicut consecutio, seu consequentia logicalis non est in solo antecedente vel consequente, sed vtrumlibet complectitur, & est quædam habitudo media inter illa; & hæc necessitas sequens realis correspondet toti consequentiæ necessariæ logicali. Veruntamen est sciendum, quod necessitas antecedens siue præcedens habet duplicem intellectum. Nam vno modo accipitur, sicut hic est dictum, & sicut secundum huius eam definit, alio modo pro necessitate simpliciter & penitus absoluta; hæc enim omnem aliam necessitatem naturaliter antecedit; vel pro necessitate naturali effectus naturaliter necessarios præcedente; quod & videtur innuere Robertus Lincolniensis de libero arbitrio 3. vbi ait, Ex necessario secundum Boetij sententiam sequi videtur contingens, non tamen ex necessario absoluto siue antecedente, quod cogit rem esse, sed ex necessario conditionis & sequente, quod permittit rei liberum esse. Qui & infra 10. necessitatem antecedentem & simplicem reputat pro eadem; Qui etiam in quadam quæstionum suarum de scientia Dei quærente, Qualiter Deus scit ea quæ contingunt à casu, vel ex libera voluntate, distincta duplici causa, scilicet antecedente & coniuncta, definiendo causam antecedentem; Est, inquit, causa antecedens, scilicet præordinans, vt secundum cursum naturæ eueniat aliqua res de necessitate, vt eclipsis Solis & Lunæ; & infra, responso, quod Deus non est causa antecedens huiusmodi effectuum, sed coniuncta, vnam obiectionem possibilem fieri remouendo, subiungit; Facere Dei & eius scire idem est; & non sequitur, Scientia Dei, quæ est causa rei, est æterna, ergo est antecedens; antecedentia enim, de qua fit hic sermo, est euentus futuri secundum cursum naturæ necessaria præordinatio. Hoc etiam videtur consonare verbis & menti Anselmi de concor. & 2. Cur Deus homo. vbi fuerat allegatus. De concordia namque 2. negans necessitatem antecedentem in actibus liberis, in ortu Solis eam concedit. Et 2. Cur Deus homo. 17. negans similiter necessitatem antecedentem à rebus liberi arbitrij, concedit eam in volubili motu Cœli. Nam violentia, sicut dicit, naturalis conditionis cogit cœlum || *volui*. Intellectus etiam sancti Thomæ ex præmissis potest elici manifeste: concedit enim necessitatem dicti, non rei, necessitatem consequentiæ, conditionis, & ex suppositione aliam vero negat. Necessitas namque conditionis, & ex suppositione ad modum suum loquendi, & ad communem modum loquendi Doctorum Parisiensium dupliciter potest exponi. Quædam namque est dictionalis & complexa; quædam vero realis & incomplexa: & hæc duplex, quædam præsentialis, quædam autem consecutiua, causalis, seu effectualis, sicut de necessitate sequente Anselmi superius est distinctum. Consequentia namq; atque consecutio est duplex, dictionalis seu logicalis, & realis: & hæc duplex, præsentialis & causalis seu effectualis, propter rationem & causam in expositione Boetij & Anselmi superius assignatam. Concedit igitur S. Tho. necessitatem dicti & consequentię pro necessitate simpliciter absoluta, secundum logicam Anselmi & antiquorum Doctorũ superius recitatam. Necessitatem vero rei & consequentis negat ad similem intellectum; quod & verba sua indicant manifestè; Bona, inquit, est distinctio, quod est necessarium necessitate consequentiæ & non necessitate consequentis; vel necessitate conditionata non absoluta, sicut erat superius allegatum. Qui & 1. contra Gentiles 67. loquens de huiusmodi necessario, Hoc, inquit, non est necessarium absolutè, sed sub conditione, & necessitate consequentiæ. Et infra 83. Licet Deus circa causata nihil necessario velit absolute, vult tamen aliquid necessario ex conditione, vel ex suppositione. Et infra 85. Necessitas ex suppositione in causa non potest concludere necessitatem absolutam in effectu; Deus autem vult aliquid in creatura non necessitate absoluta, sed solum necessitate, quæ est ex suppositione: ex voluntate igitur diuina non potest concludi in rebus creatis necessitas absoluta; hæc autem sola excludit contingentiã. Vult ergo S. Tho. tantũ negare necessitatẽ absolutã cõtingẽtiã excludẽtẽ. Necessitatẽ autẽ cõsequẽtiæ, conditionis, & suppositionis realẽ, præsentialẽ concedit, sicut in assignatione causæ necessitatis, quã ponit, recitata

|| moueri.

A recitata superiùs clarè patet. Necessitatem quoq; consequentiæ, conditionis, & suppositionis realem, causalem, seu effectualem innuit & affirmat, si sententia eius & verba intimè perscrutentur, quod & euidenter ostendit causa in 4ª. expositione Boetij superiùs assignata. Aliter autem & breuiùs potest dici, quod necessitas secundum eum non dicitur secundum causas superiores, sed inferiores tantummodo, sicut cap. proximum recitauit. Quando ergo negat necessitatem ab actibus liberis, intelligit de necessitate respectu inferiorũ causarum, sicut & cap. proximum allegauit. Secundum has quoque expositiones præmissas, aliquamuè illarum intelligi potest Lumbardus cæteriq; Doctores distinctiones huiusmodi facientes.

CAP. XXIX.

B

Obijcit & respondet.

EXclusa igitur responsione fallaci, quæ munitiones necessitatis secundum causas superiores præmissæ moliebatur suffodere, Iam Pelagianorum clamosus insultus ingruit quaquauersum: quorum primum & acutissimum telum est istud; Si homo necessitetur ad quodlibet faciendum, non peccat, Nam secundum Augustinum 3. de libero arbitrio 28. Nullus peccat in eo quod nullo modo caueri potest: Qui & de duabus Animabus 18. Peccati, inquit, reum tenere quenquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis & infamiæ est. Quare & Hieronymus in explanatione fidei ad Damasum Papam ep. 32. Execramur, *Augustinus* *Hieronymus*

C inquit, eorum blasphemiam, qui dicunt impossibile aliquid homini esse præceptum à Deo, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in communi posse seruari: & sequitur, Liberum arbitrium sic confitemur, vt dicamus nos semper indigere auxilio Dei; & tam illos errare qui cum manichæo dicunt hominem peccatum vitare non posse, quàm illos, qui cum Iouiano asserunt, hominem non posse peccare. Vnde & Apostolus 1. ad Cor. 10. Fidelis Deus qui non patietur vos tentari super id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. Quibus & concordanter Philosophus 3. Ethic. 12. Omnes & solas malitias increpatas dicit esse in nobis; in nostra scilicet potestate: & 5. Metaphys. 6. Videtur, inquit, necessitas non increpabile aliquid esse rectè. Item præcepta rationabiliter dantur hominibus; ergo sunt simpliciter in hominum potestate, sicut testatur autoritas Hieronymi superius allegata. Vnde & Deuter. 30. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, inquit Moses, non supra te est, nec procul positum, nec in cœlo situm, vt pos- *Philosophus.* *Deuteron.*

D sis dicere, quis nostrum valet ad cœlum conscendere, vt deferat illud ad nos, & audiamus atque opere compleamus? Neq; trans mare positum, vt causeris & dicas, quis è nobis valet transfretare mare, & illud ad nos vsque deferre, vt possumus audire & facere quod præceptum est? sed iuxta te est sermo valde in ore tuo & in corde tuo vt facias illum. Vnde & Philosophus 3. Ethic. 11. Quæcunque neque in nobis sunt, nec voluntaria nullus prouocat operari, vt nihil autem opus existente suadere, puta non calefieri, vel dolere vel esurire: Nihil enim minus patiemur hæc. Item tunc periret omne meritum bonum, & malum, omnisque libertas arbitrij, cùm nihil sit liberè in hominis potestate. Item tunc omnes increpationes vel laudationes, exhortationes vel dehortationes, orationes, & vniuersaliter omnes operationes bonæ & malæ || *superfluæ* viderentur; & etiam hæc in parte est ratio Augustini 3. de libero arbitrio 1. & Philosophi 3. Eth. 11. Quare & idem Philosophus 1. peri hermenias vlt. probat non omnia esse aut fieri ex necessitate, quia tunc non oporteret nec consiliari, neq; ne- *Philosophus.* || superfluere *Philosophus.*

E gotiari; Quoniam, inquit, si hoc facimus, erit hoc, si vero hoc non, erit: hæc ergo sententia omnem politiam subuertit, omnes mores corrumpit, & omnem subruit honestatem. Item ista sententia reddit homines negligentes ad bonum, procliues ad malum, imò & præsumptuosos finaliter, aut finaliter desperatos, quare & æternaliter perituros; quoniam secundum ipsam quicquid fecerint homines, vel non fecerint, non minùs nec magis euenient, vel non euenient vniuersa. Præter has autem aliæ quamplures argutiæ ab alijs opponuntur. Multa, inquiunt quidam, fiunt quæ liberè possumus impedire: Nam sicut exemplariter arguunt, Iste paruulus baptizatus finaliterque damnandus propter peccatum futurum, quod committet adultus potest statim occidi in gratia & saluari. Item omnes, inquiunt, experimur in nobis omnimodam libertatem; ergo omnes habemus in nobis omnimodam libertatem. Vnde Aug. 3. de lib. arb. 1. *Augustinus*

Video,inquit,& quodammodo tango & teneo vera esse quæ dicis,de animi scilicet libertate. A
Non enim quicquam tam firmè atque tam intimè sentio quàm me habere voluntatem,eaque me moueri ad aliquid faciendum. Item si sic esset voluntas nostra, non esset in nostra libera potestate, quare nec quicquam omnino, dicente Augustino 3. de libero arbitrio 1. quid meum dicam prorsus non inuenio, si voluntas,qua volo & nolo, non est mea. Item tunc Deus esset Autor peccati, ergo non iustus accusator nec vltor. Item dicunt, Illum nolo pro Deo meo habere, qui me impellit ad malum. Item tunc difficultas & ignorantia in nullo excusaret péccatum, quia nec impossibilitas euitandi. Item tunc ante lapsum hominis in peccatum, non fuisset maior possibilitas seu libertas vitandi peccatum, quàm nunc post lapsum,contra Petrum secunda sententia distinctione vigesima quinta,& contra Bernardum & similiter Hugonem: Tunc enim non potuit vitare peccatum, nisi de absoluta potentia, nec nunc potest. Item necessitas naturalis atque fatalis repugnat merito, ergo & quælibet alia. Item tunc non esset maior libertas in homine quàm in bruto: Homo namque non B
potest non facere quodlibet faciendum ab eo, nisi de potentia absoluta, & sic & non aliter potest brutum. Item tunc homo non posset peccare, quia necesse est eum in omnibus semper velle, sicut Deus vult eum velle, & hoc est velle iustè & rectè, sicut per Anselmum de libero arbitrio 8. & de Concordia 5. patet. Item tunc non esset maior libertas in viatore quàm in comprehensore finaliter confirmato. Non enim potest viator in oppositum alicuius quod faciet, nisi de potentia absoluta, & hoc potest similiter comprehensor; quare nec iste potest magis mereri quàm ille, imò & est confirmatus finaliter sicut ille. Item si futura qualicunque necessitate euenient, hoc est propter voluntatem diuinam,quia scilicet Deus vult illa fore; ergo voluntas siue volutio diuina est causa necessitatis istius, & naturaliter prior ipsa, ergo potest esse sine illa necessitate: ex voluntate igitur diuina respectu futurorum non necessariò sequitur necessitas futurorum. Item voluntas de se est libera secundum contradictionem; ergo Deus potest sibi assistere tali modo, quod vtatur liberè sua C
huiusmodi libertate. Item perfectiùs est, Deum sic assistere voluntati,quod ipsa liberè, quàm quod necessariò operetur; ergo hoc, & non aliud,tribuendum est Deo. Item tunc nullus peccat omittendo quod debet, dicente Aug. de duabus Animabus 18. Peccati reum teneri quenquam quia non fecit,quod facere non potuit,summę iniquitatis & insaniæ est. Item tunc Deus nihil permitteret nisi quod propriè ageret,nec permissio & actio Dei differrent,nec voluntas permissionis à beneplaciti voluntate; Cuius oppositum omnes Doctores cõcorditer attestantur. Item tunc Deus vellet & amaret peccatum, contra illud Psalmi 5. Non Deus volens iniquitatem tu es; & contra illud 44. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. Item multæ autoritates canonicæ istud damnant. Vnde Gen. 4. Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius; & Ecclesiastici 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui, &c. quæ sequuntur; & 1. ad Cor. 7. Qui statuit in corde suo firmus non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde D
suo seruare virginem suam, bene facit: Quibus & sunt aliæ plurimæ similes in litera & in sensu. Item si omnia necessariò euenirent respectu causarum superiorum, hoc esset necessitate præcedente contra Anselmum 2. Cur Deus homo. 17. ostendentem, quod actus liberos hominum atque Christi non est nec fuit necesse fieri necessitate præcedente, sed tantum sequente: Vnde sic ait; Præcedens & efficiens necessitas est, cùm dicitur cœlum volui, quia necesse est vt voluatur; sequens verò & quæ nihil efficit, sed fit, est cùm dico te ex necessitate loqui quia loqueris: Cùm hoc dico, significo nihil facere posse vt dum loqueris, non loquaris; non quod aliquid te cogat ad loquendum: Nam violentia naturalis conditionis cogit cœlum volui, te verò nulla necessitas facit loqui. Et infra, hac sequente & nihil efficiente necessitate, quoniam vera fuit fides & prophetia de Christo, quia ex voluntate, non ex necessitate moriturus erat, necesse fuit, vt sic esset; hac homo factus est, hac fecit & passus est, quæcunque fecit & passus est; hac voluit quæcunque voluit. Ideo enim necesse E
fuerunt, quia futura erant, & futura erant, quia fuerunt, & fuerunt quia fuerunt; & si vis omnium quæ fecit, & quæ passus est veram scire necessitatem, scito omnia ex necessitate fuisse, quia ipse voluit; voluntatem verò eius nulla præcessit necessitas: Quare si non fuerunt nisi quia ipse voluit, si non voluisset non fuissent; sic itaque nemo tulit animam eius ab illo, sed ipse posuit eam, & iterum sumpsit eam, quia potestatem habuit ponendi animam suam, & iterum assumendi eam, sicut ipse dicit. Idem de Concordia 3. 4. & 2. dicit res liberi arbitrij priusquam fiant apud hominem, & per liberam voluntatem & in tempore posse mutari, sicut vigesimum septimum & vigesimum octauum huius pleniùs allegabant. Boetius etiam 5. de Consolatione Philosophiæ prosa vltima. Quæ, inquit, de libero proficiscun-

Augustinus

Augustinus

Genesis.

Ecclesiast.

Apostolus.

Anselmus.

Boetius.

A ciscuntur arbitrio, priusquam fierent, non euenire potuissent. Anselmus quoque de Concordia 2. sic ait, Si quæritur de peccato ipsius voluntatis cùm peccat volendo, vtrum sit necessitate; respondendum est, quia sicut non vult necessitate, ita non est peccatum voluntatis necessitate, nec necessitate operatur eadem voluntás. Robertus etiam Lincolniensis De libero arbitrio 10. dicit, quod Petrum prædestinatum saluari, non necessariò, sed contingenter est necessarium sic saluari; & addit, sed necessarium dico necessitate consequente, non antecedente. Item Bernardus de gratia & libero arbitrio 4. & 5. distinguens triplicem libertatem, à peccato, à miseria, & à necessitate, dicit vltimam libero arbitrio conuenire: Vnde & 5. sic ait, Libertas à necessitate æquè indifferenter Deo, vniuersæque creaturæ rationali conuenit tam bonæ quàm malæ. Et vt in paucis multa dicam, Autores quamplurimi adducantur, omnes ferè Autores Logici, & Philosophici, & verè omnes Theologici videntur necessitatem ab actibus liberis abnegare. Quare & Robertus Cantuariensis Archiepiscopus

Anselmus. *Lincolni.* *Bernardus.* *Robertus Cantuar* *Stephanus.*

B condemnauit Oxoniæ quendam errorem dicentem, quod Omnis propositio de futuro vera est necessaria: & Stephanus Parisiensis Episcopus damnauit Parisijs quendam alium errorem ponentem, quod nihil fit à casu, sed omnia de necessitate veniunt, & quod omnia futura quæ erunt, de necessitate erunt, & quæ non erunt impossibile est esse, & quod nihil euenit contingenter considerando omnes causas; Error, inquiens, quia concursus causarum est de definitione casualis, libro de Consolatione. Item alium sub hac forma, quod Deum necesse est facere, quicquid immediatè fit ab ipso: Error, siue intelligatur de necessitate coactionis, quia tollit libertatem; siue de necessitate immutabilitatis, quia ponit impossibilitatem aliter faciendi. Bernardus etiam epistola sua decima ad Papam Innocentium reputat dictum Petri Abelardi hæreticum, quod videlicet ea solummodo Deus possit facere vel dimittere, vel eo modo tantum, vel eo tempore quo facit non alio: quod & idem Papa vt patet per suum rescriptum inter epistolas Bernardi pro decima quarta recitatum tanquam hæ-

C reticum condemnauit Quædam verò rationes ostendentes necessitatem prędictam destruere moliuntur vel necessitatem istam per illas; quoniam, sicut dicunt, si rationes opinionis huius ostendant, quod omnia quæ euenient, eueniēt de necessitate causarū superiorum, potest ostendi similiter quod omnia quæ euenient, eueniēt de necessitate causarū inferiorum, quia necessariò implebitur voluntas diuina per has, sicut per illas. Iterum aiunt, per rationem huius opinionis potest ostendi eius oppositum, vel saltem possibilitas eius oppositi. Deus namq; potest velle aliquam creaturam posse agere liberè sine necessitate quacunque; quod sic arguitur à quibusdam; Deum velle creaturam liberè agere, diuersum est à Deum velle creaturam necessariò agere; ergo hoc velle potest ab alio separari, & cùm voluntas Dei sit efficax, possibile est creaturam liberè agere sine necessitate quacunque. Præterea inquiunt, si secundum rationem opinionis istius, quia Deus vult omnia futura euenire, ideo de necessitate euenient; ergo simili ratione, quia Deus vult aliqua futura posse nullatenus euenire, neces-

D se est aliqua futura posse nullatenus euenire; ergo possibile est aliqua futura nullatenus euenire, & necesse est omnia futura euenire, quæ planissimè contradicunt. Porrò, quicunque scuto veritatis circundatus ab his & similibus Pelagianorum sagittis atque incursibus, etiamsi dæmonium meridianum conduxerint, non timebit. Primum siquidem argumentum est proprium argumentum Pelagij & suorum. Hoc etenim argumentum, tanquam Pelagij proprium, recitat Augustinus prima Retractationum 9. & De natura & gratia 67. & respondet: Ille namque liber, sicut patet prima Retractationum 9. & secunda Retractationum 42. contra quendam librum Pelagij erat scriptus. Hoc etiam argumentum quasi sub sua forma recitat Augustinus à Cœlestio Pelagiano de perfectione iustitiæ 2. & sub alia forma, eadem tamen peruersitatis sententia, multis locis sequentibus, & respondet. Venerabilis quoque Beda contra Iulianum 12. recitat eandem argutiam ex epistola eius ad Demetriadem, de qua trigesimum quintum primi meminit, & respondet. Quos & Petrus sequutus secunda sententia distinctione vigesima octaua, recitat à Pelagianis hoc

Responsio. *Augustinus* *Beda.*

E idem, & soluit. Verum quia hoc est eorum fortissimum argumentum, illud parumper operosiùs pertractabo: Hoc siquidem argumentum potest similiter fieri de bene mereri, sicut de peccare. Nam si nullus peccat in eo quod vitare non potest, eadem ratione nec vllus meretur in eo quod vitare omittereuè non potest; quod falsum est de Christo & de Angelis confirmatis secundum sententiam aliquorum, vt in primo huius & in probatione corol. eius patet, quod & secundū huius ostendit. Omnis etiam qui nunc meretur, necessariò nūc meretur, quia secundum illud vulgatum Philosophi, Esse quod est, quando est, necesse est: quod & patet apertiùs, si quis mereatur in primo adultionis seu euigilationis instanti, vel si Angelus aut homo creatus cum necessarijs ad merendum meruisset in eodem instanti, sicut & fuit de

Christo

Christo secundum naturam humanam: alias enim in merito non profecisset, contra omnes A
Doctores Catholicos illud Luc. 2. Iesus proficiebat sapientia, ætate, & gratia apud Deum & homines, Catholicè exponentes; quorum multos ibi recitat glossa Thomæ, solus autem Ambrosius videtur sentire contrarium; sed Petrus 3. sent. dist. 13. ipsum reducit ad concordiam aliorum. Hoc idem tenet Gregorius super Ezechiel 1. homil. 6. quem & recitat idem Petrus eodem 3. distinctione 18. qui & vtraque distinctione prædicta idem ostendit & tenet. Hoc etiam totum potest haberi ex ostensione octaui corollarij, quinti huius. Item qui istam necessitatem in meritis vult vitare, ponet cum Pelagio hæretico contra veritatem catholicam, merita nostra nequaquam à Deo, sed tantum à nostro libero arbitrio proficisci, sicut patet per beatum Augustinum de gratia & libero arbitrio 16. & 17. sicut trigesimum octauum primi pleniùs allegauit: quod & potest constare ex 45. & 46. primi & alijs locis multis. Item nullus peccat nisi in eo quod vitare non potest, saltem pro præsenti, quia nullus peccat nisi peccato præsenti, quod quando est, necesse est esse. Et si quis dixerit, quod priùs potuit illud vitasse, non instat nec respondet, quia etsi priùs potuit, nunc non potest; non ergo vitat, B
quin omnis qui peccat, peccat in eo quod vitare non potest. Hoc idem potest euidentiùs argui de peccante in primo instanti adultionis, curationis à furia, seu euigilationis à somno, vel etiam instanti primario sui esse: Hoc enim videtur possibile de peccare, cùm sit possibile de mereri, sicut superius est ostensum. Item qui sic arguit, euidenter innuit & supponit, quod quilibet homo proprijs viribus diuinitus non adiutus possit tentationem quamlibet superare, peccatum quodlibet euitare, perseuerare quoque finaliter ex se solo, ac etiam mereri, & agere, vel saltem præagere quidlibet ex seipso: Hoc autem quot hæreses & errores contineat, quartum secundi cum quinto sequentibus, trigesimum octauum primi cum quadragesimo quinto & quadragesimo sexto eiusdem, vigesimo secundi cum eiusdem trigesimo, & pluribus alijs lucidè manifestant. His autem istis argutoribus, & eorum argumentó per viam instantiæ redargutis, iam superest ipsum directè soluere argumentum, cuius recta solutio est peccati eius ostensio: Peccat siquidem mortaliter insanabiliterque in forma, sicut corollaria primi & secundi huius ostendunt. Veruntamen decimum huius cum suo corollario multum artificiosius, elucidatius, distinctius atque formalius respondebit. Ad autoritatem verò beati Augustini & ad alios similes potest multipliciter responderi. Primò, quòd potest intelligi congruè isto modo, quod nullus peccat in eo, quod non facit liberè libertate contradictionis & contingenter ad vtrumlibet, sicut quartum & quintum huius ostendunt; ita quod quantum est de potentia voluntatis per se nudè & absolutè consideratæ, posset illud non facere: Et simile est similiterque dicendum de quolibet actu libero bono vel malo aut in differenti, si ponatur secundum substantiam ipsam actus. Secundò & concordanter cum expositione priori, & cum processu priori, & cum processu & litera potest dici, quod Augustinus intendit ibi remouere ab homine necessitatem naturalem peccandi, ita quod nullus peccat in eo quod vitare non potest possibilitate naturæ, sed facit illud necessitate naturæ: Vnde supra eiusdem D
3ⁱ. 26. Si hoc debet quisque quod accepit, & sic homo factus est, vt necessariò peccet, hoc debet vt peccet: quod si scelus est dicere, neminem natura sua cogit vt peccet. Et infra 28. Improba, inquit, voluntas malorum omnium causa est, quod si secundum naturam esset, conseruaret vtique naturam, & ideo non esset improba; vnde colligitur radicem omnium malorum non esse naturam. Hunc etiam intellectum 10um. huius probat, docens librum Augustini de libero arbitrio fuisse conscriptum contra Manichæos, ponentes in homine duas animas naturales, bonam & malam, malamque animam facere necessitate naturæ omnia mala facta; quare & post autoritatem vltimo recitatam, quæ dicit radicem omnium malorum non esse secundum naturam, immediatè subiungit, quod sufficit aduersum omnes qui volunt accusare naturas. Oportet ergo correspondenter, elenchicè intelligere & exponere illum librum, sicut nunc tangebatur, & superius decimo huius plenius docebatur. Adhuc autem tertio non minus concorditer cum processu potest præmissa autoritas sic exponi, quod nullus peccat in eo quod nullo modo caueri potest etiamsi velit, sed nolenti & inuito contingit, E
vt sic necessitatem violentam cogentem & inuitam remoueat à peccante. Iste namque est creber modus loquendi vulgarium & Doctorum; possum si volo, potes si vis, potest si vult facere hoc vel illud. Quid enim facilius, quid liberius quàm facere quid, si volo, & non facere si non volo? Quod autem iste sit intellectus Augustini, videtur ex verbis eius & processu 3°. de libero arbitrio 28. vbi fuerat allegatus. Ostenso namque quod voluntas est causa peccati, inquirit vlterius, Nunquid ipsius voluntatis sit aliqua causa prior, cui rectè imputetur peccatum; & probato quod non, quia non ei obtemperet voluntas, & non peccabit, obijcit in persona quærentis, An fortè violenta est, & cogit inuitum; & respondet, docendo non sic esse

Marginalia: 1ª. Expositio Aug. (beside "Augustini & ad alios similes…"); 2ª. Expositio. (beside "natur secundum substantiam…"); 3ª. Expositio. (beside "brum, sicut nunc tangebatur…")

A esse vsque ad finem capituli memorati. Secundum hanc ergo necessitatem & libertatem ei oppositam, oportet rationabiliter accipere & intelligere sua verba; alias enim non facerent ad propositam quæstionem. Supra quoque 26. ait, Neminem natura sua cogit vt peccet, sed nec aliena: Non enim quisque dum id quod non vult patitur, peccat: Nam non peccat in eo quod patitur inuitus. Qui & infra 29. dicit, Nec mirandum est, quod homo vel ignorando non habet arbitrium liberum voluntatis ad eligendum quid rectè faciat, vel resistente carnali consuetudine, quæ violentia mortalis successionis quodammodo naturaliter inoleuit, videat quid rectè faciendum sit, & velit nec possit implere. Illa enim est peccati pœna iustissima, vt amitteret quis quo bene vti noluit, cùm sine vlla posset difficultate, si vellet; quod & de natura & gratia 68. recitat approbando. Qui adhuc inferius eiusdem 3. 31. scribit, Rerum creator ostendit quanta facilitate potuisset homo, si voluisset, retinere quod factus est, cùm proles eius potuit etiam superare quod nata est; & subsequenter 36. ait, Autor animæ tantum illi præstitit dignitatis, vt in eius etiam potestate poneret, si vellet, ad beatitudinem tendere.

B

Qui etiam supra 3 ostendens || *quasi definitiuè*, quid sit esse in potestate nostra; Non possum, inquit, aliud sentire esse in potestate nostra, nisi quod cùm volumus facimus. Idem de spiritu & litera 26. volens inquirere, An fides in nostra constituta sit potestate, prius ex intentione & multum diligenter inquirit quid sit potestas, & tandem determinando finaliter, & quasi definitiuè notificando quæsitum, sic ait; Hanc dicimus potestatem, vbi voluntati adiacet facultas faciendi: vnde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit, si non vult, non facit. Hoc idem istis concorditer attestatur eiusdem autoritas, 5. de Ciuit. Dei 10. posita nono huius. Cui & concordanter Anselmus 2. Cur Deus homo. 10. Omnis, inquit, potestas sequitur voluntatem; cùm enim dico, quia possum loqui, vel ambulare, subauditur si volo: si enim subintelligitur voluntas, non est potestas, sed necessitas. Item Augustinus Enchir. 75. Nec Deus iniustè noluit quosdam saluos fieri, cùm possent salui esse si vellent. Idem de fide ad Petrum 57. & allegatur 2. sentent. Lumbardi dist. 39. quamuis malè, quia in Ecclesiasticis dogmatibus; Firmissimè, inquit, tene, primos homines bonos & rectos esse creatos cum libero arbitrio, quo possent, si vellent, propria voluntate || *peccare*, eosque non necessitate, sed propria voluntate peccasse. Idem Hypognost. 28. tractans illud Ecclesiastici 15. Deus ab initio fecit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui, &c. In manu, inquit, possibilitas intelligitur; ipsa est prima gratia, qua primus homo stare potuisset, si seruare Domini mandata voluisset. Idem de gaudijs iustorum & pœnis malorum, siue de triplici habitaculo; Si præscientia Dei non potest vitari, non potuit homo aliter peccare nisi voluntate, nulla alia vi cogente, quia ita eum præsciuit Deus peccaturum: Si ergo voluntate, non coactus, ductus est ad peccandum, potuit sine dubio non peccare si vellet; ideo pœnam meruit, quia non inuitus peccauit. Idem de correptione & gratia 148. Homo posset permanere in bono si vellet: qui & infra 49. 59. eandem sententiam repetit & confirmat. Idem de natura & gratia 44. Deus talem hominem fecit, qui peccati malo carere sufficeret si voluisset. Item Hieronymus super illud Ezech. 33. Si dicente me ad impium, Impie, morte morieris, non fueris locutus, vt se custodiat, &c. Ex his, inquit, dicimus, posse hominem quamuis impium & iniquum, si magistri verba audierit, & pœnituerit à sua impietate, saluari, nec minus magistrum damnari, si non docuerit, & in vtroque liberum seruari arbitrium, dum & in magistri || *voluntate* est vel tacere vel loqui, & auditoris vel audire, & facere, & saluari, vel contemnere & contemtu perire. Veritas etiam ipsa dicit, Semper pauperes habetis vobiscum, & cùm volueritis potestis illis benefacere, Marc. 14. Nec sic loquuntur Autores de solis hominibus, quin imò & de Deo. Vnde Algazel 3. Metaphys. sententia 8. Primus est potens, quod sic intelligitur vt faciat cùm voluerit, nec faciat cùm noluerit, & dicitur posse destruere ens vniuersum, quia hoc faciet si voluerit; ergo potens est super omne illud quod est possibile, ex hoc sensu, scilicet, quod si vellet, faceret. Quem & secutus Anselmus 2. Cur Deus homo. 10. inquirens vtrum Christus peccare potuit & mentiri; & respondens negatiuè, ostendit quid sit potestas & posse, Omnis, inquiens, potestas sequitur voluntatem. Cùm enim dico, quia possum loqui, vel ambulare, subauditur, si volo, &c. sicut superius recitantur, & sequitur, Possumus itaque dicere de Christo, quia potuit mentiri, si subauditur, si vellet, & quoniam non potuit mentiri volens, nec potuit velle mentiri, non minus dici potest ipsum nequiuisse mentiri; sic itaque potuit & non potuit mentiri. Qui & infra 17. inquirens vtrum Christus potuit vitam suam seruasse, simili modo respondet; & supra primi primo innuit illud idem. Item Augustinus Hypognost. 61. Summus Deus habet potestatem, si velit, tam per indebitam gratiam malos saluare, quàm iusto iudicio futuro gehennæ supplicio reseruare. Quapropter & Sapiens sapienter Sap. 12. dicit Deo, Subest tibi, cùm volueris, posse. Hoc idem sacri Euangelij veritas attestatur,

C D E

|| quàm definitissimè.
Augustinus.
|| peccasse
|| libertate
Anselmus.

attestatur, Domine, inquiens, si vis, potes me mundare, Matth. 8. Ex istis omnibus, sicut A
spero, euidenter apparet, quòd Autores & Autoritates dicentes homines posse vitare peccata quæcunque, possunt conuenienter exponi modo prædicto, videlicet, quòd possunt, si velint; veruntamen sine dubio ex se solis, aut antecedenter ad Deum hoc velle non possunt, sed cum Deo, & ex Deo antecedenter, sicut vicesimum & tricesimum secundi declarant. Vnde & potest elici quarta expositio Autorum & Autoritatum huiusmodi non minus consona veritati. Cùm enim dicunt Autores, quòd homo potest vitare peccatum, verum est, si Deus voluerit, si Deus voluerit adiuuare, & auxilio Dei iuncto: aliàs ‖ *enim* nullus potest vitare peccatum, sicut superius est ostensum. Vnde & Augustinus de perfectione iustitiæ 33. Si quis, inquit, scilicet Cœlestius, dixerit, Potest fieri vt homo vel in verbo non peccet; respondendum est, Si vult Deus, potest; vult enim Deus, ergo potest. Item ait, scilicet Cœlestius, B
Si quis dixeris, Fieri potest vt homo non in cogitatione delinquat; respondendum est, Si vult Deus, potest; vult enim Deus, ergo potest. Hunc ‖ *enim* modum loquendi, licèt videatur Cœlestij, non reprobat, sed potius approbat Augustinus: Hanc quoque sententiam, etsi videatur Cœlestij, Augustinus non negat totaliter, sed magis affirmat. Quis enim negaret hominem, sicut virginem benedictam, per Dei omnipotentis auxilium posse vitare quodcunque peccatum, vt certo tempore vel nunquam in aliquo deuiaret? Quare & statim subiungit, videte quemadmodum voluerit dicere, si Deus adiuuet, potest, cui dicitur; Adiutor meus esto, ne derelinquas me, non vtique ad corporalia bona capessenda, & mala cauenda, sed ad gerendam perficiendamque iustitiam; propter quod dicimus, Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. Respiciendo igitur processum Augustini ante & post, euidenter apparet ipsum velle negare aliquem hominem pro statu præsentis miseriæ esse de facto sine peccato, vel etiam posse esse viribus suis tantùm, posse tamen hominem per Dei auxilium vitare peccatum concedit. Vnde & supra 2. recitat primum argumentum Cœlestij sub C
hac forma, Interrogandus est qui negat hominem sine peccato esse posse, quid sit peccatum quod vitari potest, aut quod vitari non potest: si quod non potest, peccatum non est; si quod vitari potest, potest homo sine peccato ‖ *esse: nulla enim rationalis* iustitia patitur dici peccatum quod vitari nullo modo potest: & respondet Augustinus posse vitari peccatum, si natura vitiata sanetur gratiâ Dei per Iesum Christum. Sanetur, inquit, & supple, sana seruetur; sicut patet per eum de natura & gratia 26. Et in sententijs Prosperi 131. sicut quinto & octauo secundi plenius allegatur. Et infra recitat decimum quintum argumentum Pelagij, Si est aliquod peccatum quod vitari non posit, quomodo iustus Deus dicitur, si imputare cuiquam creditur, quod vitare non posit? Et respondet, quòd peccatum vitari potest, quando voluntas humilis adiuuatur. Idem de correptione & gratia 71. dicit, quòd damnatio alicuius per Episcopale iudicium potest, si Deus voluerit, in correptionem saluberrimam cedere. Item venerabilis Beda contra Iulianum 12. recitat ab eo istud D
hæreticum argumentum, Ascribimus iniquitatem iusto, pio crudelitatem, dum eum primò impossibile aliquid præcepisse conquerimur; deinde pro his damnandum ab eo putamus hominem quæ vitare non potuit: & respondet, quòd verum dicit, si ad Dei respicit auxilium, cui catholica vox supplicat dicens, Deduc me in semita mandatorum tuorum; Si verò viribus animi sui fidit, refellit veridicam eius sententiam, qua dicit, Sine me nihil potestis facere. Amplius autem vt huius autoritatis authentici Augustini indubitanter recipias veram glossam, audi ipsummet Augustinum 1. Retract. 9. eandem autoritatem obiectam sibi à Pelagio exponentem, quis, inquam, peccat in eo quod nullo modo caueri potest? Peccatur autem, caueri ergo potest. Quo testimonio meo in quodam libro suo Pelagius vsus est in his atque huiusmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non est, putant Pelagiani suam nos tenuisse sententiam, sed frustra. Voluntas quippe est qua peccatur, & rectè viuitur; sed voluntas ipsa, nisi Dei gratia liberetur à seruitute peccati, & vt vitia superet adiuuetur, rectè pieque viui à mortalibus non potest. Quem E
& 2. sentent. distinctione vicesima octaua, tam in oppositione quàm in responsione Petrus sequitur non à longè. Audias etiam Augustinum de natura & gratia 67. eandem autoritatem à Pelagio pro sua hæresi allegatam, exponentem clarissimè & glossantem. Dicit Pelagius; Item, inquit Augustinus Episcopus in libris de libero arbitrio, Quæcunque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur; si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergo caueat ne fallatur. An tanta fallacia est vt caueri omnino non posit? Nulla ergo peccata sunt: Quis enim peccat in eo quod caueri nullo modo potest? Peccatur autem, caueri igitur potest. Agnosco, verba mea sunt; sed etiam ipse dignetur agnoscere superius cuncta quæ dicta sunt.

De

Quarta expositio.

‖ verò *Augustinus*

‖ autem

‖ esse natura: non enim ra-

Beda.

A De gratia quippe Dei agitur, quæ nobis per Mediatorem medicina opitulatur, non de posſi-
bilitate iuſtitiæ: poteſt ergo ei cauſæ, quæcunque illa eſt, reſiſti; poteſt planè. Nam in hoc
adiutorium poſtulamus dicentes, Ne nos inferas in tentationem, quod adiutorium non poſ-
ceremus, ſi reſiſti nullo modo poſſe crederemus: ‖ *Quodlibet ergo peccatum poteſt caueri*, ſed ‖ Poteſt
opitulante illo qui non poteſt falli: nam ideo dicimus, Ne nos inferas in tentationem. Ad peccatum
aliam verò autoritatem Auguſtini de duabus animabus, iam immediatè præmiſſa, & deci- caueri.
mum huius reſpondent, & ſpecialiter expoſitio ſecunda, quia ille liber agit contra Mani-
chæos, ſicut decimum huius dixit. Reſpondeo igitur, ſicut ſecunda expoſitio & decimum
huius docent; Et iſto modo confidenter reſpondeo, quia Auguſtinus 1. Retract. 15. hunc li-
brum de duabus animabus retractans, ad eandem autoritatem ſuam à Pelagianis ſibi ‖ *obie-* ‖ obiecta-
ctam, & ad ſimiles eiuſdem libri ſimili modo reſpondet. Quare & Petrus 2. ſentent. diſt. 28. tam.
recitata autoritate Auguſtini prædicta, h s, inquit, auditis, exilijt Pelagius dicens, Cur igitur
B paruuli & illi qui non habent gratiam, ſine qua non poſſunt facere mandata diuina, rei tenen-
tur? Et ſubdit ſententiam reſponſoriam Auguſtini, Hæc, inquiens, qua occaſione dixerit
in libro Retract. Pelagio reſpondens aperit. Id enim contra Manichæos dixit, qui in homine
duas naturas eſſe ‖ *contendunt*, vnam bonam ex Deo, alteram malam ex gente tenebrarum, ‖ conce-
quæ nunquam bona fuit, nec bonum velle poteſt; quod ſi eſſet, non videretur ei imputan- dunt.
dum eſſe ſi bonum non faceret. Ad autoritatem verò Hieronymi ſimiliter reſpondendum:
ipſa namque loquitur contra Manichæos expreſſè. Ad autoritatem verò Apoſtoli reſpon-
dendum, per tres expoſitiones præmiſſas. Expoſitio namque prima poteſt elici congruenter
ex illo verbo, Non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis. Nam per hoc innuit, quòd
tentatio non eſt, nec erit fortior, quàm potentia voluntatis, ſicut tertium ſecundi docebat.
Tertia verò expoſitio ſupradicta ſatis poteſt haberi ex illo verbo poteſtatis, & poſſitis, ſcili-
cet, ſi velitis. Expoſitio autem quarta innuitur euidenter cùm dicit, quòd Deus non patietur
C vos tentari ſupra id quod poteſtis; quaſi diceret, ex Deo eſt, & ex diuino auxilio, vos non ten-
tari ſupra id quod poteſtis, quod adhuc verbum ſequens expreſsiùs manifeſtat, ſed faciet, in-
quit, cum tentatione prouentum, vt poſsitis ſuſtinere, quaſi diceret manifeſtè, Ex eius factione
adiutrice, & prouentu auxilij ſui habetis, quod tentationem ſuſtinere poſsitis, ſicut & quar-
tum ac quintum ſecundi declarant. Ad primam autoritatem Philoſophi nonum huius re-
ſpondet; ad ſecundam verò autoritatem eiuſdem reſpondet diſtinctio de neceſsitate, decimo
huius ſcripta. Loquitur enim [ibi] de neceſſario violento: aſsignans namque tertium mo-
dum neceſſarij, Amplius, inquit, vim faciens & vis, hoc autem eſt quod præter impetum, &
præuoluntatem impediens & prohibens: violentum enim neceſſarium dicitur, quapropter &
triſte, ſicut & Euenus ait. Omnis enim res neceſſaria triſtis eſt vt vis, neceſsitas quædam, vt
Sophocles dicit, Si vis me hoc facere, cogit; & videtur neceſsitas non eſſe increpabile aliquid;
& rectè: contrarium enim motui ſecundum præuoluntatem & ſecundum excogitationem.
D Argumentum de præceptis non magis obuiat huic ſententiæ, quàm dicenti Deum agere libe-
ros actus noſtros, & Dei gratiam ad obſeruantiam mandatorum neceſſariò requiſitam. Eſt
igitur iſtud argumentum Pelagianum, hæreticum, execrandum, ſicut viceſimum octauum
ſecundi oſtendit, quod & nihilominus plenè ‖ *ſoluit*. Vnde & Auguſtinus ſuper illud Pſalmi ‖ ſoluitur.
118. Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum &c. ſermone 27. dicit ita. Quid
eſt paruulus, niſi humilis & infirmus? Noli ergo ſuperbire, noli de tua, quæ nulla eſt, virtute
præſumere ac intelligere, quare ſit de bono Deo bona lex data, quæ tamen viuificare non
poſsit? Ad hoc enim data eſt, vt de magno paruulum faceret, vt te ad faciendam legem vires
de tuo non habere monſtret; ac ſi opis indigus & egenus ad gratiam confugeres, & clamares,
Miſerere mei, Domine, quoniam infirmus ſum, Ita Domine, Ita fac miſericors Domine, Im-
pera quod non poſsit impleri, imò impera quod non poſsit niſi per tuam gratiam impleri, vt
cùm homines per ſuas vires adimplere nequiuerint, omne os obſtruatur, & nemo ſibi magnus
E videatur. Quis enim facit mandata tua ſicut facienda ſunt, id eſt, ex fide quæ per dilectionem
operatur, niſi in eius corde per ſpiritum ſanctum ipſa dilectio diffundatur? Non enim qui ſpi-
ritu agunt, ſed quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei; non quia nihil ipſi agunt, ſed
ne nihil agant boni, à bono aguntur vt agant. Ad autoritates verò Hieronymi & Deutero-
nomij reſpondendum, ſicut ad primam autoritatem Auguſtini ſuperius eſt reſponſum; auto-
ritas quoque Hieronymi expoſita erat prius. Pro autoritate verò Deuter. eſt ſciendum, quòd
eundem locum ſcripturæ cum multis ſimilibus obijcit Cœleſtius Pelagianus contra Auguſti-
num de perfectione iuſtitiæ 32. & Auguſtinus reſpondet, ſicut in quarta expoſitione primæ
autoritatis ſuæ reſponſum eſt prius, prout viceſimum octauum ſecundi plenius recitauit. Au-
toritas autem Philoſophi poteſt per nonum huius exponi, ipſa tamen ſeipſam exponit; quæ-
cunque,

cunque, inquit, nec in nobis sunt, nec voluntaria &c. & verum est, quod ad non voluntaria nullus rationabiliter prouocatur: nec propter hoc perit aliquod meritum, sicut corollaria primi & secundi huius ostendunt; nec etiam libertas arbitrij, sicut eadem corollaria manifestant. Nam quomodo sequitur, quia Dei voluntas non impedibilis, sed omnipotentissimè efficax, vult hominem liberè operari, ideo ipsum non liberè operari? Imò non hoc [sequitur] sed oppositum sequitur manifestè, ipsum videlicet liberè operari, imò & necessario liberè operari, necessario, inquam, necessitate 27. huius dicta; & hæc est finaliter responsio Augustini & Anselmi, sicut euidenter testantur autoritates eorum. 3. de libero arbitrio 2. de gaudijs iustorum & pœnis malorum; de concordia 1. & aliæ multæ 10. huius plenius recitatæ. Hæc ergo sententia nequaquam liberum arbitrium perimit, sed inuiolabili stabilitate fundat & firmat, protegit & defendit. Veruntamen summa libertas & maxima est in solo summo Deo, summè & maxime libero, sicut quintum huius & decimum manifestant: in inferioribus autem causis inferior est libertas, sicut eadem capitula docuerunt. Quod autem arguitur, increpationes, laudationes, exhortationes, vel dehortationes, orationes &c. huiusmodi debere superfluas reputari, non magis impugnat 27. tertij, quam 20. secundi aut 23. primi libri: nec argumentum concludit, sicut plane docetur 23. & 25. primi, & 28. secundi. Augustinus vero 3. de libero arbitrio 1. & Philosophus 3. Eth. 11. per præmissa hic & 10. huius debent rationabiliter contentari. Pro dicto verò eiusdem Philosophi 1. peri hermenias vlt. æquius ponderando secundum consilium sapientis de 4. virtutibus cardinalibus, Non te moueat dicentis autoritas, nec quis, sed quid dicat intendito; famosa seu potius fumosa autoritas ‖ *interim* deponatur, vt sic quanto liberius, tanto verius iudices, quid ratio ipsa probat, & videbis apertè, quod non concludat propositum, sed oppositum manifestè. Nam quomodo sequitur, omnia futura fient ex necessitate; ergo non oportet consiliari neque negotiari? imò oppositum sequitur euidenter; omnia futura fient ex necessitate, ergo oportet, quia ex necessitate oportet consiliari & negotiari. Nam multa oportuna consilia & negotia sunt futura. Vt autem accedam propinquius etiam vsque ad fundamentum in ea, quis vnquam ponens necessitatem in cunctis futuris, ponet eam tantum in finibus, & non in medijs ad hos fines? Sapientissimus ‖ *namque* Deus, sicut ab æterno præstituit certos fines, sic & certa media ordinauit, sicut 27. primi & sequentia manifestant. Nam quæ sunt, à Deo ordinata sunt, ad Rom. 13. sicut & docet 26. primi. Dei namq; sapientia infinitissimè infinita, sicut 6. primi docebat, attingit vbique. Sap. 7. Attingit ergo à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. infra 8. Attingit, inquam, à fine primo, à termino à quo, & à principio quolibet per omnia media vsque ad finem vltimum, & ad terminum ad quem omnem, & disponit omnia, fines & media suauiter ordinando. Si igitur diuina præordinatio & præuolutio non impedibilis sed efficax omniquaque imponit necessitatem, finibus aliqualem talem imponet & medijs. Si igitur ex Dei prouidentia qualitercunque necesse sit homines consequi certos fines, necesse est ipsos similiter consiliari, negotiari, & procedere per debita media, veluti per viam ad terminum, per curam ad salutem, per disciplinam ad doctoratum, per merita ad coronam, sicut tangit 25. primi, & plane testatur autoritas beati Gregorii 1. Dial. 21. allegata in canone, & autoritates Augustini 23. primi scriptæ: Veruntamen pro reuerentia Philosophi potest dici, quod argumentum suum est bonum in logica, quia multum probabile & apparens. Vel aliter & melius, Si omnia euenirent de necessitate contraria libertati & simpliciter absoluta, non oporteret consiliari, neque negotiari, quia nihil esset tunc consiliabile, nec consilium aliquod posset esse. Consilium namq; secundum eundem 3. Eth. 7. 8. & 9. non est de necessarijs talibus, sed tantum de his quæ sunt in nobis, in nostra scilicet libera potestate. Quod autem loquatur ibi de necessitate contraria libertati, & simpliciter absoluta, processus suus & verba indicant euidenter. Loquitur enim ibi de necessario omne ad vtrumlibet excludente: tale autem non est necessarium secundum causas superiores. 27. huius concessum, contingentiam ad vtrumlibet & libertatem compatiens, quod & similiter est in nostra libera potestate, sicut 5. & 10. huius docent: sed tantũ necessarium contrarians & perimens libertatem & liberam potestatem, sicut eadem cap. manifestant. Vnde Philosophus ita dicit, quæ contingunt in consequentia hæc sunt, & huiusmodi; si omnes affirmationes & negationes, necesse est hanc esse veram, illam vero falsam, nihil ad vtrumlibet esse, sed omnia esse vel fieri ex necessitate. Quare non oportebit nec consiliari neq; negotiari, cuius causam subiungit, quoniam si hoc, scilicet quodcunque, facimus, erit hoc, scilicet vnum signatum futurum; si vero hoc non, supple facimus, erit, supple idem futurum; quasi diceret, quicquid fecerimus vel non fecerimus, non magis nec minus eueniet hoc futurum, sicque nullum futurum esset in hominum potestate, nec ex humanis liberis actibus dependeret. Quare & infra sic ait; Hæc non sunt possibilia: videmur enim esse principium futurorum

‖ iterum
‖ itaque

A turorum ab eo quod consiliamur, & agimus aliquid. Respiciendo ergo processum Philoso-
phi euidenter apparet ipsum velle reprobare necessarium contrarium & peremtorium con-
tingentiæ ad vtrumlibet, libertatis, & liberæ potestatis. Vnde & Ammonius exponendo il-
lud capitulum dicit, Multi || *abducuntur* in opinionem interimentem ipsum contingens, & Phi- || adducun-
losophum arguere contra eos qui omnia ex necessitate faciunt & contingens auferunt. Lo- tur
quitur etiam ibi de necessitate simpliciter. Ait enim, Esse quod est, quando est, & non esse,
quod non est, quando non est, necesse est; sed non omne, quod est, necesse est esse, nec om-
ne, quod non est, necesse est non esse, supple simpliciter: quare & statim subiungit; Non e-
nim idem est, quod est esse necessario quando est, & simpliciter esse ex necessitate; similiter au-
tem & in eo quod non est; & in contradictione eadem ratio est. Hoc idem verba eius im-
mediate sequentia clarè monstrant. Concedit enim tales in sensu composito, Necesse est hoc
fore vel non fore, & negat in sensu diuiso. In sensu autem composito est necessitas simplici-
B ter absoluta, & hanc in illo sensu concedit; quare correspondenter & elenchicè eandem negat
in sensu diuiso, sicut in secunda expositione Boetij 28. huius plenius docebatur. Vnde sic ait,
Esse quidem vel non esse omne necesse est, & futurum esse vel non esse, non tamen diuidentem
dicere alterum necesse est: dico autem necesse est quidem futurum esse bellum nauale cras, vel
non esse futurum, sed non futurum esse cras nauale bellum necesse est, vel non futurum esse;
futurum autem esse vel non esse necesse est. Quare & Ammonius exponendo hoc verbum *Ammonius.*
textus Futuris, sic ait, significat per hoc, quod ait, Futuris, quod in contingenti materia accipi-
tur. Aliud enim est, vt ipse in his, quæ de generatione & corruptione determinat, *mellon*, id μέλλον
est, futurum, ab eo quod est *esomenon*, hoc est participium futuri temporis de sum, es; & esome- ἐσόμενον
non quidem significat quod omnino eueniet, vt cum dicimus erit hyems aut æstas, aut eclipsis:
mellon, id est, futurum, quod potest euenire, & non euenire, puta futurus sum ambulare, futu-
rus sum nauigare. Insinuat igitur quod secundum alias quidem materias necessarium & im-
C possibile; hyems autem æstas & eclypsis secundum ipsum, sicut & secundum Philoso-
phos cæteros, euenient de necessitate simpliciter & de necessitate naturæ. Hanc er-
go necessitatem hic negat, & possibilitatem seu contingentiam oppositam correspon-
denter affirmat. Voluenti igitur scripta Philosophi diligenter, & diligentius reuoluenti
perspicuè apparebit, ipsum ab actibus liberis necessitatem triplicem remouere; necessitatem
scil. simplicem absolutam, necessitatem naturæ, & necessitatē violenter cogentem: hic 1. 2. &
3. sicut ex præostensis hic & 10. huius patet; secundam 9. met. sicut idem 10. manifestat; tertiā
5. met. sicut superius recitatur; eandem quoq; 2. & 3. 2. & 3. Eth. Qui & 2. post. 3. ita scribit;
Necessitas duplex est; hæc quidem secundum naturam & motum, sicut lapis ex necessitate
sursum & deorsum, sed non propter eandem necessitatem, sed in his quæ sunt ab intelligentia:
alia quidem nequaquam sunt ab eo, quod per se frustra est, vt domus aut effigies, nec ex neces-
sitate sunt, scil hac vel illa prędicta. Amplius autem pro omnibus de possibilitate & necessitate
D obiectis, & possibilibus obijci, potest aliter responderi & fortitan melius, quia breuius, & con-
sueto modo loquendi conformius & cautius, nec ideo minus verè, Constat siquidem possibile
atq; posse à possibilitate siue potentia *deriuari, sicut & vocaliter nuncupari; possibilitas autē * realiter
& potentia est multiplex, sicut præced. docuerunt. Cum igitur dupliciter sit Iohan facere vel
non facere hoc vel illud, siue Iohan potest facere hoc vel illud, vel non facere. Considerandū
est circumquaq; si de aliqua potentia illud potest, puta, si de potentia naturali propria, vel etiā
aliena: si de potentia, imo de omnipotentia Dei magna & absoluta: & potest concedi simpli-
citer, quod possibile est sic esse, quia de aliqua possibilitate siue potētia || *est* sic esse, sicut propo- || contingit
sitio particularis aut indefinita habens aliquā singularē etiā vnicā verā, est vera & simpliciter
concedenda. Verū de necessitate aliter sentiendū. Non enim si de aliqua necessitate signata
est, hoc necesse esse vel non esse, simpliciter ideò confitendum quod necesse est hoc esse vel nō
esse, sicut de possibilitate & possibili || *dicebatur*, præsertim ad consuetū modum loquendi vul- || est præ-
E garium Logicorum, Philosophorum, & Theologorum in logicalibus instructorū. Ad mentē dictum
namq; istorū sequitur euidenter, necesse est hoc esse, ergo impossibile est hoc non esse; & non
possibile est hoc nō esse, vnde & necessario infertur vlterius, qd. nulla possibilitate siue potētia
possibile est hoc non esse. Constat igitur clare sic loquendo nō sequi de aliqua necessitate, ne-
cesse est hoc esse, ergo necesse est hoc esse; quia tunc de nulla possibilitate siue potentia posset
hoc nō esse; cū tamē de aliqua necessitate necesse sit aliquid esse, & de aliqua possibilitate siue
potētia potest illud nō esse, & possibile est illud non esse. Si tamē fortassis esset fas loqui acuti-
us, licet paululum strictius dici possit, quod si de aliqua necessitate necesse est hoc esse,
necesse est hoc esse propter rationem de possibilitate potentiaq; præmissā; sed nō sequi vlteri.
necesse est hoc esse, ergo impossibile est hoc nō esse, & nō possibile est nō esse tam generaliter

 proferendo,

proferendo, sed specialiter restringendo; ergo de aliqua possibilitate siue potentia, opposita A scilicet alicui necessitati impossibile est hoc non esse,& non possibile est hoc non esse. Loquendo igitur communiter, sicut plures, nusquam simpliciter absoluteue concedo,concedereue intendo, nisi maior autoritas me compellat, quod necesse est quempiam facere vel non facere hoc vel illud, nec quod non est possibile, aut non potest facere vel non facere hoc vel illud; imo quod possibile est, & potest facere vel non facere hoc vel illud, demonstratis huiusmodi in quibus contingentia reperitur, & licet modus huiusmodi respondendi simpliciter forsitan cautior videatur, alius tamen modus respondendi per definitiones præmissas aut alias meliores doctrinalior comprobatur. Nec ista sententia sensatè intellecta mores aut virtutes corrumpit. Non enim libertati arbitrij aut merito aduersatur, sicut corollaria primi & secundi huius ostendunt; imò sententia ista mores & virtutes fortissime, quia muro diuinæ potentiæ & necessitatis prædictæ inexpugnabili protegit, munit, & saluat, sicut tricesimum quartum secundi monstrauit. Quod autem arguitur, quod ista sententia reddit homines neg- B ligentes, ita procedit contra vicesimum & tricesimum secundi, contra præscientiam,prædestinationem & gratiam, & sic contra sextum, quadragesimum quartum, tricesimum quintum & sequentia primi libri, sicut contra vicesimum septimum tertij. Quare & Augustinus 4.contra Iulianum Pelagianum 16. recitat ab ipso sibi obiectum simile argumentum; Calumniaris, inquiens, me dicere nihil studij expectari ab humana voluntate debere, contra illud Euangelicum, Petite & accipietis. Qui & de bono perseuerantiæ 46. ad similia sibi obiecta contra gratiam & prædestinationem diuinam simili modo respondens sic ait; Ista cum dicuntur, ita nos ad confitendam veram Dei gratiam, id est, quæ non secundum merita nostra datur, & ad confitendam secundum eam, prædestinationem sanctorum deterere non debent; sicut non deterremur à confitenda præscientia Dei, Si quis de illa populo sic loquatur, vt dicat, siue nunc rectè viuitis siue non rectè, tales eritis postea quales nos Deus futuros esse præsciuit; vel boni si bonos, vel mali si malos. Nunquid enim si hoc audito nonnulli in torporem segnitiemque C vertantur, & à labore procliues, & ad libidinem, post concupiscentias suas eunt? Propterea de præscientia Dei falsum putandum est esse quod dictum est. Nonne si Deus illos bonos esse futuros præsciuit, boni erunt, in quantalibet nunc malignitate versentur? Si autē malos, mali erunt in quantalibet nunc bonitate seruentur? Fuit quidam in nostro Monasterio, qui corripientibus fratribus, cur quædam non facienda faceret, & facienda non faceret? respondebat; qualiscunque nunc sim, talis ero, qualem me Deus futurum esse præsciuit: quod profecto verum dicebat, & hoc vero non proficiebat in bonum, sed vsque adeo profecit in malum, vt deserta Monasterij societate fieret canis ad suum reuersus vomitum, & tamen adhuc qualis futurus sit, incertum est. Vtrum tamen ista sententia, occasione accepta, reddet aliquem negligentem & malum ac finaliter periturum, nescio, timeo, & doleo si sic erit: scio tamen quod nullum nisi forsitan filium perditionis, vt Scriptura æterna libri Dei æterni impleatur, sicut dicebat ipsemet Saluator, Ioh. 17. || *Et quid possum?* Non enim possum prædestinare, nec etiam D reprobare. Veruntamen proculdubio non sum melior prædicator, aut Doctor magistro meo Christo, aut doctore gentium sancto Paulo, & etiam cæteris Apostolis eius sanctis: horum autem prædicatio & doctrina non semper omnibus profuit ad salutem, imo aliquibus obfuit, saltem occasione assumta non data. Vnde Christo prædicante & docente de sui benedicti corporis & sanguinis Sacramento & materia ista, dicendo, Nemo potest venire ad me,nisi Pater qui misit me, traxerit illum; & Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo, nulli audientes ex discipulis eius dixerunt, Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Qui & ex hoc abierunt retro,Ioh.6. Abierunt retro, scilicet, à fide, secundum Chrysostomum, & à vita secundum Augustinum, sicut recitat glossa Thomæ. Pharisæi quoque audientes prædicationem illius scandalizati fuerunt, Matth. 15. & Marc.6.habetur quod multi audientes eum scandalizabantur: & Luc.4.Repleti sunt in Synagoga, ira, hæc scilicet verba Christi prædicantis audientes. Et infra 6. Ipsi scilicet audientes Christum Dei sapientiam prædicantem, E repleti sunt insipientia, & colloquebantur adinuicem, quidnam facerent de Iesu. Et Ioan. 8. dixerunt Christo docenti, Dæmonium habes. Apostolo quoque cum Atheniensibus disputante, quidam dicebant, quid vult seminator verborum hic dicere? Alij vero dicebant, " *nouorum Deorum* videtur annuntiator esse; & quidam quidem irridebant, Act. 17. Ipsi etiam veritatis & sobrietatis verba loquenti dixit quidam insanus, Insanis Paule, multæ te literæ ad insaniam conuertunt, Act. 26. Quidam etiam in Christum & eius discipulos propter prædicationem & doctrinam eorum tam crudeliter exarserunt, vt ipsos morte durissima consummarent. Sed nunquid propter causas seu occasiones huiusmodi suspendenda sint organa veritatis? Verè etsi coram aliquibus, pro loco & tempore, non tamen coram omnibus

||facio quod possum.

|| Dæmoniorum

A omnibus vbique & semper, sicut Christus, Paulus, & Apostoli cæteri lucidis suis exemplis nos lucidè docuerunt, sicut superius tangebatur. Quare & Chrysostomus super illud verbum Ioh. 6. superius recitatum, Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro, Hoc, inquit, forte factum est ad consolationem nostram, quando aliquando contingit vt homo dicat verum, & quod dicit non capiatur, atque illi qui audiunt, scandalizantur & discedant: Pœnitet autem hominem dixisse quod verum est. Dicit enim apud se homo, non debui sic dicere. Ecce Domino contingit; dixit, & perdidit multos, & non turbatur ipse quia ab initio nouerat, qui non essent credentes. Nos si nobis contingat perturbamur, sed solatium in Domino inueniamus, & tamen caute verba dicamus. Cui & concordanter Augustinus, De bono perseuerantiæ vbi prius, scilicet 46. recitatis periculis memoratis, subiungit, Nunquid propter huiusmodi animas ea, quæ de præscientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt, vel tacenda sunt? Etiam qui propterea vel non orant, vel frigidè orant, quoniam Domino dicente, didicerunt *Augustinus*
B scire Deum quid nobis necessarium sit priusquam petamus ab eo, num propter tales huius sententiæ veritas deserenda, aut ex Euangelio delenda putabitur? His igitur & huiusmodi periculis nequaquam obstantibus, veritas est docenda: & hoc duabus de causis; prima vt errores circa alia necessaria salubriter caueantur, secunda vt capaces & habiles vtiliter instruantur. Pro prima dicit Augustinus de bono perseuerantiæ 46. Nunquid propter huiusmodi animas ea, quæ de præscientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt vel tacenda? Tunc scilicet quando si non dicantur, in alios itur errores: in quos autem & quantos eatur errores negata necessitate vicesimo septimo huius ostensa, facilè est videre. Cùm enim illa necessitas euidenter sequatur ex multis antecedentibus prælibatis, quicunque illam negauerit, oportet similiter Logica compellente negare quodlibet antecedens; Oportet ergo negare Dei præactionem, coactionem, auxilium, gratiam, prædestinationem, præscientiam, efficientiam, conseruantiam, & cætera huiusmodi, imò & tandem Deum esse, & cum insipiente insipientissimè dicere, Non est Deus. Pro hac etiam prima causa & secunda coniunctim Augustinus
C de bono perseuerantiæ 47. Dicatur, inquit, verum maximè vbi alia quæstio vt dicatur impellit, & capiant qui possunt; ne fortè cùm tacetur propter eos qui non capere possunt, non solùm veritate fraudentur, verùm etiam falsitate capiantur, qui verum capere, quo caueatur falsitas, possunt. Facilè est enim, imò & vtile, vt taceatur aliquando verum propter incapaces. Sed alia est ratio verum tacendi, alia verum dicendi necessitas. Causas verò tacendi longum est omnes quærere vel inserere; quarum tamen est & hæc vna, ne peiores faciamus eos qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt facere doctiores, qui nobis aliquid tale tacentibus doctiores quidem non fiunt, sed nec peiores fiunt. Cùm autem res vera ita se habeat vt fiat peior, nobis eam dicentibus, ille qui capere non potest, nobis autem tacentibus ille qui potest, quid putamus esse faciendum? Nonne dicendum est potius verum, vt qui potest capere capiat, quam tacendum, vt non solùm id ambo non capiant, verumetiam qui est intelligentior, ipse sit peior, qui, si audiret, caperet? Per illum etiam
D plures discerent: quo enim est capacior vt discat, eò magis est idoneus vt alios doceat. Timemus ne loquentibus nobis offendatur qui veritatem non potest capere, & non timemus ne tacentibus nobis qui veritatem potest capere, falsitate capiatur? Et si quis adhuc vrgeat & opponat, propter doctrinam paucorum multos non debere turbari, & paucos si aliquos recipere hanc doctrinam, multo verò plures illam respuere conturbatos, multum quoque bene stetisse Ecclesiam retroactis temporibus sine ista nouella doctrina tot hominum turbatiua; Aduertat, quæso, Philosopum 3. Polit. 5. dicentem, Vnum quidem differre secundum virtutem, vel paucos contingit; plures autem ad summum omnis virtutis peruenisse difficile. Attendat insuper, supplico, quid simile potuit obijci magistro, & Domino nostro Christo, Paulo, & cæteris eius Discipulis, Doctoribus nostris sanctis. Christo namque docente de Sacramento Eucharistiæ benedictæ, & de necessitate *Philosophus.*
E & impossibilitate, quam habemus in manibus, scilicet in actibus hominum respectu causarum superiorum, dicendo, Panis verus est qui descendit de cœlo, &c. & omne quod dat mihi Pater ad me veniet, & nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit illum, &c. Turbati sunt multi insipientes corde, in tantum quòd murmurarent & ad inuicem litigarent & dicerent, Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Et tandem retro || *abirent*: Pauci verò, scilicet duodecim eius Discipuli, remanserunt, Ioh. 6. Vnde & ipsomet testante, Multi sunt vocati, pauci verò electi, Matth. 22. Quare & monet intrare per angustam portam, quia lata est porta & spaciosa via quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam, quum angusta sit porta & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam, Matth. 7. Similiter & Paulo Atheni- || abierunt

ensibus prædicante, multi erant turbati deridentes eius nouam doctrinam; pauci verò, A scilicet Dionysius Areopagita & Damaris cum paucis alijs crediderunt, Act. 17. In ciuitate quoque Ephesiorum, vt habetur Act 18. propter sanam eius doctrinam fiebat magna turbatio, in tantum vt impleretur ciuitas confusione, & impetum facerent vno animo in theatrum, & cùm postularetur silentium vt ratio redderetur, facta est vna vox omnium quasi per horas duas clamantium, Magna Diana Ephesiorum. Similis quoque turbatio, commotio, concursio populi, acclamatio, & vociferatio facta est in ciuitate Ierusalem propter doctrinam eiusdem, vt patet Act.21. & capitulis alijs consequenter, in tantum quòd ferè periclitabatur; accusabatur coram Iudicibus, & appellare Cæsarem cogebatur. De alijs quoque Apostolis & cæteris sanctis Dei nimis frequenter inuenies, quòd ad eorum prædicationem & doctrinam multi fuerunt scandalizati & grauiter conturbati, pauci verò salubriter informati: hoc B tamen eos ab euangelizando communiter omnibus nullatenus retrahebat propter rationem assignatam tricesimo nono primi. Nec eorum meritum minuebat; vnde ille excellentissimus Prædicator & Doctor in persona omnium Prædicatorum & Doctorum, Christi, inquit, bonus odor sumus Deo in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt; alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ in vitam, 2. ad Corinth. 2. Quomodo etiam bene stabit Ecclesia & Catholica veritas sine || *distinctione* huius problematis, cùm fideles & infideles, Grammatici, Logici, Mathematici, Naturales, Morales, Diuini, Theologi, senes & iuuenes, mares & fœminæ, literati & idiotæ, ac vniuersaliter omnes & singuli, docti pariter & indocti ipsum quotidie lacerent, masticent, ruminent & corrodant? Maximè cùm ex defectu notitiæ solutionis huius problematis in plurimos & maximos eatur errores, sicut superius monstrabatur, sicut & euidenter demonstrant opiniones erroneæ circa istud problema supra isto tertio multis capitulis recitatæ. Vnde Ammonius super vlt. primi peri hermenias, Hoc, inquit, theorema ad omnes partes Philosophiæ est necessarium, ad moralem Philosophiam C omnino, quinimò & ad Physiologiam, & ad Logicam methodum: porrectum autem theorema & ad primam Philosophiam inuenies. Quæret enim & Theologus secundum quem modum gubernantur res, quæ in mundo ante omnia ex necessitate & determinatè fiant, quemadmodum in perpetuis, An sint aliqua contingenter euenientia; & nec omninò idioticæ dispositionis homines inuenies negligentes meditationem de hoc theoremate. Et infra, Istud theorema magnam habet virtutem ad totam vitam nostram. Beatus etiam Augustinus de bono perseuerantiæ 59. recitat simile ex simili causa sibi obiectum, Dicunt, inquiens, non opus fuisse huiusmodi disputationis incerto, minus intelligentium tot corda turbari, quoniam non minus vtiliter sine hac definitione prædestinationis per tot annos defensa est catholica fides. Opinor quoque verisimiliter multos recipere, & paucos respuere hanc doctrinam; & vt vtar verbis Auicennæ 10. Metaphys. 1. recitatis 29. primi, Plus appropinquat vulgus & tenet, & dicit, verum est, nec refugiunt hoc, nisi qui volunt videri Philosophi. Hæc etiam doctrina non est nouella secundum substantiam, sed antiqua, D sicut vicesimum septimum huius per antiquos Autores ostendit: & si aliquid nouitatis haberet quantum ad modum elucidatiorem, & pleniorem dicendi, non esset rationabiliter increpanda. Non enim rationabiliter increpatur Christus, sed laudatur, quia post vetus testamentum nouum induxit, licèt multum benè viuerent homines sub veteri testamento; nec increpatur, sed laudatur à Domino Scriba doctus, qui profert de thesauro suo noua & vetera, Matth. 13. Quare Hieronymus in epistola ad Sophronium, quæ vice prologi psalterio Hieronymi est præscripta, de obtrectantibus translationem suam nouam post veterem ita scribit, Peruersissimi homines; nam nouas voluntates cùm semper expetant, & gulæ eorum vicina maria non sufficiant: cur in solo Scripturarum studio, veteri sapore sunt contenti? Vnde & Philosophus 1. Metaphys. vlt. postquam correxit opiniones antiquorum de causis, sic ait, Tenuiter hæ, scilicet causæ, & modo quodam omnes prius dictæ sunt, modo verò quodam E nullatenus. Balbutiens enim visa est prima Philosophia de omnibus velut noua existens circa principium; qui & 1. Eth. 11. videbitur, inquit, omnis esse, perducere, & particulatim disponere quæ benè habent circumspectionem, & tempus talium inuentor, vel cooperator bonus est; vnde & artium facta sunt additamenta: Omnis enim est apponere quod deficit. Auerroes quoque super 4. de cœlo comment. 11. Sermo, inquit, posterioris deberet esse acutior & rectior. Quare & Boetius primo de disciplina scholarium, agens de excellentia Magistratus, Miserrimi, inquit, ingenij est, semper inuentis vti, & nunquam inueniendis stultius quàm Magistratus orationibus omnino confidere. Quapropter & Philosophus 1. polit. 9. ostendit, quòd magis expedit ciuitati ab optimo viro regi, quàm ab optimis legibus; vbi & ait, In quacunque arte principari secundum literas miserum: manifestum igitur quòd non est

[Margin notes: || discussione. — *Ammonius.* — *Augustinus* — *Hieronymus* — *Philosophus.* — *Auerroes.* — *Boetius.*]

A est secundum literas & leges optima politia: quibus & Varro concorditer in sententijs suis
ait, Illum eruditorem elige, qui magis didicerit in suis quàm in alienis; Nil magnificum docebit, qui à se nihil didicit, falsoque Magistri nuncupantur auditorum narratores, ac si audiendi sunt vt qui recenserit rumores. Vnde & Vitruuius de Architectura libro septimo notabiliter multum refert, quod Rex Ptolomæus Bibliothecam egregiam Alexandriæ congregauit, ludos Musis & Apollini dedicans; & sicut athletis, sic Scripturarum & Poetarum victoribus certa prœmia statuebat, assignans sex Iudices, quibus & septimum, scilicet Aristophanem, adiunxit; qui ex ordine legeret cunctos libros; factoque vna dierum conuentu ad certamen publicum Poetarum, populus [illegible]ebat, quem maximè approbaret: & sententiâ Iudicum implorată, sex Iudices illi, qui populo placuit, victoriam decreuerunt; Solus autem Aristophanes illum vicisse dijudicat qui populo minimè complacebat, commotusque est Rex ac populus vniuersus; & impetrato tandem
B Aristophanes silentio, illum solum asseruit esse Poetam, quia quod dixit, proprio studio adinuenit, cæteros verò aliena carmina rapuisse, & scrutatis armarijs regijs, libris inspectis, collationeque facta, eos fures esse conuicit, iussitque Rex agi furti cum illis. Quapropter & Iesus filius Sirach laudatur quia post legem & Prophetas, & sapientiam maximam Solomonis, de corde suo sapientiam renouauit Eccles. 50. Vnde & supra 24. Sapientia ipsa dicit, Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient, & qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Quare & Danieli viro desideriorum, qui posuit cor suum ad intelligendum in tantum vt se affligeret, Angelus hæc dicebat; Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates: Tu autem Daniel, claude sermones & signa librum vsque tempus statutum; Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia. Et infra, Ego, inquit Daniel, audiui, & non intellexi, & dixi, Domine mi, quid erit post hæc? & ait, scilicet Angelus, Vade Daniel
C quia clausi sunt signatique sermones vsque ad tempus præfinitum; Eligentur, & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi, & impiè agent impij, neque intelligent omnes impij, porro docti intelligent. Vnde Gregorius 2. super Ezech. homilia quarta. Sciendum est, inquit, quia per incrementa temporum creuit scientia spiritualium Patrum. Plus namque *Gregorius.*
Moses, quàm Abraham, plus prophetæ quàm Moses, plus Apostoli quàm Prophetæ in omnipotentis Dei scientia eruditi sunt. Fallor, si hæc ipsa scriptura non loquitur, Pertransibunt, inquit, plurimi, & multiplex erit scientia. Quod & probat dilucidè consequenter, sic tandem concludens; Mensura ergo calami, quæ est sex cubitorum, & palmi, ducatur ad cubitos decem, & mensura decem cubitorum ad extremum surgat in tresdecim, quia quantum mundus ad extremitatem ducitur, tantum nobis æternæ scientiæ aditus largiùs aperitur. Porrò sicut eidem homini in teneriori ætate cibus & doctrina facilior & infirmior, quàm solidior congruè ministratur, sic & toti Ecclesiæ. Nam in suæ natiuitatis origine, lacte facilis,
D lucidæ, & suauis doctrinæ fuerat imbuenda; nunc autem postquam per processum temporis est adulta & firmiter roborata, cibarijs solidis est fouenda, maximè hi, qui habent gustum sanum, dentes potentes, & stomachum cordis fortem. Vnde Apostolus *Apostolus.*
primo ad Corinthios tertio. Ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam paruulis in Christo; lac vobis potum dedi, non escam: Nondum enim poteratis, sed ne nunc quidem potestis. Et ad Hebræos quinto. Estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ; paruulus enim est; perfectior autem est solidus cibus, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem. Et primo ad Corinthios secundo, Sapientiam loquimur inter perfectos. Veruntamen propter istam sententiam non debent homines esse negligentes ad bonum, quia sicut Deus præsciuit homini finem, scilicet vitam æternam, sic & viam & media ad hunc finem, sicut supra respondendo ad rationem Philosophi 1. peri hermenias vlt. est ostensum. Quare & Daniel spiritu Dei plenus, certè
E intelligens imminere terminum septuagesimorum annorum desolationis, & initium consolationis Israelitici populi captiuati prædictæ & promissæ per Ieremiam 29. à Deo qui mentiri non potest, non ideo minus diligenter posuit faciem suam ad Dominum Deum suum, rogare & deprecari in ieiunio & sacco & cinere, vt faceret quod promisit, sicut Dan. 9. historia manifestat. Super quam Hieron. Prædixerat Ierem. 70. annos desolationis templi, post quos *Hieronymus*
rursus veniret populus in Iudæam, & ædificaretur ibi templum, & Ierusalem; quæ res Danielem non facit negligentem, sed magis prouocat ad rogandum, vt quod Deus per suam promisit clementiam, per huius impleat preces. Cui & concorditer Greg. hom. 32, super Euang. ita *Gregorius.*
scribit; Matrona quædam fuit valde religiosa, quæ ad horum martyrum, scilicet Processi &

Martiniani Ecclesiam crebro veniebat; & quadã die dum ex more ad orandum venisset, egrediens duos stantes sub peregrino habitu monachos inuenit, peregrinos credidit, dare eis aliquid eleemosynæ præcepit, sed priusquam eius erogatur eis ad largiendum eleemosynam propinquasset, astiterunt illi viciniùs, & dixerunt; Tu nos modo visitas, nos te in die iudicij requiremus, & quicquid possumus, præstabimus tibi; quo dicto, ab oculis eius ablati sunt: territa illa ad orandum redijt, seseq; in lacrymas prolixiùs effudit, & facta est post hoc tanto instantior in prece quanto certior de promissione. Nec illud est verum, quod quicquid fecerint homines vel nõ fecerint, non minus nec magis euenient vniuersa: Primò, pro ipsis factionibus seu operibus; Secundò, pro finibus operum, Non enim soli fines seu termini, puta mansiones in cœlo, prædestinantur à Deo, sed & via, & media ordinata, sicut superiùs respondendo ad simile argumentum Philosophi 1. peri hermenias vlt. fuerat demonstratum, sicuti etiam clarè docet 45^um^. primi. Verum est tamẽ quod nullus vnquam faciet aliquid vel omittet, vnde aliquod futurum non eueniet, aut alio & non omni illo modo eueniet quo eueniet, nec vnde aliquod non futurum eueniet: hoc enim contradictionẽ includit, quod & 18^um^. huius ostẽdit; quare & omnia quæ euenient, & quibuscunq; modis euenient, ita seriosè eueniẽt, ac si omnino essent necessariò euentura. Quod autem quidam arguunt consequenter multa futura se posse liberè impedire; vel intelligunt quod hoc possunt ex se solis sine Deo coagente vel præagente, & tunc sunt Pelagiani hæretici, sicut 20. & 30. secundi demonstrant; aut intelligunt quòd Deo coagente & præagente cum ipsis possunt; & tunc nedum est possibile, imò & necessarium necessitate causarum superiorum, sicut 27. huius ostendit. Quare & de || *quolibet* impedimento libero futuro & non futuro similis est necessitas, sicut & de quocunque effectu libero futuro, vel non futuro: omne namque tale impedimentum futurum est aliquis talis effectus futurus. Rursum aut intelligunt quòd cum Deo coagente aut præagente possunt impedire aliquod futurum, quod sit A. stante etiam voluntate diuina ad A. fore, sicut 14. primi docet, quod est hæreticum & blasphemum, sicut 10. primi monstrat; aut intelligunt, quòd possunt mutare aut auertere voluntatem diuinam ab A. vel facere ipsum non velle A. fore, quod similiter est erroneum & contra 20 primi, 30. secundi, & 8. istius: aut quòd Deo agente & præagente, & ex se solo, non ex actu humano quocunque non volente, sed nolente A. fore, possunt impedire A. fore, & sic non instant: sic enim nedum est possibile, sed necesse modo prædicto. Sic etiam quod dicunt se posse, magis est dicere Deum posse per eos, sicut omnipotentem artificem, per sua sibi subseruientia necessariò instrumenta; quanquam & quomodo causa secunda, vt homo, possit impedire effectum voluntatis diuinæ posset plenius disputari. Et quòd arguunt de paruulo, verè videntur loqui vt paruuli, & vt paruuli cogitare. Quomodo namque intelligunt se posse occidere paruulum, vel per se, vel cum Domino, &c. sicut prius? Similis enim necessitas vel impossibilitas in occisione paruuli est ponenda, sicut in alijs effectibus liberis quibuscunque. Argumentum quoque de paruulo potest similiter fieri de adulto. Isti etiam videntur supponere saluationem vel damnationem hominis dignissimæ creaturæ fortuitis motibus hominum, dæmonum, vel ferarum, & quasi casuali casui taxillorum; quare & prædestinationem & reprobationem, personas & numerum cœlestium ciuium consequenter, quod vicesimum septimum primi cum sequentibus 45. & 46. non sinunt, quod & damnant autoritates Augustini de bono perseuerantiæ 35. De correptione & gratia 27. recitatæ tricesimo primo primi, De gratia & libero arbitrio 50. cum multis alijs recitatis tricesimo nono primi. Quod autem arguitur de experientia libertatis, non certificat omniquaque, quoniam sicut dicit Hippocrates primo primi Aphorismorum, Experimentum fallax iudicium difficile. Similem namque libertatem videntur bestiæ, furiosi, moriones, & pueri experiri, qui tamen non habent omnimodam libertatem, quia non libertatem contradictionis, nec à necessitate respectu causarum superiorum, nec etiam inferiorum, sicut ex vndecimo huius patet. Nec Augustinus, nec aliquis alius experitur se habere libertatem à subiectione Dei exemtam, sed voluntatem liberam à coactione inuita. Porro quod obijciunt consequenter est argumentum Manichæorum, contra illud magistri nostri Christi, Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit illum, Ioh. 6. dicente ibi Chrysostomo, Hic insiliunt Manichæi dicentes, Ergo in nobis nihil est positum; quod & potest similiter obijci 20. & 30. secundi; veruntamen 9. huius || *plenè* respondet. Quod etiam opponunt, quòd Deus sit Autor mali, 20. & 30. secundi similiter potest opponi, veruntamen hic respondet 34. primi. Quod etiã dicunt, Illũ nolo pro Deo meo habere, qui me impellit ad malũ, contra || 26 & 30. secundi similiter potest dici; quibus & è contrario ego dico, Illũ nolo pro Deo nostro habere, qui non sit omnipotens in agendo, qui non habeat omnipotentissimũ dominatum super meã debilem voluntatẽ, qui non posset omnipotentissimè facere me velle, & facere quicquid vellet, qui non habeat

[Margin: A; B; || quocunq; C; D; *Hippocrates.*; E; *Iohannes. Chrysostom.*; || planè. ; || 20.]

A habeat voluntatem vniuersaliter efficacem, infrustrabilem, indefectibilem, & necessariam in causando, imò cuius voluntas non sit mihi necessitas secundum sensatam sententiā 27. huius scriptam. Quinimò cōstanter & libera voce dico, Illum nolo pro Deo meo habere, cuius beatissimam voluntatem ego miser peccator possum facillimè à || *summa* arce suæ dignissimæ libertatis detrudere, & oppositæ seruitutis necessario iugo submittere, & submissam insolubiliter detinere, cuius sanctissimam voluntatem ego peccator velut mulierculam debilem facillimè possum opprimere, & necessitare ad horribilem actum peccati, imò & quam plusquam mulierculam qualemcunque possum necessitare ad consentiendum in actum turpissimum vilissimumque peccatum. Cui & adhuc fiducialiter agens, dico illum nolo pro Deo meo habere, quem peccator impello ad malum necessariò volendum, aut etiam permittendum, quem ego miser peccator necessito vicissitudinaliter, sicut malitiæ placuerit, ad volendum, B permittendumuè malum, qui seruituti tam miseri peccatoris tam miserabiliter sit subiectus. Aduersarius etenim confitetur, quòd quamdiu actus meus malus est futurus, tamdiu Deus est liberrimus libertate contradictionis plenissima ad volendum & permittendum illum, vel non: sed cùm temporaliter præsentialiter à me fiat, necesse est tunc primò necessitate opposita priori libertati æterno Dominum velle & permittere illum actum: cui similiter adhuc dico, Illum nolo pro Deo meo habere, qui in tota vniuersitate creaturæ aliquam rem malam simpliciter & non bonam facit, conseruat, voluntarieuè permittit. Quare & 26. primi ostendit nullam rem esse malam simpliciter, sed quamlibet esse bonam: Quamobrem adhuc dico, Illum nolo pro Deo meo, scilicet summo bono, habere, à quo secundum sententiam Iacobi, non omne aliud bonum descendit. Cur, iterum inquio, vis tu illum pro Deo tuo habere, qui te ad omne bonum saltem necessariò debitum non impellit, & ab omni malo non repellit, cùm hoc possit facillimè, & ita faciliter sicut permittit oppositum, & sine omni suo incom- C modo vel labore, & ad tuum maximum commodum & valorem? Cur, insuper aio, vis tu illum pro Deo tuo habere, qui tot mala secundum te in vniuersitate regimini suo subiecta permittit, qui & tot parua & minora bona meliora non facit, imò & totum vniuersum non efficit melius, cùm æque faciliter ita posset? Quem & adhuc requiro, Vis tunc illum pro Deo tuo habere, qui te ad bonū impellit? Si non, Pelagianam hæresin profiteris, sicut 21. 23. & 30. secundi ostendunt: si sic, ergo secundum te omnia bona quæ euenient, de necessitate euenient, &c. sicut contra 15. opinionē 22. huius repressam. Veruntamen proculdubio Deus nullū inuitum violenter impellit, sed omnes voluntarios spontaneè impellit & trahit ad quoslibet liberos actus suos. Amplius autem pro isto & omnibus similibus de peccato & necessitatione peccandi, seu ad peccandū, aliter fortasse subtilius & probabilius dici potest, quod Deus necessitat quodammodo ad actum peccati secundum substantiā ipsius actus; non ideo tamen D videtur consequens, quòd ipse necessitet ad peccatum, vel ad deformitatem peccati, quatenus est peccatum deformitasuè peccati. Posset enim Deus omnipotens, vt apparet, separare substantiam ipsam actus, & rem quamlibet positiuam à deformitate peccati, posset que producere & seruare talem suum effectum realiter positiuum & bonum absque tali defectu & malitia priuatiua, præsertim cùm peccatum, deformitas, malitia, aut defectus non sit essentialiter ipse actus *, neque necessariò consequens substantiam ipsam actus, sicut apparet ex 26. primi. Deo igitur bono rectè agente, præagente, & necessitante quodammodo ad actum talem bonum secundum substantiam & naturam, nequaquam de necessitate consequitur malitia aut peccatum. Vnde ergo sequitur, nisi ex voluntate libera creaturæ deficientis spontaneè, || *voluntarieque* peccantis? Verum si quid aliter sapientia, & hoc mihi Deus reuelare dignetur, & reddere sobriè sapientem, & si deficiens fortè peccem, ad iustitiæ regulam me reducat. Quod autem arguitur, difficultatem & ignorantiam in nullo excusare peccatum, quia nec impossibilitatem vitandi; potest similiter argui de merito qualicunque: hæc tamen in aliquo excusant E peccatum, eò quòd liberum arbitrium tollunt, vel minuunt quoquomodo, quia vel cognitionē obnubilant, vel executionē debilitant; hæc autem impossibilitas euitandi, seu necessitas faciendi neutrū minuit vel offendit, sicut corol. 1. & 2 ac 10. huius docēt. Quod autē arguitur, non fuisse maiorē possibilitatem vitandi peccatū ante lapsum quàm post, potest similiter argui de vitatione meriti, vel de factione meriti possibilis, non tamen futuri. Nec ratio causalis procedit. Nam quomodo sequitur, homo non potest A. nisi de potentia absoluta, nec potest B. nisi de potentia absoluta; ergo non magis potest A. quàm B. nec è contra? Non enim sequitur similiter arguendo, Nulla creatura potest aliquid nisi de potentia Dei, sicut 2. primi & sequentia probauerunt; ergo nulla creatura magis potest vnum quàm aliud, facilius quàm difficilius, nec vna creatura magis potest quicquā quàm alia, fortior & potentior quàm debilior & impotentior quantūcunque. Nec etiā sequitur de potentia ordinata, Nulla creatura potest quicquam

|| firma.

* neque de essentia ipsa actus.

|| voluntateque.

quicquam futurum nisi de Dei potentia ordinata, sicut corollarium noni, primi monstrauit; A ergo nulla creatura magis potest vnum futurum quàm aliud facilius quàm difficilius, nec vna creatura, puta potentior, magis quàm alia impotentior quantumcunque. Tertiò adhuc non sequitur de potentia naturali. Non enim quia nulla res naturalis potest aliquid naturaliter operari, nisi per potentiam naturalem, ideo nulla res naturalis magis potest naturaliter operari vnum quàm aliud. Hoc igitur ante lapsum, quando erat in naturalibus totus sanus, & in gratuitis multum potens, magis potuit quàm postquam incidit in latrones, & in latrinam peccati, vbi in naturalibus vulneratur, & gratuitis spoliatur, vnde efficitur impotens & infirmus: Habet & nunc fortissimum inimicum, quem tunc non habebat, corpus scilicet corruptum, quod aggrauat animam, & carnis concupiscentiam, quæ spiritui aduersatur; cui & assunt duo pestiferi comites, ignorantia nimia discernendi, & difficultas plurima exequendi: Et hæc est ratio & causa Doctorum, qui fuerant in oppositum allegati, Petri 2. sent. dist. 25. Hugonis de Sacramentis libri primi parte 6a. cap. 16. Bernardi de gratia & libero arbitrio 12. B sicut scripta eorum lucidè contestantur. Quomodo autem & quare necessitas naturalis & fatalis repugnet meritò, & non ista, vndecimum huius docet. Quod autem arguitur non esse maiorem libertatem in homine quàm in bruto, vndecimum huius soluit. In homine siquidem est necessitas respectu Dei solius, in brutis verò respectu ipsius, & respectu causarum inferiorum, naturaliumuè causarum. Nec ratio sua causalis procedit. Non enim si homo non possit in oppositum faciendi, nisi de potentia absoluta, nec brutum; ideo non magis homo quàm brutum, sicut superius est ostensum. Nec ista sententia redit hominem impeccabilem, sicut ostendit 34um. primi. Quod autem infertur, non esse maiorem libertatem in viatore quàm in comprehensore, quis negare præsumpserit, cùm maior libertas sit in Deo, in sanctis Angelis confirmatis, & in comprehensore quocunque quàm in aliquo viatore, sicut catholici non ignorant, quod & testatur Autoritas Augustini Enchirid. 86. primo huius præmissa, quod & ostendunt Hugo, & Petrus vbi erant proximo allegati? Nec ratio causalis C est efficax, sicut superius est ostensum. Viator namque habet infirmitatem multiplicem, ignorantiam, difficultatem, carnem, mundum & diabolum tentatores, nec abundantiam gratiæ confirmantis. Angelus verò nullum istorum malorum, sed opposita bona plenè, cum abundantissima gratia beatificè confirmante; & hæc est ratio confirmationis in bono, sicut decimum quintum secundi ostendit: Verum tamen vno modo habet viator libertatem arbitrij, quo Deus & comprehensor non habet, videlicet ad obediendum diuinis mandatis vel non, ad peccandum vel non. Quod autem ex isto consequenter infertur, quod viator non potest plus mereri quàm Angelus confirmatus, videtur secundum sententiam Petri 2. sentent. dist. 5. & 11. recitatam primo huius posse concedi. Verum quia idem potest argui de Angelis post finale iudicium beatificandis plenariè & perfectè, aliter respondendum, quod nullus potest mereri à Deo quicquam boni de condigno, scilicet de necessitate iuris, inflexibilique rigore, sed quicquid boni meremur ab eo, totum procedit & pendet ab eius gratissima gratia & gratuita voluntate, sicut 39am. primi clariùs demonstrauit. Potest ergo D Deus absque iuris iniuria, & sine præiudicio cuiuscunque, præstituere Angelo & homini certum terminum ad merendum, & illuc vsque sua opera velut meritoria acceptare, vltra verò tanquam præmiatoria & consummatoria præcedentium meritorum: Necessitas tamen sola in Angelis plenariè consummatis non videtur merito repugnare, sicut corollaria primi, secundi, & decimi huius docent, sed sola perfectio consummata. Merentes enim sunt in via & motu ad terminum, comprehendentes verò & consummati plenariè in termino vltimato. Nec sequitur hominem viatorem esse finaliter confirmatum: Non enim ideo dicitur quispiam finaliter confirmatus, quia necessariò sequitur voluntatem diuinam, sed propter aliam rationem superius || *assignatam.* Argutia verò, quæ consequenter obgarrit in Logica, in Philosophia & in Theologia est hæretica & damnata, sicut ex 43°. primi constat. Rursum secundum istam insensatam sententiam Deus posset velle aliquid esse seu fore, & illud non esset E nec foret; posset velle aliquid esse seu fore tale vel tale, scilicet, prædestinatum & bonum, & illud non esset tale, nec foret; posset quoque velle aliquid non esse seu fore simpliciter siue tale, & ipso inuito illud esset aut foret simpliciter siue tale; sicque Deus superbeatus & omnipotens, miser & impotens redderetur, sicut decimum primi docet. Ampliùs * secundum istam vanam & falsam insaniam, posset Deus cognoscere se non amando se: Priùs namque quodammodo videtur cognoscere quàm amare: possetque Pater cælestis sine filio suo esse, cùm sit quodammodo prior eo, sicut trigesimo secundi erat ostensum. Duo verò argumenta sequentia videntur prætendere vnam exemptionem blasphemam à subiectione & seruitute Domini Dei nostri, quibus tamen per quintum & nonum huius pleniùs

|| allegatam

* autem

|| *respon-*

A ||*respondetur*; Videntur quoque eadem argumenta cum Pelagianis supponere voluntatem creatam posse agere sine Deo propriè coagente, vel saltem sine eo naturaliter præcedente, quod vicesimum secundi cum tricesimo reprobauit. Nec dubium quin sit longè, imò infinitè perfectius, quòd Deo volente quippiam facere per aliquam creaturam, ipsi curuetur necessariò omne genu, quàm quòd ei ab aliquo posset resisti; sic enim & non aliter est omnipotens & infinitè perfectus, sicut patet completius primo huius. Quod autem de omissione arguitur non plus obuiat vicesimo septimo huius, quàm vicesimo vel tricesimo, seu tricesimo secundo secundi, nec magis de omissione quàm de commissione procedit; autoritas quoque Augustini superius est glossata, nec intendit ista autoritas Augustini aliam eius autoritatem super Deut. 20. & textum ibi sacrum destruere, qui tricesimo tertio secundi fuerant allegati. Argumenta verò de permissione & volitione, & amatione peccati ita procedunt contra vicesimum secundi, sicut contra vicesimum septimum tertij, quæ & soluuntur plenariè per tricesimum tertium & tricesimum quartum primi. Autoritates Genes. & Ecclesiastici ita vadunt, contra vicesimum & tricesimum secundi, sicut contra vicesimum septimum tertij, quæ & vicesimo octauo secundi clarius exponuntur. Autoritas verò Apostoli negat necessitatem aduersariam liberæ potestati, sicut verba eius ostendunt, quod & decimo huius patet; videtur etiam loqui ibi de necessitate legis seu iuris, quæ ortum habet ex voto alioue contractu, & de oppposita potestate. Ad illud verò quod arguitur de necessitate antecedente, respondendum per distinctionem de necessitate antecedente, vicesimo octauo huius præmissam; vel aliter Anselmus negans necessitatem præcedentem ab effectibus liberè & contingenter futuris, intendit illam negare à prima causa illorum, scilicet à voluntate diuina, secundum vndecimam & duodecimam veritatem quinti huius; & hoc verba sua indicant euidenter. Ait enim, Scito omnia ex necessitate fuisse, quia ipse voluit, voluntatem verò eius nulla præcessit necessitas, qui & in talibus effectibus affirmat necessitatem sequentem, quia secundum eum fiunt à causa, scilicet à voluntate diuina necessaria, necessitate sequente, vt patet capitulo proximo: ratio autem huius transsumtiuæ denominationis à causa ad effectus potest haberi ex præmissis vicesimo sexto secundi, nec repugnantiam vllam includit, eundem effectum respectu eiusdem causæ sic esse necessarium necessitate sequente, & etiam præcedente, sicut per se patet, sicuti & ostensio sextæ partis quinti huius docuit euidenter. Autoritates verò Anselmi & Boetij, dicentes res liberi arbitrij priusquam fiant apud hominem, & per liberam voluntatem, & in tempore, posse mutari & nullatenus euenire, intelligunt manifestè respectu causarum inferiorum, quia secundum ipsos respectu causarum superiorum sunt necessariò euenturæ. Hoc enim sententia eorum & verba indicant euidenter, sicut vicesimum octauum huius ostendit. Volunt igitur dicere quòd quantum est de ratione & causalitate causarum inferiorum, scilicet liberi arbitrij, seu totius hominis, siue quarumlibet temporalium aliarum, D nulla est necessitas respectu contingentium futurorum, sed contingentia & possibilitas ad vtrumque; sed in Deo æterno super tempora & temporalia vniuersa habente determinatam, præsentaneam, immutabilem, & infrustrabilem voluntatem respectu omnium futurorum, est necessitas omnium futurorum, sicut capitulum proximum plenius ostendebat. Autoritas verò Anselmi de concord. 2. loquitur de necessitate libertati contraria & inuita, sicut verbum subsequens indicat euidenter: immediatè namque subiungit, quòd si non vellet sponte, non operaretur. Robertus Lincolniensis negat Petrum prædestinatum saluari necessariò necessitate contingentiæ repugnante; aliam verò necessitatem, scilicet amicam contingentiæ, nusquam negat, sed planè concedit. Concedit enim necessarium esse Petrum saluari, non necessariò, sed contingenter; quare & habet consequenter concedere, necessarium esse Petrum contingenter saluari. Quomodo autem neget necessitatem antecedentem, patet capitulo præcedente. Bernardus negat à libero arbitrio necessitatem inuitam, & ei contrariam, non E concordem; vnde capit. 3. Est, inquit, consensus voluntarius habitus liber sui, siquidem non cogitur, non extorquetur; ea quippe voluntatis, non necessitatis; nec negat se, nec præbet cuiquam nisi ex voluntate, alioquin si compelli valet, inuitus, violentus est, non voluntarius. Nisi enim voluntas non est, nec consensus: non enim est consensus nisi voluntarius. Vbi ergo consensus, ibi voluntas; porro vbi voluntas, ibi libertas, & hoc est quod dici puto liberum arbitrium. Et infra 4. Vniuersa quæ hominis sunt, præter solam voluntatem sui, libera non sunt; vita, sensus, appetitus, memoria, ingenium, & si qua talia sunt, eo ipso subiacent necessitati, quo non planè subdita sunt voluntati; ipsam verò, quia impossibile est de seipsa sibi non obedire (nemo quippe aut non vult quod vult, aut vult quod non vult) etiam impossibile est sua priuari libertate: potest quidem mutari voluntas, sed non nisi in aliam voluntatem, vt nunquam amittat libertatem; tam ergo non potest priuari illa quàm nec seipsa.

Si

|| responde-batur.

Si poterit homo aliquando aut nihil omnino velle, aut velle aliquid, & non voluntate, poterit & carere libertate voluntas: sola ergo voluntas, quoniam pro sui ingenita libertate, aut dissentire sibi, aut præter se in aliquo consentire, nulla vi, nulla cogitur necessitate; non in merito iustam vel iniustam, beatitudine seu miseria dignam ac capacem creaturam constituit, prout iustitiæ iniustitiæue consenserit. Qui & 5. reddens causam dicti superius allegati, sic ait; Quomodo namque ad bonum conuersus per gratiam humanæ voluntatis consensus eo liberè bonum, & in bono liberum hominem fecit, quo voluntarius efficitur, non inuitus pertrahitur? Sic sponte deuolutus in malum, in malo nihilominus tam liberum quàm spontaneum constituit, sua vtique voluntate ductum, non aliunde coactum vt malus sit. Et sicut cœlestis Angelus, aut etiam ipse Deus permanet liberè bonus, quia scilicet voluntate, non aliqua extrinseca necessitate: sic profectò diabolus æquè liberè in malum & corruit & persistit suo vtique voluntario nutu, non alieno impulsu; manet ergo voluntas libertatis, vbi etiam sit captiuitas mentis, tam plena quidem in malis, quàm in bonis. Vnde & 6. vnam definitionem liberi arbitrij sic concludit; Ex hac ergo tantùm libertate, qua liberum est voluntati seipsam indicare vel bonam si bono, vel malam si malo consenserit; quippe quæ in neutram nisi certè volendo consentire se sentit liberum arbitrium credimus nominari. Qui & decimo octauo negat necessitatem non peccandi à Deo, similemque necessitatem, scilicet inuitam, Angelis & hominibus abnegans, tribuit eis oppositam libertatem; aliam verò necessitatem secundum causas superiores vicesimo septimo huius prædictam nusquam negat, sed magis affirmat: vnde sic ait, Cæterum nec Deus caret libero arbitrio, nec Diabolus; quoniam quòd ille non potest esse malus, non infirma necessitas, sed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas; quodque ‖ *hic* non valet in bonum respirare, non aliena facit violenta oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata voluntas ac voluntaria obstinatio; & nunc igitur ex eo potius liberum dicitur arbitrium, quod siue in bono, siue in malo æquè liberam facit voluntatem, cùm nec bonus quisquam, nec item malus dici debeat, aut esse valeat nisi volens. Tali iam ratione non incongrue dicetur ad bonum se & ad malum habere æqualiter, quòd vtrobique videlicet par sit ei, non quidem in electione facilitas, sed in voluntate libertas: hac sane dignitatis diuinæ, vt dictum est, prærogatiua rationalem singulariter creaturam conditor insigniuit; quod quemadmodum ipse sui iuris erat, suæque ipsius voluntatis, non necessitatis erat, quòd bonus erat; ita & illa quoque sui quodammodo iuris in hac parte existeret, quatenus non nisi sua voluntate aut mala fieret, & iustè damnaretur; aut bona maneret, & merito saluaretur; non quòd ei propria sufficere posset voluntas ad salutem, sed quòd eam nullatenus sine sua voluntate ‖ *consequeretur*. Nemo quippe saluatur inuitus: nam quod legitur in Euangelio, Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum, item in alio loco, Compelle intrare, nihil impedit; quia profectò quantoscunque trahere vel compellere videatur ad salutem benignus Pater, qui omnes vult saluos fieri, nullum tamen iudicat salute dignum, quem non probauerit voluntarium. Hoc quippe intendit, cùm terret aut percutit vt faciat voluntarios, non saluet inuitos, quamuis dum de malo mutat, in bonum voluntatem transferat, non auferat libertatem. Calumniabile tamen secundum superficiem literæ videtur, quod dicit libertatem à necessitate Deo & creaturæ æqualiter conuenire, cùm omnis virtus & perfectio vtrisque competens infinitè plus Deo competere videatur, cùm omnis creatura sit omniquaque finita, ipse verò infinitissimus omniquaque, sicut suppositio prima probat. Quod autem obijcitur, omnes Autores necessitatem ab actibus liberis abnegare per vicesimo nono & vicesimo octauo, & decimo huius præmissa, sufficienter, vt arbitror, potest solui. Articulus Oxoniensis per Robertum Cantuariensem damnatus non obuiat necessitati prædictæ. Ex hac enim non sequitur, omnem propositionem de futuro veram esse necessariam, sed eius oppositum manifestè. Nam si hæc sit vera & necessaria necessitate huiusmodi, Antichristus nascetur, necessariò sequitur quòd aliquando nascetur, & quòd post in perpetuum erit falsa. Pro hoc autem articulo plenius intelligendo, sciendum quòd ab aliquibus opinabatur Oxoniæ, quòd nulla propositio de futuro in materia contingenti est vera vel falsa, sicut ex decimo septimo huius potest haberi, ex qua necessariò sequitur, quòd omnis propositio vera de futuro est necessaria, vt scilicet necessariò impleatur, veluti, Sol orietur, eclipsis erit, & similes; quare & iustè debuit condemnari. Præterea potest dici, quòd articulus loquitur de necessitate absoluta, & contraria, non consentanea libertati, sicut decimum huius distinguit: articulus verò Parisiensis loquitur de necessitate non respectu causarum superiorum, sed tantùm inferiorum, scilicet corporum cœlestium, & causarum naturalium, videlicet de necessitate naturæ seu fati stellaris. Opinabatur namque à nonnullis Parisijs quòd voluntas humana subiaceat necessitati stellarum, & quòd sit tantùm passiua, & quòd necessariò velit, positis omnibus

Marginal notes: ‖ is — ‖ assequeretur.

A omnibus causis inferioribus requisitis, sicut ex 30. secundi, sexto & decimo huius patet. Hoc idem euidenter ostendunt verba articuli debitè ponderata. In articulo namque damnatur, quod nihil fit à casu, quare & eius oppositum affirmatur: sed respectu Dei & superiorum causarum nihil penitus fit à casu, sed tantum respectu inferiorum per vicesimum nonum primi. Quare & idem Stephanus Parisiensis damnauit articulum asserentem, quod Aliqua possunt casualiter euenire respectu primæ causæ, & quod falsum est omnia esse præordinata à prima causa; articulus autem negat necessitatem respectu illarum causarum, respectu quarum casū affirmat, sed hoc est tantum respectu inferiorum causarum. Quod etiam locus Scripturæ, quem pro se allegat articulus, indicat euidenter, quia concursus, inquit, causarum est de definitione casualis, libro de consolatione & est 5. prosa. 1. Vbi Boetius, Liquet, inquit, definire casum esse inopinatum ex confluentibus causis, in his quæ ob aliud geruntur, euentum; quod de causis inferioribus, non superioribus intellexit, sicut verba eius præcedentia & sequentia manifestāt, sicut ostenditur plenius vicesimo nono primi, quæ & necessitatem prædictam muniunt & confirmant. Nam post definitionem casus præmissam immediatè subiungit, Concurrere autem atque confluere causas facit ordo ille ineuitabili connexione procedens, qui de prouidentiæ fonte descendens, cuncta suis temporibus atque locis disponit. Quod etiam articulus loquatur de necessitate respectu causarum inferiorum, scilicet de necessitate naturæ seu fati stellaris, videtur per alios articulos sibi in damnatione coniunctos. Damnatur namque cum illo alius articulus asserens, quod ex diuersitate locorum acquiruntur necessitates euentuum; & rursum alius astruens, quod ex diuersis signis cœli signantur diuersæ conditiones in hominibus tam bonorum spiritualium, quam rerum temporalium; & iterum alius, qui dicebat, quod in hora generationis hominis in corpore suo, & per consequens in anima, quia sequitur corpus ex ordine causarum superiorum, scilicet corporum cœlestium & inferiorum, inest homini dispositio inclinans in tales actiones & euentus. Error, nisi intelligatur de euentibus naturalibus & per viam dispositionis. Ampliùs, alius, qui ponebat quod fatum, quod est dispositio vniuersi, procedit ex prouidentia diuina, non immediatè, sed mediante motu corporum superiorum, & quod illud fatum non imponit necessitatem inferioribus, quia habent contrarietatem, sed superioribus, vbi & multi alij similes condemnantur. Porro damnatio huius articuli vltimi saluat necessitatem prædictam. Hic namque damnatur quod fatum procedens ex prouidentia diuina non imponit necessitatem inferioribus; ergo suum oppositum affirmatur, scilicet, quod imponit necessitatem inferioribus sub diuina prouidentia gubernatis. Huiusmodi autem sunt omnes liberi actus nostri, sicut ostendit tricesimum primi, quare & idem Stephanus Parisiensis damnauit articulum asserentem, quod humani actus non reguntur prouidentia diuina. Nec verisimile est quod iste Stephanus damnans articulum supradictum, reconciliauit alium, quem ipsemet prius damnauit, ponentem quod ad hoc quod effectus sint necessarij respectu causæ primæ, non sufficit quod ipsa causa prima non sit impedibilis, sicut vicesimum septimum huius plenius recitauit. Damnatio vero alterius * Parisiensis articuli & Petri Abelardi non obuiat necessitatem vicesimo septimo huius dictæ; quoniam vicesimum septimum huius tantum affirmat necessitatem in futuris respectu voluntatis diuinæ, nunquid tamen Deus possit vel non possit aliter velle & facere non affirmat. Quod autem arguitur iuxta rationē necessitatis prædictæ, quod omnia, quæ euenient, euenient de necessitate respectu causarum inferiorum, incurabiliter claudicat in materia & in forma. In materia, quia supponit, quod omnia, quæ euenient, per causas inferiores euenient, cum tamen solus Deus multa faciet per seipsum; solus enim creabit futura creanda. De his etiam, quæ per causas inferiores euenient, puta de rebus liberi arbitrij, peccat in forma; quia etsi respectu voluntatis diuinæ infrustabilis ac immutabilis, determinateque & distinctè volentis, quæque euentura per causas inferiores, euenire per illas necesse sit, sicut vicesimum septimum huius docet; respectu tamen causarum, inferiorum, puta hominis & liberi arbitrij, non est necesse euentura per eas, euenire per illas, quia quantum est de ratione & causalitate ipsarum, nulla est necessitas respectu suorum liberorum effectuum futurorum, sed indeterminatio, indifferentia, contingentia, & possibilitas ad vtrumque. Quod vero arguitur consequenter, oppositum huius positionis esse possibile, non obuiat nec impugnat: multa namque sunt vera, quæ non sunt necessaria, & quorum opposita possibilia dignoscuntur. Veruntamen argumentum non probat oppositum esse possibile, nec est verum. Non est verum, quia per tertium & quartum primi, non est possibile creaturam agere sine Deo proprie coagente, & hoc per voluntatem suam, non frustrabilem, prius natura agentem quacunque causa secunda, nec existentem in potestate alicuius causæ secundæ, causarumue aliquarum aut omnium secundarum, sicut nonum & decimum primi, tricesimum secundi; septimum & octauum tertij manifestant. Ratio vero

Marginalia: *Stephanus.* — *Boetius.* — * Parisijs

Margin letters: B (at "manifestāt"), C (at "euentibus naturalibus"), D (at "dibilis"), E (at "necessitas respectu")

vero non procedit. Cum enim arguitur Deum velle creaturam liberè agere, diuersum est à A
Deum velle creaturam necessario agere; ergo hoc velle potest ab alio separari. Quomodo loquitur de libertate? Si de libertate opposita necessitati vicesimum septimum huius ostensæ, falsum assumit. Non enim vult Deus, nec velle potest creaturam sic liberè agere, sicut hic supra & ibi fuit ostensum, sicuti nec vult nec velle potest creaturam esse sic liberam, quod non Deo de necessitate subiecta, aut quod posit agere sine eo; hoc enim contradictionem includit, sicut vicesimum secundum secundi, & vicesimum tertium tertij contra opinionem decimam septimam ostendebat; sicut etiam non potest velle se non esse, aut Deum non esse, non gignere, aut spirare, nec creaturam esse sibi æqualem omnipotentem simpliciter, & creaturæ tria esse æqualia aut pauciora duobus, punctum vel animam esse corpus, & similia infinita. Si autem loquatur de alia libertate, opposita scilicet necessitati naturæ, fati, seu violentiæ & consentanea necessitati prædictæ, non obuiat elenchicè, nec impugnat, sicut in decimo huius patet. Præterea cum dicit diuersum, si loquatur de diuersitate essentiali & reali falsum assumit; B
quia non est, nec esse potest in Deo talis diuersitas voluntatum: omnes enim voluntates eius sunt essentia eius vna: si autem loquatur de diuersitate secundum rationem & modum intelligendi humanum, non concludit. Similiter etenim posset inferri, quod Deus possit intelligere, & non diligere semetipsum, quod posit gignere, & non spirare, quod possit facere tria non esse plura duobus. Nam velle tria esse, diuersum est à velle tria esse plura duobus. Ergo hoc velle potest ab alio separari &c. sicut aduersarius superius arguebat. Similiter quoque posset ostendi, quod posibile est Deum non esse, & præterita non fuisse, præsentiaque non esse, quod negat; quoniam Deum velle se libere esse, diuersum est à Deum velle se necessario esse; ergo &c. sicut falsigraphus arguebat: de præteritis etiam & de præsentibus patet idem. Similiterque probabo, quod posibile est punctum seu animam esse corpus, & simplicem vnitatem numerum quemcunque, quoniam Deum velle punctum, animam, vel simplicem vnitatem esse corpus, aut numerum, diuersum est à Deum velle hæc, illa non esse, ergo &c. sicut arguit C
contradictor Vltima verò argutia ex ignorantia elenchi, velut cæca delirat, deuiat & aberrat. Non enim secundum idem arguit, nec ad idem, vel si sic arguit, sumit falsum, sicut ex superioribus clarè patet.

CAP. XXX.

Arguit eam super falsitate hypothesis per viam sumptam à necessitate & libertate voluntatis diuinæ, quæ semper necessariò vniformis permanet & æqualis. D

RÆdificato siquidem primo errore, scilicet de insufficientia responsionis 26. huius præmissæ, nunc restat similiter facere de secundo, qui est ex non subsistentia hypothesis quam supponit. Supponit enim hypothesis ista septem. Primum, quòd illud quod nunc est futurum, potest posibilitate necessitatem omnimodam excludente nunc & pro nunc non esse futurum. Secundum, quòd illud quod semper fuit futurum, simili modo potest nunquam fuisse futurum. Tertium, quòd illud quod nunc non est futurũ, potest similiter nunc & pro nunc esse futurum. Quartũ, quòd illud quod nunquã fuit futurum, potest similiter semper fuisse futurum. Quintum, quòd his nequaquam obstantibus, Omne quod nunc est, necesse est nunc esse. Sextum, quòd omne quod fuit, necesse est fuisse. Septimum, quòd omne quod est aut E
fuit, necesse est semper ante fuisse futurum. Et de præscitis & scitis à Deo, eiusque præscientia atque scientia correspondenter omnino, similia septem ponit. Huic autem errori est dupliciter obuiandum. Primò, per viam sumtam ab actione Dei intrinseca; secundo, per viam sumtam ab actione eius extrinseca. Prima autem via methodum binam habet, vnam ex voluntate seu volutione diuina, & alteram ex intellectu seu cognitione ipsius: & harum vtraque habet adhuc duas semitas veritatis; vnam per necesitatem seu contingentiam & libertatem ducentem, alteram vero per immutabilitatem, seu mutabilitatem tendentem. Per hanc igitur semitam veritatis, quæ ducit per necesitatem seu libertatem voluntatis diuinæ, proceditur isto modo; si septem præmissa de præsentibus, præteritis, & futuris, præ-

scitis

A ſcitis & ſcitis, præſcientia & ſcientia Dei ſint vera, & alia ſeptem ſimilia de præuolutis & volutis à Deo ac voluntate ſeu volutione ipſius neceſſario erunt vera, ſicut locus a ſimili ſatis probat: Quod & 18. primi euidenter oſtendit, cum Deus nihil horum ſciat aut præſciat, niſi præuia voluntate. Quod & poteſt per ſingula demonſtrari. Primũ namq; ſcil. qd. Deus nunc vult aliquid, puta A. fore, & poteſt potentia libera, .i. contradictionis neceſsitatem omnifariam excludente, nunc & pro nunc non velle A. fore, poteſt dupliciter demonſtrari, per impoſsibile ſc. & ſimpliciter oſtenſiue. Detur enim oppoſitum, ſcil. qd. Deus pro nunc non poteſt non velle A. fore, ergo neceſſe eſt pro nunc Deum velle A. fore, & per 10. ſecundi neceſſario ſequitur, Deus vult A. fore, ergo A. erit; & antecedens eſt neceſſarium pro nunc, ergo & conſequens, ſicut docet vulgata regula Logicorum, qd. & poteſt ſimiliter per impoſsibile demonſtrari: nam alias eſſet poſsibile, quod falſum ſequeretur ex vero. Neceſsitatem autem conſequentis illati hypotheſis iſta negat. Ad idem oſtenſiue hoc modo ſequitur A. non erit, ergo per 10. 1.
B Deus non vult A. fore, & antecedens eſt pro nunc poſsibile, ſicut dicit hypotheſis, ergo & cõſequẽs, ſicut logicus nullus neſcit: qd. & poteſt per impoſsibile faciliter demonſtrari: Alias enim ex vero eſſet poſsibile ſequi falſum. Secundum, ſcil. qd. Deus ſemper || *noluit* aliquid futurum, puta A. fore, & poteſt potentia ſupradicta nunquam voluiſſe A. fore, poteſt demonſtrari vt primum, poteſt etiam demonſtrari per primum. Si enim per primum ponatur Deum nunc non velle A. fore, ſequitur per 10 primi ipſum nunquam voluiſſe A. fore, cum A. nunquam fuit futurum, quia nunquam fuit, eſt, aut erit. Tertium, ſcil. quod Deus nunc non vult A. fore, & poteſt poſsibilitate prædicta pro nunc velle A. fore probatur vt primum. Ad idem, ſi Deus poteſt pro nunc non velle illud quod nunc vult, ſimili ratione poteſt pro nunc velle illud quod nunc non vult. Quartum, ſcilicet, quod Deus nunquam voluit A. fore, & poteſt potentia iam præfata ſemper voluiſſe A. fore, probatur vt proximum, probatur quoque per ipſum, ſicut ſecundum per primum. Quintum, ſcilicet, quod ſimul cum iſtis quodcunque exiſtens, quod De-
C us vult nunc eſſe, neceſſe eſt eum velle nunc eſſe, & quod omne quod nunc eſt, neceſſe eſt pro nunc Deum velle nunc eſſe, quantum ad primam partem dupliciter demonſtratur. Primò, oſtenſiue hoc modo; Sit A. aliquid nunc exiſtens, tunc per nonum primi neceſſariò ſequitur, A. eſt, ergo A. eſt conſeruatum in eſſe per voluntatem diuinam, & Deus vult hoc eſſe, & antecedens eſt neceſſarium pro nunc, vt ponit hypotheſis, ergo & conſequens, ſicut probatio primi docet. Per impoſsibile iſto modo detur. Oppoſitum, ſcilicet quod aliquid, puta A. quod Deus nũc vult eſſe, poteſt nõ velle pro nunc eſſe; ergo per 9. primi A. poteſt pro nunc nõ eſſe, quod hypotheſis hæc negauit. Secunda verò pars huius ſequitur ex priori cum hoc adiuncto, quod omne quod nunc eſt, Deus vult nunc eſſe, ſicut docuit nonum primi. Sextum eſt, quod omne || *præteritum* quod Deus voluit fuiſſe, neceſſe eſt eum voluiſſe fuiſſe, & quod omne præteritum neceſſe eſt Deum voluiſſe fuiſſe, hoc probatur vt quintum. Septimum eſt, quod omne quod eſt aut fuit, neceſſe eſt Deum ſemper ante voluiſſe fuiſſe futurum. Nam per 18.
D huius neceſſariò ſequitur, hoc eſt aut fuit, ergo ſemper fuit futurum, ergo omne quod eſt aut fuit, ſemper ante fuit futurum; ergo per 14. primi Deus hoc ſemper volebat; & per hypotheſin antecedens eſt neceſſarium, ſcilicet de omni exiſtente, atque præterito, hoc eſt, hoc fuit, ergo & conſequens, ſicut probatio primi docet. Ex his autem tribus vltimis, id eſt, quinto, ſexto, & ſeptimo, de neceſsitate circa voluntatem diuinam elici poteſt octauum de impoſsibilitate circa eandem, ſcilicet, quod nullum exiſtens poteſt Deus nunc nolle actiue, id eſt, per actum nolutionis volutioni poſitiue contrarium nunc eſſe; nec aliquod exiſtens poteſt nunc velle pro nunc non eſſe, & quod de nullo præterito poteſt nolle actiue ipſum fuiſſe, nec velle ipſum non fuiſſe, & quod de nullo præſenti vel præterito poteſt nolle actiue ipſum fuiſſe futurum, nec velle ipſum non fuiſſe futurum. Iſtud clariſsime ſequitur ex prædictis, & confeſſione hypotheſis, decimo primi iuncto. His autem quatuor de neceſſitate & impoſſibilitate voluntatis diuinæ circa præſentia & præterita vltimo demon-
E ſtratis, poſſunt alia quatuor ſimilia de impoſsibilitate & neceſſitate voluntatis diuinæ circa non præſentia & non præterita ſimiliter demonſtrari. Primum eſt, quod quodcunque non exiſtens, quod Deus non vult nunc eſſe, impoſſibile eſt eum velle nunc eſſe, & quod de omni quod nunc non eſt, impoſſibile eſt Deum velle illud nunc eſſe. Secundum eſt, quodcunque non præteritum, quod Deus non voluit fuiſſe, impoſſibile eſt eum voluiſſe fuiſſe, & quod de omni non præterito, impoſſibile eſt eum voluiſſe illud fuiſſe. Tertium eſt, de omni quod non eſt nec fuit, impoſsibile eſt Deum vnquam voluiſſe illud fuiſſe futurum. Quartum eſt, de omni quod nunc non eſt, nec fuit, neceſſe eſt Deum nolle actiue illud eſſe & fuiſſe, & fuiſſe futurum vt foret nunc vel priùs. Hæc omnia per locum à ſimili monſtrabuntur: Poſſunt etiam, vt præ-

|| voluit

|| præſcitum

pręcedentia, demonstrari supponendo cum Philosopho 1. peri hermenias vlt. quod non esse, A quod non est, quando non est, necesse est, qd. & ista responsio non poterit diffiteri. Quartum autem istorum probatur per eadẽ 22. primi, & eius corol. succurrente. His igitur quasi longinquè distantibus prælibatis propinquius * accedendum. Porro respectu cuiuscunq; obiecti extrinseci diuina voluntas est æquè libera vel necessaria, & respectu cuiuscunque obiecti futuri est penitus libera, sicut dicit hypothesis; ergo respectu cuiuscunq; obiecti præteriti vel præsentis contra hypothesin. Vel sic cum eadem maiore sumatur & respectu cuiuscunque obiecti præteriti vel præsentis est diuina voluntas necessaria secundum hypothesin, ergo & respectu cuiuscunque obiecti futuri, contra hypothesin sæpe dictam. Item qualiscunque intrinsecè respectu alicuius obiecti est voluntas Dei aliquando, taliscunq; fuit semper ante, & semper post erit; sed respectu A. futuri nunc est voluntas Dei penitus libera secundum contradictionem, secundum hypothesin; ergo semper sic erit, ergo cum A. fuerit præsens vel præteritum contra hypothesin. Vel sic cum eadem maiore, & respectu A. præsentis vel præteriti est voluntas Dei B necessaria secundum hypothesin, ergo semper ante sic fuit, ergo quando A. fuit futurum, qd. hypothesis ista negat. Item non sub alia sententia, sub alia tamen forma, qualitercunq; intrinsecè Deus vult aut non vult actiuè, amat aut odit aliquando aliquod obiectum, talitercunq; ,si liceat dicere, & ita omnino intrinsecè semper ante fecit, & semper post faciet, sed secundum hypothesin penitus libere & contradictorie Deus vult & amat nunc A. futurum, ergo penitus similiter libere volet & amabit illud cum fuerit præsens vel præteritum, contra hypothesin, quia tunc faciet hoc necessario, sicut hypothesis fatebatur. Vel cum eadem maiore, & secundum hypothesin necessaria intrinsecè Deus vult aut amat nunc A. præsens vel præteritum, ergo semper ante sic fecit, ergo quando A. fuit futurum, contra hypothesin sæpius memoratam. Hoc autem totum consistit virtualiter in hoc vno, quod voluntas diuina respectu cuiuscunque obiecti extrinseci semper est æqualiter, libera, vel necessaria intrinsece ad volendum & respectu cuiuscunq; obiecti, quando est præsens vel præteritum, est necessaria; ergo semper ante C dum fuit futurum, sic fuit, ergo & eadem ratione nunc est necessaria respectu cuiuscunq; fut ri, ergo de quocunq; futuro necesse est ipsum fore. Nam per decimum primi necessario sequitur Deus vult hoc fore, ergo hoc erit, & antecedens est necessarium, ergo consequens, sicut superiùs monstrabatur; vel si respectu obiecti futuri quando est futurum sit contradictorie libera, erit & æqualiter similiter libera respectu illius, quando erit præsens atq; præteritum. Hic autem omnes huius viæ viri respondent concorditer negando maiorem. Dicunt enim quod quando res est futura, voluntas diuina non est necessaria, sed libera secundum contradictionẽ ad illam volendum; cum autem fuerit præsens, vel præterita, tunc è contra. Sed isti non aduertunt quod tunc Deus aliter intrinsece vult præsentia & præterita, quã voluit ea futura; quare Deus & eius voluntas necessario intrinsece commutatur contra 5. & 23. primi: mutatur enim intrinsece de vno oppositorum in reliquum, de libero arbitrio in non liberum, de non ne- D cessario in necessarium, de libero secundum contradictionem, in necessarium secundum alteram partem tantum. Item tunc Deus est minus liber intrinsece nunc quàm prius, ergo non infinitæ libertatis, sed certis limitibus definitæ, nouellæ quoque subijcitur seruituti. Item tunc Deus est minus potens quam fuit, quare nec omnipotens. Illud enim qd. heri potuit velle & nolle, hodie non potest, & actum voluntatis intrinsecum, quem heri potuit producere, seu habere, hodie non potest, & quod heri potuit facere, nunc non potest. Heri enim potuit velle, quod A. nunc non sit vel prius, hodie tamen factum nunquam esset aut fuisset, nec vnquam fuisset futurum, & hodie non sic potest; heri potuit nolle positiue A. vnquam esse, fuisse, vel fuisse futurum, hodiè non sic potest; heri potuit producere seu habere talem actum, volo quod A. nunquam fuit futurum, præsens, vel præteritum, hodie non sic potest, nec tantum dominatur propriæ voluntati. Et idem est de actu nolendi A. vnquam fuisse futurum, præsens, vel pręteritum. Heri potuit velle & facere de A. qd. non fuit heri, & qd. nunquam fuit futurum, aut esset heri qd. ipsum esset aut fuisset heri, & qd. semper ante fuisset futurum ad essendũ heri; hodie neutrum potest facere nec fecisse, qd. non est dubiũ Dei omnipotentiæ derogare. Quare & E

Lumbardus. Lumbar. 1 sent. dist. 44. reprobat opinionẽ dicentẽ Deũ non semper posse qd. potuit aliquãdo, dicitq; ; Fateamur igitur Deũ semper posse quicquid semel potuit, .i. habere omnẽ illã potẽtiã

|| semper quã || *semel* habuit, & omnis illius rei potẽtiã cui9 semel habuit, sed nõ sẽper posse facere omne illud quod alquando potuit facere; potest quidem facere aut fecisse quod aliquando potuit. Nec quenquam moueat quod dicit, Deum non semper posse facere omne illud qd. aliquando potuit facere. Hoc enim dicit, vt docet eius processus, non propter aliquã diuersificationem potentiæ diuinæ intrinsecã, sed tantũ propter diuersificationẽ significationis huius verbi infiniti

* est

A niti, facere, cum hoc verbo præsentis temporis, posse, & iterum cum hoc verbo præteriti temporis, potuit. Nam secundum logicam suam ibi cum 1. significat cum tempore præsenti factionem præsentem, & cum 2. cum tempore præterito, præteritam: ideoq; negat Deũ posse modo resurgere, & concedit qd. potuit olim resurgere, quia hoc non est idem posse cũ illo sed diuersum, sicut 24. 1. in suo simili plenius ostendebat. Et si obijcias, Deus potuit olim resurgere, & nunc non potest resurgere, ergo aliquid potuit olim quod nũc non potest; dicendũ secundũ logicam Lumbardi præmissam, qd. in 1. cum verbo præteriti temporis iste infinitus, resurgere, supponit seu apponit pro resurrectione præterita, & in 2. cum verbo præsentis temporis pro resurrectione præsenti, & sic accipitur pro diuersis; quare nec rectè concluditur pro eodem, sc. qd. aliquid idem qd olim potuit, nunc non potest; sed sicut in pręmissis accipit, resurgere, pro diuersis, sic bene potest concludere pro diuersis hoc modo; ergo Deus aliquid olim potuit, & aliud nunc non potest, veruntamen idem, resurgere, præteritum qd olim potuit adhuc potest;
B potest enim modo olim resurrexisse, qd. posse est idem omnino cum posse olim resurgere. Vel aliter forte potest distingui in prima, eo quod resurgere potest sumi pro resurgere nunc vel prius, in secunda verò non potest sumi nisi pro resurgere in præsenti; ergo sumendo resurgere vniformiter in præmissis quantum ad formam concludit, sed in materia deficit, quia prima est falsa; sumendo verò difformiter non concludit. Hæc autem distinctio plenius potest cognosci ex 24. 1. Negat igitur Lumbard. propter causam diuersæ significationis verborũ præmissam, Deũ semper posse facere, quicquid aliquando potuit facere, affirmat tamen Deum semper posse qd. potuit aliquando, & posse modo fecisse quicquid aliquando potuit facere aut fecisse. Item De9 heri potuit deponere seu non habere illam volutionem æternam, qua æternaliter voluit A. nũc esse, & habuisse volutionem æternam contrariam, & hodie non sic potest. Nunc enim necesse est ipsum æternaliter habuisse illam volutionem æternam, quare & æternaliter habiturum, cũ sit immutabilis intrinsecè omniquaq;, sicut 5. & 23. 1. docent. Non ergo habet De9 tantam li-
C bertatem, tantum dominium propriæ voluntatis, nec tantam potestatem ad intra nec ad extra hodie sicut heri, sed sicut senescit, sic in istis minuitur & decrescit, qd. omnipotentem Dei manũ & eius potentiam infinitam horribiliter mutilat & decurtat; seu potius hæc frustra inititur facere & non valet, dicente Dom. per Proph. Nunquid abbreuiata & paruula facta est manus mea Es. 50? & infra 49. Ecce non est abbreuiata man9 Domini. Sed caueant sic dicentes, quia adhuc manus eius extenta, supra 5. Item tunc De9 non est semper summe perfectus contra 1. suppositionem & 3. part. coroll. 1. 1. Perfectius enim videtur habere voluntatem liberam ad extra, sicut olim habuit, quam necessariam nouiter, sicut respectu præsentium & præteritorum nunc habet; vel si hoc sit perfectius, priùs non fuit summe perfectus; si autem fuit æquè perfectus, frustra mutatur intrinsecè de vno in aliud, cum secundum sententiam Philosophorum vulgatam, frustra quidlibet fit per plura, si sufficiant pauciora, maxime ita bene; cum tamen secundum Philos. 1. Eth. 1. Omnis actus & electio bonum appetere videatur: & sicut Philos.
D tam natural, quam metaphysical. ostendunt, Omnis actio est propter finem, omnis autem talis finis est bonum, sicut 26. 1. allegat. Sed secundum Philosoph. 1. de cœlo & mundo 32. Deus & natura nihil frustra faciunt. Vnde & Ezech. 6. Ego Dominus non frustra locutus sum. Et si quis dixerit Deum sic mutari non propter bonum suum, sed propter bonum creaturæ, quomodo maneret bonum creaturæ, si Deus vniuersam creaturam destrueret, nunquam aliquam creatur, cum tamen tunc fieret & maneret in ipso necessitas volendi creaturas præcessisse, & annihilatas fuisse? nec etiam talis noua Dei necessitas ||*est* melior creaturę, quàm eius antiqua libertas. Item in voluntate diuina est contingẽtia ad vtrumlibet simpliciter respectu omnium pręsentium & præteritorum. Positis namq; omnibus naturaliter præuijs illi actui volutionis diuinæ, non sequitur necessario ipsum produci, sed stat æqualiter hoc & illud. Nam ita fuit dum res erant futuræ, nec modo aliter intrinsece causatur ille actus volutionis diuinæ quam prius propter 5. & 23. 1. nec aliter extrinsece ab aliquo, scil. extrinseco, concausante propter eadem,
E & propter 20 1. iunctum. Volutio ergo diuina respectu pręsent. & præterit. est simpliciter contingens ad vtrũlibet, vt patet per 4. hui9, & cõfirmatur per 11. veritatẽ 5. hui9: quare & simpliciter libera secundũ contradictionem, sicut patet per 5. veritatẽ 5. huius. Item voluntas diuina libere secundum contradictionem producit actum volendi præsentia & præterita, sicut & fecit quoniam erant futura, vt patet per corol. 4. huius cum deductione præmissa; quare & similiter contingenter, vt dicit quarta veritas quinti huius. Item contingentia & libertas dicuntur propriè respectu præsentis, sicut septima veritas & octaua quinti huius ostendunt; ergo Deus contingenter & liberè præsentia vult & facit; Item si Deus possit non velle & nolle positiuè fore, quod voluit fore, velitq; aliter & aliter intrinsecè, quia liberè & necessario per successus & differentias temporum possibile esset quod heri voluit positiuè Petrum esse saluandum,

Philosophus.
Ezechiel.
|| foret

uandum, & voluit ipſum non eſſe ſaluandum, ſed eſſe damnandum, & hodie velit ipſum eſse ſaluandum non damnandum; & idem eſt de Deum nolle heri A. fore, & hodie velle fore: ergo per 10. primi, heri Petrus fuit non ſaluandus, & A. non futurum, & hodie Petrus eſt ſaluandus, & A. futurum, contra 18. huius, & contra cuiuſlibet hominis rationem. Item tunc Deus aliter vellet & aliter ſecundum ſucceſsus & differentias temporales, & vellet temporaliter ſucceſsiue, & non in æternitate, ſeu in inſtanti æternitatis, immutabiliter, indiuiſibiliter, & inſtantaneè ſemper ſimul, vel in ipſa æternitate eſset ſucceſsio, & diuiſibilitas aliqualis; quare neceſsario eſset mutabilis, nec ſibi ſummè ſufficiens: indigeret namque tempore ad volēdū: & hoc ſimiliter eſt contra omnes autores loquentes de æternitate, & actionib9 Dei in illa, ſicut 1. 1[mi] aliqualiter allegauit. Item tunc à voluntate antiqua tantum non poſset noua actio prouenire ſine ſui mutatione intrinſeca præcedēte. Oportet enim qd. aliter intrinſecè velit, quando producit rē quàm ante, ſicut homo vult aliter hoc fore, & aliter vult hoc eſse. Nam quando producit rem, vult neceſsario & prius voluit libere; ſi tamen omnino ſimiliter intrinſecè vellet, tunc & prius æquè liberè, & æquè neceſsario vellet tunc & prius, cum res extrinſeca nō neceſsitet Deum intrinſecè ad volendum. Iſte autem videtur error Ariſtot. & Auer. 8. phyſ. ſicut 34. pars coroll. 1. 1[mi] plenius oſtendebat. Quare & Steph. Pariſ. Epiſc. iuſte damnauit articulum iniuſte dicentem, quod à voluntate antiqua non poteſt aliquid nouum procedere abſq; tranſmutatione aliqua præcedente. Nec poteſt quis dicere quod illa mutatio & illa neceſsitas in voluntate diuina ſequitur naturaliter productionem rei in eſse, & non præcedit, quia hoc eſt magis [||] *inconueniens.* Si enim illa neceſsitas ſequatur neceſsario & naturaliter potentiam rei in eſse, potentia rei in eſse eſt naturaliter prior illa, & cauſa illius, ſicut 13. 1[mi] eſt oſtenſum: ergo obiectum extrinſecum neceſsitat voluntatem diuinam ad volendum, quod eſt horribile & abſurdum. Obiectum quoque extrinſecū non eſt cauſa mouens voluntatem diuinam, ſicut 20. 1[mi] docet, quare nec neceſsitas. Harū autem duarum neceſsitatū, quarū vna eſt in re producta, & altera in voluntate diuina, illa in voluntate diuina eſt cauſa alterius; hæc enim producitur nouiter & cauſatur ab illa; ergo eſt prior illa in omnibus, etiam in quibus Deus & creatura conueniunt, dignior & prior natura eſt Deus, ſicut ſuppoſitio prima probat, qd. & docet Philoſoph. 2. Met. 4. & 7. eiuſdem. 3. & Auer. eiſdem comment, ſicut 2. 1[mi] plenius allegauit. Hæc etiam neceſsitas in voluntate diuina, vel eſt neceſsitas prima ſimpliciter, vel illi propinquior, vt nullus dubitat; ergo prior, dicente Philoſ. 5. Met. 16. Priora & poſteriora dicuntur, quædam quidem tanquam exiſtente aliquo primo & principio in vnoquoq; genere, quod propinquius principio. Vbi & textus, quem Auer. exponit, ſic habet, dicuntur quidē ante & poſt tanquam primum ens & principium in vnoquoque genere, & qd. eſt propinquius alicui principio terminato: ſuper qd. dicit Auer. Vniuerſaliter dicitur ante de omni principio terminato, & de omni qd. eſt propinquius alicui principio terminato. Prius quoq; natura eſt Deum velle præſentialiter & per modum præſentis rem eſſe, quam ipſam eſſe. Hoc enim eſt cauſa illius, ergo eſt prius natura, dicente Philoſopho in prædicamentis cap. de priori, eorum quæ conuertuntur ſecundum eſſentiæ conſequentiam: qd. alterius quomodolibet cauſa eſt, digne prius natura dicitur, & hoc velle præſentialiter & per modum præſentis in Deo, poſtquam voluit per modum futuri, eſt mutatio quædam in eo, ſicut ex hypotheſi ſequitur, ergo mutatio in Deo præcedit neceſſario rem productam. Item ſi Deus re futura vellet liberè, & ipſa præſente in præteritumue delapſa neceſſario, aliqua eſſet cauſa quare tunc neceſſario & non prius, & non niſi præſentia vel præteritio rei factæ; ergo res facta neceſsitaret voluntatem Dei ad volendū, qd. Deo videtur indecens, & indignum. Ad hanc autem vltimam rationem multipliciter reſpondetur. Aliqui namq; aſsignant cauſam ex parte rei, alij ex parte Dei, alij vero mixtim; & quidam alij dicunt naturam eſſe cauſam iſtius. Aſsignantium vero cauſam ex parte rei, quidam aſsignant eam ex parte rei abſolutè, quidam ex parte rei relatiuæ, ſiue relationis. Primi dicunt, quod res ipſa abſoluta præſens vel præterita eſt cauſa quęſita. Sed iſtud non eſt verum, quia per viceſimum primi res poſterior non eſt cauſa voluntatis diuinæ, nec aliquid ibi cauſat, igitur non eam neceſsitat. Item res præterita nihil eſt, ergo nihil cauſat, ergo nec diuinam neceſsitat voluntatem. Item futurum tantum eſſe habet, ſicut præteritum, vel maius, quia eſſe potentiale & præteritum non ſic habet, ergo tantum vel magis neceſsitat. Item ſi ſic eſſet, hoc eſſet, quia rem præſentem vel præteritam neceſſe eſt eſſe vel fuiſſe; ideo neceſſe eſt Deum ipſam velle eſſe vel fuiſſe; ergo harum duarum neceſsitatum, quarum vna eſt in re, qua neceſſe eſt eam eſſe, vel fuiſſe, & altera in Deo, qua neceſſe eſt eum ſic velle, prior naturaliter eſſet neceſsitas in re facta, quia cauſa alterius quod erat ſuperius reprobatum. Item Deus poteſt neceſſario velle & non futura, quia illa ſemper poſſunt non fore, ſed præſentia & præterita, quia illa non poſſunt nō eſſe nec fuiſſe; ergo Deus poteſt velle

Margin notes: A (line 1); B (beside "do producit rē"); *Stephanus.* (beside "cut 34. pars coroll."); [||] inconſequens (beside "eſt magis inconueniens"); C (beside "20. 1mi docet"); *Auerroes.* (beside "minato: ſuper qd."); D (beside "ſentialiter"); E (beside "dicunt, quod res ipſa")

A le aliquo modo intrinsecè, puta necessariè, & non nisi præsupposito auxilio rei extra, scil. temporis temporalisue rei, quare videtur miserabiliter indigens, & non summè sufficiens sibi ipsi, contra ostensa 15. primi. Vnde & Augustinus 6. super Gen. ad literam 19. Nunquid adiutorio temporis eguit conditor temporis? quasi diceret, nullo modo. Et idem vult expresse 11. de ciuit. Dei 30. quod maxime videtur verum de operationibus intrinsecis propriæ voluntatis. Itē ordinatius decentiusque videtur, vt posterius & effectus contrahat necessitatem à suo priori & causa quàm è contra: & per 30. 2di voluntas diuina est omnium posteriorū effectuum prima causa. Item supposito secundum istam responsionem, quod obiectum volitum moueat volūtatem diuinam, adhuc hoc non facit immediatè per se secundum esse suum reale extrinsecum, sed secundū suum esse cognoscibile intrinsecū, scil. per suam æternam similitudinem seu ideā, sicut mouet voluntatem creatam tantum per similitudinē suā, seu speciem in cognitione causatam. Sed illa similitudo seu idea in mente diuina semper est æquè clara, æquè actualis, & in

B omnibus æqualis per omnia; ergo semper æqualiter mouet voluntatem diuinā; ergo si semel ipsam necessitet, ita semper; & si semel ipsam nequaquam necessitet, neq; vnquam. Item tunc aranea cum debilissimo filo suo posset Deum insolubiliter vinculare, & sic quasi in carcere & in compedibus per sæcula detinere. Nam si filet & vinculet quippiam, necesse est Deum tum sic velle, & post per sæcula sempiterna. Item tunc quælibet creatura videretur fortior Creatore. Item per 3. 2di obiectum volubile non potest necessitare voluntatem creatam, quæ est infinitè debilior quàm diuina, ergo nec ipsam: vel si obiectum potest necessitare voluntatem diuinam & creatam non potest; ipsa est debilior quàm creata. Item sit A. vnum non existens nunc in B. instanti, nec prius, qd. tamen Deus potuit fecisse nunc & prius; nunc ergo secundum prius ostensa necesse est Deum nolle actiuè A. esse in B. & fuisse ante B. & fuisse futurum ad essendum in B. vel ante, & ita æternaliter ante & post noluisse, & noliturum esse. Vel vt facilius pro tardioribus procedatur: ponatur Deum nolle actiuè A. esse in B. præsenti instanti, quod

C tamen potuit fecisse in B. tunc necesse est eum sic nolle. Causa huius necessitatis non potest assignari ex parte rei nolutæ, cum ipsa non sit, quare nec causat. Item eodem casu retento impossibile est Deum velle A. esse in B. aut fuisse ante B. aut futurum fuisse, vt esset in B. vel ante, & semper prius potuit ista velle. Quæ ergo est causa ita impossibilitans nouiter voluntatem diuinam? Non res illa, non ens, cum penitus nihil causat, nec potest impossibilitare voluntatem creatam. Item absurdum videtur, & cunctorum auribus execrandum, quod aliqua res debilis, &, quod videtur indignius, aliqua priuatio pura rei omnipotentem ad impotentiam tantā necessitet, vt non possit nunc nec vnquam in futurum producere seu habere actum voluntatis intrinsecum, quem potuit semper ante; nec nunc aut vnquam velle, quod prius potuit semper velle. Nunc enim nec in futuro potest producere, nec habere intrinsecè talem actum. Volo quod hæc dies nunquam fuit futura, præsens, neque præterita; nunc etiam nec vllis futuris temporibus potest producere nec habere talem actum intrinsecum voluntatis.

D Volo quod A. fuit futurum ad essendum in B. vel ante; volo quod A. sit in B. volo quod A. fuit ante B. & semper ante potuit tales actus non temporaliter, sed æternaliter producere & habere, & æternaliter non temporaliter ita velle: quid ergo ab omnipotente tantam potentiam irreparabiliter abstulit? Quid ita insuperabilem indissolubiliter alligauit? Quid tantum dominium eius intrinsecum super suam propriam voluntatem insanibiliter mutilauit? Quid summam ‖ *libertatem necessitatis* & impossibilitatis huiusmodi infimæ seruituti inalleuiabiliter subiugauit? Absit quod aliquis vel leuiter cogitet, quod aliqua creatura hoc faciat, vel aliqua priuatio creaturæ. Asignantium verò causam necessitatis prædictæ, ex parte relationis, aliqui ponunt eam positiuam, & aliqui priuatiuam. Primi dicunt, quod ex præsentia seu præteritione rei consurgit vna relatio realis vel rationis, quæ est causa istius necessitatis in voluntate diuina. Sed contra istam responsionem possunt reduci argumenta quæ contra priorem. Illa quoque relatio vel est aliquid, vel nihil. Si nihil, nihil causat, nihil necessitat; si aliquid, illud consurgit ex re absoluta præsenti vel præterita; ergo ipsa originaliter necessitat ita Deum.

E Quicquid enim est causa causæ, est causa causati; sic igitur responsio prima redit. Item illam relationem, si sit aliquid, potest Deus destruere: alias enim Deus & creatura similiter esset potentior ad aliquid faciendum, quam ipse Deus ad idem destruendum, quod non videtur, cum sit omnipotens ad quodcunque, qua destructa & ista responsio destruetur. Item præteriti ad voluntatem diuinam non est aliqua relatio realis, quia non est extremum reale in quo possit fundari, quia præteritum iam transijt in non esse, nec potest fundari in voluntate diuina, quia tunc potius diceretur relatio voluntatis diuinæ ad præteritum, quàm è contra; & quia tunc Deo adesset, accideret, & inhæreret relatio noua realis, quare & esset mutabilis, contra quintum & vicesimum tertium primi. Quare & Augustinus 5. de

Augustinus

‖ libertatem ... ‖ Tita- tem -er- tatis

Trinit. 4. & 5. ostendit, quod non omne, quod dicitur de Deo, dicitur de eo secundum substantiam, quia quædam dicuntur de eo secundum relationem, vt patet in personis diuinis: nihil tamen dicitur de eo secundum accidens, quia non mutabiliter. Vnde cap. 4. sic dicit, Nihil itaque accidens in Deo, quia nihil mutabile aut amissibile, nihil in eo secundum accidens dicitur, quia nihil ei accidit; nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur; in rebus autem creatis atque mutabilibus quod non secundum substantiam dicitur, restat vt secundum accidens dicatur. Omnia enim accidunt eis quæ vel amitti possunt vel minui. Et sequitur capit. 5. In Deo autem nihil quidem secundum accidens dicitur, quia in eo nihil mutabile est aut amissibile; nec tamen omne quod Deus dicitur, secundum substantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid, sicut pater ad filium, & filius ad patrem, quod non est accidens; quia & ille semper pater, & ille semper filius, & ita semper, quia semper natus est filius, nec cæpit vnquam esse filius, quod si aliquando esse cæpisset, aut aliquando esse desineret filius, secundum accidens diceretur; & quia pater non dicitur pater nisi ex eo quod est ei filius, & filius non dicitur filius nisi ex eo quod habet patrem, non secundum substantiam hæc dicuntur, sed adinuicem ista dicuntur, neque tantum secundum accidens, quia & quod dicitur pater, & quod dicitur filius æternum atque incommutabile est eis. Et infra eiusdem vlt. mouet quæstionem de relationibus || temporalibus in Deum & creaturam, secundum quas temporaliter ad inuicem referuntur, quomodo illæ non sunt accidentia, quoniam nihil accidit Deo temporaliter quia non est mutabilis. Et respondet quod hoc est, non quia ipsi substantiæ Dei aliquid temporaliter accidat, sed illi creaturæ ad quam dicitur relatiuè; quare finaliter sic concludit, quod ergo temporaliter dici incipit Deus, quod antea non dicebatur, manifestum est relatiue dici non secundum accidens Dei, quod ei aliquid acciderit, sed plane secundum accidens eius, ad quod dici aliquid Deus incipit, ipse mutatur, Deus autem absit vt aliquem temporaliter diligat, quasi noua dilectione quæ in ipso ante non erat, apud quem nec præterita transierunt, & futura iam facta sunt. Et per hoc totum innuit tertium modum eorum quæ dicuntur ad aliquid, sicut mensurabile ad mensuram, scibile seu scitum ad scientiam, & || *sensibile* seu sensatum ad sensum, vt docet Philosophus 5. metaphys. 20. quæ ideo relatiue dicuntur, vt vtar verbis Auerrois, non quia relatio est in substantia vtriusque relatiui, sed in substantia alterius tantum, & in altero propter aliud, id est alterum, puta scitum seu sensatum refertur ad scientiam seu sensationem tantum propter relationem alius relatiui ad ipsum. Nam quum quicquid scitur nouiter aut sentitur, nihil nouum causatur in eo, sed in sentiente tantummodo vel sciente, & per illud solum refertur ad ipsos: non est ergo aliqua noua relatio realis inter Deum & præteritum, quæ ipsum necessitet ad volendum, nec etiam aliqua noua relatio rationis, quia non in Deo, cum omnino || *similiter* intrinsecè semper se habeat, quia aliter esset mutabilis, vt præcedentia docuerunt, nec in rebus præsentibus: ponatur enim quod Deus totum annihilet vniuersum: nec in rebus præteritis, cum nihil sint omnino, nec quicquam omnino sit in eis aliquaue illarum. Item tanta est relatio futuri ad voluntatem diuinam sicut præteriti, ergo tantum necessitat. Item relatio, vt dicit Auerroes super 12. metaphys. comment. 20. est debilioris esse alijs prædicamentis, sed alia prædicamenta absoluta non necessitant voluntatem diuinam, vt patet contra responsionem priorem. Item tunc Deus necessitatur ad volendum illam relationem, aut ergo per seipsam, aut per aliam; si per seipsam, eadem ratione sic posset necessitari per absolutum ad ipsum volendum, maxime cum absolutum sit melius & magis volubile, magisque motiuum voluntatis: si per aliam, erit processus necessario sine fine. Ponentes verò causam priuatiuam ex parte relationis, dicunt Deum non posse velle de quoquam præsenti ipsum non esse, nec de quoquam præterito ipsum non fuisse, quia hoc non est volubile. Sed isti non rectè tangunt causam quæsitam; quæsita namque primo fuit causa, quare necesse est Deum velle hoc esse, vel hoc fuisse, non quare non potest velle contrarium. Licet enim Deus non posset velle contrarium, posset tamen, vt videtur, secundum istam responsionem non habere hoc velle, sicut homo potest non velle hoc esse, licet non velit hoc non esse. Item nulla relatio creata, seu extrinseca necessitat Deum ad volendum, sicut contra responsionem proximam est ostensum; ergo nec alicuius talis relationis priuatio necessitat eum ad non volendũ, cum priuatio talis non sit potentior super voluntatẽ diuinã, quã habitus. Itẽ causa quare hoc nõ esse non est pro nunc volubile, est quia hoc nunc est; quare & pro nunc necesse est hoc esse: hæc enim affirmatiua est prior ista negatiua & causa illius: aliqua enim necessariò debet esse, vt 13. primi docet: existentia ergo huius rei est causa originalis impossibilitatis Deũ volẽdi hoc nunc nõ esse, & necessitatis non sic volendi. Quare res extra est causa impossibilitatis & necessitatis in volũtate diuina, sicut responsio 1ª dixit. Itẽ eadẽ ratione necesse est Deũ nunc velle hoc esse, quia hoc nõ esse, nõ potest nunc non esse volubile, & hoc est quia necesse

Marginalia: A; B; *Augustinus.*; || talibus alias taliter.; C; || sensile; || simpliciter; D; *Auerroes.*; E

A necesse est nūc hoc esse volubile, & hoc quia necesse est hoc esse, & hoc quia hoc est. Hoc enim esse, est originale & primariū antecedens, ex quo à priori & causaliter hæc omnia cōsequūtur, sicut in simili, proximo est deductū, quare &c. sicut ibi. Itē vt clariùs arguatur, ista respōsio habet necessariò dicere consequēter, quòd ideo Deus necessariò vult hoc esse, quia necessariò est volubile istud esse, & causa originalis istius est hoc nūc esse, quare hoc nunc esse necessitat Deū velle, quia quicquid est causa causæ est causa causati; & sic responsio prima redit. Item tunc quælibet res existens necessitat Deum velle, & quælibet res actiua, quæ aliam potest producere, potest necessitare, & impossibilitare voluntatem diuinam, sicut responsio prima dixit. Item pura & sola priuatio nunquam est causa alicuius positiui, quare nullius actus necessarij in voluntate diuina. Item hoc nunc non esse est volubile ab homine, & aliquando fuit volubile à Deo, quia non est simpliciter & per se non volubile, seu inuolubile ab eo, & nunc non est volubile à Deo, sed non volubile seu inuolubile; ergo aliqua est causa istius mutationis,
B & huius negationis & priuationis est aliqua affirmatio & potentia prior & causa, vt 13. primi docet, & illa non potest poni, nisi ista res absoluta nunc existens, vel aliquid respectiuum in ea, & sic redit prima responsio vel secunda. Assignantes verò causam necessitatis præmissæ ex parte Dei tantùm, & intrinsecam ipsi Deo quadrupliciter variantur. Nam primi dicunt hoc esse ex natura diuina: Deus enim, vt dicunt, est talis naturæ, quòd præsenti re vel præterita necessariò vult ipsam esse vel fuisse. Sed si hoc sit purè naturaliter & intrinsecè tantùm Deo, cùm agens purè naturaliter dispositum semper similiter, passo quoque disposito semper similiter, semper sit similis actio, cùm nulla causa dissimilitudinis possit dari, sicut & docet Philosophus 9. Metaphys. 10. sed omnia purè naturalia Deo intrinseca semper similiter disponuntur, cùm per quintum primi sit immutabilis in natura, semper necessitatur æqualiter ad volendum. Hæc autem ratio confirmatur, quòd secundum Philosophum 2. de generatione & corruptione cap. penult. Idem & similiter habens, semper idem innatum est facere,
C & 5. Metaphys. 2. ostendit, quòd idem est causa contrariorum, sed per dispositiones diuersas; natura verò diuina disponitur semper similiter. Nec potest quis dicere quòd natura Dei aliter intrinsecè disponitur præsente re vel præterita, quàm ipsa futura, quia tunc esset mutabilis, & quia tunc hoc esset ex præsentia vel præteritione rei; ergo ipsa esset causa necessitatis in voluntate diuina, quod prius est destructum. Secundi verò ponunt hoc esse ex parte veritatis diuinæ, quæ sicut res præsens & præterita, ita necessariò se habet, ita necessariò exigit vt Deus conformiter semper velit. Hæc autem responsio potest redargui sicut prior, quia veritas diuina naturaliter purè sumpta semper intrinsecè similiter omnino se habet. Item secundum istam responsionem causa istius est veritas necessaria ex parte rei præsentis vel præteritę, & causa originalis istius est existentia talis rei; ergo & ipsa est originalis causa necessitatis in voluntate diuina, quod erat superius reprobatum. Item veritas Dei intrinseca respectu futuri tanta est, & intrinsecè similiter omnino se habens sicut respectu præteriti vel præsentis; quare
D tam necessaria & tam firma. Non enim posset intrinsecè aliter se habere nisi propter existentiam vel præteritionem rei extrinsecæ, quod non potest, cùm nullo modo ab illa dependeat nec causetur, cùm hæc sit inferior veritas, illa superior; hæc causata, illa incausata; hæc posterior, illa prior, sicut vndecimum & duodecimum primi docent. Tertij autem credunt, quòd hoc sit ex parte voluntatis diuinæ, scilicet, quia vult se necessitari ad volendum præsens esse, præteritumque fuisse. Sed si quando res venit & præterijt velit se necessitari ad sic volendum, vel hoc vult necessariò, vel liberè secundum contradictionem. Si necessario, vnde sibi illa necessitas? Et redit pristina difficultas, quia processus infinitus in talibus voluntatibus non est dandus. Si liberè secundum contradictionem, potest non sic velle; quod si ponatur, non necessitatur, sicut hypothesis ista dicit. Item sit A. voluntas qua Deus vult nunc hoc esse liberè secundum contradictionem, & B. voluntas qua vult se necessitari ad A. vel ergo B. est voluntas nunc noua vel antiqua, & æterna; non est nunc noua, vt 23. primi mon-
E strat. Si est æterna, vel ergo illa æterna æternaliter ante fuit libera secundum contradictionem, vel necessaria; si libera, vnde ergo nunc est necessaria? Et reuertitur difficultas. Si fuit æternaliter necessaria, & ex illa semper necessariò sequebatur A. nunc fore, & ex A. hoc fore; quare sicut prius erat ostensum, æternaliter fuit necessarium A. nunc fore, & hanc rem nunc fore, & ita de quocunque futuro, cuius oppositum hypothesis supponebat. Item posito quod harum duarum volutionum Dei, quarum vna vult rem esse vel fuisse, & altera se necessitari ad sic volendum, si haberet tantùm primam, adhuc necessariò vellet rem esse vel fuisse, sicut res necessariò esset aut fuisset. Posito namque, quod haberet volutionem hanc solam, volo hoc esse aut fuisse, necessariò ita vellet. Item sola Dei voluntas, qua vult rem fore in A. instanti futuro, sufficit ad producendum illam in esse in A. sicut decimum primi & corollarium eius

eius docent, & quia aliàs non esset omnipotens, quod si ponatur, responsio destruetur. Item A
eadem ratione posset necessitare se similiter ad volendum omnia futura, & ad omnia producendum. Quis ergo nouit sensum Domini, vel quis consiliarius eius fuit in tantum vt audeat dicere non sic fecit? Item eadem ratione posset se necessitare similiter ad non faciendum, & impossibilitare ad faciendum quodcunque quod non est facturus, & ita posset reddere omnipotentem tam impotentem, vt non possit leuare festucam, volendo scilicet se necessitari ad volendum nunquam leuare festucam, vel impossibilitari ad volendum se leuare festucam. Item cùm Deus non possit necessitari ad volendum futura, & potest ad præsentia, & nulla causa ex parte Dei intrinseca potest dari, propter immutabilitatem eius omnimodam, aliqua causa extrinseca erit danda, & nulla nisi res extra, sicut responsio prima dixit. Item res præsens vel præterita necessariò præsupponitur ad istam necessitatem in voluntate diuina; ergo est aliqua causa illius, sicut ostensum fuerat quarto primi, & sic responsio prima redit. Quarti
verò affirmant hoc esse ex parte modi volendi in Deo. Dicunt enim quòd vult futurum quasi B
futurè, scilicet per talem actum volo hoc fore; præsens verò & præteritum quasi præsentialiter & præteritè, id est, per tales actus volo hoc esse, volo hoc fuisse; quorum modorum primus, vt dicunt, facit libertatem secundum contradictionem, alij verò necessitatem secundum alteram partem tantùm. Sed istud non est verum, quia omnino similiter, & non aliter intrinsecè vult primò hoc fore, secundò hoc esse, & tertiò hoc fuisse: aliàs enim intrinsecè mutaretur, contra quintum, vicesimum tertium, & vicesimum quintum primi. Item si Deus aliter intrinsecè vellet præterita, præsentia, & futura, aliter intrinsecè ea || *sciret*, contra prius ostensa vicesimo tertio & vicesimo quarto primi. Item etsi illi modi volendi essent diuersi, nulla posset causa intrinseca assignari, quare vnus esset liber & non alius, cognitio, potentia volutiua, & omnia intrinseca requisita sint æquè potentia, æquè efficacia, & per omnia æquè firma respectu vnius, sicut & respectu alterius, nec potest assignari causa extrinseca, quia tunc rediret prima responsio vel secunda. Item Deus vult præsentialiter hunc viatorem esse prædesti- C
natum, & præteritè hunc fuisse prædestinatum, ergo vult necessariò istis modis, ergo iste viator necessario est prædestinatus, quare & necessario est saluandus, cùm hæc ambo ex antecedente necessario necessariò consequantur. Et similiter potest argui de quocunque futuro, quod ipsum necessariò veniet, qui de quocunque tali Deus & vult præsentialiter & præteritè voluit tales propositiones esse veras fuisseque veras, hoc erit, est verum; hoc erit, fuit verum; quare necessariò vult & voluit istis modis, vnde necessariò sequitur quod hoc erit. Et idem est si A. ponatur volutio, qua Deus vult hoc fore, & B. volutio qua vult A. esse vel fuisse, quod B. est necessaria &c. sicut prius. Quare alij perpendentes causam necessitatis præmissæ non posse sufficienter assignari ex parte rei solius, nec Dei solius, assignant eam mixtim inde. Sed præcedentibus stantibus istud stare non potest, quoniam omnis effectus causatus à duabus causis, aut causatur partim ab vna & partim ab alia, aut ab vtraque secundum se totum, sicut actus voluntatis creatæ totus efficitur à voluntate creata & totus ab increata similiter, sicut co- D
rollarium 20. secundi monstrauit, sed necessitas supra dicta non causatur partibiliter ab his causis, quia nulla potest ibi partibilitas assignari. Nec potest quis fingere quod partibilitas similitudinaria & imaginaria secundum intensionem & remissionem est ibi ponenda; quia sit A. illa necessitas, & B. pars eius primaria causata à Deo, & C. reliqua pars eius causata à causa secunda; aut ergo A. est infinitæ intensionis, aut tantùm finitæ. Si infinitæ, ergo & tam B. quàm C. quia si alterum non sit infinitum, sed tantùm finitum, sit illud C. sicut magis videtur, tunc B. est simpliciter infinitum: aliàs enim ex ipso & C. non componeretur simpliciter infinitum, quia finitum adiunctum finito facit tantùm finitum, sicut potest Mathematicè demonstrari. Ostensum est etiam primo primi, nullam formam posse esse infinitam simpliciter intensiuè: nec potest concedi, quod B. pars A. necessitatis prædictæ est simpliciter infinitum, quia necessario finitur in copulatione C. cum ipso. Ibi enim de necessitate est aliquis gradus, qui est finis communis & terminus vtriusque, sicut & aliquis punctus esset in continu- E
atione duarum linearum talium. Et quia B. est pars A. quare & minus illo; sed nullum infinitum simpliciter est minus aut maius alio simpliciter infinito, sicut testatur Philosophus multis locis. Si vero dicatur in primis, quod A. non est simpliciter infinitum, sed secundum quid tantùm, potest refelli per idem, quoniam si tam B. quàm C. sit omniquaque finitum, ergo & A. constitutum ex illis, sicut superius est argutum. Quare forsitan dabitur, quod A. est simpliciter & omniquaque finitum; sed tunc A. posset augeri, & esse maius & melius, cùm A. sit bonum in Deo, quia per tertiam partem corollarij primi, primi nihil aliud est in eo; non ergo omne bonum in Deo est in eo optimum possibile, nec summum, contra quartam partem corollarij supradicti; quare nec Deus semper necessario optimus permaneret, contra sextam partem

|| forent

A partem corollarij memorati. Anselmus quoque Monolog. 16. Palam est, inquit, quod quodlibet bonum summa natura sit, summè illud est; illa est ergo summa essentia, summa vita, summa ratio, summa salus, summa iustitia, summa sapientia, summa veritas, summa bonitas, summa magnitudo, summa pulchritudo, summa æternitas, summa immutabilitas, quare & summa necessitas supradicta. Item si Deus nouiter licèt tantùm partibiliter, causaret in voluntate sua necessitatem huiusmodi, ipse esset mutabilis, sicut superius est ostensum. Item voluta posteriora non sunt causa totalis, nec etiam partialis voluntatis diuinæ, sicut vicesimum primi docet, nec quicquam agunt in illam, quare nec eam necessitant vllo modo. Ostensum est etiam contra responsiones priores, quòd res extra non sunt causa necessitatis istius, quare nec causa etiam partialiter effectiua. Nec potest quis dicere quòd tam Deus quàm res extra causant istam necessitatem secundum se totam, quia vtrumque est reprobatum superius contra responsiones præmissas. Item Deus disponitur omnino similiter, & penitus non aliter, quantum est ex parte sui intrinsecè, nunc existente hac re, quàm prius, sicut ostensum est supra; ergo illa noua necessitas in voluntate diuina causatur totaliter à re extra. Item remota omni noua causatione ex parte Dei intrinseca, & tantùm posita re præsenti, ponetur illa necessitas, sicut præcedentia manifestant; ergo positio sola rei est causa sufficiens necessitatis istius. Item quòd Deus mixtim cum re extra præsenti necessitatem hanc causet, vel est liberè secundum contradictionem, vel necessariò. Si liberè, potest non sic causare stante re præsenti, & tunc vel non erit talis noua necessitas, quod est contra primam hypothesin, vel si erit, causabitur à re sola, quod responsio ista negat. Si necessariò, vnde sibi illa necessitas? &c. sicut contra responsionem sextam præmissam. Item quòd Deus mixtim cum re præsenti causet necessitatem huiusmodi, vel hoc est purè naturaliter vel voluntariè. Si naturaliter, hoc reprobabitur, sicut responsio quarta prius. Si voluntariè, sit ergo quòd per A. volutionem seu actum intrinsecum voluntatis: Aut ergo A. est noua volutio vel æterna, &c. sicut contra responsionem sextam in simili argumento. Item si sic esset, hoc maximè videretur contingere, quia Deus causat rem præsentem, & illa vlterius causat istam necessitatem in voluntate diuina; ergo res præsens, tanquam causa instrumentalis, media & secunda, totam hanc necessitatem causaret, quod superius est destructum: Item res præterita nihil est, quare nihil causat, neque necessitat separatim nec mixtim. Res etiam, quæ nunc non est nec vnquam fuit, potuit tamen nunc esse & prius fuisse, nihil est nec fuit, ergo nihil causat separatim nec mixtim, quare nec sic diuinam necessitat aut impossibilitat voluntatem, &c. quæ contra primam responsionem similiter sunt arguta. Alij verò videntes nullam causam necessitatis huiusmodi rationabiliter posse dari, dicunt nullam esse causam illius, quare nec aliquam causam illius conquærendam, nec aliquam assignandam, quod & per exempla confirmant: Deus, inquiunt, aliquando creauit mundum, sed quare tunc? Deus etiam est nouiter creator & Dominus huius rei, sed quare? Quid efficit eum talem? Quasi diceret, nulla causa. Sed istud neque Philosophicè, neque Logicè, neque Theologicè potest dici: omnis enim mutatio causam habet, sicut tota Philosophia testatur. Nam aliàs leuitate consimili posset dici, quòd nullus motus, nulla actio, vel passio, & vniuersaliter quod nulla mutatio aliquam causam habet: hic autem est mutatio; nam transitus de vno contradictoriorum in reliquum sine mutatione esse non potest; sed Deus prius fuit libere & non necessariò volens istud, nunc autem est non libere, sed necessariò volens istud. Quod autem transitus de vno contradictoriorum in reliquum necessariò mutationem requirat, Logica clare docet. Sit enim A. ista, Deus non est necessariò volens istud, & B. ista, Deus est necessario volens istud, & C. hoc instans, & secundum illud vulgatissimum Logicum, Eo quod res est, vel non est, est oratio vera vel falsa; quare si totaliter & omni modo similiter ita sit ex parte rei signatæ per A. & B. in C. sicut fuit & è contra; & A. fuit verum ante C. & B. falsum, ergo & in C. vel si A. est falsum in C. & B. verum, ergo & simili modo ante, ergo hæc responsio facit contradictoria simul vera, & etiam simul falsa, & eandem propositionem simul veram & falsam. Item B. prius fuit falsum, & nunc est verum, ergo aliqua est causa huius, & hæc necessario est, quia prius non fuit ita realiter, & modo est ita; ergo aliter est ex parte rei nunc quàm prius, ergo per aliquam mutationem, ergo per aliquid mutans, ergo & per causam. || *Ad* idem potest similiter argui iuxta processum Philosophi 4. Metaphys. contra negantes prima principia disputantes supponendo nomina habere significationes determinatas & certas. Quamdiu ergo significatio, seu res significata cuiuscunque nominis integre permanet, nomen similiter permanet, & è contra; simul ergo accedunt, & simul recedunt, quapropter nunquam fit acquisitio vel perditio nominis alicuius sine acquisitione vel deperditione alicuius significationis seu significati illius, quare nec sine mutatione aliqua qualicunque. Item exempla eorum neque Philosophicam,

[Margin notes: A: *Anselmus.* B, C, D, E section letters; || Illud]

cam, neque Theologicam ſapiunt veritatem. Philoſophicè namque loquendo, Agens rationale certo tempore agit ad extra, quia tunc vult; vnde Philoſophus 9. Metaphyſ. 10. dicit, quòd potentiæ factiuæ cum ratione ſunt contrariorum, & objicit, quare ſimul facient contraria; hoc autem impoſsibile; & reſpondet innuendo conſequentiam non valere, quia aliquid aliud requiritur quod determinet potentiam ad vnam partem, ſcilicet voluntas, & quando per illam determinatur, tunc facit alterum, non vtrumque; illa ergo voluntas determinans eſt cauſa quare tunc hoc facit, vnde reſpondendo ſic ait; Neceſſe ergo alterum aliquid eſſe quod proprium eſt, dico hoc autem appetitum aut prohæreſin: quod enim deſiderauerit principaliter, hoc faciet, quando vt poſsit extiterit: quare potens ſecundum rationem omne neceſſe quando deſiderat, cuius habet potentiam, & vt habet, hoc facere; Deus autem cum ratione & rationabiliter fecit mundum, quando æternaliter voluit ſe facturum, igitur quia tunc voluit, tunc & fecit, quod & patet completiùs nono primi. Vnde & Apocalypſ. 4. Tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt. Et Auguſtinus 1. de Gen. contra Manichæos; Voluntas Dei omnium, quæ ſunt, ipſa eſt cauſa. Qui ergo dicit, quare Deus fecit cœlum & terram? reſpondendum eſt, quia voluit: voluntas enim Dei cauſa eſt cœli & terræ. Item eadem ratione habent dicere conſequenter de quocunque quandocunque creato ſeu facto à Deo, quòd nulla eſt cauſa quare tunc fit vel creatur, & hoc videtur deſtruere cauſam efficientem & finalem in Deo, vel ponere ipſum agere caſualiter & fortuitò omni tempore & inſtanti: ſed cauſam efficientem in Deo oſtendunt præmiſſa, & illud Ioh. 1. Omnia per ipſum facta ſunt, cum tertio, quarto, & nono primi: Et cauſam finalem in Deo probant multæ autoritates Philoſophicæ & Theologicæ viceſimo quinto primi conſcriptæ. Vnde Parab. 16. Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. Et Apoc. 1. Ego ſum Alpha & Omega, principium & finis. Quòd verò Deus non agat caſualiter vel fortuitò, quouis tempore vel inſtanti, octauum & nonum primi cum viceſimo ſeptimo, viceſimo octauo, & viceſimo nono docent. Vnde & Eccleſiaſt. 3. Omnia tempus habent: ſed à quo, niſi ab illo qui in menſura, & numero, & pondere cuncta diſponit? Quare & Auguſtinus 22. de Ciuit. Dei 2. ſic dicit, Antequam veniat tempus quo voluit vt fieret, quod ante tempora vniuerſa præſciuit atque diſpoſuit, dicimus fiet, quando Deus voluerit. Et ſi adhuc objiciant, quòd illius voluntatis nulla eſt cauſa, quare nec neceſsitatis prædictæ, hoc nullum debet mouere, quia illa Dei volutio eſt æterna, ſed illa neceſsitas eſt nouella, quare & aliquam cauſam habet. Quòd etiam Deus nouiter eſt Creator & Dominus, cauſam habet, cauſam, inquam, formalem & efficientem ſimiliter. Deus enim dicitur nouiter relatiuè Dominus huius rei, & non per relationem nouam accidentem nouiter ipſi Deo, ſed tantummodo creaturæ, ſicut contra ſecundam reſponſionem ſuperius eſt oſtenſum. Ipſa ergo relatio conſurgens ex creatura, quæ neceſſariò ſubijcitur diuino dominio, eſt cauſa formalis extrinſeca atque impropria, qua Deus formaliter dicitur Dominus huius rei. Hæc quoque relatio habet cauſam efficientem, effectricem ſcilicet huius rei, ex qua iſta relatio neceſſariò pullulat & emanat. Cùm ergo quærunt, quis fecit Deum Dominum huius rei: dico, quòd ille, qui fecit hanc rem. Fecit enim quodammodo iſtam relationem qua Deus dicitur Dominus huius rei; ſicut qui dat Iohanni hanc rem, facit eum Dominum huius rei; qui videt Iohannem vel intelligit, facit Iohannem viſum & nouiter intellectum: Deus ergo facit ipſe ſeipſum Dominum huius rei faciendo hanc rem, ex qua neceſſariò oritur relatio ſupradicta, ſicut & Iohannes ipſe facit ſeipſum Dominum huius rei faciendo hanc rem ſuam. Cuius exempla ſatis authentica ſcriptura canonica ſæpe profert. Vnde Pſalmo 9. Factus eſt Dominus refugium pauperi: 17. Factus eſt Dominus protector meus: 29. Dominus factus eſt adiutor meus: 89. Domine, refugium factus es nobis: Et 117. Factus eſt mihi in ſalutem, cum multis ſimilibus multis locis. Quòd ergo Deus nouiter dicitur * relatiuè ad creaturam, eſt propter nouam cauſam & nouam mutationem ex parte creaturæ, ſicut & in quocunque quod dicitur nouiter relatiuè. Hoc enim eſt vel propter nouam mutationem in eo quod ſic nouiter dicitur, vel in illo ad quod nouiter ſic dicitur, ſicut apparet de relatiuis tertij modi, vt poteſt haberi à Philoſopho 5. Metaphyſ. 20. & ab Auerroe ibi, ſicut erat ſuperius allegatum, & 5. Phyſ. 10. vult, quòd vbi eſt noua relatio, ſit mutatio & motus, ſaltem in altero relatorum, ſicut exemplificat ibi Auerroes de columna, quæ primò eſt in dextro Socratis, & poſt vertitur ad ſiniſtram, per hoc quòd Socrates transfertur in loco. Eandem quoque ſententiam Boetius de Trin. vlt. planè docet. Quare & Auguſtinus 5. de Trinit. vlt. oſtendit quòd quando Deus incipit temporaliter relatiuè dici ad creaturam, hoc eſſe per mutationem in creatura, non in Deo: vnde ſic ait, De illa commutabili Dei ſubſtantia debemus accipere, vt dicatur relatiuè aliquid ad creaturam, vt quamuis temporaliter incipiat dici, non tamen ipſi ſubſtantiæ Dei accidiſſe aliquid intelligatur,

Margin notes: *Philoſophus.* *Apocalypſ.* *Auguſtinus* *Parabolæ.* * Deus — Section letters: A B C D E

A intelligatur, sed illi creaturæ ad quam dicitur, Domine, inquit, refugium factus es nobis: Refugium ergo nostrum Deus relatiuè dicitur. Ad nos enim refertur, & tunc refugium nostrum fit, cùm ad eum refugimus; nunquid tunc fit aliquid in eius natura quod antequam ad eum refugerimus non erat? In nobis ergo fit aliqua mutatio: sic & Pater noster esse incipit, cùm per eius gratiam regeneramur: substantia itaque nostra mutatur in melius, cùm filij eius efficimur; simul & ille Pater noster esse incipit, sed nulla suæ commutatione substantiæ Quod ergo temporaliter dici incipit Deus, quod antea non dicebatur, manifestum est relatiuè dici, non tamen secundum accidens dici, quod ei aliquid acciderit, sed planè secundum accidens eius, ad quod dici aliquid Deus incipit, ipse mutatur. Exempla ergo istorum non continent veritatem, nec etiam conueniunt exemplatis. Ista enim exempla sunt de relationibus ex creatura nascentibus, & extrinsecis ipsi Deo. Necessitas verò prædicta in voluntate diuina ex nulla creatura causatur, sicut superius est ostensum, quod & ista responsio confitetur, & est
B intrinseca ipsi Deo. Hæc igitur per methodum libertatis & necessitatis voluntatis diuinæ contra hypothesin principalem.

CAP. XXXI.

Reuocat eandem per viam necessitatis & contingentiæ intellectus scientiæque diuinæ.

C COntra eandem quoque hypothesin potest similiter argui per viam necessitatis & contingentiæ intellectus scientiæque diuinæ. Nam ante præsentiam seu præteritionem rei Deus contingenter sciuit eam semper fuisse futuram & fore; sed in eius præsentia seu præteritione necessariò scit eam semper fuisse futuram, & esse vel fuisse; ergo tunc aliter intrinsecè scit quam prius, quod est contra rationes præmissas, & contra autoritates superius memoratas. Nec aliqua rationalis causa huius necessitatis nouellæ in diuina scientia poterit assignari, prohibentibus rationibus de necessitate nouella in volutione seu voluntate diuina, si ad diuinam scientiam congruè transferantur, decimo quinto primi, atque decimo sexto succurrente Nec sine causa rationabili potest necessitas talis poni, sicut contra responsionem vltimam est ostensum. Item si diuina scientia respectu futurorum sit contingens ad vtrumlibet, & respectu præsentium & præteritorum necessaria, Deus certius intrinsecè scit præsentia & præterita quam futura: hæc enim scita certiora sunt illis. Illa namque, quæ necessariò sunt aliqualia, sunt cer-
D tiùs talia quàm illa quæ contingenter ad vtrumlibet tantùm sunt talia: nam hæc non possunt non esse talia, illa possunt; Deus ergo perfectiùs scit præsentia & præterita, quàm futura. Nam scire quid certè est perfectius, quàm incertè; quare Deus intrinsecè mutatur & melioratur de nouo; nec etiam scit futura summè certè, nec summè perfectè. Huius || *etiam* maioris certitudinis nulla causa rationalis potest dari, quia non intrinseca ipsi Deo, cùm ipse intrinsecè non mutetur, nec extrinseca, quia nulla res extrinseca quicquam causat in eo, sicut 15. & 16. ac 20. primi docent. Quapropter & Sapiens Ecclesiastici 23. Domino, inquit, Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita, sic & post perfectum respicit omnia; sic inquit, & non aliter. Vnde & Augustinus 15. de Trinit. 13. Nec, inquit, aliter sciuit creata quàm creanda: non enim eius sapientiæ aliquid accessit ex eis, ita vt scriptum est in libro Ecclesiastico, Antequam crearentur, omnia nota sunt ei, sic & postquam consummata sunt; sic inquit, non aliter. Qui & quinto super Gen. ad literam 18. Ipsi, inquit, Deo non audeo dicere alio modo
E innotuisse cùm ea fecisset, quàm illo quo ea nouerat, vt faceret, apud quem non est commutatio nec momenti obumbratio. Quare & Petrus 1 sentent. dist. 35. Sciuit, inquit, Deus ab æterno æternum, & omne quod futurum erat, & sciuit immutabiliter; scit quoque non minus præterita vel futura, quàm præsentia, & sua æterna sapientia & immutabili scit ipse omnia quæ sciuntur.

|| autem

Ecclesiasticus.

Augustinus

CAP.

A

CAP. XXXII.

Reducit eandem per viam immutabilitatis voluntatis diuinæ.

PEr viam etiam immutabilitatis voluntatis diuinæ potest eadem hypo-
thesis impugnari. Nam si Deus posset nolle priuatiuè, seu etiam posi-
tiuè pro nunc præsentia ista esse, quæ nunc vult esse, & præterita illa
fuisse quæ vult fuisse, & ammodò semper nolle illa præsentia atque
præterita fuisse futura, quæ semper ante voluit fuisse futura, esset mu-
tabilis, sicut & omnes Autores huius hypothesis confitentur. Sed si-
militer omninò intrinsecè se habet voluntas diuina ad futura, sicut ad B
præsentia vel præterita, vt potest haberi per prius ostensa tricesimo
huius ; aliàs etiam re futura facta præsente vel præterita intrinsecè mutaretur contra vicesi-
mum tertium primi libri ; ergo si futura quæ vult, & semper prius fore voluit, potest pro nunc
& semper post nolle fore, non positis illis in esse, est mutabilis : vel è contra, si Deus sine sui
mutatione, futura, quæ nunc vult, & semper prius voluit fore atque fuisse futura, potest pro
nunc & semper post nolle fore ipsis non positis, & nolle illa fuisse futura ; potest similiter sine
sui mutatione nolle pro nunc præsentia ista esse, præteritaque fuisse, & semper post nolle hæc
fuisse futura. Nam nulla causa vel ratio dissimilitudinis potest dari. Et si fortassis quis dicat
hanc esse causam dissimilitudinis inter ista, quòd nunc necesse est Deum velle & semper vo-
luisse hoc præsens præteritumuè fuisse futurum, & ideo, si post hoc nollet, necessariò mutare-
tur ; non sic ante de futuris ; ergo Deus aliter intrinsecè vult præsentia & præterita quàm fu-
tura, & aliter intrinsecè eandem rem primò futuram, deinde præsentem, ergo est mutabilis. C
Voluntas quoque diuina non est magis necessaria respectu præteritorum vel præsentium,
quàm futurorum, sicut tricesimum huius docet. Et si quis adhuc aliter dixerit, quòd si Deus
posset post hoc nolle de hac re præsenti vel præterita ipsam fuisse futuram, quam semper vo-
luit fuisse futuram, & hoc faceret, ipsa res esset mutabilis, & necessariò mutaretur de fuisse
futurum in non fuisse futurum, non sic autem de re futura ; quare & voluntas diuina hîc ne-
cessariò commutaretur similiter & non ibi. Sed quare magis in hoc casu res præsens vel præ-
terita mutaretur, quàm res futura ? Nulla enim causa nec ratio potest reddi, nisi quia rem præ-
sentem vel præteritam necesse est semper fuisse futuram, & Deum semper conformiter volu-
isse, & non sic de re futura, & sic ista responsio similis est priori. Rursum ad idem, Mutatio
in effectu non est causa mutationis in agente, sed magis è contra, vbi fit mutatio in agente,
& maximè in effectu voluntatis diuinæ : aliàs enim ad mutationem suorum effectuum conti- D
nuè mutaretur ; ipsa quoque est impassibilis, inalterabilis, immutabilisque omninò à suis effe-
ctibus vniuersis, sicut vicesimum primi docet. Item istud videtur quasi vna communis animi
conceptio apud omnes ; omne quod est vnius dispositionis, & potest esse oppositæ, hoc potest
per aliquam mutationem, loquendo de potentia actuabili, & non penitus absoluta. Hoc vi-
detur in omni alia materia tam absoluta, quàm etiam relatiua. Nam si hoc non est ens, vel
homo, vel calidum, & potest esse, per aliquam mutationem hoc esse potest. Et idem apparet
in omni specie relatiua : nam si hoc non est duplum huius, vel pater, vel cognitum, & potest
esse, per aliquam mutationem hoc potest, sicut tricesimum huius monstrat. Hoc idem non
improbabiliter confirmatur, quoniam, vt videtur, si hoc non est tale, & potest esse, potest fieri
tale, communiter loquendo de fieri, sicut Dominus refugium factus est nobis, vt idem tricesi-
mum manifestat : omnis autem huiusmodi factio, mutatio videtur aliqualis, quia de vno op-
positorum in reliquum transitus siue motus. Et causa huius totius quasi maxima inserta na-
turaliter omnibus hæc videtur, quia esse quod est, quando est, & non esse quod non est, quan- E
do non est, necesse est ; & similiter fuisse quando fuit, & non fuisse quod non fuit. In hoc
enim consentiunt Logici, Philosophi, Theologi, & communiter totum vulgus ; & si necesse
sit hoc esse aut fuisse dispositionis vnius, & potest esse oppositæ, potest mutari, quia hoc non
potest nisi per recessum à dispositione priori, tanquam à termino à quo, & accessum ad poste-
riorem, velut ad terminum ad quem motus. Et si quis dixerit illam maximam esse veram de
præsentibus & præteritis duntaxat non dependentibus à futuro ; aduertat, quæso, hanc glos-
sam nulla communi animi conceptione, nec vlla autoritate maiorum, sed tantùm quibusdam
sophistarum argutijs sustentari. Dei quoque voluntas nequaquam à futuris dependet, sicut
vicesimum primi, & tricesimum secundi docebant, sed futura ab illa, sicut decimum quartum
primi

A primi monstrat: nec aliter intrinsecè quouis modo se habet diuina voluntas ad futura, quam ad præscientia vel præterita, nec è contra, sicut 30. huius claret. Præmissis igitur suppositis videtur, quod si Deus nunc est & semper fuit volens hoc fore, vel hoc fuisse futurum, & potest esse dispositionis oppositæ, non posita re in esse, quod hoc possit per aliquam mutationem, & non ex parte voluti ante positionem eius in esse. Nam contradictionem includit quod aliquid mutetur de futuro in non futurum, nisi per positionem eius in esse, sicut 18. huius erat ostensum; ergo per mutationem voluntatis diuinæ. Potestque similiter argui supponendo A. esse vnum non futurum, possibile tamen fore, quod Deus fuit semper nolens A. fore, & potest esse volens A. fore; ergo per aliquam mutationem hoc potest, & non per mutationem ex parte rei, quia illa esset de non futuro in futurum, contra 18. huius, ergo per mutationem voluntatis diuinæ. Porro istas ratiunculas logicas transeundo, idem ostendo per vnam Theologicam rationem, nempe si secundum hypothesin Deus semper voluit aliquid fore, & potest nunquam
B hoc voluisse, sed semper voluisse oppositum, sine mutatione quacunque; simili ratione, postquam Deus dixit, promisit, & iurauit se facturum A. seu A. fore, potest non facere A. & possibile est non fore sine sui mutatione, mendacio, vel periurio qualicunque. Potest enim nunquam sic dixisse, promisisse, neq; iurasse, sine mutatione quacunque: quod si ponatur, potest non facere A sine mutatione, mendacio, & periurio qualicunque; quod videtur mendacium, & contrarium Theologicæ veritati. Nam Numer. 23. Balak volenti placasse Dominum, vt Balaam de suo cōsensu vel permissione maledixisset populo Israel, cui parum ante, Dominus bona, & benedictionem promisit, respondit Balaam, imo Dominus per Balaam, Non est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt permutetur. Dixit ergo, & non faciet? Locutus est, & non implebit? Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo; ergo si Deus quicquam promiserit, puta A. futurum, nisi illud impleret, esset mutabilis atque mendax. Secundum tamen prædictam hypothesin potuit Balak veraciter respon-
C disse, etsi Deus dixit & locutus est A. fore, potest esse quod nunquam hoc dixit, nec locutus est, & hoc sine mutatione quacunque: quod si ponatur in esse, licet non faciat A. sed eius oppositum, non sequitur quod mutetur aut etiam mentiatur. Nec quisquam hoc dictum Balaam, quia malus fuit, tanquam non authenticum parui pendat, quia est dictum Domini summi autoris, sicut & Caiphæ dictum fuit: nam Scriptura ibi præmisit; Cui, scilicet Balaam, cum Dominus occurrisset, posuissetq; verbum in ore eius, ait, Reuertere ad Balak, & hæc loqueris ei; omnesque catholici tractatores dicta Balaam ibi pro Prophetijs ac dictis diuinis, & authenticis amplectuntur, quod & Ecclesia sancta facit, quæ in die Epiphaniæ sic canit, Balaam de quo vaticinans, Exibit || *ex* Iacob rutilans, inquit, stella. Item Psalmo 88. Neque profanabo testamen- || de
tum meum, & quæ procedent de labijs meis non faciam irrita: Semel iuraui in sancto meo, si Dauidi mentiar; semen eius in æternum manebit. Vbi Dominus innuit per Prophetam, quod si semen Dauidis non in æternum maneret, sicut ipse promisit atque iurauit, qd. ipse profanaret
D testamentum suum, & quæ processerunt de labijs suis faceret irrita, ac etiam mentiretur. Sed profanatio, irritatio, & mendacium mutationem important. Si tamen Dominus postquā promisit & iurauit hoc Dauidi, posset hoc nunquam promisisse, neq; iurasse, posset hoc non facere absque profanatione testamenti, irritatione, vel mendacio qualicunq;. Item Malach. 3. Ecce, inquit Dominus populo Israel, Ego mittam angelum meū & præparabit viam ante faciē tuā: & promittit alia bona multa, & ad confirmationem promissionis adiungit; Ego || *enim* Do- || inquit
minus, & non mutor, quasi diceret, Ego non sum mutabilis, ergo faciam vobis ista, ergo è contra, non faciam vobis ista, ergo sum mutabilis, quod tamen secundum hypothesin nullatenus sequeretur. Licet enim Dominus ista promisit, potest esse sine mutatione quacunq;, quod nūquam ista promisit; quod si ponatur, & si Deus ista non faciat, non mutatur. Item ad Hebr. 6. Abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri De-
E um, fortissimum solatium habeamus: vbi supponit Apostolus, quod pollicitatio & iusiurandum Dei, quibus promisit hæredibus certa bona, quæ sint A. sunt res immobiles, quas si non impleret exhibendo eis A. bona, mentiretur, quare & similiter mutaretur, quod tamen secundum hypothesin nullatenus sequeretur. Simus enim in medio tempore inter promissionem & exhibitionem A. bonorum, tunc secundum hypothesin, potest esse quod Deus nunquam promisit nec iurauit hæredibus A. bona futura; quod si ponatur, potest Deus illa nunquam exhibere hæredibus sine mutatione vel mendacio qualicunque. Ad hæc omnia || *quispiam* fortasse || quisnam
breuiter respondebit, dicendo hæc omnia debere intelligi in sensu compositionis semper coniunctim, non in sensu diuisionis siue diuisim, quia si Deus promissū nō impleret, ita quod ista duo concurrant, qd. Deus hoc promisit, & quod Deus hoc non impleat, mutatur atq; mētitur:

diuiſim tamen hoc, puta A. quod Deus præmiſit, poteſt non implere ſiue non facere ſine mu- A
tatione & ſine mendacio, quia poteſt eſſe quod nunquam A. promiſit. Sed autoritates præ-
miſſæ, ſi reſpiciantur interius, non loquuntur coniunctim, ſed tantummodo diuiſim. Apoſto-
lus namque per præmiſſa voluit erigere hæredes ad fortiſsimum ſolatium, & firmiſsimam
ſpem in Chriſto; Vt, inquit, per duas res immobiles, quibus impoſsibile eſt mentiri Deum,
fortiſsimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſi-
cut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vſque ad interiora velami-
nis, vbi præcurſor pro nobis introijt Ieſus ſecundum ordinem Melchiſedech, Pontifex factus
in æternum: quomodo tamen haberemus fortiſsimum ſolatium, aut ſpem tutam ac firmam
tantū in vna oratione compoſita, in vna cōditionali, in vna congerie dictionū, puta, Deus nō
poteſt ſine mutatione & mendacio [non] implere promiſſum exiſtens promiſſū? .i. talis propo-
ſitio non eſt poſsibilis, Deus ſine mutatione & mēdacio non implebit promiſſū, vel ſi De9 quic-
quam promiſit, & non implebit, mentietur atque mutabitur, Maxime cum illud, cui talis pro- B
poſitio ſeu conditionalis conſolatoria, & ſperatoria, velut fundamento conſolationis & ſpei
totius innititur, ſcil. Dei promittere ſit infirmius & inſtabilius re quacunque. Nam omnis res
præſens ſiue præterita neceſſario eſt aut fuit; ſed ſecundum hypotheſin Dei promittere quod
nunc eſt, & quod ſemper fuit, poteſt pro nunc non eſſe & nunquam fuiſſe. Imo videtur quod
in hac parte minus ſolatium rationabiliter haberemus de promiſsis diuinis quàm humanis.
Nam ſi homo quicquam promiſerit, ſaltem cum ſtipulatione ſolenni, aut iuramento, aliaue hu-
iuſmodi cautione, ſi non ſatisfecerit, poteſt redargui & conuinci tanquam falſus, mendax, &
periurus; Deus autem non ſic, quia poteſt nunquam aliquid promiſiſſe. Quis enim catholicus
præſumet aſſumere hanc ſpem, ad quam Apoſtolus nos inducit, eſſe in ſolis huiuſmodi pro-
poſitionibus, ſeu conſequentijs, non in rebus? Nec ſic ſentit Apoſtolus, ſed quod tute ac fir-
miter ſperemus rem ipſam promiſſam à Deo, ſicut & Eccleſia tota ſperat, & ſic ſolatium for-
tiſsimum habeamus. Quare & Apoſtolus oſtendens ſe non loqui de immutabilitate conſe- C
quentiæ conditionalis, ſiue huiuſmodi propoſitionis compoſitæ, ſed de immutabilitate volun-
tatis, conſilij, promiſsionis, ſeu iuramenti diuini; Volens, inquit, Deus oſtendere pollicitati-
onis hæredibus immobilitatem conſilij, interpoſuit iuſiurandum, vt per duas res immobiles,
ſcil. pollicitationem & iuramentum, quibus impoſsibile eſt mentiri Deum, fortiſsimum ſolati-
um habeamus. Videtur igitur quod Apoſtolus intelligat, & loquatur diuiſim potius quam
coniunctim, ad communem ſcil. hominum intellectum, qui eſt iſte, quod quodcunq; promiſ-
ſum à Deo neceſſe eſt impleri, aut Deum mentiri, atq; mutari; verbi gratia, Deus promiſit he-
ri ſe facturum hominibus cras A. bonum, tunc hodie dicent & ita intelligent, Deus faciet nobis
cras A. bonum, aut mentietur atque mutabitur; Malachias quoq;, Dauid, & Balaam, imo ſpi-
ritus ſanctus qui locutus eſt per iſtos Prophetas, videtur intelligere, & loqui ſimiliter in autori-
tatibus recitatis: hæc eadem etiam poſſunt reduci contra eandem hypotheſin per viam immu-
tabilitatis diuinæ ſcientiæ tranſlatis nominibus competenter. D

CAP. XXXIII.

Mouet eandem per viam reuelationis in verbo, & ponit ſex reſponſiones concedentium reuelationē in verbo, & arguit grauiter contra.

HIs igitur per viam actionis Dei intrinſecæ contra hypotheſin iſtam ob-
iectis, reſtat per viam actionis eius extrinſecæ contra eandem obijcere
conſequenter, per viam ſcilicet reuelationis diuinæ & eius effectus.
Hæc autem ſecundum doctrinam Patrum eſt duplex. Nam quædam
eſt in verbo Dei, in ipſa ſcil. ſumma luce, ſumma veritate increata, in eſ- E
ſentia ipſa Dei; quędam vero in proprio genere creaturæ, in luce ſcil.
inferiori creata. Primo ergo per viam reuelationis in verbo; Ponatur
ſiquidem Deum reuelare vel reuelaſſe in verbo Paulo A. fore cras, tūc
Paulus aut videt aut vidit, ſcit aut ſciuit A. fore cras, ergo neceſſe eſt eum ſic videre aut vidiſſe,
ſcire aut ſciuiſſe, quoniam omnem actū humanum, quando eſt, neceſſe eſt pro tunc eſſe, & om-
nem actum humanū præteritū neceſſe eſt fuiſſe: alias enim qd. homo nunc vult & facit poſſet
nunc non velle nec facere, & quod voluit & fecit, poteſt nunquam voluiſſe nec feciſſe; quare &
illud quod nunc eſt aut fuit, poteſt pro nunc non eſſe nunc, nec vnquam fuiſſe, contra
omnes Logicos, Philoſophos, Theologos, & vulgares, quod & hypotheſis iſta negat. Et ſi
neceſſe

A necesse est Paulum scire aut sciuisse A. fore cras, necesse est A. fore cras: nam necessario sequitur, Paulus scit aut sciuit A. fore cras; ergo verum est aut fuit A. fore cras, ergo A. est aut fuit futurum cras, ergo erit cras, sicut patet per ostensa 18. huius. Tota igitur hæc consecutio est necessaria, & primum antecedens similiter, quare & vltimum consequens, sicut 30 huius patet; ergo necesse est A. cras fore, quare & simili ratione de quocunque futuro nunc est necessarium, & semper fuit necessarium ipsum fore, & de quocunque non futuro, ipsum non fore, cuius oppositum hypothesis supponebat. Ad istud autem dupliciter respondetur. Nam quidā huiusmodi reuelationem concedunt; alij vero negant. Concedentes autem reuelationem huiusmodi respondent iuxta prædictam hypothesin consequenter, dicendo qd. sicut De⁹ per suam essentiam nunc scit, & semper sciuit quodcunque futurum fore, & potest nunc pro nunc illud non scire nec vnquam sciuisse, sed nunc & pro nunc scire & semper sciuisse eius oppositū; sic & homo vel Angelus, qui per eandē essentiam scit & sciuit quodcunq; futurum fore, potest
B conformiter nunc & pro nunc illud non scire, nec vnquam sciuisse, sed nunc & pro nunc scire eius oppositum priusq; sciuisse. Sed ista responsio videtur absurda. Nam si sic esset, possibile esset Christum, Mosem, Paulum, & quemcunq; Prophetam, qui vidit secreta Dei in verbo, nūquam quicquam ibi vidisse, nec fuisse Prophetam, sed pseudoprophetam, & Antichristum, cū fuerit præteritus pessimus, Mahumetem & quemlibet maledictum, qui nunquam aliquid ibi vidit, omnia Dei secreta ibi vidisse, fuisseq; eximium Prophetarum. Hæc etiam responsio non euitat, quoniam si Paulus scit & sciuit in verbo A. fore, & potest non scire nec sciuisse A. fore, aut potest velle & voluisse, non velle & non voluisse, non velle conformiter, vel non potest. Si potest, ponatur qd. reuelabatur in verbo Paulo A. adhuc futurum fore, & præcipiebatur similiter qd. vellet, prædicaret, & faceret conformiter reuelationi ostensæ, sicut Deus præceperat Ieremiæ, Prædicabis, inquiens, verba quæ ego loquar ad te, Ier. 19. & Ezech. Vade & loqueris verba mea, Ezech 3 & Ionæ, Prædica, inquit, prædicationem quam ego loquor ad te, Ion. 2. si- *Ieremias. Ezechiel. Ionas.*
C cut & verisimiliter creditur qd. Archangel. Gabriel recepit per reuelationē & iussionem in verbo negotium incarnationis dominicæ beatissimæ virgini nuntiandum. Dominus etiam Iesus Christus de seipso testatur Ego, inquiens, ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar Ioh. 12. Et infra 14. Sicut mandatū dedit mihi pater, sic facio; & si quis homo vel Angelus habuit reuelationē & mandatū in verbo, quis vnquā dignius Dom. Iesu Christo vnico Dei verbo, vnicissimo Dei verbo? Vnde Aug. super Ioh. part. 1. hom. vlt. scil. 54. primā autoritatē exponens, sic ait; Ideo se dicit non locutum ex seipso, quia nō est ex seipso: Filius est verbum Patris, & sapientia Patris; In illo sunt omnia mandata Patris: neq; enim Patris mandatum Filius aliquando nesciebat, vt eum necesse esset ex tempore habere qd. antea non habebat. Ita enim à Patre, qd. habet, accepit, vt nascendo acceperit, dederitq; illi gignendo. Nam & vita est, & accepit vitam, vtrq; nascendo, non prius sine vita existendo, quia & Pater habet vitam, & qd. habet est, nec accepit tamen, quia non ex a- *Ioannes.* *Augustinus*
D liquo est; filius autem accepit vitam dante Patre, à quo est, & ipse qd. habet, est: habet n. vitam, & vita est: ipsum audi loquentem; Sic habet, inquit Pater vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso. Nunquid existenti & non habenti dedit? Sed eo dedit, quo genuit, qui vitam genuit, & quia æterna est ipsa natiuitas, nunquam non fuit filius qui est vita, nunquam fuit filius sine vita. Et sicut est natiuitas æterna, sic est qui natus est, vita æterna: ita & mandatum, non quod filius non habebat, pater dedit, sed, sicut dixi, In sapientia Patris, quod est verbum Patris, omnia mandata sunt Patris. Dicitur autem mandatum datum, quia non est à seipso cui dicitur datum; & hoc est dare filio, sine quo nunquam filius fuit, quod est gignere filium qui nunquam non fuit. Factis igitur Paulo reuelatione & mandato præmissis, ponatur quod voluit, prædicauit, & fecit extrinsecus operando conformiter reuelationi ostensæ. Et secundum istam responsionem A. adhuc existente futuro, possibile est ipsum non fore, & verbum nunquam sciuisse nec reuelasse, ac Paulum nunquam vidisse in verbo A. fore; qua-
E re & sicut dicit responsio, est correspondenter possibile, Paulum nunquam voluisse conformiter reuelationi prædictæ, est ergo nunc possibile Paulum non prædicasse, non fecisse extrinsecus quæ iam fecit: non enim potuit talia facere nisi prima voluntate, quare & illa præterita, est possibile non fuisse. Et ut istud manifestius deducatur in lucem, ponatur iuxta autoritates de orando & modo orandi præmissas 23. & 25. primi; quod Paulo detur mandatum sub pœna damnationis æternæ, quod omnem & solum ostensum sibi in verbo saluandum velit absolute saluari, iuuetq; in orationibus & beneficijs alijs solum talem; ostendaturq; sibi in verbo Petrum viatorem esse saluandum, quē velit absolute saluari, oret pro eo, ædificet sibi domum, & alia beneficia administret, moriatur, & migret ad cœlum adhuc Petro superstite viatore; tunc, sicut dicit hypothesis, possibile est Petrum non saluari, quare &, sicut dicit

ista responsio, possibile est consequenter hoc nunquam fuisse ostensum in verbo, Paulum A nunquam hoc vidisse, nunquam hoc voluisse, nunquam pro eo orasse, nunquam ei domum ædificasse, nec alia beneficia ministrasse, nec ad cœlum sed ad infernum migrasse, vel retentis mandato & reuelatione præmissis, ponatur Paulum in nullo paruisse mandato, & sic mortuum ad inferos descendisse, tunc possibile est Petrum adhuc viatorem non esse saluandum, nec hoc vnquam fuisse reuelatum, quare & Paulum non fecisse seu omisisse contra mandatum, nec peccasse, nec descendisse ad inferos, sed ad superos ascendisse; vel forsitan, sicut multis magis videbitur || *oportunum*, ponatur Paulum recipisse mandatum, quod nullum ostensum sibi in verbo damnandum velit saluari, nec oret pro alicuius talis salute, & quod quemcunque ostensum sibi in verbo saluandum velit saluari, & oret pro eo, ostendaturque sibi in verbo Antichristum esse damnandum, quem nec velit saluari, nec oret pro eo, & sic decedens saluetur, vel contraria faciens, & sic decedens damnetur, adhuc Antichristo superstite viatore &c. sicut prius. Gabriel etiam medio tempore postquam venit ad virginem gloriosam nuntians quod B conciperet filium benedictum, antequam concepit, potuit non venisse ad eam, nec illud nuntium protulisse, vt patet per deductionem priorem. Dominus etiam Iesus Christus medio tempore postquam fuit incarnatus pro humano genere redimendo, priusquam redemit, potuit non fuisse incarnatus, & postquam prædixit discipulis illud, Matth. 20. Ecce, ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum, & tertio die resurget; ascenditque Hierosolymam ad illum finem; priusquam pateretur, potuit ista non dixisse, nec Hierosolymam ascendisse: postquam similiter iam propinquior passioni, tristabatur vsque ad mortem, & sudauit sudorem sanguineum, priusquam pateretur, possibile fuit non sic fuisse tristatum neque sudasse, quæ omnia patent per deductionem priorem. Vt autem hæc multa virtualiter in vno verbo recolligam, suppono nos esse in medio tempore inter tales effectus præteritos & reuelata futura; & sicut dicit * responsio, Possibile C est illa reuelata futura non fore, & nunquam fuisse reuelata, visa nec voluta, ergo possibile est illos effectus præteritos non fuisse: nam necessario sequitur negatiue, Causa non fuit, ergo effectus non fuit, & antecedens est possibile, ergo & consequens, sicut tricesimo huius patet. Vel è contrario affirmatiuè, Necesse est illos effectus fuisse, ergo & illas volutiones, visiones, & reuelationes: nam necessario sequitur affirmatiuè, Effectus fuit, ergo causa eius fuit, & antecedens est necessarium, ergo & consequens, sicut idem tricesimum demonstrauit. Et si necesse est illas visiones & reuelationes fuisse, ergo & illa reuelata fore sicut superius est ostensum: nec potest quisquam ad aliam partem biuij rationabiliter declinare, dicendo Paulum non posse, non velle quod vult, nec posse non voluisse quod voluit, sicut potest non scire quod scit, & non sciuisse quod sciuit facta huius reuelatione in verbo, quoniam per locum à simili & à proportionalitate videtur, quod sicut Paulus scit aliquid in verbo, siue in Dei essentia, sic potest velle seu diligere aliquid in spiritu sancto siue in Dei essentia. Nam sicut filius & Dei es- D sentia se habet ad nostrum scire, sic spiritus sanctus in eadem essentia ad nostrum diligere: alias enim nequaquam nostra charitas nec dilectio veraciter diceretur, quod tamen 42. primi erat ostensum. Quare si propter hoc, quod verbum sciens & ostendens aliquid futurum, potest nunc pro nunc illud non scire neque ostendere; potest Paulus hoc videns, nunc & pro nunc illud non videre, cum similiter sit de spiritu sancto volente aliquid futurum, erit & similiter de Paulo volente in ipso. Hæc etiam responsio non iuuat, sed magis illa queat respondentes, quia si facta reuelatione huiusmodi, & Paulo volente conformiter, necesse sit Paulo, sic velle, aut in præterito voluisse, necesse est eum sic videre, & in præterito sic vidisse: nam hæc sua volutio ab illa sua visione causatur, quare necesse est sic esse reuelatum in verbo aut fuisse, quare & necesse est sic fore, sicut superius est deductum. Item aliqui sunt effectus causati à sola visione, siue volutione, aut nolutione coniuncta. Sola visio namque certa de aliquo prospero vel aduerso propinquo causat in corde & corpore sic videntis dilectionem aut tristitiam, dila- E tationem vel constrictionem, spem vel timorem, & multas passiones alias corporales, sicut ex 18. secundi potest haberi; veluti in Christo sudorem sanguineum, & in quibusdam mortem, sicut videtur in Nabal. 1. Reg. 25. sicut & refertur de quodã magno de Anglia post deportationem reconciliato, quod nimio gaudio incurabiliter resolutus vitam cum gaudio terminauit: quamobrem arguatur de talibus sicut priùs. Igitur contra omnes admittentes reuelationẽ in verbo procedit hæc ratio vna breuis, Necesse est hunc effectum esse vel fuisse, ergo & illam reuelationem in verbo, quare & illud reuelatum necesse est fore. Sed hic à multis multipliciter respondetur; omnes tamen in hoc vno conueniunt, quod consequutio ista non tenet. Et si contra omnes cõmuniter arguatur, necessario sequitur, Iste effectus fuit, ergo causa eius fuit, antecedens

|| optimum

* ista

A Antecedens est necessarium, ergo & consequens: concedunt; sed si arguatur vlterius, causa e-
ius fuit, ergo reuelatio illa in verbo; dicunt concorditer hoc non sequi, sed esse fallaciam con-
sequentis, quia iste effectus potest non habuisse hanc causam, sed alias causas multas; In assig-
natione tamen harum causarum multipliciter variantur. Nam quidam dicunt, possibile est
illam reuelationem in verbo non fuisse reuelationem, quia nec fuisse veram, sed apparentiam
vnam falsam, & illam, possibile est fuisse causam huius effectus. Alij verò dicunt opinionem,
æstimationem, seu apparentiam creatam in proprio genere posse fuisse causam huius effectus.
Tertij visionem oppositi illius reuelati in verbo. Quarti complexam & simplicem visionem
simplicis obiecti in verbo. Quinti libertatem voluntatis creatæ. Sexti autem Deum per se so-
lum. Sed contra omnes istas responsiones simul est primò generaliter arguendum, deinde
contra singulas singulatim. Omnes enim conueniunt in hoc vno, quod effectus ab vna causa
productus, potest non fuisse productus ab illa, sed ab alia. Ex isto autem videtur sequi per lo-
B cum à simili, saltem de omnipotentia Dei, quod quæcunque causa aliquem effectum produ-
xit, potest illum nullatenus produxisse, & quæcunq; effectum à quacunque causa productum
potest non illa sed alia produxisse: Paulus ergo, qui ædificauit domum, & genuit filium, potest
non sic fecisse, & Petrus potest illam domum ædificasse, & illum filium genuisse, cum absurdi-
tatibus alijs multis nimis.

CAP. XXXIIII.

Arguit specialiter contra primam.

C NVnc autem specialiter contra primam: Porrò si esset, vt dicit, essentia
Dei falsè ostenderet & erroneè præsentaret, sicque speculum sine macu-
la maiestatis diuinæ fieret turpiter maculatum, summa quoque veritas
esset falsa, summa lux tenebrata, iustitia summa fallax, & fidelitas sum-
ma mendax. Tunc etiam Christus & Beati possunt facillimè decipi to-
ta die, quare & fieri miseri tota die, imò & nunquam fuisse beati: omnis
enim fallacia, sicut & omne malum, beatitudini & fælicitati repugnant.
Fælicitas namque secundum Philosophum 1. Eth. 9. est bonum per se
sufficiens & perfectum: quare & Boetius 3. de consolatione prosa 2. Liquet, inquit, esse bea-
titudinem statum bonorum omnium congregatione perfectum. Et beatus Augustinus super
illud Psalmi 2. Beati omnes qui confidunt in eo; Beati, inquit, dixit, vbi est bonorum omni-
um summa & cumulus. Qui & 13. de Trinit. 5. Continuò miseri sunt, qui vel non habent
D quod volunt, vel id habent, quod non rectè volunt; beatus igitur non est, nisi qui & habet
omnia quæ vult, & nihil vult male. Et infra 7. Non volet quis male viuere in illa fælicitate,
aut volet aliquid quod deerit, aut deerit quod voluerit, quicquid amabitur aderit, nec deside-
rabitur quod non aderit; Omne quod ibi erit bonum erit. Sed quis est qui non naturaliter &
per se odiat & fugiat falsitatem, amet & appetat veritatem? Vnde Philosophus 4. Eth. 14. Se- *Philosophus.*
cundum seipsum mendacium prauum & fugiendum, verum autem bonum & laudabile. Et
in secreto secretorum partis primæ 4. Veritas est radix omnium laudabilium, & materia om-
nium bonorum, quia est contrarium mendacio. Tullius etiam 2. veteris suæ Rhetoricæ dicit *Tullius.*
veritatem esse de illis, quæ totaliter & cum ex parte sunt propter se petenda, & eius contrari-
um de simili modo vitandis. Quare beatus Augustinus 11. de ciuit. Dei 11. ostendens malos *Augustinus*
Angelos ante ruinam non fuisse beatos; Vita, inquit, istorum non fuit beata, quia quandoque
desitura, siue id scirent, siue nescientes aliud putarent, quia scientes timor, nescientes error
E beatos esse vtique non sinebat. Et infra ‖ 11. post magnam perscrutationem huius materiæ sic ‖ 12
concludit; Quocirca cuiuis iam non difficulter occurrit, vtroque coniuncto effici beatitudi-
nem, quam recto proposito intellectualis natura desiderat; hoc est, vt & bono incommutabi-
li, quod Deus est, sine vlla molestia perfruatur, & in eo se in æternum esse mansurum nec vlla
dubitatione cunctetur, nec vllo errore fallatur. Idem Enchirid. 9. ad illam fælicitatem tenden-
dum est, vbi nulla quatiamur ærumna, nullo errore fallamur: error quanta possumus cura ca-
uendus est, non solùm in maioribus, sed etiam in minoribus rebus. Et infra 10. Si diligentius
considerata veritate, cum aliud nihil sit errare, quàm verum putare quod falsum est, falsumq;
quod verum est, vel certum habere pro incerto, incertumue pro certo, siue falsum sit siue ve-
rum, idque tam sit in animo deforme atque indecens, quam pulchrum ac decorum esse senti-

 mus

mus vel in loquendo, vel in aſſentiendo, eſt, eſt, non, non; profectò & ob ipſum eſt iſta miſe- A
ra vita qua viuimus, quod ei nonnunquam, vt non amittatur, error eſt neceſſarius: abſit vt ta-
lis ſit illa vita, vbi eſt animæ noſtræ, ipſa veritas, vita, vbi nemo fallit, fallatur nemo; hic autem
homines fallunt, atque falluntur, miſerioreſque ſunt cum mentiendo fallunt, quàm cum men-
tientibus credendo falluntur; vſque adeo tamen rationalis natura refugit falſitatem, & quan-
tum poteſt deuitat errorem, vt falli nolint etiam quicunque amant fallere. Item error atque
deceptio circa futura, & maximè pertinentia ad deceptum magis videtur beatitudini repugna-
re, quam ſimplex ignorantia futurorum. Sed hæc repugnat. Quare & Auguſtinus 11 ſuper
Auguſtinus. Gen. 23.25.& 27. oſtendit Apoſtatas Angelos non fuiſſe beatos ante ſuam ruinam, quia nec
ſui euentus futuri præſcios nec certos: quod & cap. 26. de primo homine ſimile modo probat
Lumbardus. Lumbardus etiam ſecundi ſentent. diſt. 4. loquens de Angelis, Beati, inquit, nunquam fue-
runt, qui ceciderunt, quia ſui euentus ignari fuerunt, quam cauſalem confirmat per beatum B
Auguſtinum ſuper Gen. vbi prius. Et ſi quis dixerit Auguſtinum ibi loqui de præſcientia fu-
turorum pertinentium tantum non impertinentium ad Angelum vel hominem præſcientem,
de illis tantummodo arguatur. Ad Chriſtum namque & ad beatam virginem beatificatos in
cœlo pertinuit, quod propinqui ſui ſecundum carnem & gratiam tunc peregrinantes à Domi-
no, quos tantum amabant & deſiderabant ſaluari, & ad hoc inſtanter orabant, pro quibus &
Chriſtus ſpecialiter fudit ſuum ſanguinem benedictum, quorum ſalus erat eis conceſſa & re-
uelata diuinitus vt ſaluarentur: quis igitur ſpiritus mendax præſumet in iſtis Chriſtum deci-
pere & virginem iam beatos, vel etiam in pertinentibus quibuſcunque? Ad quem etiam Bea-
torum non pertinet? Nunquid ſit deturpatus tenebroſæ falſitatis erroribus, aut lucidæ veri-
tatis fulgoribꝰ decoratus? quid etiam magis pertinet ad beatū quam ſua beatitudo perpetua? &
circa illam poſsibile eſt eum falli: nam non obſtante, qd. Deus oſtendit ſibi in verbo ſuā beati-
tudinē perpetuò duraturā, & ipſe hoc viderit, poteſt non beatificare eum pro futuro, ſcil. beati- C
tudinem ſubtrahendo, vel ipſum annihilando, vel ad ſtatum viæ remittendo, in qua peccet fi-
naliter & damnetur. Item omne qd. nocet beatitudini eſt repugnans; ſed ignorantia omnis no-
Anſelmus. cet, dicente Anſel. 2. Cur Deus homo 13. Ignorātia, etſi aliquādo ad aliud non nocet, hoc ſolo
tamen nocet, quia ſcientiæ bonum aufert. Item omnis pœna eſt quædam miſeria; omnis autē
error vel ſaltem inuitus, & in rebus pertinentibus ad errantem eſt pœna, dicente Auguſt. 3. de
Auguſtinus. lib. arb. 29. Approbare falſa pro veris vt erret inuitus, non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœ-
na damnati: quare Chriſtus, Maria, & beati, toto tempore quo fuerunt beati, poſſunt fuiſſe de-
cepti, puniti, & miſeri, nec beati. Imo & iſtud videtur facere Deum iniuſtum, quia punientem
Auguſtinus. ſanctum Angelum ſine culpa. Quare & Auguſt. 11. ſuper Gen. ad liter. 30. cuilibet occurrit:
& verum eſt atq; manifeſtum iuſtitiæ ipſi eſſe contrarium vt nullo præced. merito, hoc ipſum
in quoquam Deus damnet, qd. in eo ipſe creauerit. Et ſupra 24. Nunquid Deus prius eſt vltor,
quàm Diabolus peccator? Abſit; & 3. de lib. arb. 29. Omnis pœna, ſi iuſta eſt, peccati pœna D
eſt: & 2, contra Iulian. 20. Deus iuſtus, ſi tanta paruulis mala nihil peccati trahentibus irroga-
ret, magis appareret iniuſtus: qui & infra 3.4. & multis cap. conſequenter, quarti vltimo, 5. pri-
mo, & poſt diuerſis cap ac ſexti primo, & deinceps non paucis cap. conſtantiſsimè docet idem.
Anſelmus. Anſel 2. Cur Deus homo 2. Quod autem, inquit, talis factus ſit, ſcilicet primus homo, vt
non neceſſitate moreretur, hinc facile probatur, quod vt iam diximus, Sapientiæ & iuſti-
tiæ Dei repugnat vt cogeret mortem pati ſine culpa, quem iuſtum ad æternam fecit bea-
titudinem; ſequitur ergo, quia ſi nunquam peccaſſet, nunquam moreretur; qui & Mo-
nolog. 69. dulciſsime probat idem: Quod & concorditer ſentiunt omnes Doctores Ca-
tholici, iſtam materiam pertractantes. Item ſi iſta reſponſio eſſet vera, non eſſet poſſibile
Deum beatificare quenquam perfecte: ad beatitudinem namque perfectam requiritur cer-
titudo, quod ipſa æternaliter ſit permanſura. Beatitudo namque, vt prius erat oſten-
Boetius. ſum, eſt bonum in nullo deficiens, ſed perfectum, & ſicut dicit Boetius, quo quis adep- E
to, nihil vlterius deſiderare queat. Et Anſelmus de caſu Diaboli 6. dicit quod Angeli,
qui ſteterunt, adeo ſunt prouecti, vt ſint adepti quicquid velle potuerunt, nec iam vi-
Propheta. deant quid plus velle poſsint: Vnde & Propheta, Satiabor cum apparuerit gloria tua,
Apocalypſ. Pſalmo. 16. Et Apocalypſ. 7. Non eſurient, nec ſitient amplius. Sed quis dubitauerit,
certitudinem de bono pro ſemper eſſe magnum bonum, quod omnes deſiderant & ſi-
ne quo nequeunt ſatiari, etiam ſi omnibus alijs bonis affluant quantumcunque? Quan-
*maiorem to enim plura & maiora bona habuerint, tanto * certitudinem de illis ſemper habendis
ardentius affectabunt: alioquin namq; poſſent rationabiliter & deberent aliquem metum ha-
*congrue bere, ne forte amitterent illa bona; metus autem non poteſt perfectæ beatitudini * ſocia-
Auguſtinus. ri. Vnde Auguſtinus 11. ſuper Gen. 23. & poſt conſequenter oſtendit Diabolum & primum
hominem

A hominem non fuisse plenè beatos ante suam ruinam, quia de || *ipsa* certitudinem non habe- || illa etiam
bant, qui illo 23. ita dicit, Neque sancti Angeli æternæ suæ vitæ ac beatitudinis incerti sunt.
Nam quomodo beati, si incerti ? Et infra 24. Si Deus non reuelauit Diabolo, cùm adhuc
esset Angelus bonus, quid facturus vel passurus esset, non iam plenè beatus fuit, quandoqui-
dem plenè beati de sua beatitudine certi sunt, vt eam nullus perturbet metus. Et 25. Quo-
nam modo beati possent esse non video, quibus incerta est ipsa sua beatitudo. Qui & 11. de
Ciuit. Dei 11. similem tenet processum ; Itaque beata, inquit, vita proculdubio non nisi æter-
na est, æternitatisque suæ certa atque secura : quod & eius autoritates ex eodem 11. & 12. al-
legatæ superius attestantur. Idem 13. de Trinit. loquens de beatitudine finali sic ait ; Quicquid
amabitur aderit, nec desiderabitur quod non aderit, omne quod ibi erit, bonum erit, & sum-
mum bonum Deus ipse erit, & se amantibus præsto ibi erit, & quod est omnino beatissimum,
B ita semper fore certum erit. Ad beatitudinem ergo perfectam requiritur huius certitudo :
sed Deus illam dare non potest, quia per nullam reuelationem, quia non per illam in verbo,
quæ est omnium lucidissima atque summa. Illa namque, vt dicit responsio, potest esse decep-
tio atque error ; quare per illam nullus potest de ipsa aut eius reuelato certificari perfectè; nec
per aliam, quia illa alia aut esset certa aut incerta : si incerta, non certificaret ; si certa, aut per
seipsam aut per aliam : si per seipsam, eadem ratione fuisset standum in prima, & tunc simili-
ter reuertitur difficultas : si per aliam, sic vel erit infinitus processus, vel aliqua erit certa per
seipsam, quare simili ratione & prima ; & etiam posita vna certa, quotacunque sit illa, reuer-
titur argumentum ; imò quod magis videtur absurdum, Deus nullum potest certificare de
beatitudine sua præterita vel præsenti, sicut præcedentia manifestant, quia quælibet talis re-
uelatio potest esse delusoria atque falsa. Omnis quoque beatus credit & sperat futura, & con-
tinuè prius fecit, & omnis talis credulitas atque spes potest nunc esse, & semper prius fuisse
C erronea atque falsa ; nullus ergo talis nunc est, nec vnquam fuit certè beatus ; quare nec hoc
potest certitudinaliter reuelari. Si quis autem respondeat bonos esse certos de sua beatitudine
æternaliter duratura, certitudine firmissimæ credulitatis omnem hæsitationem actualem &
metum de eius opposito excludente, eadem ratione habet concedere, quòd Deus de omni-
potentia sua non potest certificare quenquam de futuris perfectè, nec aliter quàm est dictum,
quod non videtur, quia de præsentibus & præteritis bene potest, quare & de futuris, cùm
præsentia & præterita nihil penitus ibi causent, vt potest haberi ex tricesimo & tricesimo pri-
mo huius, & maximè præterita, cùm ipsa nihil sint, quare nec causant. Si etiam præsentia
vel præterita essent certitudinis huius causa, essent & causa beatitudinis beatorum, quare &
beatificarent beatos ; Diabolus ergo & eius peccatum & pœna, ac æterna miseria beatificaret
Christum cæterosque beatos, quod est per se satis absurdum, est etiam falsum ; quia cùm sint
D finitæ virtutis in agendo, haberent terminum maximum & remotissimum actionis vltra
quem non possunt, || *sicut* videtur quasi per se notum : quod & ostendit Philosophus 1. de || quod
Cœlo 116. & Auerroes in comment. Deus autem potest beatificare, & certificare beatos de
præsentibus & præteritis talibus vltra omnem terminum assignatum ; imò non videtur quòd
& actio huiusmodi infimorum ad summum cœlum ascendat. Vel si ista præsentia vel præte-
rita in beatorum certitudine quicquam essent, Deus potest supplere causationem illorum, &
causare totum per seipsum ; nam aliàs non esset omnipotens : Quare & Stephanus Parisiensis
Episcopus damnauit articulum asserentem, quòd Deus non potest in effectum causæ secun-
dariæ sine ipsa. Quapropter & Petrus 3. sentent. distinctione vicesima sexta, dicit quòd
Christus in quo fuerunt bona patriæ credidit, & sperauit resurrectionem tertia die futuram,
sed non perfectius eam cognouit præteritam, quàm intellexit futuram. Item tunc tali cer-
titudine potuerunt boni Angeli fuisse certi de beatitudine sua futura ante confirmationem
illorum, & Sancti nunc in via, imò videtur quòd aliqui viatores habuerunt aliquam ta-
E lem certitudinem de diuersis. Vnde ad Romanos capite octauo, Certus sum, inquit Apo- *Apostolus.*
stolus, quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, nec principatus, nec virtutes, nec in-
stantia, nec futura, nec fortitudo, nec altitudo, nec profundum, neque creatura alia poterit
nos separare à charitate Dei. Et Act. 16. Visio per noctem Paulo ostensa est : vir autem *Acta.*
Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens, Transiens in Macedoniam adiuua
nos : vt autem visum vidit, statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam, certi facti, quòd
vocasset nos Deus Euangelizare eis : quare & Sapient. 7. dicitur, quòd spiritus sapientiæ *Sapiens.*
est vnicus, multiplex, subtilis, modestus, discretus, mobilis, incoinquinatus, certus. Quis
etiam Catholicus non est sic certus de articulis fidei de futuro, scilicet quòd erit finale iudi-
cium, & generalis resurrectio mortuorum, & quòd Deus vnicuique secundum opera sua
reddet ? Sancti ergo in via similem certitudinem modò habent, qualem habent & habebunt

perfectè

perfectè beati. Item hæc certitudo est certitudo spei tantùm; hæc enim in viatoribus reperitur, vt proximo est ostensum. Quare & Lumbardus 3. sentent. dist. 26. Spes, inquit, est certa expectatio futuræ beatitudinis; ergo in Christo & in alijs beatis est spes & certitudo tantummodo speratiua; quod falsum est, quia illa est imperfecta, beatitudo verò perfecta, sicut superius est ostensum. Vnde Apostolus 1. ad Cor. 13. Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est: videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum; nunc autem manent fides, spes, charitas. Quare & Petrus 3. sentent. dist. 26. proposita quæstione, Vtrum fides & spes in Christo fuerint, sic respondet; Quibusdam non indoctè videtur, fidem, virtutem, & spem in eo non fuisse, sicut & in sanctis iam beatificatis, vel in Angelis non sunt, & cùm sancti credunt & sperant resurrectionem futuram, & Angeli eandem credunt, nec tamen in eis fides vel spes virtus est, quia & Deo per speciem contemplando fruuntur, & in Dei verbo resurrectionem futuram siue iudicium, non per speculum in ænigmate, sed præclarissimè inspiciunt: Si enim quia credunt resurrectionem futuram, ideo verum est eos fidem habere, ergo ea consummata, post iudicium similiter & fidem habere dicentur, quia credent eam præteritam; sed sicuti tunc credent, nec tamen fidem, quæ fideles facit, habebunt, quia non credent absque scientia, quæ non erit ænigmatica, sed per speciem, ita & modò credunt & sperant resurrectionem, nec tamen fidem habent, quia credendo cognoscunt. Venit enim eis quod perfectum est, & euacuatum est quod ex parte est. Venit enim cognitio, & euacuata est fides; venit species, & desijt spes. Ita & Christus, in quo fuerunt bona patriæ credidit quidem & sperauit resurrectionem tertia die futuram, pro qua & orauit patrem, nec tamen fidem, virtutem, vel spem habuit, quia non ænigmaticam vel specularem, sed clarissimam habuit de ea cognitionem, quia non perfectius eam cognouit præteritam, quàm intellexit futuram: Sperauit tamen Christus, sicut in Psalmo ait, In te, Domine, speraui; non tamen fidem vel spem virtutem habuit, quia per speciem videbat ea, quæ credebat. Hugo quoque 2. de sacrament. part. 13. sentit idem; quod & concorditer sentiunt omnes Catholici Tractatores. Item si Deus nullum potest certificare perfectè, nullum potest beatificare perfectè, quia certitudo est beatissima pars totius beatitudinis, sicut ab Augustino erat superius allegatum. Cuius etiam animus habentis certitudinem tantùm prædictam, non appeteret firmiorem? Quare non plenè quietaretur, satiaretur, nec beatificaretur per illam, nec per totam beatitudinem quam haberet; quare non esset beatus perfectè, qualis tamen beatitudo in patria à fidelibus omnibus expectatur. Si enim aliqua beatitudo siue fœlicitas est perfecta, vt docebatur superius, quæ, si non illa? Quare dicit Apostolus 1. ad Corinth. 13. cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Hæc ergo responsio lumen beatorum eclipsat, visum eorum præstigiat, certitudine spoliat, totius scilicet beatitudinis beatissima portione, ad miseriam miserabiliter detrahit, & quod videtur mirabilius atque miserabilius omnium, Christum, Mariam, Sanctosque cæteros, qui ab olim beati fuerunt, facit nunquam fuisse beatos, sed miseros semper ante, locumque beatitudinis summum cœlum in infernum miseriæ locum transfert. Præterea, quod omnium videtur hæreticissimum, ista responsio habet consequenter asserere ipsum Deum posse decipi & errare. Si enim homo vel Angelus in Dei essentia potest decipi & errare, potest & Deus, cùm nihil intelligat, nisi quod & sicut in ipsa ostenditur & relucet. Hæc etiam responsio incertat Deum similiter de futuris. Nam si per cognitionem suam de futuris possit decipi circa illa, per illam non potest esse certus de illis, nec Pater de omnipotentia sua posset certificare Filium de vllo futuro: ipse enim non est certus, quomodo ergo alterum certificare valebit? Imò & si esset certus, sicut nullus dubitat quin sit certus, adhuc filium certificare non posset: non enim posset ipsum certificare, nisi per reuelationem in verbo in essentia clara Dei; sed illa non certificat, quia cum ipsa stat error; quare nec filius nec spiritus sanctus possunt certè cognoscere quodcunque futurum. Ipsi enim nihil, nec vllo modo possunt cognoscere, nisi quod, & vt à Patre recipiunt cognoscendum. Nam sicut totum esse suum habent à Patre, sic & totum suum cognoscere, & cætera vniuersa, sicut tricesimo secundi plenius est ostensum.

CAP.

A

CAP. XXXV.

Arguit contra secundam.

NEc secunda responsio potest stare, quæ dicit causam talis effectus præte-
riti posse fuisse non reuelationem in verbo, sed apparentiam, æstima-
tionem, seu opinionem creatam in proprio genere, quia illa est vel
fuit falsa si reuelatum non erit; quare possibile est Christum Mari-
am, sanctosque beatos esse deceptos & miseros, nec de beatitudine
B sua certos, cum absurditatibus alijs contra responsionem priorem
inductis. Item Paulus in proprio genere * & in actu credebat A. re- * particulariter.
uelatum fore, & illud non fuit futurum; ponatur, quia est possibile,
& huic compossibile; quare verbum non ostendit ei A. fore, sed A.
non fore; igitur simul particulariter & actualiter credebat contradictoria sub propria sua for-
ma, vnum in proprio genere, alterumque in verbo, quod est impossibile manifestum, &
contra Philosophum 2. Priorum. Item illa credulitas in proprio genere fuit vnus effectus, er-
go habuit causam, & non nisi illam reuelationem & visionem in verbo; illa enim sublata,
nulla causa sic credendi fuisset in Paulo potius quàm in Petro, & necesse est illum effectum fu-
isse, quia effectum illius, scilicet opus extrinsecum prius factum necesse est fuisse; ergo ne-
cesse est causam illius fuisse, scilicet illam visionem in verbo; vel è contra, si possibile est illam
causam non fuisse, ergo & effectum, sicut tricesimum tertium huius plenius arguebat. Nec
C potest quis dicere quòd Paulus opinabatur A. fore tantùm gratis & liberè sine causa; quia
tunc nulla est ratio, quare Paulus opinaretur potius sic quàm Petrus, nec quare Paulus potius
opinaretur A. fore quàm A. non fore, cùm nulla euidentia, nulla causa penitus sit potior pro
hoc quàm contra, imò forsitan apparentius & opinabilius ac fauorabilius est in casu A. non
fore, quàm fore. Nec potest Paulus gratis & liberè quidlibet opinari, sicut nullus ignorat,
quia nullus potest aliquid opinari, nisi appareat sibi verum, & hoc non est in cuiuslibet libera
potestate. Quare & Philosophus 2. de Anima 151. ostendit quòd phantasia non est opinio,
quia phantasia est in nobis cùm volumus, id est, voluntaria secundum Auerroem, opinio
autem non, quia necesse est quod opinatum est, esse verum vel falsum, apparere verum vel
falsum. Opinari, inquit Philosophus, non in nobis est: necesse enim verum aut falsum di-
cere. Vbi textus, quem Auerroes exponit, sic habet; Æstimare autem non est in nobis; ne-
cesse enim est aut fallari aut verari. Ponatur etiam quòd Paulus sit homo grauis & stabilis,
D nec quicquam velit aut credat ex sola voluntaria leuitate, sed ex causa rationabili præcedente;
& reuertitur argumentum. Vel etiam supponatur, quòd hoc à Deo receperit in mandato,
velitque ac credat in proprio genere, & operetur extrinsecus tantùm conformiter reuelationi
& mandato diuinis; & reuertitur difficultas. Ponatur etiam quòd tantùm sic faciens olim sit
mortuus, & in cœlo, & secundum istam responsionem nunc est possibile ipsum fecisse diffor-
miter, imò contrariè reuelationi & mandato prædictis, & semper post mortem fuisse in in-
ferno, sicut tricesimum tertium huius plenius arguebat. Hoc etiam argumentum vadit im-
mediatè contra istam responsionem, retento casu tricesimo tertio huius præmisso. Sequitur
enim quòd Paulus, postquam huius reuelationem & mandatum accepit, & paruit bene me-
rendo, & in charitate viuens ac moriens beatificè coronatur, post hoc omisisse, contrariumuè
fecisse, & semper post fuisse sine charitate in peccato mortali miser & damnatus, sicut præ-
missa deductio tricesimi tertij huius probat. Et si quis dicat non sequi nunc esse possibile
Paulum fuisse sine charitate & non saluatum, quia Deus de sua potentia absoluta potest ser-
E uare charitatem in peccante mortaliter, ipsumque talem saluare; saltem necessariò sequitur
nunc esse possibile, quòd Paulus, qui per A. actum meruit vitam æternam, per eundem pec-
cauit mortaliter, & meruit mortem æternam, faciendo scilicet illum actum contra reuelatio-
nem & mandatum Dei in verbo, & quòd Paulus, qui toto tempore post A. fuit bonus, Deo-
que charus, toto illo tempore fuit malus mortaliter odiosusque Deo; & quòd Paulus, qui to-
to tempore post mortem suam fuit beatus, toto illo tempore fuit miser: nam nulla maior mi-
seria quàm peccatum: vnde Parab. 14. Miseros facit populos peccatum. Sequitur etiam per
ratiocinationem præmissam, quòd erit in potestate Antichristi, & cuiuslibet viatoris, leges
Dei peruertere, & fidem Ecclesiæ commutare. Factis namque Paulo reuelatione & iussione

in

in verbo circa Antichristum, seu quemlibet aliũ viatorem, sicut 33. huius tangit, ipsoq; bono A & bene in charitate parente, & sic mortuo ac beatificato in cœlis, possibile est Antichristum vel alium viatorem sic facere, quòd Paulus habens charitatem non fuit bonus nec charus per illam, nec meruit, sed peccauit, & quòd beatus in cœlo fuit miser in cœlo, cum abusionibus alijs istis similibus, vertentibus, imò peruertentibus legem Dei & fidem Ecclesiæ generalem, sicut nulli Catholico scienti legem & fidem non constat: quod tamen nullus præsumet concedere, nisi discipulus Antichristi, qui sermones contra excelsum loquetur, & sanctos altissimi conteret, & putabit quod possit numerare tempora & leges contra Deum, Dan. 7. *Daniel.* Hæc autem principalis falligraphia non diffugit argumentum. Est enim possibile quod Deus reuelet Paulo in verbo A. fore, absque hoc quòd Paulus habeat talem volutionem, aut credulitatem creatam in proprio genere, sicut nullus ignorat; quod si ponatur, reponitur argumentum. Omnia namque duo omnino distincta realiter, ita quod neutrum habeat alterius vllam partem, nec sit aliqua causa eius, possunt ab inuicem separari. Omnis enim res sufficienter est habitis omnibus & solis causis & essentialibus rebus suis: si enim non esset, hoc esset propter defectum alicuius ad suum esse necessariò requisiti: Deus autem non potest à rebus existentibus separari, eò quòd sit forma necessaria, & esse quodammodo omnium, & eorum in esse necessarius conseruator, sicut secundum primi ostendit; omnes autem res creatæ omninò, id est, secundum omnes partes distinctæ realiter, etiamsi vna sit causa alterius, possunt ab inuicem separari, propter rationem præmissam, & quia Deus de plenitudine potestatis potest supplere causalitatem causæ secundæ. Hoc autem argumento fidelissimo comprobatur: in sacramento namque altaris existunt accidentia sine subiecto; multo magis ergo potest quodlibet accidens existere sine quolibet alio || *existente*, & quælibet substantia sine quolibet accidente, quælibet quoque substantia sine substantia alia creata quacunque omninò distincta. Hoc idem Philosophi, licèt obscurè, testari videntur. Aristoteles namque 7. Met. 55. reprobans volentes definire singularia, puta Solem, Peccant, inquit, additione talium, quibus ablatis, adhuc erit Sol, puta terram girans aut nocte absconditum: si enim steterit aut apparuerit, non adhuc erit Sol? Sed absurdum, si non: Sol enim substantiam quandam significat. Plato quoque similiter in Timæo ponit duas virtutes ignis, scilicet calorem & lucem, & quòd diuinæ potestates coniunctæ sunt domestico & familiari corpori oculorum, ignem perlucidum, serenum ac defæcatum sine calore peremtorio & edaci; ignis ergo secundum cum potest esse sine calore, & eadem ratione omnis substantia sine proprio accidente, & sine accidente non proprio multo magis, quælibet quoque substantia sine qualibet alia modo dicto. Quibus & concorditer Augustinus 11. de Ciuit. Dei 10. Propter hoc, inquit, natura diuina dicitur simplex, cui non sit aliquid habere, quod vel possit amittere, vel aliud sit habens illud quod habet, sicut vas || *aliquod* liquorem, aut corpus colorem, aut aer lucem siue feruorem, aut anima sapientiam: nihil enim horum est id quod habet: nam nec vas liquor est, nec D corpus color, nec aer lux, siue feruor, nec anima sapientia est. Hinc est quòd priuari etiam possunt rebus quas habent, & in alios habitus vel qualitates verti atque mutari, vt & vas euacuetur humore quo plenum est, & corpus decoloretur, & aer tenebrescat siue frigescat, & anima desipiat. Et 15. de Trinit. 13. Longè, inquit, huic scientiæ scientia nostra dissimilis; quod autem scientia Dei est, ipsa est sapientia, & quæ sapientia ipsa essentia siue substantia, quia in illius naturæ simplicitate mirabili non est aliud sapere, aliud esse, sed quod est sapere hoc est esse; nostra verò scientia in rebus plurimis præterea & admiscibilis est & receptibilis; quia non hoc est nobis esse quod scire vel sapere, quoniam esse possumus, etiamsi nec sciamus nec sapiamus. Qui & supra Iohan. partis secundæ homilia 45. seu 99. totius, Mutabilis, inquit, est mens nostra, quæ percipit discendo quod nesciebat, & amittit dediscendo quod sciebat, & ideo non est ista substantia verissimè simplex, cui non hoc est esse, quod nosse: potest enim esse nec nosse; at illa diuina non potest, quia id quod habet est, ac per hoc non sic habet scientiam, vt aliud illi sit scientia, qua scit, aliud essentia qua est, sed vtrumque vnum. E *Prosper.* Vnde & 368. propositio sententiarum Prosperi est translata. Beatus quoque Gregorius 18. *Gregorius.* Moral. super illud Iob 28. Sapientia verò vbi inuenitur, &c. sentit idem. Item verbum caro factum est ante naturaliter omnem reuelationem in proprio genere sibi factam pro nobis captiuis & miseris redimendis propter solam reuelationem æternam à Patre æternaliter sibi ostensam in essentia Dei sola, secundum capitulo proximo præostensa; ergo medio tempore, in quo simus inter incarnationem & redemptionem, possibile est eum non fuisse incarnatum, quia non habuisse illam reuelationem, quia nec humanum genus fuisse ostensum redimendum per eum, quia nunc est possibile quòd non redimatur per eum, vt dicit hypothesis principalis. Et si quis dicat, non sequi verbum nunc posse non fuisse incarnatum, sed non fuisse

|| accidente

|| aliquem

incarnatum

A incarnatum ex illa causa, scilicet pro homine redimendo, sed ex alia; ergo & post redemtionem hominis consummatam per eum, & post finale iudicium similiter poterit; vel si tunc non poterit, neque ante: voluntas enim diuina semper est æqualiter libera aut necessaria respectu illius, sicut ex tricesimo huius patet. Tunc etiam simili ratione posset Deus nunc nunquam voluisse Sacramenta Ecclesiæ fuisse instituta ad illum finem, ad quem fuerunt instituta, nec habuisse illum effectum quem semper habuerunt; quare & nunc est possibile illa Sacramenta semper fuisse delusoria, falsa, vacua, & figmenta, & homines iustificatos & ‖*saluatos* ‖ sanatos per ipsa semper fuisse peccatores atque damnatos. Item eadem ratione nunc est possibile, quòd Deus contulit alijs operationibus, rebus, aut signis quibus vsi sunt mali, omnem sacramentalem virtutem; quare & est consequenter possibile, quòd mali semper vsque nunc & in inferno damnati semper vsque nunc sint nunc boni & in cœlestibus præmiati. Sequitur etiam, sicut patet per deductionem præmissam, quòd sit in potestate Antichristi & cuiusl bet
B viatoris facere verbum fuisse incarnatum & passum ex alia causa finali quàm fuit, pro illo scilicet redimendo quem non intendebat redimere, & non pro illo redimendo quem redimere intendebat, quod non videtur sanæ fidei conuenire. Sequitur quoque fuisse & esse in hominum potestate euacuare totum effectum atque virtutem dominicæ passionis, sicut octauo huius plenius est argutum.

CAP. XXXVI.

Arguit contra tertiam.

C TErtia verò responsio ponens causam effectus præteriti visionis in verbo præteritæ posse non fuisse visionem A. futuri ostensi, sed eius oppositi, multipliciter deficit & aberrat. Primò, quia cùm Deus voluntariè tantùm reueles, licet possit esse quod non reuelauit, A. quod prius reuelauit, & si illud ponatur in esse, non oportet quod reuelauit eius oppositum; imò bene stat cum hoc quòd nihil penitus reuelauit; ponatur ergo hoc cum alio, & responsio non respondet. Secundò, quia habet dicere consequenter, quòd sicut viso aliquo in verbo, possibile est illud nunquam fuisse visum, sed eius oppositum, ita voluto aliquo in verbo, possibile est illud nunquam fuisse volutum, sed eius oppositum; quare & per talem volutionem facto aliquo intra videntem & volentem vel extra, possibile est id nunquam fuisse factum, sed eius oppositum, sicut 33. huius probat. Si autem proteruiat non esse simile de visione & volutione,
D quia prius visum potest nunquam fuisse visum, & eius oppositum, quod nunquam fuit visum potest fuisse visum; de voluto autem non sic, quia quod semel fuit volutum, necesse est semper fuisse volutum, & non volutum pari modo non volutum per 33. huius tertij conuincetur. Dato etiam hoc quod dicit, fiat reuelatio talis Paulo cum mandato volendi & agendi conformiter, qui & in omnibus pareat, tunc necesse est Paulum nunc sic velle, vel in præterito voluisse; ergo necesse est eum nunc sic videre, vel in præterito sic vidisse: hæc enim sua volutio ab hac sua visione nunc causatur, vel in præterito causabatur. Præterea vel Paulus per eundem actum, quo vidit distinctè A. fore, potest vidisse distinctè oppositum, vel per alium: si per eundem, ergo simili ratione per eundem actum, per quem voluit distinctè A. fore seu quodlibet aliud, potest voluisse distinctè oppositum, quare & non fecisse quæ fecit: si per alium, ergo vnum alium actum, qui nunquam fuit, possibile est fuisse, & qui fuit, non fuisse, contra hypothesin principalem. Item visio oppositi causasset effectum oppositum, & non illum. Si enim
E Gabriel vidisset in verbo Filium Dei non fuisse incarnandum de Virgine, nunquam illa visio causasset in eo voluntatem adeundi Virginem benedictam, & nuntiasse quæ fecit, sed ‖*potiùs* ‖ magis nullam, vel oppositam voluntatem. Christus etiam si non vidisset in verbo passionem suam futuram, sed eius oppositum, non habuisset causam tantæ tristitiæ sanguineique sudoris. Paulus similiter si vidisset in verbo se saluandum, magnam delectationem creatam in proprio genere habuisset; si verò vidisset oppositum, magnam tristitiam habuisset. Item hæc responsio difficultatem non vitat. Detur enim reuelatio talis Paulo cum mandato volendi concorditer & agendi, qui plenè obediat, & mortuus sic saluetur; & secundum istam responsionem nunc est possibile, quòd nunquam vidit illam visionem seu iussionem in verbo, sed oppositum

tum vtriusque; & nunc necesse est ipsum sic fuisse operatum exterius; quare nunc est possibile ipsum fecisse contra reuelationem & visionem in verbo, peccasse mortaliter, fuisseque miserum & damnatum. De Gabriele similiter medio tempore inter annuntiationem & incarnationem fuit possibile quòd mentiebatur: nam quando dixit Virgini gratiosæ, Ecce concipies, possibile fuit quòd pro tunc non vidisset illud in verbo, sed oppositum eius planè; quare fuit similiter possibile, quòd ille beatissimus Archangelus Domini fuit miserrimus Angelus Satanæ, quia mentiens contra tantam & tam lucidam veritatem, mortaliterque peccauit. Affirmet hoc qui audet: ego autem propter reuerentiam veritatis hæc omnia ostendentis, propter reuerentiam mittentis & illius ad quam fuit missus, ac propter reuerentiam missi & ipsius propter quem fuit missus, non audeo talia affirmare. Ex hoc autem sequitur, quòd beati finaliter confirmati possunt peccare; quare nec sunt finaliter confirmati, contra decimum quintum secundi. Et ex isto infertur vlterius, quòd beati non sunt, nec esse possunt de beatitudine sua certi. Quomodo namque creatura peccabilis in statu peccabili, quia non confirmata finaliter, de nunquam peccando, & de beatitudine perpetua erit certa? Nec alium statum firmiorem aut certiorem potest Deus beatis conferre. Si etiam Deus posset certificare beatum de beatitudine sua futura, hoc maximè esset per aliquam reuelationem in verbo; sed nulla talis certificat, quia quæcunque talis, etsi nunc sit vnius oppositorum, potest nunc & pro nunc non esse illius, sed eius oppositi; imò quod magis videtur erroneum, nec Deus potest certificare beatum de beatitudine sua præterita nec præsenti. In hoc enim instanti præsenti ponatur, in quo beatus Gabriel nuntiat Virgini gratiosæ quòd est filium conceptura, possibile est eum nunc mentiendo peccare, in præteritoque peccasse à tempore quo voluit hoc scienter: possibile enim est, quòd nunc videat, & continuè prius vidit oppositum huius in verbo; nullus ergo || *beatus* est certus, nec esse potest de beatitudine sua futura, præterita, vel præsenti, contra prius ostensa tricesimo quarto huius.

|| homo

CAP. XXXVII.

Arguit contra quartam.

QVarta autem responsio dicens incomplexam & simplicem visionem simplicis obiecti in verbo posse fuisse causam talis effectus præteriti, simpliciter multum dicit. Sola namque cognitio incomplexa obiecti non mouet sufficienter quempiam ad agendum, puta ad loquendum, currendum, ædificandum, & similia faciendum, sed vltra illam requiritur de necessitate voluntas, sicut octauum primi docebat. Item quidam effectus non voluntarij, puta, delectatio, tristitia, confidentia, timor, dilatatio, constrictio, & cæteræ passiones huiusmodi corporales non causantur, vel non in tanto gradu, & tam vehementer causantur à sola incomplexa cognitione obiecti, siue æstimatione aut opinione quòd illud eueniet cognoscenti, & hoc de propinquo. Omnes enim scimus, quòd moriemur, sed non multum dolemus aut timemus, quia non opinamur quod statim: hæc enim singuli possumus experiri. Quare & Philosophus 2. de Anima 152. probat phantasiam, seu imaginationem non esse opinionem, per hoc, quia cùm opinamur terribile aliquid nobis accidere, statim compatimur; cùm autem imaginamur tantùm, nequaquam; sicut si consideremus terribilia in pictura. De talibus ergo effectibus ista responsio non respondet. Item ponatur obiectum visum in verbo, vnus effectus contingenter futurus, puta saluatio vel damnatio sic videntis, vel alterius cari sui, tunc illud obiectum potest non esse & nunquam fuisse visum, quia nec ostensum in verbo; ergo quilibet eius effectus præsens vel præteritus potest pro nunc non esse præsens nec fuisse præteritus consequenter. Vel etiam ponatur illud obiectum visum in verbo, vna reuelatio in verbo de aliquo contingenter futuro; reueletur siquidem Danieli in verbo, Ieremiam videre vel vidisse in verbo A. crastina die fore, &c. sicut prius.

Philosophus.

CAP.

A

CAP. XXXVIII.

Arguit contra quintam.

REſponſio verò quinta, quæ ponit libertatem voluntatis creatæ poſſe,
fuiſſe, vel eſſe cauſam effectus huiuſmodi præteriti vel præſentis, vide-
tur multum liberè dicere ſine actione aliqua rationis; nec enim diffi-
cultatem euacuat, nec eſt vera. Non euacuat difficultatem præmiſ-
B ſam: ponatur namque quod præcipiatur videnti in verbo velle & o-
perari tantum conformiter viſioni &c. ſicut triceſimum tertium, &
triceſimum quintum huius plenius arguebant, & reuertitur difficul-
tas. Nec eſt reſponſio iſta vera; quoniam aliqui ſunt effectus cauſati
à ſola viſione aliquorum obiectorum in verbo ſine quacunque operatione libera voluntatis,
ſicut triceſimo tertio huius patet.

CAP. XXXIX.

C

Arguit contra ſextam.

SExta quoque reſponſio aſtruens Deum per ſe ſolum poſſe eſſe aut fuiſ-
ſe cauſam totalem effectus ſæpius memorati, præſentis aut præteriti,
non eſt vera; quia ſecundum ipſam eſſet poſsibile hominem, qui ex
viſione & mandato in verbo orauit, cucurrit, prædicauit, domos con-
ſtruxit, & filios procreauit, nihil horum feciſſe, ſed Deum feciſſe ſin-
gula per ſe ſolum. Quare & erit conſequenter poſsibile deuirginatos
reuirginari per ſuam actionem vel quietionem liberè & contingenter
futuram; eritque ſecundum iſtud tanta contingentia reſpectu præſen-
tium & præteritorum, ſicut reſpectu futurorum. Facta namque ho-
mini viatori reuelatione in verbo de aliquo effectu, qui ſit A. per eum libere & contingenter
D futuro, ipſoque ex illa reuelatione faciente alium effectum ante A. puta B. medio tempore
poſt B. & ante A. vel dum B. fit, ſicut contingit ipſum facere vel non facere A. futurum; ſic
& contingit ipſum feciſſe vel non feciſſe, B. præteritum, vel facere & non facere, B. nunc præ-
ſens, ſicut ex triceſimo tertio huius patet. Item ſecundum iſtud poſsibile eſt hominem qui ex
tali reuelatione meruit, vel contra eam peccauit, & fuit iuſtus vel iniuſtus, ſaluatus vel dam-
natus, præmiatus vel punitus, beatus vel miſer, in cœlo ſurſum vel in inferno deorſum, nun-
quam ſic feciſſe, nec talia recepiſſe. Item eadem ratione, qua eſt poſsibile Deum ſolum feciſſe
quod fecit cum cauſa rationali ſecunda, erit & ſimiliter poſsibile ipſum ſolum feciſſe quicquid
fecit cum cauſa irrationali ſecunda; ergo quicquid Deus fecit cum quacunque cauſa ſecunda,
poſsibile eſt ipſum ſolum feciſſe, & nullam cauſam ſecundam vnquam feciſſe aliquid vel mo-
uiſſe. Item ſi ea, quæ Deus non fecit ſolus, poteſt feciſſe ſolus, ſimili ratione ea, quæ non fe-
cit cum alio nec ſolus, poteſt feciſſe, quoniam alterius iuuamento non eget, quare & quæ fe-
E cit poteſt ſimiliter non feciſſe; quæ omnia repugnant planiſsimè hypotheſi principali.

A

CAP. XL.

Corripit negantes reuelationem in verbo.

HIs igitur contra concedentes reuelationem in verbo hactenus diſputatis, ſupereſt contra ipſos, qui in verbi iniuriam & noſtri miſeriam eam negant, eandem verbis aliquibus, prout ipſum verbum dederit, affirmare. Sunt enim quidam huius hypotheſis defenſores, qui rationes præmiſſas de reuelatione in verbo ſoluere non valentes, & hypotheſin relinquere non volentes, ad aliam partem, ſiniſtram ſcilicet biuij huius tendunt, dicendo nullum complexum de futuro contingenti poſſe reuelari in verbo. Quomodo namque non redundat in verbi iniuriam ipſum omnipotentia ſpoliare, ipſumque non poſſe amatoribus ſuis chariſsimis ſeipſum oſtendere per ſeipſum? Quomodo etiam non redundat in noſtri miſeriam finali beatitudine nos priuare? Hæc enim conſiſtit in || ***huiuſmodi*** viſione, ſicut nedum Theologi, verum & Philoſophi locis quampluribus conteſtantur. Sed hi forſitan reſpondebunt fœlicitatem & beatitudinem noſtram finalem conſiſtere in viſione Dei incomplexa, non autem complexa, id eſt, Beatus videbit incomplexè in Dei eſſentia, & in verbo ipſam Dei eſſentiam, & quamlibet perſonarum, & incomplexa quæ in ea relucent; complexionem tamen ſeu compoſitionem aut propoſitionem imaginariam, ſiue affirmationem vel negationem de futuris contingentibus, ſcilicet Deum affirmare intrinſecus, ſicut Pater affirmat Filio, quicquam fore vel non fore, in verbo ſeu eſſentia reuelari non poſſe; in proprio autem genere, bene poſſe: quare & dicunt C omnia talia reuelari per propoſitiones, habitus, actuſq; creatos in proprio ſcilicet genere, nec poſſe aliter reuelari. Sed ſi futurum contingens non poſsit reuelari creaturæ in Dei eſſentia ſeu in verbo, vel hoc eſt propter impotentiam in Deo, vel propter impotentiam in futuro, vel propter impotentiam in creatura. Non propter impotentiam in Deo, cùm ſit omnipotens, cùm etiam Pater reuelet talia Filio in eſſentia ſua clara, ſicut patet 34. huius. Poteſt quoq; Deus ſic reuelare incomplexa, quare & complexa ſimili ratione: non enim eſt menſuratæ potentiæ aut reſtrictæ: Nec propter impotentiam in illo futuro; illud enim poteſt in Dei eſſentia reuelari; in ipſa namq; Filio reuelatur. Illud quoq; verum de futuro veriſsimè, certiſsimè, ac clariſsimè ſcribitur in libro diuinæ præſcientiæ; cur ergo non poteſt ibi ſimiliter reuelari? Cùm etiam illud verum ſit ibi certius & verius, quàm in aliqua propoſitione creata, poteſt & ibi certius & verius reuelari. Neq; propter impotentiam || ***creaturæ***, quia ſi ſit ita, augeat Deus omnipotens, quantum oportet, potentiam creaturæ: poteſt quoq; creatura videre in verbo rem D incomparabiliter altiorem, ſubtiliorem & difficiliorem quodammodo infinitè, trinitatem videlicet perſonarum in eſſentiæ vnitate. Quod enim nunc credimus, tunc videbimus clara luce, ſicut Patres Catholici concorditer atteſtantur, poteſtq; creatura videre in verbo quælibet incomplexa; quare ergo non ſimili ratione complexa? Si autem dicatur creaturam non poſſe videre futura in verbo propter nimiam eius improportionem, diſtantiam, & elongationem à verbo, poteſt ei contradici vt prius. Deus namq; omnipotens poteſt eleuare creaturam in naturalibus vel ſupernaturalibus quantum oportet; quare & multi Doctores non indoctè ponunt quoddam lumen ſupernaturale creatum, quod vocant lumen gloriæ eleuans intellectum creatum ad beatificam viſionem beatifici luminis increati; quod & Propheta videtur patenter docere, cùm dicit, Apud te eſt fons vitæ, in lumine tuo videbimus lumen, Pſalmo 35. Hac etiam improportione & diſtantia non obſtante, poteſt creatura videre in verbo quælibet incomplexa; cur ergo non iſta complexa? Item creatura poteſt videre in verbo rem contin- E genter futuram eſſe quando eſt, & fuiſſe cùm præterierit; cur ergo non fore quando eſt futura, præſertim cùm verum huiuſmodi ſemper omni eodem modo intrinſecè ſit verum, & ſcriptum ac lucens in verbo, ſiue res ſit futura, ſiue præſens in præteritumuè tranſmiſſa? Aliàs enim Deus intrinſecè mutaretur, contra quintum & viceſimum tertium primi libri, quod etiam ex 30. 31. & 32. huius oſtenditur euidenter. Item complexa neceſſaria de futuro, & quæcunque alia complexa neceſſaria poſſunt reuelari in verbo; cur ergo nullum futurum contingens, cùm omnia vera || *ibi ſimiliter conſcribantur*? Dicetur fortaſsis quòd omnia vera neceſſaria, & omnia vera de præſenti & de præterito habent cauſam determinatam, & certam, & ſimili modo ſunt vera; quare & poſſunt determinatè & certè reuelari in verbo;

|| huius.

|| in creatura.

Reſponſio.

Contra.

Propheta.

|| ibi ſint ſimiliter vera.

Reſponſio.

A verbo; futura autem contingentia non sic habent, nec sic sunt vera, quare nec sic possunt reuelari in verbo. Hoc autem non est verum: voluntas enim diuina immutabilis est causa determinata & certa omnium contingentium futurorum, per quam & ita determinate & certe sciuntur à Deo, & ita determinata & certa sunt in eo quando sunt futura, sicut quando sunt præsentia in præteritumue defluxa, sicut per 14.18. ac 23. primi, & per 30. ac 32. huius apparet. Potestque Deus ostendere creaturæ in verbo se velle tale futurum fore, quare & facere eum præscire in verbo illud fore, imo & scire verissime ac demonstratiue quodammodo, quia per causam verissimam & infrustrabilem, diuinam scilicet voluntatem. Item diuina essentia est similior, propinquior, & proportionalior menti nostræ quam qualitates, propositiones, habitusue creati; ambæ namque sunt substantiæ, & substantiæ immateriales plurimumque cognatæ. Quare & Philosophus 10. Eth. 13. Si, inquit, quædam cura humanorum à dijs fit, quemadmodum videtur, erit vtique bene rationabile & gaudere ipsos optimo & cognatissimo; hoc autem est intellectus: homo quoque, Genesi attestante, ad imaginem & similitudinem Dei est factus, & hoc potissime in anima rationali, sicut quamplures Patres Catholici contestantur, quare & est finis naturalissimus & desideratissimus mentis nostræ. Si ergo hæc sint ita, in ipsa quoque diuina essentia clarius, verius, & certius conscribuntur & lucent omnia vera complexa, sicut & incomplexa, quam in aliqua propositione creata, quam in aliquo habitu, quam in aliqua creatura; cur ergo mens nostra nequaquam clarius, verius, & certius ibi videbit, poteritque videre quæcunque vera complexa, sicut incomplexa, quam in aliqua creatura, præsertim cum mens nostra ab omni mole corporis aggrauantis, ab omnibus phantasmatibus obnubilantibus, ab omni rubigine & caligine, ab omni scoria atque miseria plenissime fuerit expurgata, & supra solis splendorem deificè transformata? Quod & de Angelis omnibus, aliquoue eorum, de quo Ezechiel. 28. Tu signaculum, similitudinis &c. similiter vel fortius argui forte potest, cum videatur propinquior ad similitudinem Dei factus, dicēte Gregorio 32. Moral. 23. super illud Iob. 40, Ipse est principium viarum Dei; licet homo ad similitudinem Dei creatus sit, Angelo tamen quasi maius aliquod tribuens, non eum ad similitudinem Dei conditum, sed ipsum signaculum Dei similitudinis dicit, vt quo subtilior est natura, eo in illum similitudo Dei plenius credatur expressa. Dicitque Isidorus 1. de summo bono 10. Distat conditio Angeli à conditione hominis: Homo enim ad similitudinem Dei conditus est, Archangelus vero, qui lapsus signaculum Dei similitudinis appellatus est, testante Deo per Ezechielem, Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, perfectus decore, In delicijs paradisi fuisti; quanto enim subtilior est eius natura, tanto plenius extitit ad similitudinem diuinæ veritatis expressa. Cum etiam Deus sit finis naturalissimus mentis nostræ, nec possit perfici nisi in coniunctione eius perfecta cum eo, quomodo secundum vnam eius ‖ *potentiam, quæ est apprehensiua simplicium*, perficietur coniuncta perfecte cum Deo? perfecte, quia per Dei essentiam incomplexa & simplicia contemplando: secundum alteram vero eius potentiam etiam nobiliorem, quæ componit & diuidit simplicia in complexa, manebit æternaliter imperfecta? Imo nec potest perfici in æternum, vel saltem non in tantum perficietur, nec potest sicut alia potentia soror sua ignobilior quoque illa, cum nullum verum complexum possit videre in Deo? Imo hæ duæ potentiæ intellectus creati proportionales videntur potentiæ intellectus diuini apprehendenti simplicia, & potentiæ componenti simplicia apprehensa, loquendo multum impropriè de potentia componente in Deo, sicut balbutiendo vix possumus Dei magnalia vel tenuiter resonare, sicut 18. primi plenius tangebatur; quare & sicut hæc, ita ista perficietur finaliter contemplando in ipsa incomplexe quodammodo incomplexa, sic & altera in illa contemplando complexè quodammodo complexa. Ita namque vna pars imaginis est perfectibilis finaliter sicut altera, & ita finem naturalem & proprium consequetur: Item aliter Deus omnipotens nullum beatum potest certificare de sua beatitudine æternaliter duratura, nec de futuro aliquo contingente. Si enim possit, ponatur; vel ergo illud certe reuelatum necessario eueniet, vel nequaquam. Non necessario eueniet, sicut positio ista ponit; potest ergo nullatenus euenire, quare & iste beatus potest decipi & errare, & nunc non esse beatus, nec vnquam prius fuisse, sed nunc esse miser & semper prius fuisse, cum absurditatibus alijs multis & magnis, sicut potest patere ex 34. huius. Cuius etiam animus non desiderat certitudinem infallibilem de sua beatitudine æternaliter duratura? Dicere ergo nullum certitudinem talem posse habere, est omnem creaturam rationalem beatitudine sua priuare, sicut ex eodem 34. patet. Secundum hoc quoque beati nunc in cœlo non sunt certi de finali iudicio, resurrectione mortuorum, & beatitudine sua futura, nisi certitudine fidei seu spei, contra prius ostensa 34. huius. Isti quoque nituntur decipere veritatem, Dominum scilicet Iesum Christum, saltem secundum naturam suam humanam. Si enim tantùm in proprio genere videat

Margin notes: *Contra.* — *Philosophus.* — *Genesis.* — *Gregorius.* — *Isidorus.* — ‖ potentiam apprehensiuam simplicium

deat res contingenter futuras, cùm illæ possint non fore, potest & Christus decipi & errare; A
quod quis Christianus, nisi fortè deceptus & errans, præsumpserit affirmare? Nec potest quis vitare deceptionem dicendo huiusmodi visionem in Christo alijsque beatis vnius oppositorum posse fuisse alterius, non illius, sicut patet tricesimo sexto huius. Isti similiter priuant beatos nedum certitudine scientiæ, verùm & multitudine: ad beatitudinem namque perfectam scientia perfecta requiritur, non solùm quantum ad claritatem scientiæ, sed etiam quantum ad multitudinem scitorũ; beatus ergo perfectè scit omnia. Quomodo namq; aliter decipi non valeret, & quomodo aliter non haberet malum & tenebras ignorantiæ, & quomodo aliter nõ posset semper studere, proficere, & vlterius laborare? Hoc autem non est de ratione finis, sed
Augustinus. viæ. Quare & Augustinus 15. de Trinit. 16. Cùm, inquit, tanta sit nunc in isto ænigmate dissimilitudo Dei, in qua tamen nonnulla similitudo comperta est, illud quoque fatendum est, B
quod etiam cum similes ei erimus, quando eum videbimus sicuti est, quod vtique qui dixit, hanc proculdubio quæ nunc est dissimilitudinem attendit, nec tunc naturâ illi erimus æquales (semper enim natura minor est faciente quæ facta est) & tunc quidem verbum nostrum non erit falsum, quia neque mentiemur, neque fallemur; fortasis etiam non erunt volubiles nostræ cogitationes ab alijs in alia euntes atq; redeũtes, sed omnẽ scientiã nostrã vno simul conspectu videbimus. Et quomodo aliter satiaretur appetitus beati, quo quamcunq; propositam vellet cognoscere, saltem mallet cognoscere quam non cognoscere veritatem? Et quomodo aliter erit beatitudo bonum omniquaque perfectum, sicut hæc omnia magis patent ex tricesimo quarto huius? Quomodo namque beatus omnia scire potest actualiter aut habitualiter in proprio genere? Hoc enim non posset nisi per propositiones & actus & habitus infinitos; sed sic non potest; non ergo potest omnia clarè scire, nisi per diuinam essentiam omnia clarisimè demonstrantem, nisi per librum diuinæ scientiæ omnia clarisimè continentem, nisi per diuinæ maiestatis speculum, in quo omnia clarè lucent, nisi per diuinæ virtutis ocu C
Philosophus. lum, cui omnia clarè patent. Quare & Philosophus 1. de Anima 65. Si, inquit, accipiat senior oculum iuuenem, videbit vtique sicut & iuuenis: Vbi & textus, quem Auerroes exponit, Senex, inquit, si reciperet oculum iuuenis, videret sicut iuuenis; quare & si homo vel Angelus accipiat oculum Dei, videbit quodammodo sicut Deus. Annon sic potest intelligi
Esaias. illud propheticum, Oculo ad oculum videbunt? Es. 52. & illud, Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te, infra 64? Dominus illuminatio mea, Psal. 26. & multa similia multis locis? Quamobrẽ & Philosophi asseuerant hominẽ debere tandẽ scire omnia per substantiam intellectus agentis, per substantiam ipsam Dei, & hanc esse fœlicitatem eius
Auerroes. vltimam & perfectam. Auerroes enim super 3. de Anima comment. 36. loquens de copulatione & continuatione intellectus agentis nobiscum, dicit quòd quandoque dicimur moueri ad continuationem huius, & addit; & manifestum est, quòd cùm ipse motus complebitur, quòd statim ille intellectus copulabitur nobiscum omnibus modis; & tunc manifestum est, quòd proportio eius ad nos in illa dispositione est sicut dispositio intellectus D
quæ est in habitu ad nos; & cùm ita sit, necesse est vt homo intelligat per intellectum sibi proprium omnia entia, & vt agat actionem sibi propriam omnibus entibus, sicut intelligit per intellectum qui est in habitu, quando fuerit continuatus cum formis imaginabilibus, omnia entia intellectione propria: Homo ergo secundum hunc modum, vt dicit
Themistius. Themistius, asimulatur Deo, scilicet in eo quod est omnia entia quoque modo, & sciens ea quoquo modo. Entia enim nihil aliud sunt quam scientia eius, nec causa entium aliud est nisi scientia eius; & quam mirabilis est iste ordo, & quàm extraneus est iste modus essendi? Qui-
Augustinus. bus & concorditer Augustinus De gaudijs iustorum, & pænis malorum, siue de triplici habitaculo, dicit, quod in vita futura, in vrbe regia fulgebunt iusti sicut Sol, sicut ait Dominus, vbi summa pax erit, summa quies, nullus labor, nullus dolor, nulla paupertas, nec senectus, nec vlla nox, nec vlla mors, nec vllum cibi desiderium, nullum sitis incendium, sed cibus & potus E
omnium erit visio Christi & sanctæ Trinitatis, & contemplatio puri cordis oculo ipsius diuinitatis, & asidua lectio, vt ita dicam, libri vitæ, id est, æternæ veritatis, & summæ sapientiæ, & verbi Dei, quod est Iesu Christi visio; vbi quicquid nos latet nunc, manifestum erit tunc, vbi ratio manifesta erit; cur hic electus est, & ille reprobatus, cur hic in regnum assumptus est, cur ille in seruitutem redactus, cur alius in vtero moritur, alius in infantia, alius in iuuentute, alius in senectute, cur alius pauper est, alius diues, cur filius adulterę baptizatur, & aliquando filius legitimæ coniugis ante baptismum moritur, cur qui benè incipit viuere aliquando malè finitur, & qui malè incipit sæpe bene finitur; hæc omnia & huiusmodi
Augustinus. multa in libro vitæ plana & aperta erunt. Et infra, in visione Dei trina scientia noscitur, id est, homo qui cernit, Deus qui cernitur, & cæteri omnes, omnia videbuntur

&

A &intelligentur. Sicut enim per speculum vitreum trina nobis visio administratur, quia nos ipsos, & ipsum speculum, & quicquid præsens adest videmus: sic per speculum diuinæ claritatis & ipsum Deum, vt est, videbimus quantumcunque possibile est creaturæ, & nos ipsos & cæteros vera & certa scientia cognoscemus. Qui & vlt. de ciuit. Dei 28. Si, inquit, Propheta Elizeus puerum suum Giesi absens corpore vidit accipientem munera, quanto magis in illo corpore spirituali videbunt sancti omnia? An hoc est quod Mosi desideranti videre faciem & gloriam Domini, Dominus promittebat, Ego ostendam omne bonum tibi, Exod. 33. Glossa, Requiem æternam, in qua est omne bonum in visione Dei, sicut Psalmista ait, Satiabor cum apparuerit gloria tua. Beatus quoque Gregorius 4. Dial. 22. loquens de Sanctis in cœlo, quid est, inquit, quod ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt? *Gregorius.* Respondebitur forsitan, sicut videtur, Petrum respondere 2. sent. dist. 11. vlt. quod Gregor. loquitur ibi de Angelis, & cum innuit, quod sciunt omnia, intelligit solum de his omnibus quorum cognitio facit cognitorem beatum, de his videlicet, quorum cognitio est de substantia beatitudinis, cuiusmodi est mysterium trinitatis. *Responsio.*

B Sed respicientibus processum Gregorij plane constat ipsum ibi loqui de hominibus & de cognitione hominum, mutuò etiam hominum extraneorum & ignotorum semper ad inuicem in hac vita. *Contra.* Quærit namque Petrus, si vel boni bonos in regno, vel mali malos in supplicio agnoscunt, & loquitur de hominibus manifestè. Vbi & Gregorius respondendo ostendit quod sic tam de bonis quam de malis, & hoc tantum de hominibus, & subiungit; fit autem in electis quoddam mirabilius, quia non solum eos agnoscunt quos in hoc mundo nouerunt; sed velut vicinos suos ac cognitos recognoscunt bonos, quos nunquam viderant. Nam cum antiquos Patres in illa hæreditate æterna viderint, eis incogniti per visionem non erunt, quos in opere semper nouerunt. Quia enim illic omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt? Anselmus insuper de similitudinibus 57. dicit quòd octaua pars beatitudinis est sapientia, & addit; Bonus enim perfecta, quæ Deus est, *Anselmus.*

C sapientia replebitur, eamque facie ad faciem intuebitur, quam cùm ita prospexerit, creaturæ totius naturam videbit, quæ in Deo melius quàm in seipsa consistit. Tunc etenim iusti cuncta scient quæ Deus fecit scienda, tam ea quæ præterita, quàm quæ postmodum sunt futura: ibi à singulis omnes, ibi ab omnibus singuli cognoscentur, nec quenquam omninò latebit qua patria, stirpe, quis editus fuerit, vel quid in vita sua fecerit. Item quis Theologus negare præsumserit Christum secundũ naturam assumptam omnia verè scire, cùm hoc tam ratio, quàm multiplex Patrum autoritas contestetur? Ipsi namque datus est spiritus non ad mensuram, Ioh. 3. & hoc secundum omnia dona sua; in ipso quoque, teste Apostolo, complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare corporaliter, ad Col. 1. In quo etiam secundum eundem sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, infra 2. Hoc idem & Hugo de sancto Victore in quodam libello responsiuo Magistro Gualtero de Mauritania multipliciter nititur approbare, & pertinaciter affirmare. *Hugo.* Quæsiuit siquidem Gualterus, vtrum anima

D Christi tantam habeat penitus scientiam & sapientiam, quantam habet diuinitas? Qui opinabatur & arguebat quòd non, quia beatitudo consistit in notitia, dicente Domino, Hæc est vita æterna, vt cognoscant, &c. Si ergo anima Christi haberet æqualem notitiam cum diuinitate, haberet & æqualem beatitudinem, æqualem charitatem, & cætera bona in quibus beatitudo consistit. Item aliàs falsum esset Deum in omni bono maiorem habere sufficientiam, quàm eius creaturam. Quibus nequaquam obstantibus, tenet planè quod sic; quia anima Christi sic nouit omnia non per habitus, actus, aut actum aliquem, sed per ipsum Deum, per essentiam ipsam Dei; quod & de beatitudine nostra sentit; vnde sic ait, Hæc est, inquit, vita, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum: cognitio itaque Dei vita æterna est. Et quid est cognitio Dei? Nunquid accidens est? Ergo amor Dei accidens est, & beatitudo accidens est, & in accidentibus est beatitudo nostra; quare non magis Deus sit beatitudo nostra, ipse sapientia qua cognoscimus, ipse amor quo diligimus, ipse gau-

E dium quo exultamus, ergo vna sapientia est qua omnes sapiunt: nec tamen vno modo sapiunt, quia participando sapiunt; quòd si omnes hac sapientia sapiunt quicunque sapiunt, multò magis hac sapientia sapuit illa anima quæ ipsi sapientiæ vnita fuit. Et infra Apostolus testatur plenitudinem ibi esse, & nos dicimus, quia tota sapientia non est in domo sua, ergo dimidia intus habitat, & dimidia foris. *Hugo.* Et vbi quæritur, si domi non inuenitur, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter? Vbi plenitudo est, nihil deest; vbi nihil deest, totum adest; si fortè plenitudo diuinitatis ibi est, & plenitudo sapientiæ ibi non est? Dicit iterum, In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Sed dicitis bene, Omnes sapientiæ thesauri & scientiæ ibi sunt, sed absconditi sunt, portat, & nõ videt. Absit autẽ ab intellectu nostro, vt sic sentiamus; sed absconditi sunt, nõ vt ab eo abscõdãtur, sed ne ab impijs in eo

 videantur,

videantur, abſconditi ſunt & reconditi ſunt; reconditi ſunt vt tempore opportuno proferantur. A
Hugo. Et infra, vidit Chriſtus in diuinitate, vidit & in humanitate, tamen ex diuinitate: erat enim plenitudo diuinitatis in anima Chriſti, & ex plenitudine ſapientiæ plene ſapiens erat anima Chriſti; ergo inquiunt, tantam ſapientiam habet anima Chriſti quantam Deus habet. Quid facit comparatio? Vnus ſolus eſt, vna eſt ſapientia Dei, qua ſapiens eſt anima Chriſti, nec participando ſapiens, vt hoc vel illud in illa & per illam ſapiat, ſed plenitudinem habendo, vt totum poſsideat. Non ergo tanta dicamus aut quanta, ſed dicamus tota ſapientia Dei in anima Chriſti, & ex tota ſapientia Dei anima Chriſti ſapiens eſt, nec tamen æqualis Deo anima Chriſti eſt, quia ſapientia Dei non eſt; illic gratia, hîc natura; & idem illic gratia quod hîc natura. Et infra reſpondendo ad primum argumentum Gualteri dicit, Et ſi anima Chriſti habeat æqualem ſcientiam cum diuininitate, non propterea oportere ipſam habere æqualem beatitudinem, quia beatus eſt habere bonum per naturam, & ex ſe, & eſſe illud, quam habere illud per gratiam & ab alio, & non eſſe illud. Et infra reſpondendo ad ſecundum, ſic ait, Poſtea adiecistis, ſi anima Chriſti æqualem cum Deo habeat || *ſcientiam*, falſum erit Deum in omni bono maiorem habere ſufficientiam quam eius creaturam, & deinceps, ſicut non poteſt creatura æquari Creatori, ita nec bonũ vnius bono alterius; ſed hoc bene & veraciter ibi dicitur, vbi creaturæ bonum aliud atq; diuerſũ à bono Creatoris inuenitur; vbi vero vnũ & idẽ ipſũ eſt, maius aut minus eſſe qui poteſt? Quod eſt enim verũ bonũ creaturæ præcipuè rationalis aliud præter Deum? aut qd. eſt bonum Dei aliud præter ipſum? Si ergo verum & vnicum bonum creaturæ Deus eſt, & bonum Dei aliud præter ipſum eſſe non poteſt, nunquid idcirco Deus minor aut maior ſeipſo eſt, quia creaturæ ſuæ pariter & ſuum bonum ipſe eſt? Ceſſet ergo tandem tam crebra repetitio comparationis, vbi ſingularitas eſt vnitatis. Et infra in fine, quid neceſſe eſt ſingula proſequi? Breuiter vobis quid mihi in hac re ſentiendum eſſe videtur, oſtendam; Plenam ac perfectam, & totam Dei ſapientiam in anima Chriſti fuiſſe credimus, & ex ipſa ſapientia animam eandem plenè ac perfectè ſapientem, non ex ipſa participando, ſed totam poſsidendo, quia ſecundum plenitudinem accepit: Iohannes autem, qui erat lucerna ardens & lucens, ex parte comprehenderat; anima ergo Iohannis de plenitudine accepit; anima Chriſti plenitudinem comprehendit. Quicunque autem in eo perſiſtunt, vt hoc aſſerere contendant, quòd alia fuerit ſapientia illa, qua anima Chriſti ſapiens extitit, alia quæ animæ Chriſti vnita fuit, ego præiudicium nemini facere volo; videant ipſi quo ſenſu hoc aſſerant, ne fortè carnalis ſit magis ſua quàm vera pronuntiatio. Hoc vnum ego indubitanter affirmo, quòd aut alia ſapientia præter diuinam in anima Chriſti non fuit, aut ſi alia fuit, æqualis illi non fuit; hoc credenti qui non credit, non bene credit; ad cætera ego non cogo, ſed ſuadeo.

|| ſapientiam

Hugo. B C

Petrus. Hoc idem & Petrus 3. ſentent. diſt. 13. & 14. per rationes & autoritates Doctorum oſtendit, vbi & diſt. 14. quibuſdam obijcientibus ſic reſpondet, Reſpondentes dicimus animam Chriſti per ſapientiam gratis datam in verbo Dei cui vnita eſt, quod etiam perfectè intelligit, omnia ſcire quæ Deus ſcit. Angeli quoque beati omnes vel aliqui omnia ſciunt in verbo, vel ſaltem ſcient finali beatitudine conſummata: aliter enim poſſent Angeli homineſque beati ſemper proficere addiſcendo tam per ſtudium proprium, quàm per reuelationem diuinam, quare nunquam eſſent perfectè beati. Nec aliquis hoc concedit; dicitque Robertus Lincolnienſis ſuper 1. Poſter. 14. quòd intelligentiæ recipientes irradiationem à lumine primo vident in eo omnes res ſcibiles vniuerſales & particulares. Dicitque Gregorius ſuper illud Luc. 15. Quæ mulier habens drachmas decem? &c. homilia 34. Cherubin plenitudo ſcientiæ dicitur, & ſublimiora illa agmina || *merito* Cherubin vocata ſunt, quia tanto perfectiore ſcientia plena ſunt, quanto claritatem Dei vicinius contemplantur, vt ſecundum creaturæ modum eo plenius omnia ſciant, quo viſioni conditoris ſui per meritum dignitatis appropinquant. Et infra oſtendendo, quòd munera ordinum ſunt ita ſpecialia ſingulis, quòd tamen communia omnibus, Cherubin, inquit, plenitudinem ſcientiæ diximus, & tamen quis ibi aliquid neſciat, vbi ipſum omnes ſimul fontem ſcientiæ Deum vident? Iſidorus etiam 1. De ſummo bono 10. Angeli, inquit, Dei cognoſcunt omnia antequam in ſe fiant, & quæ apud homines adhuc futura ſunt, Angeli iam, reuelante Deo, nouerunt. Beatus ſimiliter Auguſtinus 8. ſuper Geneſin ad literam 48. dicit quòd Deus ipſe loquitur cum Angelis, incommutabili veritate illuſtrans mentes eorum, vbi eſt intellectus noſſe ſimul quæcunque etiam per tempora non fiunt ſimul. Iſti ergo priuant beatos Angelos & homines vniuerſos; imò & ipſum beatificum Dominum beatorum, Dominum Ieſum Chriſtum certitudine ac multitudine ſcientiæ ad beatitudinem requiſitæ, ſicut præcedentia manifeſtant; & nedum hoc, verùm etiam & omni ſcientia ſeu præſcientia priuant eos, omnium, inquam, ſcientia ſeu præſcientia contingentium futurorum, & quorumcunque ſcibilium aliorum,

Lincolnienſis D

|| idcirco

Iſidorus. *Auguſtinus.* E

A aliorum, nisi fortaſsis per ſe notorum, aut quorum habent demonſtrationem aut ſenſum; quare multò magis Chriſtum & omnes Prophetas in via. Nam vbi non eſt perſpicua certitudo, nec ſcientia propriè, ſed fides, opinio, aut æſtimatio potius eſſe poteſt, ſicut ex 18. primi apparet. Quare & Apoſtolus, Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium, ad Heb. 11. Vnde & Auguſtinus primæ partis ſuper Iohan. homilia 40. Credimus, inquit, vt cognoſcamus. Quid eſt enim fides niſi credere quod non vides? Fides ergo eſt quod non vides credere; veritas quod credidiſti videre: Qui & ad Paulinum de videndo Deo 3. & poſt diffusè oſtendit, quòd videre & credere in hoc diſtant, quòd videre eſt aliquid certè & euidenter cognoſcere ſiue ſcire, aliquo ſcilicet ſenſu corporis vel animi, quicquam certè ſentire, recolereuè ſenſiſſe; credere verò alijs non ſic cognitis aſſentiri. Vbi 4. ſic ait, Hanc diſtinctionem tene, vt ſi quid te admonuero diſſerendo quod ita videas oculis carnis vel vllo alio ſenſu eius ſentias, ſeu te ſenſiſſe recolas, vt ſentiuntur ſonores, colores, *Apoſtolus.* *Auguſtinus*

B fragores, odores, ſapores, feruores, & ſi quid aliud per corpus cernendo, audiendo, olfaciendo, guſtando, tangendo, ſentimus, aut ita non videas, mentis intuitu verò vides, vitam, voluntatem, cogitationem, memoriam, intelligentiam, ſcientiam, fidem tuam; & quicquid aliud mente conſpicis, atque ita eſſe non tantùm credendo, ſed planè videndo non dubitas, hoc me iudices oſtendiſſe; quod autem non ſic oſtendero, vt aut corporis aut animi ſenſu, viſu, perceptuque teneatur, & cùm dixero aliquid quod nullo illorum duorum genere videatur, reſtat vt tantùm credatur. Et infra 5. Nonnulli putant ipſum quod dicimus credere, cùm res vera creditur, hoc ſolum eſſe mente contueri: quod ſi ita eſt, fallitur iſta noſtra prolocutio, in qua diſtinximus aliud eſſe aliquid ſentire corporis ſenſu, ſicut in cælo Solem, & in terra montem, arborem, corpuſuè quodlibet, & aliud mentis intuitu rem nihilominus euidentem, ſicut noſtra voluntas à nobiſmet ipſis intus aſpicitur cùm aliquid volumus, vel cogitatio cùm aliquid cogitamus, vel memoria cùm recordamur, vel tale aliquid in animo ſiue corpore,

C vel aliud ante credere quod in corporis mentiſuè conſpectu nec adeſt nec affuiſſe recolitur, ſicut ſine parentibus creatum Adam & natum ex Virgine paſſumque reſurrexiſſe Chriſtum. Et infra 6. Num ſatis eſt vt inter videre & credere hoc diſtare credamus, quia præſentia videntur, creduntur abſentia? Planè forſitan ſatis eſt, ſi præſentia illa hoc loco intelligamus dicta quæ præſto ſunt ſenſibus ſiue animi ſiue corporis, vnde & iam præſentia ſcilicet à præſto ducto vocabulo nominantur. Sicut enim hanc lucem corporis ſenſu, ſic & meam voluntatem planè video, quia præſto eſt animi mei ſenſibus, atque intus mihi præſens eſt; ſi quis verò mihi indicet voluntatem ſuam, cuius os & vox mihi præſens eſt, tamen quia ipſa voluntas, quam mihi indicat, latet ſenſus corporis & animi mei, credo, non video, & ſi fortè vt dicit ita ſit; creduntur ergo illa quæ abſunt à ſenſibus noſtris, ſi videtur idoneum quòd eis teſtimonium perhibetur; videntur autem quæ præſto ſunt, inde & præſentia nominantur, vel animi vel corporis ſenſibus. Nam cùm ſint quinque corporis ſenſus, cernendi, audiendi, olfaciendi,

D guſtandi, tangendi; viſus quidem præcipuè oculis attributus eſt; veruntamen hoc verbo vtimur & in cæteris. Neque enim tantùm dicimus, Vide quid luceat, ſed etiam, Vide quid ſonet, vide quid oleat, vide quid ſapiat, vide quid caleat; nec quia dixi ea credi quæ a ſenſibus noſtris abſunt, ſic accipiatur, vt inter illa deputentur quæ aliquando vidimus, & nos vidiſſe retinemus, certique ſumus, quamuis ea tunc non præſto ſint cùm recoluntur à nobis; neque enim inter credita, ſed inter viſa deputantur, & ideo nota ſunt, non quia fidem habuimus alijs teſtibus, ſed quia nos vidiſſe ſine dubio recordamur & ſcimus. Reſpondebit quiſpiam fortaſsis dicendo iſta non ſequi, quia Deus poteſt ſic illuſtrare mentem alicuius, & propoſitiones ſeu habitus in mente ipſius, & ita ei vera huiuſmodi reuelabit, quòd ſciet & intuebitur illa certè. Sed ſi illuſtratio illa fiat per aliquod lumen creatum quantumcunque clariſsimum, aut per aliquam creaturam, talis reuelatio de futuro poteſt eſſe erronea, deluſoria, atque falſa: poteſt enim oppoſitum euenire: Eodem quoque modo & reuelatio quælibet de præſenti aut de præterito non per ſe noto aut demonſtrato, nec ſenſato, non obſtante illuſtratione *Reſponſio.* *Contra.*

E huiuſmodi, poteſt eſſe deluſoria atque falſa. Cur enim non de præſentibus & præteritis talibus ſicut de futuris? imò ſi cuipiam exiſtenti Londini talis reuelatio fieret, quòd cras hora prima A. futurum contingens fiet Romæ, & ipſe credat continuè, nonne, ſicut ex iſta reuelatione poteſt decipi & errare ante horam primam diei craſtinæ credendo A. tunc fore, quia non obſtante reuelatione huiuſmodi, poſsibile eſt A. non fore, ſic & ex eadem reuelatione ſecundum ſubſtantiam poteſt decipi de præſenti, credendo cras hora prima A. eſſe, & lapſa hora prima ſimiliter decipi de præterito, credendo conformiter A. fuiſſe? Cuius cauſa eſt, quia qualicunque & quantocunque lumine creato illuſtretur quæcunque propoſitio, cuius veritas non eſt per ſe nota, nec per lumen habitus euidenter demonſtrata per aliqua per ſe nota, & in

conſequenti

consequentia per se nota, nec indubitanter sensata, illa non est certa, quia illustratione huius- A modi non obstante res posset aliter se habere. Sicut enim illustratur propositio talis vera, sic posset & falsa. Ita clarè namque lucet Sol & Luna ac alia luminaria supra scripturam falsam, sicut super veram, super mentientem sicut super vera dicentem; vbi ergo possunt hæc discerni? Certè in nullo lumine creato fallibili siue lumine infallibili increato; nulla ergo huiusmodi veritas potest certè infallibiliterque videri, nisi in intrinseco lumine infallibilis veritatis, in candore lucis æternæ, & speculo sine macula maiestatis diuinæ, in libro vitæ, in verbo Dei, qui & quod mentiri non potest, in essentia clara Dei vbi omnia sicuti sunt æternaliter, immutabiliter, & infallibiliter conscribuntur, vbi nullus est error, nec etiam esse potest, sicut nec in Deo, quod & ibi videbit, leget, & sciet certissimè, quicunque perfectè interius viderit, legerit & sciuerit librum illum, sicut apparet ex tricesimo quarto huius. Nonne hoc voluit dicere tota illa turba Philosophorum, quædam obscurè proferens, quædam clarè de intellectu agente? Et quomodo Deus est lumen ad omnia cognoscenda, sicut sextum primi, & vicesimum secundi plenius recitauit? An non sic sensit clarissimus Esaias, quando congregationi fidelium promittebat, Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam? Es.60. Annon hoc sensit princeps Apostolorum Petrus, quando fidelibus ita scripsit, Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris? 2. Pet. 1. Annon ita sensit vas electionis Paulus ad Corinthios ita scribens, Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus; cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est; videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum? Annon hoc sensit inter Discipulos magis dilectus, qui & de pectore Domini totum hausit quod sitientibus seruis effudit, cùm dixit, Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ? 1. Ioh. 1. Et infra 3. Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum C apparuit quid erimus; scimus autem quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est? Et quomodo? Audi, Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit, Ioh. 1. quod teste Beda in glossa, potest referri ad præteritum & similiter ad futurum. Annon hoc veritas ipsa sensit, cùm ait, Ego sum radix & genus Dauid, stella splendida & matutina? Apoc. vlt. Et iterum, Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum? Ioh. 14. Annon sic intelligenda sunt hæc & alia quamplura loca similia tam veteris testamenti quàm noui? Si aliquis dubitet, respiciat expositiones & glossas catholicas, & proculdubio certus fiet. Scio tamen quòd est quædam scientia & etiam certitudo alio modo dicta, probabilis scilicet & firma, credulitas vehemens, & indubitata adhæsio, & spes firma. Sic enim scimus qui fuerunt & sunt nostri parentes, fratres & sorores; sic scimus quæ testimonio fide dignorum didicimus hominum D vel librorum, librorum inquam, historicorum sacrorum & etiam aliorum, puta Troiam fuisse nobilem ciuitatem, & à Græcis destructam, Alexandrum, || *Carolum Magnum*, Edwardum, & alios Principes multa magnalia perpetrasse, Platonem, Aristotelem, Ptolomæum, & Philosophos alios plurima docuisse. Quare & Ieber in prologo 1. dicit, quòd scientia melior post scientiam fidei est, cuius principia sunt certa & firma: & Philosophus in De memoria & reminiscentia, Neque, inquit, contingit futura memorari, sed est opinabile & sperabile; erit vtique & scientia quædam speratiua, quemadmodum quidam diuinatiuam dicunt: Et 7. Eth. 3. Quidam, inquit, opinantium non dubitant, sed existimant certè scire; si ergo propter quietem credere opinantes magis scientibus præter opinionem agent, nihil differt scientia ab opinione: quidam enim credunt nihil minus quibus opinantur, quàm alteri quibus sciunt; manifestat autem Heraclitus; qui & 4. Topicorum, dicit quòd fides est opinio vehemens; vbi & recitat à quibusdam quòd fides est vehementia opinionis. Quare & Augustinus ad Paulinam de videndo Deo 4. Si, inquit, ea quæ non vidimus, id est, in præsentia non sensi- E mus vel mente vel corpore, neque de Scripturis sanctis vel legendo, vel audiendo didicimus, nulla omninò credidissemus, vnde sciremus esse ciuitates vbi nunquam fuimus, vel à Romulo editam Romam, vel, vt de propioribus loquar, Constantinopolim à Constantino? Vnde postremò sciremus quinam parentes nos procreauissent, quibus patribus, auis, maioribus geniti essemus? Talium quippe cùm plurima sciamus, non tamen ea vel vllo sensu præsentia, sicut Solem, sicut nostri animi voluntatem, sicut canonicorum eloquiorum autoritatem, sicut Adam fuisse primum hominem, aut Christum incarnatum, passum, ac resurrexisse didicimus, sed alijs referentibus, de quorum testimonio in hoc duntaxat rerum genere minimè dubitauimus. Et infra 6. prætactam distinctionem de scientia innuens; Constat, inquit, nostra scientia

Marginal notes: *Esaias.* — *Petrus Apostolus.* — *Paulus.* — *Iohannes.* — *Beda.* — *Apocalyps.* — || Carolomannum — *Ieber.* — *Philosophus.* — *Augustinus*

A scientia ex visis, rebus, & creditis; sed in his quæ vidimus vel videmus nos ipsi testes sumus; in his autem quæ credimus, alijs testibus mouemur: ad fidem tamen earum rerum, quas nec vidisse nos recolimus nec videmus, dantur signa vel in vocibus, vel in literis, vel in quibuscunque documentis, quibus visis non visa credantur. Non autem immeritò scire nos dicimus non solùm ea quæ vidimus aut videmus, verùm & illa quæ idoneis ad quamque rem commoti testimonijs vel testibus credimus. Porrò si scire non incongruenter dicimus etiam illud quod certissimum credimus, hinc factum est vt & iam rectè credita, etsi non adsint nostris sensibus, videre mente dicamur: scientia quippe menti tribuitur siue per corporis sensus, siue per ipsum animum aliquid perceptum cognitumque retineat, & fides ipsa mente vtique videtur, quamuis hoc fide credatur, quod non videtur. Vnde Apostolus Petrus dicit, in quem modò non videntes creditis; & ipse Dominus, Beati qui non viderunt, & crediderunt. B Sed absit quòd perfectè beati sint tantummodo habituri talem scientiam, cognitionem aut certitudinem impropriam, fallibilem, imperfectam, sicut patet ex hic præmissis, & 34. huius; non sic ergo, non sic, sed habebunt visionem certissimam in clarissimo Dei verbo, sicut & Christus habuit hic in via; & Petrus euidenter testatur 3. sentent. dist. 26. sicut 34. huius plenius recitatur. Quare & Propheta, Credo, inquit, videre bona Domini in terra viuentium, Psalmo 26. Non dixit opinari, æstimare, aut credere, sed videre. Ostendebatur autem superius quantum distat inter credere & videre; qui ergo tollunt à beatis huiusmodi visionem, & mercedem fidei à fidelibus simul tollunt: constat enim hanc esse fidei nostræ mercedem. Quare & dicebat Iesus ad eos qui crediderunt ei Iudæos; Si vos manseritis in me, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, Ioh. 8. quasi diceret manifestè, Vos qui nunc ænigmaticè creditis, si credendo manseritis, tandem cognoscetis certissimè veritatem. Quod Augustinus exponens homilia 40. primæ partis, || *sic ait*; Quid enim quod dixisti non C est veritas? Veritas est, sed adhuc creditur, nondum videtur; si maneatur in eo quod creditur, || *peruenitur* ad id quod videatur. Inde Iohannes ipse sanctus Euangelista in epistola sua, Dilectissimi, inquit, filij Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Iam sumus, & adhuc erimus: quid plus erimus quàm sumus? Audi, nondum apparuit quid erimus; scimus, quia cùm apparuerit, similes ei erimus. Vnde? Quoniam videbimus eum sicuti est. Magna promissio, sed merces est fidei. Qui & vlt. de Ciuit. Dei 28. Considerandum est, inquit, quantus vir dicebat; Ex parte scimus, & ex parte prophetamus, donec veniat quod perfectum est; & videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem; sic iam vident sancti Angeli, & sicut ibi vident, ita & nos visuri sumus præmium, atque fidei nobis visio ista seruatur. Beati quoque qui hic humiliter crediderunt Deum esse vnum & trinum; si hoc in cœlo non clarè & certè videbunt, quomodo dignè & plenè remunerabitur ista fides? Aut si hoc clarè & certè videbunt, sicut sitibundè desiderant, in quo? Certè non sufficienter in aliqua creatura; D nulla enim creatura potest istud clarè & certè ostendere, sicuti est propter eius dissimilitudinem infinitam: si autem hoc clarè & certè videbunt, & legent, & scient in verbo Dei, in libro vitæ, in essentia clara Dei; cur non & alia vera complexa similiter, cùm istud verum complexum videatur summum excellentissimum & difficillimum omnium ibi scriptorum? Quomodo etiam non potest beatus in illo libro Dei clarissimo & certissimo videre & legere clarissimè & certissimè quodcunque verum complexum clarissimè & certissimè ibi scriptum? Cur, inquam, hoc non potest, præsertim cùm oculi cordis eius fuerunt plenè mundati & omniquaque perfecti, cùm etiam nunc cum oculis suis debilibus & infirmis possit videre & legere talia in alijs libris obscuris minus visibilibus & legibilibus minus valde? Si dixeris, propter nimiam excellentiam illius libri super oculum mentis Angelicæ & humanæ, hoc est superius reprobatum: quomodo etiam potest beatus ibi videre & legere optimè, Deum esse vnum & trinum, quod videtur excellentissimum ibi scriptum, & alia inferiora non potest? Quomodo etiam, sicut & tu ipse concedis, ista excellentia maxima non obstante potest beatus E ibi videre & legere quælibet incomplexa, & tamen complexa non potest? In hoc siquidem videris beatum similem facere puero scienti simplices literas, ex eis tamen syllabas aut syllabam facere nescienti, scientiue syllabas, sed eas in dictiones aut dictionem coniungere nescienti; scientique legere dictiones, sed orationes, aut orationem intelligere nescienti; imò & quod durius multum videtur, nec vnquam valenti addiscere quicquam horum. Quomodo tamen quisquam summo ingenio præditus, videns, legens, & intelligens in aliquo libro singulas dictiones, singula incomplexa, non potest videre, legere, & intelligere in eodem quamlibet propositionem & orationem quamcunque, imo nec aliquam etiam facillimam intellectu? Quomodo ergo beatus non ita videbit, leget, atque intelliget in libro diuinæ scientiæ quæcunque complexa, sicuti incomplexa? Non sic ergo, non sic: non enim sic sentit beatus

Augustinus

Petrus. *Propheta.* *Psalmo 26.* *Augustinus.* || certissimè sic || peruenietur

Augustinus. Augustinus superius allegatus, dicens quòd Beatis erit assidua lectio libri vitæ. Qui & de A verbis Apostoli sermone 20. loquens de tempore viæ & patriæ, Nunc, inquit, per fidem ambulamus, tunc per speciem. Quid est per speciem? Speciosus forma præ filijs hominum, quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Qui diligit me, inquit, mandata mea custodit, & qui diligit me diligetur à Patre meo; & ego diligam eum: & quid illi dabis? Et ostendam meipsum illi; hæc erit species quando faciet, quod dixit, & ostendam meipsum illi; ibi æquitatem Dei videbis, ibi sine codice in verbo leges; ergo cùm viderimus eum sicuti est, iam transiet peregrinatio nostra. Sine codice, inquit, leges, sine codice, inquam, creato, in codice increato, in libro æterno scientiæ Dei æternæ. Et sequitur, Via est credere, hanc viam teneamus, & ad speciem perueniemus; cùm venerimus ad speciem, æquitatem Dei videbimus, & iam non erit ibi dicere, quare huic subuenit, & huic non? Quare iste adductus est à gubernatione Dei vt baptizetur, ille autem cùm bene catechumenus vixerit, subita ruina mortuus est, & ad baptismum non peruenit, ille autem cùm scelerate B vixerit, cùm luxuriosus, cùm mœchus, cùm scænicus, cùm venator ægrotauit, baptizatus est, discessit, peccatum in eo coniunctum est, peccatum in eo deletum est? Quare merita non inuenies, nisi pœnam? Quare gratiam? O altitudo diuitiarum! Petrus negat, latro credit. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Simili quoque modo, sicut argutum est de libro, argui potest de verbo: quomodo namque non potest beatus audire & cognoscere vera complexa in verbo, & per verbum Dei, in quo & per quod omnia vera verissimè, distinctissimè, & certissimè exprimuntur, verorumque omnium verissimæ & certissimæ rationes? Et quis præsumpserit dicere tam facundissimum verbum mutum? Quis hoc præsumpserit, nisi surdus? Et quis audeat dicere verbum Domini nequaquam exprimere nec posse exprimere aliqua vera complexa, sed tantummodo incomplexa? Vel si exprimat vera complexa, creaturam tamen non posse audire nec intelligere in illo verbo vera complexa, sed tantummodo incomplexa, nec verbum illud omnipotens posse per seipsum exprimere creaturæ vera com- C plexa sicuti incomplexa, orationes sicuti dictiones? Quis, inquam, hoc affirmare præsumpserit, nisi spiritualiter fortè surdus, qui aures habet, & non audiet verbum Dei? Non sic Pro-

Propheta. pheta, non sic; sed ait, Audiam quid loquatur in me Deus, Psalmo 84. super quod Augusti-

Augustinus nus, Loquebatur, inquit, in illo Deus intus, & mundus faciebat illi strepitum foris; cohibens ergo aliquanto à strepitu mundi, & auertens se ad se, & à se in illum cuius vocem audiebat interius, quam obturans aurem contra tumultuantem vitæ huius inquietudinem, & contra animam corpore quod corrumpitur aggrauatam, & sensu terrena habitatione deprimente multa cogitantem ait, Audiam quid loquatur in me Dominus Deus; & audiuit. Quid? Quoniam loquetur pacem in plebem suam; ostensoque quòd pax illa non erit perfecta in præsenti, sed in futuro, concludendo sic ait, Erit ergo pax purgata in filijs Dei, omnibus amantibus se, videntibus se plenos Deo, cùm erit Deus omnia in omnibus: commune spectaculum ha- D bebimus Deum, communem possessionem, communem pacem habebimus Deum. Quicquid enim est quod nobis modo dat ipse, nobis erit pro omnibus qui dat, ipsa erit perfecta & plena pax: hanc loquitur in plebem suam, hanc volebat audire ille, qui ait, Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Qui & vlt. de Ci-

* *secretum.* uit. Dei 29. Quanta, inquit, erit ista fœlicitas, vbi nullum erit malum, nullum latebit * bonum? Vacabitur Dei laudibus qui erit omnia in omnibus. Admoneor etiam sancto Cantico, vbi lego vel audio, Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te omnes illi, qui nunc latent harmoniæ corporalis nerui, non latebunt intrinsecus & extrinsecus per corporis cuncta dispositi, & cum cæteris rebus, quæ ibi magnæ atque mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudem rationabilis pulchritudinis delectatione succendent; vera ibi gloria, verus honor, vera pax, vbi nihil aduersi nec à seipso nec ab aliquo quisquam patietur, præmium virtutis ipse erit, qui virtutem dedit, eique seipsum, quo melius & maius nihil posit esse, promisit; quid est enim aliud quod per Prophetam E dixit, Ego illorum Deus, & ipsi mihi erunt plebs, nisi ego ero vnde satientur, ego ero quæcunque ab omnibus honestè desiderantur, & vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona? Sic enim & illud rectè intelligitur quod ait Apostolus, vt sit Deus omnia in omnibus, ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur; hoc munus, hic affectus, hic actus profectò erit omnibus, sicut ipsa vita æterna communis. Nec putandum quòd audire, mente videre, & legere in beatitudine consummata realiter sint diuersa, sicut videtur ex autoritate præmissa, imò fortassis nec beatitudo perfecta habet partes realiter differentes. Aut enim aliqua illarum partium esset perfecta, & ad beatificandum sufficiens, & tunc illa sola sufficeret; aut quælibet imperfecta,

A imperfecta, & quomodo tunc ex talibus partibus imperfectis resultaret beatitudo perfecta, præsertim cùm omnes illæ partes sint finitæ numero & virtute? Quæ etiam posset esse beatitudo perfecta Angeli vel hominis citra Deum, cùm tam ille quàm illa sit finis amborum? Quare & Boetius 3. de consolatione Philosophiæ, prosa 10. per modum dialogi inter Philosophiam & ipsum probat diffusè, & tenet expressè quòd beatitudo humana est summum bonum, quare & Deus, imò & ipsa diuinitas. Cui & Anselmus concordanter Monolog. 70. Si, inquit, creatura rationalis, quæ sibi inutilis est, sine perseuerante Dei amore sic eminet in omnibus creaturis, vtique nihil potest esse præmium huius amoris, nisi quod supereminet in omnibus naturis; etenim idem ipsum bonum quod sic amari exigit, non minus ab amante se desiderari cogit; nam quis sic amet iustitiam, veritatem, beatitudinem, incorruptibilitatem, vt his frui non appetat? Quid ergo summa bonitas retribuet amanti & desideranti se nisi seipsam? Nam quicquid aliud retribuat, non retribuit, quia nec compensatur amori, nec consolatur amantem, nec satiat desiderantem; aut si se vult amari & desiderari vt aliud retribuat, non se vult amari & desiderari propter se, sed propter aliud, & sic se non vult amari, sed aliud; quod cogitare nefas est; nihil ergo verius quàm quòd omnis anima rationalis, si quemadmodum debeat, studeat amando desiderare summam beatitudinem, aliquando illam ad fruendum percipiat, vt quod nunc videt quasi per speculum & in ænigmate, tunc videat facie ad faciem: vtrum ea sine fine fruatur, dubitare stultissimum est, quoniam illa fruens nec timore torqueri poterit, nec fallaci securitate decipi. Huic & concorditer Augustinus in sententijs Prosperi 20. Hoc, inquit, affectu colendus est Deus, vt sui cultus ipse sit merces. Nam qui Deum colit ideo, vt alium magis quàm ipsum promereatur, non Deum colit, sed id quod assequi concupiscit. Boetius etiam vbi prius, Quoniam, inquit, beatitudinis adeptione fiunt homines beati, beatitudo verò est ipsa diuinitas, diuinitatis adeptione beatos fieri manifestum est: sed vti iustitiæ adeptione iusti, sapientiæ sapientes fiunt; ita diuinitatem adeptos Deos fieri simili || *ratione* necesse est; omnis igitur beatus Deus, sed natura quidem vnus, participatione verò nihil prohibet quamplurimos esse. Et infra ostendit, quòd illa diuersa videntur in beatitudine contineri, puta sufficientia, potentia, reuerentia, claritas, voluptas, & cætera talia sunt vnum & idem; & hæc bona omnia sita esse in substantia summi boni, in substantia ipsa Dei. Cui & concorditer Augustinus super illud Psalmi 84. Salutare tuum da nobis, per salutare Christum intelligens: Iam, inquit, dedit nobis Christum suum; adhuc illi tamen dicamus, Da nobis Christum tuum, quia dicimus illi, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et quis est panis noster, nisi ipse qui dixit, Ego sum panis viuus qui de Cœlo descendi? Dicamus illi, Da nobis Christum tuum. Dedit enim nobis Christum, sed hominem, quem nouimus; quem nobis dedit hominem, eum ipsum nobis daturus est Deum. Hominibus enim hominem dedit, quia talem dedit illum hominibus, qualis capi posset ab hominibus; Deum enim Christum nullus hominum capere poterat. Factus est hominibus homo, seruauit se Deum Dijs. An fortè arroganter dixi? Reuera arroganter, nisi ipse dixisset, Ego dixi. Dij estis, & filij excelsi omnes. Qui & super illud Psalmi 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ; Cùm, inquit, accepta fuerit illa ineffabilis lætitia, perit quodammodo humana mens, & fit diuina, & inebriatur ab vbertate domus Dei. Et infra super illud, quoniam apud te est fons vitæ, &c. Hic, inquit, aliud est fons, aliud lumen; ibi non ita: quod enim est fons, hoc est & lumen, & quicquid vis illud vocas, quia non est quod vocas, quia non potes congruum nomen inuenire. Non remanet in vno nomine, si diceres, quia lumen est solum, diceretur tibi sine causa ergo mihi dictum est vt esuriam & sitiam: quis enim est qui manducet lumen illud? Planè rectè mihi dictum est, Beati || *mundo* corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Si lumen est, oculos meos parem; para & fauces, quia illud quod lumen est, & fons est; fons qui satiat sitientes, lumen quod illuminat cœcos. Qui & super Iohan. parte 2. homil. 45. seu 99. totius, tractans illud Iohan. 16. quod Dominus de Spiritu Sancto dixit; Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur; in illa, inquit, incorporea immutabiliq; natura audire & videre id ipsum est. Cùm enim dicitur scire, ibi sunt omnia, & videre, & audire, & olfacere, & gustare, & tangere. Nec mireris quòd ineffabilis Dei scientia, qua nouit omnia, per varios humanæ locutionis modos omnium istorum corporalium sensuum nominibus nuncupatur, cùm & ipsa mens nostra, hoc est, homo interior, cui vniformiter scienti per hos quinque veluti nuntios corporis diuersa nuntiantur, quando immutabilem veritatem intelligit, eligit, diligit, & lumen videt, de quo dicitur, Erat lumen verum, & verbum audit, de quo dicitur, In principio erat Verbum, & odorem capit, de quo dicitur, Post odorem vnguentorum tuorum currimus, & fontem bibit, de quo dicitur, Apud te fons vitæ, & tactu fruitur, de quo dicitur, Mihi autem adhærere Deo bonum est, nec aliud atque aliud, sed vna intelligentia

Margin notes: *Boetius.* (beside "Quare & Boetius 3."); *Anselmus.* (beside "Monolog. 70."); *Augustinus* (beside "in sententijs Prosperi"); *Boetius.* (beside "Boetius etiam vbi prius"); B (beside "solatur amantem"); C (beside "fieri simili"); || modo (beside "*ratione*"); D (beside "uit se Deum Dijs"); *Augustinus.* (beside "super illud Psalmi 84"); || mundi (beside "*mundo* corde"); E (beside "natura audire").

intelligentia tot sensuum nominibus nuncupatur. Quod & testantur verba Hugonis superius recitata. Qui igitur contrarium huius astruere satagunt, nituntur priuare beatos nedum perfectione visus, & auditus, verùm & omnium sensuum, omniumque potentiarum spiritualium mentis eorum, maxima quoque suauitate, summisque delicijs illius magnæ cœnæ, illius cœlestis conuiuij beatis omnibus præparati: Conantur insuper, sicut dispensatores tenaces, contrahere manum Domini liberalem, & eius infinitam potentiam decurtare, ac magnificentiæ eius abundantiam infinitam sub modio ponere, & sub mensura paruula coarctare. Quis etiam, ne limen Theologicæ disciplinæ vel parum ingressus, illam communem distinctionem de cognitione matutina & vespertina, siue diurna & nocturna ignoret? Et quod cognitio matutina est cognitio rerum in verbo, cognitio vespertina cognitio rerum in proprio genere? Hæc enim distinctio apud Doctores atque discipulos tam communis habetur, quòd fundatione vix eget; veruntamen ex abundanti ecce beatus Augustinus, qui 4. super Gen. ad literam 27. & post, diffusè atque perspicuè ipsam tradit, dicitque Angelos cognouisse res faciendas in verbo, & factas in proprio genere, & primam cognitionem vocat mane & diem; secundam vesperam atque noctem propter excellentiam claritatis huius super illam: vbi & 29. sic ait, Multùm quippe interest inter cognitionem rei alicuius in verbo Dei, & cognitionem eius in natura eius, vt illud merito ad diem pertineat, hoc ad vesperam. In comparatione enim lucis illius, quæ in verbo Dei conspicitur, omnis cognitio, qua creaturam quamlibet in semetipsa nouimus, non immeritò nox potest dici, quod rursus tantum differt ab errore vel ignorantia eorum, qui nec ipsam creaturam sciunt, vt in eius comparatione non incongruè dicatur dies; qui tamen dies, nisi rursus in comparatione illius dici potest, quo coæquales Angelis facti Deum videbimus sicuti est, ipse quoque nox esset, non hic prophetiæ lucernæ indigeremus. Vnde Apostolus Petrus dicit, Habemus certiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes sicut lucernæ in obscuro loco, donec dies lucescat & lucifer oriatur in cordibus vestris. Quapropter cùm sancti Angeli, quibus post resurrectionem coæquabimur, si viam quæ nobis Christus factus est vsque in finem tenuerimus, semper videant faciem Dei, verboque eius vnigenito filio, sicut Patri æqualis est, perfruantur, in quibus prima omnium creata est sapientia, proculdubio vniuersam creaturam, in qua ipsi sunt principaliter conditi, in ipso verbo Dei priùs nouerunt, in quo sunt omnium etiam quæ temporaliter factæ sunt æternæ rationes tanquam in eo per quod facta sunt omnia; ac deinde in ipsa creatura, quam sic nouerunt, tanquam infra despicientes, eamque referentes ad illius laudem, in cuius incommutabili veritate rationes secundum quas facta est principaliter, vident. Et infra 32. sic scribit, Nec quisquam arbitretur illud, quod dixi de luce spirituali, & de condito die in spirituali & Angelica creatura, & de contemplatione quam habet in verbo Dei, & de cognitione, qua in seipsa creatura cognoscitur eiusque relatione ad laudem incommutabilis veritatis, vbi prius ratio videbatur rei faciendæ quæ cognita est facta, non iam propriè, sed quasi figuratè atque allegoricè conuenire ad intelligendum diem & vesperam & mane, sed aliter quidem quàm in hac consuetudine quotidianæ lucis huius corporalis, non tamen tanquam hic propriè, ibi figuratè: vbi enim melior & certior, ibi verior etiam dies: cur ergo non etiam verior vespera, & verius mane? Et infra 35. Mens Angelica, pura charitate inhærens verbo Dei, posteaquam illo ordine creata est, vt præcederet cætera, prius ea vidit in Dei verbo facienda quàm facta sunt, ac sic prius in eius fiebant cognitione, cùm Deus dicebat vt fierent, quàm in sua propria natura; quæ itidem facta in eis ipsis etiam cognouit minore vtique notitia, quæ vespera dicta est. Prædictam quoque sententiam autoritates quamplurimæ contestantur. Nonne hoc videtur sentire ille Auerroes super 12. Metaphys. comment. 18. cùm sic dicit, Nos iam perscrutati sumus de istis duabus opinionibus in libro de Anima, & diximus quòd intelligentia agens est quasi forma in intellectu materiali, & quòd ipsa agit intellecta, & recipit ea secundum intellectum materialem, & quòd intellectus materialis non est generabilis & corruptibilis, & declarauimus illic quòd hæc est sententia Aristotelis, & quòd intellectus in habitu habet partem generabilem & partem corruptibilem; illud autem quod corrumpitur est actio eius, in se autem non corrumpitur, & quòd ab intrinseco intrat nos; & si actio illius intellectus secundum quod copulatur cum intellectu materiali esset non generabilis, tunc actio eius esset substantia eius, & non haberet necessitatem in hac actione vt copularetur cum intellectu materiali, sed cùm fuerit copulatus cum intellectu materiali per actionem, erit actio eius secundum quod copulatur cum eo actio alia à substantia eius, & fuit illud quod agit, substantia, & est alij non sibi; & ideo possibile est vt aliquid æternum intelligat aliquod generabile & corruptibile? Si igitur intellectus denudetur apud ‖ *perfectionem* humanam à potentia, necesse est vt destruatur ab eo hæc actio quæ est alia ab eo, & tunc aut non intelligemus

Marginalia: *Augustinus.* (beside "quòd fundatione vix eget"); *Augustinus* (beside "etiam verior vespera"); *Auerroes.* (beside "testantur. Nonne hoc"); ‖ intellectionem (beside "gat aliquod generabile"). Section letters in right margin: A, B, C, D, E.

A intelligemus omnino per hunc intellectum, aut intelligemus secundum qd. actio eius est substantia eius, & impossibile est vt in aliqua hora non intelligamus per ipsum; relinquetur ergo, cum iste intellectus fuerit denudatus à potentia, vt intelligamus per ipsum secundum quod actio est substantia eius, & est vltima prosperitas. Philosophus quoque 12. Met. 38. descripto aliquantulum primo rerum principio, sic concludit; ex tali ergo principio dependet cœlum & natura, Deductio enim qualis optima paruo tempore nobis; sic enim semper illud est, super quod Auer. Ex hoc, inquit, apparet bene qd. Arist. opinatur qd. fortuna hominũ eo qd. sunt homines non est nisi per continuationẽ eorũ cum intellectu, quẽ declaratum est in lib. de Anima esse principiũ agens & mouens nos: Intelligentiæ enim abstractæ debent esse principia eorum quorũ sunt principia duob⁹ modis, secundũ qd. sunt mouentes, & secundũ quod finis. Intelligentia enim agens in quantum est abstracta & principium nobis, necesse est vt moueat nos secundum quod amatum amans, & si omnis motus necesse est vt continuetur cum eo à B quo fit secundum finem, necesse est vt in postremo continuemur cum hoc intellectu abstracto, ita quod erimus dependentes à tali principio à quo Cœlum dependet, quamuis hoc sit in nobis modico tempore, sicut dixit Aristoteles: Aristoteles enim & Auerroes ponunt fælicitatem esse possibilem homini in vita præsenti, & hoc paruo tempore prope finem. Nonne hoc Dominus ipse docet, cum dicit, Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo illi, vel per somnum loquar ad illum? At non talis seruus meus Moses, qui in omni domo mea fidelis est: Ore enim ad os loquar ei, & palam, non per ænigmata & figuras Deum videt, Numer. 12. & alibi Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, Matth. 18. Nõne Euangelista eius Marcus hoc docet cum dicit, Quo statim cognito, Iesus in Spiritu Sancto quia sic cogitarent intra se, dicit illis & reliqua Marc. 2. Si ergo Iesus in Spiritu Sancto illud cognouit, cur non & alia? Nonne Apostolus eius Paulus hoc docet cum dicit, Veniam ad visiones & reuelationes Domini? Scio hominem in Christo ante annos 14. siue in corpore, C siue extra corpus, nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque ad Cœlum tertium: & infra, quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba 2. Cor. 12. Nonne ista & multa similia insinuant sententiam prælibatam? Audi beatum Augustinum 12. super Gen. ad literam disputantem de raptu Pauli, & de tertio Cœlo, intelligentemque per tres Cœlos tria genera visionum, visionem scilicet corporalem, spiritualem, & intellectualem, ‖*ponendoque* differentiam inter istas, quod in visione corporali & spirituali potest esse fallacia, in intellectuali nequaquam; vbi & postquam 49. ostendit modum fallaciæ tam in visione corporali quàm spirituali 50. consequenter subiungit, At vero in illis intellectualibus visis non fallitur anima: Aut enim intelligit, & verum est; aut si verum non est, non intelligit. Et infra 52. innuens duplicem modum raptus, vnum à sensibus corporis ad similitudines corporum & visionem spiritualem, alterum à similitudinibus talibus & à visione spirituali ad visionem intellectualem, sic ait: Porro si quemadmodum aliquis raptus est à sensibus corporis, vt esset in istis si-D militudinibus corporum, quæ [sine] spiritu videntur; ita & ab illis rapiatur, vt in illam quasi regionem intellectualium vel intelligibilium subuehatur, vbi sine vlla corporis similitudine perspicua veritas cernitur, nullis opinionum falsarum nebulis obfuscatur, vbi virtutes animæ non sunt operosæ ac laboriosæ, vna ibi & tota virtus est amare quod videas, & summa fælicitas habere quod amas: Ibi enim beata vita in fonte suo bibitur; Propter hoc quippe adipiscendum vbi secura quies erit, & ineffabilis visio veritatis; labor suscipitur à temptationibus sæculi continendi, ibi videtur claritas Domini, non per visionem significantem siue corporalem, sicut visa est in monte Sinai, siue spiritualem, sicut vidit Esaias vel Iohannes in Apocalypsi, sed per speciem non per ænigmata, quantum eam capere mens humana potest, secundum assumentis Dei gratiam, vt os ad os loquatur Deus ei quem dignum tali colloquio fecerit, non os corporis, sed mentis. Vbi & 53. sic adiungit, Sic intelligendum arbitror quod de Mose scriptum est, Concupiuerat enim, sicut in Exodo legimus, videre Deum, non vtiq; si-E cut viderat in monte, neque sicut videbat in tabernaculo, sed in ea substantia qua Deus est, nulla assumpta corporali creatura, quæ mortalis carnis sensibus præsentetur, nec in spiritu figuratis similitudinibus corporum, sed per speciem suam, quantum eam capere creatura rationalis & intellectualis potest reuocata ab omni corporis sensu, ab omni significatiuo ænigmate spiritus: Sic enim scriptum est, Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifeste vt videam te, cum paulo superius legatur, Et locutus est Dominus ad Mosem facie ad faciem, sicut loquitur amicus ad amicum suum. Sentiebat ergo quid videbat, & quod non videbat desiderabat. Nam & paulo post cum dixisset ei Deus, Inuenisti enim gratiam in conspectu meo, & scio te præ omnibus; respondit ei,

Philosophus. *Auerroes.* *Augustinus.* ‖ponentéq; *Augustinus.*

Vuu Ostende

Ostende mihi claritatem tuam; & tunc quidem responsum accepit à Domino figuratum, de A
quo longum est disputare, quando ei dixit, Non poteris videre faciem meam & viuere: non enim videbit homo faciem meam,& viuet. Nisi tamen concupitam & desideratam Dei claritatem Moses videre meruisset, non in libro Numerorum diceret Deus ad Aaron & Miriam fratres eius, Audite verba mea, si fuerit Propheta inter vos, in visione illi Dominus cognoscar, & in somno loquar illi; non ita quoquomodo famulus meus Moses in tota domo mea fidelis est; os ad os loquar ad illum, in specie, & non per ænigmata, & claritatem Domini videt. Neque enim hoc secundum substantiam corporis, quæ carnis sensibus præsentatur, intelligendum est. Et sequitur 54. Illo ergo modo in illa specie qua Deus est, longe ineffabiliter secretius & præsentius loquitur locutione ineffabili, vbi eum nemo videns viuet vita ista, quia mortaliter viuitis in istis sensibus corporis, sed nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur, siue omnino exiens de corpore, siue ita auersus & abalienatus à carnalibus sensibus, vt merito nesciat, sicut Apostolus ait, vtrum in corpore an extra corpus sit, cum in illam rapitur B
& subuehitur visionem. Et sequitur 55. Quapropter si hoc tertium visionis genus, quod superius est in omni visione corporali & spirituali, tertium cœlum appellauit Apostolus, In hoc videtur claritas Dei,cui videndæ corda mundantur: vnde dictum est,Beati mundo corde,quoniam ipsi Deum videbunt, non per aliquam corporaliter vel spiritualiter figuratam significationem, tanquam per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem, quod de Mose dictum est, os ad os, per speciem scilicet qua Deus est quicquid est, quantumcunque eum mens, quæ non est quod ipse, etiam ab omni terrena labe mundata, ab omni corpore & similitudine corporis alienata & arrepta capere potest: à quo, id est, Deo, peregrinamur mortali & corruptibili onere grauati, quamdiu per fidem ambulamus, non per speciem. Cur autem non credamus, quod tanto Apostolo Doctori gentium rapto vsque ad istam excelsissimam visionem voluerit Deus demonstrare vitam, in qua post hanc vitam videndum est in æternum? Et cur non dicatur iste Paradisus, excepto illo, in quo corporaliter vixit Adam? Qui & 8. super Gen. C
ad literam 34. Certissime, inquit, tenere debemus Deum aut per suam substantiam loqui, aut per sibi subditam creaturam: sed per substantiam suam non loqui, nisi ad creandas omnes naturas; ad spirituales vero & intellectuales non solum creandas, sed etiam illuminandas, cum iam possunt capere locutionem eius, qualis est in verbo eius, quod, In principio erat apud Deum, & Deus erat Verbum per quod facta sunt omnia; Illis autem, qui eam capere non possunt, cum loquitur Deus, non nisi per creaturam loquitur, aut tantummodo spiritualem, siue in somnis, siue in extasi, in similitudine rerum corporalium, aut etiam per ipsam corporalem, dum sensibus corporis vel aliqua species apparet, vel insonant voces. Et 10. de Ciuit. Dei 14. sic inquit, Diuinæ prouidentiæ placuit ordinare temporum cursum, vt lex in edictis Angelorum daretur de vnius veri Dei cultu; in quibus & persona ipsius Dei non quidem per suam substantiam, quæ semper corruptibilibus oculis inuisibilis permanet, sed certis indicijs per subiectam Creatori creaturam visibiliter appareret, & syllabatim pertransitorias temporum morulas humanæ linguæ vocibus loqueretur, quæ in sua natura non corporaliter, sed spiritualiter, non sensibiliter, sed intelligibiliter, non temporaliter, sed vt ita dicam, æternaliter nec incipit loqui nec desinit, quod apud illum sincerius audiunt non corporis aures, sed mentis ministri eius & nuntij, qui eius veritate incommutabili fruuntur immortaliter beati. Gregorius etiam 28. Moral. 2. Sciendum, inquit, quod duobus modis locutio diuina distinguitur: Aut enim per seipsum Dominus loquitur; aut per creaturam Angelicam eius ad nos verba formantur. Et infra 3. Quia, inquit, auditus ea, quæ ad se fiunt, non simul omnia, quæ ad se dicta, comprehendit; quippe qui & causas per verba, & particulatim verba per syllabas percipit; visus autem noster in eo quòd se dirigit totum subitò, & simul apprehendit: Dei locutio ad nos intrinsecus facta videtur potius quàm auditur, quia dum semetipsam sine mora sermonis insinuat, repentina luce nostræ ignorantiæ tenebras illustrat: Vnde & Baruc Neriæ filius cum requisitus exponeret, quemadmodum E
verba Ieremiæ prophetantis audisset, ait; Ex ore suo loquebatur quasi legens, & ego scribebam. Qui enim legens loquitur, alio intendit, sed alio verbum facit, quia quod videt dicit; Prophetæ ergo Dei, quia eius || *verba* vident potius in corde, quam audiunt; quasi legentes loquuntur: cum verò per Angelum voluntatem suam Dominus indicat, aliquando eam verbis, aliquando rebus demonstrat, aliquando simul verbis & rebus, aliquando imaginibus cordis oculis ostensis, aliquando imaginibus & ante corporeos oculos ad tempus ex aere sumptis, aliquando cœlestibus substantijs, aliquando terrenis, aliquando simul terrenis & cœlestibus, nonnunquã verò etiam per Angelum humanis cordibus

Gregorius.

|| verbum

ita

A ita loquitur Deus, vt ipse quoque Angelus mentis obtutibus præsentetur. Qui & 18. Moral. *Gregorius.*
33. super illud Iob. 28. Vnde ergo sapientia venit, & quis est locus intelligentiæ? Abscondita est ab oculis omnium viuentium. Quamdiu, inquit, hic mortaliter viuitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest, vt anima gratiâ spiritus afflata per figuras quasdam Deum videat, sed ad ipsam vim eius essentiæ non pertingat.
Hinc est enim quod Iacob, qui Deum se vidisse testatur, non nisi Angelum vidit; Hinc est quod Moses, qui cum Deo facie ad faciem loquitur, sicut loqui solet homo cum amico suo, ei in ipsis verbis suæ locutionis dicit; Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifestè vt videam te. Certè enim si Deus non erat cum quo loquebatur, ostende mihi Deum diceret, & non ostende temetipsum; Si autem Deus erat cum quo facie ad faciem loquebatur, cur se petebat videre quem videbat? Sed ex hac eius petitione colligitur quia cum sitiebat per incircumscriptæ naturæ suæ claritatem cernere, quem iam cœperat per quas-
B dam imagines videre, vt sic superna essentia mentis eius oculis adesset, quatenus ei ad æternitatis visionem nulla imago creata temporaliter interesset. Et infra 34. Sciendum, inquit, est *Gregorius.*
quod fuere nonnulli qui Deum dicerent etiam in illa regione beatitudinis in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime videri; quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fefellit: neque enim illi simplici & incommutabili essentiæ aliud est claritas, aliud natura, sed ipsa ei natura sua claritas, ipsa claritas natura est: quia enim suis dilectoribus hæc Dei sapientia se quandoque ostenderet, ipse pollicetur dicens, Qui diliget me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo meipsum illi, ac si patenter dicat; qui in vestra me cernitis, restat vt in mea me natura videatis. Hinc rursus ait, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: ‖ *vnde* Paulus dicit, nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad ‖ hinc
faciem; nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam, sicut & cognitus sum. Et supra eodem, *Gregorius.*
Viderunt, inquit, Patres testamenti veteris Dominum, & tamen, iuxta Iohannis vocem,
C Deum nemo vidit vnquam, & iuxta beati Iob sententiam, Sapientia quæ Deus est, abscondita est ab oculis omnium viuentium, quia in hac mortali carne consistentibus; & videri potuit per quasdam circumscriptas imagines, & videri non potuit per incircumscriptum lumen æternitatis. Sin vero à quibusdam potest in hac adhuc corruptibili carne viuentibus, sed tamen inæstimabili virtute crescentibus quodam contemplationis acumine æterna Dei claritas videri, hoc quoque à beati Iob sententia non ‖ *abhorret*, qui ait, Abscondita est ab oculis omnium vi- ‖ aberrat
uentium; quoniam quisquis sapientiam, quæ Deus est, videt, huic vitæ funditus moritur, ne iam eius amore teneatur; nullus quippe eam videt qui adhuc carnaliter viuit, quia nemo potest amplecti Deum simul & sæculum. Qui enim videt Deum, eo ipso moritur, quo vel intentione cordis vel effectu operis ab huius vitæ delectationibus tota mente separatur: Vnde ad eundem quoque Mosem dicitur; Non enim videbit me homo, & viuet. Eandem quoque sententiam videntur & omnes Doctores Catholici concorditer attestari, & fides Ecclesiæ
D generalis.

CAP. XLI.

Recitat diuersos modos secundum diuersos videndi in verbo, obijcitque & soluit.

OStenso siquidem quod vera complexa possunt reuelari creaturæ rationali in verbo, & in essentia ipsa Dei, restat consequenter in-
E quirere de modo reuelationis istius; quomodo scilicet talia ibi valeant reuelari. Pro quo facilius cognoscendo primitus inquirendum videtur quomodo incomplexa reuelentur in verbo & Dei essentia creaturæ, & sic ad complexa procedendum vlterius ordinatè: In his nempe & in illis diuersi modi a diuersis di- Primus
uersimodè assignantur. Aliqui namq; putant quod in omnibus modus.
huiusmodi reuelatis & visis verbum Dei suppleat vicem tam habitus quam actus creati, & sit tā habitus quā actus creaturæ videntis. Alij æstimant quod verbum in omnibus huiusmodi sup- Secundus.
pleat vicem speciei siue habitus, & non actus, imo quod creatura per actum videndi creatum

 videat,

2ⁱ. Modus primus. videat, quod verbum velut species, habitus, seu idea ei præsentat; & hi vlterius tripliciter A sunt diuisi. Hi namque ponunt quod creatura videt distinctè singula siue incomplexa siue complexa quæ videt in verbo, per vnicum actum creatum beatificum supernaturalem singula distinctè, & immediate supernaturaliter præsentantem. 2ⁱ. Secundus. Illi vero, quod per vnum actum creatum videt omnia incomplexa in verbo, & per alium actum creatum omnia complexa quæ videt. 2ⁱ. Tertius. Isti autem, quod videt singula incomplexa atque complexa quæ videt in verbo per actus creatos singulos & distinctos, visis singulis respondentes. Huius autem sectæ tripartitæ quælibet via in duas semitas bipartitur, quantum ad numerum visibilium seu visorum; Hi namque ponunt creaturam posse simul videre in verbo infinita distinctè; illi vero tantum finita. Tertius modus principalis. Adhuc autem superiorem diuisionem vlterius prosequendo, Alij opinantur quod verbum non suppleat vicem speciei habitus, neque actus, sed quod quicquid incomplexum siue complexum creatura videt in verbo, videt per speciem, habitum atque actum creatam seu creatum; per speciem, inquam, seu habitum mediantem inter verbum & actum videndi; & tamen quod hæc dicuntur videri in verbo, sicut visa materialia dicuntur videri in Sole seu luce materiali; quia videlicet verbum velut quidam Sol & lux spiritualis ista illuminat, & disponit, vt valeant sic videri: & hi triplicem sectam habent ex parte huiusmodi habitus, sicut & priores ex parte actus habebant. B 3ⁱ. Modus primus. Quidam enim affirmant, quod per vnicum habitum omnia incomplexa & complexa ibi visa videntur: 3ⁱ. Secundus. Alij quod incomplexa per vnum & complexa per alium: 3ⁱ. Tertius. Aliqui quod singula visa incomplexa atque complexa per habitus singulos proprios & distinctos. Vlterius autem hi omnes bifariam partiuntur per infinitam & finitam quantum ad multitudinem visibilium seu visorum, sicuti & priores, qui & omnes de actibus correspondenter habitibus opinantur. Quartus modus principalis. Amplius autem sunt & alij mediantes qui dicunt, quod omnia incomplexa quæ videntur in verbo, videntur per ipsummet verbum, nulla creatura, nulla specie, habitu, seu actu mediante, sicut opinio prima dicit, sed quæcunque C complexa per creataram aliquam mediantem; & hi vt priores multipliciter separantur. Quintus. Adhuc autem præter istos mediatores, sunt & alij qui inter posteriores sectas satagunt mediare, dicentes quod omnia incomplexa, quæ videntur in verbo, videntur per actum creatum medium inter creaturam videntem & verbum, non tamen per aliquem habitum aut speciem mediantem, sed ipsum verbum omnis huiusmodi speciei & habitus vicem supplet; complexa autem, quæ ibi videntur, dicunt videri mediante tam habitu quam actu creato: habitu, inquam, creato mediante inter verbum & actum videndi, & actu creato mediante inter huiusmodi habitum & videntem, & vtroque mediante inter videntem & verbum. Qui insuper omnes, sicut priores, possunt dupliciter diuidi quantum ad numerum visorum in verbo, per infinita videlicet & finita. Quis autem horum modorum sit verior, & Philosophicæ ac Theologicæ disciplinæ concinnior, studiosorum diligentiæ inquirendum relinquo: hoc enim fortasis isto loco impertinens, vel operosius proposito aliquibus videretur, & quia ad alia propero via cæpta. D Primo tamen tangam hic breuiter aduersantium rationes: inter omnes autem rationes eorum duæ sunt quibus potissime innituntur; vna per distinctionem, alia per necessitatem procedens. Prima est talis; Si creatura distincta videret in verbo Antichristum fore, aut quod Antichristus contrarius erit Christo, siue quodcunque tale verum complexum distinctè videret extrema talis propositionis seu veri complexi, & non per eundem actum, quia per eundem actum præcise nequaquam distingueret aut discerneret inter illa, ille quoque actus esset purè æquiuocus, & eadem propositio vera & falsa, cum inconuenientijs alijs quas consequenter ex istis facile est videre. Secunda ratio eorum est talis; Si quicquam futurum contingens reuelaretur creaturæ in verbo illud necessario eueniret, quod arguunt per huiusmodi rationes, cuiusmodi contra responsiones priores superiora capitula adducebant. Prima autem ratio non procedit. Sic enim possent arguere, quod Pater non posset in verbo aut in essentia sua talia vera complexa videre, neque Filio aut Sancto Spiritui reuelare, contra sextum E & septimum, decimum octauum, & decimum nonum primi, ac tricesimum quartum huius: Deus etiam ex vnissima & simplicissima sed infinitissima sua virtute distinctissime cuncta videt, sicut ex septimo primi patet; Cur ergo secundum proximo huius præmissa, si velit misericorditer, omnipotenter, licet ineffabiliter accommodare oculum suæ virtutis creaturæ dispositæ, non potest & ipsa videre similiter quoquomodo, non virtute propria sed diuina? Nonne etiam creatura sciens aut credens in proprio genere quodcunq; verũ complexũ, quãcunque propositionem extrema quantũcunq; diuersa habentẽ, per vnũ simplicẽ actum sciendi aut credendi hoc facit? Cur ergo non potest similiter per vnum actum simplicem videre in verbo quodcunque verum complexum, præsertim cum verbum incomparabiliter simplicius exprimat quodcunq; verum complexum quam aliqua propositio, quam aliquis habitus,

quam

A quam aliqua creatura? Secunda similiter ratio non concludit. Si enim quia futurum contingens reueletur creaturæ in verbo, ideo de necessitate eueniet, cur non similiter quia Filio, & Spiritui Sancto in verbo & Dei essentia reuelatur, sicut patet ex tricesimo quarto huius? Dicent fortassis, quia reuelatio facta filio potest non esse & non fuisse ei facta, creaturæ autem nequaquam. Sed si reuelatio de futuro contingenti facta filio, re existente futura, potest non esse nec vnquam fuisse ei facta; potest similiter & re existente præsente, in præteritumue transmissa; aut si tunc non potest aut poterit, nec vnquam hoc potuit, aut nunc potest, sicut potest patere ex tricesimo & tricesimo primo huius. Si etiam ex reuelatione creaturæ in verbo sequatur necessitas reuelati, cur non ex reuelatione in proprio genere similiter consequetur? Modos autem videndi in verbo præmissos quanquam tanta leuitate transcurrerim, non nocet ipsos saltem breuiter tetigisse. Et licet quisquam modum videndi in verbo nequaquam statim possit videre ad plenum, non ideo statim resiliat tanquam incredulus
B visioni: multa namque mirabilia videmus & scimus certissime, multa quoque certissima fide tenemus, quorum modum in cæcitate præsenti perfectè comprehendere non valemus: comprehendemus autem perfectè tam rem quam modum cum euacuato quod ex parte est, venerit quod perfectum est, cum cognouerimus, sicut & cogniti sumus, cum viderimus facie ad faciem, sicuti est verissime ipsum verbum, candorem lucis æternæ, speculum sine macula maiestatis diuinæ, & imaginem bonitatis illius, in qua omnes res & modi perfectissime demonstrantur.

C

CAP. XLII.

Reducit adhuc opinionem tricesimam tertiam & eius hypothesin per viam reuelationis in proprio genere; & primo de Domino Iesu Christo, & recitat vnam responsionem dicentem, quod Christus potuit decipi, & refellit.

DEtecta siquidem infirmitate principalis hypothesis per viam reuelationis in verbo, restat eam detegere per viam reuelationis in proprio
D genere consequenter; & primo in Domino Iesu Christo, deinde in puris creaturis, Angelis & hominibus seruis suis. Ponatur igitur fuisse distinctè reuelatum Christo in proprio genere, A. futurum, puta saluatio Pauli adhuc superstitis viatoris, & quod ipse eam similiter credidit, & secundum hypothesin, possibile est Paulum non saluari; ergo & possibile est hoc non fuisse reuelatum Christo, nec ipsum hoc credidisse: nam necessario sequitur, Paulus non saluabitur, ergo hoc nunquam fuit reuelatum nec creditum à Christo; & antecedens est possibile secundum hypothesin, ergo & consequens, quod hypothesis tamen negat. Vel arguatur è contra, Necesse est hoc fuisse reuelatum Christo, creditumque ab eo; ergo necesse est Paulum saluari: nam necessario sequitur, hoc fuit reuelatum, Christo & creditum ab eo, ergo erit; si non sit, nec fuit; & antecedens est necessarium, ergo &
E consequens. Hic autem mulipliciter respondetur. Nam quidam dicunt quod ||*necesse* est Christum talem propositionem in proprio genere recepisse, Paulus saluabatur; sed non est necesse ipsam fuisse reuelationem, seu reuelatam, quia non est necesse ipsam fuisse veram, imo possibile est ipsam || *fuisse* falsam. Et si arguatur vlterius, & necesse est Christum hoc credidisse, ergo possibile est Christum credidisse falsum & fuisse deceptum; Certe & hoc consequenter respondendo concedere non verentur. Mirum est tamen qua fronte aliquis Christianus hoc præsumet concedere de Deo, & Domino suo Christo, cum nullus Iudæus, Agarenus, vel Gentilis quiscunq; tantam irreuerentiam seu blasphemiã potius audeat facere Deo suo. Quis enim vellet talẽ Deũ habere, quem quilibet stultus & miser facillime posset decipere tota die? Si etiam Christus posset decipi & errare, esset possibile quod summa veritas esset

|| necessariu n

|| esse

 falsa,

falsa, & summa sapientia falleretur. Et si quis adhuc respondere præsumat, quod in Christo sunt duæ naturæ, diuina scilicet & humana, & quod secundum diuinam non potest decipi vel errare, sed secundum humanam; ponatur ergo eum sic decipi, falsè credendo A. esse B. tunc Christus credit in particulari & in actu A. esse B. & firmiter credit & scit verum A. esse B, quia Christus est Deus, quia omnia vera verè scit in particulari & in actu, vt sextum & septimum primi docent; ergo Christus in particulari & in actu sub proprijssima forma sua ambo contradictoria simul credit, quod est impossibile manifestum: Quomodo namque potest quis certissime credere in particulari & in actu sub proprijssima forma sua aliquid esse verum, quod eisdem modis scit certissimè esse falsum? Quare & Philosophus 2. Prior. (illo capitulo, Accidit autem quandoque) determinans de falso opinionis, de possibili & impossibili, ostendit quod aliquis potest opinari simul opposita, vnum scilicet in vniuersali, & aliud in particulari; vnum in actu, aliud non in actu; vnum in propria forma, aliud verò extra; In particulari autem & in actu, & in forma propria nullo modo. Item si sic posset quis, vt Christus scire aliquam consequentiam esse bonam, & credere antecedens in particulari, & in actu sub forma propria sua, & non tamen credere consequens, imo scire certissime modis dictis consequens esse falsum, quod logicam totam infatuat & infirmat: & est contra Philosophum vbi prius. Ponatur namque Christum secundum intellectum eius humanum falso credere A. esse verum, & per sextum primi ipse credit & scit certissime A. esse non verum, & scit istam consequentiam esse bonam, A. est verum, & A. est non verum; ergo non verum est verum, vel ergo idem est verum & non verum, & credit totum antecedens quia vtramque partem eius, & non credit istud consequens vllo modo; imo secundum vtramque eius naturam scit certissime illud consequens esse falsum. Imo & necessario sequitur Christum secundum eandem naturam, humanam videlicet, posse credere simul contradictoria, & consequentiam, ac antecedens cum opposito consequentis. Nam si secundum animam credit falsum in proprio genere, simul secundum eandem credit seu scit verum oppositum in vebo, maxime de re ipsum specialiter concernente; vel saltem de omnipotentia Dei hoc potest, sicut præhabita quadragesimo huius docent. Hoc etiam nedum sequitur esse verum in Christo Deo, & homine, verum etiam in simplici homine, credendo videlicet in proprio genere vnum falsum, & videndo in verbo verum oppositum sicut Christus. Secundum istud similiter posset homo per demonstrationem mathematicam scire vnum, & per apparentiam sensitiuam, seu per aliquod argumentum probabile credere simul oppositum, puta solem vel stellam esse maiorem terra atque minorem. Item si Christus potuit decipi & errare, potuit falsè & erroneè prædicasse, & similiter docuisse, fuisse pseudo-Propheta, & pseudo-Christus, etiam Antichristus, quod qui concesserit, totam fidem Catholicam hæsitatione ac suspicione nimia fermentabit, qui & pro pseudo-Christiano merito conuincetur, & pro discipulo Antichristi. Item si hoc esset possibile, esset possibile consequenter Christum instituisse fallaciter omnia Ecclesiastica Sacramenta, ipsaque semper fuisse delusoria, nec efficaciam habuisse; quare & homines per illa nunquam fuisse saluatos, sed semper damnatos, sicut tricesimum quintum huius plenius arguebat. Item qui hoc præsumunt concedere, velant cum Iudæis faciem Christi, saltem interiorem scilicet intellectum, velo ignorantiæ, & percutiunt caput eius, eundem scilicet intellectum seu etiam verbum Dei, naturam eius diuinam lingua blasphemiæ dicentes ipsum posse decipi & errare, & per consequens, approbantes illud experimentum illusorium Iudæorum, Christum iam velatum percutientium, atque dicentium, Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? Nam si potuit credere falsum aliquod esse verum, cur non potuit credidisse ipsum qui percussit nullatenus percussisse, & etiam è contra, oculis eius iam perfectè velatis? Quod si falsò, erroneè diuinando, dixisset, Iste me percussit, & iste non percussit; quanto Iudæorum ridiculo meritò patuisset? Quam certam experientiam habuissent ipsum non fuisse Messiam? Item ponatur Christum iam velatum atque percussum erroneè credidisse, quod A. eum percussit; vel potuit Christus hoc assertiue dixisse, vel non: si potuit, ponatur, vel ergo mentiebatur proprie, eundo scilicet contra mentem sic dicendo, vel non: Si mentiebatur proprie, hoc est contra prius ostensa, tricesimo secundi, & etiam tantum dixit conformiter menti suæ; Si non; contra asseruit falsum scienter, vt patet per sextum primi; Si non potuit hoc asserendo dixisse, tunc non potuit asserere quod credidit esse verum, etiam si iuxta illam credulitatem illud asserere voluisset: etiam, si non potuit illud asserere, potuit asserere eius oppositum, quod si fecisset, asseruisset contra mentem, & mentitus fuisset. Item secundum Philosophum 1. & 7. Met. actus & operationes sunt singularium, & suppositorum: Christus autem fuit suppositatus tantum suppositatione diuina, scil. verbi Dei, sicut ostendit Petrus 3. sent. dist. 5. per testimonia satis firma. Si ergo Christus

A Christus secundum naturam suam humanam errasset, totum illud suppositum Filius Dei Deus errasset, sicque summa lux obtenebraretur, summa sapientia infatuaretur, & summa veritas falsaretur; & hæc est virtualiter ratio Damasceni per quam ostendit in anima Christi non fuisse consilium, electionem, neque ignorantiam alicuius, sicut tricesimum secundi plenius allegauit. Anselmus 2. Cur Deus homo 13. ostendit, Christum secundum naturam suam humanam non habere ignorantiam alicuius multiplici ratione, tum quia ignorantia ad nihil est vtilis, tum quia non posset tanta opera facere sine immensa sapientia, tum quia homines non crederent sibi, si scirent eum nescium, tum quia omne bonum amat, quare & cognoscit, & quia bonum nemo perfectè nouerit, nisi qui illud à malo scit discernere, & hanc discretionem nullus scit facere qui malum ignorat, sicut omne bonum perfectè sciet, ita nullum malum ignorabit. Si igitur secundum istos, ignorantia non fuit possibilis in Christo secundum naturam suam humanam, multo magis neque deceptio, neque fallacia, neque error. *Anselmus.*

B Petrus etiam 3. sentent. dist. 13. & 14. ostendit Christum secundum animam cuncta scire, ad quod similiter ostendendum dicit Fulgentium in quodam sermone plurima induxisse. Isti ergo qui se velut aliquid contrarium fidei Christianæ omnem ignorantiam circa animam Christi vitant, nonne multo magis omnem fallaciam & errorem tanquam venenum mortiferum circa animam eius deuitarent? Inspiciatur siquidem ratio quam adducunt. Nihil scit aliquis quod anima eius ignoret; sed Christus secundum omnem opinionem omnia scit; ergo anima eius omnia scit. Si ergo Christus, quia Deus, de necessitate scit omnia, quomodo anima eius nedum scitum aliquod ignorabit, verùm etiam eius oppositum æstimabit? De Christo etiam dicit Apostolus, In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, ad Col. 2. sed stultus thesaurarius esset ille, qui thesaurum sapientiæ & scientiæ in insipientiam & fallaciam permutaret. Item Augustinus super Psal. 21. tractatu secundo tractans illud verbum Christi Matt. 26. Vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur

Petrus. *Apostolus.* *Augustinus.*

C &c. Quare aurem calumniatoribus, scilicet Donatistis, accommodatis? Aut mentitus est Dominus, aut fefellit illum; eligant, quid dicant; aut mentitam dicant veritatem, aut deceptam dicant veritatem. Item si Christus possit nunc decipi, & semper fuisse deceptus, potest nunc esse miser & semper fuisse miser; quare nec nunc, nec vnquam prius beatus, sicut erat ostensum 34. huius, quod nullus præsumet concedere nisi miser. Item si Christus possit decipi, non esset de beatitudine sua certus, quare neque plenè beatus, sicut idem 34. docet. Item si Christus potest fuisse deceptus in proprio genere, credendo Paulum saluandum qui non fuit saluandus, potuit similiter secundum animam in proprio genere illud velle & orare Patrem pro eius salute; potuit ergo secundum voluntatem suam humanam velle interius, & operari exterius contrariè suæ voluntati diuinæ; & hoc scienter, quia iste homo Christus Deus noster sciuit voluntatem diuinam hoc nolle, & oppositum eius velle: Potuit ergo Christus peccasse, quia contra mandatum Patris scienter fecisse. Nam qui misit me Pater, inquit

D Christus, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam & quid loquar, Ioh. 12. quod præostensa tricesimo secundi nullatenus patiuntur.

CAP. XLIIII.

Tractat aliam responsionem.

E Porrò sunt alij tantum horrorem vitare volentes, qui dicunt quòd nunc est possibile Christum nunquam credidisse in proprio genere, Paulum fuisse saluandum. Sed ista responsio incidit in Scyllam volens vitare Charybdin. Si namque quod Christus credidit in proprio genere potest nullatenus credidisse, potest & quod similiter voluit nullatenus voluisse, quare & quod fecit exterius non fecisse; potest ergo non orasse, non locutus fuisse, non ambulasse, non passus fuisse, nec homines redemisse; potest & nunquam instituisse Ecclesiastica Sacramenta, nec iustificasse quempiam aut saluasse, sicut series rationum 33. & 35. huius plenius manifestat; quæ omnia planè interimunt hypothesin principalem. Rursum tunc actus credendi seu volendi Christi creatus in proprio genere præsens vel præteritus potest nunc non esse, nec vnquam fuisse, contra hypothesin manifestè. Præterea si Christus secundum hominem

nem ita poteſt, poteſt & alius purus homo vt Paulus, maximè dum ſint eiuſdem naturæ, ſal- A
tem per omnipotentiam magni Dei, & eius cooperationem, ſeu aſsiſtentiam ſpecialem; po-
teſt ergo. Paulus viator, qui credidit quicquam & voluit atque fecit, meruit, vel peccauit, ni-
hil horum feciſſe, nec operationes huiuſmodi habuiſſe, contra hypotheſin principalem. Am-
plius ſi ſit ita, poſsibile eſt Chriſtum mentiri, peiurare, atque peccare. Aſſerat namque nunc
Chriſtus cum iuramento firmiſsimo, ſine aliqua condittione expreſſa vel tacita, quantum
poteſt ſimpliciter abſolutè, quòd Paulus viator portabit nomen ſuum coram hominibus, ſeu
liberè faciet hoc vel illud, vel quòd hoc futurum, vel illud eueniet contingenter: adhuc ſe-
cundum hypotheſin poſsibile eſt illud nullatenus euenire; quare & eſt conſequenter poſsibile
Chriſtum illud nec neſcire nec credere, cùm per præoſtenſa capitulo proximo non poſsit de-
cipi vel errare; imò cùm ſemper omnia vera ſciat, poſsibile eſt ipſum nunc ſcire diſtinctè op-
poſitum eius quod nunc iuratoriè aſſerit; eſt ergo poſsibile quòd Chriſtus homo nunc iura-
toriè aſſerat contra mentem, ſicque eſſet in poteſtate libera viatoris reddere Dominum Deum B
ſuum mendacem, periurum, miſerum & infamem, quod licèt per ſe ſit ſatis abſonum & abſur-
dum, eſt etiam per prius oſtenſa 30. ſecundi veraciter reprobatum.

CAP. XLIV.

Recitat tertiam reſponſionem.

AD hæc autem, ſicut ad alia, non pauci, ſed ſuper capillos capitis mei
multi, erroris veteris clamoſi & tumidi defenſores, eò quòd contuma- C
cem ceruicem recuſant ſupponere iugo, licèt ſuauiſsimo, veritatis, re-
ſponſiones & obiectiones innumeras ſibi ipſis, & veritati contrarias
ſomniant & confingunt, quaſdam falſigraphicas, quaſdam litigioſas,
quaſdam peccantes in materia, quaſdam in forma, quaſdam in vtraque;
multas verò nec difficultatis inuolucrum euoluentes, verùm multi-
pliciori ſe reti inuoluentes; plurimas autem quas quilibet veritatis ami-
cus ad modicum quid prouectus facilè reprimet & conuincet. Peruerſi namque, vt dicit Ec-
cleſiaſtes, difficilè corriguntur, & ſtultorum infinitus eſt numerus. Nec mirum: erroris nam
ſemper eſt comes tortuoſa pluralitas; ſimplex verò vnitas veritatis. Quare & Philoſophus
14. Met. 3. Omnia, inquit, irrationabilia & repugnant ipſa ſibi ipſis, & rationabilibus, & vi-
detur in ipſis eſſe Simonidicus longus ſermo: fit enim longus ſermo, quemadmodum qui ſer- D
uorum, cùm nihil ſanum dicant: vnde & Parab. 14. Vbi verba ſunt plurima, ibi frequenter
Parabolæ. egeſtas. Hæ autem reſponſiones non omnes, ſed probabiliores videntur rationabiliter per-
tractandæ; inaniores verò ſub ſilentio tranſeundæ, ne tempus & ſtudium, prætermiſsis vtili-
Philoſophus. bus, circa inania inaniter conſumatur. Dicit enim Philoſophus 1. Phyſ. 11. Neque ſoluere
omnia conuenit, ſed quæcunque ex principijs aliquis demonſtrans mentitur; quæcunque
verò non, minimè: & 1. Topic. Quolibet contraria opinionibus proferente ſollicitum eſſe
ſtultum eſt, aut de quibus rationem habemus contrariam opinionibus. Quare non oportet
omne problema, nec omnem poſitionem conſiderare, ſed quam dubitabit aliquis rationis in-
digentium, & non qui pœnæ vel ſenſus. Qui & 3. Metaphyſ. 15. De fabuloſè, inquit, ſophi-
Sapiens. ſticantibus non eſt dignum cum ſtudio intendere; quare & Sapiens prohibet ſapienter ſtulto
ſecundum ſtultitiam ſuam reſpondere. Vna igitur reſponſionum iſtarum, quæ ſibi videtur
probabilis, aſſerit, quòd quamdiu obiectum creditum à Chriſto, aut volitum eſt futurum,
poteſt Chriſtus illud non credere neque velle, nec credidiſſe, nec etiam voluiſſe; cùm autem E
fuerit præſens vel præteritum, non ſic poteſt. Sed iſta per rationes triceſimi huius faciliter
conuincetur, cùm nullam huius neceſsitatis nouellæ cauſam poterit aſsignare, nec ipſam po-
nere ſine cauſa. Rurſum ponatur Chriſtum ſpecialiter oraſſe pro Paulo adhuc ſuperſtite via-
tore, & ſimiliter infideli vt conuerteretur ad fidem, alioſque conuerteret prædicando, ac bea-
tificaretur in cœlo; ponaturque Chriſtum feciſſe alia opera ad eundem effectum, puta veniſſe
ad eum, circumfudiſſe eum lumine, proſtraſſe, excœcaſſe, & ſimilia, ſicut hiſtoria Act. 9. do-
cet; nunc ergo medio tempore, in quo ſimus, poſsibile eſt Chriſtum nihil horum feciſſe,
quia poſsibile Chriſtum nunquam crediſſe aut voluiſſe futura huiuſmodi circa Paulum,
cùm ſit poſsibile hæc non fore, aut eſt poſsibile Chriſtum irrationabiliter, erroneè, & culpa-
biliter

A bilitet hæc fecisse, quia non conformiter, imò difformiter, & contrariè visioni in proprio genere, & in verbo ac mandato paterno. Ponatur namque ipsum recepisse mandatum à Patre, quòd nihil oraret aut faceret, nisi secundum quod esset sibi in proprio genere diuinitùs reuelatum. Nec potest quis fingere, quòd licèt non sit possibile effectus Christi præteritos non fuisse, possibile tamen esse ipsos non fuisse factos ad finem prædictum circa Paulum, sed ad alium finem omninò propter rationes præmissas 8. & 35. huius. Præterea medio tempore, in quo sumus, inter sudorem Christi sanguineum & eius terribilem passionem, secundum istos possibile est Christum nullatenus sic sudasse, sicut 33. huius plenius arguebat. Alij astruunt, quòd idem actus credendi in Christo, qui est aut fuit distinctissimus vnius obiecti potest esse & fuisse distinctissimus obiecti oppositi, non illius; sed tunc hoc posset sine mutatione quacunque; quare esset purè indifferens ad ostendendum menti Christi hoc obiectum vel il-
B lud; quamobrem sine determinatione aliqua per se ipsum neutrum distinctè ostenderet, vel vtrumque, sicut septimum primi plenius arguebat. Rursum omnis talis actus creatus in proprio genere, est res inanimata purè naturalis, non libera; ergo secundum ostensa contra quartam responsionem 30. huius semper sic agit & secundum vltimum suæ potentiæ, atque significat; quare si idem actus eodem modo dispositus possit repræsentare & ostendere vtrumque oppositorum, semper sic facit, quoniam nulla penitus ratio potest reddi, quare iste actus eodem modo omninò dispositus, heri ostendit animæ Christi vnum oppositorum, & hodie alterum. Item si sit ita, cùm actus proprijssimè, distinctissimè, immediatissimè per se & primò repræsentet, significet, & ostendat obiectum, posset & eadem similitudo seu species esse similiter propria oppositorum, & eadem ratione qua vna & alia, & sic quælibet pars definitionis & tota, sicque vnum oppositorum esset veraciter aliud: eadem quoque propositio numero esset vera & falsa, & contradictoria simul vera. Propositio namque affirmans
C per talem actum & speciem vtrique oppositorum communem vnum oppositorum de se, esset vera; propositio verò affirmans per actum & speciem eosdem numero, vnum oppositorum de altero esset falsa; & hæc propositio esset illa, quia per nihil penitus differret hæc ab illa; & quælibet pars huius esset pars illius similiter, & è contra. Secundum hoc & similitudines rerum in anima non significarent naturaliter semper vnum, sed ad placitum hoc vel illud, cuius oppositum anima sapiens facillimè experitur. Quare & Philosophus 1. peri hermenias 1. Quemadmodum, inquit, nec literæ omnibus eædem sunt, sic nec eædem voces; quorum autem hæ primorum notæ sunt, & eædem omnibus passiones sunt animæ, & quorum hæ similitudines, res etiam eædem; quod & omnes Logici & Philosophi sentiunt concordanter; beatus etiam Augustinus 15. de Trinit. 10. his consentit. Item tunc talis species seu actus in anima esset purè æquiuoca seu æquiuocus; significaret enim plura, scilicet ambo contraria æquè primò, quorum ratio substantiæ est diuersa, & eadem ratione, qua vna species siue actus, &
D omnes: quare nullus posset aliquid certè, distinctè, & propriè intelligere, componere vel diuidere, diligere, nec odire. Talis etiam æquiuocatio nondum fuit ab aliquo Logico aut Philosopho adinuenta; imò secundum eorum sententiam nec est possibilis inueniri: omnes enim concorditer sentiunt, quòd omnis species in anima naturaliter & vniuocè maximè significat semper vnum. Est insuper talis species in anima siue actus vniuoca seu vniuocus maximè, sicut præmissa testantur; quod & definitio vniuocorum in prædicamentis ostendit. Quis etiam terminus esset vniuocus, si non ille? Est igitur vniuocus & æquiuocus purè simul. Præterea si sit ita de specie & actu in anima, eadem ratione sic erit in memoria, & in omni sensu interiori & exteriori similiter, imò & in medio sensitiuo, & etiam in obiecto: hic enim stat sicut & fundatur tota huiusmodi resolutio naturalis. Quamobrem è contrario accidit. Nam sicut vnum obiectum est tantùm vnum, sic & causat naturaliter tantùm vnam speciem similem sibi tantùm in medio sensitiuo, sic etiam illa vltra in sensu exteriori, sicque vlteriùs per sensus interiores, donec similiter vltimò ad animam pertingatur. Præterea visio seu cogni-
E tio vnius oppositorum causat vnum effectum in anima vel in corpore cognoscentis, puta delectationem, dilatationem & huiusmodi; cognitio autem & credulitas alterius effectum oppositum; potest ergo aliquis effectus præteritus non fuisse, oppositusque fuisse sicut tricesimo sexto huius fuit ostensum: rationes etiam || *illæ* tricesimo sexto factæ contra istam responsiunculam plenè vadunt. Præterea quicunque hoc dixerit, habet similiter dicere de actibus voluntatis, quare & habet dicere consequenter quòd istud, quòd Christus vel alius purus homo mediante tali volutione fecit exterius, potest nunquam fecisse, sed eius oppositum, quod || *non* fecit. Item tunc actus in Christo, vel in alio, qui est aut prius fuit amor & meritum, potest nunc esse, & prius fuisse odium & peccatum: posset quoque amicus alicuius fieri seu esse inimicus eiusdem sine mutatione quacunq; in alio vel in ipso, contra præostensa 30. & 22. istius, &

|| illo
|| nunquam

Augustinus. & contra Augustinum 5. de Trinit. vlt. vbi dicit, Amicus relatiuè dicitur : neque enim esse A
incipit, nisi cùm amare cœperit : fit ergo aliqua mutatio voluntatis, vt amicus dicatur. Di-
Anselmus. citque Anselmus de libero arbitrio 7. quòd illa voluntas, quæ est opus, scilicet actus volunta-
tis, quæ est instrumentum naturale volendi, tam multiplex est quàm multa, & quàm sæpe
Philosophus. volumus. Quare & Philosophus 8. Eth. 7. distinguit species amationis & amicitiæ secundum species amatorum ; vnde sic ait, Altera, propter quæ amant ; alteræ ergo & amationes & amicitiæ. Alij verò ponunt esse posibile effectus præteritos factos à Christo mediante cognitione seu volutione humana fuisse factos ab eo, mediante tantummodo sua cognitione & volutione diuina. Sed isti refellentur per tricesimum nonum huius. Rursum secundum istud, nunc est posibile Christum secundum naturam humanam nunquam aliquid voluisse, nunquam aliquid meruisse, nunquam homines redemisse : hæc enim non fecit, nisi secundum naturam suam humanam ; quare & est nunc consequenter posibile nullum hominem fuisse saluatum. Præterea tunc actus Christi volendi creatus in proprio genere præteritus potest non fuisse, vel Christus inuitus quicquam fecisse, voluisseque difformiter & contrariè voluntati diuinæ, & mandato paterno, atque peccasse & miser fuisse. Alij adhuc in oculis suis subtiles, vt eis videtur, subtiliter respondendo affirmant Christum non intellexisse, aut credidisse in proprio genere per actus naturales similes actibus cognitiuis hominum cæterorum, sed per vnum actum supernaturalem supernaturaliter sibi datum, qui & sicut ipsum verbum & diuina essentia potest repræsentasse & ostendisse æqualiter quodcunque futurum fore vel non fore, sic & potest, vt asserunt, ille actus. Sed ista responsio Christum secundum naturam suam humanam & diuinam similiter molitur crudeliter mutilare. Nam secundum ipsam, Christus non potuit, neque potest habere propriam & perfectam operationem hominis naturalem, distinctam scilicet cognitionem obiecti per actum singulariter proprium & distinctum, sicut cæteri homines puri habent ; nec Deus de tota sua potentia potest Christo talem cognitionem conferre. Si namque Christus potuit aut posit quomodolibet talem cognitionem & scientiam seu credulitatem de futuris habere, ponatur ; & euacuatur responsio, & reuertitur difficultas. Aut si Christus non sit in aliqua potentia hominis mutilatus, potest, sicut & cæteri hominum in illam operationem hominis naturalem ; & etiam si Deus non sit in sua omnipotentia defalcatus, potest saltem de plenitudine potestatis dare Christo actum huiusmodi cognitiuum. Nam si non potest, aut hoc est propter impotentiam actiuam in Deo, quod nullus concedet, aut propter impotentiam susceptiuam in Christo, quod dici non potest, cùm quilibet alius homo eiusdem naturæ sit actus huiusmodi susceptiuus. Rursum Christus & cæteri homines sunt eiusdem naturæ, & isti naturaliter sunt capaces actionum hu-
Philosophus iusmodi, ergo & ipse, sicut per se patet : quod etiam testatur Philosophus 2. de cœlo 48. arguens quòd si vnum astrum mouetur motu circumgirationis, omnia sic moueri ; & 49. innuit simile argumentum de motu volutationis astrorum ; qui & 59. similiter arguit de sphæ- D
Auerroes. ricitate astrorum. Super quod Auerroes, Demonstratio, inquit, fundatur super hoc, quòd omnia corpora cœlestia sunt eiusdem naturæ specie, & quòd corpora cœlestia sunt plura indiuidua in specie ; & cùm ita sit, & necesse est vt illud quod existit in aliquo indiuiduorum speciei ex rebus essentialibus, existat in omnibus indiuiduis illius speciei ; & quòd figura est ex rebus essentialibus in corporibus cœlestibus, quia sunt animata ; secundum has igitur propositiones verificatur iste sermo, & non est per exemplum. Item formæ eiusdem naturæ natæ sunt habere operationes proprias eiusdem naturæ, & anima Christi, ac anima cuiuslibet hominis alterius sunt eiusdem naturæ. Item natura humana in Christo si esset dimissa à verbo, posset in se producere talem actum, nec verbum ipsam debilitat, sed fortificat potiùs nunc vnitam. Item simili ratione habent necessariò dicere consequenter Christum habuisse & habere similem actum volendi ; qui licèt nunc esset aut prius fuisset distinctisimus respectu vnius obiecti, posset nunc non esse & prius non fuisse illius, sed alterius ; quare & opus quod in præsenti à tali volutione procederet, vel in præterito processisset, posset nunc non esse, & E
in præterito non fuisse ; opus quoque, quod nunc non est, nec prius fuit, posset nunc esse, & prius fuisse. Item Christus potest habere actus cognoscendi & volendi similes actibus hominum cæterorum circa præsentia & præterita ; quare & circa necessaria, & circa futura omnia ; quare & circa contingentia vniuersa. Præterea non videtur quòd idem actus creatus cognitiuus aut volutiuus posset immediatè & per se solum semper eodem modo penitus se habentem esse distinctisimus omnium diuersorum, sicut superius contra responsionem similem est argutum : alia etiam argumenta contra illam pugnantia militant contra istam. Item cùm Christus secundum hominem, & alius purus homo sint eiusdem naturæ, & Christus secundum hominem est capax actus huiusmodi cognitiui, & similiter volutiui ; est & alius purus homo ;

A homo; cùm ergo purus homo sit capax, & Deus omnipotens potest ei dare tales actus cognoscendi atque volendi, quibus receptis, etsi nunc credat & velit, aut prius credidit & voluit aliquod futurum contingens merendo, peccando, aut opus extrinsecum faciendo, potest nunc & prius non ista, sed eorum opposita facere & fecisse. Contra istam responsionem similiter vadit processus 33. huius planè. Aliæ verò responsiunculæ possibiles hic confingi, per hæc & huiusmodi, iuuante gratia Iesu Christi, faciliter confringentur.

CAP. XLV.

B
Ventilat quartam responsionem.

QVidam autem volentes Christum defendere à mendacio, periurio, & peccato, dicunt, quòd illa, quæ Christus asseruit, & iurauit ad vnum intellectum, potest asseruisse & iurasse non ad illum, sed ad alium intellectum. Istud autem videtur assertum ex mirabili intellectu. Sint namque verba Christi tam plana & tam simpla, quòd non possint rationabiliter accipi ad duplicem intellectum, nec ad alium quàm primò prætendit superficies literalis, dicatque Christus & iuret se tantùm intelligere illo modo: & si quis dixerit adhuc Christum posse alio modo intelligere illud dictum, habet dicere consequenter, Christum nullum posse certificare de aliquo dicto suo, ad quem intellectum hoc dixit; & hoc est sacra Euangelia hæsitatione &
C suspicione nimia fermentare. Quis enim propter verba Christi incerta certè crederet aut faceret magnum aliquid & incertum? Nec posset cum Christo fieri ciuilis aut securus contractus, quantumcunque aliquid planissimè diceret, promitteret, vel iuraret: semper enim posset latere anguis in herba, & fallacia sub abscondito intellectu, essetque Christus magis mutabilis & varius in sermone, quàm Chamæleon in colore: colorem namque quem Chamæleon nunc habet vel in præterito habuit, necesse est eum nunc habere & in præterito habuisse; de intellectu verò sermonis Christi opposito modo se habet. Esset quoque assertio Christi dubitabilior & incertior, quàm assertio alterius hominis cuiuscunque, vt de ipso veraciter possit dici illud opprobriosum ridiculum Horatij 1. Epistolarum 1.

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?

Cùm tamen secundum Isidorum 2. de summo bono 31. Quacunque arte verborum quis *Isidorus.*
iuret, Deus, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui iuratur, intelligit: & alle-
D gatur 3. sentent. Petri dist. 39. & in Canone 22. Causa quæstione 5. Quacunque. Quare &
de ipsomet Domino nostro Iesu Christo scribitur, Marc. 4. Loquebatur eis verbum prout *Marcus.*
poterant audire; dicitque Apostolus 1. ad Cor. 14. Si nesciero virtutem vocis, ero ei, cui lo- *Apostolus.*
quor, barbarus, & qui loquitur mihi barbarus. Mirabilis insuper, imò & miserabilis magister ac inutilis videretur, qui nullum discipulum posset docere ad quam intelligentiam loqueretur: qualis namque esset communicatio inter illos? Hoc autem non decet Magistrum & Dominum nostrum Christum; quare & Luc. 24. scribitur sic de ipso, Aperuit eis sensum vt in- *Lucas.*
telligerent scripturas; qui & Discipulis suis dixit, Vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum, Matth. 13. Et Luc. 8. Qui habet aures audiendi audiat. Interrogabant autem eum Discipuli eius, quæ esset hæc parabola? Quibus ipse dixit, Vobis datum est nosse my- *Matth.*
sterium regni cœlorum Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes *Lucas.*
E non intelligant. Vnde videtur, quòd licet parabolæ Euangelicæ & amphibologicæ Iesu Christi possint accipi ad multiplicem & dubium intellectum, quòd tamen potest certificare de eis; quanto magis de alijs dictis suis; imò videtur quòd alia dicta sua non possunt rationabiliter accipi ad intellectum tam dubium, sed ad certum quem verba prætendunt, secundum communem hominum intellectum. Vnde Iohan. 16. Hæc in prouerbijs locutus sum vobis; ve- *Iohannes.*
nit hora, cùm iam non in prouerbijs loquar vobis, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis, quod debet intelligi pro statu vitæ præsentis, sicut indicat verbum sequens: nam immediatè subiungit, Illo die in nomine meo petetis. Quod & propter eandem rationem tenet Au- *Augustinus.*
gustinus, partis secundæ super Iohan. homilia 48. seu 102. totius. Præterea asserat Christus aliquid de futuro in anima humana, siue in Angelo per actus seu species naturales, significantes naturaliter tantùm vnum, sicut capitulo proximo est ostensum; & responsio non vitabit.

Dixit

Dixit enim Propheta, Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, Psalmo 84. Super quod A
Augustinus, Propheta dixit, Loquebatur in illo Deus intus, & mundus faciebat illi strepitum foris ; cohibens ergo aliquanto ab strepitu mundi, & auertens se ad se, & à se in illum cuius vocem audiebat interius, quasi obturans aurem contra tumultuantem vitæ huius inquietudinem, & contra animam corpore quod corrumpitur aggrauatam, & sensu terrena habitatione deprimente multa mala cogitantem, ait, Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Psalmo quoque 88. Locutus est, inquit, Deo Propheta, in visione Sanctis tuis ; vbi litera Augustini habet, aspectu ; quam sic exponit, Locutus est eis in aspectu, id est, in reuelatione ; vnde Prophetæ videntes dicebantur. Viderunt quiddam intus, quod dicerent foris, in occulto audierunt, quod palam prædicauerunt. Secundum istos etiam nec Spiritus Sanctus posset certè docere intellectum sacræ scripturæ contra illud Iohan. 14. Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggerit vobis omnia quæcunque dixero vobis : & contra illud eiusdem 16. Cùm venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. B Præterea si illud quod Christus dixit ad vnum intellectum, potest non dixisse ad intellectum illum sed alium, cùm talis intellectus in Christo sit aliquis actus cognitiuus proprius & distinctus, sicut potest haberi ex capitulo proximo, potest non habuisse actum quem habuit, & quem non habuit habuisse, quod hypothesi contradicit. Item Christus potest certificare hominem de intellectu suo in propositionibus de præsenti atque præterito ; quare & in propositionibus de futuro, & illa quæ in istis ad vnum protulit intellectum, non potest ad alium protulisse, quare nec in alijs de futuro. Item eadem ratione habent dicere consequenter, quòd id quod Christus voluit atque fecit vna intentione & ad vnum finem, potest non voluisse aut fecisse illa intentione, sed alia, ad alium quoque finem, & cùm intentio finalis sit aliquis actus voluntatis proprius & distinctus, directus in aliquem finem proprium & distinctum, sicut patet ex capitulo proximo, potest Christus non habuisse actum voluntatis quem habuit, & quem non habuit, habuisse : potestque non fuisse passus, nec instituisse Ecclesiastica Sacramenta pro iustificatione hominum vel salute ; quare & iustificati & saluati per illa possunt nunc esse non tales, & in præterito non fuisse ; potest quoque Christus similiter non fecisse quæ fecit, & quæ non fecit, fecisse. C Item si hæc sint posibilia de Christo secundum naturam humanam, erunt & similia posibilia de puro homine, sicut ex præhabitis capitulo proximo potest ostendi ; quæ ergo purus homo asseruit, voluit, atque fecit ad vnum intellectum & ad vnum finem proprium & distinctum, potest non ad illum, sed ad alium hæc fecisse ; quare purus homo, qui taliter faciendo meretur, aut peccat, meruit, aut peccauit, & iustam mercedem recipit aut recepit, potest non sic, sed oppositè singillatim. Hæc etiam possunt de puro homine per eadem reprobari, per quæ similia de Christo Deo & homine fuerant reprobata. Alij magis specificantes istam responsiunculam, æstimant posse asseruisse sub conditione saltem tacita quod asseruit absolutè. Sed hi possunt redargui, sicut primi : omnis enim conditio tacitè intellecta est aliquis actus intellectus ; est ergo posibile præteritum non fuisse. D Eadem etiam ratione quod Christus voluit absolutè; potest non sic voluisse, sed sub conditione tantummodo adhuc futura ; & cùm ex voluntate conditionali non sequatur effectus, nisi demum fortasis conditione extante, possunt Ecclesiastica Sacramenta non fuisse, vel vtilia non fuisse, factaque eius præterita non fuisse. Ponatur etiam Christum heri asseruisse & voluisse aliquid cras futurum sub conditione hodie adimpleta, & reuertitur difficultas. Hæc etiam omnia simili ratione sunt de puro homine concedenda, quare & inconuenientia ad quæ superius est deductum. Præterea si Christus scit futura contingentia, sic potest illa asserere ; scit autem illa simpliciter absolutè, sic enim sunt vera ; & sicut sunt vera, sic scit illa. Rursum si Christus nesciret futura nisi sub conditione, vel scit quòd conditio extabit, vel non. Si scit, aut ergo sub alia conditione, vel simpliciter absolutè : si sub alia conditione, erit processus huiusmodi in conditionibus infinitus, nec vlla talis scientia de finita : si simpliciter & absolutè, & simili modo scit futura, asserat etiam absolutè impletionem conditionis illius, & E
responsio vacuatur ; si non scit quòd extabit conditio, non scit certè : nec scit tunc aliter quàm alius purus homo. Amplius autem asserat Christus A. fore sub B. conditione, & asserat simpliciter B. fore, & reuertitur difficultas. Et si quis adhuc dixerit quòd illa assertio potest esse sub alia conditione, puta C. tunc potest esse processus in conditionibus talibus infinitus, & nulla penitus nisi de sola incertitudine certitudo, sicut superius est argutum. Item asserat Christus quicquam futurum, & asserat se asserere illud simpliciter absolutè sine quacunque conditione tacita vel expressa. Alij verò dicunt, quòd non omnis qui dicit falsum mentitur, sed quia dicit falsum animo asserendi ; & quòd Christus, licèt aliquid dixerit animo asserendi, potest illud huiusmodi animo non dixisse. Sed istud per iam præhabita refelletur, quoniam

animus

A animus asserendi proprius & distinctus est finalis intentio siue propositum, & aliquis actus voluntatis vel intellectus proprius & distinctus. Alij opinantur quod mentiri est contra mentem ire cum intentione fallendi; Sed Christus non habuit intentionem fallendi; quare & si quis dixerit contra mentem, non est tamen mendacij redarguendus. Sed hi serui nequam blasphemant nequiter Dominum nostrum Christum: concedunt namque ipsum posse falsum asserere contra mentem scienter & peierare; quare & consequenter habent concedere ipsum posse peccare contra prius ostensa tricesimo secundi. Nam omne factum contra conscientiam est peccatum, dicente Apostolo, Omne quod non est ex fide peccatum est, ad Rom. 14. Glossa, Omne etiam, si bonum sit in se, quod non est ex fide, id est, quod fit contra fidem, id est, contra conscientiam, peccatum est: quod & simili modo intelligit consilium generale, sicut patet extra de præscriptionibus capitulo vltimo; & Papa Innocentius tertius, supra de restitutione spoliatorum capitulo, Literas; vbi & adiungit illud
B vulgatum, Quicquid fit contra conscientiam ædificat ad gehennam. Quomodo etiam excusabitur quis ab intentione fallendi, si asseruit falsum scienter intendens vt tanquam verum sincerum ab auditoribus crederetur? Alij adhuc ponunt non oportere Christum fuisse mentitum, & si asseruit vnum falsum, quia non oportet hoc fuisse contra mentem ipsius. Sed hi mirabilem mentem habent: non enim aduertunt Christum esse Deum & hominem, ideoque saltem secundum naturam suam diuinam omnia verissime cognoscentem. Item secundum naturam suam humanam scit omnia saltem ad ipsum spectantia de propinquo, vt quadragesimo secundo huius erat ostensum; vel saltem secundum illam naturam credidit esse verum quod per illam asseruit: Non enim oblitus fuerat regulæ, quam docebat; Sit sermo vester, Est, Est, Non, Non. Matth. 5. Est in corde, est in ore: & similiter negatiue; maximè autem quicquid iurauit, credidit esse verum; alias etenim nimis perperam iurasset, & potest esse qd. falsum asseruit & iurauit; ergo & quod credidit falsum esse verum, quare & quod fuit decep-
C tus, quod quadragesimo secundo huius fuerat reprobatum: vnde etiam sequitur esse possibile ipsum peccasse, cuius oppositum tricesimo secundi fuerat demonstratum. Item asserat iusiurando se scire vel credere in proprio genere sic esse futurum, sicut asserit atque iurat, & responsio non respondet.

CAP. XLVI.

D

Contra eandem opinionem & hypothesin per viam reuelationis in || proprio *genere de puris creaturis, scilicet, Angelis.* || primo

His ergo duce Christo secundum primam semitam huius biuialis reuelationis in proprio genere, de Domino scilicet Iesu Christo, contra hypothesin principalem oppositis, consequens videtur per alteram eius methodum, de puris scilicet creaturis, Angelis,
E hominibus, seruis suis procedere contra eam. Fiat siquidem reuelatio in proprio genere Michaeli de bonis meritis futuris, & de saluatione Pauli adhuc in sæculo peregrini, qua non obstante potest Paulus nec mereri, nec saluari; quare & Michael decipi & prius fuisse deceptus; quamobrem & tunc non esse nec prius fuisse beatus, sicut docent præhabita tricesimo quarto huius. Rursum, quia sicut dicit Philosophus, Vno inconuenienti dato alia contingunt, ex isto vlterius sequitur euidenter

Michaelem non eſſe nunc certum de beatitudine ſua futura ; imò quod videtur abſurdius, nec præterita, nec præſenti : Hæc enim dependet ex vno incerto, quia contingenter futuro ; quare nec nunc eſt, nec vnquam fuit beatus, vt patet ex prius oſtenſis triceſimo quarto huius. Conſequitur etiam ex eodem, quod ſit in poteſtate Pauli miſeri peregrini in terra detrahere Michalem fælicisſimum ciuem in cœlo à beatitudine ſua ſumma ad imam miſeriam, quia ipſum præſtigiando decipere turpiter tota die : Imo quod grauius eſt & peius ſequitur nunc eſſe poſsibile, & ex voluntate Pauli pendere Michaelem nunc peccare, & prius peccaſſe. Ponatur enim iuxta autoritates de orando & modo orandi præmiſſas viceſimo tertio & viceſimo quinto primi, Michaelem recepiſſe mandatum in proprio genere, quod omnem, & ſolum oſtenſum ſibi & viſum ſaluandum in proprio genere & in verbo velit ſaluari, iuuetque obſequijs & beneficijs ſolum talem ; oſtendaturque ſibi in proprio genere & in verbo Paulum adhuc peregrinum ſaluandum, velitque volutione in proprio genere ipſum ſaluari, obſequia quoque ac beneficia ei præſtet : quibus omnibus ita factis adhuc eſt poſsibile Paulum non ſaluari ; quare & Michaelem peccaſſe volendo ipſum ſaluari, & beneficia ſibi præſtando contra mandatum diuinum ; cum ſit poſsibile ipſum non vidiſſe Paulum ſaluandum in proprio genere & in verbo, imo vidiſſe oppoſitum huius in verbo, & hoc in proprio genere non vidiſſe, cum falſum nullatenus videatur, ſicut nec ſcitur. Ponatur etiam conſequenter ad iſtud, quod Michael confortando Paulum appareat ei, & dicat, Gaudium tibi ſemper ſit, quia tu es de numero ſaluandorum ; adhuc autem eſt poſsibile Paulum pro nunc non eſſe ſaluandum, ſed damnandum ; & Michaelem hoc nunc videre in verbo, quare & contra mentem iſtud aſſerere & mentiri ; eſſe quoque Angelum Satanæ, à veritate Apoſtatam, ac in præterito ſic fuiſſe. Præterea ſequitur Michaelem poſſe credere duo contradictoria plane ſimul, contra præoſtenſa quadrageſimo ſecundo iſtius. Nunc enim credit in proprio genere Paulum eſſe ſaluandum, & neceſſe eſt eum credere pro nunc ita, & poſsibile eſt eum pro nunc videre oppoſitum eius in verbo, quia poſsibile eſt pro nunc oppoſitum eſſe verum, & oſtenſum ſibi in verbo. Amplius autem ſi poſsibile ſit Paulum non ſaluari, poſsibile eſt Michaelem non ſciuiſſe certitudinaliter in proprio genere ipſum fuiſſe ſaluandum ; quare nec voluiſſe in proprio genere ipſum eſſe ſaluandum, nec ei beneficia præſtitiſſe, quia hæc certa viſio fuit cauſa quare voluit hæc & fecit ſicut & de viſione in verbo triceſimo tertio huius & ſequentibus capitulis plenius eſt || *argutum*. Secundum iſtud ſimiliter poteſt quilibet miſer inferre facillime tota die ſanctiſsimis & beatiſsimis Angelis nocumentum & pœnam ſine culpa aliqua præcedente, quod videtur in eorum miſeriam & in Dei iniuriam redundare, ſicut triceſimo tertio huius diffuſius monſtrabatur.

|| oſtenſum

A B C D

CAP. XLVII.

Contra eandem opinionem & hypotheſin per eandem viam de puris hominibus.

E

NVnc autem poſt Angelos ad homines veniendum. De hominibus ſiquidem pro ſtatu innocentiæ, & pro ſtatu gloriæ poteſt ſimiliter argui, ſicut de Angelis proximo eſt argutum. Rurſum omnes ſancti etiam virgo beata, ante paſsionem ſalutiferam. Ieſu Chriſti erant mundati, & ſaluati in fide & virtute illius paſſionis futuræ, ipſis quodammodo in proprio genere reuelatæ : Ipſe namque lapis angularis effectus, tunſione multiplici

A tiplici passionis vtrumque parietem compaginauit in vnum, cæmento tenacissimo sui sanguinis benedicti. Ipse est etiam, cui & turbæ quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes, Hosanna filio Dauid: Quare & Apostolus, Vna, inquit, fides non multæ. Vnde & beatus Gregorius 2. super Ezechiel. homilia quinta siue decima septima totius, Præcessit, inquit, Iudaicus populus, secutus est Gentilis, & quia omnes electi, siue qui in Iudæa esse potuerunt, siue qui nunc in Ecclesia existunt, in Mediatorem Dei & hominum crediderunt & credunt; qui præeunt, & qui sequuntur, Hosanna clamant. Hosanna autem in Latina lingua, Salua nos, dicitur: Ab ipso autem salutem & priores quæsierunt, & præsentes quærunt, & benedictum qui venit in nomine Domini confitentur; quoniam vna spes, vna est fides præcedentium atque sequentium populorum. Nam sicut illi expectata passione ac resurrectione Domini ‖*saluati* sunt; ita nos præterita passione illius ac permanentis in sæcula resurrectione saluamur. Beatus simili-

Apostolus. *Gregorius.* ‖ sanati *Augustinus.*

B ter Augustinus Hypognost. 63. Omnes, inquit, sancti Dei, qui ante aduentum fuerunt Domini nostri Iesu Christi, fide non alia, nisi quæ nunc est, salui facti sunt; qui & de libertate arbitrij 7. De perfectione iustitiæ 32. de natura & gratia 44. In epistola nonagesima tertia ad Optatum. 2. de Nuptijs & concupiscentia docet idem. Anselmus etiam 2. Cur Deus homo 17. vult hoc idem, quod & volunt concorditer omnes Catholici tractatores: hoc ergo pro constanti supposito arguatur pro tempore medio in quo simus inter istos effectus præteritos & passionem illam futuram, necesse est istos effectus fuisse, ergo necesse est passionem hanc fore, vel si non necesse est passionem hanc fore, nec est necesse effectus istos fuisse: non enim potuerunt mundari & saluari in fide erronea fallaci & falsa: si namque potuerunt tunc, possent nunc & semper, quod videtur fidem catholicam suspicione nimia maculare, seu potius diffamare, ac reddere homines tepidos, & nimium dubios ad credendum. Quomodo etiam posset falsitas tantum valere quantum veritas

C ipsa valet? Quis hoc concesserit nisi falsus? Insuper si fides falsa sufficeret, superflueret fides vera, maxime cum idem effectus contingeret, & breuius multum & leuius ex fide falsa quam vera. Ad veram namque fidem requirebatur incarnatio, natiuitas, prædicatio, passio & mors Christi, cum multis alijs factis suis: ad falsam vero sufficeret ipsa sola. Suffecisset igitur plenissime ad salutem perstitisse in fide falsa de Christo futuro vsque ad completionem numeri electorum, & sic sæcula conclusisse; quare sicut arguit Apostolus ad impossibile, vt reputat, deducendo, Christus gratis mortuus est; Si, inquit, ex lege iustitia, ergo Christus gratis mortuus est, ad Galat. 2. Glossa, gratis, id est, frustra, sine causa: nam secundum Philosophorum sententiam, quam semper supponunt tanquam vnam maximam per se notam, frustra ponuntur plura, vbi sufficiunt pauciora: tantum etiam valuisset Pseudo Christus, quantum valuit verax, & veritas ipsa Christus, quod nullus, vt spero, præsumet concedere, nisi forte Pseudo-Christianus, & discipulus pseudo-Christi, veri scilicet Antichristi. Quare &

D Anselmus 2. Cur Deus homo 17. tractans istam materiam, Vere, inquit, moriturus erat, quoniam si verè non fuisset moriturus, non fuisset vera fides futuræ mortis eius, per quam & illa virgo de qua natus est, & multi alij mundati sunt à peccato; & si vera non fuisset, nihil prodesse potuisset. Quare & fidelis Christi Ecclesia fideliter tota canit, Vera fides geniti purgauit crimina mundi. Præterea Christus asseruit, & iurauit futura aliqua euentura, sicut suam passionem, resurrectionem, ascensionem, generalem resurrectionem, Iudæ traditionem, Petri negationem, & multa similia; Medio ergo tempore in quo simus, si ista possunt nullatenus euenire, potest Christus fuisse mentitus, periurus, atque peccator contra præostensa trigesimo secundi; vel si Christus non potest hæc fuisse, necesse est quæ iurando asseruit, euenire. Item Deus multa futura prædixit hominibus in proprio genere, asseruit, promisit, atque iurauit; ergo necesse est illa omnia euenire, vel Deum mentiri: sed Deum impossibile est mentiri. Hoc etiam totum euidenter apparet ex autoritatibus circa fatum seu

E famen diuinum vigesimo septimo huius, & ex rationibus ac autoritatibus trigesimo secundo huius præmissis. Quare & Dominus per Prophetam, Neque prophanabo testamentum meum, & quæ procedent de labijs meis non faciam irrita, seu non reprobabo, sicut habet Psalterium Romanum: quod Augustinus exponit, semel iuraui in sancto meo, si Dauidi mentiar Psalmo 88. Testamentum autem secundum Papiam, & secundum Isidorum 5. Ethic. 8. in Scripturis sanctis non hoc solum dicitur, quod non valet nisi testatoribus mortuis, sed omne pactum & placitum dicitur testamentum; quare & translatio Hieronymi habet ita, Neque violabo pactum meum, & quod egressum est de labijs meis non mutabo: Vbi Aug. Non quia filij peccant, ideo ego mendax inueniar; promisi, facio: Pone quia volunt

Augustinus.

volunt illi etiam cum desperatione peccare, & sic ire omninò in peccata, vt offendant oculos Patris, & exhæredari mereantur; nonne ipse est Deus, de quo dictum est, De lapidibus istis suscitabit Deus filios Abrahæ? Nouit Dominus qui sunt eius: Securus enim promisit, qui nos antequam essemus, prædestinauit. Peccent quantum volunt desperati, respondeant membra Christi, Si Deus pro nobis, quis contra nos; non ergo nocebit Deus in veritate sua, non erit fallax, non prophanabit testamentum suum: manet immobile testamentum eius, quia ipse præscius prædestinauit hæredes, & quæ procedunt de labijs eius non reprobabit. Audi iam confirmationem tuam, audi iam securitatem tuam; si te in membris Christi esse cognoscis, Semel iuraui in sancto meo, si Dauidi mentiar; Expectas vt iterum iuret Deus? Quoties iuraturus est, si semel iurando mentitur? Cassiodorus, Semel, id est, immutabiliter; quomodo Augustinus & Isidorus exponunt illud Psalmi 61. Semel locutus est Deus, sicut vicesimum septimum huius plenius recitauit. Et infra supra illud, Tu vero repulisti &c. Auertisti testamentum &c. Quid est hoc, inquit Augustinus, Illa omnia promisisti, tu verò ista contraria fecisti? Vbi sunt promissiones ad quas paulo ante gaudebamus, de quibus tam alacriter plaudebamus, de quibus securi gratulabamur? Quasi alius promiserit, alius euerterit; quod mirandum est; non alius, sed tu vero, tu qui promittebas, tu qui confirmabas, tu qui propter dubitationem humanam etiam iurabas, Illa promisisti & ista fecisti. Vbi tenebo iusiurandum tuum? Vbi inueniam promissum tuum? Quid est hoc? Ita vero falsum promitteret Deus, aut falsum iuraret? Quare ergo illa promisit, & ista fecit? Ego dico, quia ista fecit, vt promissa firmaret. Dauid enim positus erat, cui promitterentur hæc omnia in ‖ *semine* eius, quod est Christus, implenda; Propter promissa ergo, quæ dicta sunt ad Dauidem, expectabant homines ea impleri in Dauide. Proinde ne quisquam Christianus cum diceret, De Christo dixit; alius diceret, Non, sed de illo Dauide dixit, & erraret cùm videret impleta esse in Christo omnia; destruxit ea in Dauide, vt cùm videas ea in illo non impleta, quæ necesse est impleri, quæras alterum in quo ostendantur impleri. Ita etiam de Esau & de Iacob inuenimus maiorem adoratum à minori, cùm scriptum sit, Maior seruiet minori; vt cùm in illis duobus præcedentibus videas non impletum, expectes duos populos in quibus impleatur, quod non mendax Deus polliceri dignatur: Ecce ex semine tuo, dixit Dauidi, ponam super sedem tuam. Promisit ex semine eius in æternum aliquid, & natus est Solomon; factus est tantæ sapientiæ, tantæque prudentiæ, vt promissio Dei de semine Dauidis in illo putaretur impleta. Sed cecidit Solomon, & dedit locum sperando Christo, vt quoniam Deus nec falli posset nec fallere, quem sciebat casurum, non in eo poneret promissum suum, sed post casum eius respiceres tu Deum, & flagitares promissum tuum; ergo Domine mentitus es? Non imples quod promisisti? nec exhibes quod iurasti? Fortè hic dicturus tibi erat Deus, Iuraui quidem, & promisi, sed iste noluit perseuerare. Quid ergo? Tu Domine Deus non præsciebas istum non perseueraturum? Vtique sciebas; Quare ergo in non perseueraturo mihi quod in æternum esset promittebas? Nonne tu dixisti, Si dereliquerint legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint, & mandata mea non custodierint, & testimonium meum prophanauerint, manebit tamen promissio mea, implebitur iuratio mea, Semel iuraui in sancto meo, si Dauidi mentiar? Exhibe ergo quod iurasti, redde quod promisisti. Sublatum est de isto Dauide, ne expectaretur in isto Dauide; Expecta ergo quod promisi, Nouit illud & ipse Dauid; vide ergo quid dicat, Tu verò repulisti, & ad nihilum deduxisti, ergo vbi est quod promisisti? Distulisti Christum tuum. Quamuis tristia quædam enumeret, in hoc tamen verbo reficit nos, manet omninò Deus quod promisisti; nam Christum tuum non abstulisti, sed distulisti. Vbi & Cassiodorus, superius cùm de Christo promitteret Pater, locutus est de Dauide, de quo nunc contraria ponit, vt, quæ necesse erat fieri, quia Deus iurauerat, non in eo potius, sed in alio quærerentur implenda: dicitque Apostolus 2. ad Timoth 2. Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. Glossa, Si nos non credimus quòd puniat malos, stultè confisi sumus de misericordia eius; ille tamen, scilicet Christus, permanet fidelis in dictis suis, & in eo etiam quod dixerit, Qui non crediderit, condemnabitur, & vere fidelis est, quia non potest negare seipsum, qui est veritas, quod faceret si dicta sua non impleret. Hoc autem, quod seipsum negare non potest, laus est voluntatis diuinæ, sicut, quòd quidam non possunt credere, culpa est voluntatis humanæ; hæc autem vltima pars huius glossæ est Augustini super Iohan. homilia 53. qui & decimo quinto de Trinitate 14. Falsum, inquit, habere aliquid hoc verbum nunquam potest, quia immutabiliter

Margin notes: *Cassiodorus.* *Augustinus* ‖ semen. *Apostolus.* — Section letters: A B C D E

A mutabiliter sic se habet, vt se habet de quo est. Non enim potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem; Potenter hoc non potest, nec est infirmitas ista, sed firmitas, quia falsa esse non potest veritas: Et infra decimo quinto; Magna illius verbi potentia est non posse mentiri. Item si Deus non redderet quod promisit, non esset fidelis, nec iustus; vnde ad Hebræos 6. Non iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius. Et 2. ad Timotheum 4. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Quod tractans Augustinus super illud Psalmi 100. Misericordiam & iudicium cantabo tibi, Domine, sic ait; Quomodo dicit, videte, Bonum certamen certaui, &c. hoc tempore misericordiæ, audi de iudicio, De cætero reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Non dixit, donabat, sed *Augustinus.*
B reddet; quando donabat, misericors erat, quando reddet, iudex erit, quia misericordiam & iudicium cantabo tibi, Domine; Sed donando delicta fecit se coronæ debitorem; Ibi misericordiam consecutus sum; misericors ergo Dominus primò; hic autem reddet mihi coronam iustitiæ. Vnde reddet? quia iustus Iudex est. Quare iustus Iudex? quia bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui; Ideo iustus non potest nisi coronare ista. Dicitque Propheta, Rectum est Domini verbum, & omnia opera eius in fide, Psalmo 32. *Propheta.* super quod Augustinus tractatu secundo, Inuenimus Deum fidelem, Audi Apostolum, Si *Augustinus.* non credimus, ipse fidelis permanet, negare semetipsum non potest. Habemus ergo & fidelem Deum; distinguamus potiùs fidelem Deum à fideli homine: Fidelis homo est, credens promittenti Deo; fidelis Deus est, exhibens quod promisit homini. Teneamus fidelissimum debitorem, quia tenemus misericordissimum promissorem. Vnde debitorem? quia promissorem: Non dicimus Deo, Domine, redde quod accepisti, sed, redde quod promisisti,
C quoniam rectus est sermo Domini. Quid est, rectus est sermo Domini? Non te fallit, tu eum noli fallere, imò tu te noli fallere. Item Deus iurauit multa futura fore, & omne Dei iuramentum est necessarò adimplendum: Alias enim Deus posset peiurare, & esse periurus. Hoc idem patet per allegata superiùs ex Psalmo 88. & Augustino ibidem; quod & videtur testari illud Psalmi 109. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: & illud Psalmi 131. Iurauit Dominus Dauidi veritatem, & non frustrabitur eum; vbi litera Augustini, Et non pœnitebit eum; Super quam sic ait, Quid est, iurauit? promissum per seipsum firmauit. Quid est, non pœnitebit eum? non mutabit. Cùm ergo mutat opera sua per incommutabile consilium suum, propter ipsam non consilij, sed operis mutationem pœnitere dicitur; hoc autem sic promisit, vt non mutaret, quomodo dicitur & illud; Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: sic & hoc, quia ita promissum est vt non mutaretur, quia necessariò futurum erat & permansurum, Dixit, Iurauit
D Dominus Dauidi veritatem, & non pœnitebit eum, Ex fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Item Esaię 14. Iurauit Dominus exercituum dicens, Si non vt putaui, ita erit: Glossa Iurauit, id est, immobiliter statuit; si non, &c. quasi diceret, aliter non potest fieri. Item Genes. 22. Dominus loquens Abrahæ, Per memetipsum, inquit, iuraui, quia fecisti rem hanc, &c. Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, &c. Glossa super Iuraui, quia immutabiliter à Deo constitutum est, quod verbum in sacra Scriptura eodem modo expositum sæpissimè reperitur. Quare & Basilius concordanter super illud Luc. 1. Iusiurandum quod iurauit ad Abraham Patrem nostrum; Nemo, inquit, audiens quod iurasset Dominus Abrahæ, ad iurandum sit promptus. Sicut enim furor de Deo dictus non significat passionem sed punitionem; sic neque Deus iurat vt homo, sed verbum eius loco iuramenti nobis ad veritatem exprimitur, immutabili sententia quod promissum est appro- *Basilius.*
E bans. Quam expositionem satis canonizare videtur Apostolus ad Hebr. 6. cùm dicit, Abrahæ promittens Deus, quoniam neminem habuit maiorem per quem iurauit, iurauit per seipsum dicens, Nisi benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo te: Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem. Homines enim per maiorem sui iurant, & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum; In quo abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem quam habemus, sicut anchoram animæ tutam ac firmam. Glossa, per duas res immobiles, id est, per promissionem & iuramentum. Quare & Hieronymus trigesimotertio super Esaiam, tractans illud Esaiæ 45. In memetipso iuraui, egredietur de ore meo iustitiæ verbum, & non reuertetur, quia *Apostolus.* *Glossa.* *Hieronym.*

 mihi

mihi curuabitur omne genu; Iurat, inquit, secundum Apostolum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimam consolationẽ habeamus: veruntamen nullus propter hæc & huiusmodi suspicetur, quod Deus aliter intrinsecè iuret, quàm dicat simpliciter; aut quod iuramentum Dei intrinsecum sit firmius aut certius simplici verbo eius: Non enim est facilius Deum falsum simpliciter dicere, quam iurare; quicquid etiam ibi est, bonum est; & quicquid etiam boni ibi est, infinite & summe ibi est, sicut præcedentia docuerunt. Huic autem attestatur Glossa super illud Amosi. 6. Iurauit Dominus Deus in anima sua; Omnis, inquiens, sermo Dei pro iuramento debet accipi; & nostro more loquitur, non quod animam habeat sicut nos, sed nomine animæ affectus diuinæ voluntatis ostenditur: Iurauit ergo in sua voluntate. Cur ergo iurat Deus hominibus? Vt tarditati & incredulitati eorum misericorditer condescendens, ipsos more humano certificet & quietet. Item futura per Deum reuelata Prophetis antiquis, & prophetata per eos de necessitate euenient; Alias enim nunc esset possibile ipsos vidisse tantum falsa & vana, & solum talia prophetasse, quare & nunquam fuisse Prophetas: nam secundum omnes cuiuslibet sectæ viros, illi soli Prophetæ dicuntur, qui vera procul fantur, siue præfantur: essetque nunc possibile antiquos videntes nunquam fuisse videntes sed cæcos; Qui enim Propheta dicitur hodie, olim vocabatur videns 1. Reg. 9. Antiquos Doctores veraces nunquam tales fuisse, sed seductores fallaces, qui habuerunt dignitatem præclaram & gradum eximium bonitatis, nunquam ista sed semper opposita habuisse. Quis enim ignoret digniorem & meliorem esse veracem fallaci, credentem verum quam falsum? Quis enim non eligeret hoc præ illo? Ipsa namque veritas est dignior & melior falsitate, sicut & ostenditur tricesimo quarto huius. Imo & quod videtur absurdius, esset nunc possibile antiquos Prophetas atque Apostolos, amicos Dei Sap. 7. & Iohan. 15. organa spiritus sancti; Ipse enim, vt dicit Symbolum Nicænum, locutus est per Prophetas, nec Apostoli loquebantur, sed spiritus Patris eorum loquebatur in eis; qui habuerunt dona eius præclara, scilicet Prophetiam & discretionem spirituum 1. ad Cor. 12. nunquam tales fuisse, nunquam talia recepisse, sed fuisse organa illius spiritus mendacis in ore omnium mendacium Prophetarum, 3. Reg. 22. Spiritum quoque Sanctum non fuisse locutum quod fuit locutus, & non fecisse quod fecit. Item secundum istud esset nunc possibile Esaiam in hoc, quod vidit verissimè sine deceptione quacunque, fuisse deceptum; & consequenter in hoc, quod bene meruit, mortaliter peccasse; & in hoc quod veraciter asseruit mentitum fuisse, sicut capitulum præcedens de Angelis plenius arguebat. Amplius si nunc sit possibile, veteres qui fuerunt Prophetæ videntes, & tales ac tales, taliaque & talia munera habuerunt, taliaque ac talia opera perfecerunt, tales non fuisse, nec talia habuisse, taliaue fecisse; est & correspondenter possibile, veteres qui non fuerunt tales, nec talia habuerunt, nec fecerunt, tales fuisse, talia habuisse atque fecisse; imo & qui opposito modo fuerunt, habuerunt, atque fecerunt, non sic fuisse, habuisse, siue fecisse, fuisseque habuisse atque fecisse sicut veri Prophetæ; quod proculdubio permutatim conuertit, imo peruertit veros Prophetas, & eorum vera munera & opera in pseudoprophetas, & eorum falsa munera & opera, & è contra sicut tricesimo tertio huius plenius est argutum. Præterea tunc Prophetæ & Apostoli possunt fuisse decepti credendo falsum de futuro, & hoc per Christum, & spiritum sanctum Dei. Dicit enim Apostolus ad Gal. 1. se accipisse & didicisse Euangelium euangelizatum ab eo per reuelationem Iesu Christi, qui & 1. ad Cor. 12. connumerat prophetiam inter spiritus sancti dona: Vnde 2. Petri 1. Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, hoc primum intelligentes quòd omnis Prophetiæ Scriptura propria interpretatione non sit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, quod & tota Ecclesia Catholica in Symbolo Niceno catholicè profitetur, dicendo; Qui, scilicet Spiritus Sanctus, locutus est per Prophetas; Quomodo ergo Christus vocat se tantummodo veritatem Ioh. 14. & non etiam falsitatem? Quomodo etiam Deus & Christus scienter asserens falsum de futuro in anima Esaiæ vel Pauli, ipsumque decipiens, permanet veritas, & à fallacia & mendacio excusatur, dicente Iohanne discipulo veritatis, Omne mendacium ex veritate non est? 1. Ioh. 2. Quare & Augustinus 83. quæstionum 14. Si, inquit, phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus; & si fefellerit, veritas non est; Est autem veritas Christus, non igitur phantasma fuit corpus eius. Qui & de Agone Christiano, Nec eos, inquit, audiamus qui negant tale corpus Domini resurrexisse, quale positum est in monumento: Si enim tale non fuisset, non ipse dixisset post resurrectionem discipulis, Palpate & videte, quoniam spiritus ossa & neruos non habet, sicut me videtis habere; Sacrilegium est enim credere Dominum Deum nostrum, cum ipse sit veritas, in aliquo fuisse mentitum. Si etiam potest asserere falsum de futuro, cur non de præterito & præsenti

[Margin notes: A; *Amos.* *Glossa.*; B; C; D; *Apostolus.*; *Petrus.*; E; *Augustinus*]

A & præsenti, & quæcunque ac falsa notoria, sic mentiri notoriè & peccare, contra præhabita 30. secundi istius ? Quomodo etiam, si sit ita, Spiritus Sanctus tantummodo dicitur spiritus veritatis, Ioh. 14. & non etiam spiritus falsitatis, spiritus mendax in ore omnium Prophetarum, 3. Reg. 22. ac spiritus vertiginis & erroris, Esaiæ 19? Quomodo etiam decet Deum iustum & verum decipere homines, maximè deuotissimos, & familiarissimos seruos suos, amatissimos, amantissimosque amicos, & hoc sine culpa vel causa ? Non sic sentit Augustinus super Psalm. 32. 88. & 83. quæstionum, 14. superius allegatus ; qui & 11. de Ciuit. Dei 12. Quis, inquit, hominum se in actione profectuque iustitiæ perseueraturum vsque in finem sciat, nisi aliqua reuelatione ab illo fiat certus, qui de hac re iusto latentique iudicio non omnes instruit, sed neminem fallit ? Quare & Papa Innocentius tertius, Iudicium, inquit, Dei veritati, quæ non fallit nec fallitur, semper innititur. Sapientissima quoque Sibylla sic ait, Exur- *Augustinus.* *Innocentius.* *Sibylla.*

B get de stirpe Hebræorum nomine Maria, habens sponsum nomine Ioseph, & procreabitur ex ea sine commixtione viri, de Spiritu Sancto Filius Dei, nomine Iesus ; & ipsa erit virgo ante partum & post partum ; qui verò ex ea nascetur, erit verus Deus, & verus homo, sicut omnes homines Prophetæ prædicauerunt, & adimplebit legem Hebræorum, & adiunget sua propria in simul, & permanebit regnum eius in sæcula sæculorum : indignatisque ac obijcientibus Sacerdotibus Hebræorum, respondit, O Iudæi, necesse est ista fieri, sed vos non credetis in eum. Item Cassiodorus in prologo super Psalterium definit prophetiam hoc modo ; Prophetia est inspiratio diuina, quæ rerum euentus immobili veritate pronuntiat. Cui & concordat glossa Petri super Psalterium in prologo, sicut 25. primi plenius allegatur. Idem patet per autoritatem Augustini super Iohan. part. 2. homilia 62. seu 116. totius, 27. huius tertij allegatam. Et ecce maior Augustino, ille dilectissimus discipulus veritatis, qui de ipso fonte, de pectore scilicet veritatis Euangelium suum hausit, qui dicit, cùm tanta signa fecisset *Cassiodorus.*

C coram eis, non credebant in eum, vt sermo Esaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit, Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est ? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, Excœcauit oculos eorum, & indurauit corda eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos, Ioh. 12. Quod tractans Augustinus de bono perseuerantiæ 41. intelligit secundum superficiem literalem ; vnde sic ait, In damnationis massa relicti sunt Iudæi, qui non potuerunt credere factis in conspectu suo, tam magnis clarisque virtutibus. Cur enim non poterant credere ? Non tacuit Euangelium dicens, Cùm autem tanta &c. superius recitata. Qui & super Iohan. part. 1. homilia 53. idem exponens, Sic, inquit, dictum est non poterant, quemadmodum dictum est de Domino Deo nostro ; Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest : de omnipotente dictum est, non potest : sicut ergo quòd Dominus negare seipsum non potest, laus est voluntatis diuinæ ; ita quòd illi non poterant credere, culpa est voluntatis hu- *Augustinus.*

D manæ. Et si quis obijciat, quòd Augustinus eadem homilia, eodem loco sic exponit, non poterant, id est, nolebant ; & supra eadem ; quare non poterant ? quia nolebant, non obuiat intellectui præcedenti. Sacra namque Scriptura ex sua || *fœcunditate* mirabili habet multiplicem intellectum, sicut satis ostendunt omnes eius Catholici Tractatores. Veruntamen videtur expositio multùm extranea, & à modo loquendi Scripturæ, Doctorum, & vulgarium valdè remota, exponere non posse per nolle ; nec Augustinus expresse ita exponit, sed dicit, Dictum est non poterant, vbi intelligendum est quòd nolebant, & verum est quòd nolebant : non tamen euidenter consequitur hanc esse expositionem illius ; sed ideo dicit quòd intelligendum est, quòd nolebant, vt ostendat ipsos non credere voluntariè, non inuitè, ideoque ipsos non credendo esse culpabiles, & peccare iuxta præmissa primo & decimo huius. Quare & immediatè subiungit, Quemadmodum dictum est de Domino Deo nostro, Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest : quia de omnipotente dictum est, non potest ; sicut ergo quòd Dominus negare seipsum non potest, laus est voluntatis diuinæ ; ita *|| profunditate.*

E quòd illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanæ. Vbi & innuit euidenter non posse accipi propriè & ad intellectum communem. Ait enim, sic dictum est non poterant, quemadmodum de Domino, negare seipsum non potest ; quod accipitur propriè & ad intellectum communem ; sic enim non potest negare seipsum, sicut nec mentiri. Cùm autem dicit non poterant, quia nolebant, intelligit quòd ex eorum voluntarijs meritis fuerant excœcati ; vnde opponendo & respondendo subiungit, Sed aliam causam, inquit, dicit Propheta, non voluntatis eorum. Quam causam dicit Propheta ? Quia dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant, & excæcauit oculos eorum, & indurauit eorum cor ; etiam hoc eorum voluntatem meruisse respondeo : sic enim excœcat, sic obdurat Deus. Expositio tamen ista non videtur menti Euangelistæ congruere : ipso

namque

namque nullo modo explicitè, vel implicitè illam causam assignat, sed istam, quia dixit Esaias, A
Excœcauit oculos eorum &c. manifestè supponens quòd prophetiæ non possunt non impleri. Quamobrem aduertendum quòd Augustinus nequaquam ibi definitiuè, sed inquisitiuè procedit. Vnde sic ait, Cùm quæstiones huiusmodi in medium venerunt; quare alius sic, alius autem sic; quare ille Deo deserente excœcatur, ille Deo adiuuante illuminetur, non nobis iudicium de iudicio tanti Iudicis vsurpemus, sed contremiscentes exclamemus cum Apostolo; O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Vnde dictum est in Psalmo, Iudicia tua sicut multa abyssus; non ergo me fratres ad hanc penetrandam altitudinem, ad hanc abyssum discutiendam, ad inscrutabilia perscrutanda expectatio vestræ charitatis impingat; agnosco modulum meum, sentire mihi videor etiam modulum vestrum: altius est hoc incrementis meis, & fortius viribus meis, puto quia & vestris; simul ergo audiamus admonentem scripturam atque dicentem, Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris; non quia ista negata sunt nobis, cùm Deus Magister dicat, Nihil est occultum quod non reuelabitur; sed si in quid peruenimus in eo ambulemus, sicut dicit Apostolus, Non solùm quod nescimus & scire debemus, sed etiam si quid aliter sapimus, id quoque Deus nobis reuelabit: peruenimus autem in viam fidei, hanc perseuerantissimè teneamus; ipsa perducet ad cubiculum Regis in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Ambulandum est, proficiendum est, crescendum est, vt sint corda nostra capacia earum rerum quas capere modo non possumus: quòd si nos vltimus dies proficientes inuenerit, ibi discemus quod hic non potuimus. Si quis autem istam quæstionem liquidius & melius nouit se posse & confidit exponere, absit vt non sim paratior discere quàm docere; vnde & apparet huius materiæ maxima difficultas. Huic autem Apostolo concordat & coapostolus eius Petrus, Iesum, inquiens, Nazarenum interemistis, quem Deus suscitauit, solutis doloribus Inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo: Dauid enim dicit in eum, Prouidebam Dominum coram me semper, quoniam C à dextris meis est ne commouear; propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem: Notas mihi fecisti vias vitæ, replebis me iucunditate cum facie tua, Act. 2. Et ecce maior ambobus qui ait, Non potest solui Scriptura, Ioh. 10. à quo & multa similia 27. huius plenius allegantur; qui & Luc. 24. ait, Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosis, & Prophetis, & Psalmis de me. Quòd etiam prophetiæ necessariò implebuntur, testari videntur loca Scripturæ dicentia, Hoc & illud factum est vt impleretur Scriptura, prophetia, seu sermo Prophetæ: si oportet seu oportuit impleri Scripturam, necesse est impleri Scripturam & similia; vnde Matth. 1. Hoc autem totum factum est, scilicet incarnatio Iesu Christi, vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem, Ecce virgo in vtero habebit &c. Glossa, Prophetia alia est ex prædestinatione Dei, quam necesse est euenire omnibus modis, vt sine nostro impleatur arbitrio, D vt hæc de qua hic agitur: alia est ex præscientia Dei, cui nostrum admiscetur arbitrium: alia est quæ comminatio dicitur, quæ fit ob signum diuinæ animaduersionis, vt fugiant à facie arcus electi, & iustè pereant incauti; & non est ex præscientia, quia longè aliter præscitur quàm futurum comminetur; quam & pænè sub eisdem verbis recitat glossa Thomæ. Et infra 21. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem, Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium subiugalis; & adhuc inferius 26. Petro volenti Dominum capiendum defendere, ait, Conuerte gladium tuum, &c. An putas quòd non possum rogare Patrem meum, & exhibebit modò mihi plusquam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ Prophetarum, quia sic oportet fieri? Marci quoque 14. scribitur, Tanquam ad latronem existis cum gladijs, &c. Quotidie eram apud vos in Templo docens, & non me tenuistis, sed vt adimplerentur Scripturæ. Item Ioh. 19. dixerunt ad inuicem, Non scindamus E eam, sed sortiamur de ea cuius sit, vt Scriptura impleretur dicens, Partiti sunt vestimenta mea, & in vestem meam miserunt sortem. Et inferius, Vt consummaretur Scriptura, dicit, Sitio. Amplius Luc. 24. O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ loquuti sunt Prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et Ioh. 20. Nondum enim sciebant Scripturam quia oportebat eum à morte resurgere. Beatus quoque Petrus Act. 1. dicit; Fratres, oportet impleri Scripturam quam prædixit Spiritus Sanctus per os Dauidis de Iuda. Hoc autem verbum, oportet, necessitatem importat; vnde Isidorus super illud Lucæ 24 Nonne hæc oportuit pati Christum, sicut allegatur in glossa Thomæ, sic ait, Sed si oportebat Christum pati, tamen qui crucifixerunt rei sunt: non enim satagebant perficere

Petrus. *Matth.* *Marcus.* *Iohannes.* *Lucas.* *Iohannes.* *Petrus.* *Isidorus.*

A perficere quod Deus disponebat; vnde & eorum executio fuit impia. Et ecce maior Isidoro Iesus Christus exponens, oportet, per necesse est; Hæc, inquiens, sunt verba, quæ loquutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum, scilicet in carne mortali, secundum Bedam, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosis, & Prophetis, & Psalmis de me, Luc. 24. Quando autem fuit cum eis in carne mortali dixit eis, oportere filium hominis multa pati atque resurgere, sicut patet Matth. 16. Marc. 8. & Luc. 9. & verisimile est quòd non tantùm simpliciter hoc eis prædixit, sed* & per Scripturas ostendit, sicut Lucas innuit manifestè: quare & Matthæus vbi prius, Cœpit, inquit, Iesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Hierosolymam & multa pati; & Marci 8. Cœpit, inquit, docere eos, quoniam oportet filium multa pati, &c. & infra 9. ait illis, quomodo scriptum est in filium hominis vt multa patiatur; & Luc. 18. Assumsit Iesus duodecim, & ait illis, Ecce ascendimus Hiero-

Lucas. *Matthæus.* *Marcus.*

B solymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis; Tradetur enim gentibus, &c. Quare secundum expositionem verissimam veritatis idem est oportere & necesse esse, quod etiam ex verbis suis Luc. 24. patet; O stulti, inquit, & tardi, &c. nonne hæc oportuit pati Christum, &c. & incipiens a Mose & omnibus Prophetis, &c. Et infra eodem, Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Mosis & Prophetis, &c. Et adhuc inferius; Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas, & dixit eis, quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, &c. Apparet ergo euidenter quòd alternatim & indifferenter pro eodem sensu vtitur illis verbis, & quòd || *verus sensus veraque intelligentia* Scripturarum est, quòd omnes propheticas Scripturas de Christo oportuit necessariò adimpleri. Hoc idem euidenter apparet per modum loquendi communem quasi omnium Prophetarum: prædicunt namque frequenter futura per modum præteriti, & sub verbis præteriti temporis, sicut ostendunt plurimæ prophetiæ; quod ideo faciunt secundum expo-

|| tam verus sensus quam intelligentia.

C sitionem Doctorum, quia ita certa sunt saltem apud Deum, & apud Prophetam, ac si essent præterita & iam facta: vnde Propheta Psalmo 3. in persona Christi, Ego, inquit, dormiui & soporatus sum, & exurrexi*. Super quod Augustinus 17. de Ciuitate Dei 18. An fortè, inquit, quisquam ita desipit, vt credat velut aliquid magnum nobis indicare voluisse Prophetam, quòd dormierit, & exurrexerit, nisi somnus iste mors esset, & euigilatio resurrectio, quam de Christo sic potuit prophetari? Nam & in quadragesimo multò manifestius id ostenditur, vbi ex persona eiusdem Mediatoris more solito tanquam præterita narrantur quæ futura prænotabantur; quoniam quæ ventura erant, iam in prædestinatione & præscientia Dei velut facta erant, Inimici, inquit, mei dixerunt mala mihi, &c. Idem super illud Psalmi 43. Saluos enim fecisti nos ex affligentibus nos, &c. Hoc inquit figurâ præteriti de futuro dicitur, sed ideo tanquam præteritum dicitur, quia tam certum est quasi factum sit. Intendite quare pleraque Prophetæ ita dicunt tanquam præterita sint, cùm prænuntien-

* Quia Dominus suscepit me.

Augustinus.

D tur futura non facta. Nam & de ipso Domino futura passio prænuntiabatur, & tamen foderunt, inquit, manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea: non dixit, fodient & dinumerabunt: Ipsi verò considerauerunt & conspexerunt me: non dixit, considerabunt, & aspicient: Diuiserunt sibi vestimenta mea: non dixit, diuident: Omnia ista tanquam præterita dicuntur, cùm futura sint, quia Deo & futura tam certa sunt tanquam præterita sint; nobis enim ea quæ præterita sunt, certa sunt, & quæ futura, incerta sunt: nouimus enim aliquid accidisse, & non potest fieri, vt non acciderit, quod accidit. Da Prophetam, cui non tam certum sit futurum, quàm tibi præteritum, & quam tibi quod meministi factum non potest fieri vt non sit factum; tam illi quod nouit futurum, non potest fieri vt non fiat. Vbi & Cassiodorus, Tu solus, inquit, saluabis nos, & odientes nos confundes, ita videretur debere dicere; sed quoniam futurum ita certum est, sicut præteritum, quod non fuisse non potest, dicit, saluasti, & confundisti. Item Augustinus exponendo titulum Psalmi 84. Cantat, inquit, Propheta in futurum, & vtitur verbis quasi iam præteriti temporis; tanquam facta

Cassiodorus. *Augustinus.*

E dicit, quæ futura erant, quia apud Deum, & quod futurum est iam factum est; ibi ergo Propheta videbat futura nobis, iam verò facta in illius prouidentia & prædestinatione certissima. Idem de Agone Christiano, Sic loquuntur Scripturæ vt præteritum tempus pro futuro insinuent; sicut quod dixit Apostolus, quòd simul nos sedere fecit in cœlestibus, nondum factum est, sed quia certissimum est futurum, ita dictum est quasi iam factum sit. Idem de correptione & gratia 33. tractans illam autoritatem Apostoli ad Romanos cap. 8. Quos prædestinauit, hos & vocauit, &c. Non in omnibus, inquit, hæc facta sunt: adhuc enim vsque in finem sæculi multi vocandi & iustificandi sunt, & tamen verba præteriti temporis posuit etiam de futuris rebus, tanquam fecerit Deus, quæ iam vt fierent, ex æternitate disposuit. Ideo de illo dicit & Propheta Esaias, Qui fecit quæ ventura sunt; futura ergo prophetica sunt apud

apud Deum in æternitate quasi præterita, quare & simili necessitate firmata. Quamobrem & statim tricesimo quarto ex istis immediatè concludit ; Quicunque ergo in Dei prouidentissima dispositione præsciti, prædestinati, vocati, iustificati sunt & glorificati, non dico etiam nondum renati, sed etiam nondum nati, iam filij Dei sunt, & ideo omnino perire non possunt. Cui & concordanter Anselmus de Concord. 3. eandem autoritatem pertractans sic ait ; Vt autem ostenderet idem Apostolus, non illa verba se pro temporali significatione posuisse, illa etiam quæ futura sunt, præteriti verbo temporis pronuntiauit: nondum enim quos præsciuit adhuc nascituros, sic iam temporaliter vocauit, iustificauit, magnificauit ; vnde cognosci potest eum propter indigentiam verbi significantis æternam præsentiam vsum esse verbis præteritæ significationis ; quoniam quæ tempore præterita sunt ad similitudinem æterni præsentis omninò immutabilia sunt. In hoc siquidem magis similia sunt æterno præsenti temporaliter præterita quàm præsentia ; quoniam quæ ibi, scilicet in æternitate sunt, nunquam possunt non esse præsentia, sicut temporis præterita non valent vnquam non esse præterita ; præsentia verò tempore omnia quæ transeunt, fiunt non præsentia ; futura igitur huiusmodi prophetata apud Deum in æternitate, & præterita in tempore simili necessitate firmantur. Amplius autem si prophetiæ possent falsari, & nunc non esse veræ, nec vnquam fuisse veræ, nullus deberet illas firmissimè asserere, nec cum simplici iuramento ; non enim sunt veræ firmissimè ; exponeretque se periculo periurij & peccati. Sed quis Catholicus pro conuersione vnius infidelis nolentis conuerti ad fidem Catholicam, nisi per assertionem firmissimam, & cum absoluto & simplici iuramento de resurrectione & beatificatione finali hæc facere dubitaret, sicut & Dominus sæpe fecit, dicendo, Amen, Amen dico vobis, quia sic & sic erit, sicuti & frequenter dicunt Prophetæ, Iurauit Dominus hoc & illud ? Quanta etiam securitate dicit Apostolus, Licèt nos, aut Angelus de Cœlo Euangelizauerit vobis, præterquam quod Euangelizauimus vobis, anathema sit ? Cuius causam post pauca subiungit ; Notum enim vobis facio, Fratres, Euangelium quod Euangelizatum est a me, quia non est secundum hominem : neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi, ad Galath. 1. Glossa, Nota quòd non ideo ait nos, vel Angelus qui bonus potest intelligi, quòd vnquam contingat hoc, sed à Deo certus est de veritate Euangelij sui ; quod etiam si Angelus aliud nuntiaret, non crederet, sed anathematizaret. Amplius si Prophetæ possunt falsari, potest & sacra Scriptura ; est ergo sacra Theologia incertior, infirmior, inferior, & indignior facultatibus alijs quæ non possunt. Rursum si sacra Scriptura potest falsari, quæ nobis securitas in hac vita ? Hæc enim est totius vitæ humanæ doctrix & ductrix, speculum & registrum. Quæ securitas possibilis homini in promissis diuinis, si Deus omnem librum, omne pactum, quodlibet chirographum, quodlibet instrumentum quantumlibet solennizatum testibus, signis, etiam iuramento, quodlibet testamentum etiam morte testatoris firmatum, possit absque mendacio, culpa, vel causa recidere, violare, abradere, cancellare, infringere, & falsare ? Quomodo ergo posset esse contractus tutus cum eo ? Imò incomparabiliter minùs tutus contractus esset homini cum Deo qui mentiri & peccare non potest, quàm cum alio homine qui hæc potest. Nam Deus si secundum hypothesin potest in oppositum cuiuscunque quocunque pacto promissi, hoc potest sine duplicitate aut mutatione, sine mendacio, periurio, aut peccato, potestque nunquam taliter contraxisse ; sed nullus homo sic potest ; quare quilibet homo contra quemlibet hominem taliter contrahentem, nec contractum implentem potest habere remedium, & recursum agendo contra eum de periurio, de violatione fidei & contractus. Hoc ergo videtur colorem vniformem sacræ Scripturæ pulcherrimum turpibus maculis variare, odorem eius gratissimum fumis putridis permutare, saporem eius dulcissimum venenosis poculis fermentare. De huius ergo viæ viris non tacuit Apostolus ; Commutauerunt, inquit, veritatem Dei in mendacium, ad Romanos 1. & 2. ad Corinth. 2. Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei : hæc enim faciunt qui Scripturam veracem in || *mendacem* commutant, & Scripturam, virginem incorruptam, in adulteram meretricem. Non sic Autor eius & testes. Non potest, inquit Christus, solui Scriptura quam Pater sanctificauit & misit in mundum, Iohan. 10. Nec vlli dubium Christiano, quin testimonium Domini fidele. Ipse enim testis in cœlo fidelis ; testimonia igitur sua credibilia facta sunt nimis. Hoc etiam planè probant quæ de Psalmo 88. erant superius allegata. Quare & Augustinus super illud Psalmi 144. Fidelis Dominus in verbis suis, sic ait ; Quid enim promisit, & non dedit ? Adhuc quædam promisit, & non dedit ; sed credatur illi ex his quæ dedit. Possemus illi credere tantummodò dicenti ; Noluit sibi credi dicenti, sed voluit teneri Scripturam suam ; quomodo

|| fallacem

Augustinus

A modo ſi diceres alicui homini, cùm aliquid promitteres, Non mihi credis ? ecce ſcribo tibi. Etenim quia generatio vadit, & generatio venit, & ſic tranſcurrunt iſta ſæcula, cedentibus ſuccedentibuſque mortalibus, Scriptura Dei manere debuit, & quoddam chirographum Dei, quod omnes tranſeuntes legerent, & viam promiſsionis eius tenerent, & quanta ſunt quæ reddidit ex iſto chirographo. Dubitant homines credere illi de reſurrectione mortuorum, & de futuro ſæculo, quod ſolum iam reddendum reſtat ; per omnes generationes reddidit quæ ſcripta ſunt, & quod reſtat non ei creditur, his omnibus redditis ? Ecce feciſti rationem ; tanta reddidit, nunquid propter pauca reſidua infidelis eſt factus ? Abſit ; quare? Quia fidelis Dominus in verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Ecce quod Auguſtinus expreſsè ſupponit, quòd ſi Deus non reddat in chirographo ſacræ Scripturæ promiſſa, ipſum fieri infidelem ; ſed hoc eſt impoſsibile manifeſtum ; quare neceſſe eſt eum fideliter
B reddere quæcunque per Scripturam ſuam canonicam repromiſit.

CAP. XLVIII.

Recitat quatuor reſponſiones, & corrigit.

HIc autem occurrunt multæ proteruiæ reſponſiuæ : quidam namque volentes Deum ab omni mendacio excuſari, dicunt quòd licèt Deus prædixerit quicquam hominibus in proprio genere, promi-
C ſerit, atque iurauerit, poſsibile tamen eſt eum nunquam tale quid feciſſe. Iſtud autem, etſi ſecundum aliquam phantaſiam videatur poſſe dici de Deo, de Chriſto tamen ſecundum naturam humanam dici non poteſt, ſicut erat oſtenſum quadrageſimo quarto & quadrageſimo quinto huius. Licèt enim videretur hoc poſſe de Deo dici reuelante in verbo, de ipſo tamen reuelante in proprio genere dici non poteſt : talis namque reuelatio eſt aliqua res creata, ſignificans naturaliter vno modo, ſicut quadrageſimum quartum huius docet ; quare neceſſe eſt omnem talem reuelationem præteritam iam fuiſſe, & ſignificaſſe naturaliter illo modo. Fiat igitur talis reuelatio, quòd A. erit, tunc ſi ſit poſsibile A. non fore; eſt conſequenter poſsibile, quòd quando Deus illud aſſeruit & iurauit, hoc feciſſe contra mentem, cùm omnia ſemper ſciat ; quare & fuiſſe mentitum, atque periurum, decepiſſe quoque ſuos chariſsimos ſine culpa, contra
D proximo præoſtenſa. Poteſtque ſimiliter argui & probabilius forſitan de præſenti. Item tunc nulla fides aut minima eſſet diuinis promiſsionibus etiam iuratorijs adhibenda,& minor quàm humanis, ſicut quadrageſimo quinto & proximo eſt argutum. Item hoc eſt expreſsè contra autoritates ex Pſalmo 88. & expoſitionibus eius, atque alias ſimiles capitulo proximo recitatas, eſt etiam contra prius oſtenſa triceſimo ſecundo iſtius. Item tunc quod Deus reuelauit ad vnum intellectum in proprio genere, poſſet non ad illum, ſed ad alium reuelaſſe, contra præhabita quadrageſimo quinto huius. Item eadem ratione quod Deus nunquam reuelauit in proprio genere Eſaiæ, poteſt ſibi reuelaſſe, & nedum ſibi, ſed & alteri cuicunque, quare qui nunquam fuit Propheta, nunc poteſt fuiſſe Propheta. Poteſtque Deus ſimili ratione nunquam inſtituiſſe illa, quæ verè fuerunt & ſunt Eccleſiaſtica Sacramenta ad effectum ſalutis, ſed alia ſtatuiſſe ; quare fideles præteriti poſſunt non fuiſſe in via ſalutis neque ſaluati, & infideles præteriti ſic fuiſſe. Pari etiam ratione poteſt nunc Deus non præcepiſſe quod olim præcepit ; quare & qui ſolùm contra illud faciendo peccauit, & damnationem ſuſcepit,
E nunquam peccaſſe nec damnatus fuiſſe ; aliàs enim impotens homo peccando neceſsitaret omnipotentem Deum ad olim aliquid præcepiſſe. Amplius ſi Deus poteſt non prædixiſſe aut promiſiſſe futurum, poteſt & præteritum, puta incarnationem, paſsionem, & ſimilia, quod non videtur : poteſt quoque ſimili ratione non præuoluiſſe nec præſciuiſſe præterita ; quare & conſequenter præterita non fuiſſe, ſicut totum apparet ex triceſimo, & triceſimo primò huius. Alij verò dicunt quòd illud, quod Deus reuelauit in proprio genere ad vnum intellectum, poteſt non ad illum, ſed ad alium reuelaſſe. Hæc autem reſponſio reprobabitur, ſicut prior, quæ etiam poteſt refelli per præhabita quadrageſimo quinto huius ; quam & ſimiliter deſtruunt autoritates ex Pſalmo 88. & eius expoſitionibus, & aliæ ſimiles capitulo proximo allegatæ. Alij autem ponunt, quòd Deus nunquam reuelat in proprio

genere

genere futurum contingens, nisi sub aliqua conditione tacita vel expressa. Sed isti difficul- A
tatem non vitant. Licèt enim Deus de facto non reuelasset aliquid absolutè sine conditione, scilicet qualicunque, posset tamen aliquid sic reuelare; sic enim scit multa futura, & sic Pater filio, & amborum spiritui reuelauit, & homini Christo Iesu, sicut ex tricesimo quarto & quadragesimo secundo huius potest haberi: qui & possunt ad veritatem reduci per præhabita in correptione similis responsionis quadragesimo quinto huius. Et si quis adhuc non erubuerit proteruire dicendo Deum posse reuelasse, & asseruisse homini in proprio genere sub conditione saltem tacitè intellecta illud quod reuelauit & asseruit absolutè, corrigetur, vt spero, per eadem, per quæ quadragesimo quinto huius responsio similis est correpta; potest etiam reduci per eadem, per quæ prima responsio huius capituli reducebatur ab inuio & errore: omnes etiam responsiones præmissæ sunt insufficientes, & multipliciter diminutæ. Licèt enim ad aliquam vnam rationem seu autoritatem, vel ad paucas respondere forsitan videantur, ad alias tamen plures nullam habent apparentiam respondendi, sicut patet con- B
siderant dilucidè has & illas.

CAP. XLIX.

Recitat duplicem opinionem dicentem, quòd in futuris reuelatis est ordinata vel absoluta necessitas; in alijs verò nulla.

QVidam autem rationes & autoritates præmissas diligentiùs ponderan- C
tes, videntesque se non posse diffugere necessitatem omnimodam in futuris, ab ipsa veritate necessitati quodammodò & attracti accedunt propinquiùs, & fatentur quòd in futuris aliquibus est necessitas aliqualis, in futuris videlicet diuinitus reuelatis, diuinitus prophetatis, diuinitusque promissis: & hi vlterius in sectam duplicem diuiduntur. Isti namque ponunt in futuris huiusmodi necessitatem tantummodo ordinatam, & quòd non possunt non euenire de potentia ordinata, sed quòd possunt deficere de potentia absoluta: illi verò necessitatem indefectibilem absolutam, quæ de nulla potentia potest deficere ab euentu: & quia dicta huiusmodi, Necesse est Antichristum fore, necessitate ordinata, & impossibile est Antichristum non fore, de potentia ordinata, habent intellectum ambiguum & obscurum; aliqui primæ sectæ ea sic clarifi- D
cant & exponunt, Ordinatum est quòd Antichristus erit. Sed hi tripliciter deuiant, & delirant: primò, quia malè exponunt; quomodo namque sufficienter exponitur vna de necessario per vnam talem simplicem de inesse, cùm necesse esse includat simpliciter esse, & addat sicut Antecedens [super] suum consequens non conuertibile, vel si necesse est, nihil ibi addit super esse simpliciter, amittit suam significationem hactenus consuetam, atque ponitur ibi frustra, nec talis propositio est modalis, quod non videtur de veteri Logica, nec de noua, sed de notha potius aut de nulla? Secundò, quia difficultatem non vitant: accipiatur enim necesse & possibile & eorum opposita, sicut tam apud Logicos quàm apud Theologos communiter solent sumi, sicut & in præmissis accepi, & reuertitur difficultas. Tertiò, quia sibi ipsis repugnant. Nam si propterea necesse sit Antichristum fore, quia ordinatum est ipsum fore, cùm de omnibus futuris ordinatum sit per voluntatem diuinam ipsa fore, sicut corollarium noni, decimum quartum, & vicesimum tertium primi docent; de omnibus futuris necesse est ipsa fore ad similem intellectum, cùm tamen de aliquibus hoc concedant, de alijs ve- E
rò negent. Alij verò eiusdem sectæ aliter hæc exponunt, dicentes necesse est Antichristum fore necessitate ordinata, id est, si lex & Scriptura diuinitus ordinata debeat stare fixa, necesse est Antichristum fore, & ita de alijs in lege prædictis. Hi autem peccant similiter multis modis. Nam secundum istos necesse est Deum facere quod se facturum promisit in lege necessitate huiusmodi ordinata; lex ergo seu promissio Dei scripta in lege, & sic aliquid extrinsecum necessitat Deum, & voluntatem diuinam ad aliquid faciendum. Sed quomodo posset res parua paruæ potentiæ ligare & necessitare omnipotentem potentiæ infinitæ? Et quomodo non esset sic minoris potentiæ & seruilioris conditionis quàm homo, qui sic necessitari non potest? Quomodo etiam, si sic esset, non esset mutabilis? De libero namque in non

A non liberum, & de non necessario in necessarium mutaretur. Huic quoque repugnant prius ostensa vicesimo primi & tricesimo tertij manifestè. Eadem etiam ratione, qua lex necessitaret Deum ad velle quicquam & facere, & impossibilitaret eum ad similia. Simili insuper ratione Deus posset aliquid velle & facere de potentia ordinata, & aliquid sic non posset. Sed quomodo capit Creator omnipotens potentiam vel impotentiam à debili creatura? Praeterea cùm dicunt, Necesse est hoc fore, si lex debeat stare fixa, vel intelligunt & supponunt quòd necesse est legem stare fixam, vel non, sed quòd est possibile eam solui: Si sit necessarium eam stare, ipsa est necessaria, & ex ipsa necessaria sequitur Antichristum fore; quare per praehabita tricesimò huius, nunc est necessarium & non contingens ad vtrumlibet ipsum fore. Si autem dicatur, quòd necesse est legem stare necessitate ordinata, non absoluta, aut ergo illam necessitatem ordinatam necesse est stare, vel non; si sic, & ex illa
B sequitur lex Scripturae, & ex hac, Antichristum fore, quare adhuc necesse est Antichristum fore, sicut superius est argutum. Si dicatur quòd illam necessitatem ordinatam necesse est stare necessitate ordinata, non absoluta, vt prius, vel erit processus infinitus in necessitatibus huiusmodi ordinatis, quod natura abhorret, ratio refugit, & secunda suppositio planè vetat, vel tantùm finitus, & aliqua erit prima huiusmodi necessitas ordinata; & si illam necesse est stare, & ex illa sequitur tota series & Antichristum fore; quare necesse est Antichristum fore: Si autem illam necessitatem ordinatam vel aliam qua necesse est legem stare, non necesse sit stare, nec legem necesse est stare, cùm nullam necessitatem habeat aliunde: Si autem non sit necesse legem stare fixam & veram, sed sit possibile eam solui & falsari, est similiter possibile reuelationes falsari, sicque reuertuntur inconuenientiae à quadragesimo secundo huius hucusque deductae. Item si lex sit solubilis, contingit ad vtrumlibet ipsam stare; quomodo ergo ex vna contingenti de inesse po-
C test inferri vna de necessario? Quid est ergo quod dicunt, si lex stabit, necesse est Antichristum fore? Si autem dixerint quòd ibi est necessitas consequentiae seu conditionalis tantummodo, quam ergo difficultatem euacuant aut euitant? Imò & inueniuntur contrarij sibi ipsis: Sic enim habent dicere consequenter de quibuscunque futuris, quòd ipsa necessariò sunt futura: nam omnia illa fore necessariò sequitur ex vna contingenti de inesse, ex vna tali videlicet, Ista erunt. Amplius autem & à capite arguendo, isti sibi ipsis repugnant. Si enim omnia praedicta in lege sacrae Scripturae euenient de necessitate huiusmodi ordinata, multò magis omnia praedicta, & praescripta, atque praeordinata in lege aeterna, in libro aeterno, in voluntate & mente diuina euenient de necessitate huiusmodi ordinata, cùm omnipotens Dei voluntas nullo modo possit deficere vel frustrari, sicut decimum primi docet: omnia autem futura sunt aeternaliter praeordinata, & praescripta atque praedicta in voluntate & mente diuina, sicut corollarium noni, decimum
D quartum, ac vicesimum tertium primi, cum tricesimo quarto huius lucidè manifestant: Omnia ergo futura euenient de necessitate huiusmodi ordinata; cùm tamen de aliquibus hoc concedant, de praedictis videlicet in sacra Scriptura, de alijs verò negent. Qui verò sectam alteram profitentur, ponentes in omnibus & solis reuelatis, prophetatis, atque promissis diuinitùs necessitatem indefectibilem, & postquam talia fuerint, absolutam; ita quòd de nulla potentia possint deficere ab euentu, exorbitant in duobus. Primò, quia falsum affirmant; secundò, quia hoc dato, difficultatem non euitant. Primò, inquam, falsum affirmant, Deum videlicet necessitari nouiter & ligari, sicut potest haberi ex inductis contra responsionem proximo recitatam. Quis etiam audeat dicere omnipotentem, & omniquaque infinitè perfectum, minus potentem, minus perfectum, minusque liberum nunc quàm prius, vna vice quàm alia, postquam videlicet aliquid reuelauit siue praedixit, quam ante, cùm teste Iacobo, Apud eum non sit transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, Iac. 1.? Quod & quinto primi ostendit. Quis etiam audeat
E dicere omnipotentem posse ad tantam impotentiam deuenire, vt non possit semel leuare vnam festucam, si tamen nunquam leuabit aliquam festucam, & hoc reuelet aut dicat, alicui hoc non potest? Quis etiam Christianus audeat dicere Christum, imò & totam Trinitatem cum toto exercitu Angelorum non potuisse praeseruasse ipsum à morte, Christumque non potuisse adhuc Patrem rogasse, nec Patrem filium exaudisse? Quis negauerit Euangelium & vocem verissimam veritatis dicentis, An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit modò mihi plus quàm duodecim legiones Angelorum? Matth. cap. 26. Quis tandem audeat ponere os in caelum, & tam impiè blasphemare, vt dicat Deum non esse omnipotentem, contra omnia symbola, & contra totam sacram Scripturam, ac contra primam suppositionem primi? Quicunque etiam hoc praesumpserit

dicere, habet vlterius cum insipiente dicere, Non est Deus: nam si non est omnipotens, A
non est Deus, sicut prima suppositio primi docet. Amplius autem si reuelatio in proprio genere, si verbum in aere, si vnus flatus debilissimi esse in æthere imponat necessitatem Deo & futuris, multò magis incomparabiliter verbum intrinsecum Dei æternum, quo omnia futura æternaliter dixit & dicit, & reuelatio sua intrinseca & æterna, qua Pater omnia futura Filio ac Spiritui Sancto reuelauit æternaliter ac reuelat, sicut tricesimo quarto huius plenius est ostensum. Præterea corrumpatur talis reuelatio vel prædictio de futuro, & corrumpitur omnis talis necessitas, ac tota reuertitur difficultas. Item tunc causa necessitatis istius esset reuelatio seu prædictio prophetalis. Sed quomodo prophetans Londini de actibus liberis futuris hominis qui est Romæ, puta Papæ vel Imperatoris, eum necessitat ad liberos actus suos, cùm nihil penitus faciat circa ipsum? Quomodo etiam si Propheta moriatur priusquam de quo prophetauit nascatur, B
ipsum necessitat? Et si quis recurrat ad Deum, & ad actionem atque necessitationem diuinam, suppono quòd Deus post prophetiam nihil aliud faciat circa illum de quo fuerat prophetatum, quàm aliàs fuisset facturus: scit enim ipse quæ aliàs fuisset facturus. Quòd etiam prophetia, vel quæcunque prædictio necessitatem imponat, est contra
Philosophus. Philosophum 1. peri hermenias vlt. sic dicentem; Nec hoc differt, si aliquis dixerit negationem, vel non dixerit; manifestum est enim quòd sic se habet res; vel si hic quid affirmauerit, ille verò negauerit; non enim propter affirmare vel negare erit vel non
Glossa. erit. Cui & concordanter Glossa super illud Matth. 1. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem, Ecce virgo in vtero habebit, &c. recitante Glossa Thomæ sic ait, Potest dici quòd, Vt, non ponatur causaliter: non enim ideo impletum est, quia prædictum fuit, sed potius ideo prædictum fuit, quia implendum erat. Ponatur autem consecutiuè, sicut & in Genesi, Suspendit alterum C
in patibulo, vt coniectoris veritas probaretur, quia vno suspenso, coniectoris veritas est probata; Sic & in hoc loco intelligendum est, quod hoc facto quod prædictum est, prophetia impleta est; quod tamen secundum hanc seriem in glossa veteri non inueni, sed sic inueni in ea, Prophetia signum est præscientiæ Dei, Quia quod dixit, certum à Deo præsciri, & ideo ab homine debet teneri, nullum autem signum quod designat, efficit, sed tantum significat quod ostendit, sicut prophetia non necessitatem facit eorum quæ prædicit, sed signum est præscientiæ Dei: Et infra, Non est necessitas rerum ex eloquio prophetarum, sed sola exhibitio veritatis; prophetia non facit necessitatem eorum quæ dicit, sed signum est præscientiæ Dei. Amplius autem, etsi esset verum quod dicunt, nequaquam perplexitatem huius inuolucri euolueret, sed magis inuolueret, ac multipliciùs implicaret: Reuelet namque Deus Christo vel Michaeli de futuris omnibus, quod hæc erunt; tunc secundum hypothesin de necessitate omnia ista erunt. Rursum reuelet Deus D
cuipiam, vel prædicat quod iste Paulus viator liberè & contingenter ad vtrumlibet faciet hunc A actum, & hoc sine aliqua conditione tacita vel expressa; Hoc etenim potest Deus; sic enim scit quæcunque futura, quod & potest ostendi per præmissa, quadragesimo octauo & quadragesimo quinto huius; Paulus ergo faciet A liberè, & contingenter æqualiter, quia sic fuit prædictum; & etiam necessariò, quia secundum hypothesin omnia reuelata diuinitus, & prædicta de necessitate euenient. Prædicat quoque Deus alicui merita & peccata, saluationem & damnationem huius & illius; tunc ista de necessitate euenient; Quare & huius hypothesis positores habent concedere, quod necessitas, libertas contradictionis & contingentia ad vtrumlibet meritum & peccatum & similia non repugnant, sed amicabiliter ad inuicem sociantur, quod tamen omnino satagunt euitare. Adhuc autem errores erroribus cumulando respondent vlterius affirmantes Deum non posse singularia reuelare, maxime in materia contingenti. Verum sic dicendo, omni- E
potentiam Dei latissimam nimis angustant, mutilant & detruncant; aut si hoc vellent, & non valent, quid prohibet Deum omnipotentem dicere & asserere aliquod singulare contingens, & hoc singulariter, quod & vt scit certissimè, esse verum? quid prohibet Deum reuelare in proprio genere Christo, Mariæ, vel Michaeli aliquod singulare contingens, sicut & in verbo reuelat? Quis audeat dicere Christum non nouisse, nec Deum sibi reuelare in proprio genere potuisse, quos aut quem venit redimere, ac redemit, pro quibus aut quo orauit, & alia multa fecit? Quis audeat dicere Christum nunquam nouisse, nec vnum quidem viatorum saluandum vel damnandum, cùm ipse-
Iohannes. met dicat, Ego scio quos elegerim, Iohannis decimo tertio? qui & specialiter orauit pro Petro, ne deficeret fides sua, Luc 22. Quis etiam præsumpserit affirmare Christum non nouisse

quod

A quod Iu das eum traderet, & finaliter damnaretur? quis in tantum Euangelijs contradicat?
aut quis præſumpſerit affirmare Chriſtum non potuiſſe dicere, Iſte hoc faciet & hic illud,
cùm de Iuda prædixerit, quòd eum traderet, & væ damnationis incurreret? & de Petro,
quod eum negaret, ſicut || *Euangeliſtæ* conteſtantur? & de Paulo, quod portaret nomen ſuum ||Euangelia
coram gentibus, & regibus & filijs Iſrael Act. 9? Cur etiam non poſſit ſingulare huiuſmodi *Acta.*
reuelari atque prædici, cùm hoc non ſit ex defectu potentiæ actiuæ in Deo qui reuelare de-
beret, ſicut nullus ignorat, nec ex defectu potentiæ paſsiuæ & receptiuæ in Angelo vel ho-
mine, qui reuelationem ſuſciperet, nec ex defectu potentiæ ſingularis huiuſmodi reuelan-
di, cùm Deus poſſet hos defectus ſupplere de plenitudine poteſtatis? poteſtque homo
per ſe vel per alium hominem propoſitioni ſingulari huiuſmodi adhærere, poteſt quo-
que homo talem propoſitionem, ſicut eſt poſsibile homini alteri reuelare: eſt ergo hic
& ibi potentia requiſita. Etiam ſi homo per ſe vel per alium iſta poteſt, multo magis per
B Deum, & Deus per eum. Quæ inſuper ratio diuerſitatis, vel diuerſitas rationis, qua-
re Deus poteſt reuelare, & dicere ſingularia de præterito & præſenti, & non de futu-
ro, cùm omnia ſciat intrinſecè, æquè certè, ſicut oſtendit trigeſimum primum huius?
Iſti quoque || *videntur vtrumque teſtamentum* neglexiſſe. Vt autem de plurimis pauca re- ||videntur,
cenſeam, Ecce in Geneſi ſcribitur manifeſtè quot & qualia Deus Abrahæ prædixit atque vt reſpon-
promiſit in ipſo, & in ſemine eius implenda, Geneſis duodecimo, decimo quinto, & de- dent, teſta-
cimo ſeptimo; vbi ſingulariter ſpecificat, quod in filio, nomine Iſaak, quem pareret ſibi mentum
Sara iſto tempore, in anno altero, proximo ſcilicet tunc ſequente, nec quacunque Sa- *Geneſis.*
ra, ſed Sara vnica vxor eius, cui & promiſit, quod ex Iſaak nationes & Reges & po-
puli orirentur; Vbi etiam de Iſmaele prædicitur, & promittitur iſto modo, Multiplica-
bo eum valde, Duodecim Duces generabit, de quo ſimiliter ſupra 16. Hic erit ferus, &c.
hanc etiam promiſsionem de Iſaak in holocauſtum ſingulariter iam peracto iuramento
C firmiſsimo, quia per ſemetipſum Dominus confirmauit, infra 22. Quid etiam poſſet
ſingulariùs reuelari, ſiue prædici, quàm quod Dominus per Ioſeph de Pincerna, &
Piſtore Regis Pharaonis Geneſis quadrageſimo reuelauit? Quid ſingularius illa benedi-
ctione prophetica, qua Iacob Ephraim & Manaſſem commutatis manibus benedixit,
Geneſis quadrageſimo octauo? Quid ſingulariùs prædictionibus Domini tam multis de
Moſe & Aaron, ac Pharaone & eorum operibus, quas principium Exodi planè ſcribit?
Quid ſingulariùs prædictione repulſionis Moſis à Ducatu populi in terram promiſsionis,
& mortis ipſius, ac ſubſtitutionis Ioſuæ, ac introductionis per eum, ſicut Hiſtoria Nu-
merorum & Deuteronomij manifeſtat? Quid ſingularius reuelatione de Saule, primo
Regum nono & decimo, ac reuelatione de Dauide primo Regum decimo ſexto, & poſt fre-
quenter? Quid ſingularius reuelatione facta Ieroboamo per Ahiam, quod regnaret ſuper
decem tribus Iſraelis tertio Regum vndecimo? & infra decimo tertio; De Ioſia & altari in
D Bethel? & inferius 22 ac 2. Paralip. 18. de Zedechia & Achab non reuerſuro de prælio per
Michaiam? quid ſingularius prædictione prophetica hac Elizæi, In tempore hoc, cras mo-
dius ſimilæ vno ſtatere erit, & duo modij hordei ſtatere vno in porta Samariæ, & duci cui-
dam non credenti, Videbis oculis tuis, & inde non comedes, quarto Regum ſeptimo? Aut
quid ſpecialius prophetatione Elizæi de Haſaele regnaturo & mala facturo, infra eiuſdem
octauo? Quid etiam ſingularius prophetijs de Babylone, de Ieruſalem, Zedechia, Nabucho-
donoſore, Beltſhazzar, Cyro, & de pluribus alijs per Eſaiam, Ieremiam, Ezechielem, Da-
nielem, cæteroſque Prophetas? Hæc pauca de veteri teſtamento: Nunc autem de nouo, ſunt
aliqua breuia breuiter proferenda. Quis ignorat promiſsiones, prædictiones & prophetias
ſingulariſsimas de Iohanne præcurſore, & de Domino Saluatore, atque de virgine glorioſa?
quis non audiuit aut legit illud Grabrielis Lucæ primo, Vxor tua Elizabeth pariet tibi filium,
E & vocabis nomen eius Iohannem, &c. erit magnus coram Domino, & vinum & ciceram
non bibet, &c. & illud Zachariæ, Tu puer Propheta altiſsimi vocaberis, &c? & illud ite-
rum Gabrielis, Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum, hic
erit magnus, & reliqua glorioſa? & illud Elizabethæ, Beata quæ credidiſti, quoniam
perficientur ea quæ dicta ſunt tibi? & illud virginis glorioſæ, Beatam me dicent omnes
generationes? & illud Simeonis, Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in ſignum cui contradicetur,
& tuam ipſius animam pertranſibit gladius, Luc. 2. Aut quis ignorat quæ & qualia Chriſtus
ſe facturum prædixerat, & paſſurum? aut quomodo prædixit, quod Iudas eum traderet,
quod Petrus eum negaret, atque per martyrium ſequeretur, & quod Iohannes, quem
diligebat, ſic maneret donec ipſe veniret, ſicut || *Euangeliſtæ* conteſtantur? quod eti- ||Euangelia
am Paulus portaret nomen ſuum coram Gentibus, & Regibus, & filijs Iſraelis, & quan-

ta eum oportuit pro nomine Christi pati, sicut historia Act. 9. docet? de quo & infra 21. A
Agabus satis singulariter prophetauit. Amplius autem non dubiè, sed certissimè affirmandum omnem veram prophetiam, licet generaliter prolatam, fuisse intellectam, & prædictam salutem eo Spiritu Sancto, qui locutus est per Prophetas specialiter & distinctè, imò singulariter & discretè de illo vel de illis, de quo vel de quibus fuit, est, vel erit impleta; Nam alias ignoranter, incertè, in vanum, & fatuè loqueretur, quod vno breui exemplo sufficiens reputo confirmare: Beatus siquidem Petrus, Fratres, inquit, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os Dauidis de Iuda, &c. Scriptum est enim in lib. Psalmorum, Fiat commemoratio, aut secundum literam veriorem, fiat commoratio eius deserta, & non sit qui inhabitet in ea, & Episcopatum eius accipiat alius. Act. 1. Hæc autem in libro Psalmorum, Psalmo scilicet 108. erant generaliter prophetata; tantum ergo necessitant prophetiæ generaliter, sicut & singulariter prophetatæ; & quicquid Spiritus Sanctus generaliter prophetauit, potuit & singulariter prophetasse. Hæc ergo contra opinionem trigesimam tertiam, & contra eius hypothesin prælibatam; Quapropter multum mirabile & quam admirabiliter admirandum videtur, quomodo viri gnari audent in tanta materia tantam suppositionem, tam dubiam, tam incertam, imò quæ tam probabiliter apparet falsa, & opposita eius vera, tam plane supponere, velut primum principiũ per se notum. Dignum namq; videtur quod esset conclusio violentis rationibus demonstrata, non suppositio gratis sumpta; Et si quis eam probare voluerit, ponderet quæso fideliter proprias rationes, & contrarias rationes. B

CAP. L.

C

Respondet secundum sententiam Philosophorum & Theologorum, quod Deus vult & scit necessariò, quicquid vult & scit necessitate sequente immutabilitatis, immobilitatis, stabilitatis, & ordinata, non præcedente & simpliciter absoluta, non naturali, violenta, aut inuita, non contraria, sed consentanea summæ & maximæ libertati.

MAgister bone, Magister vnicè, Magister & Domine, qui me à iuuentute mea, qua te aspirante aggrediebar hoc opus, hactenus docuisti D
omnia vera quæ didici, & quæ calamus tuus scripsi; etiam nunc emitte pijssime lucem tuam, vt qui me duxisti in profundissimam hanc abyssum, ipse me deducas in montem huius inaccessibilis veritatis; qui me duxisti in istud latissimum pelagus, duc ad portum; & qui me duxisti in istud longissimum desertum & inuium, dux, via, finisque pariter duc ad finem. O Domine scientiarum, qui habes clauem putei abyssi, qui habes clauem scientiæ, qui habes clauem Dauidis, qui aperis & nemo claudit, claudis & nemo aperit, qui solus es dignus accipere librum, & soluere eius signacula, ostende quæso Doctorum doctissime, solutionem verbi tam perplexè ligati puero tuo paruulo exitum ignoranti. Nunc autem gratias ago tibi, serenissime Domine, qui petenti tribuisti, quærenti ostendisti, pulsanti aperuisti ostium pietatis, ostium claritatis, ostium veritatis. Iam enim te illuminante faciem tuam super seruum tuum velut in quodam candore lucis æternæ, & speculo sine macula maiestatis diuinæ, videor mihi videre illam esse solutionem E
rectissimam huius verbi, quam olim filijs atque discipulis tuis charissimis, nostris verò Patribus ac Magistris dignissimis, ostendere dignaberis: In ipsis namque amplior spiritus tuus erat, prudentia atque intelligentia, interpretatio somniorum, & ostensio secretorum, ac solutio ligatorum. Hi autem necessitatem duplicem posuerunt præcedentem, scilicet, & sequentem, dixeruntque necesse esse Deum velle & scire, quicquid vult & scit necessitate sequente, sed nullatenus præcedente, sicut vigesimo octauo huius pleniùs recitatur. Porrò vt istud quàm breuiùs & clariùs Deus me docuerit, manifestem; Sciendum quod in voluntate diuina ad extra, respectu scilicet volutorum posteriorum, non est necessitas

[ante-

A [antecedens,] sed summa contingentia ad vtrumlibet, & summa libertas contradictionis, qua maior cogitari non potest, sicut ex quarto huius, & ex vndecima, & duodecima, ac decima tertia parte quinti huius apparet; Quædam tamen concomitans siue sequens necessitas est in ea. Nam sicut actum præsentem voluntatis mutabilissimi hominis respectu cuiuscunque obiecti præsentis, præteriti, vel futuri, licet sit contingens & liber, etiamsi secundum quorundam sententiam esset ita contingens & liber, sicut actus voluntatis diuinæ, nec efficeretur à Deo, sed à sola hominis liberrima voluntate, quando est, necesse est esse hac necessitate sequente, sic & actum voluntatis diuinæ, quæ immutabilis est omnino, sicut vigesimum tertium primi docet, necessitate, inquam, sequente præsentiali, sicut ex secunda suppositione necessitatis sequentis Anselmi vigesimo octauo huius plenius est ostensum. Hoc idem ostendunt trigesimo huius tertij prælibata: Actus namque voluntatis diuinæ respectu rei præsentis atque præ-
B teritæ est necessarius, quare & respectu futuræ; Non enim efficitur nouiter necessarius ex præsentia vel præteritione rei, nec ex aliquo extrinseco, vel intrinseco, sicut ibi fuit ostensum; est ergo æternaliter & semper necessarius ex sua propria & intrinseca firmitate, qua sicut generaliter omne quod est quando est necesse est esse; & specialiter; sicut actum præsentem voluntatis angelicæ vel humanæ respectu obiecti cuiuscunque differentiæ temporis, quando est necesse est esse; sic & actum præsentem voluntatis diuinæ respectu cuiuscunque differentiæ temporalis dum est, necesse est esse. Hæc autem omnia possunt ad formam syllogisticam breuius sic reduci; Omnis voluntas immutabilis omnino intrinsecè semel libera vel necessaria respectu cuiuscunque obiecti, semper est libera vel necessaria respectu illius; voluntas diuina est huiusmodi; vel sic, Omnis voluntas non necessitabilis nouiter ab extra nec ab intra, semel necessaria respectu alicuius voluti, semper est necessaria respectu illius; voluntas diuina est huiusmodi. Porrò, ne in tam latebrosa & pericu-
C losa, tam superexcellenti & inuestigabili, tam clausa & signata materia ego tantillus ex vmbratica phantasia proprij capitis quicquam videar [singulariter] somniare, Ecce sanissima capita, clarissima ingenia, Autores famosissimi, Doctores Catholici istam sententiam quidam explicitè, quidam implicitè concorditer proferentes. Hermes quidem triplex Trismegistus, & Pater Philosophorum de verbo æterno 9. Placitum, inquit, Dei necessitas sequitur, voluntatem comitatur effectus; & sequitur ratio || *prius* dicti; Neque enim credibile est Deo displiciturum esse quod placuit, cùm & futurum idemque placiturum multo ante sciuerit: huic quoque sententiæ consonant alia eius dicta vigesimo septimo huius scripta. Annon & de ista necessitate sequente possunt exponi illa verba Platonis obscura 2. Tim. 17. sic dicentis, Nunc quoniam cuncta, exceptis admodum paucis, executi sumus, quæ proinde mentis intellectus instituit, oportet de his etiam, quæ necessitas inuehit, dicere: mixta siquidem mundi sensibilis ex necessitatis intelligentiæque cætu constitit generatio, do-
D minante intellectu & salubri persuasione rigorem necessitatis assiduè trahente ad optimos actus; Itaque victa & parente prouidis autoritatibus necessitate, prima rerum mundique exordia constiterunt. Verum est tamen quod vtrumque horum dictorum posset intelligi de necessitate efficaci in voluntate diuina 27°.& 28°. huius prædicta; sicut & multa ibi dicta possunt conuenienter intelligi de ista necessitate sequente. Necessitas enim secundum 27°. huius præmissa,& sicut præmissa dicta Platonis contestari videntur, ponebatur apud Græcos Philosophos vnum famosum principium entium,& in Deo,quod aliqui exposuerunt hoc modo, alij autem illo,quidam verò vtroque & omnes non malè: Potest enim vtroq; modo conuenienter intelligi & exponi. Quos & imitatus magnus Christi Philosophus Anselmus Cantuar. Archiepis. 2. Cur Deus homo 17.& de concord. 2. & 3. explicitè & in terminis negat in Deo necessitatem præcedentem, istam verò necessitatem sequentem astruit & ostendit, sicut in se-
E cundo membro distinctionis de necessitate sequente vigesimo octauo huius præmissæ breuiter est ostensum: verùm vt tantũ testimonium tanti viri pleniùs publicetur, Ecce sic ait denique Virgo, quæ per fidem munda facta est, vt de illa posset assumi, nequaquam credidit illum moriturum nisi quia vellet, quemadmodum per Prophetam, qui de illo dixit, Oblatus est quia ipse voluit, didicerat; Quapropter quoniam vera fuit fides eius, necesse erat ita futurum esse sicut credidit; quod si te iterum perturbat, quia dico necesse erat, memento, quia veritas fidei virginis non fuit causa vt ille moreretur, sed quia hoc futurum erat, vera fides fuit; Quamobrem si dicitur, necesse erat vt voluntate sua moreretur, quia vera fuit fides siue prophetia quæ de hac præcesserant, non est aliud quàm si dicas necesse fuisse ita futurum esse, quoniam sic futurum erat; huiusmodi autem necessitas non cogit rem esse, sed esse rei facit necessitatem esse: Est namque necessitas præcedens, quæ causa est

Hermes.

|| primi

vt ſit res,& eſt neceſsitas ſequens, quam res facit; Præcedens & efficiens neceſsitas eſt, A cum dicitur cœlum volui, quia neceſſe eſt vt voluatur; ſequens vero & quæ nihil efficit, ſed fit, eſt cum dico te ex neceſsitate loqui, quia loqueris. Cum enim hoc dico, ſignifico nihil poſſe facere vt dum loqueris non loquaris, non quod aliquid te cogat ad loquendum; Nam violentia naturalis conditionis cogit cœlum volui, te vero nulla neceſsitas facit loqui; ſed vbicunque eſt præcedens neceſsitas, eſt & ſequens, Non autem vbi ſequens, ibi ſtatim & præcedens. Poſſumus namque dicere neceſſe eſt cœlum volui quia voluitur, ſed non ſimiliter eſt verum, idcirco te loqui quia neceſſe eſt vt loquaris. Iſta ſequens neceſsitas currit per omnia tempora hoc modo, Quicquid fuit, neceſſe eſt fuiſſe; quicquid eſt, neceſſe eſt eſſe, & neceſſe eſt futurum fuiſſe; & quicquid futurum eſt, neceſſe eſt futurum eſſe. Hæc eſt illa neceſsitas, quæ, vbi tractat Ariſtoteles de propoſitionibus ſingularibus & futuris, videtur vtrumlibet deſtruere, & omnia ex neceſsitate eſſe aſtruere hac ſequenti & nihil efficienti neceſsitate, quoniam vera fuit fides & prophetia de B Chriſto, quia ex voluntate, non ex neceſsitate moriturus erat, neceſſe fuit vt ſic eſſet, hac homo factus eſt, hac fecit & paſſus eſt quæcunque fecit & paſſus eſt, hac voluit quæcunque voluit. Ideo enim neceſsitate fuerunt, quia futura erant, & futura erant quia fuerunt, & fuerunt quia fuerunt; & ſi vis omnium quæ fecit & paſſus eſt ſcire veram neceſsitatem, ſcito omnia ex neceſsitate fuiſſe, quia ipſe voluit; voluntatem vero eius nulla præceſsit neceſsitas; quare ſi non fuerunt niſi quia ipſe voluit, ſi non voluiſſet non fuiſſet: ſic itaque nemo tulit animam eius ab illo, ſed ipſe poſuit eam, & iterum ſumpſit eam, quia poteſtatem habuit ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi eam, ſicut ipſe dicit. Ecce quod iuxta præmiſſa ponit ſimilem neceſsitatem ſequentem in actibus Dei intrinſecis reſpectu futurorum, ſicut & in humanis intrinſecis & extrinſecis, puta in fide & mundatione virginis, in prophetia & locutione hominis dum præſentialiter loquitur, qualem & ponit Ariſtoteles 1. peri hermenias vlt. *Ariſtoteles.* inſeparabiliter conſequi omnia, qua ſcilicet omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe, ſicut C viceſimo octauo huius plenius dicebatur. Hanc eandem neceſsitatem cum eadem cauſa ac ſimilitudine ad actus humanos oſtendunt planiſsime autoritates eiuſdem De concord. 2. & 3. ſicut viceſimo ſeptimo & viceſimo octauo huius plenius eſt oſtenſum. Hunc autem Archiepiſcopum humiliter ſequitur ſuus deuotus Suffraganus, ſubtiliſsimus Philoſophus & profundiſsimus Theologus, Robertus Lincolnienſis Epiſcopus, de libero arbitrio 3. *Lincolnienſis.* neceſsitatem præcedentem explicitè negans in Deo, iſtam vero ſequentem concedens, ſicut in tertia expoſitione Boetij viceſimo octauo huius præmiſſa ſub breuibus tangebatur: Veruntamen quia tantum teſtimonium non eſt ſub breuibus anguſtandum, ecce diffuſius verba ſua. Volens quippe contingentiam ſimul cum neceſsitate ſaluare, imò & oſtendere ex neceſſarijs ſequi contingens, ſic ait; Duplex eſt neceſsitas, ſicut diſtinguit Anſelmus in libro ſecundo, Cur Deus homo, cap. 17. Vna, quam vocat neceſsitatem præcedentem, quæ cauſa eſt vt res ſit, & cogit rem eſſe; altera, quam vocat neceſsitatem ſequentem, quæ non eſt cauſa rei nec cogit D rem eſſe, & hæc, vt ipſe dicit, eſt illa neceſsitas, quæ, vbi tractat Ariſtoteles de propoſitionibus ſingularibus & futuris, videtur vtrumlibet deſtruere, & omnia ex neceſsitate aſtruere; hac ſequente & nihil efficiente neceſsitate, neceſſarium eſt Deum ſcire meam ſeſsionem cras futuram, & ſimilia: non eſt enim in Deo neceſsitas, cùm omnia ſint in ipſo voluntaria, nec eſt aliud in ipſo neceſsitas, quàm ſuæ voluntatis voluntariè perſeuerans inflexibilitas; ex neceſſarijs hac ſequente neceſsitate nullum inconueniens, imò magis neceſſarium videtur ſequi contingens. Dum enim ſedeo, neceſſe eſt me ſedere, & poſtquam ſedi, neceſſe eſt me ſediſſe; ſed quam comparationem habent hæc dicta me ſedere, & me ſediſſe ad meam ſeſsionem dum ſedeo & poſtquam ſedi, eandem comparationem habet ſcientia Dei ad meam ſeſsionem futuram antequam ſedeam; ipſe enim ſcit futura tanquam præſentia, nec aliter ſcit ea cùm ſunt futura, & cùm ſunt præſentia, vel præterita; ergo omni ſimili modo quo neceſſe eſt Deum ſcire res cùm ſint, vel præteritæ ſint, neceſſe eſt eum ſcire eaſdem antequam ſint; ſed cùm E res ſunt, vel præteritæ ſunt, habet eius ſcientia neceſsitatem conſequentem, ergo & eandem habet antequam res eueniant; & ſicut poſito per impoſsibile, quod hoc dictum, me ſediſſe, eandem quam habet neceſsitatem poſtquam ſedi, haberet ante meam ſeſsionem, illa neceſsitas non cogeret meam ſeſsionem eſſe, ſed tamen ex illa neceſsitate ſequeretur mea ſeſsio contingens; ſic ex neceſsitate ſcientiæ Dei ſequitur futurum contingens: Per hoc idem videbuntur poſſe ſolui oppoſitiones quæ ex veritate dicti de futuro videntur deſtruere vtrumlibet, & liberum arbitrium. Si enim ſum ſeſſurus cras, me eſſe vel fuiſſe ſeſſurum ſine principio fuit verum, nec poteſt non fuiſſe verum, quia veritas quæ ſine principio dicto huic

infuit,

A infuit, non potest non infuisse; necesse est ergo fuisse & esse verum; & ex hoc necessariò sequitur mea sessio adhuc contingens. Has duas necessitates, ex quarum altera non sequitur, nisi necessarium, ex reliqua vero, vt dictum est, videtur sequi contingens, puta Boetium vocasse necessitatem simplicem, & necessitatem conditionis, licèt aliqui necessitatem conditionis intelligant, non illam, quæ supra dicta est necessitas sequens, sed necessitatem consecutionis, consequentis ad antecedens; vt puta cùm dicitur, Si homo currit, mouet pedes, hîc est necessitas consecutionis consequentis ad antecedens, licèt vtrumque, scilicet tam consequens quam antecedens, sit contingens: Ex verbis autem ipsius Boetij interiùs consideratis meliùs perpendi potest, ipsum vocasse necessitatem conditionis, quam supra necessitatem sequentem dicebamus. Ait namque idem futurum, cùm ad diuinam notionem refertur, necessarium; cùm verò in sui natura perpenditur, liberum prorsus atque absolutum videri: & post pauca, Atqui Deus ea futura, quæ ex arbitrij li-
B bertate proueniunt, præsentia contuetur; Hæc igitur ad intuitum relata diuinum, necessaria fiunt per conditionem diuinæ notionis, per se autem considerata absoluta naturæ suæ libertatem non deserunt: & iterum, Hæc si ad diuinam notitiam referantur, necessaria, si per se considerentur, necessitatis esse nexibus absoluta. Quid autem aliud sapiunt hæc verba, nisi ea, quæ in sui natura sunt ad vtrumlibet contingentia, flexibilia, & mutabilia, in Dei notitia esse inuariabilia? non propter rerum inuariabilitatem, sed propter scientiæ immutabilitatem; & Deum scire hoc esse est inflexibile & immutabile ab ea quam habet veritatem; & ita cùm ex hoc inuariabili, Deum scire, hoc contingens sequatur, esse hoc contingens ex necessario; secundum Boetij sententiam sequi videtur contingens, non tamen ex necessario absolutè, siue antecedente quod cogit rem esse, sed ex necessario conditionis & sequente, quod permittit ei liberum esse. Ecce quomodo attestatur sextam veritatem quinto huius præmissam; ecce & qualiter profitetur trigesimo & trige-
C mo primo huius ostensa, Deum videlicet non aliter intrinsecè scire quicquam quando est futurum, quàm quando est præsens siue preteritum, sed omni modo similiter, semper scilicet necessariò hac necessitate sequente; quare & de Deum velle quodcunque primò futurum, deinde præsens, & tandem præteritum, idem haud dubiè vult dicere consequenter. Idem rursus infra eodem quinto, Deus, inquit, omnia scit, vnico indiuisibili, simplicique conspectu æternaliter semper, similiter, immutabiliter; Quapropter quod scit non potest in posterum nescire, quod etiam plurimis modis probari potest. Patet enim ex iam dictis, quòd quam comparationem habent hæc dicta, Me sedere & Me sedisse, ad meam sessionem dum sedeo, postquam sedi, eandem comparationem habet scientia Dei ad meam sessionem cras futuram antequam sedeam: Ipse enim scit futura tanquam præsentia, nec aliter scit ea cùm sunt futura, & cùm sunt præsentia vel præterita; ergo omni eodem modo, quo necesse est Deum scire res cùm sunt, vel cùm præteritæ sunt, necesse est
D eum scire easdem antequam sint: Sed cùm res sunt vel præteritæ sunt, habet eius scientia necessitatem consequentem; ergo & eandem necessitatem habet antequam res eueniant. Item posito per impossibile, quòd cursus Socratis futurus cras esset nunc præsentialiter in visu meo corporali ‖ *omni* eodem modo, quo erit cras illius cursus præsens in visu meo, sicut cras erit necessarium me videre vel vidisse Socratem currentem; sic modò esset necessarium antequam Socrates curreret. Sed multo magis sunt omnia futura presentialiter in conspectu Dei, quàm possit aliqua res præsens esse præsentialiter in conspectu meo; Multò ergo fortiùs Deus necessariò videt & scit omnia futura. Ecce & quomodo hîc & supra iuxta præmissa supponit cum Anselmo actum cognitionis diuinæ respectu cuiuscunque futuri esse ita necessarium, imo magis necessarium hac necessitate sequente, sicut actum cognitionis humanæ respectu præsentis, sicut etiam actum eius extrinsecum, veluti ses-
E sionem præsentem. Aduertas etiam, supplico, causam Doctoris hîc & supra: Ipse enim inquit, scit futura tanquam præsentia; Quid namque prætendit hæc causa, nisi quod causa Aristotelis, & Anselmi, scilicet quòd Esse quod est, quando est, necesse est hac necessitate sequente, ideoque Deus sic necessariò scit futura? Eandem quoque necessitatem sequentem licèt non ita explicitè, eandem quoque causam necessitatis ipsius cum eadem assimulatione actus diuini ad humanum, puta ad gressum præsentem, ita explicitè ostendit Boetius humanus Philosophus & diuinus 5. de consolatione Philosophiæ, prosa vlt. sicut 28m. huius, & prima authoritas Lincolniensis præmissa pleniùs manifestant. Huius & digna vestigia tam in hac necessitate, quàm in causa eius ac assimilatione præmissa ‖ *planè* sequitur sanctus Thomas super 1. sentent. dist. 38. quæstione quinta quærente, Vtrum

Lincolniensis.

‖ cum.

‖ plenè.

te, Vtrum ſcientia Dei ſit contingentium; vbi & quarto loco ad partem negatiuam facit hu- A
iuſmodi argumentum, Deus ſcit vel præſcit Socratem curſurum; ergo Socrates curret, &
Antecedens eſt neceſſarium, ergo conſequens: ad quod & recitat duas reſponſiones, quarum vtraque concordat principali hypotheſi ſuperiùs pertractatæ: quarum prima dicit hanc non eſſe neceſſariam, Deus præſcit vel præſciuit Socratem currere, vel hoc eſſe præſcitum à Deo, quamuis ſit verum de præterito, quia dependet à futuro: Alia verò ponit Deum pro nunc poſſe non ſcire quod nunc ſcit, & hæc, vt dicit, videtur eſſe magiſtri in litera; & reprobat hanc & illam, vnde ſic ait, Ad quartum dicendum, quod ad hoc argumentum multipliciter reſpondetur. Quidam enim dicunt, quod hoc antecedens, ſcilicet hoc eſt præſcitum à Deo, non eſt neceſſarium; & ſi obijciatur, quod dictum eſt de præterito, ergo eſt neceſſarium; Reſpondent quod habet inſtantiam in præteritis quæ dicunt reſpectum ad futurum; Vnde cùm dicitur hoc fuiſſe futurum; quamuis ſit dictum de præterito, tamen quia dependet à futuro, non eſt neceſſarium; quia quod fuit quandoque futurum, poteſt non eſſe B
futurum, quia futurus quidem incedere non incedet, vt dicitur in 2. de generatione. Sed inſtantia iſta nulla eſt, quia quamuis quod fuit futurum poſsit non eſſe futurum, impeditis cauſis, quæ erant determinatæ ad effectum, vt in maiori parte; non tamen poteſt non fuiſſe futurum: Semper enim erit verum dicere, Hoc quandoque fuit futurum; ſimiliter non eſt ad propoſitum, quia cùm dicitur, præſcitum, non importatur tantum ordo ad futurum, ſed etiam actus quidam qui ſignificatur vt præteritus; Et ideo alij dicunt, ſicut videtur Magiſter dicere in litera, quod hoc antecedens non eſt neceſſarium, quia præſcitum; quamuis ſecundum vocem ſignificet tempus præteritum, tamen ſignificat actum diuinum cui non accidit præteritio; Et ideo ſicut Deus poteſt non ſcire, ita poteſt non præſcire. Sed illud etiam non ſoluit, quia quamuis actus diuinus non habet neceſsitatem coactionis, habet tamen neceſsitatem immobilitatis loquendo de actibus intrinſecis, vt velle intelligere, & huiuſmodi; Vnde non eſt contingens ‖ *non eſſe*, ſi ponatur eſſe; & quia conſequens * non po- C
teſt poni non eſſe, quin etiam antecedens ponatur non eſſe; [conſequens etiam non poterit poni non eſſe] Sed hoc certum eſt quod antecedens poteſt poni eſſe; verum eſt enim determinatè Deum aliquid futurũ nunc ſcire, & ita ſequitur quod conſequens non poſsit poni non eſſe etiam abſolutè ſumptum, & multò minus quod poſsit contingere non eſſe. Videas ſupplico quàm expreſſè ponit hanc neceſsitatem ſequentem in actibus Dei intrinſecis, vocans eam neceſsitatem immobilitatis, qua non eſt contingens actum non eſſe; Videas adhuc expreſsiùs, cùm propriam reſponſionem ſubiungit, Et ideo, inquiens, aliter dicendum, quod antecedens eſt neceſſarium abſolutè, tum ex immobilitate actus, tum etiam ex ordine ad ſcitum; quia iſta res non ponitur ſubiacere diuinæ ſcientiæ, niſi dum eſt in actu ſecundum quod determinationem habet, & certitudinem: Ipſum enim neceſſe eſt eſſe dum eſt, & ideo ſimilis neceſsitas inferenda eſt in conſequente, vt ſcilicet accipiatur ipſum, quod eſt, Socratem currere ſecundum quod eſt in actu, & ſic D
determinationem & neceſsitatem habet. Vnde patet, quod ſi ſumatur Socratem currere ſecundum hoc quod ex antecedente ſequitur, neceſsitatem habet; Non enim ſequitur ex antecedente, niſi ſecundum quod ſubſtat diuinæ ſcientiæ cui ſubijcitur, prout conſideratur præſentialiter in ſuo eſſe actuali. Vnde ſic etiam ſumendum eſt conſequens, quomodo patet quod conſequens neceſſarium eſt: neceſſe eſt enim Socratem currere dum currit; Ecce clariſsime prædicta neceſsitas cum cauſa ſuperius aſsignata, & iſtam ſententiam tenet expreſſe per multas diſtinctiones & quæſtiones de ſcientia, prouidentia, ac prædeſtinatione Dei ſequentes. Qui & prima parte ſummæ, quæſtione decima quarta, articulo 13. quo quæritur, Vtrum ſcientia Dei ſit futurorum contingentium, & arguto ſecundo quod non, quia omnis conditionalis cuius antecedens eſt neceſſarium abſolute, conſequens eſt neceſſarium abſolute; Sed huius conditionalis, Si Deus ſciuit hoc eſſe futurum, hoc erit, Antecedens eſt neceſſarium abſolute, tum quia eſt æternum, tum quia ſignificatur vt præte- E
ritum; ponit primam duarum reſponſionum priorum, & ipſam reprobat in hæc verba. Ad ſecundum dicendum quod quidam dicunt quod hoc antecedens, Deus ſciuit, non eſt neceſſarium, ſed contingens, quia licet ſit præteritum, tamen quia eſt contingens importat reſpectum ad contingens futurum. Sed hoc non tollit ei neceſsitatem, quia id qd. habuit reſpectum ad futurũ, neceſſe eſt habuiſſe, licet etiam futurum [animal] non ſequatur quãdoq;. Vbi & infra ſecundum ſententiam propriam ſic reſpondet; Vnde dicendum eſt quod hoc antecedens eſt neceſſarium abſolutè, & tacta ambiguitate, Nunquid etiam conſequens ſit neceſſarium abſolutè ſubiungit, Dicendum eſt quod quando in antecedente ponitur aliquid ad actum animæ pertinens, conſequens accipiendum eſt, non ſolum ſecundum quod in ſe eſt, ſed

‖ actus talis. * illud

A sed secundum quod est in anima; Aliud enim est esse rei in seipsa, & esse rei in anima; vt puta si dicam, Si anima intelligit aliquid, illud est immateriale secundum quod est in intellectu, non secundum quod est in seipso; Et similiter si dicam, si Deus sciuit aliquid, illud erit; consequens intelligendum est, prout est in sua præsentialitate, & sic necessarium est, sicut & antecedens, quia Esse quod est, quando est, necesse est, vt dicitur in primo peri hermenias. Nec debet quenquam mouere quod dicit, Deum hoc futurum præscire esse necessarium absolutè: Potest enim ad propositum rationabiliter accipi necessitas absoluta, prout necessitati conditionali opponitur, quæ ‖ 48°. huius fuerat reprobata, scilicet pro necessitate sequente prædicta, qua sine conditione quacunque, Omne quod nunc est pro nunc necesse est esse. Aliter autem accipitur necessitas absoluta pro necessitate simpliciter, cuius oppositum formaliter contradictionem includit; & sic loquitur infra eiusdem particula 19ª. quæstione 3ª. quærente, Vtrum, quicquid Deus vult, ex necessitate velit; vbi & respondendo, necessitatem ‖ 28°.
B sequentem confirmat sic dicens, Dicendum quod aliquid dicitur necessarium dupliciter, scilicet absolutè & ex suppositione. Necessarium absolutè iudicatur aliquid ex habitudine terminorum, vtpote quia prædicatum est in definitione subiecti, sicut necessarium est hominem esse * animal: vel quia subiectum est de ratione prædicati, sicut hoc est necessarium numerum esse parem vel imparem; sic autem non est necessarium Socratem sedere; vnde non est necessarium absolutè, sed potest dici necessarium ex suppositione; Supposito enim quod sedeat, necesse est eum sedere dum sedet; Sic & Deus ex necessitate absoluta vult se, & bonitatem suam, alia verò à se non est necessarium absolutè eum velle, est tamen necessarium ex suppositione; Supposito enim quod velit non potest non velle, quia non potest voluntas eius mutari. Idem in quæstionibus de veritate part. 13. quæst. 4ª. quærente, Vtrum Deus de necessitate velit quicquid vult, Respondet, quod finem scilicet seipsum vult necessariò, alia vero nequaquam; vbi & respondendo ad primum argumentum sic ait, Ad primum dicen- *rationale vel
C dum, quod aliquid dicitur necessarium dupliciter; vno modo absolutè, alio modo ex suppositione; Absolutè quidem dicitur aliquid necessarium propter habitudinem necessariam ad inuicem terminorum, qui in aliqua propositione ponuntur, sicut Hominem esse animal, vel Omne totum esse maius sua parte, aut aliqua huiusmodi; Necessarium vero ex suppositione est quod non est necessarium ex se, sed solummodo posito alio, sicut Socratem cucurrisse; Socrates enim, quantum est de se, non se habet ad hoc magis quam ad eius oppositum; sed facta suppositione quod cucurrerit, impossibile est eum non cucurrisse: Sic ergo dico quod Deum velle aliquid in creaturis, vtpote Petrum saluari, non est necessarium absolutè, eò quod voluntas diuina non habet ad hoc necessarium ordinem, vt ex dictis patet; sed facta suppositione, quod Deus illud velit vel voluerit, impossibile est non voluisse, vel non velle, eò quod voluntas eius est immutabilis; Vnde huiusmodi necessitas apud Theologos vocatur necessitas immutabilitatis. Vbi & infra respondens ad quartum, Dicendum, inquit, quod
D Deum velle aliquid vel voluisse postquam vult vel voluit, est necesse ex suppositione, non autem absolutè, sicut & Socratem cucurrisse postquam cucurrerit; & similiter de creatione & de quolibet actu diuinæ voluntatis, qui terminatur ad aliquid exterius. Ex his autem satis apparet quod ad modum loquendi Doctorum Parisiensium, Illa dicitur necessitas ex suppositione, quæ ad modum loquendi Boetij & Anselmi dicitur necessitas conditionis & sequens in sensu præmisso, sicut 28°. breuiter erat tactum; Verùm vt istud parumper diffusiùs & clariùs pateat, sciendum quod iste modus loquendi, Necessarium ex suppositione seu ex hypothesi, bonum, melius, optimum, eligibile eligibilius, eligibilissimum ex suppositione seu ex hypothesi, & ita de alijs, originaliter est Græcorum secundum quem modum loquitur Aristoteles Græcus Philosophus 4. Eth. vlt. 7. Polit. 12. & 4 Polit. 3. & Theophilus parabolam de filio dissipatore seu prodigo Luc. 15. exponendo; Neque putandum Græcos Philoso-
E phos qui sapientiam amauerunt & sapientiam quæsierunt, & tantam sapientiam inuenerunt, tam insipidè sapuisse aut locutos fuisse, cùm dicerent hoc est necessarium, bonum, melius, vel optimum, eligibile, eligibilius, aut eligibilissimum ex suppositione siue ex hypothesi, vt tantum intelligerent isto modo; Hæc conditionalis est necessaria, bona, melior, vel optima, eligibilis, eligibilior, aut eligibilissima, Si A est, B erit; Si quis turpia operetur, bonum est vt verecundia confundatur: Si ciues talis conditionis existant, talis politia melior & eligibilior erit eis; si alterius, altera. Quid enim hoc magnum ad ethicam aut politicam disciplinam? Imò secundum logicam methodum subtilius intuendo clarè videbitur hæc differre: Conditionalis enim nihil ponit, quare & nihil supponit: quid est enim supponere, nisi sub alio ponere? Constat enim quod conditionalis huiusmodi, Si homo currit, homo mouetur, non ponit nec supponit hominem currere, sed siue currat, siue non currat, conditionalis est sem-

semper bona & vera; Nec moueat quod inter puerilia rudimenta cōditionalis hypothetica,id A
est,suppositiua seu suppositoria propositio nuncupatur;Satis enim pueriliter & ruditer sic vocatur,nisi fortaſsis hypothesis habeat aliam significationem in græco; Verūtamen apud Græcos autores nō memini conditionalem propositionem hypotheticam nec hypothesin appellari: Omnis autē suppositio aliquid supponit, quare & ponit,quapropter & hypothesis; Quid enim hypothesis sonat græcè,nisi suppositionē latinè? Quapropter & Philos.7.Polit.12.ostēdens optimam politiam esse secundum quam ciuitas optimè politizabit, & maximè fælicitari contingit.& fælicitatem esse operationem & vsum virtutis perfectum,& hanc non ex suppositione,sed simpliciter,definiensque Ex suppositione, sic ait, Dico autem ex suppositione,quæ necessaria; simpliciter autem quod bene, puta quæ quidem circa iustas actiones sententiæ, supplicia, punitiones à virtute quidem sunt; necessaria autem, & quod bene necessario habent; eligibilius quidem enim nullo talium indigere, nec virum, nec ciuitatem: quæ autem ad honores & abundantias simpliciter sunt optimæ electiones. Alterum quidem enim mali B
cuiusdam electio est, tales autem electiones è contrario; Præparationes enim bonorum sunt & generationes. Vtetur autem, vtique studiosus vir,& paupertate & ægritudine,& alijs * fortunis bene, sed quod || *beatum* in contrarijs est: hoc etenim determinatum est secundum morales sermones, || *quod talis est studiosus, cui per virtutem bona sunt simpliciter bona.* Simili quoque modo loquitur. 4. polit. 3. de politia non simpliciter, sed ad hypothesin meliore. Vnde & Theophilus vbi priùs, Pharisæorum, inquit, intentionem corrigit Dominus per præsentem parabolam, quos ex hypothesi nominat iustos, quasi diceret, Esto vos verè iustos esse, nec transgressos aliquod mandatorum; Nunquid igitur propter hoc non oportet admittere à flagitijs redeuntes? Respiciendo igitur verba & mentem Græcorum, & Doctorum Parisiensium qui in hac parte Græcas glossas optimas arbitrantur,& propterea forsitan imitantur, cùm dicunt Deum velle quicquam ad extra vel scire esse necessarium ex suppositione. Non puto ipsos intelligere tantum necessitatem conditionalis huiusmodi aut consequentiæ talis, C
Si Deus vult aut scit hoc esse aut fore, hoc est aut erit,sicut ex hìc præmissis, & 28°. huius apparet, sed necessitatem ex conditione & sequentem prædictam. Posito namque inesse, & quasi pro fundamento seu radice supposito quocunque velle seu scire in Deo, statim ex ipso quodammodo pullulat & consurgit necessitas ista sequens, sicut & ad aliam rem prædictam quamcunque positam suppositamuè in esse, apponitur & quodammodo supponitur ista sequens necessitas consequenter, qua quicquid est dum est, necesse est esse; Et huic sententiæ consonant præcedentia verba Thomæ, qui & 1. contra Gentiles 83. ita dicit; Ex his autem haberi potest, quod licet Deus circa causata nihil necessariò velit absolutè, vult tamen aliquid necessariò ex conditione vel suppositione: Ostensum est autem diuinam voluntatem immutabilem esse; in quolibet autem immutabili si semel est aliquid, non potest postmodum non esse: hoc enim moueri dicimus quod aliter se habet nunc & priùs; Si igitur diuina voluntas est immutabilis, posito quod aliquid velit, necesse est ex suppositione eum hoc velle. D
Item omne æternum est necessarium, Deum autem velle aliquid causatum esse, est æternum; sicut enim esse suum, ita & velle æternitate mensuratur; Est ergo necessarium, sed non absolutè consideratum, quia voluntas Dei non habet necessariam habitudinem ad hoc volutum; est ergo necessarium ex suppositione. Præterea quicquid Deus potuit, potest; Virtus enim eius non minuitur, sicut nec essentia; sed non potest nunc non velle quod ponitur voluisse, quia non potest mutari sua voluntas; ergo nunquam potuit non velle quicquid voluit; ergo est necessarium ex suppositione eum voluisse quicquid voluit, sicut & velle; neutrum autem necessarium absolutè, sed possibile modo prædicto; Ecce quomodo per rationes 30^i. huius licet breuiter multum tactas ostendit hanc necessitatem sequentem in voluntate diuina; quia videlicet quicquid Deus vnquam priùs potuit velle aut nolle, nunc potest, & quicquid nunc non potest, nec potuit vnquam priùs. Qui etiam super 1. sentent. distinctione & quæstione prædictis, innitens similiter rationibus 31^i. huius, hanc necessitatem in scientia Dei ostendit; E
Vnde sic ait, Dico ergo quod intellectus diuinus intuetur ab æterno vnumquodque contingentium, non solùm prout est in causis suis, sed prout est in esse suo determinato; Nisi enim hoc esset, cùm re existente ipsam rem videt prout in esse suo determinato est, aliter cognosceret rem quando est, quam antequam fiat, & sic euentibus rerum aliquid accresceret eius cognitioni; Vnde & infert subsequenter necessitatem sequentem in Dei scientia, sicut superiùs recitatur. Qui & 1. contra Gentiles 67. similem necessitatem in scientia Dei ponens, sic ait: Ex his autem iam aliqualiter patere potest, quod contingentium singularium ab æterno Deus ineffabilem scientiam habuit, nec tamen contingentia esse desistunt; Contingens enim certitudini cognitionis non repugnat, nisi secundum quod futurum est, non autem secundum quod

* prauis.
|| bonum.
|| quod talis est, qui studiosus cui propter virtutem bona sunt quæ simpliciter bona.
Theophilus.
Thomas.
Thomas.
Thomas.

A quod præsens est; contingens enim cùm futurum est, potest non esse, & sic cognitio æstimantis ipsum futurum esse falli potest; falletur enim si non erit quod futurum esse æstimauit: ex quo autem præsens est, pro illo tempore non potest non esse, potest autem in futurum non esse. Sed hoc non iam pertinet ad contingens, prout est præsens, sed prout futurum est, vnde nihil certitudini sensus deperit, cùm videt currere hominem, quamuis hoc dictum sit contingens; omnis igitur cognitio, quæ supra contingens fertur, prout præsens est, certa esse potest: diuini autem intellectus intuitus ab æterno fertur in vnumquodq; eorum quę temporis cursu peraguntur, prout præsens est, vt supra ostensum est; relinquitur igitur quòd de contingentibus nihil prohibet Deum ab æterno scientiam infallibilem habere. Ecce quòd contingens apud nos futurum, sic semper præsens est Deo, sicut, quando præsentialiter veniet, erit nobis, sicut & alia contingentia nunc sunt nobis, & sic quòd apud eum non potest non esse, sicut
B contingentia apud nos præsentia nunc non possunt. Vbi & immediatè subiungit, Item contingens à necessario differt secundum quod vnumquodq; in sua causa est; contingens enim sic in sua causa est, vt non esse ex ea posit & esse; necessariũ autem non potest ex sua causa nisi esse; secundum id verò quod vtrumq; horũ in se est non differt quantũ ad esse supra quod fundatur, quia in contingenti secundum quod in se est non est esse & non esse, sed solum esse, licèt vt futurũ contingens posit non esse: Diuinus autem intellectus ab ęterno cognoscit res, non solum secundũ esse quod habent in causis suis, sed secundũ etiam esse quod habent in seipsis: nihil igitur prohibet ipsum habere æternã cognitionẽ de contingentibus & infallibilem. Ecce quòd sicut contingens & necessariũ apud nos nunc entia, non differunt in essendo, & in necessitate sequente essendi, sic & æternaliter apud Deum. Et infra, Effectum excedere causam suam non contingit, interdum tamen ab ea deficit; vnde cùm in nobis cognitio causatur ex rebus, contingit interdum, quæ necessaria sunt, non per modum necessitatis cognoscimus, sed pro-
C babilitatis; sicut autem apud nos res sunt causa cognitionis, ita diuina cognitio est causa rerum cognitarum; non igitur prohibet ea in se contingentia esse, de quibus Deus necessariam scientiam habet. Qui & infra supponens quòd effectus dicitur necessarius vel contingens à causa proxima, non remota, subiungit; Scientia autem Dei, etsi sit causa rerum scitarum per ipsam, est tamen causa remota; eius igitur necessitati scitorum contingentia non repugnat, cùm contingat causas intermedias contingentes esse. Et infra præterea, si vnumquodque à Deo cognoscitur sicut præsentialiter visum, sic necessarium erit esse quod Deus cognoscit, sicut necessarium est Socratem sedere ex hoc quod sedere videtur; hoc autem non necessarium est absolutè; concedit igitur Doctor in talibus necessitatem sequentem prædictam, & negat necessitatem tantummodo absolutam, sicut & 28. huius plenius monstrabatur. Hanc etiam necessitatem sequentem videtur concedere Williamus de Aluernia in suo Tripartito parte vltima capit. 10. asserens sicut Thomas in Deo necessitatem stabilitatis & immutabili-
D tatis, qua necesse est eum esse quicquid est, & agere bene semper, sicut in ostensione corollarij primi huius pleniùs recitatur. Istam quoque necessitatem stabilitatis, immutabilitatis, & immobilitatis horum Doctorum, quare & necessitatem sequentem prædictam maiores Doctores & Autores insinuant & affirmant. Dicit etenim Esaias, imò Dominus per os eius, Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet, Es. 46. Sed quomodo stabit? Firmiter, an infirmiter? Proculdubio quicunque dixerit quòd infirmiter, est infirmus. Cuius namque consilium stabit firmum, si omnium fundamenti firmissimi non stet firmum? Non sic sentit Apostolus, inquiens, Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Nouit Dominus qui sunt eius, 2. ad Tim. 2. Cur, quæso, dixit Apostolus, Firmum fundamentum Dei stat, si infirmissimè stet, imò incomparabiliter infirmiùs infirmissima & mutabilissima re creata? Nam quamlibet rem creatam nunc stantem necesse est nunc stare hac necessitate sequente; quare si consilium & præscientia, ac prædestinatio fundamentalis diuina quæ nunc stat, posset pro nunc non stare, staret infirmius instabilissima creatura. Hoc etiam verbum, stare, *Apostolus.*
E dictum de Deo firmitatem & immutabilitatem designat; vnde & Augustinus 1. Confess. 6. Apud te Deus, inquit, rerum omnium instabilium stant causæ, & rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines, & omnium irrationabilium & temporalium sempiternæ viuunt rationes. Qui & 5. super Genesin ad literam 18. Ipsi, inquit, Deo non alio modo innotuisse creata cùm ea fecisset, quàm illo modo quo ea nouerat vt faceret, apud quem non est commutatio, nec momenti obumbratio, sed simplici ac mirabili modo nouit omnia stabiliter atque incommutabiliter. Cur etiam præscientiam & prædestinationem Dei seu ipsos prædestinatos fundamento, imò & firmo fundamento comparauit Apostolus, si nulla sit ibi necessitatis firmitas, sed infirmitas maxima, & maior quàm in aliqua re labente continuè & fluente, cùm in quacunque re tali sit *Augustinus.*
necessitas

necessitas sequens firma? Esset enim infirmum & debile fundamentum tam facilè defectu- A
rum, vt nunc & pro nunc possit deficere & non esse, essetque incomparabiliter infirmius & debilius fundamento debilissimo naturali, quod non sic potest. Magis autem videtur quòd per hanc locutionem transumptam, quâ præscientiam Dei, seu prædestinatos nominat fundamentum, quod est firmissimum & immobilissimum omnium, firmitatem & immobilitatem similem intellexit. Nam sicut dicit Philosophus 6. Top. Translatio facit notum quodammodo quod significatum est per similitudinem; omnes enim transferentes, secundum aliquam similitudinem transferunt: Quamobrem Glossa dicit, Firmum fundamentum Dei stat, id est, Illi, quos Deus elegit, & immobiliter in fide fundauit, sicut & vicesimum septimum huius plenius ostendebat. Vnde & Augustinus super illud Psalmi secundi, Firmauit orbem terræ, qui non commouebitur, Est, inquit, orbis terrarum immobilis, qui est, boni qui stabiles sunt in fide. Firmum enim fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc Nouit Dominus qui sunt eius; iste est orbis terrarum qui non commouebitur; est & orbis terrarum mobilis, qui est mali. Hanc etiam firmitatem innuit frequenter Psalmista sub metaphora fundamenti, vnde Psalmo 8. Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum, lumina & stellas quæ tu fundasti. Super quod Damascenus in sententijs suis 21. agens de Planetis, sic ait; Currunt suum cursum incessabilem, quem conditor statuit eis, & quemadmodum fundauit eos, vt ait Domino Dauid, Lunam & stellas quæ tu fundasti. Quia enim dixit, fundasti, significauit stabilitatem & immutabilitatem à Deo dati eis ordinis & constructionis. Et infra Psalmo 23. Ipse super maria fundauit eum, scilicet orbem terrarum, id est, Ecclesiam secundum Augustinum, qui exponendo quomodo ipse super maria eam fundauit, subiungit, Ipse firmissimè stabiliuit eam super omnes fluctus sæculi huius, vt ab ea superarentur. Et inferiùs Psalmo 118. In generatione, & generatione veritas tua, fundasti terram & permanet. Super quod Augustinus per generationem & generationem omnes generationes intelligens, sic C
subiungit; Cur autem nunquam etiam istis generationibus veritas desit, velut aperiens causam, Fundasti, inquit, terram & permanet, eos qui in terra sunt, terram nuncupans; fundamentum autem aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Hanc etiam firmissimam firmitatem sub eadem metaphora innuit Esaias 28. Imò Dominus per Esaiam sic dicens, Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem probatum, pretiosum, in fundamento fundatum: quam & lapis iste olim ad nos missus confirmans, Omnis, inquit, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit; fundata enim erat supra petram, Matt. 7. Super quod Chrysostomus, Sicut, inquit, Ecclesia ædificata à Christo dirui non potest, sic talem Christianum, qui se ‖ *ædificauit* super Christum, nulla aduersitas deijcere potest. Nec est contrarium quòd quidam de Ecclesia cadunt; non enim omnes qui Christiani dicuntur, D
Christi sunt, sed nouit Dominus qui sunt eius. Hanc igitur necessitatem stabilitatis, immobilitatis, & immutabilitatis, atque sequentem reor intellexisse Apostolum, cùm dicebat, Firmum fundamentum Dei stat, nouit Dominus qui sunt eius, & Dominum per Esaiam dicentem, Consilium meum stabit: huiusmodi etiam stabilitatem immobilem diuini consilij innuit Dauid dicens, Consilium autem Domini in æternum manet, cogitationes cordis eius in generatione & generationem, Psalmo 32. Glossa, id est, non mutabiles sed æternæ, sicut & prædestinatio eius immutabilis est, in qua omnia reposita sunt: vbi & Augustinus tractatu primo, Cogitationes sapientiæ eius non sunt mutabiles, sed manentes in sæculum sæculi. Quod & planissimè docens Apostolus ad Heb. 6. Volens, inquit, Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam habemus sicut anchoram animę tutam ac firmam. E
Glossa, Per duas res immobiles, id est, per promissionem & iuramentum; vult ergo Apostolus, quòd consilium, pollicitatio, & iusiurandum Dei tanta immobilitate firmentur, quòd Deus non potest oppositum, sicut non potest mentiri. Cui & concordat illud Numer. 23. Non est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur; dixit ergo & non faciet? Locutus est, & non implebit? Et illud Psalmi 88. Semel iuraui in sancto meo, si Dauidi mentiar. Cassiodorus, Semel, id est, immutabiliter; quomodo & Augustinus 5. de Ciuit. Dei 9. & De spiritu & litera 29. & Isidorus 8. Eth. 45. exponit illud Psalmi 61. Semel locutus est Deus, id est, immutabiliter, hoc est, incommutabiliter locutus est, sicut nouit incommutabiliter omnia quæ futura sunt, & quæ facturus est, sicut vicesimum septimum huius pleniùs allegauit. Hoc idem testantur multæ autoritates Scripturæ canonicæ & Doctorum de

Philosophus. *Augustinus.* *Psalmista.* ‖ fundauit. *Augustinus.* *Apostolus.* *Glossa.* *Numeri.* *Psalmus.* *Cassiodorus.* *Augustinus.*

A de iuramento Dei loquentis 47°. huius scriptæ; Similes quoque quamplurimæ 23°. primi dicunt similiter Deum nosse immutabiliter & incommutabiliter omnia atque velle. Ad hæc fortassis quisnam defensor opinionis contrariæ respondebit dicendo, quòd verum est Deum omnia immutabiliter velle & nosse, quia non potest in volutione aut cognitione mutari; potest tamen sine mutatione quacunque futurum quod semper voluit & præsciuit, vult nunc & præscit, nunquam voluisse nec præsciuisse, & nunc non velle nec præscire, sed eius oppositum nunc & priùs; quare non infert Deum velle & nolle futura necessariò necessitate sequente prædicta. Hæc autem responsio per priùs ostensa 30. & 31. & specialiter 32°. huius tertij corrigetur. Innuunt enim quædam autoritates tactæ hîc & ibi, Deum esse mendacem si non eueniat quod prædixit; si tamen sine mutatione quacunque posset non prædixisse quod prædixit, nullatenus sequeretur sicut illo 32°. pleniùs est ostensum; nec est maior necessitas in prædictis à Deo, quàm in simpliciter præuolutis & præscitis, sicut 49um. huius
B ostendit; Deus ergo non potest non scire, nec non velle futura quæ scit & vult nisi mutetur, sicut idem 32um. ostendit; quare pro nunc non potest non scire, aut non velle quod nunc scit & vult. Huius autem 32i. rationibus per viam mutabilitatis & immutabilitatis præmissis innititur Robertus Lincolniensis de libero arbitrio 4. vbi recitata opinione dicente quod hæc non est necessaria, Deus scit A. fore, si sit A. vnum contingens futurum, quia potest non scire A. antequam A. sit; vnde sicut est vel non est A. sic fit sciens & non sciens A. scilicet necessario: & hæc est opinio contraria, & hypothesis principalis subiungit, Sed hac ratione dicere dictam propositionem non esse necessariam, apertè impium est, quia hoc dicere est dicere Deum esse mutabilem secundum scientiam. Primo ergo obuiandum est autoritatibus huic impietati, quibus patebit ipsum immutabiliter & semper & æternaliter scire omnia, & adducit multas autoritates dicentes Deum scire & velle immutabiliter vniuersa, sicut superius erat tactum. Qui & infra quinto reprobata opinione prædicta per autoritates, & per aliquas ratio- *Lincolniensis.*
C nes subiungit; Item Deus scit A. aut ergo potest nescire A. aut non potest; Si non potest nescire A. ergo necessario scit A. Si autem potest nescire A. ergo potest fieri de sciente A. nesciens A. ergo potest mutari & alterari, quod est impossibile. Idem infra 9. vbi finaliter determinando respondet, dicit Deum consideratum quatenus præcedit causaliter suos actus volendi, & sciendi, posse non agere illos actus; Consideratum vero quatenus actualiter agit illos non posse cum sit immutabilis; vnde sic ait, Potest hæc prædicatio, Deus potest non velle aut non scire A. redire super ipsum consideratum in ratione agentis vnum oppositorum, & sic est impossibile ipsum non velle quod vult, vel non scire quod scit: Est enim in Dei natura posse ad vtrumque, quia causaliter pręcedit vtrumque; sed super ipsum agens alterum cum sit immutabilis, non est posse ad oppositum eius quod in actu est. Similibus argumentis de ‖ *mutabilitate* innititur sanctus Thomas 1. part. summæ. quæst. 19. Artic. 3. & 1. contra Gent. 83. sicut erat superius recitatum. Quomodo etiam si sic esset, sicut dicit responsio, saluaretur ‖ immutabilitate
D in Dei scientia firmitas, & fundamentalis stabilitas præostensa? Quomodo etiam, si sic esset, per pollicitationem & iusiurandum Dei de quoquam futuro secundum Apostolum fortissimum solatium haberemus, sicut 32. huius magis ostendit? Quomodo namque haberemus fortissimum solatium de re tam debili, quę pro tempore vel instanti quo est aut fuit, potest non esse & non fuisse, imo & de re debiliori incomparabiliter in essendo debilissima creatura? Nam quælibet creatura est fortior & constantior in essendo: Ipsam namque, dum est, necesse est esse, & fuisse si fuit Quomodo etiam si sic esset, dixisset Apostolus spem nostram de promissis huiusmodi esse sicut anchoram animæ tutam ac firmam? Qualis namque securitas aut firmitas in huiusmodi anchora, quæ, etsi nunc firmius quo posset hæreret, in præteritoque hæsisset debito fundamento, posset nunc & pro nunc solui & omnino decipere, & in præterito semper fuisse soluta, & totaliter decepisse? Huiusmodi igitur anchora, si ponatur, est insecurior, infirmior & instabilior omni vento & mari, ac re fluxibili qualicunque. Quis igitur an-
E chora tali confisus tempestuosissimo pelago se exponet? Quis igitur in mari magno & periculosissimo hoc mundi per huiusmodi anchoram tutus erit? Quamobrem videtur mihi Apostolum per istam locutionem transumptam ab anchora, quæ est firmissima rerum nauis, totamque nauem stabiliens atque firmans, dum tamen inhæreat alicui firmiori, figuraliter innuisse securitatem & firmitatem stabilissimam spei nostræ, quæ est sicut anchora nauis petri iactatę fluctibus & vento contrario huius mundi; & quod hæc anchora spei nostrę non est tuta & firma de seipsa, sed ex adhęsione & alligatione ad aliquid magis firmum, puta ad immobilitatem diuini consilij, & ad duas res immobiles supra dictas, quas impossibile est deficere aut non esse, sicut Deum impossibile est mentiri. Hæc autem ratio huius transumptionis similiter potest ostendi, sicut responsio transumptionis de fundamento superius est ostensa. Præ-

terea verba ſacræ Scripturæ & Doctorum accipienda ſunt ad modum intelligendi & loquendi ſolitum & communem, ſicut erat oſtenſum quadrageſimo quinto primi: non eſt autem modus intelligendi aut loquendi ſolitus & communis, ſed valde inſolitus & multum extraneus, & vix inter fallaces Sophiſtas admiſſus, dicere Deum ſtatuere ſeu ſtatuiſſe, voluiſſe ſeu velle immutabiliter quicquam fore, quod ſine mutatione quacunque poteſt nunquam hoc ſtatuiſſe aut voluiſſe, nec nunc ſtatuere hoc aut velle; Imo & conſuetus & communis modus intelligendi & loquendi videtur in talibus pro eodem habere immutabiliter, & non poſſe aliter & neceſſario, & ea conuertibilia reputare; quare & Doctores Pariſienſes neceſsitatem ſequentem prædictam, neceſsitatem immutabilitatis & immobilitatis appellant. Vnde & Anſelmus 2. Cur Deus homo 17. quaſi per totum, habet pro eodem & promiſcuè accipit immutabiliter eſſe vel fore, & non poſſe, non eſſe, vel fore, & neceſſario eſſe vel fore; vbi & hanc neceſsitatem ſequentem ſpontaneam aſſerens per modum dialogi inter Anſelmum & Boſonem de Chriſto ſic ſcribit; Quoniam eidem ſubiacent rationi, ſcilicet mori & velle mori, vtrumque videtur in illo neceſsitate fuiſſe. A. Quis ſe ſponte voluit hominem facere, vt eadem immutabili voluntate moreretur, & per huius fidem certitudinis virgo munda fieret, de qua homo ille aſſumeretur? B. Deus, filius Dei. A. Nonne ſupra monſtratum eſt, quod Dei voluntas nulla cogitur neceſsitate, ſed ipſa ſe ſpontanea ſua ſeruat immutabilitate, quando aliquid dicitur neceſsitate facere? B. verè monſtratum eſt; ſed videmus è contra; quia quod Deus immutabiliter vult, non poteſt non eſſe, ſed neceſſe eſt eſſe: Quapropter ſi Deus voluit vt homo ille moreretur, non potuit non mori. A. ex eo quia filius Dei aſſumpſit hominem ea voluntate vt moreretur, probans eundem hominem non potuiſſe non mori. B. ita intelligo. A. Annon ſimiliter apparuit ex his quæ dicta ſunt, filium Dei & aſſumptum hominem vnam eſſe perſonam, vt idem ſit Deus & homo filius Dei, & filius virginis? B. ſic eſt. A. Idem igitur homo ſua voluntate non potuit non mori, & mortuus eſt. B. negare nequeo. Qui & infra eodem vult plane, quod ſi Deus proponit aliquid immutabiliter ſe facturum, illud neceſſario faciet, non tamen neceſsitate violenta aut contraria, ſed conſentanea libertati; quod & adhuc inferius in eodem per diſtinctionem de neceſsitate ſuperius recitatam elucidat & ſerenat. Qui & de Concord. 3. Quæ tempore, inquit, præterita ſunt ad ſimilitudinem æterni præſentis, omnino immutabilia ſunt; in hoc ſiquidem magis ſimilia ſunt æterno præſenti temporaliter præterita quam præſentia, quoniam quæ ibi, ſcilicet in æternitate ſunt, nunquam poſſunt non eſſe præſentia, ſicut temporis præterita non valent vnquam non eſſe præterita; Præſentia vero tempore omnia quæ tranſeunt fiunt non præſentia: & infra 4 immediate ſubiungit; Hoc ergo modo quicquid de his quæ libero fiunt arbitrio, velut neceſſarium Sacra Scriptura pronuntiat, ſecundum æternitatem loquitur in qua præſens eſt omne verum, & non niſi verum immutabiliter. Ecce quomodo indifferenter accipit & habet pro eodem, eſſe immutabile, ſeu immutabiliter non poſſe non eſſe, & neceſſarium, ſeu neceſſario quicquam eſſe, neceſsitate ſcilicet, quam eiſdem locis ſequentem appellat, ſicut ſuperius erat tactum. Quare & Robertus Lincolnienſis, De libero arbitrio. 4. recitatis Autoritatibus Auguſtini 5. ſuper Geneſ. 19. ac alijs hic ſupra; & viceſimo tertio primi præmiſsis, qui dicunt Deum immutabiliter cuncta ſcire, quinto capit. ſic concludit, Ex his autoritatibus euidenter patet, quod omnia ſcit Deus vnico indiuiſibili ſimplicique conſpectu æternaliter, ſemper, [ſimiliter,] immutabiliter: Quapropter quod ſcit non poteſt in poſterum neſcire. Et ſequitur, Ergo omni eodem modo quo neceſſe eſt Deum ſcire res cum ſunt, vel cum præteritæ ſunt, neceſſe eſt eum ſcire eaſdem antequam ſint; Sed cum res ſunt, vel præteritæ ſunt, habet eius ſcientia neceſsitatem conſeqnentem; ergo & eandem neceſsitatem habet antequam res eueniant. Qui & infra 6. allegat Auguſtinum dicentem Ideas in Deo, quas & exemplaria nominat, eſſe immortales, immutabiles, inuariabiles, æternas & infatigabiles: Vnde & concludit, Ex his patenter habetur exemplaria eſſe neceſſaria; Sacra igitur Scriptura, Gloſſæ, & Doctores dicentes Deum immutabiliter, incommutabiliter, & immobiliter ſcire, velle, ſtatuere, & cætera talia, intelligunt quod non eſt poſsibile aliter, & quod neceſſario ita facit, neceſſario, inquam, neceſſitate ſequente prædicta. Neque pro minimo computandum quod Robertus Lincolnienſis, Sanctus Thomas, & alij Doctores Pariſienſes, opinionem huic neceſsitati contrariam, & hypotheſin principalem ſub propria forma ſua concorditer recitant, reprobant, & condemnant, ſicut præhabita aliquantulum recitarunt; Quare haud dubiè reſponſionem iſtam ſecundum hanc neceſsitatem ſequentem approbant & affirmant, cùm non ſit poſsibile aſsignare rationabile medium inter iſtas, ſicut

Marginalia: A (line 1); *Anſelmus.* (beside "ſelmus 2. Cur Deus homo"); B (beside "& Boſonem de Chriſto"); *Anſelmus.* (beside "filius Dei, & filius virginis"); C (beside "Qui & infra eodem"); *Anſelmus.* (beside "aut contraria"); D (beside "tabiliter. Ecce quomodo"); *Lincolnienſis.* (beside "neceſsitate ſcilicet"); *Lincolnienſis.* (beside "res ſunt, vel præteritæ"); E (beside "inuariabiles, æternas").

[capitula]

A [capitula] præcedentia manifestant. Doctores similiter Oxonienses negant necessitatem absolutam in talibus, aliam verò quandam concedunt, quam vocant similiter ordinatam, seu necessitatem de lege ordinata siue statuta; quæ secundum præostensa quadragesimo nono huius, non potest rectè intelligi alia quàm necessitas ista sequens. Voluntas namque diuina quoad extrinseca voluta rectè dicitur ordinata, & lex similiter ordinata siue statuta; quia sicut Legislator vel alius quilibet ordinator, primò saltem natura cogitat hæc & illa, deinde liberè ordinat seu statuit vnum certum; sic & Deus Rex & Legifer vniuersi; cogitato posse fieri hæc & illa, liberrimè statuens ordinauit hæc fieri, & non illa; & hæc est lex vniuersalis, statuta, posita, ordinata, ordinans, regulans, & moderans vniuersum, sicut patet vicesimo primo primi. Dicitur quoque necessitas, quia sicut lex merè positiua liberrimè, & sine quacunque necessitate impellente statuta ab homine, ex tunc est necessaria necessitate sequente, & necessitate huiusmodi ordinata, in tantum quòd secundum Iuristas illud dicitur possibile vel impossibile, quod est possibile impossibileuè de Iure: sic & voluntas diuina, quanquam sine
B quacunque necessitate præcedente, contingentissimè, & liberrimè ordinata, posita, & statuta simili necessitate firmatur. Istam autem sententiam roborare videntur præmissa de fato, vicesimo octauo primi, & vicesimo septimo tertij. Innuunt namque concorditer omnes Autores ponentes fatum à famine Dei dictum, & talem necessitatem fatalem, Deum sicut & hominem liberè secundum contradictionem fari ad extra, ipsum tamen fari dum fatur, sicut & hominem loqui dum loquitur esse necesse, necessitate scilicet ordinata siue sequente prędicta, quæ esse quodcunque necessariò sequitur comitando, quâ omne quod est, quando est, necesse est esse. Fatum enim, recitante Isidoro 8. Eth. 45. & 46. Antiqui dixerunt quicquid Dij fantur, appositumque singulis & statutum: quare & Philosophus in De mundo vlt. dicit, quòd tria sunt statuta fatorum secundum totidem tempora, quæ in alia translatione dicuntur tres Parcæ; quæ secundum Papiam in elementario suo, & Isidorum 8. Eth. 45. & Grammaticos *Isidorus.* *Philosophus.*
C alios, eò quòd nemini parcant, seu minimè parcant, κατ' ἀντίφρασιν sic dicuntur, Atropos in præterito, Lachesis seu Lichesis in futuro, & Cloto in præsenti, perficiens vt dicit Philosophus vbi prius & torquens vnicuique propria; & addit, Perficitur autem & fabula non inordinatè: sunt autem hæc omnia nihil aliud nisi Deus, quemadmodum & strenuus ait Plato. Qui & supra 13. dicit quòd in maiori ciuitate, in mundo videlicet, Deus est lex æquè declinans, in alia translatione æqualis, nullam recipiens corruptionem, aut transpositionem, in alia translatione directionem aut transpositionem, maior autem & certior eis Scripturis quæ sunt in cirbesibus, secundum aliam translationem, melius autem & firmius lapidibus scriptis. Scripturæ namque in lapidibus primò liberè & contingenter scribuntur, sed postquam sunt scriptæ, necessariò manent scriptæ, vel saltem necessariò tunc sunt scriptæ necessitate sequente prædicta, sic & scriptura firmior libri Dei; vbi & subditur consequenter, quo gubernante semper immobiliter & diligenter regitur totus decor cœli & ter-
D ræ, & omnia generantur, crescunt, & corrumpuntur diuinis parentia decretis. Istam quoque sententiam firmat Hermes De verbo æterno 43. & de mundo & cœlo 1. ostendens quòd rerum necessitas est à lege diuina; dicit enim quòd hæc tria, *Heimarmene*, necessitas, & ordo, nutu Dei maximè sunt effecta, quæ mundum gubernant sua lege, & ratione diuina, dicitque textum operis, fatalem seriem, sæculorum dispositionem, metam temporalium omnium, & vniuersaliter omnia esse illic, puta in Deo, summi dispositoris digito exarata, sicut vicesimum septimum huius plenius recitauit. Vnde & Propheta, In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo; in generatione veritas tua; fundasti terram & permanet; ordinatione tua perseuerat dies quoniam omnia seruiunt tibi, nisi quòd lex tua meditatio mea est, &c. Psalmo 118. Ecce ordinatio legitima Domini cœlestia, terrestria, & vniuersaliter omnia comprehendens: Ecce lex Domini completissimè ordinata firma necessitate, & necessaria firmitate æternaliter perseuerans: hæc enim *Hermes.* *εἱμαρμένη.*
E verba Prophetæ immutabilitatem & necessitatem important. Dicit enim Augustinus decimo quinto de Trinitate 20. Neque enim ob aliud scriptum est, Multæ cogitationes in corde viri, consilium autem Domini manet in æternum, nisi vt intelligamus siue credamus sicut in æternum Deum, ita æternum eius esse consilium, ac per hoc immutabile sicut ipse est: Quod autem de cogitationibus, hoc etiam de voluntatibus verissime dici potest, Multæ voluntates in corde viri, voluntas autem Domini manet in æternum. Psalmus quoque tricesimus secundus, Consilium, inquit, Domini in æternum manet, cogitationes cordis eius in generatione & generationem: Super quod Augustinus tractatu primo, Cogitationes sapientiæ eius non sunt mutabiles, sed manentes in sæculum sæculi; vbi & Glossa, id est, non sunt mutabiles, sed æternæ, & prædestinatio eius immutabilis *Augustinus.* *Psalmus.*

mutabilis est in qua omnia reposita sunt. Dicitque Cassiodorus super illud Psalmi 118. A
superiùs allegatum, O Domine, permanet verbum tuum in cœlo, quia ad literam, solennis ordo cœlestium permanet statutorum. Annus enim per dies & menses labitur, & eisdem vicissitudinibus redit conuersio Solis & Lunæ, & omnium lex semel constituta immutabilis manet. Et infra, in generatione & generationem veritas tua, id est, in omni generatione, Fundasti terram, id est, Ecclesiam fide, & permanet. Non enim ad literam de terra, quæ mouenda est, hoc dici potest: Christus autem est fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere, in quo hi, qui non sunt ancillæ filij, permanent. Nam sequitur, Ordinatione tua perseuerat dies. Hæc enim supra dicta, quod verbum in cœlo, quod veritas in generatione, quod terra fundata est, sunt dies quem fecit Dominus, cui Christus
|| percipiet Sol iustitiæ quicquid vrgeat nunquam occidit, & eum in futuro ||*perficiet* nullo fine claudendum. Et bene dico Verbum in cœlo veritas, & in generatione terra fundata, quoniam omnia quæ pertinent ad hunc diem seruiunt tibi; ad literam, Omnia temporalia & æterna B
suo nutu disponit. Fundasti, inquit, terram & permanet; fundatio autem & fundamentum immutabilem stabilitatem & necessitatem important, sicut superius est ostensum. Vnde & infra eodem, Initio cognoui de testimonijs tuis quòd in æternum fundasti ea. Similem etiam sententiam innuunt verba huiusmodi, Confirmata est super nos misericordia eius, & veritas Domini manet in æternum, Psalmo 116. Firmauit orbem terræ qui non
Augustinus. commouebitur, Psalmo 92. vbi dicit Augustinus quòd est immobilis, sicut erat superiùs allegatum. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commouebitur in æternum, &c. Psalmo 124. vbi Cassiodorus ostendit confidentes in Domino non posse moueri, non incli-
Cassiodorus. nabitur in sæculum sæculi, scilicet terra, Psalmo 103. vbi Cassiodorus, Non potest dici de terra quæ legitur transitura; mysticè verò rectè accipi potest Ecclesia super Christum fundata, quæ inclinari non potest. Montes commouebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dixit Miserator tuus C
Esaias. Dominus, Esaiæ 54. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt, seu trans-
Matthæus. ient, Matth. 24. & multa similia cum expositionibus suis & glossis 27. huius scripta. His si-
Ieremias. militer consonat illud Ierem. 5. Posui arenam terminum maris, præceptum sempiternum quod non præteribit, & commouebuntur, & non poterunt, & intumescent fluctus eius, & non pertransibunt illud; terminum tribulationum insinuans & laborum, vt patet per expositiones præmissas 46. primi. Et rursum illud Psalmi 148. Statuit ea in æternum & in sæculum sæculi, præceptum posuit, & non præteribit. Vnde beatus Gregorius 16. Moral. 15. super illud Iob 23. Nemo auertere potest cogitationes eius, scilicet Dei, sic ait, De cuius immutabilitate aptè subiungitur, Nemo auertere potest cogitationes eius: sicut enim immutabilis est natura, ita immutabilis est cogitatione. Dicat ergo, & nemo auertere potest cogitationes eius, quia semel fixa iudicia mutari nequaquam possunt; vnde scriptum est, præceptum posuit, & non præteribit: & rursum, Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transient: Et rursum, Non enim cogitationes meæ sicut cogitationes vestræ, neque viæ meæ sicut viæ vestræ. Cùm ergo exterius mutari videtur sententia, interius consilium non mutatur, quia de vnaquaque re immutabiliter intus constituitur, quicquid foris mutabiliter agitur. D
Augustinus. Cui & concorditer Augustinus in sententijs Prosperi, propositione 169. Cogitatio, inquit, & recogitatio Dei mutandarum rerum est incommutabilis ratio. Neque enim, sicut hominem, ita Deum cuiusquam facti sui pœnitet, cuius de omnibus omninò rebus tam
Esaias. fixa est sententia quàm certa præscientia: quibus nec discorditer Esaias, Dominus exercituum, inquit, decreuit, & quis poterit infirmare? Es. 14. Glossa, hoc est, mutari non potest. Hanc eandem necessitatem secundum legem, vt præmittitur, ordinatam euidenter insinuant Autoritates de necessitate stabilitatis, immobilitatis, & immutabilitatis præmissæ: nec minus euidenter eam ostendunt Autoritates de iuramento diuino, quadragesimo septimo huius præmissæ propter immutabilitatem & necessitatem in eo contentam, maximè cùm secun- E
dum ibi ostensa, omnis sermo Dei intrinsecus respectu exteriorum æquali necessitate firmetur, & æquipolleat iuramento. Eandem similiter innuunt Autoritates illo quadragesimo septimo allegatæ, dicentes prædictiones & promissiones diuinas necessariò adimplendas, maximè cùm non necessitas sit maior in talibus, quàm in quibuslibet scitis Dei ad extra, sicut proximum huius docet: sed tota necessitas, quæ est ibi, est ex firma præsentialitate, & præsentanea firmitate actus, cognitionis, & volutionis diuinæ, qua eum, sicut & præsentia cætera, & actus cæteros qualescunque dum est, necesse est esse necessitate sequente & ordinata prædicta. Amplius autem & hanc eandem necessitatem ordinatam, vt præmittitur, & sequentem concorditer innuunt omnes Autores, ponentes fatum à famine Dei dictum,

&

A &talem necessitatem fatalem, sicut superius monstrabatur; Quot autem & quanti Autores & Doctores Philosophici & Theologici ponunt explicitè & implicitè istam necessitatem fatalem, sicut vigesimum octauum primi, & vigesimum septimum huius docent? Quid enim aliud significat intransibilitas, immutabilitas, stabilitas, firmitas verborum Christi, legum, pacti, fœderis quoque Dei ex Euangelijs & Prophetijs cum glossis & expositionibus Doctorum, quas vigesimum septimum huius plenius recitauit? Quomodo etiam conuenientius potest exponi Philosophus in De mundo 13. vbi dicit quod Deus immobilis cuncta mouet & circumfert quo vult, velut || *lex* mundi nullam recipiens alterationem, certior & firmior Scripturis quæ in lapidibus, sicut eodem vigesimo septimo & hic supra plenius allegatur? Scripturæ namque in lapidibus primò liberè & contingenter scribuntur, sed postquam sunt scriptæ, necessariò manent scriptæ, vel saltem necessariò tunc || lux
B sunt scriptæ necessitate sequente prædicta: Sic quinimo & incomparabiliter firmius scriptura firmior libri Dei. Cur etiam potius comparauit legem diuinam omnia gubernantem scripturę in lapidibus, quam scripturæ in cera, membrana, pictura, puluere, vel in terra, in aliquoue metallo, nisi vt quoquomodo exemplariter & figuraliter designaret eius maximam firmitatem, sicut talis scriptura est alijs magis firma; quemadmodum & Iob dicit, Quis mihi hoc tribuat vt scribantur sermones mei? Quis mihi det vt exarentur in libro stilo ferreo, aut plumbi lamina vel || *celte* scribantur in silice, Iob decimo nono? Quare & filij Seth scientiarum inuenta in duabus columnis, vna quidem de lateribus, altera verò de lapidibus conscripserunt, sicut superius fuerat recitatum. Quàm ergo firma necessitas, & necessaria firmitas, Scripturæ diuinæ in firmissima scientia Dei scriptæ, in firmissima mente sua, in firmissimæ vitæ libro! Hunc autem Philosophum in hac parte autorizans summus Philosophus, Non potest, inquit, solui Scriptura quam Pater sancti- *Iob.* || certe
C ficauit & misit in mundum, Ioannis decimo. Cui similiter consonant non pauca similia quadragesimo septimo huius prehabita, quæ testantur Scripturas propheticas promissorias, & iuratorias Prophetarum & Dei necessariò adimplendas. Quod enim scriptura naturalis, fragili calamo, fluido atramento, putribili pellicula vel papyro constructa solui non potest, ex nulla firmitate aut stabilitate huius scripturę infirmę & labilis potest esse, sed tantum ex scripturę libri vitæ immortalis, indelebilis, irrasibilis, incancellabilis, ac indefectibilis insolubili & necessaria firmitate; à qua omnis vera scriptura materialis originaliter & figuraliter defluit & emanat. Huic autem causæ necessitatis huiusmodi in scripturis attestatur glossa super primum Mathei, quæ primò dicit prophetias necessariò adimplendas, sicut quadragesimum septimum huius allegat: Postea verò dicit quod Propheta nullam necessitatem ingerit prophetatis, sed est prescientiæ Dei signum, sicut quadragesimum nonum huius plenius recitauit. Hæc ergo necessitas in Dei prescientia *Iohannes.*
D est fundata: Non enim potest fundari in rebus prophetatis, quæ sunt quasi effectus & exitus prophetiæ, quę etiam sibi ipsis nullam necessitatem imponunt, cùm nullam habeant ex seipsis, nec in prophetia, quæ non efficit prophetata, sed est diuinæ præscientiæ tantum signum; necessitas ergo scripturæ libri vitæ immortalis præscientiæ firmæ Dei est necessitas scripturæ Propheticæ supradictæ. Vnde & Augustinus de correptione & gratia 29. dicit, quod filij Dei secundum præscientiam, antequam essent facti, iam filij Dei erant, in memoriali patris sui inconcussa stabilitate conscripti. Qui & infra 34. hanc stabilitatem inconcussam plenius exprimens ita scribit; Quicunque ergo in Dei prouidentissima dispositione præsciti, prædestinati, vocati, iustificati sunt & glorificati, Non dico etiam nondum renati, sed etiam nondum nati, iam filij Dei sunt, & ideo omnino perire non possunt. Aduerte, queso, causalem; Iam, inquit, filij Dei * sunt, & ideo omnino perire nō possunt. Quid aliud innuit, imò potius exprimit hæc causalis, quàm quod illa quæcunque in prouidentia, *Augustinus.* *facti
E dispositione, præscientia & prædestinatione Dei sunt, non possunt ibi non esse, saltem pro nunc, iuxta illud || *Philosophi* tam sæpius memoratum, Esse quod est quando est, necesse est? Quantus igitur numerus, quanta turba, quantus exercitus autoritatum scripturæ canonicæ & Doctorum istam necessitatis sententiam explicitè vel implicitè profitetur, proculdubio non facile numerare. Vt autem in breuibus maximam copiam proferam, Ecce istam necessitatis sequentis sententiam innuunt & confirmant rationes, & autoritates à trigesimo huius vsque ad hunc locum multifariam prælibatæ, quas non videtur possibile plane, solidè & veraciter soluere istam sententiam non tenenti, sed vix per qualescunque sophisticationes insipidas, per cauillationes obliquas, per falsigraphias profanas, & proteruias violentas, per ambages distortas, per expositiones schismaticas & per glossas vipereas textum proprium perimentes: Huic autem sententiæ videntur omnes rationes & auto- || philosophicum

Autoritates tam ſecundum ſuperficiem literæ , quàm ſecundum profundum & ſolidum intellectum planè & plenè, ſolidè & ſincerè ac ſpontaneè conſentire, & concorditer atteſtari. Conferat, quæſo, ſimpliciter quicunque Iudex indifferens, & amicus veritatis ſolius probationes, reſponſiones & autoritates cuiuſcunque alterius ſententiæ & iſtius ; deponat, ſupplico , interim odium & amorem, dicente Philoſopho 1. Rhetoricæ ſuæ primo, quod ad præfectum & Iudicem amare & odire, & proprium commodum annexa ſunt ſæpe vt non poſsint videre ſufficienter verum, ſed attendere in iudicio proprium delectabile aut triſte; Et ſecundi Rhetor. 1. Non eadem, inquit, videntur amantibus & odientibus, neque iratis & manſuete ſe habentibus, ſed aut omnino altera , aut ſecundum magnitudinem altera; Cui & concorditer Ptolomæus verbo 12. Centilogij ſui, ait, Amor & odium remouent homines à rectitudine, aut ſecundum aliam tranſlationem, Amor & odium peruertunt iudicij veritatem : vel ſi noluerit illa deponere, tunc permutet dando iſti ſententiæ gratis odio habitæ amorem & fauorem alterius, & è contra, & ſic æquo libramine ponderet, quæ firmius ſit fundata, copioſius atteſtata, & rationabilius defenſata, & illam interim, donec Deus aliud ei reuelauerit ſobrie eligat, teneat & defendat. Nam, ſicut dicit Philoſophus 1. Ethic. 11. Vero quidem omnia conſonant exiſtentia; falſo autem citò diſſonat verum. Hæc autem eſt planè doctrina eiuſdem Philoſophi 2. de Cœlo 1. ac Auerrois Commentatoris ipſius, qui & ibi recitat illum famoſum Alexandrum dicentem, Nos non ſumus ſuſtentati ſuper ſententiam huius hominis inter omnes alias, niſi quia videmus ipſam minoris ambiguitatis, & remotiorem à contradictione. Porrò autoritates de neceſſitate fati, faminiſuè diuini, & ſimiles, ponentes neceſsitatem in Deo & in rebus, & cauſam illius reddentes, quia Eſſe quod eſt , quando eſt , neceſſe eſt , aut quod res omnes ſunt ſemper apud Deum præſentes pro neceſsitate rerum ſecundum cauſas ſuperiores vigeſimo ſeptimo & vigeſimo octauo huius adductæ, multum immediatius & euidentius faciunt pro iſta neceſsitate ſequente huius capituli quàm pro illa; verum quia ex iſta neceſsitate ſequitur alia, faciunt & pro illa; & quia illi neceſsitati contradicebatur, à multis fuit multorum teſtium veridicorum omni exceptione maiorum teſtimonijs validis comprobanda, vt ſic illa conceſſa, iſta facilius admittatur. Potuit etiam proceſſus & ordo fuiſſe contrariè permutatus, vt primo hæc ſequens, deinde illa ſecundum cauſas ſuperiores fuiſſet oſtenſa: Hæc enim eſt prior illa ſecundum naturam, Veruntamen non ita commodè pro doctrina. Non enim ſemper priora & notiora naturæ ſunt priora & notiora in cognitione humana; Imo, vt plurimum eſt, è contra, ſicut teſtatur Philoſophus 1. Phyſic. 2. & poſt. & 2. Metaphyſic. 1. quod etiam teſtatur Apoſtolus, Inuiſibilia, inquiens, ipſius ſcilicet Dei, à creatura mundi, id eſt, ab homine, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus eius & diuinitas, ad Romanos primo. Hinc igitur videbatur commodius præmiſſum ordinem obſeruare, ſicut & in principio ſeruabatur. Prius namque ſecundum naturam videtur Deum facere quippiam, quàm factum ſeruare, & tamen prius fuit oſtenſum Deum eſſe conſeruatorem neceſſarium entium quàm factorem, quia hoc fuit vtilius pro doctrina: Ex hoc enim apud cognitionem humanam facilius oſtenditur aliud quàm è contra.

Philoſophus. *Ptolomeus*

A B C D E

COROL

A

COROLLARIVM.

Corollarium, quod omnem actum volutionis & cognitionis diuinæ præsentem necesse est, necessitate sequente prædicta, semper fuisse, & similiter semper fre; quare & quod omnia, quæ præsentialiter sunt, fiunt aut eueniunt, simili necessitate sunt, fiunt & eueniunt in præsenti; & quod omnia quæ euenient, simili necessitate euenient in futuro; imó & quod omnia quæ nunc fiunt, de aliqua necessitate præcedente nunc fiunt; & quod omnia, quæ eueniunt de aliqua necessitate præcedente, euenient in futuro.

B

EX his autem, velut porismaticè, clarè lucet, quod Omnem actum volutionis & cognitionis diuinæ præsentem necesse est necessitate sequente prædicta nunc esse, semper fuisse, & similiter semper fore; quare & qd. omnia, quæ præsentialiter sunt, fiunt, aut eueniunt, simili necessitate sunt, fiũt, & eueniũt in præsenti; & qd. omnia, quæ euenient, simili necessitate euenient in futuro; imo & qd. omnia, quæ nunc fiunt, de aliqua necessitate præcedente nunc fiũt; & qd. omnia quæ eueniẽt, de aliqua necessitate præcedẽte euenient in futuro. Prima autem pars, secunda & tertia huius porismatis lucide consequuntur. Nam secundum prius ostensa, omnem actum huiusmodi nunc præsentem necesse est nunc esse, quare & semper fuisse, & similiter semper fore, cum Deus sit immutabilis omniquaque, sicut quintum & vicesimum tertium primi docent. Vnde & cognoscitur euidenter conuenientia & differentia voluntatis diuinæ, & angelicæ, vel humanæ: In duobus namque conueniunt, & disconueniunt in duobus. Nam
C sicut voluntatem creatam necesse est pro nunc velle quod vult, & voluisse quod voluit, sic diuinam; sed hanc, scilicet humanam, possibile est in futuro non sic velle, & in præterito noluisse, diuinam vero minime post vel ante: cuius causa non latet; hæc enim est mutabilis, illa vero immutabilis est omnino. Tres vero partes sequentes ex istis tribus cum quibusdam prius ostensis faciliter concludentur. Docet namque syllogistica ratio manifeste, quod omnia quæ præsentialiter sunt, fiunt, & eueniunt à causa necessitate sequente necessaria in essendo, & infrustrabili in causando, simili necessitate sunt, fiunt & eueniunt in pręsenti; Omnia, quæ in præsentiarum sunt, fiunt, aut eueniunt præsentialiter, sunt, fiunt, & eueniunt à causa huiusmodi: Cur ergo non sequitur de futuris? Simili namque modo quo || *syllogismus* || *aptabatur* pręsentibus, aptabitur & futuris; Omnia siquidem quæ euenient à causa necessitate sequente semper necessaria in essendo, & infrustrabili in causando, simili necessitate euenient; Omnia quæ euenient, euenient à causa huiusmodi. Non enim videtur causa possibilis assignari quare non omnia, quæ à causa quacunque euenient, de aliqua necessitate eueni-
D ent, nisi vel quia causa potest deficere in essendo, vel quia, etsi maneat potest impediri, frustrari, & deficere in causando; sicut homo volens facere quid futurum, potest voluntatem illam dimittere, & etiam si eam continuè teneat, impediri, multipliciterque frustrari: Certum est quoque quod omnia, quæ euenient, à causa tali * euenient: Euenient enim à voluntate diuina, per corollarium noni primi, & ipsa est necessitate sequẽte necessaria in essendo per partes corollarij præcedentes, est etiã infrustrabilis in causando, per 10. primi libri. Hîc respondebitur forsitan à quibusdam, quod omnia futura sunt necessaria, quatenus sunt apud Deum præsentia, & in eo, non autem quatenus extra euenient in esse materiali siue reali in suis naturis Hæc autẽ responsio si intelligit, quod futura cõtingentia quantum est de se, & causis suis inferioribus absolutè cõsideratis, non necessariò euenient, verè intelligit sed non vitat: Si autẽ intelligit quod futura contingentia relata ad præuolutionem & præcognitionem diuinam necessariam in essendo, & infrustrabilem in causando, non necessariò euenient extra in esse ma-
E teriali, reali, seu naturali temporibus præordinatis a Deo, non verè intelligit, sicut præcedentia clarè monstrabant; quod & potest breuiùs sic monstrari: Necessariò sequitur, quicquid Deus vult & præscit fore in esse reali extrinseco naturali, sic erit; Hoc Deus vult & præscit sic fore: ergo hoc sic erit: vel enthymematicè si quis velit, Deus vult hoc fore realiter, ergo hoc sic erit, & antecedens est necessarium, sicut superiùs est ostensum, sicuti & || *isti responsores* fatentur; quare & consequens sicut trigesimo huius patet. Hoc autem totum clarè testatur Robertus Lincolniensis de libero arbitrio 10. vbi agens de concordia prædestinationis & liberi arbitrij, primò facit realiter argumentum præmissum, & recitat virtualiter responsionem opinionis contrariæ, & hypothesis principalis, distinguentem propositiones huiusmodi,

|| similis
|| aptatur

necessario

|| Istæ responsiones.

Lincolniens.

di, (Quicquid Deus prædeſtinat ſeu vult fore neceſſe eſt fore) ſecundum compoſitionem A
& diuiſionem,& concedentem ſenſum compoſitum ac negantem diuiſum ; & deinde ipſa formaliter approbata, ac materialiter reprobata, ſecundum ſententiam propriam reſpondendo, dicit præuolutionem, puta prædeſtinationem diuinam, eſſe cauſam neceſſariam in eſſendo neceſsitate ſequente, & infruſtrabilem in cauſando ; quare & quemlibet totalem eius effectum ſimili neceſsitate futurum : Vnde ſic ait, Dei prædeſtinatio ſpecialiter liberum arbitrium videtur annihilare ; Ipſa namque cauſa eſt bonorum prædeſtinatorum ; & talis cauſa quæ non poteſt non eſſe, nec poteſt ab effectu fruſtrari : Omnis autem cauſæ, quæ non poteſt non eſſe, nec ab effectu fruſtrari, omnis effectus non poteſt non eſſe ; prædeſtinationis igitur effectus non poteſt non eſſe ; ergo omnem prædeſtinationis effectum neceſſarium eſt eſſe ; Neceſſariò ergo ſaluabitur omnis ſaluandus ; ergo non ex libero arbitrio B
eſt ſalus aut opus bonum vitæ æternæ meritorium. Fortè aliquis reſponſor ad euadendum ſic diſtinguet, dicens, Prædeſtinatum eſt neceſſarium ; id tamen quod prædeſtinatum eſt, non eſt neceſſarium, ſed contingens ; ſed hæc diſtinctio licèt ſit vera, nihil tamen ad veritatem videtur eſſe ſolutionis. Dicatur enim A effectus aliquis prædeſtinationis in ſe conſideratus nudus ab hoc accidente, Prædeſtinatum, ſyllogizeturque hoc modo, Omnis effectus cauſæ neceſſariæ nec potentis à ſuo effectu fruſtrari eſt neceſſarius & non potens non eſſe ; A eſt effectus talis cauſæ ; ergo A non poteſt non eſſe, ſed eſt neceſſarium, & ita quoad eius eſſe nihil eſt liberum arbitrium, cùm habens eſſe ex libero creaturæ rationalis arbitrio ſit contingens, non neceſſarium. Et ecce reſponſio propria ; An fortè prædeſtinationis effectus ſimpliciter erit magis A contingenter eſſe, quàm A eſſe? verbi gratia, Aliquis nunc exiſtens viator nominetur Petrus, non hoc, Petrũ ſcilicet fore ſaluandum, ſed Petrum fore ſaluandũ eſſe contingens, id eſt, Petrum fore ſaluandum non ex neceſsitate, ſed cum poſsibilitate exiſtendi eius oppoſitum, ſcilicet Petrum non ſaluari, eſt ſimpliciter effectus prædeſtinationis. Scit enim C
Deus non ſolum Petrum ſaluandum, ſed Petrum non ex neceſsitate, ſed contingenter ſaluandum, & ſic ab æterno præordinat, ſcilicet Petrum ſaluandum, & non ex neceſsitate, ſed cum poſsibilitate contrarij ; & hoc totum infallibiliter à Deo præcognitum & preordinatum, ſcilicet Petrum ſaluari non ex neceſsitate, ſed cum poſsibilitate exiſtendi oppoſitum, ſcilicet Petrum non ſaluari eſt neceſſarium || *ſimpliciter* ; *Itaque* effectus prædeſtinationis, quæ eſt cauſa inuariabilis, nec poteſt à ſuo fruſtrari effectu, non eſt Petrum ſaluari, ſed Petrum ſaluari non neceſſariò ſed contingenter ; & hoc totum, ſcilicet Petrum ſaluari non neceſſariò, ſed contingenter, eſt neceſſarium, ſicut arguit ſupra poſitus ſyllogiſmus, debere eſſe prędeſtinationis effectum ; ſed neceſſarium dico neceſsitate conſequente non antecedente, neceſsitate conditionis ſecundum Boetium non ſimplici ; ac per hoc Petrum ſaluari non eſt neceſſarium, ſed contingens. Hæc itaque maior ſuprapoſiti ſyllogiſmi propoſitio, ſcilicet, Omnis cauſæ, quæ non poteſt non eſſe, nec ab effectu fruſtrari, effectus non poteſt non eſſe, D
ſed eſt neceſſarius, ſic videtur eſſe intelligenda, vt intelligamus effectum ſimpliciter & totaliter, & non ſecundum partem, hoc eſt, totum effectum comproportionatum cauſæ, nullis omiſsis conditionibus, vtpote reſpectu huius cauſæ, quæ eſt prædeſtinatio, non erit, Petrum ſaluari ſimpliciter & totaliter, effectus, ſed hoc totum, Petrum ſaluari non ex neceſsitate, ſed contingenter ; ergo ſecundum quod verè intelligitur maior propoſitio, ſi ſub prædeſtinationis effectu aſſumatur Petrum ſaluari vel aliquid tale, non adiecta hac conditione, non ex neceſſitate, ſed contingenter, non correſpondet aſſumptio maiori propoſitioni, nec ſequitur concluſio : Si autem ſumatur ſimpliciter & totaliter effectus cadens ſub prædeſtinatione, vtpote Petrum ſaluari non ex neceſsitate, ſed contingenter, correſpondenter maiori aſſumitur, & concluſio ſequitur. Qui & infra 11. monſtrans concordiam gratiæ cum libero arbitrio, ſimilem ſententiam clarè profert. Nec moueat quempiam quod dicit non eſſe neceſſarium Petrum ſaluari, ſed Petrum non neceſſariò, ſed contingenter ſaluari, cùm tamen neceſſariò conſequatur, Petrus non neceſſariò, ſed contingenter ſaluabitur, ergo Petrus ſaluabitur ; & Antecedens ſecundum eum eſt neceſſarium, quare & conſequens ; quia cùm dicit Petrum non neceſſariò, ſed contingenter ſaluari, eſſe neceſſarium, intelligit de neceſsitate ſequente prædicta conſentanea contingentię & arbitrii libertati, ſicut & exprimit euidenter : Cùm verò negat Petrum ſaluari eſſe neceſſarium, intelligit de neceſſitate contraria contingentię & arbitrij libertati, quod iuxta decimo huius pręmiſſa de hac coniunctione aduerſatiua, Sed, euidenter inſinuat, ita dicens, Petrum ſaluari non eſt neceſſarium, ſed contingens. Pro quo & infra 11. Cùm, inquit, gratia non ſit, niſi Dei voluntas, qua gratis ſaluat, vult autem verbi gratia non ſolum Petrum ſaluari, ſed ipſum ſaluari ex libertate arbitrij ſui, E

|| ſimpliciter itaque

& non

A & non necessariò, sed contingenter, sicut præscit & prædestinat non solùm ipsum saluari, sed saluari cum adiectione prædicta; gratia siue voluntas diuina non cogit Petrum saluari, vel aliquod consimile esse necessarium, sed, sicut dictum est, ipsum saluari ex libero arbitrio & contingenter esse necessarium. Nec etiam moueat quod dicit, fortè & quasi dubitando, non definiendo respondere videtur: hæc enim est responsio sua finalis; & quia hoc potest rationabiliter facere, etsi ipsemet non dubitet, ad aliorum præsumptuosam audaciam reprimendum, & vt sobriè capiant instruendum. Aduerbia etiam dubitandi & verba similia non semper dubitationem loquentis important, sed quandoque per figuram Ironiæ certitudinem & certam affirmationem, quandoque verò dubitationem in mentibus auditorum, & increpationem eorum: Quare Prophetæ, Apostoli, & Deus, ac Dominus Iesus Christus scientes certissimè, quandoque aduerbia & verba huiusmodi protulerunt. Vnde Psalmo 80. Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem. Cassiodorus, Forsitan, id est, verè, si ironicè dicit. Et infra *Cassiodorus.*
B Psalmo 118. Nisi quòd lex tua meditatio mea est, tunc fortè perijssem in humilitate mea. Et Apostolus ad Rom. 8. Existimo quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam: Glossa, Existimo, id est, scio. Et 1. ad Corinth 7. Puto quòd ego spiritum Dei habeam: Glossa, Nota quòd dicens puto, non dubitat Apostolus, sed contemptores increpat. Et Iob 14. Putasne mortuus homo rursum viuat? Super quod Gregorius 12. Moral. 5. Solent iusti viri in eo quod ipsi certum ac solidum sentiunt, quasi ex dubietate aliquid proferre, vt infirmiorum in se verba transferant, sed rursum per fortem sententiam infirmanti dubietati omni modo contradicunt, quatenus per hoc, quod dubiè proferre cernuntur, infirmis aliquatenus condescendant; & per hoc, quod certam sententiam proferunt, infirmiorum mentes dubias ad soliditatem trahant. Ipse etiam in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi Iesus Christus similiter loquitur, Nunquid, inquiens, gratiam habet seruo illi quia fecit quæ sibi imperauerat? Non puto, Luc. 17. Et Matth. 11. Si in Sodomis &c. fortè man- *Apostolus.* *Iob.* *Gregorius.* *Lucas.*
C sissent vsque in hunc diem; & Ioh. 4. Tu forsitan petisses ab eo, &c. Et infra 5. Si crederetis Mosi, crederetis forsitan & mihi: Et adhuc inferius 8. Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis. Super quod Augustinus part. 1. homil. 37. Ille, inquit, qui omnia scit, quando dicit forsitan, non dubitat, sed increpat. Attende enim quomodo increpatiuè dicatur ipsum forsitan, quod videtur esse verbum dubitationis; sed dubitationis verbum est, quando dicitur ab homine ideo dubitante quia nesciente; cùm verò dicitur a Deo verbum dubitationis, cùm Deum vtique nihil lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur diuinitas. Homines enim de rebus his, quas certas habent, aliquando increpatiuè dubitant, id est, verbum dubitationis ponunt, cùm corde non dubitent, velut si indigneris seruo tuo, & dicas, Contemnis me? Considera, forsitan Dominus tuus sum. Hinc & Apostolus ad quosdam contemptores suos loquens, ait; Puto autem quòd & ego spiritum Dei habeam. Qui dicit, puto, dubitare videtur, sed ille increpat, non dubitat. Matthæi quoque 24. ipsa sapientia Dei di- *Matthæus.* *Iohannes.* *Augustinus.* *Apostolus.* *Matthæus.*
D cit, Dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem ducantur, si fieri potest, etiam electi. Super quod Gregorius 1. super Ezech. 9. Cur, inquit, hoc sub dubitatione dicitur, cùm quid futurum sit à Domino præsciatur? Et respondet, Ista dominici sermonis dubitatio ex electorum cordibus designatio temptationis fuit. Per hoc igitur exprimitur, quòd electi in corde temptabuntur; nutant enim, si non cadunt; dicitur ergo, si fieri potest, quia trepidabunt, & tamen dicuntur electi, quia non cadent. Pro duabus autem residuis partibus aduertendum quòd in voluntate diuina respectu suorum effectuum extrinsecorum præsentium vel futurorum est plenissima contingentia ad vtrumlibet, & summa libertas contradictionis, sicut || *sæpius* dicebatur, ipsa tamen respectu eorum est necessitas antecedens, sicut respectu præsentium, sicuti vltima pars corollarij secundi huius ostendit: quare & per similem rationem respectu futurorum similiter. Nam omnia quæ euenient à causa necessaria in essendo & infru- *Gregorius.* || superius.
E strabili in causando, euenient de necessitate naturaliter præcedente, sicut definitiones necessitatis naturaliter præcedentis, & sui effectus secundo huius ostendunt; & omnia, quæ euenient, à causa tali euenient, puta à voluntate diuina, sicut superius est ostensum: nec istam aliquam repugnantiam implicant, sicut 29. & 5. huius plenius declaratur.

CAP.

A

CAP. LI.
De Æternitate.

* æternam. ADhuc autem ſpiritu intelligentiæ parum altius ſubleuante, poteſt hæc eadem veritas per aliam viam oſtendi, per viam videlicet * æternitatis triceſimo huius tactam. Hac etenim cognita, poteſt Deus & eius cognitio atque volutio quoquomodo cognoſci; hæc verò ignota, & iſta
|| iſta neceſſariò ignoratur: prius ergo de || *ipſa* æternitate paululum diſſerendum. Conſtat ſiquidem ſecundum Philoſophorum ſententiam, quòd menſura debet eſſe vnigenita & ſimilis menſurato: homo autem mutabilis eſt, & actiones eius mutabiles, quare & menſurantur men- B
ſura mutabili, ſcilicet temporali, ipſo videlicet tempore vel inſtanti: Deus verò, & quælibet actio eius intrinſeca, puta cognitio & volutio, immutabilis eſt omninò, ſicut quintum & viceſimum tertium primi docent; quare nec Deus, nec aliqua actio eius intrinſeca per ſe
|| menſuratur. immediatè & propriè menſuratur menſura mutabili, ſcilicet tempore vel inſtanti, ſed || *menſura* immutabili, inuariabili, ſtabili, & æterna, ſeu potius ipſa æternitate immutabiliter penitus, inſucceſsibiliter, vniformiter atque ſtabiliter permanente. In ipſa namque nulla diuiſibilitas, nulla maioritas, nulla minoritas, nulla prioritas, nulla poſterioritas, nulla mutabilitas, nulla acceſsio, nulla receſsio, nulla ſucceſsio, nihil præteritum, nihil futurum, nec vlla penitus differentia ſucceſsiua, ſed indiuiſibilis, ſimplex, vnica, eadem, inſucceſsibilis, ac inſtantanea præſentialitas & ſimultas, ſicut oſtenditur primo primi, imò ſuperindiuiſibilis, ſuperſimplex, ſuperunica, ſupereadem, ſuperinſucceſsibilis, ac ſuperinſtantanea præſentialitas & ſimultas temporalis inſtantis. Hoc enim eſt finis præteriti, initiumque futuri; ibi autem C
nihil præteritum aut futurum, hoc eſt mutabile & ſucceſsibile quodammodo, eò quòd aduenit, & recedit, incipit & deſinit; non ſic ibi, hoc inſtat nunc tantummodo, illud ſemper; hoc, ſicut & tempus eſt poſterius æternitate & inſtanti æterno, & ipſam & ipſum imitatur, vt poteſt: quare & Deus cognoſcit & vult indiuiſibiliter, ſimpliciter, vnicè, præſentaneè, atque ſimul, imò ſuperſimpliciter, ſuperunicè, ſuperinſtantaneè, ſuperpræſentaneè, ſuperſimul temporalis inſtantis. Quis enim præſumpſerit dicere Deum aliter & aliter intrinſecè cognoſcere aut velle ſecundum alias & alias differentias temporis ſucceſsiuas? Quis præſumpſerit dicere omnipotentem & omniquaque ſibi ſufficientem temporis creatorem indigere tempore, &
|| ſucceſsionibus. || *ſucceſsibus* fluxibilis temporis, ſicut miſerabilem hominem ad cognoſcendum quippiam & volendum, aut ad cognoſcendum quicquam quocunq; modo intrinſecè, contingenter, liberè, neceſſariò, vel alio quouiſmodo: prima namq; ſuppoſitio, quintum & 23. primi, ac 30. huius præmiſſa prohibent ita dici. Eandem quoq; ſententiam, licèt obſcurè, antiqui Philoſophi D
Hermes. conteſtantur; quorum Pater Hermes de mundo & cœlo 1. ſic ſcripſit; Quicquid extenditur ſpacijs, vel annoſum, vel ſæculare, vel perpetuum, vel æternum conſiſtit; annoſum diſſoluitur ſenio, ſæculare ætate, perpetuum durabilitate, æternum infinitate; ab æternitate tempus initians, in æternitatis reſoluitur gremiũ longiori circuitu fatigatũ, ſcilicet de vnitate ad numerum, de ſtabilitate digreditur ad motũ; momentũ ſuũ temporis eſt quod mouetur, æternitatis quod ex qua tempus naſcitur, in eam reſolui habet quod in vniuerſum porrigitur. Qui & de verbo æterno 43. Æternitas, inquit, inaduerſabilis, immobilis & inſolubilis; hæc eſt ergo æternitas, quæ nec cœpit eſſe nec deſinit, quæ fixa immutabili lege currendi ſempiterna commotione verſatur, oriturq; & occidit alterius ſæpe per membra, ita vt variatis temporibus, his, de quibus occiderat, membris oriatur. Pro iſto autem dicto plenius exponendo, & melius cognoſcendo, aduertendum quod ſcribit ſuper eiuſdem 34. dicens, quòd ſolus Deus eſt immobilis, niſi aliquis audeat dicere ipſius commotionem eſſe in æternitate; ſed magis & ipſa E
immobilis æternitas, in qua omnium temporum agitatio remaneat, & ex qua omnium temporum agitatio ſumit exordium; Deus ergo ſtabilis fuit, ſemperque ſimiliter cum eo æternitas; itaque quamuis ſit æternitas ſtabilis, immobilis, atque fixa, tamen quoniam temporis, quod mobile eſt, in æternitatem ſemper vocatur agitatio, itaque mobilitas ratione temporis vertitur, efficitur vt ipſa æternitas immobilis quidem ſola, per tempus in quo ipſa eſt, & eſt in eo omnis agitatio, videatur agitari, ſic efficitur vt æternitatis ſtabilitas moueatur, & tem-
* iſta. poris mobilitas ſtabilitas fixa fiat lege * currendi; ſic & Deum agitari credibile eſt in ſe ipſum eadem immobilitate: ſtabilitas enim ipſius in magnitudine eſt immobilis agitatio: ipſius enim magnitudinis immobilis lex eſt; hoc ergo quod eſt tale quod non ſubijcitur ſenſibus, indefinitum,

definitum, incomprehensibile, inestimabile est; nec sustineri etenim nec fieri, nec indagari
potest. Vbi enim & quomodo, & vnde aut quando, aut quale sit incertum est. Fertur enim
in summa stabilitate, & in ipso stabilitas sua, siue Deus, siue æternitas; siue vterque siue al-
ter in altero, siue vterque in vtroque sunt: Propter quod æternitas sine definitione est tem-
poris. Stabilitas enim vtpote defixa quod sustinere quæ agitabilia sunt, possit beneficio fir-
mitatis, merito obtinet principatum; Omnium ergo quæ sunt primordia Deus est & æter-
nitas: Mundus autem quod sit mobilis non habet principatum; Præuenit enim mobilitas e-
ius stabilitatem suam in lege agitationis sempiternæ habendo immobilem firmitatem. Post
quem Plato, & quidam Platonici de æternitate, æuo, & tempore disserebant: Vnde Plato *Plato.*
1. Timei 9. vtens æuo pro æternitate sic ait, Dies & noctes & menses & annos, qui ante cœ-
lestem exornationem non erant, tunc nascente mundo iussit existere, quæ omnia partes sunt
temporis, nosque hæc cum æuo assignamus eidem solitariæ naturæ, non rectè partes indiui-
B duæ rei fingimus. Dicimus enim fuit, est, erit; At illi solum esse competit iuxta veram
sui certamq; rationem, fuisse verò deinceps & fore non competit; hæc quippe geniture tem-
poris propria. Motus enim sunt, vnus præeuntis, alter imminentis non æui sed temporis; cui
quippe mãsio perpetua immutabilis; ergo neq; iunior, nec senior, nec fuit, nec erit, nec patietur
aliquid horum quæ sensilis natura patitur, sed hæc omnia vices sunt temporis imaginantis æ-
uum. Apud quem insuper eadem æternitas aliquoties sæculum nuncupatur: Vnde Auerroes *Auerroes.*
super 1. de Cœlo & Mundo 100. vbi translatio quam exponit habet sæculum, dicit ita, Plato
nominabat illud quod fuit antequam tempus fuisset, sæculum, quia tempus est nouum apud
ipsum, & intendit per seculum, esse terminans omnia entia, quod fuit ante tempus. Quos &
Aristot. subsecutus 1. de Cœlo 100 æternitatem bifariam diuidit & distinguit, ponens vnam *Aristot.*
vitæ cuiuslibet periodum naturalem, alteram verò à semper esse, scilicet vniformiter & immu-
tabiliter, nominatam immortalis diuini, scilicet Dei secundum suam substantiam, & omnem
C dispositionem intrinsecam intransmutabilis & penitus immortalis: nam quodlibet transmu-
tatum saltem intrinsecè secundum aliquam dispositionẽ necessario moritur secundum illam,
scilicet quam amittit; Vnde sic ait, Hoc nomen diuinè enuntiatum est antiquis. Finis enim
continens id, qd. vniuscuiusq; vitæ tempus, cuius nihil est extra secundum naturam, æternum
vniuscuiusq; vocatum est; secundum eandem autem rationem, & totius cœli finis, & omne
tempus, & infinitatem continens perfectioni, æternum est, à semper esse sumens denominatio-
nem immortalis & diuinus; vnde & alijs communicatum est, his quidem clarius, his autem
obscurius esse & viuere: Etenim quemadmodum in enkidijs phismatibus circa diuina multo-
ties declaratum est rationibus qd. diuinum intransmutabile necessarium esse primum & sum-
mum, qd. sic habens testificatur dictis. Neq; n. aliud est quod mouebit; illud enim vtique erit
diuinius; neque habet prauum nihil neq; indigens eorum quod ipsius bonorum nullo est; hæ
autem tres causæ Philosophi sunt notandæ. Notandum similiter quod vbi translatio noua
D dicit, quod æternum sumit denominationem à semper esse, translatio, quam Auerroes expo-
nit, sic dicit, hoc nomen deriuatur à suo actu, quoniam semper est. Vnde potest elici, quod
esse est quoddam agere, seu actio quædam entis, sicut viuere, & vita viuentis, sicut 18. secundi
fuerat declaratum: vnde & vlterius aduertendum, quod sicut secundum Philosophum 4 phys.
Tempus fluxibile sequitur fluxibilem actionem, scil. motum cœli; sic æternitas stabilis sequi-
tur stabilem actionem, scil. esse Dei, & ab ipsa quodammodo deriuatur, defluit & emanat. Si-
cut enim punctus fluens lineam, & instans tempus; sic & Deus instans stabilissimum per a-
ctum suum veluti quendam fluxum videtur æternitatem causare, & hoc maxime apud cogni-
tionem humanam, quæ secundum Philosophum in de memoria & reminiscentia, non fit sine
continuo, nec sine ratione temporis atque motus, licet in Deo nullus sit fluxus mutabiliter,
aut temporaliter successiuus. Ex his autem videtur æternitatem posse sic breuiter definiri;
Aeternitas est mensura impartibiliter & immutabiliter permanens actus similiter permanen-
E tis. Ratio generis & differentiarum non latet. Vnde & patet æternitatem præcedere tem-
pus secundum naturam; Est enim passio prioris secundum naturam; Esse namq; Dei & a-
ctus ipsius prior est naturaliter motu Cœli, sicut & Deus est naturaliter prior Cœlo, &
quia hoc & ille causatur à Deo, sicut secundum & quartum primi monstrant: Vnde
Philosophus 5. Metaphys. 16. Priora, inquit, dicuntur priorum passiones, vt rectitu- *Philosophus.*
do leuitate; hæc enim linea secundum se passio est, illud vero superficiei. Per eadem e
tiam videtur posse exponi illud Exod. 15. Dominus regnabit in æternum, & vltra. Si enim *Exodus.*
æternum primo modo sumatur, verum est plane; si secundo, sic adhuc est Dominus quo-
quomodo æternitate superior, & ipsam transcendit, sicut causa, originans & principans
suum causatum, originatum & principiatum: ab ipso namq; vtcunq; causaliter, originaliter,
&

& principialiter deriuatur; quare & propositio secunda de Causis sic ait, Omne esse supe- A
rius, aut est esse superius æternitate & ante ipsam, aut cum æternitate, aut post æternitatem
& supra tempus. Nec reputo negligendum pro intellectu Scripturæ frequenter, quod vbi
translatio noua habet æternum, translatio, quam Commentator exponit, habet quandoque
sæculum sæculorum, quandoque sæculum, quandoque sæculum sæculi, quandoque sæcula:
Plato verò quandoq; æternitatem æuum appellat; vnde videtur, ista realiter esse idem. Quibus
& concorditer Augustinus super illud Psalmi 105[i]. A 135[i]. Confitemini Domino quoniam
bonus, quoniam in sæculum misericordia eius, dicit quod hoc verbum Græcum, εἰς τὸν αἰῶνα,
interpretari potest in sæculum, & similiter in æternum. Qui & super illud Psalmi 101. in ge-
neratione & generationem, vel sicut ipse habet, In generatione generationum anni tui, dicit
quod per hoc verbum, in sæcula sæculorum, solet in Scripturis sanctis æternitas designari.
Qui & super illud Psalmi 130. Speret Israel in Domino ex hoc nunc & vsque in sæculum,
vtramque trāslationem & distinctionem Philosophi sententialiter approbans, ita dicit; B
Quod scribitur Græcè, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, hoc expositum est, ex hoc nunc & vsque in sæcu-
lum. Sed non semper sæculi nomen significat hoc sæculum, sed aliquando æternitatem, quia
æternum duobus modis intelligitur; vsque in æternum, hoc est autem semper sine fine,
aut quousque veniamus ad æternitatem; hoc ergo quomodo intelligendum est, quous-
que perueniamus ad æternitatem speremus in Dominum Deum, quia cùm venerimus
24. Philosophi. ad æternitatem iam spes non erit, sed res ipsa erit. Amplius autem 24. Philosopho-
rum, 24. definitionum de Deo nona sic ait, Deus est, cui soli præsens est, quicquid eius
temporis est, tempus Dei æternitatem eius appellans. Inter omnes autem Philosophos, quos
Boetius. memini me vidisse, Boetius familiaris Philosophiæ alumnus 5. de consolatione, prosa
vltima vtilitatem cognitionis æternitatis, & proprietatem eius prædictas clariùs expri-
mendo sic ait; Deum æternum esse cuctorum ratione degentium commune iudicium est.
Quid igitur sit æternitas consideremus; hæc enim nobis naturam pariter diuinamque scien- C
tiam patefecit; æternitas est igitur interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio, quod
|| collectione ex || *collatione* temporalium clariùs liquet. Nam quicquid viuit in tempore, id præsens à præ-
teritis in futura procedit; nihilque est in tempore constitutum, quod totum vitæ suæ spacium
pariter possit amplecti, sed crastinum quidem nondum apprehendit, hesternum verò iam per-
didit, in hodierna quoque vita non amplius viuitis, quàm in illo mobili transitorioque mo-
mento. Quod ergo temporis patitur conditionem, licèt illud, sicuti de mundo censuit Ari-
stoteles, nec cœperit vnquam esse nec desinat, vita eius cum temporis infinitate protendatur,
nondum tamen tale est, vt æternum esse iure credatur. Non enim totum simul infinitæ licèt
vitæ spacium comprehendit atque complectitur, sed futura nondum habet, transacta iam non
habet; quicquid igitur interminabilis vitæ plenitudinem totam pariter comprehendit ac pos-
sidet, cui neque futuri quicquam possidet absit, nec præteriti fluxerit, id æternum esse iure per-
hibetur, idque necesse est & sui compos præsens sibi semper assistere, & infinitatem mobilis D
temporis habere præsentem. Hunc enim vitæ immutabilis præsentarium statum infinitus ille
temporalium rerum motus imitatur, cumque eum effingere atque æquare non possit, ex im-
mobilitate deficit in motum, ex simplicitate præsentiæ decrescit in infinitam futuri & præte-
riti quantitatem; & cùm totam pariter vitæ suæ plenitudinem nequeat possidere, hoc ipso
quòd quoquomodo nunquam esse desinit, illud quod implere atque exprimere non potest,
aliquatenus videtur æmulari, alligans se ad qualemcunque præsentiam huius exigui volucris-
que momenti, quæ quoniam manentis illius præsentiæ quandam gestat imaginem, quibus-
cunque contigerit id præstat vt esse videatur; quoniam verò manere non potuit, infinitum
temporis iter arripuit, eoque modo factum est, vt continuaret eundo vitam, cuius plenitu-
dinem complecti non valuit permanendo. Itaque si digna rebus nomina velimus imponere,
Platonem sequentes, Deum quidem æternum, mundum verò dicamus esse perpetuum. Cui
Anselmus. & concordanter Anselmus Monolog. 24. ait, Summam substantiam constat sine principio, E
& sine fine esse, nec habere præteritum aut futurum, nec temporale, hoc est, labile præsens,
|| nos quo || *nunc* vtimur, quoniam ætas siue æternitas eius, quæ nihil aliud est quàm ipsa, immuta-
bilis & sine partibus est. Nonne ergo semper, quod videtur designare totum tempus, multò
veriùs, si de illa dicitur, intelligitur significare æternitatem, quæ sibi ipsi nunquam est dissi-
milis, quàm temporum varietatem, quæ sibi semper in aliquo est non similis? Quare si dici-
tur semper esse, quoniam idem est illi, esse & viuere, nihil melius intelligitur quàm æternè
esse vel viuere, id est, interminabilem vitam perfectè simul totam obtinere: videtur enim
eius æternitas esse interminabilis vita simul perfectè tota existens. Istam similiter præsenta-
neam & vniformem semper instantiam æternitatis prædictam ostendit Propheta Psalmo 83.

A Melior, inquiens, est dies vna in atrijs tuis super millia, quasi dicat, in atrijs tuis est tantummodo dies vna, non multæ vnico tantum modo, & ideo indiuisibiliter semper instans. Hæc etiam vna dies potest dici similiter dies multi, & etiam anni multi: Vnde Iob. 10. Nunquid sicut dies hominis dies tui, & anni tui sicut humana sunt tempora? Et infra 36. Numerus annorum eius inæstimabilis: Et Psalmo 76. Cogitaui dies antiquos, & annos æternos, in mente habui: Et Psalmo. 101. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Potest & simili ratione dici singulariter & pluraliter omne tempus, & omnia tempora; singulariter omne tempus, quia singulariter & indiuisibiliter omni tempori coexistit, & æquiualet existendo; & pluraliter omnia tempora, quia omnibus temporibus stabiliter coexistit & æquiualet existendo: Potest etiam dici maior quolibet tempore etiam infinito, si secundum Aristotelem supponatur quod quolibet tempore superior est & prior, sicut superius est ostensum, nec quicquam ibi sicut in flu-
B xibili tempore defluit, vel aufertur, sed stabiliter permanet totum simul. Verum licet æternitas possit metaphoricè omne tempus & omnia tempora nuncupari, potest tamen & instans figuraliter nominari, secundum illud Ecclesiastici quadragesimo secundo, Cognouit Dominus omnem scientiam, & inspexit in signum æui: Imo & verius instans quam tempus vel tempora, quia insuccessibiliter, impartibiliter, immutabiliter eadem numero semper instat. Vt autem intellectum prædictum Sacræ Scripturæ per sacros testes confirmem, Ecce Augustinus super illud Psalmi octogesimi tertij allegatum, *Augustinus.* Contemnant, inquit, homines millia dierum, desiderent vnum diem, qui non habet ortum & occasum, vnum diem, diem sempiternum, cui non cedit hesternus, quem non vrget crastinus. Qui & 3. De libero arbitrio. vlt. eandem autoritatem exponens, Millia, inquit, dierum in temporis mutabilitate intelligantur, vnius autem diei nomine incommutabilitas æternitatis vocetur. Qui etiam 1. Confess. 6. Non mutaris, neque
C peragitur in te hodiernus dies, quoniam anni tui non deficient; Anni tui hodiernus dies. Quam multi nostri iam dies & patrum nostrorum per hodiernum tuum transierunt? Et ex illo acceperunt modos vtcunque exstiterint, & transibunt adhuc alij & accipient, & vtcunque existent; tu autem idem ipse es, & omnia crastina atque vltima, omniaque hesterna & retro hodie facies, hodie fecisti. Quid ad me, si quis non intelligat? Gaudeat & ipse, dicens, quid hoc est gaudeat? Et sic & amet non inueniendo inuenire potius, quàm inueniendo non inuenire te. Idem etiam super illud Psalmi. 101. In generatione & generationem anni tui; Qui, inquit, anni tui? Qui, nisi qui non veniunt & transeunt? Qui, nisi qui non ideo veniunt vt non sint? Omnes enim dies in hoc tempore ideo veniunt vt non sint, omnis hora, omnis mensis, omnis annus; Nihil horum stat, Antequam veniat, erit, cum venerit, non erit; Illi ergo anni tui æterni, Anni tui, qui non mutantur, in generatione generationum erunt. Non enim aliud anni Dei, & a-
D liud ipse, sed anni Dei æternitas Dei est; æternitas Dei ipsa eius substantia est, quæ nihil habet mutabile vbi nihil est præteritum, quasi iam non sit, nihil est futurum, quasi nondum sit; Non est ibi nisi est, Non est fuit & erit, quia & quod fuit iam non est, & quod erit nondum est, sed quicquid ibi est, non nisi est. Et infra super illud, Anni tui non deficient, Speremus, inquit, venturos nos ad hos annos stantes, in quibus non circuitu Solis peraguntur dies, sed manet quod est sicuti est, quia hoc solum verè est. Beatus quoque Gregorius 16. Moral. 16. super illud Iob. vicesimo quarto. Qui autem nouerunt eum ignorant dies eius; Quid, inquit, dies Domini nisi ipsa æternitas appellatur? Quæ nonnunquam vnius diei permutatione exprimitur, sicut scriptum est, Melior est dies vna in atriis tuis super millia; Nonnunquam vero pro sua multitudine dierum multorum appellatione significatur, de quibus scriptum est, In sæculum sæculi anni tui. Nos itaque intra tempora voluimur per hoc quod creaturæ sumus; Deus autem, *Gregorius.*
E quia Creator est, omnia æternitate sua tempora nostra comprehendit. Qui & supra 9. Moral. 26. super illud Iob. decimo, Nunquid sicut dies hominis, dies tui &c. Dies, inquit, & anni hominis à diebus & annis discrepant æternitatis, quia vitam nostram, quæ in tempore incipit, dum intra sinus sui latitudinem format, æternitas deuorat, cuius nimirum immensitas, quia vltra citraque super nos tenditur, sine inchoatione & termino eius æternum esse dilatatur, eique nec transacta prætereunt, nec adhuc ventura, quasi quæ non appareant, desunt, quia is, qui semper esse habet, cuncta sibi præsentia conspicit, cumque aspiciendo post & ante non tenditur, nulla intuitus mutatione variatur. Eandem quoque proprietatem æternitatis insinuat Anselmus de Concor. 3. & 4. sicut vicesimum septimum huius allegat. De qua & Robertus Lincolniensis de libero arbitrio 8. dicit, *Lincolniensis.*

quod æternitas eſt in fine ſimplicitatis omni inſtanti ſimplicior: Hæc etiam de æternitate præ- A
miſſa omnes Doctores veteres & moderni vnanimiter profitentur.

COROLLARIVM.

Corollarium, quod vnicum & idem eſt inſtans & immutabile penitus in tota æternitate; & quod tota æternitas non eſt multiplicior neque maior ſuo inſtanti, nec inſtans æternitatis ipſa ſimplicius, neque minus; quare & quod idem eſt realiter æternitas & ſuum inſtans. Amplius autem & quod his nequaquam obſtantibus dicitur æternitas tota, magna, longa, etiam infinita, fuiſſe quoque, eſſe, & fore; aliquid inſuper in ipſa fuiſſe, eſſe, & fore: quamobrem & quod de Deo & actu eius intrinſeco dicitur, tranſumptiue fuit, eſt, & erit; de actionibus tamen eius extrinſecis proprie temporaliter dicitur fecit, & facit, & faciet. B

EX his autem euidenter infertur quod vnicum & idem eſt inſtans immutabile penitus in tota æternitate, & quod tota æternitas non eſt multiplicior neque maior ſuo inſtanti, nec inſtans æternitatis ipſa ſimplicius neque minus, quare & quod idem eſt realiter æternitas & ſuum inſtans: amplius autem & quod his nequaquam obſtantibus dicitur æternitas tota, magna, longa, etiam infinita; fuiſſe quoque, eſſe, & fore; Aliquid inſuper in ipſa fuiſſe, eſſe, & fore: quamobrem & quod de Deo & actu eius intrinſeco dicitur tranſumptiue, fuit, eſt, & erit; de actionibus tamen eius extrinſecis propriè temporaliter dicitur, fecit, facit, & faciet. Prima pars huius corollarij ſequitur euidenter, cum ſecundum prius oſtenſa in æternitate C
ſemper inſtante ſtabiliter nulla ſit mutabilitas, nec diuerſitas aliqualis; Secunda ſequitur ex eiſdem, & ex prima; Tertia ſequitur ex ſecunda; Quarta infertur ex ſecunda & tertia. Si enim æternitas & ſuum inſtans non eſſent idem realiter, differrent ſicut tempus & ſuum inſtans; quare & hæc eſſet multiplicior atque maior, illud vero ſimplicius atque minus. Quinta ſimiliter ſequitur ex præmiſsis; æternitas namque coexiſtit toti tempori, magno, longo, etiam ſecundum Ariſtotelem, infinito; quare & ab ipſo huiuſmodi denominationes tranſumptiuas admittit. Sexta quoque ſequitur ex hac quinta, & probatur ſimiliter ſicut illa. Septima ‖ *etiam* infertur ex ſexta & per oſtenſionem illius. Octaua vero pars eius poteſt inferri ex ſexta. Huius autem tranſumptionis cauſa eſt, quia non habemus verbum ſignificans proprie æternitatis ſtabilem manſionem, quare neceſſario cogimur transferre ſecundum ſimilitudinem qualemcunque verba noſtra temporalia ſecundum differentias quaſlibet temporales ad D
æternitatem & Deum æternum, actuſque ſuos intrinſecos coæternos, quia omni tempori coexiſtunt, nec vlli tempori defuerunt aut deſunt, vel deerunt in futuro. Huic autem teſtimonium perhibet Anſelmus de Concord. 3. Propoſitum, inquiens, ſecundum quod vocati ſunt Sancti in æternitate, in qua non eſt præteritum vel futurum, ſed tantum præſens, immutabile eſt in æternitate: non enim fuit aliquid, aut erit aliquid, ſed tantum eſt. Quamuis autem ibi nihil ſit niſi præſens, non eſt tamen illud præſens temporale, ſicut noſtrum, ſed æternum, in quo tempore cuncta continentur. Siquidem quemadmodum præſens tempus continet omnem locum, & quæ in quolibet loco ſunt; ita æterno præſenti ſimul clauditur omne tempus, & quæ ſunt in quolibet tempore. Cum ergo ait Apoſtolus, quia Deus Sanctos ſuos præſciuit, prædeſtinauit, vocauit, iuſtificauit, magnificauit; nihil horum prius aut poſterius apud Deum eſt, ſed omnia ſimul æterno præſenti ſunt intelligenda: Habet enim æternitas ſuum ſimul in quo ſunt omnia, quæ ſimul ſunt loco & tempore, & quæ ſunt in locis diuerſis vel temporibus. Vt autem oſtenderet idem Apoſtolus non illa verba ſe pro temporali ſignificatione poſuiſſe, illa etiam, quæ futura ſunt, præteriti verbo temporis pronuntiauit: Nondum enim quos præſciuit adhuc naſcituros, ſic iam temporaliter vocauit, iuſtificauit, magnificauit; Vnde cognoſci poteſt eum propter indigentiam verbi ſignificantis æternam præſentiam vſum eſſe verbis præteritæ ſignificationis, quoniam quæ tempore præterita ſunt, ad ſimilitudinem æterni præſentis omnino immutabilia ſunt. Nonne & de ſpiritu ſancto voce veritatis veraciter dicitur, Quæcunque audiet, loquetur, Ioh. 16? Super quod Auguſtinus part. 2. ſuper Iohan. homilia 45. ſeu nonogeſima nona totius ſic ait; Nec moueat, quod verbum futuri temporis poſitum eſt; Non enim dictum eſt quæcunque audiuit, ſed quæcunque audiet loquetur; Illa quippe audientia ſempiterna E

Margin: ‖ ſimiliter; *Anſelmus.*

A piterna eſt, quia ſempiterna ſcientia ; in eo autem quod ſempiternum eſt, ſine initio & ſine fine, cuiuſlibet temporis verbum ponatur ſiue præteriti, ſiue præſentis, ſiue futuri, non mendaciter ponitur. Quamuis enim natura illa immutabilis & ineffabilis non recipiat fuit & erit, ſed tantùm eſt ; ipſa enim veraciter eſt, quia mutari non poteſt, & ideo illi tantùm conueniat dicere, Ego ſum qui ſum, & dices filijs Iſrael, qui eſt miſit me ad vos ; tamen propter mutabilitatem temporum in quibus verſatur noſtra mortalitas, & noſtra mutabilitas, non mendaciter dicimus, & fuit, & erit, & eſt ; Fuit in præteritis ſæculis, Eſt in præſentibus, Erit in futuris : Fuit, quia nunquam defuit ; Erit, quia nunquam deerit, & quia ſemper eſt ; neque enim velut qui iam non ſit cum præteritis, occidit, aut cum præſentibus, velut qui non maneat labitur, aut cum futuris velut qui non fuerat orietur ; proinde cùm ſecundum volumina temporum locutio humana variatur, qui per nulla deeſſe potuit, aut poteſt, aut poterit tempora, vera de illo dicuntur cuiuſlibet temporis verba :
B ſemper itaque audit Spiritus Sanctus quia ſemper ſcit, ergo & ſciuit, & ſcit, & ſciet, ac per hoc & audiuit, & audit, & audiet. Cui & concordanter Gregorius 23. Moral. ſuper illud Iob 33. Semel loquetur Deus, ſic dicit ; Quod autem non ait, locutus eſt, ſed loquetur, non videlicet tempus præteritum, ſed futurum ponens, liquet omnibus, quia Deo tempus nec præteritum congruit, nec futurum : tanto ergo in eo quodlibet tempus ponitur liberè, quanto nullum verè ; neque enim quodlibet liberè dici poterit, ſi ſaltem vnum propriè diceretur ; inde itaque dici in Deo tempus audacter quodlibet licet, vnde in eo dici propriè nullum licet. Vltima autem pars huius ſequitur manifeſtè: Nam ſicut actus Dei intrinſecus æternus menſuratur æternitate ſeu eius inſtanti, ſic actio eius extrinſeca temporalis rebus temporalibus, tempore, temporiſuè inſtanti ; ſicut & actio creaturæ.

C

CAP. LII.

Per viam æternitatis oſtendit ſententiam 50°. prælibatam.

HÆc autem de æternitate idcirco parumper diffuſius prælibaui, quia reputo multum difficile, & quaſi difficillimum homini temporali & ſemper temporaliter aſſueto ad agendum & intelligendum quæcunque cum differentijs & reſpectibus temporis diffluentis per modum præſentis, præteriti & futuri nunquam ſtantium, ſed ſemper
D currentium, erigere intellectum iſtis phantaſmatibus temporalibus, iſtoq; carcere nubiloſo tanto tempore compeditum ſupra tempus, ſupra inſtans, & ſupra omnes differentias temporales ad ſerenè & liberè ſpeculandum æternitatem ſemper ſine mutabilitate eodem modo manentem, nihil fluxus aut ſucceſsionis habentem, nihil prius aut poſterius, nihil maius aut minus, Deumque ſemper in illa tantummodo ſupra tempus & inſtans correſpondenter æternum, ac æternaliter ſimpliciter, vnicè, inſtantaneè atq; ſimul, imò ſuperſimpliciter, ſuperunicè, ſuperinſtantaneè ac ſuperſimul temporalis inſtantis, ſemper cognoſcentem, volentem, atq; omnia intrinſecus facientem : hoc autem etſi ſit difficillimũ, tamen eſt neceſſariũ cuilibet volenti ſine graui errore in iſta materia cognoſcere veritatem. Ego autem quando iunior fui, ignorans Scripturas & virtutem Dei, huius ignorantia excœcatus, ſeu potiùs cœcus na-
E tus, & falſa imaginatione deceptus, putaui cognitionem & volutionem diuinam, ſicut & humanam, per viciſsitudines temporum alternari, ac aliter aliterque diſponi, ſicut & ſuperficialiter legentibus videtur tota Scriptura ſacra teſtari : videtur enim ſæpiſsimè dicere Deum aliter & aliter affici hominibus ſecundum quod ipſi aliter & aliter in bonis vel malis meritis alternantur. Sed quomodo hæc & ſimilia intelligi debeant, exponunt viceſimum quartum & viceſimum quintum primi. Hanc etiam ignorantiam reor cauſam, quare forſitan aliqui ſimiles mei credant quòd Deus aliter & aliter intrinſecè, quia non neceſſariò, & neceſſariò, liberè, & non liberè vult & ſcit futura, præſentia, atque præterita, & eandem rem futuram, præſentem, in præteritumque tranſmiſſam ; quare & negant neceſsitatem omnimodam à futuris. Sed huic ignorantiæ æternitatis virtute mederi videtur ſcientifica ratio, ſcientiarum Autores, ſcientes Doctores, ſapientes Prophetæ, ſapientiores Apoſtoli, ſapientiſsimus

Ieſus Chriſtus, ac vtriuſque ſeries teſtamenti. Omnis namque eſſentia æternaliter, ſcilicet ſimpliciſsimè, vniſsimè, immutabiliſsimeque exiſtens, ſimiliter penitus vult & nouit voluta ſua & cognita vniuerſa. Si enim ſua volutio, ſiue cognitio mutaretur, & ipſa neceſſariò mutaretur, ſicut nullus ignorat, & viceſimum tertium primi monſtrat : Deus autem eſt talis eſſentia, ſicut idem viceſimum tertium & quintum primi docebant. Omnis ſimiliter actio propriè menſurata menſura immutabili eſt immutabilis ; hoc ſtatim patet ex comproportione & correſpondentia mutua menſuræ ad menſurabile & è contra, & poteſt ex decimo metaphyſicè confirmari ; omnis verò actio Dei intrinſeca eſt menſurata menſura immutabili, quia æternitate, ſicut præcedentia proximo manifeſtant ; omnis ergo Dei volutio atque cognitio eſt immutabilis, immutabilis, inquam, ſecundum prius & poſterius ; in æternitate namque nihil prius aut poſterius, ſicut ex proximo præoſtenſis apparet ; nulla igitur Dei actio intrinſeca aliter intrinſecè priùs ſe habet ſeu habuit, puta liberè ſecundum contradictionem ante præſentiam ſeu præteritionem rei, & aliter poſt, B puta neceſſariò ; & quia tunc non propriè menſuraretur æternitate, ſed potius tempore, ſaltem quantum ad eſſe liberum vel neceſſarium, illo ſcilicet tempore, quo || *præcisè fuit libera vel neceſſaria* ; quare & tota illa actio menſuraretur toto tempore, ſicut partes per partes, ſicuti & partes motus cœleſtis, præterita & futura menſurantur ſimilibus partibus temporis, & ideo totus toto : immutabilis etiam ita quod poſtquam eſt aut fuit, non poteſt non eſſe propter cauſas prædictas ; immutabilis tertiò ita quod quandocunque eſt, non poteſt non eſſe pro tunc, ſed neceſſe eſt eam eſſe pro tunc, ſicut & ſuam menſuram. Sicut enim quamlibet rem mutabiliſsimam menſuratam fluxibiliſsimo tempore vel inſtanti, quando eſt, neceſſe eſt eſſe, & quando menſuratur, pro tunc neceſſariò menſuratur neceſsitate ſequente ; ſic & quamlibet actionem immutabiliſsimam Dei immutabiliſsimi menſuratam æternitate immutabiliſsima, quando eſt, neceſſe eſt eſſe, & quando menſuratur, neceſſariò menſuratur. Quomodo namque rationabiliter affirman- C dum menſuram fluxibiliſsimam nunc plenam quodammodo fluxibiliſsimo menſurato neceſſariò pro nunc illo repleri, & menſuram firmiſsimam nunc plenam quodammodo menſurato firmiſsimo poſſe pro nunc ab illo totaliter vacuari ? Æternitas igitur neceſsitatem præſentialem importat, qua ſicut ipſam, ſic & omne, quod eſt in ea, quia ſemper [præſentialiter] eſt in ea, neceſſe eſt eſſe. Vt autem hæc prædicta de Deo æterno, eiuſque actionibus intrinſecis coæternis, ipſiſque actionibus futuris ſemper in æternitate præſentibus, & ideo neceſſarijs, vt ſunt ibi, maiorum teſtimonijs magis confirmem, Ecce Hermes De verbo æterno 43. qui ſic ait ; Hæc tria, *Heimarmene*, neceſsitas, ordo, vel maximè nutu Dei ſunt effecta, quæ mundum gubernant ſua lege & ratione diuina ; ab his ergo omne velle aut nolle diuinitus aduerſum eſt totum, hæc irâ non commouentur, nec flectuntur gratia, ſed ſeruiunt neceſsitati rationis æternæ, quæ æternitas inauerſabilis, immobilis, & inſolubilis eſt. Ecce & Eccleſiaſticus 42. qui dicit, Cognouit Dominus omnem ſcientiam, & inſpexit in ſignum æui, id eſt, ſignum ſeu inſtans æternitatis ; & ſequitur, Annuntians quæ præterierunt, & quæ ſuper ventura ſunt reuelans veſtigia || *ſæculorum*. Non præterit illum omnis cogitatus, & non abſcondit ſe ab eo vllus ſermo : Magnalia ſapientiæ ſuæ decorauit, quæ eſt ante ſæculum & vſque in ſæculum, nec adiectum eſt nec minuetur, & non eget alicuius conſilio, quoniam deſiderabilia ſunt omnia opera eius, & tanquam ſcintilla quę eſt conſiderare. Omnia hæc viuunt & manent in ſęculum, & in omni neceſsitate obaudiunt ei. Ecce & magis expreſſe Boetius, qui 5. de conſolatione Philoſophiæ, proſa vlt. poſt verba ſua de æternitate capit. proximo recitata immediatè ſubiungit ; Quoniam igitur omne iudicium ſecundum ſui naturam quæ ſibi ſubiecta ſunt comprehendit ; eſt autem Deo ſemper æternus ac præſentarius ſtatus, ſcientia quoque eius omnem temporis ſupergreſſa motionem in ſuæ manet ſimplicitate præſentiæ, infinitaque præteriti ac futuri ſpacia complectens, omnia quaſi iam gerantur in ſua ſimplici cog- E nitione conſiderat : Itaque ſi præſentiam penſare velis, qua cuncta dignoſcit, non eſſe præſcientiam quaſi futuri, ſed ſcientiam nunquam deficientis inſtantiæ rectius æſtimabis ; Vnde non præuidentia, ſed prouidentia potius dicitur, quia porro à rebus infimis conſtituta quaſi ab excelſo rerum cacumine cuncta proſpiciat ; Ita igitur cuncta deſpiciens, id eſt, deorſum ſpeciens, id eſt, videns diuinus intuitus, qualitatem rerum minime perturbat apud ſe quidem præſentium, ad conditionem vero temporis futurarum. Vbi & infra ex hac præſentia futurorum in æternitate apud cognitionem diuinam ſimilem neceſsitatē concludit; Nulla, inquiens, neceſsitas cogit incedere voluntate gradientem, quamuis cum tum cum graditur, incedere neceſſariū ſit; eodē igitur modo, ſi quid prouidentia præſens videt

Margin notes: || præſcire fuit liberum vel neceſſarium ; — *Hermes.* εἱμαρμένη. — *Eccleſiaſticus.* — || occultorum. — *Boetius.*

A videt, id esse necesse est, tametsi nullam naturæ habeat necessitatem; Atqui Deus ea futura, quæ ex arbitrij libertate proueniunt, præsentia contuetur; hæc igitur ad intuitum relata diuinum necessaria fiunt: hoc autem totum vigesimo octauo huius erat plenius declaratum. Hanc autem doctrinam sequitur sanctus Thomas super primam sententiam dist. 38. quæstione quinta, sicut vigesimum octauum huius plenius recitauit; & nedum ibi, sed quasi vbique, vbi materiam istam tractat. Eandem quoque doctrinam planissimè imitatur Anselmus de Concord 3. & 4. sicut clarè indicant eius verba vigesimo septimo huius scripta. Horum etiam, scilicet Boetij & Anselmi, Robertus Lincolniensis de libero arbitrio reuerenter amplectitur hanc doctrinam; Vnde capitulo septimo, Licet, inquit, locuti simus de scientia Dei per modum protensionis temporalis, notissimum est tamen nihil in æternitate esse secundum talem modum protensionis temporalis, sed non est facile de simplici statu æternitatis aliter loqui intellectui infirmo, & adhuc versanti in phantasmatibus temporalium. Quare & supra 5 dicit, quod Deus scit omnia vnico indiuisibili simplicique conspectu, æternaliter, semper, similiter, immutabiliter; Quapropter quod scit, non potest in posterum nescire; quia quam comparationem habent hæc dicta, me sedere, & me sedisse ad meam sessionem dum sedeo, & postquam sedi, eandem comparationem habet scientia Dei ad meam sessionem cras futuram antequam sedeam. Ipse enim scit futura tanquam præsentia, nec aliter scit ea cùm sunt futura, & cùm sunt præsentia vel præterita; ergo omni eodem modo, quo necesse est Deum scire res cùm sunt, vel cùm præteritæ sunt, necesse est eum scire easdem antequam sint; sed cùm res sunt, vel præteritæ sunt, habet eius scientia necessitatem consequentem; ergo & eandem necessitatem habet antequam res eueniant. Nec obliuiscenda causa Doctorum; Dicunt omnia esse necessaria in æternitate, quia sunt ibi præsentia, quæ æquiualet causæ Philosophi, scilicet, Esse quod est, quando est, necesse est, quam & clarissimè exprimit sanctus Thomas vbi fuerat allegatus. Hæc igitur æternitatis necessitas æquipollet necessitati sequenti quinquagesimo huius ostensæ; quædam tamen autoritates hanc necessitatem in æternitate ponentes, erant adductæ ad probandum necessitatem secundum causas superiores vigesimo septimo huius præmissam, licet multum immediatiùs & euidentiùs astruant hanc quàm illam, propter causam in simili quinquagesimo huius dictam Hanc etiam necessitatem æternitatis prædictam satis insinuant talia verba scripturæ, Consilium Domini in æternum manet, Veritas Domini manet in æternum, In sæculum misericordia eius, statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi, sicut quinquagesimo huius patet. Quanta autem turba autoritatum veteris testamenti & noui, & authenticorum scriptorum talia verba profert, talem vel qualemcunque necessitatem insinuat, quis ignorat? Harum etiam vigesimum septimum huius commemorat quasdam paucas, quarum omnes vel ferè secundum æternitatem & necessitatem in ea intelligi sanè possunt; Vnde Anselmus de Concord. 4. dicit, Quicquid de his, quæ libero fiunt arbitrio, velut necessarium, sacra Scriptura pronuntiat, secundum æternitatem loquitur, in qua præsens est omne verum, & non nisi verum immutabiliter.

Lincolniens.

B, C, D

COROLLARIVM.

Corollarium 30. partium est notandarum, obijcitque & soluit.

EX his autem spiritu Dei bono benigniùs reuelante, possunt, vt spero, faciliùs effodi & erui quidam diuini thesauri, pretiosissimę margaritę in agro scripturę diutiùs mihi absconditæ & ignotæ, quędam videlicet præclarissimæ ac profundissimę || *veritates* tumultuosorum turbinum sedatiuæ, aduersariorum insultuum pacatiuæ, ac obiectorum quamplurium responsiuæ: Harum autē post tam diuturnam fossuram || *præfulgidas* imagines quibusdā subtilibus radijs, licet per medium tetrum & terreum se prodentes, videor mihi percipere & videre. Videtur ergo ex præmissis consequi manifestè, quod Deus non prius tempore neque æternitate potuit noluisse priuatiuè vel positiuè quod nunc vult, sed tantum quadam prioritate naturæ seu causæ, prioritate videlicet potentię volutiuæ ad actum; Imò & quod Deus ac etiam voluntas creata potuit similiter prius in hoc præsenti instanti noluisse quod nunc vult, Potuissetque seu posset vterque possibilitate, videlicet siue potentia præcedente, seu quantum est de ratione suæ potentię nudè & absolutè consideratæ, siue de potentia absoluta aut non repugnantiæ nolle nunc & pro nunc, quod vult nunc, maximè si secundum opinionem quorundā creatura poneretur velle & nolle solummodo ex seipsa, potest quoq; similiter illud nolle Possibilitate vero sequente & determinata, actuata seu ordinata non potest. De scientia quoque Dei complexa posteriorum scitorum similiter iudicandum: Ex quibus insuper clare

|| claritates

|| præfulgoras

E

rè patet quomodo significent, differant & conueniant in ista materia, potuit, potuisset, A
posset & potest, posse, possibilitas, potentia & potestas. Quomodo insuper potentia in
Deo & in homine ad aliquem actum pro nunc, quem non habet nunc, potest educi seu exi-
re in illum, & quomodo hoc non potest; Quòd etiam Deus & creatura est aliqualis vel
non est, puta volens hoc vel nolens, sciens vel non sciens, & posset ac potest possibilitate
præcedente absoluta seu non repugnantiæ non esse talis vel esse sine mutatione quacunque;
Possibilitate verò ordinata seu actuabili non sic potest. Ampliùs autem & quòd diuina vo-
lutio est semper æque libera & contingens intrinsecè, quare & æquè libera & contingens in-
trinsecè respectu præsentium & præteritorum, sicut respectu futurorum, & semper æquè
necessaria, quare & æquè necessaria respectu futurorum, sicut respectu præsentium & præ-
teritorum. Item quòd Deus possibilitate præcedente, seu quantum est de ratione diuinæ B
potentiæ nudè & absolutè consideratæ, siue de potentia absoluta, aut non repugnantiæ
posset & potest nunc & semper in futurum non velle, & nunquam in præterito voluisse vo-
litum quodcunque posterius futurum, præsens atque præteritum: Potentia autem sequen-
te & determinata, actuata seu ordinata non potest. Et idem est de Deum posse velle, & vo-
luisse, quod nunquam volet, vult, aut voluit, & non posse; De posse quoque non facere,
& non fecisse, quod faciet, facit, aut fecit, similiter & non posse; ac posse facere aut fecisse
quod non faciet, facit, nec fecit, similiter & non posse; Quare & correspondenter quòd
res quælibet nunc futura posset & potest pro nunc non fore; & quælibet res creata nunc præ-
sens posset seu potest nunc & pro nunc non esse, quælibet etiam res præterita similiter non
fuisse, correspondenter quoque non possunt: Quod etiam res, quæ non est futura, potest
esse futura, & quæ non est nunc, potest nunc & pro nunc esse, & quæ nunc non est præterita,
potest nunc esse præterita, atque quod correspondenter non possunt. Præterea, quod de futu-
ris contingentibus apud Deum est veritas determinata, apud creaturam verò nequaquam, ni- C
si Deo forsitan reuelante; imò & quod apud Deum est intrinsecè æquè determinata veritas de
futuris, sicut de præsentibus atque præteritis; quare & quod apud Deum intrinsecè est æqua-
lis contingentia & libertas respectu præsentium & præteritorum, sicut respectu futurorum,
& æqualis necessitas respectu futurorum, sicut respectu præsentium & præteritorum; apud
causas verò inferiores non est sic æqualis contingentia aut libertas, neque necessitas sic
æqualis.

Vt autem hæ veritates præclare secundum Philosophorum sententiam oppositis suis iux-
ta positis magis effulgeant, Ecce quę communiter opponuntur; Obijciunt siquidem aliqui
contra necessitatem sequentem, siue secundum æternitatem in voluntate diuina prædictam
saltem respectu effectuum futurorum, dicentes, Deus prius potuit noluisse quod vult, & vo-
luisse quod non vult, non præsciuisse quoque quod præscit, ac præsciuisse quod non præscit;
Petrus Non enim est impotentior quam sit homo; Vnde & Petrus 1. sentent. dist. 40. dicit, quod D
Deus ab æterno potuit istum non prędestinare: & supra dist. 38. dicit Deum potuisse non prę-
scire quod fit; & super istam sententiam multis ibi distinctionibus & capitulis sustentatur, quem
& plurimi imitantur. Rursum, vt dicunt, Deus potuit non facere quod facit aut fecit, fa-
cere quoque quod non facit aut fecit, aliter insuper & alia facere ac fecisse; Potest quoque
Deus non facere quę faciet, & quæ non faciet facere: Alias etenim non esset omnipotens,
sed ligaretur. Hoc idem multę vulgatæ autoritates Scripturę canonicæ, & canonicorum
|| error Doctorum planissime contestantur. Quare & || *opinio* Petri Abelardi affirmans, vt recitat Ber-
Bernardus nardus epistola decima, quod ea solummodo Deus possit facere vel dimittere, vel eo modo
tantum, vel eo tempore quo facit, non alio, à Papa Innocentio tanquam hęretica damnabatur,
testante rescripto eius bullato inter epistolas Bernardi decimo quarto loco transcripto. Ste-
Stephanus. phanus quoque Parisiensis Episcopus damnauit articulum asserentem, quod Deum necesse
est facere quicquid immediatè fit ab ipso; Error, inquiens; siue intelligatur de necessitate co- E
actionis, quia tollit libertatem; siue de necessitate immutabilitatis, quia ponit impossibili-
tatem aliter faciendi. Item non est necessarium absolutè futura contingentia euenire; quare
|| prædicationes & reuelationes, promissiones, iurationes, & || *prædictiones*, Dei, Christi, & Prophetarum,
possunt simili possibilitate falsari; quare & contra istam sententiam, sicut contra oppositam
redeunt omnes absurditates capitulorum quamplurium præmissorum. Item secundum hic
& quinquagesimo huius præmissa, non est necesse necessitate præcedente Deum velle quod
vult, quare & oppositè potest illud non velle, & simili ratione quod non vult velle. Cùm er-
go illa potentia non sit otiosa in Deo, potest exire in actum; quare & simpliciter potest velle
quod non vult. Quamobrem & rationes per viam immutabilitatis trigesimo secundo hu-
ius inductæ nequaquam procedunt, vel si procedant, cùm ex sententia ista sequatur,
Deum

A Deum posse nolle quod vult, & velle quod non vult, & Deum esse mutabilem similiter consequetur. Item etsi volutio & cognitio Dei esset necessaria quoquomodo, non tamen ita necessaria respectu futurorum, sicut respectu præsentium & præteritorum; quare fieret magis necessaria re præsenti sine mutatione quacunque, quod trigesimum huius infirmat, vel per mutationem in ipso, quod trigesimum secundum huius eneruat. Nisi enim diuina volutio atque cognitio esset magis necessaria respectu præsentium & præteritorum quàm futurorum, posset Deus æqualiter non velle & non scire præsentia & præterita, sicut futura; quare & illa nedum possent solūmodo, imò & æqualiter possent non esse, & non fuisse, sicut ista non fore, Esset quoque in eis nedum contingentia ad vtrumlibet & libertas, verum & tanta sicut in futuris, & tanta necessitas in futuris sicut in illis: Veritas insuper determinata, imò & determinata æqualiter hic & ibi; quæ omnia tam ratio quàm autoritas
B multiplex prohibet manifestè. Si namque res præsens posset pro nunc non esse, & præterita non fuisse, per aliquam mutationem, de tali videlicet in non tale hoc posset, quod contradictionem implicat euidenter; Expediret quoque hominibus ita consiliari de præteritis, sicuti de futuris; imò non expediret consiliari de istis, sicut nec de illis; Posset quoque secundum istam sententiam deuirginata reuirginari, sicut è contra. Philosophus etiam 1. peri hermenias vlt. Esse, inquit, quod est, quando est, & non esse, quod non est, quando non est, necesse est; quod etiam contestari videntur autoritates Auerrois, Hugonis, & Petri sexto huius præscriptæ, aliæque non paucæ. Idem quoque Philosophus vbi prius astruit euidenter, quod in præteritis est necessitas determinataque veritas, in futuris verò nequaquam, sed contingentia ad vtrumlibet, & libertas, ac indeterminatio veritatis, & quod si omnia futura necessariò fierent, consiliari vel negotiari nullatenus oportere. Qui etiam 3. Ethic. 7. ostendit consilium non esse de necessarijs quibuscunque, sed tantum de his quæ sunt in nobis, in *Philosophus.*
C nostra scilicet potestate: Qui & infra sexti secundo, Non est, inquit, eligibile nihil factum, puta nullus eligit Ilion captam fuisse; Nec enim consiliatur de facto, sed de futuro & contingenti: factum autem non contigerit non fieri; propter quod rectè Agatho, Solo enim ipso & Deus priuatur, Ingenita facere quæ vtique sunt facta. Qui & in de Mundo vlt. dicit, Ita est autem statutum in facto quidem vnum fatorum Atropos dictum, id est, impermutabile, eo quod omnia quæ facta sunt, immutabilia sunt. Quibus & concorditer Plinius 2. Naturalis historiæ, dicit, Deum non posse facere, vt qui vixit, non vixerit, qui honores gessit, non gesserit, nullumque habere in præterita ius nisi obliuionis. Hæc eadem sentiunt multi Doctores Catholici multis locis, specialiter autem reuirginationi corruptæ videtur contradicere Amos 5. Virgo, inquiens, Israel proiecta est in terram suam, non est qui suscitet eam; super quod glossa; Ita fit vt virgo Israel quæ errauerit, non habeat suscitantem, quia qui semel ab vnione discesserit, & virginitatem, quam cum vno viro habebat, perdiderit, pristinum *Plinius.*
D statum & virginitatem & vnionis beatitudinem recipere non valebit. Vnde & Hieronymus ad Eustochiam virginem, epistola 82. sic scribit; Caue, quæso, ne quando dicat de te Deus, Virgo Israel cecidit, & non est qui suscitet eam, audenter, audenter loquar, cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam; Valet quippe liberare de pœna, sed non vult coronare corruptam: & allegatur in canone tricesima secunda, quæstione quinta, Si Paulus. *Hieronym.*

Vt autem istis insultibus tutius occurratur, probanda sunt veritates præmissæ, vt sic scuto veritatis solidæ circundante, non timeatur à timore quocunque.

Pro prima siquidem veritate sciendum, quod nolle priuatiuè dicitur nolle propter priuationem actus volendi, id est, non velle; Nolle vero positiuè dicitur nolle per actum voluntatis positiuum actui volendi contrarium, quasi respuere, vel odire: hoc autem manifestè consequitur ex præmissis; Nam secundum prius ostensa, Deus nequaquam
E aliter & aliter intrinsecè aut temporaliter seu volubiliter secundum volumina temporum successiua, sed æternaliter, immutabiliter & stabiliter est quicquid est intrinsecè quouismodo.

Secunda similiter veritas sequitur euidenter. Nam secundum præmissa, in æternitate nulla est prioritas aut posterioritas duratiua, nec vlla successio hinc in illud.

Tertia verò videtur patere virtute duarum priorum. Si enim est ibi aliqualis prioritas, sicut omnes fatentur, & nulla secundum tempus, nec secundum æternitatem, relinquitur quod tantum secundum naturam, cum alij prioritatis modi non habeant ibi locum. Pro hac tamen veritate plenius ostendenda sciendum, qd. potentia volutiua in Deo, sicut & in creatura, præcedit naturaliter quodammodo suum actum, sicut causa causatum, gignens genitum, & producens productum, qui modus prioritatis in diuinis 30. 2^di^ huius plenius est ostensus:
hæc

hęc autem potentia volutiua secundum prius ostensa, quarto huius & quinto, etiam completissimè præparata siue disposita, quatenus præcedit naturaliter liberum actum suum ad extra, quem nunc præsentialiter & æternaliter elicit, posset illum non elicere, quia non est ibi necessitas antecedens, imò æqualiter, contingenter, indifferenter ac liberè secundum contradictionem se habet ad producendum illum & non. Hæc autem naturalis seu causalis prioritas apud Deum æternum similis est quodammodo prioritati temporali apud hominem temporalem, quâ prius tempore potuit noluisse quod nunc vult; quare & secundum similitudinem protensionis, prioritatis temporalis dicitur, quòd prius Deus potuit noluisse quod nunc vult; vbi tamen non propriè significatur prioritas temporalis, sed solum prioritas naturalis seu causalis, potentiæ liberæ secundum contradictionem ad liberum actum suum. Veruntamen apud hominem temporalem præter istam prioritatem temporalem, est & illa prioritas naturalis atque causalis, potentiæ scilicet volutiuæ & actiuæ ad actum. Potentia namque volutiua humana, quantum est de se etiam sufficientissimè pręparata, quatenus præcedit naturaliter liberum actum suum, quem præsentialiter nunc producit, posset illum non producere, quia non est ibi necessitas antecedens, sed æqualiter, contingenter, indifferenter, ac liberè secundum contradictionem se habet ad producendum illum, & non, sicut patet ex quarto huius, & quinto. Verùm vt istud clariùs elucescat, ponatur secundum præhabita in probatione octauæ veritatis quinti huius, creaturam rationalem Angelum vel hominem fuisse creatam in A instanti præterito cum dispositione sufficientissima ad volendum, & voluisse in illo benè vel malè, puta Angelum benè, hominem verò malè, nec vltra A fuisse; vterque igitur secundum Corollarium quarti huius, liberè secundum contradictionem voluit in A, iste benè, ille malè; quare & vterque potuit, & consequenter prius potuit non taliter voluisse: Verbum namque præteriti temporis prius importat, quod rectè nequit intelligi de prioritate temporali, nec alia qualibet successiua, sed tantum de prioritate naturali & causali prædicta. Maxima quoque causa, quare videtur dicendum, quod Deus & homo prius potuit noluisse quod vult, est vt soluetur in eis contingentia & libertas, quæ videntur possibilitatem ad oppositum secundum prioritatem temporalem necessariò importare, Verùm non necessariò hanc important, sed tantum illam prioritatem causalem prædictam, sicut ex septima & octaua veritatibus quinti huius, & ex earum defensionibus sexto huius, & specialiter ex dictis Iohannis Scoti positis ibi patet. Potuit ergo Deus similiter prius causaliter noluisse priuatiuè quod nunc vult, quare & similiter positiuè. Hunc autem arbitror intellectum Doctorum quorundam dicentium potentias actiuas in quodam priori ad actus suos posse non producere illos actus, sed contrarias aliquando. Huius autem prioritatis causalis in Deo æterno ignorantiam puto causam, quare aliqui forsitan opinantur Deum æternum, sicut hominem temporalem, secundum prius & posterius in tempore, aliter & aliter successiuè intrinsecè posse & agere, affici & disponi. Propter similitudinem namque harum duarum similitudinum, & consuetudinem maximam hominum temporalium mensurandi potentias & actiones temporales secundum prius & posterius in tempore, nequaquam dijudicāt inter illas, sed illam causalem ęstimant temporalem: Non sic autem non sic secundum Patrum sententiam, sed longe aliter sentiendum. Imaginandum itaque, veritatis imaginem imitando, Deum ęternum non temporaliter nec instantaneè temporali instanti, sed supertemporaliter & superinstantaneè instantiæ temporalis, in instanti æternitatis vnico & simplicissimo aliquid posterius liberè voluisse; & quomodo prius potuit illud volutum noluisse, quia non prioritate in tempore neque in æternitate, sed tantum prioritate causali prædicta: quod vt homines temporales temporaliter cogitantes per instans temporis esse notissimum, ad instans æternitatis ignotius vtcunque consurgant; iuxta imaginem de creaturis præmissam imaginandum, quod Deus in instanti creationis mundi, quod sit A aliquid inferius liberè voluisset, & nunquam post temporaliter habuisset potentiam liberè volutiuam, sicut nec propriè temporaliter habuit. Imaginetur enim per impossibile forsitan vel per possibile, vt videtur, quod ipsi A nullum tempus successit, vel per impossibile quod ipsi Deo immediatè post A fuisset adempta potentia liberè volutiua, & quomodo prius potuit illud volutum noluisse, quia non prioritate temporis nec æternitatis, sed tantum naturæ seu causæ: Nec potest quis ponere durationem aliquam successiuam, & longam ante A, sicut ostensum fuerat primo primi: vel fortè contra proteruum saltem imaginetur Deum non præcessisse A per durationem aliquam partibiliter successiuam. Hoc idem videtur posse ostendi, nulla imaginatione huiusmodi suffragante, sed ipsa sola & solida catholica veritate; Deus enim creauit mundum in A, tuncque voluit liberè mundum esse; quare secundum quod obijciebatur in primis, prius potuit noluis-

A noluiſſe mundum tunc eſſe. Sed qua prioritate ? Non temporis, non æternitatis, non durationis ſucceſsiuæ, ſed tantùm naturæ & cauſæ, ſicut ſuperiùs eſt oſtenſum. De potentijs autem naturalibus & irrationalibus, licèt præcedant naturaliter & cauſaliter ſuos actus, aliter ſentiendum. Ibi namque non eſt libertas contradictionis ad agendum & non agendum, ſed neceſsitas antecedens, ſicut conſtat ex priùs oſtenſis ſecundo huius & quarto. Licèt etiam potentia volutiua in Deo ad || *intra* præcedat quoquomodo cauſaliter ſuum actum, quo videlicet vult ſe eſſe, vult & amat ſua eſſentialia vniuerſa ; non tamen poteſt aut prius cauſaliter potuit non ſic velle, quia per modum naturæ & neceſsitatis præcedentis, non libertatis contradictoriæ ita facit, ſicut & generat atque ſpirat : Obiectiones autem contrarias poſsibiles fieri quadrageſimum tertium primi ſoluit. || neceſſaria

Quarta veritas ſatis claret ex tertia & probatione ipſius ; ſecundum ſiquidem quartæ ſententiam, forſitan exponendum illud Pſalmi ſecundi, Filius meus es tu, ego hodie genui te :
B non enim videtur accipiendum propriè ibi diem, pro die fluxibilis temporis, ſed pro die ſeu inſtanti æternitatis, vbi nihil prius aut poſterius ſucceſsiuè, ſicut præmiſſa iſto capitulo & proximo manifeſtant : quare & Auguſtinus illud exponendo ſic ait ; Hodie quia præſentiam ſignificat, atque in æternitate nec præteritum quicquam eſt quaſi eſſe deſierit, nec futurum quaſi nondum ſit, ſed præſens tantùm, quia quicquid æternum eſt, ſemper eſt, diuinitus accipitur ſecundum illud dictum, Ego hodie genui te, quo ſempiternam generationem virtutis & ſapientiæ Dei, qui eſt vnigenitus Filius, fides ſinceriſsima & catholica prædicat. Hodie ergo inſtantaneam præſentiam æternitatis deſignat, & tamen non dicit hodie gigno te, quod tamen veriſsimè diceretur, ſed, Hodie genui te, vt ſignificet nullam eſſe prioritatem temporalem ſeu || *duratiuam* Patris ad Filium, ſicut quidam hæretici fabricarunt, ſed tantùm quandam prioritatem originis ſiue cauſæ, de qua triceſimo ſecundi plenius tractabatur : ſecundum quem modum & Angelus nunc primò creatus, *Auguſtinus.* || durationem.
C cognoſcens & volens poſſet dicere actui ſuo, Ego nunc in hoc præſenti inſtanti genui te ſiue produxi.

Pro quinta verò ſciendum quòd duplex eſt neceſsitas, ſcilicet præcedens, & ſequens, ſicut ſecundo huius & poſt ſæpius dicebatur ; ideo correſpondenter duplex eſt potentia, poſsibilitas, ſeu poteſtas, ſcilicet præcedens & ſequens. Præcedens eſt quaſi contraria neceſsitati præcedenti, qua ſcilicet, poſita potentia ſeu cauſa actiua ſufficientiſsimè præparata, quatenus ipſa pręcedit naturaliter & cauſaliter ſuum actum, poſsibile eſt ſecundum contradictionem actum produci, & non produci, quia non eſt ibi neceſsitas antecedens, ſed contingentia ad vtrumlibet, & libertas contradictionis, ſicut in oſtenſione tertiæ dicebatur. Potentia autem ſequens ſimili modo opponitur neceſsitati ſequenti. Potentia etiam nudè & abſolutè conſiderata eſt potentia actiua, quatenus præcedit actum, nec limitatur aut determinatur per aliquid. Potentia verò abſoluta ſeu non repugnantiæ dici poteſt, qua poſsibile dicitur quicquid contra-
D dictionem & repugnantiam formaliter non includit in conſequentia bona ſimpliciter & formali, de qua primo primi in oſtenſione primæ ſuppoſitionis pleniùs dicebatur, & correſpondet neceſſariò ſimpliciter & penitus abſolutè, quod ſcilicet non eſſe, repugnantiam contradictionis formaliter implicat & inuoluit : vnde Philoſophus 1. Prior. definit contingens oppoſitum neceſſario iſto modo ; dico autem contingere vel contingens, quo non exiſtente neceſſario, ſcilicet abſolutè, poſito tamen in eſſe, nihil erit propter hoc impoſſibile ; quo poſito, inquit, in eſſe, ſcilicet per illam ſpeciem obligationis, quæ poſitio nominatur, nihil erit, id eſt, accidet in conſequentia formali ſimpliciter impoſsibile, ſcilicet ſimpliciter & penitus abſolute, quod contradictionem formaliter implicet & includat. Ab hac autem potentia abſoluta & non repugnantiæ, puto Deum dici omnipotentem veraciter atque eſſe. His igitur expoſitionibus nominum prælibatis, hæc quinta veritas de po-
E ſterioribus Dei volutis intellecta, per quartam & probationem illius oſtenditur manifeſtè. Quis etenim dubitat ad volutionem Dei ad extra non eſſe neceſsitatem præcedentem, ſed libertatem contradictionis puriſsimam, quare & potentia præcedente ſecundum expoſitionem potentiæ præcedentis præmiſſam, ipſum poſſe nolle quod ſic vult ? Quis etiam dixerit Deum omnipotentem, quantum eſt de ratione ſuæ potentiæ nudè & abſolutè conſideratæ, ſeu etiam de potentia abſoluta, aut non repugnantiæ ſecundum expoſitiones priores, non poſſe nolle, quod ſic vult ? Vnde & Iohannes Scotus ſuper 1. ſentent. diſt. 40. propoſita quæſtione, Vtrum prædeſtinatus poſsit damnari, reſpondendo primò dicit, quòd prædeſtinatio propriè ſumpta dicit actum voluntatis diuinæ, ſcilicet electionem alicuius creaturæ intellectualis ſeu rationalis ad gratiam & gloriam : Secundò diſtinguit quæſtionem propoſitam ſecundum compoſitionem & diuiſionem ; & negato ſenſu compoſito, dicit quòd in

in ſenſu diuiſo hæc duo, ſcilicet eſſe prædeſtinatum & poſſe damnari, diuiſim in duabus cate- A
goricis dicuntur de eodem, nec ideo oppoſita ſunt ſimul vera, nec etiam poteſt vnum ſucce-
|| in æternitate enim
dere alteri ; || *quia in æternitate* non poteſt eſſe ſucceſsio ; ſed iſta ſunt vera ſimul, in quan-
tum volutio diuina conſideratur, vt prior, naturaliter tranſitu ipſius ſuper iſtud obiectum,
quod eſt gloria iſti, in illo priori naturaliter, non repugnat ſibi eſſe oppoſiti obiecti, imò
poſſet eſſentialiter eſſe oppoſiti, ſed non ſimul amborum. Quis inſuper conceſſerit creatu-
ram rationalem, maximè ſi voluerit & noluerit tantummodo ex ſeipſa, ex neceſsitate præ-
cedente, & non ex libertate contradictionis producere liberum velle ſuum, vel etiam
ſicut de facto nunc vult, Deo ſcilicet præagente, & ex neceſsitate præcedente reſpectu
inferiorum cauſarum, & non ex libertate contradictionis reſpectu illarum producere li-
berum velle ſuum, quare & correſpondenter poſſe potentia præcedente illud nequaquam
producere ? Nec aliquis æſtimabit creaturam rationalem, quantum eſt de ratione ſuæ po-
tentiæ nudè & abſolutè conſideratæ, & de potentia abſoluta, & non repugnantiæ non B
poſſe nolle hoc quod nunc vult. Quomodo namque, iſto nunc volente cras legere, iſta
ſimplex categorica, Iſte non vult nunc cras legere, per ſe ſimpliciter & formaliter abſo-
lutè repugnantiam implicat, aut contradictionem includit ? Quis enim tam neſcius in po-
ſitione obligatoria, vt hac admiſſa tanquam poſsibili, non ſe faciliter à contradictione de-
fendat, & ab omni impoſsibili abſolutè, omne ſequens formaliter concedendo, repugnans
negando, impertinens reijciendo, ſicut Iuriſtæ ? Aliàs etenim quocunque vno poſito, poſſet
de quolibet diſputari, vel ſecundum ſuam qualitatem, ſi voluerit, reſpondendo, ſicut & de
iſto ; In A. hoc præſenti inſtanti exiſtenti Londini, ſi ponatur tanquam abſolutè poſsibile,
& ſimiliter admittatur, Iſte non eſt Londini, ſed Romæ in A. nulla contradictio formaliter
ſequitur, nec aliquod impoſsibile abſolutè, licèt vt nunc & per accidens contradictio &
impoſsibile abſolutè conſequi videatur, quòd iſte videlicet, qui eſt Londini in A. non ſit
Londini, ſed ſit Romæ in A. ; iſtud tamen per ſe ſimpliciter & abſolutè conſtat non ſequi : C
quod enim iſte ſit Londini in A. non eſt neceſſarium abſolutè, nec eſſe Londini in A. per ſe
& eſſentialiter ineſt huic in A. Imò quatenus eſt de natura rei, & de rerum potentia ab-
ſoluta, non repugnaret hoc non ineſſe huic in A. Potuit enim iſte arripuiſſe iter à diu,
& in A. vel prius Romam finaliter perueniſſe. Simili quoque modo iſte homo qui in A. eſt
albus & ſedens, poteſt in A. non eſſe in A. albus nec ſedens, ſed niger & ſtans aut iacens.
Et ſi quis obijciat quòd ſimili modo poſſet ſeu poteſt Deus non eſſe ; falſiſsimum eſt, ſi-
cut corollarium decimiquarti primi docet. Hanc autem ſententiam planè teſtatur Iohan-
nes Scotus ſuper 1. ſentent. diſtinctione ſecunda, Voco, inquiens, contingenter cauſatum,
cuius oppoſitum poſſet fieri quando illud fit : & infra ſuper diſt. 39. Non modo, inquit,
Eſt cauſa contingens, quia præexiſtebat ante illud inſtans in quo cauſat, & tunc vt præ-
exiſtens potuit cauſare vel non cauſare ; quia ſicut hoc ens quando eſt, eſt neceſſarium
vel contingens, ita cauſa quando cauſat, tunc cauſat neceſſariò vel contingenter. Ex D
quo igitur in iſto inſtanti voluntas cauſat hoc velle, & non neceſſariò, ideo contingenter ;
eſt igitur potentia cauſæ ad oppoſitum eius quod cauſat ſine ſucceſsione, & illa potentia
realis eſt potentia prioris naturaliter, vt actus primi, omnia quæ ſunt poſteriora naturali-
ter vt actus ſecundi : actus primus conſideratus in illo inſtanti, in quo eſt prior natura-
liter actu ſecundo, ita ponit illum in eſſe tanquam effectum ſuum contingenter ; qui vt
prior naturaliter poſſet eum non ponere, ſed oppoſitum in eſſe. Qui & ibidem diſtinguen-
do multifariam libertatem, ſic ait, Eſt & alia libertas non ita manifeſta abſque omni ſuc-
ceſsione ; ponendo enim voluntatem creatam tantùm habere eſſe in vno inſtanti, & quòd
ipſa in illo inſtanti habeat volutionem, non neceſſariò tunc habet eam ; quod & conſe-
quenter oſtendit per artem obligatoriam, ponendo tanquam poſsibile illam volutionem
in illo inſtanti non eſſe, ſicut ſuperiùs faciebam. Hanc eandem ſententiam profitetur
Henricus.
Henricus de Gandauo 5. de quolibet, quæſtione quarta, dicens quòd iſta in ſenſu diuiſo, E
Quod Deus vult, non poteſt non velle, habet duplicem cauſam veritatis, de quarum ſecun-
da ſic ait ; Alia autem cauſa veritatis eſt, Deus non habet in ſe potentiam, qua poſſet ipſi
ineſſe voluntas eius quod vult, quod falſum eſt, quia poteſtas in voluntate Dei circa eſſe
actuale creaturarum, vt dictum eſt, nulla eſt neceſsitate determinata, imò quantum eſt de ſe,
eſt ad vtrumlibet de volendo illud, & non volendo, nihil cognoſcendo de poſsibilitate vel
non poſsibilitate ſuccedendi circa voluntatem Dei actum nolendi poſt actum volendi, ſed
præciſam dicit poſsibilitatem ad vtrumque, quantum eſt de natura diuinæ voluntatis,
& in iſto ſenſu ſimiliter illa eſt falſa in ſenſu diuiſo, Non ſedentem non eſt poſsibile non
ſedere ; ergo ſecundum eum, illum qui nunc non ſedet, nunc & pro nunc poſsibile eſt ſedere.

Hoc

A Hoc idem confirmat dictum sancti Thomæ 1. part. sum. particula 19. quæst. 3. quinquagesimo huius scriptum.

Veritas autem sexta ostenditur per hanc quintam, & per ostensionem illius.

Pro septima veritate sciendum quòd eadem est actuata & etiam ordinata possibilitas sequens superius definita, & possibilitas determinata, actuata, seu ordinata. Sicut enim necessitas, qua omne quod est, quando est, necesse est esse, dicitur sequens, determinata, actuata & ordinata; sic & possibilitas opposita, qua secundum quosdam, aliquid quod est, dum est, opposite potest non esse, cognominatur eisdem nominibus propter defectum nominum seu ‖ ***cognominum*** propriorum, differentiarum scilicet propriarum. Hæc autem septima veritas taliter intellecta manifestè consequitur ex prius ostensis hic & quinquagesimo huius supra. Ostensum namque fuerat hic & ibi, quòd actum voluntatis diuinæ sicuti & humanæ, quando est, necesse est esse necessitate sequente; quare possibilitate opposita, non est possibile ipsum non esse. ‖ cognitionem

B Pro octaua sciendum, quòd scientia Dei est duplex, incomplexa scilicet & complexa, quomodo homini ignoranti & ‖ *balbutienti* illam cognoscere & exprimere est concessium, sicut 18. primi plenius ostendebat. Scientia autem Dei complexa scitorum posteriorum voluntate diuina per idem 18. est per voluntatem diuinam, quare & illam negatiuè & affirmatiuè consequitur secundum veritates de ipsa præmissas. Scientia autem Dei incomplexa, & simplicis apprehensionis nequaquam diuinam consequitur voluntatem. Deus enim sic cognoscit necessariò simpliciter cognoscibilia vniuersa, & licèt potentia cognitiua in Deo præcedat quodammodo naturaliter seu causaliter istum actum, non est tamen quouis modo possibile quin semper producat & habeat illum actum, sicut in ostensione tertiæ veritatis de similibus dicebatur: de scientia quoque Dei complexa scitorum priorum voluntate diuina similiter sentiendum, sicut de eius scientia incomplexa. ‖ balbo

C Pro nona reputo sentiendum quod, Potuit, dictum de Deo nequaquam proprie significet prioritatem temporalem, nec aliquam successiuam, sicut ex præmissis apparet, sed prioritatem naturalem, seu causalem potentiæ liberæ secundum contradictionem ad liberum actum suum, secundum quam prioritatem scilicet quatenus causa præcessit, sic actum potuit illum nullatenus produxisse, sicut in ostensione tertiæ veritatis superius dicebatur: Si tamen de creatura dicatur, potest vtraque prioritas congrue designari, quoniam apud ipsam vtraque prioritas reperitur, sicut ostensio tertiæ patefecit. Conuenientius autem & consuetius dicitur verbum, Potuit, præteriti temporis, pro præterito, quam pro præsenti; sicut quod Deus potuit noluisse creare mundum in A. instanti præterito quo creauit; & de creaturis similiter, scilicet de Angelo & homine in A. instanti præterito creatis & volentibus, sicut in ostensione tertiæ dicebatur; quanquam & de præsenti, licet minus consone possit dici, sicut quarta veritas exprimebat. Potuisset autem, sicut cuiuslibet animus acquiescit, eandem prioritatem significat, & hoc propinquius quam potuit huic prioritati causali secundum intellectionem humanam, & remotius à prioritate temporali, quod & dicitur conuenientius de præterito quam præsenti; conuenientius tamen quam Potuit dicitur de præsenti. Potest etiam congrue designare potentiam nudè & absolutè consideratam, siue potentiam absolutam, aut non repugnantiæ, sicut quinta veritas loquebatur, vt sic dicatur, quod iste potuisset hoc vel illud, hoc est, quatenus fuit de ratione potentiæ absolutæ, ita quod nulla repugnantia formaliter secuta fuisset. Posset, vt cuiuslibet concipit animus, eandem prioritatem naturalem & causalem significat, propinquius tamen secundum conceptionem humanam huic prioritati causali, & remotius à prioritate temporali, quàm Potuit, vel etiam Potuisset, quod etiam satis apparenter significat potentiam absolutam & non repugnantiæ, sicut de Potuisset est dictum: dicitur autem conuenientius de præsenti, quàm Potuit, vel Potuisset; est enim præsentis temporis, de præterito verò non dicitur, sicut illa; sed de futuro, sicut illa non dicuntur. Est enim secundum

D

E Logicos verbum ampliatiuum, quare sub voce præsentis temporis potest extendi vlterius ad futurum, vt sic dicatur, Deus posset cras nolle quod cras volet, & facere quod non faciet; vbi tamen nequaquam propriè prioritas temporis, sed prioritas naturalis seu causalis, vel etiam potentia absoluta aut non repugnantiæ designatur. Potest, similiter pro duobus temporibus dicitur, de præsenti scilicet & futuro, quia est verbum extensiuum, seu ampliatiuum, vt superius dicebatur. Si autem dicatur de futuro, vt Deus potest cras nolle quod cras volet, & non facere quod faciet, non significat propriè prioritatem temporalem, sed causalem seu absolutam, & non repugnantiæ, sicut dictum est de Posset: Si autem de creatura, puta de homine diceretur, posset vtraque prioritas designari, sicut de Potuit dicebatur, quod etiam verum est, de Potuisset, quando de præterito dicitur, & de Posset, quando dicitur de futuro Si vero dicatur

tur de præsenti, & pro præsenti, vt Deus nunc potest, & pro nunc nolle quod nunc vult, non A
ita plane significat prioritatem naturalem seu causalem prædictam; quare nec ita admittit istud dictum animus audientis, sicut si diceretur, Potuit, Potuisset, seu Posset, sed renuit quodammodo & resistit, sicut si diceretur de homine, Homo volens nunc quicquam, potest nunc & pro nunc illud nolle, aut Homo nunc albus vel sedens, potest nunc & pro nunc non esse albus vel sedens. Animus etenim accipit rem subiectam cum qualitate seu dispositione quam nunc habet, quam & prima facie indicat necessariò pro nunc esse, sicut & omnis animus quasi pro quodam principio sibi naturaliter indito atque notorio accipit, quod, Omne quod est, quando est, necesse est esse; quare & possibilitatem contrariam renuit, nec admittit. Item cum quod dicitur, Deus vel Homo potest nunc & pro nunc nolle quod nunc vult, intelligatur de potentia nudè & absolutè considerata, quatenus est de ratione potentiæ, siue de potentia absoluta aut non repugnantiæ, verum est & veraciter concedendum, sicut potest haberi ex ostensione quintæ veritatis præmissæ: Multum tamen libentius recipit animus tale dictum, cum Posset, quàm cum Potest, eo quòd significatio huius facilius innotescit in Posset, quàm in Potest. Secundum similem quoque modum potest differentia inter Volui, Voluissem, Volo, Vellem; Feci, Fecissem, Facio, Facerem; & similia forsitan assignari. B
Posse vero, possibilitas, potentia & potestas videntur significare potentiam præcedentem naturaliter seu causaliter suum actum, potentem libere secundum contradictionem agere illum & non; secundum quam sententiam dicit Philosophus 9. Metaphys. 10. quòd Potentiæ rationales seu cum ratione sunt contrariorum: & infra 18. quòd potentiæ secundum rationem sunt contradictionis, quia possibile sic mouere, potest & non sic, sicut quartum huius, & vicesimum quintum primi plenius ostendebant: Possunt etiam significare potentiam nudam & absolutam, seu non repugnantiæ supradictam, secundum sententiam eiusdem Philosophi 1. Prior. in ostensione quintæ superius recitatam. Sic enim dicitur, quod in Deo fuit, est, aut erit, posse, possibilitas, potentia & potestas nolendi quod voluit, vult, aut volet, quod & de creatura similiter dici potest. Hæc autem ideo diffusius paululum tractanda putaui, eo quòd horum cognitio intellectum Sacræ Scripturæ, C
Doctorum, ac omnium communiter loquentium multum distinguit, elucidat & serenat, & eius ignorantia ipsum multum confundit, obnubilat & obscurat. Hanc autem profunditatem, ac alias præcedentes ille subtilissimus perscrutator Robertus Lincolniensis Episcopus profundissimè fodiens, etiam vsque ad fundamentum in eis, inueniens etiam ac ostendens clarissimè quomodo Deus prius potuit & non potuit non sciuisse aut noluisse quod scit aut sciuit, vult aut voluit, & quomodo posset & non posset, potest & non potest non scire & nolle quod scit & vult, postquam de libero arbitrio 7. dixit, quod in Deo est posse vt non scierit quod scit; & capit. octauo sic arguit contra illud; Quidlibet dum est, necesse est esse, & non est possibile vt non sit tunc quando est, sicut Socratem esse album, si est verum in A instanti, non habet posse vt sit falsum in A. Si itaque quod est verum in A. instanti, non potest esse falsum in eodem A. Aeternitas autem cum sit in termino simplicitatis omni instanti simplicior, non potest verum in æternitate esse falsum in eadem æternitate: Atqui Deum scire A. in æternitate verum est, ergo non est posse ad ipsum non scire A. Capitulo nono finaliter determinando respondens sic ait; Quemadmodum lux non est tem- D
pore, sed natura & causa prior splendore, & si esset lux æterna & sine initio, nihilominus tamen lux gignens splendorem naturaliter & causaliter prior esset splendore genito. Et sicut secundum Chrysostomum, Pater etiam non æternitate, non natura est prior filio, sed causa; Ipse enim sic dicit super, In principio erat verbum; Præcedit Pater verbum non natura, sed causa; Præcedit Pater verbum causaliter, præcedit filius omnia, quæ per ipsum facta sunt, naturaliter; sic posse ibi aliquo modo præcedit actum, non æternitate nec fortè natura, cum sint vnum in natura, & vna natura, sed forte præcedit ibi posse actum causa, & etiam prioritate à qua non conuertitur consequentia: sicut animal præcedit hominem, cum tamen non sint aliud & aliud posse & actus in substantia; sic Pater prior est Filio causa, cum tamen Pater & Filius vnum sint in substantia. Hæc prioritas causalis insinuatur ex consignificatione præteriti per hoc verbum, Potuit. Cum dico, Deus potuit non sciuisse A. & cum dicitur, Deus posset non sciuisse A. insinuatur libertas arbitrij, E
& potestas rationalis vna ad hoc naturaliter quæ est in actu ad suum oppositum; Potest itaque hæc prædicatio, cum dico Deus potest, redire super ipsam naturam potentem, & sic verum est, quod potest vtrumque oppositorum; Sic verum est quod dicit Anselmus, Deus potest non velle quod vult; & constat quod potest velle quod vult, & ita potest opposita: & sic enim de vi sermonis propter prioritatem insinuatam per hoc verbum,

Potuit,

A Potuit, redit eiusdem verbi prædicatio; similiter huius verbi, Posset; vel potest hæc prædicatio redire super ipsum consideratum in ratione agentis vnum oppositorum; & sic est impossibile ipsum non velle quod vult, vel non scire quod scit: Est enim in Dei natura posse ad vtrumque, quod causaliter præcedit vtrumque; sed super ipsum agens alterum, cum sit immutabilis, non est posse ad oppositum eius quod in actu est. Sicut enim secundum distinctionem Anselmi libera voluntas hominis, vbi posse præcedit temporaliter actum, potest non velle, & non potest non velle, sed necesse est eam velle; Potest namque non velle antequam velit, quia libera est, & cum iam vult, non potest non velle, sed eam velle necesse est, quoniam impossibile est illi ad ipsum simul & velle & non velle; Sic forte in Deo, vbi non est aliqua temporalis præcessio sed causalis, si respiciatur ipsa Dei natura non in ratione agendi, & comparetur liberæ voluntati hominis nudæ ab actu antequam velit, verum erit dicere, Deus potest non velle quod vult: Si vero respiciatur ipsa diuina natura in ratione agendi, &
B comparetur liberæ voluntati hominis cum iam actu vult, verum erit dicere, Deum necesse est velle quod vult, & non velle quod non vult: Impossibile est enim eum non velle quod vult, vel velle quod non vult. Quam distinctionem facit in nostro posse & actu prioritas temporalis hanc ibidem facit prioritas causalis & subiecti super quod redit prædicatio diuersa, diuersa consideratione, sed manifestior est distinctio vbi comitatur prioritas temporalis: Per talem quoque distinctionem considerationis subiecti, cum prædicatur Posse de Deo, dicimus Deum posse creare plures mundos, vel infinitos mundos, & tamen ipsum non posse hoc. Si enim respiciatur ipsa Dei natura, in infinitum potens potest quidem hoc de potentia; si vero ipsa eadem respiciatur in agendis ordinatissima, impossibile est eam plures mundos creare, & impossibile est eam mundum vnum non creare, tamen de eius potentia est hoc possibile. Similiter potuit Deus, quantum est de potentia, aliter liberasse hominem quam per filij sui mortem; sed si consideretur omnia agens conuenientissime, non potuit aliter hominem
C liberasse: Vnde Augustinus dicit quod aliter potuit liberasse; Anselmus vero, quod non potuit aliter liberasse, & similiter multi alij Autores. Et ad iam dictorum euidentiam ponamus liberum arbitrium creatum non prius esse quam actu velit aliquid rectè, vel non rectè, sicut forte fuit liberum arbitrium Angeli & primi hominis: Nonne secundum hoc Angelus, cum fuit simul cum primo actu existendi, voluit actu volendi aliquid bene vel male, vtpote Gabriel aliquid bene, Lucifer aliquid male, & in vtriusque libera potestate fuit quod voluit, & vterque potuit || *noluisse* oppositum eius quod voluit? Alioquin nec iste laudabilis, nec ille vituperabilis, nec libertatem arbitrij habuissent. Intelligatur etiam eorum status fuisse simplex, scilicet instantaneus vel æternus; Nonne simul cum actu vnius oppositorum habuisset in eodem indiuisibili vterque posse ad actum oppositum, & vera esset talis prædicatio de vtroque, Iste potest velle oppositum eius quod vult vel non velle quod vult, si redeat prædicatio super naturam liberæ voluntatis nudè consideratam sine actu suo? Et quia de vi sermonis sic redit || voluisse
D prædicatio cum hoc verbo Potuit, vel Posset, omnis animus statim concipit hanc esse veram, Primus Angelus statim simul cum primo fuit, & hoc voluit, potuit vel posset hoc idem non voluisse; & quia verbum præsens magis de vsu sermonis redit super subiectum secundum dispositionem quam actu habet, animus statim magis concipit hanc esse falsam, Potest non velle quod vult, si indiuisibili vult, sicut positum est. Qui & infra soluendo argumentum recitatum superius, ita scribit; Patet itaque quod illud quod est, necesse est esse dum est, & tamen non inconueniens, sed alicui est necessarium in eodem indiuisibili esse posse ad oppositum eius quod est, sicut in dicto exemplo de Angelo, & quod non redit prædicatio necessitatis & possibilitatis oppositi super simpliciter idem & eodem modo consideratum. Secundum hunc igitur intellectum puto rationabiliter posse exponi dicta Lumbardi in contrarium allegata, sicque ipsum in similibus intelligit Robertus Lincolniensis de libero arbitrio 7. Est, inquiens, in Deo æternum posse, vt sine initio non scierit illud quod scit; vnde Magister *Lincolniensis.*
E in sententijs, Deus potuit nulla creasse, & ita nulla creata præsciuisse: habet ergo potentiam vt nunquam creasset, & nunquam sciuisset multa quæ creauit & sciuit; Ex hoc vtique posse quod est ad vtrumque oppositorum, scilicet scisse, & non scisse sine initio sequitur rerum contingentia. Hunc etiam intellectum verba ipsius exprimunt euidenter. Primi namque sententiarum dist. tricesima nona sic ait, Sicut non potest augeri vel minui diuina essentia, ita nec diuina scientia, & tamen conceditur posse scire quod non scit, & posse non scire quod scit, quia posset aliquid esse subiectum eius scientiæ quod non est, & posset non esse subiectum aliquid quod est, sine permutatione ipsius scientiæ. Posse, inquit, & posset; quæ secundum expositiones præmissas significant potentiam contradictoriè liberam, quatenus præcedit naturaliter seu causaliter liberum actum suum, siue potentiam nude & absolute *Lumbardus.*

 consideratam,

consideratam, quantum scilicet est de ratione potentiæ; quare & infra eadem distinctione, A Si, inquit, dicis Deum non posse scire vel præscire, quod ab æterno non sciuit vel præsciuit, id est, habere potentiam sciendi & præsciendi ab æterno, & modo aliquid, nec tamen illud præscitum est, vel futurum est, verum est: & dist. quadragesima. Cum de præscientia vel de prædestinatione Dei agitur, possibilitas & impossibilitas ad potentiam Dei referatur, quæ *Philosophus* semper eadem fuit & est, quia prædestinatio, præscientia, potentia vnum in Deo est. Simili quoque modo videtur loqui Philosophus 1. peri hermenias vlt. negans necessitatem in futuris contingentibus, & affirmans quod in eis est possibile esse & non esse, & quòd in eis contingit esse & non esse. Hæc autem verba significant potentiam quatenus pręcedit naturaliter suum actum, vt ex præmissis apparet, imo, vt magis videtur, quatenus præcedit temporaliter suum actum, per quam præcessionem potest etiam rationabiliter innui præcessio naturalis, vt superius dicebatur. Quod autem de prioritate temporali loquatur, exemplum bene ostendit; Multa, inquit, nobis manifesta sunt sic se habentia, vt quoniam hanc vestem possibile est incidi & non inciditur, sed prius exteritur; similiter autem & non incidi possibile est; non enim esset possibile prius exteri, nisi esset possibile non incidi. B Videtur etiam non inconsonè textui, quod, cum dicit possibile est hoc esse & non esse, Intelligit de potentia absoluta, sicut patuit vicesimo nono huius, seu quantum est de ratione potentiæ nudè & absolutè consideratæ; Vnde & post verba eius vltima recitata immediatè concludendo subiungit; Quare in alijs futuris, scilicet ab incisione vel non incisione vestis, quæcunque secundum potentiam dicuntur huiusmodi, manifestum est, quoniam non omnia ex necessitate fiunt, ex necessitate videlicet huic potentiæ repugnante. Hanc eandem sententiam innuunt dicta Scoti super 1. sentent. dist. 2. 39. & specialiter quadragesima, in o- *Lumbardus* stensione quintæ huius præscripta. Aliter potest dici, quod Lumbardus non loquitur ibi definitiue & secundum sententiam propriam, sed potius inquisitiuè & secundum sententiam aliorum. Nam dist. quadragesima, vbi fuerat allegatus, mota quæstione de prædestinatione, Nunquid Prædestinatus possit damnari, sic ait; In huius quęstionis solutione mallem alios audire quam docere: Et infra, Conceditur à quibusdam, quod & modo potest C cum Deus non prædestinasse ab æterno: Ita & de præscitis & de præscientia dicunt, quod in actionibus vel operationibus Dei & hominum nullatenus concedunt; ex quo enim aliquid factum est vel dictum, non concedunt quod possit non esse vel non fuisse. Tertia posset esse responsio, quæ mihi non placet; Ipsum videlicet in ista materia planè negare, sicut videtur Sanctus Thomas super 1. sentent. dist. tricesima octaua quæstione quinta, vbi responsionem, quæ videtur illius, reprobat manifestè, sicut quinquagesimo huius plenius recitatur.

Decima veritas, quantum ad vtramque eius partem, plane sequitur ex præmissis. Nam quantum ad partem affirmatiuam, ex quinta & sexta, quantum verò ad negatiuam ex septima sequitur euidenter. Et si quis obijciat, quod si esset potentia, quæ nullo modo posset exire in actum, illa esset penitus otiosa; quare si sit aliqua potentia, quæ aliquo modo non possit exire in actum, illa saltem illo modo est otiosa; ergo aliqua est potentia aliquo modo otiosa in Deo. Huic autem rationi posset quis instare magis forsan sophisticè quàm demonstratiuè, similiter arguendo; In Deo est potentia ad infinitam diuisionem continui in partes æquales, ad infinitam creationem quantitatum pedalium finitarum, ad inscribendum vel circumscribendum D infinitorum angulorum rectilineorum figuram æquilateram & æquiangulam circulo assignato, ad quantumcunque finitum continuum vel discretum potest creare creandum, quæ tamen ad actum educi non potest; Nam contradictionem includeret ita esse. Sed verius potest dici quòd potentia qua Deus potest pro nunc nolle positiuè quod vult nunc, quia est potentia rationalis, est eadem contrariorum, & ideo nunc est in actu, non tamen nolendi, sed volen- *Lincolniensis.* di: Vnde & Robertus Lincolniensis de libero arbitrio 8. contra istam possibilitatem arguit isto modo, Si hæc possibilitas est sine actu & cassa, non est deductibilis in actum. Qui infra 9. respondens, Verum est, inquit, quod possibilitas impossibilis ad actum deduci, nulla est possibilitas aut cassa est; & tamen possibilitas, qua Deus potest non scire, vel potuit non scire quod scit, aliqua est & cassa non est, quia est possibilitas rationalis & E eadem oppositorum, & vtrum oppositorum sit, in actum suum educitur, cum ad vtrumque sit vna & eadem. Veruntamen, vt videtur, istud non plane sedat animum opponentis; Intendit enim opponens, quod omnis potentia actiua nedum possit in aliquem actum exire, verum in quemlibet actum respectu cuius dicitur esse potentia, & quando seu pro quando dicitur esse potentia. Quare & quod potentia volutiua Dei vel hominis, quæ dicitur potentia nunc & pro nunc ad actum quem non habet nunc, possit pro nunc in illum; ideo propinquius accedendo

A dendo videtur dicendum, quòd potentia respectu alicuius actus, quando & quomodo est respectu illius, potest in illum exire, modo autem quo non est illius, nequaquam : potentia autem volutiua in Deo & in homine non est pro nunc potentia ad actum oppositum illius quem nunc habet, nisi possibilitate præcedente, & quantum est de ratione potentiæ nudè & absolutè consideratæ, seu de potentia absoluta aut non repugnantiæ, & sic potest, siue, vt acceptiùs animo dicatur, posset pro nunc in illum, sicut ex sexta veritate & quinta & earum ostensione apparet ; possibilitate verò sequente & determinata, actuata, seu ordinata per actum quem nunc habet, nequaquam ; imò sic necesse est potentiam illam pro nunc habere hunc actum, contrarioque carere. Adhuc forsitan opponendo quæritur, Nunquid potentia huiusmodi volutiua sit ante actum, vel cum actu. Hæc enim diuisio est per opposita, sicut Philosophi & omnes communiter attestantur. Non ante actum, quia in hoc instanti non est nec esse potest ante & post ; nec cum actu, quia actus non est. Hic autem potest, vt superiùs, B responderi, quòd illa potentia est cum actu, cum actu scilicet quem nunc habet : sed si loquatur de actu, respectu cuius dicitur potentia quem non habet, potest dici quod non est ante illum temporaliter nec cum illo, quia actus ille non est, sicut potentia volutiua hominis respectu A. actus, quem potest cras habere, sed non habebit : quare & illa diuisio memorata intelligenda videtur nequaquam de actibus possibilibus tantùm, sed solùm de actibus realiter præsentibus vel futuris : vel potest dici quòd est ibi quædam prioritas non actualis, sed habitualis, non temporalis, sed naturalis seu causalis, quâ illa potentia posset præcedenter producere illum actum, & talis prioritas & posterioritas irrepugnanter est simul simultate temporalis instantis.

Vndecima veritas sequitur ex quinta, sexta atque octaua. Si namque Deus aut creatura vult aut scit aliquid nunc, & nunc & pro nunc potest illud non velle, nec scire, & hoc non potest per mutationem inter terminos oppositos, de tali scilicet in non tale, quia non per C mutationem in volente aut sciente, nec in voluto aut scito, nec in aliquo tertio ; non per mutationem in volente aut sciente, sicut de Deo omnes concedunt, quod & quintum & vicesimum tertium primi docent. Rursum nec hoc est possibile fieri in Creatore, neque in creatura, per mutationem in ipso vel in ipsa præterita vel futura, sicut nullus ignorat, neque in præsenti instanti : illa enim necessariò esset inter terminos oppositos, de tali scilicet in non tale, seu de non tali in tale, sicut est necessariò omnis mutatio successiua vel subita. Nulla autem talis mutatio potest fieri in hoc præsenti instanti ; nam contradictionem euidenter includit, quòd de volente A in B. præsenti instanti, fiat in B. non volens A. in B. ; includit enim quòd idem in eodem B. præsenti instanti velit idem A. & non velit. Nec hoc est possibile, fieri permutationem in voluto vel in scito, quia non in voluto aut scito futuro, quod pro nunc potest non esse futurum, de quo maximè videretur : nam contradictionem formaliter implicat, quòd aliquid mutetur de non futuro in futurum, vel de futuro in non D futurum, nisi per positionem eius in esse, sicut decimum octauum huius ostendit. Nec hoc potest fieri per mutationem in voluto aut scito præsenti, hoc enim contradictionem includit, sicut superiùs in simili est ostensum ; nec in voluto aut scito præterito, sicut nullus ignorat, quod & potest ostendi, sicut ostendebatur superiùs de futuro : Nec etiam hoc est possibile fieri per mutationem in aliquo tertio, sicut quilibet animus concipit, cùm illud impertinens videatur. Item iste homo, qui in A. præsenti instanti est Londini albus & sedens, potest hac possibilitate in A non esse Londini albus, nec sedens, imò & in A. esse Romæ niger & stans, sicut ostensio quintæ monstrat, & non per mutationem aliquam, sicut nullus ignorat. Istam sententiam planè testatur Iohannes Scotus, sicut in ostensione quintæ veritatis apparet : Quam & tenet concorditer Henricus de Gandauo 5. de quodlib. quæstione quarta, opponens & respondens hoc *Henricus.* E modo ; Quod Deus vult, non potest non velle, quia aliter sua voluntas esset mutabilis. Dicendum quòd illa propositio, scilicet quod Deus vult non potest non velle, potest esse de re, & de dicto, diuisa vel composita ; si sit de dicto & composita, sic est vera ; si de re & diuisa, sic est sensus, quod Deus vult, &c. id est, Deus non habet potestatem de non volendo quod vult, quæ de virtute locutionis duplicem potest habere causam veritatis ; quarum vna est, Deus non habet potestatem qua aliàs nolit quod modo vult, quod verum est, quia talis potestas poneret in Deo possibilitatem in succedendo, circa Dei voluntatem, actum nolendi post actum volendi : sic enim esset mutabilis, vt procedit obiectio. Sed secundum istum sensum ista est falsa in sensu diuiso, Sedentem non sedere non est possibile, quia homo sedens nunc, postea potest actu non sedere : alia autem causa veritatis est, Deus non habet in se potentiam qua posset ipsi inesse noluntas eius

quod vult, quod falsum est, quia potestas in voluntate Dei circa esse actuale creaturarum, vt dictum est, nulla est necessitate determinata, imò quantum est de se, est ad vtrumlibet de volendo illud, & non volendo, nihil connotando de possibilitate vel non possibilitate succedendi, circa voluntatem Dei, actum nolendi post actum volendi, sed præcisam dicit possibilitatem ad vtrumque, quantum est de natura diuinæ voluntatis; & in isto sensu, illa similiter est falsa in sensu diuiso, Non sedentem non est possibile non sedere; nec ponit talis potentia aliquam mutabilitatem. Sicut enim ad actualem mutationem duo requiruntur, scilicet potentia simpliciter ad contrarium eius quod nunc inest, & actualis successio vnius eorum post alterum; sic ad mutabilitatem duo requiruntur, scilicet potentia dicta, & potentia ad actualem successionem, vt scilicet ea potentia, qua aliquid est ad vtrumlibet, sit potentia ad successionem vnius post alterum, quod circa voluntatem Dei nullo modo potest contingere, quare neque mutabilitas, licèt in aliquo sensu possit non velle quod vult, & ideo illud nullo modo de necessitate velit. Vnde de eo quod semper voluit ab æterno & vult, & volet, simul ab æterno habuit, & habet, & habebit potestatem de non volendo, & potuit ab æterno non voluisse vel noluisse ab æterno, & potest nunc non velle, & poterit in æternum non velle, vel non velle in æternum, & hoc absque omni sui mutabilitate. A B

Pro duodecima veritate sciendum quòd potentia actuabilis dici potest non illa penitus absoluta, & non repugnantiæ supradicta, sed illa, quæ ad communem modum intelligendi & loquendi dicitur posse exire in actum, quâ dicitur de sedente, quòd potest stare, de existente Londini, quòd potest esse Romæ, & similia. Hæc autem duodecima taliter intellecta ex tricesimo secundo huius cognoscitur euidenter.

Tertia decima veritas ex priùs ostensis isto capitulo consequitur manifestè. Ostensum est enim superiùs, quòd omnis actio Dei intrinseca mensuratur æternitate, in qua nihil prius aut posterius, nec aliqua mutabilitas est omninò, & quòd omnis actio eius intrinseca est immutabilis intrinsecè omniquaque, & quòd nulla eius actio aliter & aliter intrinsecè, puta liberè & non liberè secundum prius & posterius sese habet; quare nec aliqua eius volutio prius, puta ante præsentiam seu præteritionem rei est magis libera quam post, facta scilicet re præsente in præteritumuè delapsa, nec minus libera post quàm ante, nec minus libera ante, & magis post propter eandem rationem, quod & nullus ignorat; quare semper æqualiter libera, immutabiliter, intrinsecè perseuerat. Item licèt in volutione diuina sit necessitas sequens, est tamen in ea contingentia, & libertas contradictionis à necessitate præcedente, sicut quarto huius & quinto erat ostensum, quæ semper manet æqualis re voluta, primò futurâ, deinde præsenti, & tandem præterita: nam cognitio incomplexa seu simplex rei in Deo & eius potentia volutiua, & omnia causaliter præuia actui voluntatis æternaliter permanent æquè potentia, æquè causantia, æquè agentia illum actum. Hoc etiam rationes tricesimi huius ostendunt; aliàs etenim Deus æternus intrinsecè mutaretur, imò & insanibiliter vulneraretur, incurabiliter mutilaretur, ac irresuscitabiliter mactaretur, sicut rationes & autoritates eiusdem tricesimi manifestant. Quare & bene dicit Philosophus, quòd voluntas diuina seu Deus volens est lex immobilis cuncta mouens, & nobis æquè declinans, æquè igitur libera semper manet: Quare & subiungit, Nullam recipiens corruptionem, directionem, aut transpositionem, sicut idem tricesimum plenius allegauit; Cui & concordat Auicenna ibi similiter allegatus. Porro quis libertatis diuinæ furetur aut rapiat vel minimam portionem? Quis insuper præsumet efficere nouiter Deum suum non summè, sed remissè liberum; non summè, sed remissè perfectum; non summè, sed remissè potentem, quare non omnipotentem? Quis, inquam, sic præsumet omnem rationem infatuare, omnem fidem falsare, & omnia symbola irritare? Aliàs etiam res posterior voluta diuinam minueret libertatem, & ipsam nouellæ subijceret seruituti; quare & illa libertas posset totaliter adimi & auferri, quæ omnia nulli est dubium esse falsa, sicut ex eodem tricesimo plenius potest sciri. Item libertas diuina non est magis ancilla vel serua, quàm libertas humana, sed ipsa est æqualis respectu futuri, præsentis, atque præteriti. C D *Philosophus.* E

Quarta decima veritas, decimæ tertiæ soror simillima, per ipsam & ostensionem ipsius cognosci poterit manifestè. Sicut enim in voluntate seu volutione humana est æqualis necessitas respectu voluti futuri, præsentis, vel præteriti, sic & in diuina, quoniam nullo modo augetur extrinsecè ab extra, ex præsentia scilicet seu præteritione rei, nec ab intra, cùm Deus æternus sit immutabilis intrinsecè omniquaque. Denique non est ibi

A ibi necessitas nisi sequens ex firmitate & stabilitate actus voluntatis diuinæ, sicut ex quinquagesimo huius patet; sed actus ille semper intrinsecè permanet æqualiter stabilis, æquè firmus, sicut potentia volutiua, & cætera intrinseca ipsi Deo. Hæc etiam per huius trigesimam ostenditur manifestè. Porrò causam erroris contrarij puto esse ignorantiam æternitatis, & imaginationem, qua forsan aliqui homines temporales imaginantur & æstimant volutionem & cognitionem Dei intrinsecam secundum volumina temporum, & rerum temporalium intrinsecè variari, sicut actiones & res alias temporales. Opinantur enim res esse quandoque futuras, quandoque præteritas intrinsecè apud Deum, quare & quod alias & alias sint aliter & aliter apud eum, quod tamen æternitatis indiuisibilissimæ, immutabilissimæ, stabilissimæque instanti repugnat, sicut patet ex isto, & quinquagesimo primo huius. Igitur iuxta præmissa de æternitate istis capitulis, vt de instanti temporis notiori ad instans æternitatis ignotius ascen-
B damus, videtur imaginandum verisimiliter isto modo, quasi Deus in instanti creationis mundi in quo supponamus nos esse, quod nulla successio præcedebat, nec aliqua sequeretur existens in centro lineæ circularis, ab oriente per meridiem & occidentem ad orientem reflexæ per suam efficacissimam voluntatem exeuntem quodammodo per singulas semidiametros ad singula puncta circumferentiæ, omnia secundum veritatem præsentia, pręterita, & futura secundum prius & posterius in tempore nunc simul crearet secundum prius & posterius in linea correspondenter priori & posteriori in tempore, initium lineę in oriente ponendo; Sicut igitur, si sic esset, res istæ creatæ secundum prius & posterius in linea haberent similem ordinem inter se & apud Deum nequaquam, sed omnes ad eum, ac ipsę ad omnes æqualiter se haberent: Sic & modo res istę temporales secundum prius & posterius in tempore similem ordinem sortiuntur ad inuicem comparatæ; apud Deum verò in simplicissimo, & vnicissimo instanti æternitatis nequaquam, sed ibi omnia temporaliter præterita, præsentia, & futu-
C ra, nedum præsentia, verum æquè præsentia semper manent; Nihil ibi oritur, nihil moritur, nihil ibi futurum, nihil præteritum, sed instantissimè tantum præsens, sicut istud capitulum & proximum manifestant. Vnde & Hermes de Mundo & Cœlo 2°. sic ait, Sicut ad centrum circulus, sic ad æternitatem consistit mundus temporarius. Quare & si esset realiter, sicut imaginatio ista supponit, sicut voluntas diuina esset contingens & libera, imo æquè contingens & æquè libera libertate contradictionis & à necessitate præcedente, & necessaria, ac æquè necessaria necessitate sequente respectu voluti cuiuscunque prioris vel posterioris situaliter ad inuicem, sed apud Deum nequaquam: sic est & modo respectu voluti cuiuscunque prioris vel posterioris temporaliter ad inuicem; apud Deum autem in instanti æternitatis præsentis & æquè præsentis. Quomodo autem res omnes dicantur præsentes æternaliter apud Deum, & esse in eo, viuereque in eo, licet decimum quartum huius exponat, adhuc propter tardiusculos forsitan planius exponendum: Hoc siquidem reputo dici causaliter se-
D cundum illam tropi figuram vigesimo sexto secundi expositam, quâ effectus denominatur quandoque nomine causæ suæ, secundum quam & Philosopus 4. Phys. 23. dicit, quod aliquid dicitur esse in aliquo, sicut causatum in causa, puta quæ subditorum in Rege, & omninomotum in primo motiuo, quod & secundum eum ibidem est verum de causatis causæ formalis similiter & finalis; & quia secundum eundem 12. Metaphys. & Auerr. ibi comment. 6. Deus se habet in hoc triplici genere causæ ad res omnes, possunt res omnes dici esse in Deo tanquam in causa efficiente, quia omnia facit & creat, tanquam in causa formali, quia omnia format & in esse conseruat; & tanquam in causa finali, quia omnia disponit, perficit & consummat. Quapropter & Hermes de verbo æterno 38. Omnia, inquit, ab ipso, & in ipso, & per ipsum: quod &, vt puto, sensit Apostolus ad Rom. 11. quando dixit, Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Vnde & Hesteræ 13. Domine in ditione tua cuncta sunt posita. Dicuntur igitur res omnes esse præsentes æternaliter apud Deum, quia causæ rerum,
E scilicet cognitio & volutio Dei sunt præsentes æternaliter apud eum. Secundum hanc etiam figuram dicit Apostolus ad Hebr. 7. quod Leui erat in lumbis patris sui, scilicet Abrahæ, quando obuiauit ei Melchisedech, qui tamen ipsum generatione tertia sequebatur. Istam autem sententiam videtur sentire Moses, imò Dominus per Mosem, Deut. 32. cùm dicit; Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis? Dicitque Propheta, imò Dominus per Prophetam, Pulchritudo agri mecum est, Psalmo 49. Super quod Augustinus, Pulchritudo agri, vbertas omnium gignentium in terra mecum est. Quomodo cum illo? cum illo erant omnia futura, & cum illo sunt omnia futura, & non ei detrahuntur omnia præterita, cum illo sunt omnia cognitione quadam ineffabilis sapientiæ Dei in verbo constituta. Melius autem secundum istam figuram dicuntur res non fuisse, nec fore, sed esse præsentes causaliter secundum volutionem & cognitionem diuinam æternaliter apud Deum, quia istis causis nihil

Hermes
Philosophus
Hermes.
Apostolus.
Hester.
Apostolus.
Deuteron.
Propheta.
Augustinus.

nihil penitus accidit, vel recedit quasi futurum vel præteritum, accedentibus vel recedentibus ipsis rebus causatis, sed omnino similiter & nullo modo aliter intrinsecè cognoscit Deus & vult rem primò futuram, deinde præsentem, & tandem præteritam; quare & res omnes nedum præsentes, sed æquè præsentes apud Deum æternaliter dici possunt. A

Apostolus. Vnde Apostolus ad Romanos quarto, Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, id est, omnino similiter, nec dissimiliter intrinsecè quouismodo. *Glossa.* Glossa; sic ea, quæ futura sunt, iam apud Deum sunt, Apud Deum iam quippe factum est, quod eius dispositione, vel prædestinatione futurum est; Vnde alibi, Qui fecit quæ futura sunt. *Ecclesiasticus.* Quare & Ecclesiasticus vigesimo tertio, Deo, inquit, antequam crearentur, omnia sunt agnita, sic & post perfectum respicit omnia: *Augustinus.* quod secundum expositionem præmissam intelligens Augustinus 15. de Trinitate 13. dicit, quod Deus non aliter sciuit creata quàm creanda: Non enim eius sapientiæ aliquid accessit ex eis, sed illis existentibus ille mansit vt erat. B Ita enim scriptum est in Ecclesiastico, Antequam crearentur, omnia nota sunt ei, sic & postquam consummata sunt, sic, inquit, non aliter: Qui & 5. super Genesin ad literam 18. loquens de factis à Deo, sic ait, Antequam fierent, & erant; & erant, & non erant; Erant in Dei scientia, non erant in sua natura. Ipsi autem Deo non audeo dicere alio modo innotuisse cùm ea fecisset, quam illo modo, quo ea nouerat vt faceret, apud quem non est commutatio, nec momenti obumbratio. Simili etiam ratione æstimo rectè dici, præterita, præsentia, & futura fuisse, seu esse vitam in Deo, quia quatenus sunt ibi, nullo modo penitus moriuntur; Nullus enim modus intrinsecus cognitionis aut volutionis diuinæ moritur moriuè potest; Quare & secundum Apostolum, Solus Deus habet immortalitatem, id est, immutabilitatem intrinsecus omniquaque, sicut trigesimum huius plenius exponebat. *Iohannes.* Vnde Ioan. 1. Quod factum est, in ipso vita erat, seu est, secundum translationem, quam Augustinus exponit: Super quod homilia 1. sic ait, Quid est hoc, Facta est terra, sed ipsa non est vita? est autem in ipsa sapientia spiritualiter ratio quædam qua terra facta est, hæc vita est: quo ostenso per exemplum de fabro & arca, concludendo subiungit; Sic ergo, quia sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia antequam fabricet, omnia hic quæ fiunt per ipsam artem non continuo vita sunt, quia non in sua natura, sed quicquid factum est, vita est in illo. C Qui & 5. super Gen. ad lit. 15. Hæc, inquit, omnia postquam fierent, erant in notitia facientis, & vtique ibi meliora vbi veriora, vbi æterna & incommutabilia. Porrò, si nouerat ea priusquam faceret ea, profectò priusquam fierent, apud illum erãt eo modo nota, quo sempiterne atq; incommutabiliter viuunt & vita sunt, facta autem eo modo quo vnaquæque creatura in suo genere est: *Augustinus.* & 1. Confess. 6. Tu Domine semper viuis, & nihil moritur in te; Apud te rerum omnium instabilium stant causæ, & rerum omnium mutabilium immutabiles manẽt origines, & omnium irrationabilium & temporalium sempiternę viuunt rationes. Hanc autem sententiam Parmenides, Plato, Aristoteles, & Ammonius contestantur. *Ammonius.* Scribit enim Ammonius super 1. peri hermenias vlt. isto modo, vt Timęus nos docuit, & vt Aristoteles Theologizans pronuntiat, & ante hos Parmenides tam apud Platonem quàm in proprijs carminibus, nihil est apud Deos neque præteritum, neque futurum, quoniam vtrumque horum est non ens; hoc quidem non amplius, hoc autem nondum; & hoc quidem transmutatum, hoc autem natum transmutari; D Dij verò ‖ *Dij autem verè* existunt, & transmutationem, neque secundum intellectum sustinere est possibile; pręcedere quidem necesse penitus quod impermutabile est, illud quod qualitercunque transmutatur, & vt maneat quod transmutatur; Quare in Dijs habentibus rationem principij ad entia pręteritum & futurum considerari impossibile est, sed omnia apud ipsos sunt in vno nunc ęterno fixo, temporalibus mensuris simul cum subsistentia ipsius totius emergentibus & mensurantibus illa sola, quæ secundum tempus habent aut subsistentiam, aut operationem. Et infra, Non vtique sustinebimus quod dicatur simul cum fluxu rerum Deorum cognitionem decurrere, neque esse aliquid apud ipsos aut præteritum aut futurum, neque dici de ipsis, E Erat, vel erit, vt in Timæo assumpsimus; cùm sint significatiua cuiusdam transmutationis; Solum autem ipsum est, & hoc non ipsum quod connumeratur cum ipso erat, & cum erit, & condiuiditur cum ipsis; sed quod intelligitur ante omnem temporalem insinuationem, & quod significat ipsorum inuertibilitatem & indecidentiam; quod quidem & magnus Parmenides cum intellectuali in esse denuntiat; Non enim erat, neque erit, est autem solum. Hanc autem imaginationem præmissam, quasi Deus simul crearet omnia in instanti, & quasi omnia futura & præterita essent instantaneè præsentia apud ipsum, & quod eius volutio atque cognitio similem & æqualem necessitatem nunc habent, sicut tunc haberent, ostensa nunc proximo confirmare videntur; *Ecclesiast.* quam & licet obscurè videtur Ecclesiasticum protulisse; qui quadragesimo secundo sic ait, Cognouit Dominus omnem scientiam, & inspexit in signum

æui,

A æui, annuntians quæ præterierunt, & quæ superuentura sunt, reuelans vestigia sæculorum. Non præterit illum omnis cogitatus, & non abscondit se ab eo vllus sermo; Magnalia sapientiæ suæ decorauit, quæ est ante sæculum & vsque in sæculum; neque adiectum est, neque minuetur, & non eget alicuius consilio. Quam desiderabilia sunt omnia opera eius, & tanquam scintilla quæ est considerare; omnia hæc viuunt & manent in sæculum, & in omni necessitate omnia obaudiunt ei. Quam & Augustinus 4. de Trinitat. 1. clarius exponendo, sic ait; Vnum est Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, quod est incommutabilis veritas; Ibi principaliter atque incommutabiliter sunt omnia simul non solum quæ nunc sunt in hac vniuersa creatura, verum & quæ fuerunt, & quæ futura sunt: ibi autem nec fuerunt, nec futura sunt, sed tantummodo sunt, & omnia vita sunt, & omnia vnum sunt, & quod magis mirum est, & vna est vita: Sic enim omnia per ipsum facta sunt, vt quicquid factum
B est in his, in illo vita sit, & facta non sit. Qui & 2. ad Simplicianum decimo septimo agens de pœnitentia & præscientia Dei ait, Cùm aliquis liquidiore consideratione ista pertractans quæsierit quemadmodum vel ipsa præscientia Deo congruat, & inuenerit etiam verbi huius notionem illius ineffabili diuinitate longè latè superari, non mirabitur vtrumque de illo propter homines dici potuisse, de quo vtrumque propter ipsum incongruè diceretur. Quid enim est præscientia, nisi scientia futurorum? quid autem futurum est Deo, qui omnia tempora supergreditur? Si enim scientia Dei res ipsas habet, non sunt ei futuræ sed præsentes, ac per hoc iam non præscientia, sed tantum scientia dici potest: Si autem, sicut in ordine temporalium creaturarum, ita & apud eum nondum sunt quæ futura sunt, sed ea præuenit faciendo; ergo ea sentit, vno quidem modo secundum futurorum præscientiam, altero verò secundum præsentium scientiam; Aliquid ergo temporaliter accidit scientiæ Dei, quod absurdissimum atque falsissimum est: Reditur igitur ad id, vt fiat iam
C præsentibus scientia, quæ iisdem rebus futuris erat præscientia, & cùm ea quę præscientia erat prius, postea scientia fiat in Deo, admittat mutabilitatem & temporalis sit, cum Dei, qui verè summeque est, nec vlla ex parte sit mutabilis, nec vllo motu notio temporalis. Et sequitur decimo octauo, Si ita est in Deo, vt possit propriè dici, Intelligit & intellexit, sentit & sensit, admittit tempus, & surrepit nihilominus illa mutabilitas, quæ longe à Dei substantia remouenda est; & tamen & scit Deus, & præscit Deus ineffabili modo; sic enim & pænitet ineffabili modo. Et sequitur 19. Cùm dempsero de humana scientia mutabilitatem, & quicquid imperfectum est, & reliquero solam viuacitatem certæ atque inconcussæ veritatis vna atque æterna contemplatione cuncta lustrantis; Imò non reliquero (Non enim habet humana scientia) sed pro viribus cogitauero, insinuatur mihi vtcunque scientia Dei. Quam & confirmat Anselmus de Concord. 7. Sciendum est, inquiens, quia sicut præscientia non in Deo dicitur propriè, Ita nec prędestinatio, quia illi nec ante nec post aliquid est, sed
D omnia sunt illi simul præsentia. Qui & de casu diaboli 21. dicit, quod desertor Angelus non potuit scientia certæ rationis præscire se casurum, quia potuit non fuisse casurus; & obiecto per discipulum de præscientia Dei & rebus liberi arbitrij, Breuiter, inquit, respondeo, Præscientia Dei non propriè dicitur præscientia: Cui enim semper sunt omnia præsentia, non habet futurorum præscientiam, sed præsentium scientiam; ergo cùm alia sit ratio de præsentia futuræ, quam de præsentis rei scientia, non est necesse diuinam præscientiam, & illam de qua quærimus eandem habere consequentiam. Quam & Boetius 5. de Consolatione Philosophiæ prosa vltim. clarissimè || *exprimendo*, Scientia, inquit, eius omnem temporis supergressa motionem in suæ manet simplicitate præsentiæ, infinitaque præteriti ac futuri spacia complectens, omnia quasi iam gerantur in sua simplici cognitione considerat. Itaque si præsentiam pensare velis, qua cuncta dignoscit, non esse præscientiam quasi futuri, sed scientiam nunquam deficientis instantiæ rectius æstimabis: Qui ex isto in-
E fert consequenter in Deo necessitatem sequentem, sicut pręsens capitulum & quinquagesimum huius plenius recitauit. Quem & Iohannes Scotus sequendo, super 1. sent. dist 40ª. sic quærit, arguit, & respondet; Quæro vtrum prædestinatus possit damnari, Quod non; Omne pręteritum est simpliciter necessarium; sed prędestinatio huius prędestinati transijt in præteritum, quia Deus prędestinauit illum ab ęterno. Et infra, Ad 1um argumentum dico, quod argumentum procedit ex falsa imaginatione, cuius imaginationis intellectus iuuat ad intelligendum veritatē propositę quęstionis. Si enim per impossibile intelligeremus Deū adhuc non determinasse voluntatem suam ad alteram partem, sed quod deliberaret vtrum vellet istū prędestinare vel non, bene posset intellectus noster capere quod contingenter ipsum prædestinaret vel non prædestinaret, sicut apparet in actu voluntatis nostræ; sed quia semper recurrimus ad actum voluntatis diuinæ quasi præteritum, ideo quasi comparamus libertatem in volun-

tate

Augustinus.

Boetius.

||exponēdo

Scotus.

tate illa ad actum, quasi iam sit positus à voluntate; sed illa imaginatio falsa est: Illud enim A
nunc æternitatis, in quo est iste actus, semper præsens est, & ita intelligendum est de voluntate diuina siue volutione eius vt est eius obiecti, sicut si per impossibile nunc inciperet Deus habere velle in isto nunc, & ita liberè potest Deus in nunc æternitatis velle quod vult, sicut si ad nihil esset voluntas sua determinata; Tunc dico ad formam argumenti, quod prædestinatio huius non transijt in præteritum: Licet enim ipsa coexstiterit prçteritis quç transierunt, non tamen ipsa præterijt, sed alia præterierunt, quæ coexstiterunt sibi. Vnde sicut dictum fuit dist. 9ª. Verba diuersorum temporum dicta de Deo, prout verissimè competunt sibi, non significant partes temporis mensurantis illum actum, sed consignant nunc æternitatis, quasi mensurans istum actum in quantum coexistens illis pluribus partibus temporis, & ideo idem est Deum prædestinare, prædestinasse, & prædestinaturum esse, & ita contingens vnum sicut B
aliud, quia nihil est ibi nisi nunc æternitatis mensurans illum actum, quod nec est præsens,
Thomas. nec præteritum, nec futurum, sed coexistens omnibus istis. Quem etiam Sanctus Thomas super 1. sent. dist. 38ª. quæstione 5ª. planissimè sequitur & allegat, Deus, inquiens, ab æterno ipsum esse rei intuebatur; quod qualiter sit euidenter docet Boetius in libro de Consolatione. Omnis enim cognitio est secundum modum cognoscentis vt dictum est; Cùm igitur Deus sit ab æterno, oportet quod cognitio eius æternitatis habeat modum, qui est totum esse simul sine successione; Vnde sicut quamuis tempus sit successiuum, tamen æternitas est præsens omnibus temporibus, vna & eadem indiuisibilis vt nunc stans, ita cognitio sua intuetur omnia temporalia, quamuis sint succedentia, vt præsentia sibi, nec aliquid eorum est futurum respectu ipsius, sed vnum respectu alterius. Et infra super dist. 40ª. Illud quod mensuratur æternitate, est simul cum omni tempore, ita tamen quod nullo illorum mensuratur; & ideo actus diuinæ præscientiæ non potest poni in esse nunc, vt quasi mensuratus per præsens tempus, vt ordinem præsentis temporis ad futurum ad suum scitum habeat, sed ad omne C
tempus & omne scitum habeat ordinem præsentis ad præsens, vt cùm dicitur, Deus præscit hoc, non intelligitur quod hoc sit futurum respectu diuinæ scientiæ, sed respectu huius temporis in quo refertur; & ideo oportet huiusmodi verba & participia, dicta de Deo, à determinatione temporis absoluere, vt consignificent nunc æternitatis & non temporis; alias ineuitabiliter
Thomas. sequeretur error. Quod primi contra Gentiles 66. declarat per exemplum concordans imaginationi præmissæ, Cuilibet, inquiens, tempori vel instanti temporis præsentialiter adest æternitas, cuius exemplum vtcunque in circulo est videre. Punctum enim in circumferentia signatum, etsi indiuisibile sit, non tamen cuilibet puncto alij secundum situm coexistit simul; Ordo enim situs continuitatem circumferentiæ facit; Centrum verò, quod est extra circumferentiam, ad quodlibet punctum in circumferentia signatum directè oppositionem habet: Quicquid igitur in quacunque parte temporis est, coexistit æterno quasi prçsens eidem, etsi respectu alterius partis temporis sit præteritum vel futurum, æter- D
no autem non potest aliquid præsentialiter coexistere nisi toti, quia successionis durationem non habet; quicquid igitur per totum discursum temporis agitur, diuinus intellectus in tota
Thomas. sua æternitate intuetur quasi præsens. Qui & infra 67. ita scribit, Cùm dicimus Deus scit, aut sciuit hoc futurum, medium quoddam actuari inter diuinam scientiam & rem scitam, scilicet tempus, in quo est locutio, respectu cuius id quod à Deo scitum dicitur, est futurum, non respectu diuinæ scientiæ est futurum, quæ in momento æternitatis existens ad omnia præsentialiter se habet, respectu cuius si tempus locutionis de medio subtrahatur, non est dicere, hoc esse cognitum quasi non existens, vt locum habeat quæstio qua quæritur, An possit non esse, sed sic cognitum diceretur à Deo vt iam in sua essentia visum, quo posito, non remanet prædictæ quæstioni locus, quia quod iam est, non potest, quantum ad illud instans, non esse: Deceptio igitur accidit ex hoc, quod tempus, in quo loquimur, coexistit æternitati, vel etiam tempus præteritum, quod designatur, cùm dicitur, Deus sciuit; Vnde ha- E
bitudo temporis præteriti vel præsentis ad futurum æternitati attribuitur, quod omnino ei
Lincolniensis. non competit, & ex hoc accidit secundum accidens falli. Quem insuper Robertus Lincolniensis secutus, de libero arbitrio 3. ita scribit, Dum sedeo, necesse est me sedere, & postquam sedi, necesse est me sedisse; sed quam comparationem habent hæc dicta, me sedere, & me sedisse ad meam sessionem dum sedeo & postquam sedi, eandem comparationem habet scientia Dei ad meam sessionem futuram, antequam sedeam: Ipse enim scit futura tanquam præsentia, nec aliter scit ea cùm sint futura, & cùm sint præsentia vel præterita; ergo omni simili modo, quo necesse est Deum scire res cùm sint, vel præteritæ sint, necesse est eum scire easdem antequam sint; sed cùm res sunt, vel præteritæ sunt, habet eius scientia ne-
Lincolniens. cessitatem consequentem; ergo & eandem habet antequam res eueniant. Et infra 5. Deus scit

A ſcit omnia vnico indiuiſibili ſimplicique conſpectu æternaliter, ſemper, ſimiliter, immutabiliter. Patet enim ex iam dictis, quòd quam comparationem habent hæc dicta, me ſedere & me ſediſſe ad meam ſeſsionem dum ſedeo & poſtquam ſedi, eandem comparationem habet ſcientia Dei ad meam ſeſsionem cras futuram antequam ſedeam : ipſe enim ſcit futura tanquam præſentia, nec aliter ſcit ea cùm ſunt futura, & cùm ſunt præſentia vel præterita ; ergo omni || *eodem* modo, quo neceſſe eſt Deum ſcire res cùm ſunt, vel cùm præteritæ ſunt, neceſſe eſt eum ſcire eaſdem antequam ſint ; ſed cùm res ſunt, vel præteritæ ſunt, habet eius ſcientia neceſsitatem conſequentem ; ergo & eandem neceſsitatem habet antequam res eueniant. Hanc etiam præſentaneam ſemper inſtantiam æternitatis prædictam in Deo, omnimodamque ſtabilitatem ac immutabilitatem in eo, ſecundum quemlibet modum ſuum intrinſecum, ipſemet Deus innuit & teſtatur, Ego, inquiens, ſum qui ſum, ſic dices filijs Iſrael, Qui eſt, miſit me ad vos, Exod. 3. qui & Iohan. 8. Antequam, inquit, *Lincolnienſis* || ſimili *Exodus.*

B Abraham fieret, ego ſum : & concordanter Propheta, Priuſquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à ſæculo & vſque in ſæculum tu es Deus, Pſalmo 89. & infra 92. A ſæculo tu es ; & inferiùs 101. Sicut opertorium mutabis eos & mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Et Apoſtolus 1. ad Timotheum 6. Solus habet immortalitatem. Huiuſmodi ſiquidem Autoritatum huiuſmodi intellectum || *euidenter* teſtantur expoſitiones authenticæ, primo & quinto primi præmiſſæ, quibus & paucas alias hîc adiungam. Beatus igitur Auguſtinus ſuper illud Pſalmi 89. præmiſſum, ſic ait ; Optimè autem non ait, A ſæculo tu fuiſti, aut vſque in ſæculum tu eris, ſed præſentis ſignificationis verbum poſuit, inſinuans Dei ſubſtantiam omni modo incommutabilem, vbi non eſt fuit, nec erit, ſed tantùm eſt ; vnde dictum eſt, Ego ſum qui ſum, &, Qui eſt, miſit me ad vos ; &, Mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Ecce quæ æternitas facta eſt nobis refugium, vt in ea manſuri, ad eam de hac temporis mutabilitate *Iohannes.* *Propheta.* *Apoſtolus.* || ſatis

C fugiamus ; Qui & ſuper illud Pſalmi 101. adductum, Speremus, inquit, venturos nos ad hos annos ſtantes in quibus non circuitu Solis peraguntur dies, ſed manet quod eſt ſicuti eſt, quia hoc ſolum verè eſt. Et ſupra eodem ſuper illud, In generatione & generationem, ſeu, ſicut habet Auguſtinus, in generatione generationum anni tui, Non aliud, inquit, anni Dei, & aliud ipſe ; ſed anni Dei æternitas Dei eſt, æternitas Dei ipſa eius ſubſtantia eſt, quæ nihil habet mutabile, vbi nihil eſt præteritum quaſi iam non ſit, nihil eſt futurum quaſi nondum ſit : non eſt ibi niſi eſt, non eſt ibi fuit, & erit ; quia & quod fuit iam non eſt, & quod erit nondum eſt, ſed quicquid ibi eſt non niſi eſt. Meritò ſic miſit Deus famulum ſuum Moſen, qui ſciuit nomen mittentis ſe, & ille indicans ſe immortalem mortali, æternum temporali, Ego, inquit, ſum qui ſum. Qui & 5. ſuper Geneſin ad literam 16. Illa æterna incommutabiliſque natura, quæ Deus eſt, habet in ſe vt ſit, ſicut Moſi dictum eſt, Ego ſum qui ſum, longè aliter quàm ſunt iſta quæ facta ſunt ; quando illud verè ac primitus eſt, quod eodem modo ſemper eſt,

D nec ſolùm non commutatur, ſed commutari omninò non poteſt. Cui & concordanter Gregorius 18. Moral 31. ſuper illud Iob 28. Nec commemorabuntur in comparatione eius, Propheta, inquit, eius incommutabilitatem eſſentiæ contemplatus, ait, Omnia ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos & mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient : Hinc ad Moſem dicitur, Ego ſum qui ſum, & dices filijs Iſrael, Qui eſt miſit me ad vos, ſolus quippe veraciter eſt, qui ſolus incommutabiliter permanet. Nam omne quod modò ſic eſt, modò aliter eſt, iuxta non eſſe eſt : permanere enim in ſtatu ſuo non poteſt, atque aliquo modo ad non eſſe itur, dum ab eo quod fuerat ſemper ad aliud per momenta temporum ducitur. *Gregorius.*

Quinta decima patenter cognoſcitur per quintam & ſextam & oſtenſiones earum, quæ & per decimam tertiam concluditur manifeſtè. Si namque ſecundum decimam tertiam voluntas diuina ſit æquè libera & contingens intrinſecè reſpectu præſentium & præteritorum, ſicut

E reſpectu futurorum, & futura poſſet & poteſt poſsibilitate de qua decima quinta loquitur, nunc & ſemper in futurum non velle & nunquam in præterito voluiſſe : aliàs enim per decimum primi omnia futura neceſſariò ſimpliciter euenirent, quod duodecimum huius damnat; poſſet & poteſt ſimiliter præſentia & præterita vniuerſa. Hæc etiam per decimam quartam demonſtratur ; ſi namque, vt decima quarta aſſerit, voluntas diuina ſit æquè neceſſaria reſpectu futurorum, ſicut reſpectu præſentium & præteritorum, & futura poſſet & poteſt (poſsibilitate huius decimæ quintæ) nunc & ſemper in futurum non velle, & nunquam in præterito voluiſſe ; poſſet & poteſt ſimiliter præſentia & præterita vniuerſa. Hanc etiam atteſtatur dictum Gandauenſis in oſtenſione vndecimæ veritatis, ſuperiùs recitatum.

Sexta decima infertur ex ſeptima manifeſtè, quam & decima tertia ac decima quarta & oſtenſiones

ostensiones earum ostendunt, hoc adiuncto, quòd Deus non potest tali potentia non velle A
præsentia, neque non voluisse præterita; quia necesse est necessitate opposita, id est, sequente Deum velle præsentia, & præterita voluisse, sicut ex isto capitulo & quinquagesimo huius patet.

Septima decima quantum ad vtramque partem affirmatiuam & negatiuam correspondenter cognoscitur per decimam quintam & decimam sextam loco à simili adiuuante.

Decima octaua, quantum ad duas partes primas ex 15. & 16. quantum ad duas residuas ex duabus partibus decimę septimę correspondenter infertur, cùm nihil faciat vel non faciat, nisi quod vult aut non vult, testantibus nono & decimo primi libri. Per hanc autem, vt spero, possunt solui obiecta de possibilitate Dei non faciendi quæ faciet, facit, aut fecit, aliterque & alia faciendi: Per hanc etiam potest vitari error Abelardi, & articulus Parisiensis damnatus, pro quorum intelligentia pleniori parùm altiùs ordiendum. Porro Patrum scripturas diligentiùs intuendo, euidenter apparet, quòd triplex fuit necessitas erroneè posita circa Deum, B
& circa actiones Dei ad extra, quæ omnes ad necessitatem naturæ pariter reducuntur. Quidam namque dixerunt quòd quicquid Deus agit ad extra, agit ex necessitate suæ essentiæ, sicut agentia irrationalia, vt lux splendorem & ignis calorem. Alij posuerunt quòd quicquid Deus agit ad extra, agit ex necessitate suæ scientiæ, eò quòd per suam scientiam comprehendit ordinem meliorem possibilem in rebus, cui necessariò se conformat secundum suam scientiam operando. Tertij crediderunt, quòd quicquid Deus agit ad extra, agit ex necessitate suæ voluntatis, || *quia* per suam scientiam comprehendit ordinem meliorem possibilem in entibus vniuersis, & voluntas perfectissima & optima simili scientiæ necessariò se conformat secundum eius dictamen interius, exterius operando. Hos autem tres errores de ista necessitate recitat Henricus de Gandauo 5. de quodlib. quæstione quarta, quos & Auicennæ imponit. Similes quoque errores imponit Sanctus Thomas quibusdam Philosophis & etiam Theologis, puta Petro Abelardo, in quæstionibus de potentia Dei, quæstione 5. quærente, Vtrum C
Deus possit facere quæ non facit, & dimittere quæ facit, vbi respondendo sic ait; Dicendum quòd hic error, scilicet ponere Deum non posse facere nisi quæ facit, duorum fuit: Primò, quorundam Philosophorum dicentium Deum agere ex necessitate naturæ; quod si esset, cùm natura sit determinata ad vnum, diuina potentia ad alia agenda se extendere non posset quàm ad ea quæ facit. Secundò fuit quorundam Theologorum considerantium ordinem diuinæ iustitiæ & sapientiæ, secundum quem fiunt à Deo res, quem Deum præterire non posse dicebant, & ideo incidebant in hoc, vt dicerent, Deum non posse facere nisi quæ facit: & imponitur hic error Magistro Petro Abelardo. Patet igitur quòd iste Petrus intelligit ea solummodò Deum posse facere vel dimittere quæ facit, quantum est de ratione suæ potentiæ naturalis, & de sua potentia nudè & absolutè accepta, ita quòd illa non se posset extendere ad alia facienda, seu alia dimittenda, quia eius potentia volutiua non se posset efferre in aliud vllo modo; quare & quòd facit & dimittit quæcunque necessitate naturæ & simpliciter absoluta, quod D
& alia verba sua indicant manifestè. Recitat enim Bernardus, vbi fuerat allegatus, dicta eius similia in hæc verba; Hac ratione, qua conuincitur quòd Deus Pater tam bonum genuit Filium quantum potuit, cùm videlicet aliter reus esset inuidiæ, clarum est & omnia quæ facit, quantum potest egregia facere, nec vllum commodum quod conferre possit, subtrahere velle. Et post pauca, In tantum in omnibus quæ Deus facit quod bonum est attendit, vt ipso boni pretio potiùs quàm voluntatis suæ libito ad singula facienda inclinari dicatur. Item, ex his itaque tam de ratione quàm de scripto collatis constat, id solùm Deum facere posse quod aliquando facit. Et post pauca; Qui si mala, quæ fiunt, disturbare posset, nec id etiam nisi opportunè faceret, qui nihil importunè facere potest, profectò non video quomodo peccatis consentiens non esset: Quis enim consentire malo dicendus est, nisi is, per quem illud opportunè disturbari posset? Item, Prædictis itaque rationibus || *vel* obiectorum solutionibus, liquere omnibus reor, ea solummodò Deum posse facere vel dimittere, vel eo modo tantùm, vel eo E
tempore quo facit, non alio. Et infra cap. 7. errorum eiusdem recitat eum dicentem, Inprimis videndum est, quid sit consentire malo, & quid non; ille equidem consentire malo dicitur, qui cùm debeat illud prohibere & possit, non prohibet; si autem debeat & non possit, & è contra, si possit & non debeat, non esse reus; si verò nec debet nec potest, multo minus reus censendus est; & ideo Deus à consensu malorum alienus est, qui nec debet nec potest mala impedire; ideo non debet, quia cùm res per benignitatē illius eueniant, quomodo melius possunt, nullo modo contra hoc velle debet; ideo autē nō potest, quia bonitas illius, electo minori bono illi quod maius est, impedimentum minimè parare potest. Voluit igitur dicere, quòd Deus nullo modo haberet potentiā alia vel aliter faciendi, nec dimittendi quæ facit, sicut tam argumenta

|| eò quòd.

Bernardus.

|| &

A argumenta eius quàm verba, maximè secundum bonam veritatem exposita manifestant. Voluit || *autem* dicere Abelardus, quod sicut Deus necessario absolutè vult finem vltimum, suam ||etiam scilicet propriam bonitatem; sic & necessario absolutè vult ea quæ sunt ad finem, omnes scilicet creaturas; Itaque quod omnia ista eadem numero, omnibus suis modis ex necessario ordine bonitatis emanant ab illo; quare & quod nullum istorum posset vllo modo dimitti, nec aliquid aliud fieri quouismodo, eo quod tunc turbaretur ordo necessarius bonitatis, nec diuina bonitas manifestare se posset. Quis ergo arguet me de isto errore? Dico enim quod Deus, quantum est de ratione suæ potentiæ volutiuæ, contingentissimè & liberrimè secundum contradictionem potest non velle quod vult, & velle quod non vult, correspondenter non facere & facere, sicut testatur decima quinta veritas, & sequentes; qui tamen irrepugnanter quadam necessitate sequente actum voluntatis diuinæ positum iam in esse, immutabilemque omnino necessario vult & facit quæ vult & quæ facit, sicut Angelus vel homo, etsi contingissimè
B & liberrimè, etiam ex se solummodo sicut Deus, quid vellet, hac necessitate sequente necessario illud vellet. Quare & Sanctus Thomas vbi prius, recitato errore Philosophorum & Abelardi, & primo redarguto, subiungit, Nunc autem restat inuestigare de secunda positione; *Thomas.* Circa quod sciendum est quod dupliciter dicitur Aliquem non posse aliquid, Vno modo absolutè, quando scilicet aliqua principiorum, quæ sunt necessaria actioni, ad actionem illam se non extendunt, vt si pes sit contractus, homo non potest ambulare; Alio modo, ex suppositione; Posito enim opposito alicuius actionis, illa actio fieri non potest; Non enim possum ambulare dum sedeo; Cum autem Deus sit agens per voluntatem & intellectum, sicut probatum est, oportet in ipso tria actionis principia considerare, scilicet primò intellectum, secundo voluntatem, tertio potentiam naturæ. Intellectus igitur voluntatem dirigit, voluntas vero potentiæ imperat, quæ exequitur; sed intellectus non mouet nisi in quantum proponit voluntati suum appetibile, vnde totum mouere intellectus est in voluntate. Dupliciter igitur
C dicitur Deum absolutè non posse aliquid; Vno modo, quando potentia Dei non se extendit in illud, sicut dicimus, quod Deus non potest facere vt affirmatio & negatio sint simul vera, vt ex supradictis patet: Sic autem non potest dici, quòd Deus non potest facere nisi quæ facit: Constat enim quod potentia Dei ad multa alia potest se extendere: Alio modo, quando voluntas Dei ad illud se extendere non potest; oportet enim quod quælibet voluntas habeat aliquem finem quem naturaliter velit, & cuius contrarium velle non possit, sicut homo naturaliter & de necessitate vult beatitudinem, & miseriam velle non potest. Cum hoc autem quod voluntas vult necessario finem suum naturalem, vult etiam ea sine quibus non potest habere finem, si hæc cognoscat, & hæc sunt quæ sunt commensurata fini; sicut si volo vitam, volo cibum; ea enim sine quibus finis haberi potest, quæ non sunt fini commensurata, non de necessitate vult; Finis igitur, qui est naturalis diuinæ voluntatis, est eius bonitas, quam non velle non potest; sed huic fini non commensurantur creaturæ, ita quod sine his diuina bonitas
D manifestari non possit, sicut quidem Deus intendit ex creaturis; Sicut enim manifestatur diuina bonitas per has res quæ nunc sunt, & per hunc rerum ordinem; ita potest manifestari per alias creaturas alio modo ordinatas; & ideo diuina voluntas absque præiudicio voluntatis, iustitiæ, sapientiæ potest se extendere in alia quàm quæ facit: & in hoc fuerunt decepti prædicti errantes: Æstimauerunt enim ordinem creaturarum esse quasi commensuratum diuinæ bonitati, quasi absque eo esse non posset; Patet igitur quod absolute Deus potest facere alia quàm quæ facit; sed quia ipse non potest facere quod contradictoria sint simul vera, ex suppositione potest dici, quod Deus non potest alia facere quam quæ facit. Hunc etiam errorem tangit Thomas 1. part. summ. particul. 25. quæstione quinta, & 1. contra Gentiles 81. & ipsum refellit. *Thomas.* Quem & Hugo 1. de Sacrament. partic. secunda, cap. 22. simili modo intelligit & refellit, quasi videlicet detractiuum & diminutiuum diuinæ potentiæ infinitæ, vnde sic ait; Eant nunc, & de sensu glorientur, quia opera diuina ratione se putant discutere & eius
E potentiam sub mensura coarctare. Cum enim dicunt, huc vsque potest & non amplius; quid hoc est aliud quam eius potentiam, quæ infinita est, concludere & restringere ad mensuram? Aiunt enim, Non potest Deus aliud facere quam facit, nec melius facere quam facit; Et infra eiusmodi causis atque rationibus quidam inducuntur, vt dicant, Deum suorum operum mensura ac lege ita astrictum atque alligatum, vt præterquam facit quicquam, nec aliud facere potest nec melius: Ac per hoc plane infinitam illam atque immensem diuinitatis potentiam sub termino ac mensura alligare conuincuntur, qui ad aliquid, quod verè finem ipsum habet, eam extendunt, & vltra negant procedere. Certum est enim, quod omne, quod factum est in numero & pondere & mensura, legitimum terminum & finem suum habet, & idcirco, si ad operis mensuram Creatoris potentia modumq; componitur, ipsa proculdubio & fine & mensura

surâ terminari declaratur. Hîc illi nostri scrutatores, qui defecerunt scrutantes scrutationes, A nouum aliquid & verè nouum, nec tam verum quàm nouum afferre se dicunt; & dicunt singulas quidem creaturas per se consideratas à perfecto minus habere; vniuersitatem autem rerum omnium in tanta consummatione boni expressam, vt non posit esse melior quam est. Eundem quoque errorem recitat idem Hugo libro sententiarum suarum, capit. 12. & reuincit, vbi & ait, Cum Augustinus dicit, Multa potest Deus facere quæ non vult, ad effectum respexit quem non vult; id est, quæ non operatur, potest operari; non enim ex impotentia dimittit; & secundum hoc potest dici, potest Deus velle quod non vult. Cuius sententiam & pænè

Petrus. verba secutus Petrus 1. sent. dist. 43. eundem errorem ad eundē intellectum recitat & retundit, Quidam, inquiens, de suo sensu gloriantes, Dei potentiā coarctare sub mensura conati sunt: Cum enim dicunt, huc vsq; potest Deus, & nō amplius, quid hoc est aliud, quā eius potentiā, quæ infinita est, includere & restringere ad mensurā? Aiunt enim, Non potest Deus aliud facere quā facit, nec melius facere id qd. facit, nec aliquid prætermittere de his quæ facit. Qui & infra recitans & soluens quandā argutiā Abelardi, Quod, inquit, propositum fuit, Non potest Deus facere nisi quod iustitia sua exigit, & nō potest id facere, qd. iustitia sua exigit vt non fiat, B Dicimus quia in illis locutionibus duplex est sensus. Si enim intelligitis, non potest non facere nisi qd. sua iustitia exigit, .i. nisi quod iusta volūtas sua vult, falsū dicitis; Iustititia enim ipsius Dei æquissima voluntas accipitur, qualiter accipit August. illa verba Domini in Genesi loquentis ad Lot, non possum quicquam facere donec illuc introeas, exponens, Non posse, inquit, se dixit, quod sine dubio poterat per potentiam, sed non poterat per iustitiam. Ecce quam euidenter hic patet sententia supradicta, quod videlicet Deus, quantum est ex parte potentiæ, potest velle quod non vult, & facere quod non facit, sed quantum est ex parte voluntatis suæ volentis iam quicquam actualiter & immutabiliter, vel nolentis, non potest. Quare & in fine distinctionis ostendens Deum posse velle quod non vult nec vnquam voluit, sic ait; Habet enim potentiam volendi & nunc & ab æterno, quod tamen nec modo vult, nec ab æterno voluit: A quo & alia similia magis expressa in ostensione nonæ veritatis fuerant allegata. Hunc etiam Petrum Abelardum Magistrum Parisiensem omnes pœnè Doctores Parisi- C enses redarguunt in hac parte, quem & vna cum suis discipulis indisciplinatis, vmbram quorundam Philosophorum sequentibus atque dicentibus Deum facere, quicquid facit, necessitate naturæ, puto dedisse causam edicto damnationis articuli Parisiensis obiecti: quare & secundum suam sententiam iam præmissam contra eum deberet intelligi & exponi, Ita videlicet, quod Articulus ille damnet, quod Deum necesse est facere quicquid immediate fit ab ipso necessitate coactionis vel necessitate immutabilitatis, necessitate scilicet naturali & voluntatis diuinæ, quæ naturaliter determinatur ad hæc & non alia facienda, necessitate videlicet absoluta, quæ vt articulus, ponit in Deo impossibilitatem aliter faciendi, impossibilitatem videlicet naturalem ex defectu potentiæ naturalis, impossibilitatem scilicet absolutam. Hunc etiam intellectum huius articuli contestantur multi alij simul cum isto ab eodem Episcopo condemnati, quorum vnus affirmat, quod Deus est æternus in agendo & in mouendo, sicut & in essendo, aliter alio determinaretur, quod esset prius illo: & Alius, quod illud quod de se determinatur, vt Deus vel semper agit, vel nunquam, & quod sunt plura æterna: & Alius, quod D

||genera-bilia primum principium non potest immediate producere || *ingenerabilia* quæ sunt noui effectus; effectus autem nouus exigit causam immediatam quæ potest aliter se habere: & Alius, quod Deus est causa necessaria primæ intelligentiæ, qua polita, ponitur effectus, & sunt simul duratione: & Alius, quod Deus est causa necessaria motus corporum cœlestium, & coniunctionis contingentis in stellis, cui & quibus multi alij similes, ante & post prædictum articulum in ea-

Henricus. dem serie condemnantur. Henricus etiam Gandauensis occasione huius articuli 5. de quodlib. quæst. quarta quærit, Vtrum Deus necessario producit quicquid exterius immediate producit, & arguit primo quod sic, quia necessario sequitur, Deus vult hoc facere, ergo hoc facit, & Antecedens est necessarium, quia aliter voluntas Dei esset mutabilis: deinde quod non, per articulum recitatum; & respondendo dicit, quod secundum Philosophorum sententiam in omni factione diuina ponebatur triplex necessitas superius recitata; & reprobatis duabus prioribus, scilicet necessitate essentiæ & scientiæ, reprobando tertiam necessitatem, scilicet E voluntatis, sic ait; Quod similiter Deus nullo modo agit ex necessitate suæ voluntatis siue concomitantis materiam, siue absolute consideratæ, secundum quod aliqui possent dicere, quod licet non agit necessitate suæ naturæ, neque suæ scientiæ, agit tamen necessitate suæ voluntatis, eo quod scientia sua comprehendit meliorem ordinem in rebus, & voluntas perfecta necessario ei adhæret, sicut patet, quoniam cum voluntas non sit per se nisi finis sui, & quod est per se alicuius, licet necessarium ordinem habet ad illud, & ad ea quæ essentialem habent

A bent habitudinem ad illud, non tamen ad ea quæ habent habitudinem ad illud || *accidentalem*; quo per exemplum ostenso, subiungit, Quare cum voluntas Dei per se sit finis boni quod ipse est, etsi necessario vult illud, & quæ necessariam ad ipsum habent habitudinem, vt sunt, quæcunque sunt in diuina essentia, non tamen necessario vult illa quæ habent habitudinem || *accidentalem* ad illud; talia autem sunt omnia alia ab eo, quia nihil ex eis bonitati suæ accrescit; Nulla ergo necessitate vult aliquid illorum, sed nihil facit nisi quod vult; Nihil ergo aliorum a se quæ facit de necessitate facit. Et infra, Deus non vult de necessitate quæ sunt extra ipsum, propter quod quando facit ea in esse existentiæ de quo est quæstio, non de necessitate voluntatis suæ facit ea, vt secundum hunc modum bonitas suæ essentiæ non sit ei ratio volendi omnia, quia posset || *alia* velle quæ nec vult, nec volet, sicut neque veritas suæ essentiæ est ei ratio sciendi omnia quæ scire posset, scilicet ea quæ possent esse vel fore, nec tamen erunt; vt sicut non de necessitate scit se facere quæ ipse facit, sicut non de necessitate vult facere quæ facit, vt iam dicetur: similiter neque de necessitate scit aut vult esse quæ sunt de necessitate absoluta; Dicendum est ergo simpliciter & absolutè quòd quæcunque Deus facit extra se, nullum eorum de necessitate facit, neque eorum quæ facit immediatè, quod secundum Philosophum erat vnicum tantum, quod de necessitate, vt dictum est, ponebant ipsum facere; neque quæ facit mediantibus alijs, in quo Philosophi nobiscum concordant, neq; etiam illorum quicquam facit necessitate coactionis, quæ voluntatem contra propriam inclinationem vel naturalem vel voluntariam impellit in actionem, eo quod impassibilis est & omnipotens; neque necessitate immutabilitatis, quæ virtutem simpliciter & absolute in actum ligat & tenet, vt bene dicit articulus damnatus, sicut dictum est opponendo. Qui & infra respondendo ad primum argumentum, sic ait; Ad argumentum oppositum, quod de necessitate illud fit quod Deus vult facere, Dicendum quod verum est necessitate || *consequentiæ, non consequentis*; quia Antecedens non est necessarium simpliciter, scilicet quod Deus vult illud facere quod facit, nisi considerando actum voluntatis vt est in Deo ipsa diuina essentia, qualiter non consideratur in proposita quæstione, sed solum secundum quod transit actualiter in volutum exterius: Et quod arguitur, quod Antecedens est necessarium simpliciter, quia quod Deus vult non potest non velle, quia aliter sua voluntas esset mutabilis, Dicendum &c. in ostensione veritatis vndecimæ allegata. Damnatur ergo in articulo recitato necessitas naturalis, simplex, absoluta, & præcedens respectu volitionis & factionis diuinæ ad extra, non autem necessitas sequens prædicta. Quis enim negauerit necesse esse hac necessitate sequente, Deum facere quicquid immediate fit ab ipso, sicut & hac necessitate, Omne quod est, quando est, necesse est esse, & quod fit & factum est, fieri & factum esse, & Deum velle sic esse. Ex his autem potest elici & haberi quod necessitas immutabilitatis ad intellectum Doctorum est duplex vel triplex. Vna, qua, si esset in vsu, quicquid est aliquale, & non potest non esse tale per mutationem, posset dici, quod necesse est necessitate immutabilitatis ipsum esse tale, quia ab hoc mutari non potest; sicque quicquid est præteritum, necesse est esse præteritum, & quicquid fuit futurum, necesse est fuisse futurum, & quicquid est non futurum, necesse est esse non futurum, & similia, & sic non loquitur articulus supradictus. Altera, quæ est necessitas stabilitatis & sequens, sicut quinquagesimo huius patet, de qua non intelligit articulus memoratus. Tertia, quæ est necessitas immutabilitatis naturalis, qua scilicet res aliqua determinatur naturaliter, & necessitate naturæ ad vnum aliquid faciendum, nec habet potentiam naturalem ad oppositum, sicut potentiæ irrationales actiuæ, vt patet 9. Metaphys. 10. & talem necessitatem immutabilitatis posuit Petrus Abelardus in Deo ad extra, qualis & in articulo condemnatur. Vnde & Thomas De potentia Dei, vbi prius, Illi, inquit, qui dicebant Deum agere ex necessitate naturæ, ponebant potentiam de qua agitur, non solum ratione immutabilitatis naturæ, sed ratione determinationis naturæ ad vnum. Quare & Henricus Gandauensis dicit quod Deus facit ad extra necessitate immutabilitatis, quæ virtutem simpliciter & absolutè in actu ligat & tenet, vnde bene dicit articulus damnatus. Irrationabiles vero rationes Petri Abelardi, & quorumlibet aliorum, siue Philosophorum, siue friuolophilorum necessitatem naturalem in Deo respectu factorum suorum astruere gestientes, nullum animal rationale debent mouere. Si enim ageret ad extra necessitate naturæ, cum effectus eius quilibet sit finitus, & ipse esset finitus contra primam suppositionem; vel si secundum eam ipse sit infinitus, quilibet etiam eius effectus esset similiter infinitus, sicut nono primi plenius est argutum. Nec Deus per suam scientiam comprehendit, imo nec comprehendere potest melius ens possibile fieri, quo melius fieri nihil posset. Ponatur enim quod comprehendat & faciat, & sit A. illud; vel ergo A. est infinitum simpliciter

Margin notes: || actualem — || actualem — || omnia — *Henricus.* — || consequête non præcedente — *Thomas.* — *Henricus.* — margin letters B, C, D, E.

omniquaque & tunc est Deus, quare non factum, vt suppositio prima probat ; vel finitum, A
& tunc esset possibile fieri aliquid maius eo : Quocunq; igitur bono possibili fieri, potest fieri maius semper & maius, quare & similiter comprehendi ; quare nec voluntas perfecta & optima potest facere maximum bonum, & optimum possibile fieri ; sufficit ergo ei quod faciat bonum quantum sponte voluerit sine malo, præsertim cum nulla sit ratio ipsa prior, aut ipsam regulans in agendis, sed ipsa principium & regula rationis, sicut 21. primi plenius est ostensum. Obiectum quoque fuit superius, quod si necessitas ista sequens poneretur in Deo, omnipotens ligaretur. Sed miror qua mente, qua fronte hæc audeant mihi obijcere contrarium affirmantes, cum ipsi necessario concedere habeant Deum æternaliter prius solutum & liberum, nunc temporaliter nouiter vinculo extrinseco debilissimo, puta filo araneæ etiam insolubiliter alligari, & illiberabiliter captiuari, sicut 30. huius plenius est argutum. Ego autem non dico ipsum nouiter necessitari necessitate sequente prædicta, nec per aliquid extra ipsum, sed æternaliter, vniformiter tantum per actum suum æternum liberrimum propriæ & liberrimæ voluntatis. Si quis autem hunc actum voluntatis diuinæ necessarium, seu istam necessitatem sequentem iuxta Poetarum, Grammaticorum, & Rhetoricorum metaphoras, sicuti & amorem, ligamen, nodum, seu vinculum voluerit appellare, non reputo multum contendendum de nomine, dum res sane fuerit intellecta; tunc autem potest metaphoricè dicere Deum ligari, hoc scilicet amoris ligamine & vinculo charitatis : scio tamen quod nonnulli pietate catholica hoc abhorrent, non quia quod metaphoricè dicitur, non catholicè dicitur, sed quia quod catholicè dicitur, non catholicè intelligitur. Nonnulli enim, quia ligamen & vinculum consuetum aliqualem violentiam importare videtur, simili modo intelligunt, si quid tale dicatur de Deo ; Sed hi errant, quoniam in ligamine & vinculo consueto sunt duo, scilicet violentia, & firmitas ; & quia secundum Philosophum 6. Topic. omnes transferentes secundum aliquam similitudinem transferunt, non autem secundum omnes, sicut in Poetria sua ostendit, sufficit quod translatio ista fiat pro secunda proprietate, licet non pro prima. Nec etiam verum est, quod omne vinculum violentiam implicat ; Multi enim multarum obligationum vinculis erga Deum & homines se gratis supponunt, & sustinent ea gratis: Vnde Ecclesiastici 6. Mitte pedem tuum in compedes illius, scilicet sapientiæ, & in torques eius collum tuum ; subijce humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris in vinculis eius, & erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ, & vincula illius nexura salutaris. Quare & Apostolus ad Coloss. 3. Charitatem vinculum perfectionis appellat ; Vnde & Hos. 11. In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis. Quare & Hugo de Sancto Victore, De laude charitatis ad Petrum, alloquens charitatem, sic ait ; O charitas, quantum potes, quæ Deum superabas ! Illum tibi obedientem de sede paternæ maiestatis, vsque ad inferna nostræ mortalitatis || *sustinenda*, descendere coegisti, adduxisti illum vinculis tuis alligatum : vnde amplius pudeat hominem tibi resistere, cum te videat in Deum triumphare ; vulnerasti impassibilem, ligasti insuperabilem, traxisti incommutabilem. Qui & infra laudat hanc charitatem, quia ipsa est Deus ; quid autem est hæc charitas nisi chara Dei voluntas, & volutio chara Dei, iuxta præmissa vicesimo quinto primi ? Verum quia Henricus Gandauensis imponit Auicennæ triplicem necessitatem erroneam superius recitatam, & ego ipsum aliquoties allegaui, Discutiendum paulalum si ipsum iustè accuset : videtur enim quod possit probabiliter rationabiliterque defendi. Obijcit autem ei, quod pro prima necessitate sic dicit, Veritatis primæ non est sua prima actio nisi per essentiam ; & quis hoc negauerit ? Nam actio sua prima non est ad extra, sed ad intra, quâ cognoscit & amat seipsum, & hoc non liberè secundum contradictionem, sed pure necessariò de necessitate suæ essentiæ. Rursum opponit sibi, quod pro secunda necessitate sic dicit, Sua scientia est sciens, quod sua perfectio & sua excellentia est vt fiat ab eo bonitas, & hoc est de || *communicantibus* suam gloriam ; & ex hoc quod intelligit se, sequitur ordinatio bonitatis in esse, & intelligit qualiter est possibile & elegantius prouenire esse totius ; Vnde, vt dicit, ex hoc quod intelligit ordinationem & bonitatem quæ melior esse potest, secundum quod intelligit eam, fluit ipsa tali fluxu, quo perfectius peruenitur ad ordinem secundum possibilitatem. Sed si propter hoc dictum mereatur damnari, Cur non similiter Aug. qui 3. de lib. arbit. 7. ita dicit, Quicquid tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum tanquã bonorũ omniũ conditorẽ? Potest ergo esse aliquid in rerũ natura, qd. tua ratione non cogitas ; non esse autem, quod vera ratione cogitas, non potest. Neq; n. tu potes in creatura aliquid meli⁹ cogitare, qd. || *creatura artificẽ fugerit.* Humana quippe anima naturaliter diuinis, ex quibus pendet, connexa rationibus, cum dicit, Melius hoc fieret quam illud, si verũ dicit, & videt qd. dicit, in illis quib⁹ connexa est rationib⁹ videt; credat ergo Deum fecisse,

[Marginalia: *Ecclesiast.* — *Apostolus. Hoseah. Hugo Vict.* — || suscipienda — || comitantibus — || creaturæ artifici defuerit]

[Margin letters: B (at "sequentem iuxta Poetarum"), C (at "nim multarum"), D (at "imponit Auicennæ"), E (at "non similiter Aug.")]

A fecisse, quod vera ratione ab eo faciendum fuisse cognouit: etiamsi hoc in rebus factis non videt, quia etiamsi cœlum oculis videre non posset, & tamen ratione vera tale aliquid faciendum fuisse colligeret, credere debuit factum esse, quamuis id oculis non videret; non enim cogitatione videret faciendum nisi in his rationibus, quibus facta sunt omnia. Et 4. super Gen. ad literam 18. Bona facere si Deus non posset, nulla esset potentia; si autem posset, nec faceret, magna esset inuidentia; quia ergo omnipotens & bonus, omnia valdè bona fecit. Qui & de quantitate Animæ 18. Iustitia, inquit, Dei hæc vniuersitas sustentatur & regitur, quâ etiam factum est vt non modo sint omnia, sed ita sint vt omninò melius esse non posśint. Et infra 20. Id Deus iudicauit pulcherrimum, vt esset quicquid est, quo modo est: Et infra, Quis est qui iustè stomachetur, quòd agendo atque administrando corpori anima data sit, cùm tantus & tam diuinus rerum ordo connecti melius non posśit? Ecce Augustinum Doctorem Catholicum similem sententiam profitentem; Sicut ergo vult exponere *Augustinus.*

B Augustinum, sic & Auicennam exponat; multis autem modis potest vterque bene intelligi & exponi; vno modo ex parte Dei, & ex parte modi faciendi relati ad Deum, quantum scilicet est ex parte facientis. Omnia enim facit per sapientiam, bonitatem, & potentiam infinitam; & sic respondet Petrus 1. sentent. dist. 44. & Thomas 1. part. sum. partic. 25. quæstione vlt. quærente, Vtrum Deus posśit, quæ facit, facere meliora. Alio modo ex parte rerum factarum, & hoc multifariàm; vno modo quod Deus non posset facere res factas easdem numero essentialiter meliores, quia tunc essent aliæ & non eædem, accidentaliter autem posset; & sic respondet Thomas vbi fuerat allegatus. Tertiò potest dici, quòd Deus nihil potuit fecisse melius, id est, purius bonum, scilicet impermixtius malo seu malitia naturali. Dicit enim Philosophus 3. Topic. quòd quæ contrarijs impermixtiora sunt magis talia, vt albius est quod nigro impermixtius; quare & minus malum quandoque vocatur bonum, & melius aliquando. Vnde Philosophus 5. Eth. 5. In boni ratione fit minus malum ad maius malum: *Petrus. Thomas.*

C est enim minus malum magis eligibile maiori; eligibile autem bonum, & magis maius. Et Thren. 4. Melius fuit occisis gladio quàm interfectis fame, & est modus loquendi creberrimus apud omnes. Iuxta quem etiam modum loquendi aliquando dicitur aliquid melius alio, eò quòd illud est bonum, aliud verò malum, vel non bonum. Vnde Philosophus 2. de generat. penult. Melius est esse quàm non esse; & Propheta, Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas, Psalmo 36. Et Salomon Parab. 16. Melius est parum cum iustitia, quàm multi fructus cum iniquitate; & melius est humiliari cum mitibus, quàm diuidere spolia cum superbis. Dicunt igitur Autores Deum non posse facere quicquam melius quàm facit, forsitan contra eos qui posuerunt in entibus aliquid per se malum, de quibus tangitur primo & vicesimo sexto primi: Quibus Auicenna cum multis Philosophis alijs contradicit, sicut idem vicesimum sextum pandit; quibus etiam quasi omnes Doctores Catholici contradicunt, sed specialiter Augustinus in libris suis de libero arbi- *Threni. Philosophus. Propheta. Parrbolæ.*

D trio, sicut ibi & 1. Retract. 9. euidenter apparet: quorum & primus ideo dicitur, Vnde malum, & alijs libris multis. Quare & 3. de libero arbitrio 6. monet ne quis dicat de peccatricibus animabus, melius fuisse si non essent, innuendo quòd tunc vniuersum fuisset purius & impermixtius malo, quare & quòd illæ non sunt de perfectione vniuersi, nec vllam habeant bonitatem, sed malitiam puram tantùm iuxta considerationem Philosophi 3. Topic. prætactam; qui & ideo eodem 6. dicit, quòd animæ peccatrices non vituperantur, nisi in sui comparatione, dum cogitatur quales essent, si peccare noluissent. Et infra 7. ostendit nullam rem esse reprehensibilem nisi in comparatione melioris. Nec etiam debet aliquis dicere totum vniuersum aliquiduè ipsius posse esse melius quàm sit, ita quòd posśit esse bonum & nunc sit malum, vel non sit bonum. Quare & eodem sexto tertij, sicut & tangit 1. Retract. nono ostendit quòd Deus pro factione creaturarum est *Augustinus.*

E laudandus in omnibus, non culpandus: qui & supra 5. innuit Deum potuisse homines condidisse in aliquo inferiori gradu creaturæ; non ergo secundum ipsum necessariò facit Deus semper melius quod posset. Adhuc autem quarto fortaśsis quantum ad rerum ordinem naturalem, quòd videlicet partes animalium & plantarum, & totius mundi, puta elementa & cœlum, sunt modò melius naturaliter ordinatæ, quàm essent si secundum ordinem contrarium ponerentur, ita quòd nihil est ibi inutile, neque turpe; & hoc innuit Philosophus 13. de Animalibus, & per tres libros sequentes, vbi agit de partibus animalium, & de formatione, conuenientia & vtilitate earum, & alibi in eodem libro frequenter, quem & in hac parte sequitur Auicenna, sicut & de vtroque vicesimum septimum primi allegat: Quos & sequitur Algazel, sicut idem vicesimum septimum allegauit. Quod & quantum ad dispositionem elementorum & cœli, innuit Augustinus 3. *Augustinus*

de libero arbitrio 7. vbi fuerat allegatus, qui & de quantitate animæ 20. sic ait, Deus A
in nullo actu animam deserit sine pœna, sine præmio. Id enim iudicauit pulcherrimum, vt esset quicquid est, quomodo est, & ita naturæ gradibus ordinaretur, vt considerantes vniuersitatem nulla offenderet ex vlla parte deformitas, omnisque animæ pœna, & omne præmium conferret semper aliquid portioni iustæ pulchritudinis dispositionique rerum omnium. Datum est enim animæ liberum arbitrium, nec tamen ita liberum arbitrium animæ datum est, vt quodlibet eo moliens, illam partem diuini ordinis legisque perturbet: Datum est enim a sapientissimo atque inuictissimo totius creaturæ Domino Deo. Sed ista, vt videnda sunt, videre paucorum est, neque ad hoc quisquam nisi vera religione fit idoneus. Quæ cùm ita sint, quis est qui iustè stomachetur, quòd agendo atque administrando corpori anima data sit, cùm tantus & tam diuinus rerum ordo connecti melius non possit? Istam quoque sententiam 3. de libero arbitrio 24.
docet. Si autem aliquo modo dicto, alioue non dicto, possit Auicenna, sicut & Au- B
gustinus, sanè intelligi, bene quidem; sin autem, etiam bene quidem, quoniam Auicenna non est mihi testis omninò necessarius in hac causa, præcipuè vbi errat; verùm etsi in vno vel paucis errauerit, sicut & Philosophi alij, imò & Doctores Catholici, potest in multis alijs dicere veritatem. Si autem possit sanè intelligi, vlterius potest dici quòd Gandauensis redarguit superficiem literæ, seu potius malè intelligentes literam Auicennæ; sicut & teste Eustathio, Aristoteles quandoque redarguens, vt videtur, Platonem, noluit arguere contra eum, sed contra eos qui malè intelligunt eius dicta, sicut secundum primi plenius allegauit. Tertiò obijcit Gandauensis contra Auicennam, quòd pro tertia necessitate sic dicit, Omnis scientia, qua scit quod prouenit ex ea, nec miscetur ei
|| ipsi impedimentum, placet ei quod prouenit ab ea; ergo || *primò* placuit, vt ex sua essentia flueret omne quod est: Istud autem dictum per se solum non videtur explicitè
nec implicitè continere necessitatem voluntatis diuinæ prædictam, sed innuere potiùs li- C
bertatem.

Decima nona, vicesima, & vicesima prima ex correspondentibus partibus decimæ quintæ correspondenter loquendo de posse, & similiter ex tribus primis partibus proximæ veritatis lucidè consequuntur, cum hoc adiuncto, quòd voluntas diuina est causa necessaria, id est, necessariò requisita ad hoc quod aliquid sit futurum, præsens, vel præteritum faciendum, vel factum, seu etiam conseruatum, sicut decimum quartum & nonum primi docebant. Decima nona specialiter quasi nulli est dubia: aliàs enim omnia quæ euenirent, euenirent de necessitate simpliciter absoluta, quod duodecimum huius damnat.

Vicesima etiam specialiter constat ex quinta veritate huius & ostensione illius, quam & planè confirmant testimonia Henrici de Gandauo ibi, & in ostensione vndecimæ ac decimæ octauæ Sancti Thomæ 1. part. sum. partic. 19. quæstione 3. quinto huius; Scoti super 1. sen-
tent. dist. 29 in ostensione 5. & 18. & Roberti Lincolniensis in ostensione nonæ veritatis ista- D
rum pleniùs recitatis. Si namque, secundum quod asserunt, potestas in voluntate Dei circa esse actuale creaturarum nulla necessitate determinatur, sed quantum est de se, est ad vtrumlibet de volendo illud & non volendo, possunt & creaturæ nunc actualiter existentes, nunc & pro nunc non existere. Si etiam secundum eos, non sedentem nunc, possibile est nunc & pro nunc sedere, & è contra; cur non similiter de qualibet creatura nunc ente? Si insuper, sicut Scotus & Lincolniensis affirmant, volutio creaturæ nunc existens, potest nunc & pro nunc non existere, cur non similiter de similibus sentiendum?

Circa vicesimam primam acrius instat certamen propter plurimos repugnantes; hanc tamen opinor sufficienter ostensam ex vltima parte decimæ quintæ veritatis: quam & satis ostendit ostensio quintæ huius. Sit enim A. nomen singulariter proprium alicuius rei præteritæ, puta diluuij generalis non connotando tamen præteritionem, nec aliquam conditionem
eius accidentalem, sed quatenus est possibile ipsam rem essentialiter, simpliciter, & penitus ab- E
solutè; cur ergo non posset, aut non potest A. non fuisse? quam repugnantiam formaliter implicat? quam contradictionem euidenter includit? Nullam haud dubio, sicut ibi fuit ostensum. Aliquando namque, puta quando A. fuit, vel ante, ex ista annuntiatione, A. nunquam fuit, nullũ per se impossibile, nulla contradictio formaliter, simpliciter sequebatur; quare nec modo, sicut ex probatione primæ suppositionis apparet. Ex propositione etiã, quæ aliquando fuit vera, nunquam formaliter simpliciter sequitur vllũ falsum, quia tunc ex vero falsum formaliter sequeretur. Item eiusdem rationis est rem posse non fuisse, quando fuit, & rem posse fuisse, quando non fuit, scil. antequam fuit; sed res quæ non semper fuit, puta mundus vel Angelus, potest possibilitate huiusmodi absoluta semper fuisse, nullã etiã repugnantiã formaliter implicat,

A implicat, necessarioue importat. Potest etiam tali potentia fuisse per vnum diem antequam fuit, aut per vnum annum & per duos simili ratione; cur ergo non per tres & quatuor, & ita infinitè deinceps? Hoc idem videtur & multorum Doctorum sententia confirmare. Item per 20am. veritatem, & per nunc præmissa, res nunc præsens potest irrepugnanter nunc & pro nunc non esse, & illam est ita necessarium pro nunc esse, sicut A fuisse, ergo & A potest non fuisse; Imò videtur quod rem, quæ est nunc præsens, sit aliquo modo magis necessarium, saltem multiplicius necessarium pro nunc esse, quàm A fuisse: Rem enim præsentem vltra necessitatem ex sola ‖ *voluntate diuina* vtrique communem & æqualem intrinsecè necesse est esse per causas proprias naturales, per materiam & formam, & etiam per causas naturales communes, ipsam in esse naturaliter conseruantes, A verò necesse est fuisse ex sola voluntate diuina, vel saltem non ex tot causis, quia non ex proprijs, cùm iam non sint nec causent; vel ‖ voluntate
B ponatur, quod Deus omnem causam naturalem A propriam & communem penitus destruat, conseruando lapidem existentem; & tunc magis apparebit esse magis necessarium lapidem pro nunc esse, quàm A fuisse: Si ergo lapis nunc ens, potest nunc & pro nunc non esse, videtur quod A tantum vel magis potest non fuisse. Respondebitur forsitan, quod ex præteritione rei præteritæ oritur quædam relatio, qua necesse est simpliciter illam fuisse, quare impossibile est simpliciter illam non fuisse. Sed hoc reprobatum est priùs, quando monstrabatur A non fuisse, nullam contradictionem formaliter implicare. Illam etiam relationem, non est necesse simpliciter esse vel fuisse; Aliquando enim non fuit; quare nec repugnat et formaliter eam nunc non esse; ergo nihil facit necessarium simpliciter. Illa quoque relatio vel est ad Deum, seu ad voluntatem diuinam, vel rem aliquam naturalem seu res aliquas naturales. Primum erat destructum per 30um. huius; Secundum stare non potest: Ponatur enim quod Deus destrueret omnes causas alias naturales: Tanta insuper & tam potens relatio, imò ra-
C tionabiliter potior, siue ad Deum siue ad causas naturales oritur ex præsentia rei præsentis, sicut ex præteritione præteritæ; & illa non obstante, possibile est rem quæ nunc est, nunc & pro nunc non esse, quare & præteritam non fuisse. Nulla enim res absoluta, puta forma potentissima, seu ‖ *efficientissima* naturalis facit suum formatum seu effectum esse necessariò simpliciter, quare nec relatio, cùm sit debilioris esse, sicut 20um. huius tangit, facit necessariò simpliciter quicquã fuisse. Tanta similiter & tam potens relatio videtur oriri ex futuritione futuri, sicut ex præteritione præteriti, quare & tam necessariò reddere illud futurũ dum est futurum, sicut & illa illud præteritum. Tunc etiam illa relatio necessitaret simpliciter voluntatem Dei ad volendum illam esse, & secundum illam rem fuisse, sicut ex 18. & 19°. primi potest ostendi, quod eius non conuenit dignissimæ libertati, sicut trigesimum huius, & decima tertia ac decima quarta veritas manifestant. Adhuc forsitan alij aliter respondebunt, dicentes A non posse non fuisse propter defectum relationis necessariò requisitæ, propter defectum ‖ efficacissima
D videlicet voluntabilitatis, seu factibilitatis illius à Deo. Sed ista responsio non vitat rationes pro hac vigesima prima factas, Nec reddit causam dicti sui. Licet enim Deus non posset vellet contrarium, scilicet A non fuisse; posset tamen, vt videtur, & sicut decima quinta veritas asserit, non velle A fuisse, sicut & potuit priusquam A fuit; quo posito, A non fuisset præteritum per decimum quartum primi, sicut & contra similem responsionem trigesimum huius vadit. Eadem etiam ratione, res quæ nunc est præsens, propter defectum relationis consimilis non posset nunc & pro nunc non esse, contra vigesimam veritatem. Talis quoque priuatio relationis necessitaret simpliciter voluntatem diuinam ad eam & secundum eam volendum, impossibilitaret quoque ipsam ad volendum oppositè, sicut potuit ‖ *olim* velle, quod reprobatum est prius, contra similem responsionem trigesimo huius scriptam, & est contra decimam tertiam ac decimam quartam veritatem. Talem etiam defectum relationis non simpliciter necesse est esse, aut fuisse, quia nec relationem illam si esset aut fuisset, sicut nec ‖ alias
E res absolutas, sicut superius est ostensum, quod & simili modo potest ostendi. Imò volutionem Dei oppositam, scilicet A non fuisse, est possibile simpliciter nunc esse, sicut fuit ante præteritionem A, sicut ex præmissis potest ostendi, & ex decima tertia & decima quarta veritate. Tertiò dicitur à quibusdam, quod præteritum non potest non fuisse, nec Deus potest hoc facere, quia vtrumque contradictionem includit, ad quod probandum testimonia Doctorum adducunt. Dicit nempe Augustinus 26. contra Faustum 2. Quisquis itaque dicit, Si omnipotens est Deus, faciat vt quæ facta sunt, facta non fuerint, non videt hoc se dicere, Si omnipotens est, faciat vt ea, quæ vera sunt, eo ipso, quo vera sunt, falsa sint. Hoc idem videtur sentire Hieronymus ad Eustochium, Aristoteles, & Agatho superius allegati; quos & Sanctus Thomas secutus 1. part. summ. partic. 25. quæstione 4a. qua quæritur, Vtrùm Deus possit facere, quod ea quæ sunt præterita non fuerint *, respondendo sic ait; Dicendum quod sub *Augustinus.* *Hieronym.* * facta

 om-

omnipotentia Dei non cadit aliquid quod contradictionem implicat; præterita autem non A fuisse, contradictionem implicat; Sicut enim contradictionem implicat dicere quod Socrates sedet & non sedet; ita, quod sederit, & non sederit; Dicere autem quod sederit, est dicere quod est præreritum; dicere autem quod non sederit, est dicere quod fuerit eius oppositum; ad quod probandum allegat dicta Augustini & Philosophi memorata. Sed isti vel intelligunt in sensu composito, vel in sensu diuiso quod præteritum non potest non fuisse. Si in sensu composito, ita habent dicere consequenter, quod præsens non potest non esse præsens, & quod futurum non potest non esse futurum, propter similem contradictionem inclusam. Si in sensu diuiso, sumendo scilicet aliquam rem præteritam, puta diluuium, non conuoluendo præteritionem, aut aliquam conditionem accidentalem, sed tantummodo ipsam rem nudè, essentialiter, simpliciter & absolutè omnino, quæ sic sumpta nominetur A; sic est absolutè & per se, ac simpliciter irrepugnanter possibile A non fuisse, sicut superius est ostensum. Pro causa quoque eorum vlterius inquirendum, nunquid intelligant, quod præteritum non fuisse in sensu diuiso, modo prædicto includat contradictionem per se & omnino formaliter, aut per accidens, & vt nunc tantum. B Non primo modo, sicut iam constat: Si secundo modo, causa non iuuat, loquendo de potentia absolutè, sicut loquitur veritas ostendenda. Sic enim & ista, Tu curres, contradictionem includit, si non sis cursurus; Includit enim per accidens & vt nunc, quod non cursurus sit cursurus: Tu enim actualiter, & vt nunc es non cursurus; Imò & sic omnis propositio falsa de futuro, & vniuersaliter omnis propositio falsa contradictionem includit; quis tamen negauerit hanc esse possibilem absolutè & Deum sic posse verificare istam, Tu curres, & enuntiationes alias multas falsas? Sic ergo æstimo rem quæ est præterita, puta A, posse non fuisse, & Deum posse facere A non fuisse, per quod intelligo quod Deus, quantum est de eius potentia absolutè, & de ratione suæ potentiæ volutiuæ liberæ secundum contradictionem, quatenus præcedit causaliter suum actum, quo nunc vult A fuisse, posset illum non elicere, nec habere, sed eius oppositum, sicut potuit, quando A fuit futurum, C sicut & posset homo respectu voliti sui præteriti, quia apud Deum nihil intrinsecè præteritum aut futurum, sed æternaliter & instantaneè tantum præsens, sicut ostensio decimæ quartæ declarauit; necessitate tamen sequente non ex præteritione rei, quia ipsa nihil penitus causat in voluntate diuina, sed tantum ex stabilitate & firmitate & præsentanea actus intrinseci voluntatis diuinæ necesse est Deum velle A fuisse, & similiter A fuisse. Verum licet ista ex præmissis euidentia videantur, ecce adhuc quædam maiorum meorum testimonia ad euidentiam pleniorem. Anselmus siquidem 2. Cur Deus homo 17. Deus, inquit, impropriè dicitur aliquid non posse, aut necessitate facere; Omnis quippe necessitas & impossibilitas eius subiacet voluntati; illius autem voluntas nulli subditur necessitati aut impossibilitati: nihil enim est necessarium aut impossibile, nisi quia ipse ita vult; ipsum vero aut velle D aut nolle aliquid propter necessitatem, alienum est à veritate; quare quoniam omnia quæ vult, & non nisi quod vult, facit, sicut nulla necessitas aut impossibilitas præcedit eius velle aut nolle; ita nec eius facere aut non facere, quamuis multa velit immutabiliter & faciat: & sicut cum Deus facit aliquid, postquam factum est, iam non potest non esse factum, sed semper verum est factum esse, nec tamen rectè dicitur, impossibile Deo esse vt faciat quod præteritum est non esse præteritũ; nihil enim ibi operatur necessitas non faciendi, aut impossibilitas faciendi, sed Dei sola voluntas, qui veritatem semper, quoniam ipse veritas est, immutabilem, sicuti est, vult esse: ita si proponit se aliquid immutabiliter facturum, non tamen vlla est in eo faciendi necessitas, aut non faciendi impossibilitas, quoniam sola in eo operatur voluntas. *Anselmus.* Idem de Concord. 2. Res, inquit, aliqua, vt quædam actio non necessario futura est, quia postquam sit, fieri potest vt non sit; & de præterito similiter est verum, quia res aliqua non est necessitate præterita, quoniam antequam esset, fieri potuit vt non esset, quod non ineptè potest intelligi de prioritate potentiæ libere secundum contradictionem ad suum actum, E *Scotus.* sicut in similibus superius est ostensum. Vnde & Iohannes Scotus super 2. sentent. dist. 2. quæstione 7. dicit, quod creatio Angeli, & Angelus non potest non esse in instanti, in quo est in sensu compositionis, in sensu tamen diuisionis bene potest, sicut tactum est in materia de prædestinatione & præscientia Dei; vbi & dicit, quod conseruatum possit non esse quando conseruatur, & quando producitur in sensu diuisionis. Et infra respondendo; Cum, inquit, dicitur in argumento, Deus non potest facere Angelum non fuisse, negatur ista vt rei significatę per fuisse; & si dicatur, præteritum non potest non fuisse, negatur, quia hoc non est præteritum in se, i. per se & essentialiter, quia pręteritio seu esse præteritum non est de sua essentia, neq; sibi essentiale, sed accidentale, quare & est absolutè possibile separari. Hęc autẽ quæst. 7.

super

A super distinctionem secundam quibusdam libris est prima super eandem dist. Ipse enim bis scripsit super sententias, & hæc est causa discordiæ in hoc loco, sicut in alijs locis multis. Hoc idem testatur Gilbertus super librum Boetij de Trinit. affirmans quod Deus potest facere Petrum nunquam fuisse, & quod ista mulier corrupta nunquam fuerit corrupta. *Gilbertus.* Hunc etiam sequitur Wilhelmus Altißiodorensis Episcopus, qui super 1. sentent. quæst. 49. quærit, Vtrum Deus posit damnare Petrum & saluare Iudam: & arguto, quod sic, quia hoc potest de potentia; & quod non, quia hoc non potest de iustitia, sic respondet, Dicimus, quod Deus de potentia purè considerata potest damnare Petrum, habito respectu ad potentiam Dei, & potentiam Petri naturalem qua potuit peccare & non peccare; sed non sequitur, ergo potest damnare Petrum, quia hoc verbum, potest, in conclusione respicit merita. *Altißiodor.* Vel si verum est, quod dicit Magister Gilbertus super librum Boetij de Trinit. Dicit enim quod Deus potest facere, quod Petrus nunquam fuisset, potest dici secundum hoc quod Deus potest damnare Petrum, quia potest facere quod Petrus incipiat modo esse, & posit peccare & peccet, & sic damnetur.

B Qui & infra quæst. 50ª. quærit Vtrum Deus posit facere de corrupta ||*virginem*: & arguto, quod non, per autoritatem Hier. superius allegatam; & quod sic, quia potest reparare cæcos & mortuos, quare & corruptam; recitataq; vna responsione dicente, quod Deus non potest facere de corrupta virginem, quantum ad omnem dignitatem virginitatis, quia non potest facere ipsam non fuisse corruptam, quod est quædam dignitas in virgine, secundum quam meretur aureolam; obijcit contra eam, Det Deus huic corruptæ omnimodam dignitatem virginitatis si potest, ergo potest de corrupta facere virginem; si non potest dare modo, & prius dedit, ergo aliquid impedit, & non nisi præteritio, quia scilicet quod factum est non potest non fieri; ergo aliquid impedit potentiam Dei; ergo Deus non est omnipotens. *||virgine incorruptam* Quare & aliter respondendo ad quæstionem subiungit, Propter hoc oportet dicere, sicut dicit Magister Gilbertus, quod

C Deus potest facere, quod ista nunquam fuerit corrupta, quia quantum in se, non se habet aliter ad res quàm se habuit ab æterno; vnde præteritum, præsens & futurum ex parte rerum sunt, no ex parte Dei. Sed nos consueuimus in huiusmodi loqui cum suppositione præteriti; cùm dicitur, Deus non potest de corrupta facere virginē: hoc enim non potest facere cum suppositione præteriti, potest tamen secundum se, cùm sit omnipotens, & in omnipotentia eius intelliguntur quatuor, scilicet ampliatio potentiæ, quæ non est determinata ad aliquē effectum, sicut potestas calefaciendi ad calefacere; & quod ex se, & per se posit, id est, sine ||*indigentia auxilij extrinseci*, sine coactione, & sine impedimento. *||indigentia & auxilio aliquo extrinseco* Ex hoc autē apparet vna solutio obiectorū. Nam secundum istum Doctorem, autoritates dicentes, præteritum non posse non fuisse præteritum, nec Deum posse facere de præterito non præteritū, seu virginem de corrupta, intelliguntur in sensu composito, scilicet componendo, & consignificando cum re præteritionem, non in sensu diuiso, diuidēdo scilicet à re præteritionē, & sumendo eam nudè, essentialiter, & simpliciter ab-

D solutè, sicut superius dicebatur; vel etiam secundū communem modū assignandi sensum cōpositum & diuisum, qui non differt realiter à priori: Dicit enim, Nos consueuimus in huiusmodi loqui cum suppositione præteriti, cùm dicitur, Deus non potest de corrupta facere virginem, hoc est, non potest hoc facere cum suppositione præteriti, potest tamen scundum se. Hæc eadem Logica videtur Ansel. de Concor. 2. vbi faciendo istam distinctionem in enuntiationibus de necessario, de futuro, præsenti, atq; præterito concedit sensum compositum, & negat diuisum; *Anselmus.* vnde sic ait, Quippe non est idem, rem esse præteritam, & rem præteritam esse præteritā; aut rem esse præsentē, & rem præsentē esse præsentē; aut rem esse futuram, & rem futuram esse futurā, sicut non idē est, rem esse albam, & rem albā esse albam: Lignu enim non est semper necessitate album, sed aliquando, priusquam fieret album, potuit non fieri album, & postquam est album, potest fieri non album; lignum verò album semper necesse est esse album, quia nec antequam sit, nec postquam est album, fieri potest vt album simul non sit album: Similiter res

E non necessitate est præsens, quoniam antequam esset præsens, potuit fieri vt præsens non esset, & postquam est præsens, potest fieri non præsens; rem autem præsentem, necesse est esse præsentem semper, quia nec priusquam sit, nec postquam est præsens, potest simul esse non præsens. Eodem modo res aliqua, vt quædam actio, non necessitate futura est, quia priusquam sit, fieri potest vt non sit futura; rem verò futuram necesse est esse futuram, quia futurum nequit simul esse non futurum: De præterito autem similiter est verum, quia res aliqua non est necessitate præterita, quoniam antequam esset, potuit fieri vt non esset, & quia præteritum semper necesse est præteritum esse, quoniam non potest simul non esse præteritum. Secundū eandē quoq; Logicā Io. Scotus ||*incedens* sup. 1. sent. dist. 39. simili modo distinguit, *Scotus.* concedit & negat illud vulgatū Philos. 1. peri hermenias vlt. Esse qd. est, quando est, necesse est. *||incedēdo* Dicit enim quod res aliqua, puta A quæ nunc est, nūc & pro nunc potest non esse, sicut in ostē-

sione

ſione quintæ veritatis fuerat allegatum. Eandem etiam Logicam innuens Sanctus Thomas 1. part.ſum. vbi fuerat allegatus, reſpondendo ſic ait; Dicendum, quod licet præterita non fuiſſe ſit impoſſibile per accidens, ſi conſideretur id quod eſt præteritum, ſcilicet curſus Socratis; ſi tamen conſideretur præteritum ſub ratione præteriti, ipſum non fuiſſe eſt impoſsibile per ſe, & abſolutè contradictionem implicans. Videtur igitur, quod quando dicit præterita non poſſe non fuiſſe, nec Deum hoc poſſe facere, intelligat in ſenſu compoſito, non diuiſo. Huic etiam atteſtatur aliud dictum eius in De æternitate mundi, & diſtinctio eius de neceſſario, & alia diſtinctio ſimilis prima parte ſummæ partic. 19ª. quæſtione 3ª. 50°. huius præmiſſa. Hoc idem poteſt & aliter confirmari; Ipſe namque non audet concedere diminutionem potentiæ Dei intrinſecus qualemcunque, quare nec audebit concedere, quod Deus olim potuit quicquam velle vel nolle, quod modo non poteſt. Arguit ſiquidem, vbi prius, præterita poſſe non fuiſſe, hoc modo; Quicquid Deus facere potuit, poteſt, cùm eius potentia non minuatur; ſed Deus potuit facere antequam Socrates curreret, quod non curreret; ergo &c & reſpondet hoc modo; Dicendum, quod ſicut Deus, quantum eſt ad perfectionem diuinæ potentiæ, omnia poteſt, ſed quædam non ſubiacent eius potentiæ, quia deficiunt à ratione poſsibilium; ita, ſi attendatur immutabilitas diuinæ potentiæ, quicquid Deus potuit, poteſt; & potuit olim velle diluuium nunquam fuiſſe futurum, præſens, nec præteritum, poteſt ergo & modò. Verum contra iſtam reſponſionem horum Doctorum poteſt non improbabiliter replicari. Si enim Philoſophi & Theologi aſſerentes præterita non poſſe non fuiſſe, nec Deum hoc poſſe facere, intelligant in ſenſu compoſito, habent aſſerere conſequenter ad ſimilem intellectum, futura non poſſe non fore, præſentia non poſſe non eſſe, nec Deum poſſe facere hoc vel illud, nec aliquid quod non facit; cùm tamen hæc aſſerant, illa negant. Quamobrem pro intellectu Philoſophorum & Doctorum elucidatius forſitan cognoſcendo, ſciendum quod Philoſophi conſiderantes de cauſis naturalibus, & curſu entium naturali, dicentes quicquam poſſe fieri vel non poſſe, intelligunt vt frequenter de potentia cauſarum naturalium & inferiorum, & ſecundum curſum & ordinem naturalem rebus naturalibus naturaliter inſtitutum; ſicque verum eſt præterita non poſſe fieri non præterita, ſicut futura poſſunt fieri non futura, & præſentia non præſentia, cùm illa adueniunt, hęc recedunt. Adhuc autem, vt reor, eſt alius profundior & ſincerior intellectus; voluendo ſiquidem diligenter libros Philoſophorum, & diligentius reuoluendo, apparet eos ponere diuiſionem generalem bimembrem, in terminos, ſcilicet, & in vias: Termini autem ſunt duo, eſſe ſcilicet & non eſſe; viæ quoque correſpondenter ſunt duæ generatio & corruptio ad hos terminos deducentes. Videntes igitur Philoſophi rem quamcunque in alterutro termino exiſtentem, ad hoc quod ſit in altro, tranſire per viam ad illum, vel quod terminus ad illam quoquomodo accedat, dicunt oportere hoc fieri per generationem vel corruptionem, mutationem ſeu motum in ipſa vel in alia; quare & cùm dicunt rem exiſtentem in aliquo termino, hoc eſt, in vel ſub qualicunque eſſe vel non eſſe, poſſe eſſe in vel ſub termino oppoſito, intelligunt de potentia mutabili, actuabili, & terminabili terminis oppoſitis ſuccedentibus inuicem, quæ non poteſt exire in actum niſi per qualemcunque mutationem in illa re vel in alia, per acceſſum ſcilicet ad vnum oppoſitorum, & receſſum ab altero. Vt autem quàm breuius ſciuero, hoc exponam, dico, quod duplex eſt potentia; vna ſcilicet penitus abſoluta, ſeu non repugnantiæ, & ſic aliquid quod eſt aliquale, poteſt eſſe non tale ſine mutatione quacunque, ſicut vndecima veritas oſtendebat; alia eſt potentia naturalis, & ſecundum contradictionem & ordinem naturalem mutabilis, actuabilis, & terminabilis terminis oppoſitis ſucceſsiuè; & ſecundum iſtam, quicquid, qualecunque eſt, non poteſt eſſe non tale, niſi per aliquam mutationem inter terminos oppoſitos in ipſo vel in aliquo alio, ſicut duodecima veritas ſuadebat: & de potentia iſta communiter loquuntur Philoſophi, quando dicunt aliquid ſeu aliquale poſſe, vel non poſſe eſſe tale vel tale propter cauſam præmiſſam. Sic ergo loquendo de potentia veriſsimum eſt, præteritum non poſſe non eſſe præteritum: Non enim hoc poteſt per mutationem, ſeu factionem inter terminos oppoſitos, ſcilicet inter præteritum & non præteritum; Nam contradictionem euidenter includit, quod A prius fuit præteritum, & nunc non ſit præteritum; de futuris autem & præſentibus non eſt ita. Futurum enim poteſt mutari, & mutabitur de futuro in non futurum, quando fiet præſens, & præſens de præſenti in non præſens, quando in præteritum dilabetur. Hæc ergo ſecundum Philoſophos & Theologos eſt differentia rerum ſecundum triplicem differentiam temporis diuiſarum, quod futurum poteſt mutari, & fieri de futuro non futurum, & præſens de præſenti non præſens, præteritum autem de præterito mutari in non præteritum, eſt impoſsibile abſolutè. adhuc autem iuxta præmiſſa vlterius aduertendum, quod duplex eſt factio, vna mutabilis ſeu ipſa mutatio, initiabilis

A tiabilis & terminabilis terminis oppositis, quæ correspondet simili potentiæ, scilicet naturali, mutabili, actuabili, & terminabili supradictæ. De qua potentia quasi semper intelligunt, & loquuntur Philosophi, Theologi, & vniuersaliter omnes docti pariter & indocti, cùm dicant quicquam posse fieri, vel non posse, cuius causa est, quia quicquid vident fieri naturaliter, artificialiter, voluntariè, violentè, casualiter vel fortuitò, vident fieri per huiusmodi factionem. Huius autem causæ videtur alia causa prior; factio namque præcedit saltem naturaliter & causaliter suum factum, quare nec temporaliter potest ab eo præcedi, faciens quoque similiter factionem, nec potest temporaliter ab ea præcedi: quamobrem & faciens suum factum, nec potest temporaliter ab eo antecedi. Quare & sicut omne faciens temporale habet principium temporale, sic & quælibet eius factio, & quodlibet factum eius. Prima igitur factione, scilicet mutabili & terminabili terminis oppositis, non potest Deus facere de præterito non præteritum, ita videlicet quòd aliquid primò sit præteritum, & deinde
B recedat ab illo tanquam à termino à quo factionis & motus, & accedat ad non præteritum tanquam ad terminum ad quem eiusdem factionis & motus: sic enim aliquid primò esset præteritum, & postea non præteritum, quod contradictoria implicat euidenter. Philosophi ergo & Theologi diuidentes generaliter vniuersa secundum differentiam triplicem temporalem, secundum futurum, videlicet, præsens, & præteritum, intendunt assignare vlteriùs istam differentiam inter membra, quod Deus hac factione initiabili & terminabili terminis oppositis potest facere de futuro non futurum per productionem eius in esse, & de præsenti non præsens per subductionem eius ab esse; de præterito autem non præteritum nullo modo. Is autem intellectus euidenter apparet ex verbis Doctorum & Philosophorum ad oppositum proximo adductorum. Vnde beatus Augustinus 26. contra Faustum negans Deum *Augustinus.* posse facere vt quæ facta sunt non fuerint, sicut pleniùs allegabatur superiùs, ostendendo se loqui de huiusmodi factione terminabili, & mutabili de aliquo termino in eius oppo-
C situm, immediatè subiungit; Potest facere vt aliquid non sit quod erat; tunc enim facit vt non sit, quando aliquid esse inuenerit de quo fiat, velut cùm aliquem, qui cœpit esse nascendo, faciat non esse moriendo; hoc enim factum inuenit de quo fieret. Quis autem dicat, vt id quod iam non est, faciat non esse? Quicquid enim præteritum est, iam non est; quod si de ipso fieri aliquid potest, adhuc est de quo fiat; & si est, quomodo præteritum est? Autoritates verò dicentes creaturam non posse semper fuisse, intelligunt vt creatura importat factionem ex nihilo præcedenti, initiabilem scilicet atque mutabilem factionem, supponentes Catholicam veritatem: aliæ autem, quæ dicunt nihil aliud à Deo posse esse coæternum, cum eo intelligunt forsitan, supposita Catholica veritate, videlicet quòd omne aliud à Deo sit factum, post non esse ab eo. Vel fortè subtiliùs, quòd nihil aliud à Deo potest esse æternum propriè, ita quòd habeat totum esse suum simul, sine aliqua successione mutabili, & sine possibilitate ad mutationem, sicut Boetius, Anselmus, & capitulum pro-
D ximum loquebatur. Vnde licèt mundus non haberet principium durationis seu temporis, neque finem, nequaquam æternus propriè diceretur propter defectum causæ prædictæ. Quare & Boetius 5. de consolatione Philosophiæ prosa vltima ita scribit, Quod temporis *Boetius.* patitur conditionem, licèt illud, sicuti de mundo censuit Aristoteles, nec cœperit vnquam esse, nec desinat, vita eius cum temporis infinitate protendatur, nondum tamen tale est vt æternum esse iure credatur: non enim totum simul, infinitæ licèt vitæ, spacium comprehendit atque complectitur, sed futura nondum habet, transacta iam non habet; quod igitur interminabilis vitæ plenitudinem totam pariter comprehendit ac possidet, cui neque futuri quicquam absit, nec præteriti fluxerit, illud æternum esse iure perhibetur, idque necesse est & sui compos præsens sibi semper adsistere, & infinitatem mobilis temporis habere præsentem; vnde non rectè quidam, qui cùm audiunt visum Platoni mundum hunc non habuisse
E initium temporis, nec habiturum esse defectum, hoc modo conditori conditum mundum fieri coæternum putant. Aliud enim est per interminabilem duci vitam, quod Mundo Plato tribuit, aliud interminabilis vitæ totam pariter complexum esse præsentiam, quod diuinæ mentis proprium esse manifestum est: neque enim Deus conditis rebus antiquior videri debet temporis quantitate, sed simplicis potiùs proprietate naturæ. Pro his tamen & alijs quædam distinctio de æternitate seu æterno non inutilis est notanda. Vno namque modo sumunt Autores æternum, sicut nunc est dictum; alio autem modo vt importat tantùm carentiam principij atque finis; vnde & Grammatici, sequentes Euerardum Bithyniensem, seu secundum quosdam, Bathoniensem in suo Græcismo, vbi assignat differentias nominum, ita dicunt; Æternum verè sine principio, sine fine, perpetuum cui principiũ, sed fine carebit: & quia iste secundus modus est facilior intellectu quàm primus, omnes pœnè, neglecto primo,

|| adhærent mo, || *adhærerent* secundo. Aliæ adhuc Autoritates, quæ asserunt creaturam non posse esse A coæternam Creatori, possunt intelligi & exponi vt aliæ priùs tactæ. Eundem etiam intellectum innuit Hieronymus manifestè, cùm dicit Deum non posse suscitare virginem post ruinam: suscitatio namque euidenter importat aliquem transitum de vno oppositorum in aliud, puta de morte ad vitam, de malicia ad bonitatem, & vniuersaliter de qualicunque non esse ad esse oppositum. Simili modo potest & glossa intelligi super Amos, quæ dicit quòd virgo quæ virginitatem perdiderit, virginitatem recipere non valebit: recipere namque iterum capere, & alia vice capere, & ita mutationem & terminum initiantem designat. Vel forsan intelligit secundum legem statutam; immediatè namque subiungit, Vix conceditur ei, vt de mille redeat ad centum, & de centum ad decem; quod fortaßis debet intelligi secundum dignitatem & ordinem in Ecclesia militante, non secundum gratiam & meritum. Secundum namque iura Ecclesiæ in Decretis & Decretalibus satis vulgata, in ordinibus & dignitatibus constituti sic possunt peccare, quòd debent deijci aut suspendi, nec in perpetuum B reparari, sed in statu inferiori perpetuò remanere: omne autem peccatum est quædam deuirginatio, defloratio, atque corruptio peccatoris. Et iste similiter intellectus consonat verbis glossæ; ait enim, Ita fit vt virgo Israel, quæ errauerit, non habeat suscitantem, quia qui semel ab vnione discesserit, & virginitatem, quam cum vno viro habebat, perdiderit, pristinum statum, & virginitatem, & vnionis beatitudinem recipere non valebit; & vix conceditur ei, vt de mille redeat ad centum, & de centum ad decem. Concordat etiam textui qui pro eodem habet, domum Israel cecidisse, & virginem Israel esse proiectam in terram; quæ etiam non negat potentiam resurgendi ad statum æqualem, sed actum, gradum inferiorem ei aßignans: vnde sic ait, domus Israel cecidit, non adijciet vt resurgat; virgo Israel proiecta est in terram suam, non est qui suscitet eam, quia hæc dicit Dominus Deus; Vrbs de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum; & de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem. Super quod Glossa, Non negat posse resurgere, sed non C resurget virgo Israel, quia semel aberrans; & si reportatur humeris pastoris, non habet eandem gloriam cum illo, qui nunquam à Deo aberrauit: vnde per Prophetam, Malo pœnitentiam peccatoris quàm mortem; pœnitentiam non sanctitati Ecclesiæ || *comparat*, sed quòd comparata morti & inferis, melior sit. Ad literam etiam, nulla fœmina vitiata etiam ante baptisma potest inter Dei virgines consecrari, teste Augustino super epistolam ad Titum, & allegatur in Canone dist. 26. Acutius, cui & concordant alia iura multa. Per prædicta similiter patet intellectus Philosophi 6. Eth. dicentis, quòd factum non contingit non fieri: loquitur enim ibi de consiliabili & eligibili per causas inferiores, puta per homines; dicitque quòd nullus eligit factum, scilicet præteritum, puta Ilion captam fuisse, nec consiliatur de facto, sed de futuro & contingenti, quia factum non contingit non fieri: quod totum vniformiter & conformiter processui intelligitur manifestè de potentia causarum secundarum, scilicet hominum, & verum est quod per potentiam, consiliationem, aut ele- D ctionem humanam quod factum est, non contingit non fieri, sed futurum contingens contingit fieri, vel non fieri per has causas. Intelligit etiam consequenter, quòd præteritum non potest non esse, seu fieri non præteritum potentia & factione mutabili, initiabili & terminabili terminis oppositis, sicut fiunt omnes veri proprijque effectus causæ verè & propriè facientis; vnde & ipsemet 2. Phys. 31. Medicus, inquit, & consilians, & omninò faciens, omnes sunt principium mutationis aut status. Dictum autem ipsius Agathonis videtur calumniam iustam pati: non enim hoc || *solo* Deus priuatur, ingenita facere quæ sunt facta. Priuatur namque & isto, de præsenti nunc facere mutabiliter nunc & pro nunc non præsens; de futuro autem exhibitionem rei facere mutabiliter non futuram; de numero quatuor contradictoriorum contingentium facere omnia simul vera quæ possunt esse simul vera, & quæ potest facere simul vera; facere maximam lineam circularem, aut rectam finitam poßibilem fieri, seu quàm potest, facere, inscribere, vel circumscribere circulo maximam E vel minimam figuram rectilineam; facere alium Deum, & deos infinitos, & vniuersaliter nihil quod contradictionem necessariò implicat, potest Deus. Dicet quisnam fortaßis pro Agathone, quòd nihil horum est aliquid; & ego contra vtrumque; ergo nec ingenita facere quæ sunt facta. Verùm ne Agathonem non rectè dixisse, quem Aristoteles rectè dixisse testatur, videar dicere minùs rectè; dico quòd ad literam rectè dixit: dicit enim Deum priuari huiusmodi facere, sed non potentia faciendi; & verum est, & necessarium est, Deum nequaquam ingenita facere quæ sunt facta, quod tamen hoc non possit, non dicit. Potest etiam intelligi & exponi quod Deus hoc non potest per potentiam & actionem causarum naturalium & inferiorum, sicut potest facere effectus futuros, nec e-

tiam

Marginalia: || compa- rans. — *Philosophus* — || solum

A etiam potentia & factione mutabili & terminabili terminis oppositis, sicut dictum Philosophi expositum erat prius. Fortasis autem & aliter potest, exponi propinquius menti suæ, vt supponat generaliter omnia esse diuisa in tria, futurum, præsens, & præteritum, siue factum; & per hoc, quod dicit exclusiuè, solo ipso Deus priuatur, Ingenita facere, &c. intendat includere vltimum trium membrorum diuisionis præmissæ, & excludere duo priora: intelligat etiam de factione mutabili & terminabili terminis oppositis, & sic verum est, quod de numero horum trium, hoc solo Deus priuatur facere, id est, posse facere huiusmodi factione de præterito tanquam de termino à quo factionis & mutationis, non præteritum; Hoc enim contradictionem euidenter includit, quod scilicet aliquid prius sit aut fuit præteritum, & postea non præteritum; de futuro autem tanquam de termino à quo potest facere factione huiusmodi non futurum; & de præsenti non præsens; quod & facit continuè, cùm illud aduenit, hoc recedit. Dictum verò Aristotelis in De mundo similiter potest intelligi & exponi secun-
B dum præmissa, & similiter dictum Plinij recitatum; veruntamen Plinius pessimè delirare videtur, dicendo Deum nullum ius habere in præterita, nisi obliuionis, sicut 14um. 6um. & 23um. primi docent. Negantes ergo Deum posse facere de præterito non præteritum, intelligunt de potentia & factione secundum cursum & ordinem naturalem rebus naturalibus naturaliter institutum, de potentia & factione mutabili, actuabili, & terminabili terminis oppositis supradicta. Verum, sicut superius breuiter tangebatur, est quædã alia factio huic opposita, scilicet stabilis, non mutabilis, non actuabilis nouiter, non initiabilis nec terminabilis terminis oppositis, & hęc correspondet potentiæ absolutę & irrepugnantię supradictę, secundũ quam etiã illud quod est aliquale in hoc pręsenti instante, potest fieri a Deo in hoc pręsenti instanti nõ tale, imò & cõditionis oppositę sine mutatione quacũque, iuxta 11am. veritatẽ; Deũ enim sic facere, esset ipsum sic velle: sic enim fortasis posset Deus facere mundum, qui est initiatus & temporalis, non esse huiusmodi, sed æternum. Nullam enim contradictionem includit
C formaliter simpliciter, vt videtur, mundum non habere initium durationis vel temporis, sed semper fuisse, sicut nonnullis videtur, vel saltem sic posset facere mundum antiquiorem, & fuisse priorem temporaliter quantumcunque: Hoc enim nullam repugnantiam formaliter implicat aut importat. Huiusmodi autem factio similis est generationi, cognitioni, & volutioni diuinæ, imò verius scientiæ & volutioni Dei ad extra; qua secundum quintam, sextam, & octauam veritatem, quod vult nunc & scit, posset & potest nunc & pro nunc non scire nec velle sine mutatione quacunque; similis etiam est doctrinæ, qua Pater æternaliter Filium & Spiritum Sanctum docet, de qua || 34. huius. Huiusmodi autem modus loquendi de || 24
factione habetur Ioh. 11. vbi quæritur sic de Christo, Non poterat hic, qui aperuit oculos *Ioannes.*
cæci nati, facere vt & hic non moreretur? Sic etiam loquitur Augustinus 26. contra Faustum *Augustinus.*
2. Si audiam, inquiens, quod aliquid futurum erat, si Deus fecit ne fieret, fidisime respondebo, Illud potius futurum erat quod Deus fecit, non illud, quod si futurum esset, hoc fecisset; Nam Deus quid facturus erat vtique sciebat, & ideo simul sciebat illud futurum non fuisse, quod ne fieret facturus erat. Sic insuper loquitur Petrus 1. sentent. dist. 38. dicens, quod De- *Petrus.*
D us potuit facere, vt quod fit non fieret, & ita non esset præscitum. De potentia igitur absoluta & non repugnantiæ supradicta & huiusmodi factione potest Deus facere rem quæ est præterita, puta A. nudè & absolutè consideratam non esse præteritam. Deum namque sic facere, non esset aliud quam nolle ipsam esse præteritam, seu velle oppositum nolutione seu volutione non mutabili, non innitiabili aut terminabili, sed stabili & æterna, quod est absolutè & irrepugnanter possibile, & quantum est de ratione suæ potentiæ absolutæ, & quantum est de ratione suæ potentiæ volutiuæ liberæ secundum contradictionem, quatenus præcedit causaliter suum actum, quo omni eodem modo intrinsecè vult nunc A. fuisse, sicut voluit prius nunc A. fore, vt præcedentia docuerunt; cuius causa est, quia apud Deum intrinsecè nihil est præteritum nec futurum, sed immutabiliter, stabiliter, æternaliter, & instantaneè tantum præsens, sicut superius monstrabatur. Porro quia videtur fortasis aliquibus difficile intellectu, quomodo præteritum potest fieri non præteritum factione non mutabili, non initiabili, nec termi-
E nabili terminis oppositis supra dicta, ecce ad hoc exemplum patulum facile intellectu: futurum siquidem potest fieri non futurum antequam eueniat, seu, vt verius dicam, ipso nunquam eueniente ipso nunquam posito in esse, ipso nunquam præsentificato, seu facto præsenti. Sit enim A. cursus Iohannis cras contingenter futurus; & quis hominum dubitat Deum de sua potentia, imò omnipotentia absoluta posse facere, quod Iohannes non curret, quare & quod A. non erit; quamobrem & consequenter aliquod futurum facere non futurum, ipsum nunquam facto præsenti? Et proculdubio hoc non potest factione mutabili, initiabili, & terminabili supradicta: nam contradictionem euidenter includit, quod aliquid de futuro, tanquam

quam de termino à quo factionis & mutationis fiat non futurum, nisi per positionem eius in A
esse. Ecce adhuc exemplum euidentius forsitan ad hoc idem; Aliquid, nempe non futurum, potest fieri futurum: Sit enim A. effectus possibilis fieri, qui non fiet; &, sicut quilibet confitetur, Deus de sua potentia absoluta potest facere quod A. erit; quare & quod non est futurum, esse futurum, sed non factione mutabili, initiabili, aut terminabili sæpe dicta: nam contradictionem implicat euidenter, quod aliquid aliquando sit futurum, & semper vel aliquando prius fuit non futurum, sicut decimum octauum huius ostendit. Sicut igitur non futurum potest fieri futurum, & futurum non futurum absque positione eius in esse factione non mutabili sed stabili, sic & præteritum non præteritum simili modo potest. Non ergo sequitur, sicut obijciebatur superiùs, si præterita possunt ista potentia non fuisse, quod per mutationem
|| sit possibile hoc ||*possunt*: nec etiam sequitur, si præterita possunt esse aut fieri non præterita, expedire hominibus consiliari de ipsis; non enim omne quod potest esse aut fieri, hoc potest per consilium hominum potentiamue humanam.

Vicesima secunda veritas dicit, quod res futura non potest non fore, nec præsens nunc & pro nunc non esse, nec præterita non fuisse, accipiendo correspondenter potentiam 16. veritati, B quæ sic intellecta ex eadem 16. sequitur euidenter, hoc vno adiuncto, quod voluntas diuina est causa necessaria, scilicet infrustrabilis & indefectibilis in causando, sicut decimum primi docet; Potest etiam hæc ostendi ex prima parte negatiua 18. veritatis.

Vicesima tertia veritas ex tribus primis partibus 17. clarè patet, hoc addito, quod voluntas diuina sit infrustrabilis & indefectibilis in causando: sequitur etiam ex correspondentibus partibus 18. veritatis.

Vicesima quarta ex vltima parte 17. sequitur manifestè, hoc vno coassumpto, quod voluntas diuina est causa necessaria, id est, necessario requisita ad hoc quod aliquid sit futurum, præsens, vel præteritum, sicut decimum quartum & nonum primi demonstrant: Hæc etiam ex vltima parte negatiua 18. ostenditur manifeste. Secundum hæc autem potest conuenienter intelligi & exponi illud vulgatum Philosophi, Esse quod est, quando est, & non esse quod non est, quando non est, necesse est, & similia. Dicta tamen Auerrois, Hugonis, & Petri hic obiecta erant exposita sexto huius. C Illud quoque Philosophi, si omnia ex necessitate essent aut fierent, non oportere consiliari, neque negotiari, fuit expositum vicesimo nono huius: potest etiam conuenienter exponi, quod intelligit ibi de necessitate contraria & repugnante possibilitati & contingentiæ præcedenti, sicut in ostensione nonæ veritatis apparet. Similibus quoque modis potest exponi dictum eiusdem Philosophi ex 3. Eth. obiectum. Alia etiam similia plurima reputo similiter exponenda. Per præmissa similiter possunt Deus, Christus, & Prophetæ, qui prædixerunt aliqua adhuc futura, à fallacia, mendacio, & ab omni inconuenienti defendi; quia sicut illa futura possunt nullatenus euenire, sic & illæ reuelationes, promissiones, iurationes, & prædictiones præteritæ non fuisse.

Vicesima quinta ex præmissis de æternitate consequitur euidenter. De futuris namque contingentibus, quando fient præsentia atque præterita, erit determinata veritas apud Deum, & non tunc primo & nouiter, quia apud Deum intrinsecè, & in æternitate nihil prius aut posterius successiuè, nihil mutabile, nihil nouum, sicut præmissa capitulo isto & proximo docuerunt. Item voluntas Dei est causa omnium futurorum per decimum quartum primi, & in- D
frustrabilis ac immutabilis per decimum & vicesimum tertium primi; & hæc est determinata apud Deum, sicut nullus ignorat: & quia de præsentibus & præteritis est determinata, quare & de futuris similiter, sicut potest ostendi per decimam tertiam & decimam quartam veritates. Item apud Deum est determinata scientia omnium futurorum, quia per causam determinatam, per suam scilicet voluntatem, per quam scit ea, vt decimo octauo primi fuit ostensum, & quia alias Deus certius sciret præsentia & præterita quam futura, sicque aliquid accederet eius scientiæ ex rebus scitis, contra vicesimum tertium primi, & tricesimum primum huius. Item omnia sunt semper præsentia in æternitate & intrinsecè apud Deum, scilicet causaliter, sicut ostensio decimæ quartæ veritatis ostendit; quare & de omnibus sicut de temporaliter præsentibus, determinata scientia, certitudo & veritas apud eum. Vnde Ammonius super 1. peri hermenias vlt. Nec Deos, inquit, est possibile neque indeterminatam cognitionem de futuris habere, E tanquam coniectantes de ipsis; primo quidem vt Timæus nos docuit, & vt Aristoteles Theologizans pronuntiat, & ante hos Parmenides, tam apud Platonem, quam in proprijs carminibus, Nihil est apud Deos neque præteritum, neque futurum, quoniam vtrumque horum est non ens; hoc quidem non amplius, hoc autem non dum, & hoc quidem transmutatum, hoc autem natum transmutari; quare & coniectiuam cognitionem à dijs, & in vltimo rationalis vitæ abijci necessariam; Deinde quomodo nisi modicum participabi-

mus

A mus sobrietate, nisi amplius attribuamus cognitioni Deorum, quam vestræ? Sed audientes & dubiam ipsam & indeterminatam confiteri; eiusdem enim erit rationis. Qui & infra multipliciter hoc ostenso concludit palam, quia & contingentia ordinari à Dijs dicendum est, & determinate cognosci ipsorum euentum; quod vt euidentiùs doceat, allegat Adnulam blichi, quod cognitio est media inter cognoscens & cognitum; est enim operatio cognoscentis circa cognitum, quod etiam cognitum quandoque cognoscitur altiori modo quàm sit natura eius, quandoque depresśiori, quandoque æqualiter. Cum enim intellectus noster politicas actiones disponit, cognoscit singularia negotia, referendo ea ad vniuersalia; Hæc autem cognitio altior est cognito singulari; partibile & transmutabile singulare. Ratio autem, per quam intellectus practicus cognoscit, indiuisibilis, & intransmutabilis est; Quandò autem intellectus ad se conuersus & operans secundum purificatiuas virtutes, secundùm substantiam considerat, cognitio est eiusdem ordinis cum eo quod cognoscitur; cum autem
B ascendens ad summum suæ perfectionis, & secundum contemplatiuas virtutes meditans, considerat ea quæ de diuinis ordinibus, & qualiter ex vno omnium principio hi producuntur, &, quæ vniuscuiusque proprietas est, cognitio deterior eo quod cognoscitur. His igitur sic se habentibus, dicendum, Deos quidem cognoscere omnia facta, entia & futura modo Dijs conuenienti; hoc autem est vnâ & determinata & infallibili cognitione: Propter quod quidem & contingentium scientiam, dicendum ipsos comprehendere velut omnia, quæ in mundo, producentes, & perpetuarum quidem substantiarum, ipsos causas existentes, generabilium autem concausas, secundum suas proprias operationes, & velut videntes non ipsas solum substantias, sed virtutes ipsarum, & operationes, eas quæ secundum naturam, & eas quæ præter naturam. Quod quidem præter naturam simul intrauit cum necessario ordine subiecto decurrentiæ entium, in his quæ nata sunt hoc participare, non principaliter, sed secundum modum qui dicitur parypostaseos, scilicet secùs existentiæ; Cognoscere tamen
C contingentia ipsorum natura est; propter quod, hac quidem indeterminatam habentia naturam posse quidem euenire & non euenire; illos autem velut modo nobiliori quam sit ipsorum natura, cognitionem eorum præaccipientes determinatè, & hæc scire. Etenim res partibiles impartibiliter, & indistanter cognoscere ipsos est necessarium, & plurificata vnitiuè, & temporalia æternaliter, & generabilia ingenerabiliter. Non enim vtique sustinebimus quod dicatur simul cum fluxu rerum, Deorum cognitionem decurrere, neque esse aliquid apud ipsos aut præteritum aut futurum, neque dici de ipsis, Erat vel Erit, vt in Timæo assumpsimus, cum sint significantia cuiusdam transmutationis; Solum autem ipsum est. Istam quoque sententiam plane testantur autoritates Augustini & Casśidori super Psalmum 43. 47. huius scriptæ.

Pro vicesima sexta sciendum, quod res sunt determinati esse, & determinatæ stabilitatis apud creaturam tripliciter; In se, In suis causis, Vtroque modo. In se, sicut res
D contingens præsens, puta Iohannem currere vel sedere, quod ex præsentia sua habet quandam necesśitatem sequentem essendi pro nunc, & sic || *est* determinatum & certum, || esse
& similem scibilitatem ab homine, & res præterita similiter: In suis causis, sicut res naturales naturali necesśitate futuræ, puta eclypsis futura luminarium, transmutatio elementorum, & mors mortalium: Vtroque modo, sicut effectus huiusmodi naturales præsentes in præteritumue transmisśi; Futura autem contingentia nullo istorum modorum sunt determinata. Non in se, constat; Non in suis causis, quia tunc non essent contingentia ad vtrumlibet, sed contingentia nata vel necessaria; Quare nec vtroque horum modorum; Hæc autem est sententia Philosophi 1. peri hermenias: vlt. sicut ab eo communiter allegatur, & in obiectionibus erat tactum, licet verbum, Determinatum, *Ammonius.*
nusquam ibi ponatur in tota serie sui textus. Vnde & Ammonius illum locum exponens, sic ait; Est idem sua quidem natura contingens, cognitioni autem Deorum non
E adhuc indeterminatum sed determinatum: Palam autem quod & nostræ cognitioni imposśibile est determinatè cognosci, aliquando contingens, sed ex necesśitate consequetur, præcedentibus causis suæ generationis. Nec huic resistunt nisi fortè Mathematici & diuini dicentes omnes actus humanos supponi necesśitati astrorum: Sed hos tertium secundi refellit. Verum per reuelationem diuinam potest creatura rationalis habere cognitionem determinatam & certam de futuris contingentibus, imo & quasi demonstrationem propter quid & à causa. Potest enim Deus certitudinaliter reuelare creaturæ rationali voluntatem suam de aliquo tali futuro in proprio genere vel in verbo, sicut quadragesimum huius & sequentia docuerunt: Voluntas autem diuina est causa futurorum necessaria in essendo, necesśitate sequente, & infrustrabilis in cau-

 sando

in causando, sicut decimum quartum primi, quinquagesimum secundum, & quinquagesimum huius, ac decimum primi docent; quæ omnia potest similiter reuelare. Potest ergo creatura cognoscere contingens fore per causam, & quoniam illius est causa, & quoniam impossibile est aliter se habere; potest etiam cognoscere illud fore ex veris, & primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, & causis conclusionis, vel potiùs & eminentiùs forsitan quam per propositiones creatas, per speculum scilicet veritatis æternæ; quare & demonstratiuè, vt patet 1. Post. 2. vel perfectiùs & excellentiùs quàm per demonstrationem syllogisticam discursiuam. Hoc idem confirmat autoritas Augustini super Psalmum quadragesimum tertium, quadragesimo septimo huius scripta. A

Philosophus.

Vicesima septima potest ostendi per vicesimam quintam & ostensionem illius: Potest quoque ostendi per decimum quartum & ostensionem illius, cum voluntas diuina sit causa omnium futurorum, per quam & Deus omnia illa præscit, sicut decimum quartum & decimum octauum primi docent. Quod & clare testantur dicta Augustini & Cassiodori super Psal, 43. 47. huius scripta.

Vicesima octaua potest ostendi per proximam, & decimam tertiam & ostensiones earum. B

Vicesima nona potest ostendi per proximam, & decimam quartam, & ostensiones illarum. Hanc etiam plane testari videntur Autoritates Augustini & Cassiodori super Psalmum quadragesimum tertium quadragesimo septimo huius præmissæ. Augustinus etiam vicesimo sexto contra Faustum 2. sic ait; Iam non possunt futura non fieri, quàm non fuisse facta præterita. Nec potest quis dicere Augustinum intelligere in sensu composito, vel de dicto, & non in sensu diuiso, seu de re; quia sic nullum obscurum vel dubium serenaret, nec quicquam doceret. Processus quoque, finis, & causa, quam dicit, ostendit ipsum loqui in sensu diuiso, & de re; Causa autem sua videtur esse voluntas Dei efficax, nec frustrabilis aut mutabilis, & veritas irrefragabilis, & immutabilis omniquaque: Vnde & immediate ante de quodam possibili fieri ita dicit, Concedo fieri posse, sed vtrum futurum sit, nescio, & ideo nescio, quia quid habeat de hac re Dei voluntas me latet; Illud tamen me non latet, sine dubio futurum, si hoc Dei voluntas habet. Porro, si audiam quod aliquid futurum erat, sed Deus fecit ne fieret; fidissime respondebo, Illud potius futurum erat quod Deus fecit, non illud, quod si futurum esset, hoc fecisset. Nam Deus quod facturus erat, vtique sciebat, & ideo simul sciebat illud futurum non fuisse, quod ne fieret facturus erat; & proculdubio potius verum est, quod Deus scit, quam quod opinatur homo: ex quibus immediate concludit, Vnde iam non possunt futura non fieri, quam non fuisse facta præterita. Sed quomodo istud ex prioribus sequeretur, si tantum in sensu composito loqueretur? Ecce similiter causa, quam immediatè subiungit, quoniam non est in Dei voluntate vt eo sit aliquid falsum, quo verum est: Quapropter omnia, quæ verè futura sunt, sine dubio fient; si autem facta non fuerint, futura non erant: Ita omnia quæ verè præterita sunt, sine dubio præterierunt. Manifeste quoque apparet per illas duas vniuersales affirmatiuas, vnam de futuro, & alteram de præterito, ipsum loqui de rebus ipsis futuris atque præteritis, non de propositionibus ipsis tantum. Qui & infra, Sententia, inquit, qua dicimus aliquid fuisse, ideo vera est, quia illud de quo dicimus iam non est: Hanc sententiam Deus falsam facere non potest, quia non est contrarius veritati. Quod si quæras, vbi sit hæc vera sententia, prius inuenitur in animo nostro, cum id verum scimus & dicimus: Sed si & de animo nostro ablata fuerit, cum id quod scimus obliti fuerimus, manebit ipsa veritate; Semper enim verum erit, fuisse illud quod erat, & non est, & ibi verum erit iam fuisse quod erat, vbi verum erat antequam fieret, futurum esse quod non erat. Huic veritati Deus non potest aduersari, in quo est ipsa summa & incommutabilis veritas, qua illustratur vt verum sit quicquid in quorumcunque animis & mentibus verum est. Hanc quoque æqualitatem necessitatis apud Deum respectu futurorum, sicut respectu præteritorum, quatenus hæc omnia sunt apud eum in æternitate præsentia, imò & qua præterita, quia simili certitudine, stabilitate & necessitate firmata, & quia sic coexistebant omni tempori præterito, imo & præcedebant omnia tempora sæcularia, communiter innuunt omnes Prophetæ, imo verius spiritus sanctus qui locutus est per Prophetas, futura quasi iam præterita prophetando, sicut quadragesimo septimo huius præhabita manifestant. Quibus & Philosophi consonare videntur: Dicit enim Aristoteles in De Mundo 11. quod omnia sunt verè opera Dei; ex quo, secundum naturalem Empedoclem, omnia, quæcunque sunt, & postmodum erunt, processerunt. Vnde & Augustinus de correptione & gratia 33. tractans illud Apostoli ad Rom. 8. Quos præsciuit & prædestinauit &c. ita scribit; Illa omnia iam facta sunt, Præsciuit, prædestinauit, vocauit, iustificauit, quoniam & iam omnes præsciti ac prædestinati sunt; Adhuc autem vsque in finem sæculi multi vocandi & iustificandi sunt, & tamen verba præteriti temporis posuit,

Augustinus. C D E *Aristot.* *Empedocles.* *Augustinus.*

A ſuit, & de rebus futuris, tanquam fecerit Deus, quæ iam vt fierent ex æternitate diſpoſuit. Ideo de illo dicit & Propheta Eſaias; Qui fecit quæ ventura ſunt. Hoc tamen in Eſaia ſecundum hanc ſeriem non memini me legiſſe, fortaſsis || *autem tranſlationem allegat aliam, quam non vidi*: iſta tamen ſententia de Eſaia occurrit. Nam quadrageſimo primo ſecundum tranſlationem Hieronymi, Eſaias, imò Dominus per Eſaiam ſic dicit, Quis ſuſcitauit ab Oriente iuſtum, ſcilicet Ieſum Chriſtum, & vocauit eum vt ſequeretur ſe? Ecce prophetia de præterito, & addit || *mixtim* de futuro, Dabit in conſpectu eius gentes, &c. & ſubdit, Quis hæc operatus eſt & fecit, vocans generationes ab exordio? Ego Dominus primus & nouiſsimus, ego ſum: & infra 48. Priora ex tunc annuntiaui, & ex ore meo exierunt, & audita feci ea, repentè operatus ſum, & venerunt. Pro hac autem neceſsitate ſequente ex præſentia ſeu præteritione apud Deum in æternitate, Auguſtinus infra 34. concludendo ſubiungit; Quicunque ergo in Dei prouidentiſsima diſpoſitione præſciti, prædeſtinati, vocati, iuſtificati ſunt & glorificati, non

Eſaias. || aliam tranſlationem allegat || in futurũ *Auguſtinus.*

B dico etiam nondum renati, ſed etiam nondum nati, iam filij Dei ſunt, & ideo omninò perire non poſſunt. Quod & Anſelmus de Concord. 3. tractans, eandem autoritatem Apoſtoli multo clariùs manifeſtat, ſicut quadrageſimum ſeptimum & viceſimum ſeptimum huius prodit. Qui inſuper Auguſtinus par. ſecundæ ſuper Iohan. homilia 14. ſeu 68. totius, tractans illud Iohannis 14. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt, & infra, Si abiero & præparauero vobis locum, &c. Quomodo, inquit, manſiones in domo Patris non aliæ ſed ipſæ, & ſine dubio iam ſunt ſicut parandæ non ſunt, & nondum ſunt ſicut parandæ ſunt? Quomodo putauimus, niſi quomodo etiam Propheta prædicat Deum, quia fecit quæ futura ſunt? Non enim ait, quia facturus eſt quæ futura ſunt, ergo & fecit ea, & facturus eſt ea: nam neque facta ſunt, ſi ipſe non fecit, neque futura ſunt, ſi ipſe non fecerit; fecit ergo ea prædeſtinando, facturus eſt operando. Vbi & illud Apoſtoli ad Epheſ. 1. Elegit nos ante conſtitutionem mundi; & illud ad Romanos prætactum, Quos prædeſtinauit, illos & vocauit, ſi-

Anſelmus. *Auguſtinus.*

C mili modo intelligit & exponit. Hæc autem autoritas Auguſtini, licèt non ſecundum ſeriem, allegatur in Canone de pœnitentia diſtinctione 4. In domo. Idem præterea Auguſtinus 5. de Trinitate vlt. Apud Deum, inquit, nec præterita tranſierunt, & futura iam facta ſunt. Ampliùs autem 10. de Ciuitate Dei 12. Vbi, inquit, & quando Deus faciat incommutabile conſilium, penes ipſum eſt, in cuius diſpoſitione iam tempora facta ſunt quæcunque futura ſunt. Nam temporalia mouens temporaliter non mouetur, nec aliter nouit facienda quàm facta, nec aliter inuocantes exaudit quàm inuocaturos videt, eiuſque temporaliter fiunt iuſſa æterna eius lege || *conſcripta.* Qui & 1. Confeſsionum 6. Anni, inquit Deo, tui non deficient; Anni tui hodiernus dies, & quàm multi; & quam multi noſtri iam dies & patrum noſtrorum per hodiernum tuum tranſierunt, & ex illo acceperunt modos, & vtcunque extiterint, & tranſibunt adhuc alij & accipient, & vtcunque exiſtent; tu autem idem ipſe es, & omnia craſtina atque vltima, omniaque heſterna & retro hodie facies, hodie

Auguſtinus || conſpecta

D feciſti. Quid ad me, ſi quis non intelligat: Gaudeat & ipſe, Domine, dicens quid hoc eſt? Gaudeat etiam ſic & ipſe, & amet non inueniendo inuenire potiùs quàm inueniendo non inuenire te.

Triceſima videtur tam certa, quòd probatione vix eget. Cauſæ namque inferiores ſunt temporales, actiuæ & paſsiuæ cum motu & tempore, cum initio & cum fine. Quod enim præteritum eſt, iam tranſijt poteſtatem harum cauſarum, nec eis vlteriùs ſubiacet: non enim poteſt ab eis initiari per operationem & motum, ſicut in oſtenſione viceſimæ primæ patet: Quod autem præſens eſt, pro nunc neceſſe eſt eſſe neceſsitate ſequente; quod verò futurum eſt, eſt initiabile per actionem & motum à cauſa ſecunda libera ſecundum contradictionem ad agendum & non, nec habet ex ſe aliquam neceſsitatem eſſendi. Nulla etiam cauſa ſecunda habet voluntatem efficacem in omnibus, ſicut Deus, imò ſecundum

E Philoſophum 3. Ethic. 5. Voluntas eſt impoſsibilium, quare etſi poſsit velle præterita non fuiſſe, præſentiaque non eſſe, res tamen non ſequitur eius velle, ſicut ſequitur velle Dei. Contra primum tamen iſtorum poteſt probabiliter obijci iſto modo; Cauſa ſecunda poteſt facere de præterito præſens: Sol namque eodem modo obiectus eidem illuminabili corruptibili vel æterno nunc & prius, idem lumen generat nunc quod priùs. Nam ſecundum Philoſophum 8. Metaphyſ. 11. diuerſitas effectuum eſt propter diuerſitatem efficientis, vel propter diuerſitatem materiæ; & ſecundum eundem 12. Metaphyſ. 11. Si agens ſit vnum & materia vna, factum eſt vnum; quod & planè dicit Auerroes || *vtroque commento*: Dicit quoque Philoſophus 2. de generatione penult. quòd idem & ſimiliter habens ſemper idem innatum eſt facere, ſuppoſita ſcilicet identitate materiæ. Sicut autem argutum eſt, lumen corruptum idem numero iterum

Philoſophus. *Auerroes.* || in loco vtroque. *Philoſophus.*

rum posse generari, sic & potest argui de cæteris formis generabilibus & corruptibilibus, accidentalibus, & substantialibus, quare & de ipsis compositis eisdem numeraliter reuersuris. Aqua quoque per discontinuationem corrupta, per recontinuationem eadem numero generatur. Quidam autem, vt Platonici, hoc || *concedunt.* Sed hos tricesima nona pars corollarij primi primi, & Philosophi, & Theologi redarguunt & derident. Alij autem tantum errorem vitare volentes, dicunt quòd non tantùm Sol, sed & omnes aliæ stellæ erraticæ atque fixæ coagunt * omnem effectum à quocunque productum; & quia situs & aspectus earum adinuicem & ad Solem continuè variatur, & effectus producti continuè variantur. Sed hi non euadunt Autoritates Philosophi allegatas: non enim quælibet parua diuersitas accidentalis in agente, facit diuersitatem numeralem in effectu, & maximè in substantijs simplicibus atque compositis. Possunt quoque stellæ cœli applicari ad aliquem locum terræ secundum æquè fortem aspectum nunc vt priùs, licèt fortè non secundum similem omni modo, quare & regenerare effectum corruptum. Aliquando etiam, vt videtur, redibunt omnes planetæ & stellæ ad similem aspectum omnino quem nunc habent, & quem in quocunque instanti priùs habebant, puta secundum Platonicos in fine magni anni mundi, qui secundum ipsos est reditio omnium cœlestium ad primarium statum suum, de quo primum primi pleniùs disserebat; tunc ergo res corruptæ eædem numero reuertentur. Quidam autem hanc rationem soluere cupientes, affirmant motus cœlestes non esse proportionabiles adinuicem aliqua proportione rationabili, sed tantùm irrationabili, qualis est proportio diametri quadrati ad latus, & coni ad medietatem suam, de qualibus alibi plenius est tractatum; quare nec mota cœlestia vnquam plenariè reuersura ad primarium statum suum, nec ad alium quemcunque sequentem. Sed ista hypothesis responsiua multùm voluntariè & faciliter ponitur sine euidentia rationis, quare & æquè faciliter reprobatur. Nunquid etiam, admissa hypothesi, ostendant suum propositum? Non est euidens vsquequaque, quod euidenti ratione discutere per theoremata mathematicalia à sacris literis multùm extranea, magis curiosum fortalsis quàm fructuosum Theologis videretur, maximè cùm aliter possit axioma propositum plenè solui. Alij verò dicunt, quòd diuersitas temporis numeralis est causa diuersitatis effectuum numeralis. Sed quomodo, cùm tempus non sit causa efficiens materialis neque formalis effectuum productorum? quæ etiam causa diuersitatis temporis numeralis? Si dixerint, quòd diuersitas motuum cœlestium: & quæ causa diuersitatis numeralis istorum? Et sic continuè ascendendum donec perueniatur ad primum huiusmodi diuersatum. Alij adhuc dicunt, quòd causa huiusmodi diuersitatis effectuum est diuersitas ordinis naturalis in subiecto ad diuersos effectus: sed quòd diuersitas in relatione sit causa diuersitatis in accidentibus absolutis, vel in substantijs, non videtur; imò rationabiliter est è contra. Vniuersitas etiam ordinis de necessitate consurgit ex diuersis ordinatis tanquam ex fundamento & causa priori; quare illa diuersa ordinata potiùs essent causa huiusmodi diuersitatis effectuum, quàm diuersitas ordinis. Quæ etiam, qualia, & quot sint ista ordinata diuersa, non exprimit, & vix si exprimere clarè possit. Philosophus etiam 12. Metaphys. vbi fuerat allegatus, tangit vnum per quod videtur soluere obiectionem præmissam, & exponere dicta sua, Illud, inquiens, factum est actu, cuius materia erat potentia, seu in potentia, innuens quòd etsi agens sit idem & materia eadem, ex diuersitate tamen potentiarum in materia ad diuersos effectus possunt prouenire diuersi effectus; quare ad hoc quòd effectus sit idem numero requiritur identitas potentiæ numeralis. Quamobrem & Auerroes illo commento vndecimo, Si, inquit, materia fuerit vna, & generans vnum, & potentia vna, tunc illud quod fit erit vnum; subiectum enim cùm fuerit vnum, & potentia existens in eo fuerit vna, & agens vnum, tunc nulla erit causa multitudinis. Verùm contra istos Philosophos potest principalis obiectio sic reduci, Si A. actiuum agat cras in B. passiuum, habens C. potentiam ad D. effectum, cras producet D.; ponaturque quòd Deus de omnipotentia sua hodie creet D. nihil mutando circa A. B. nec C.; vel si necessariò sequatur mutatio, corrupto etiam D. hodie reducat Deus omnipotens A. B. & C. ad statum priorem omninò; tunc A. cras ex B. & C. faciet D. præteritum & corruptum. Simili quoque modo potest ostendi, quòd hominem naturaliter generandum modo præmisso, olim factum à Deo, deuirginatum, mortuum & sepultum potest vir nouiter generare, & mulier parere, & parere eum virginem; omnis enim partus necessariò exit virgo; potest igitur causa secunda facere præteritum & corruptum præsentialiter existere, quare & non esse præteritum. Inter omnes autem sententias recitatas videtur mihi sententia Philosophi magis consona

Marginalia: A; B; C; D; E; || credunt.; * ad; *Responsio 3.*; *Responsio 4.*; *Responsio 5.*

A consona rationi, quod videlicet diuersitas effectuum numeralis succedentium sibi in eadem materia seu subiecto, existentibus eisdem agente & materia seu subiecto, sit ex diuersitate potentiæ seu potentiarum in ea seu in eo; quanquam circa plenam expositionem huiusmodi potentiæ longè maior discussio requiratur. Verùm quicquid sentiant Philosophi Ethnici, Theologi Catholici indubitanter agnoscant primam, summam, & verissimam causam huiusmodi effectuum diuersorum esse voluntatem diuinam, non mutabilem aut diuersam, sed stabilem & eandem, quâ sine successione actuum voluntatis & mutatione sui quacunque, vult & facit diuersos effectus sibi succedere quando vult, & vbi, sicut 9^um^. & 23^um^. atque 47^um^. primi docent. Vnde & Iudith. 9. Hoc factum est, quod ipse voluisti. Beatus etiam Augustinus 3. de Trinit. 2. loquens de omnibus quæ fiunt visitatè vel insulitate, sæpe vel raro, Horum, inquit, nihil fit nisi Dei voluntate, sed plerisque non apparet: Itaque placuit vanitati Philoso-
B phorum etiam causis alijs ea tribuere, vel veris, sed proximis, cùm omnino videre non possent superiorem cæteris omnibus causis causam, id est, voluntatem Dei; vel falsis, & ne ab ipsa quidem peruestigatione corporalium rerum atq; mutationum, sed à sua suspicione & errore prolatis. Quare & Enchirid. 6. dicit, Cùm quæritur quid credendum sit quod ad religionem pertineat, non rerum natura ita rimanda est, quemadmodum ab eis quos Physicos Græci vocant, nec metuendum est quemadmodum ab eisdem, ne aliquid de vi & numero elementorum, de motu, atque ordine, & defectibus syderum & figura cœli, de generibus & naturis animalium, fluctuum, lapidum, fontium, fluminum, montium, de spacijs locorum & temporum, de signis imminentium tempestatum & alijs sequentibus, de his rebus quas illi inuenerunt, vel inuenisse se existimant, Christianus ignoret; quia nec ipsi omnia repererunt tanto excellentes ingenio, flagrantes studio, abundantes otio, & quædam humana coniectura inuestigantes, quædam verò historica experientia perscrutantes, & in eis quæ se inuenisse gloriantur, plura opi-
C nantes potius quàm scientes; Satis est Christiano rerum creatarum causam, siue cœlestium, siue terrestrium, siue visibilium, siue inuisibilium, non nisi bonitatem credere, Creatoris bonam scilicet voluntatem. Porrò, siue causa secunda possit facere eundem effectum numero qui præcessit, sicut verisimiliter apparet quod possit, supposito miraculo præcedenti, sicut proximo fuit obiectum; & in recontinuatione forsitan liquidi per discontinuationem corrupti; siue non possit, sicut extra hos casus videtur non posse, obiectio non procedit. Si enim non possit, non obstat; si autem liberè posset facere de præterito & corrupto præsens existens, non tamen propter hoc potest facere de præterito non præteritum, & de corrupto aut corrupta virginem, sicut Deus. Licet enim Deus per suam omnipotentiam reduceret Abraham & Saram ad eundum statum in omnibus quem habebant, quando generabatur Isaak; & hic generaret, & illa pareret Isaak, pareret eum corruptum, & præteritum patrem Iacob; verum est tamen secundum cursum naturę, & sine miraculo, quod omnis partus necessariò exit virgo. Adhuc au-
D tem fortassis sophista sophisticè sic instabit; Vocetur illud præteritum quod fuit & non est; si ergo causa secunda potest facere de præterito ipsum esse, potest & facere quod non sit præteritum. Sed istud non probat quod causa secunda possit facere de præterito non præteritũ quantum ad hanc conditionem, fuisse, scilicet quod careat fuisse; quare nec obstat. Sed adhuc forsitan replicabit, Causa secunda libera, puta Petrus, aliquem suum effectum liberum præteritum, qui dicatur A, potuit prius fecisse non præteritum, simpliciter scilicet omittendo, sicut loquitur lex de Facere Digest de regulis Iuris, Qui, inquiens, non facit quæ facere debet, videtur facere aduersus ea, quia non fecit; & est satis creber modus loquendi; vel effectum contrarium & incompossibilem A qui nominetur B faciendo, & Deus omnipotens potest restituere Petro omnem potentiam quam prius habuit, & maiorem; quo facto potest Petrus facere A non prę-teritum. Vel sic, Petrus prius potuit facere quod A non fuisset; quare & si per omnipotentiam Dei factus sit nunc æquè potens, sicut tunc erat, vel potentior adhuc potest. Vel adhuc fortas-
E sis fortius isto modo; Quicquid quocunq; modo Deus olim potuit, adhuc eodẽ modo potest; Alias namq; fieret minus potens, & cessaret esse omnipotens; sed Deus olim potuit facere per causam secundam, puta per Petrum, A non esse præteritum, seu quod A non fuisset. Hęc autẽ, etsi videantur acuta, de facili retundentur. Nam etsi Petrus haberet nunc omnem potentiam vel maiorem quàm prius, non propter hoc posset nunc omnem effectum eundem numero quem prius, sed forte eundem & æqualem specie, vel maiorem; cuius causa est, quia ad identitatem numeralem effectus non sufficit sola identitas numeralis agentis, potentięuè agentis, imò requiritur identitas numeralis materiæ seu obiecti potentiæq; illius, sicut præmissa testantur. Et si ponatur quod Deus omnipotens hæc omnia eadem numero plenè restauret, esto quod Petrus nunc possit facere eundem effectum numero vel defectum numero quem prius; non tamen propter hoc potest nunc facere A non esse præteritum, quia nunquam prius hoc

Responsio propria.

Iudith.

Augustinus.

 potuit

potuit facere, quia non antequam A fuit; Tunc enim non fuit factibile à Petro A non esse præteritum; Sic enim æternaliter ante fuit, sicut modo non est factibile ab aliqua causa secunda, quod Antichristus, qui est futurus, non sit præteritus nunc vel ante. Nam quomodo faceret quod æternaliter ante fuit, & quod non potest habere initium & terminum factionis, cùm tamen quodlibet facere causæ secundæ necessarò hoc requirat, sicut in ostensione vigesimæ primæ partis corollarij huius patet? Nec quando A fuit potuit Petrus facere A non esse præteritum, propter similes rationes. Tunc enim, sicut & semper ante fuit A non præteritum, nec hoc tunc vel ante à factione vel defectione Petri quouismodo dependit; quare nec postquam A fuit potuit Petrus facere A non esse præteritum: Si enim hoc fecisset, A & tunc & semper ante fuisset non præteritum; Non enim potest quicquam incipere esse non præteritum; & quia non posset hoc facere, aut fecisse postquam A fuit, nisi per factionem initiabilem & mutabilem de præterito in non præteritum, quod contradictionem includit. Secunda instantia B soluitur sicut prima. Non enim ex æquali potentia nunc & prius vel maiori in Petro consequitur ipsum posse omnem eundem effectum numero quem prius, sicut iam patuit. Et si quis obijciendo supponat, quod Deus omnipotens restauret in Petro actiuo, in subiecto passiuo, & in omnibus requisitis omnia eadem numero quæ prius, licet Petrus nunc posit facere eundem effectum numero vel defectum quem prius, non tamen propter hoc potest nunc facere, quod A non prius fuisset, sed quod A non sit modo deficiendo, videlicet tantummodo priuatiuè à factione A, seu faciendo effectum contrarium incompossibilem, & exclusorium ipsius A; ita quod alias A nunc esset, & idem esset ipsum fecisse prius seu facere quod A prius non fuisset, & facere nunc quod A nunc non esset, non autem facere nunc quod A prius non fuisset, secundum Logicam 24°. primi præmissam; sicut idem fuit realiter dicere tempore passionis Christi, Christus nunc patitur, & nunc, Christus tunc patiebatur, sicuti & de præteritis alijs vniuersis. Vltima instantia soluitur vt priores; Non potest Deus per causam C secundam facere A non præteritum, sicut nec potuit vnquam prius: Nihil enim potest facere per causam secundam, nisi quod illa potest aliquo modo facere; sed nulla causa secunda potest hoc facere quouismodo, sicut superius est ostensum; Omnis namque factio causæ secundæ est temporalis cum mutatione & initio; sed A non esse præteritum initiari non potest, quare nec fieri per causam secundam, per factionem aliquam temporalem, sed à solo Deo factione æterna, scilicet nolutione sua seu volutione sua æterna initiũ non habente, qua non vult A esse præteritum, seu vult A esse non præteritum, sicut ostensio 21ᵉ. partis plenius manifestat. Adhuc autem fortasis non desines obiectare istum hominem, puta Ioannem, qui fecit hoc vel illud, contingit non fecisse hoc neq; illud, & Ioannem, qui non fecit hoc nec illud, contingit fecisse hoc & illud; Contingit enim Deum ‖ *hoc* nolle aut velle. Sed istud non obstat. Licet enim hoc sit posibile & contingens respectu voluntatis diuinæ, non tamen respectu voluntatis humanæ, puta Ioannis; Nihil enim est in potestate Ioannis nisi quod cùm vult, facit sicut priora D testantur; sed licet Ioannes hoc velit, non ideo sequitur ita esse, licet insuper Ioannes posit non fecisse quod fecit; non potest tamen facere se non fecisse quod fecit: Quicquid enim faciat in præsenti aut etiam in futuro, non ideo sequitur ipsum non fecisse quod fecit. Contra 2ᵃᵐ particulam huius trigesimæ sic instatur; Contingentia & libertas propriè dicitur respectu præsentis, respectu verò futuri impropriè vel minus propriè cõmuniter seu extensè, sicut 5ᵘᵐ. & 6ᵘᵐ. huius affirmant: Est ergo apud causas inferiores maior contingentia & libertas respectu præsentis, quàm respectu futuri. Sed quis ignoret non sequi ex magis propriè esse tale magis simpliciter esse tale? Quis enim ignoret perfectum magis propriè dici de creatura plenè facta, quam de Deo nullo modo factibili neq; facto? & quis cõcesserit creaturam esse magis perfectã quàm Deum? Quis ‖ *etiam* nesciat magnum magis propriè dici de corpore quàm de Deo, & de potentijs secundum dimensiones corporales extẽsas, quàm de potentia indiuisibili non extensa? quis tamen concesserit corpus finitum esse maius Deo, cuius magnitudinis non est finis? vel E potentiã cuiuslibet elementi finitam, cuiuslibet glebæ terræ, seu cuiuslibet guttæ aquæ esse maiorẽ Dei potentia infinita? Quamobrẽ illa consecutio non est tenax. Vlterius autem contra 3ᵃᵐ particulam huius trigesimæ quisquam fortasis opponet, quod voluntas diuina est causa infrustrabilis & indefectibilis; quare quæcunq; causa inferior producet quemcunq; effectum suum futurum, sicut quare producit & produxit omnem effectum suum præsentem & præteritum; & per decimam quartam & 29ᵃᵐ. partes coroll. prælibati in ipsa est æqualis necessitas respectu futurorum, sicut respectu præsentium & præteritorum; quare & æquè necessarium est causas inferiores producere effectus suos futuros, sicut producere præsentes, & præteritos produxisse. Sed istud nec concludit nec obstat. Non concludit, quia etsi in voluntate diuina sit æqualis necessitas respectu futurorum, sicut respectu præsentium, alia tamen est necessitas in cau-

‖ aut

‖ enim

A causis inferioribus respectu effectuum suorum præsentium; respectu autem effectuum contingenter ad vtrumlibet futurorum nequaquam: Quare multiplicior est necessitas respectu effectuum præsentium causarum inferiorum, quàm respectu suorum effectuum futurorum. Istud etiam etsi concluderet, non obstaret. Licet enim esset necessarium & æquè necessarium, causas inferiores producere effectus suos futuros, sicut producere præsentes, vel præteritos produxisse, quantum est ex parte voluntatis diuinæ; non tamen quantum est ex parte causarum inferiorum: Causa namq; inferior ad vtrumlibet quid actura nudè & absolutè considerata, quantum est de se, nulla necessitate astringitur ad illud agendum, sed indifferenter, indeterminatè & contingenter ad vtrumlibet se habet ad agendum illud & non, sicut 29°. huius ad simile argumentum similiter est responsum. Amplius autem & præter obiectiones præmissas, potest & aliter obijci contra dicta: Ex prędictis namq; sequi videtur contradictoria esse simul vera, sal-
B tem in æternitate, quia omnia succedentia sibi in tempore sunt insuccessibiliter ibi simul, sicut præmissa testantur. Rursum si esset talis necessitas sequens & immutabilitatis in Deo, ipse non esset liberi arbitrij, quia nequaquam flexibilis hinc & inde. Præterea si talis necessitas sit in Deo, preces sibi inaniter offeruntur, cum per eas nullatenus inclinari, nullatenus flecti possit. Primum autem istorum erat solutum 24°. primi: Secundum autem soluetur per primum & quintum huius; Hæc enim ostendunt quod libertas, contingentia & necessitas non repugnant. Quis etiam dubitet libertatem arbitrij compati necessitatem sequentem? Mutabilissimus namque homo, licet secundum opinionem quorundam posset velle ex se solo sine Deo aliquid coagente, si nunc quicquam vellet, necessariò pro nunc illud vellet necessitate sequente. Nunquid etiam habet Deus libertatem arbitrij circa præsentia & præterita, sicut circa futura, vel minorem respectu horum, quàm respectu futurorum, & sic respectu eiusdem obiecti minorum nunc quàm prius, vel potius totam libertatem circa aliqua voluta irrecuperabiliter
C iam amisit, nouellam seruitutem nouellos compedes nouellæ necessitatis incurrens, contra prius ostensa 30°. 50° & 52°. istius, & specialiter contra 13am & 14am. corollarij huius partes? Nec quia Deus est liberi arbitrij, consequens est eum esse mutabiliter flexibilem, sicut mutabilem hominem hinc & inde: sed ideo dicitur Deus liber libertate contradictionis, quia non est in eo necessitas antecedens ad actum voluntatis ad extra, sed quatenus præcedit causaliter illum actum, posset ad vtrumlibet producere illum & non, sicut ostensio tertiæ veritatis corollarij huius & nonæ plenius manifestat. Vnde & sanctus Thomas super 1. sentent. dist. 39. quęstione 1. quærente, Vtrum Deus possit non scire illud quod scit; & arguto tertio quod non, quia omne quod est, necesse est esse dum est, sed scire Dei est ens actu; & quarto quia omne æternum est necessarium, sed quodlibet scire Dei est æternum, respondet hoc modo; Ad tertium dicendum, quod Illud, quod est, necesse est esse, dum est; absolutè tamen loquendo non necesse est esse, & ita Deum scire necesse est dum scit, nec tamen necesse est eum scire nisi ne-
D cessitate immobilitatis, quæ voluntatis libertatem non excludit; & hæc libertas significatur cùm dicitur, quod Deus potest non scire & non velle. Ad quartum dicendum, quod omne æternum est necessarium necessitate immobilitatis, quæ voluntatis libertatem non excludit, vt dictum est. Quomodo autem scire ad voluntatis libertatem pertineat statim ‖ *prodit*, Licet, ‖ subdit inquiens, esse & scire in Deo sint idem secundum rem, tamen scire sequitur voluntatem vt imperatum ab ipsa aut non; & ideo esse suum subiacet libertati voluntatis, sicut scire operationi creaturæ. Qui & 1. contra Gentiles 85°. tenet eandem sententiam, sicut vigesimum octauum huius breuiter recitauit. Tertium obiectum supponit cum Ægyptijs Deum esse mutabilem, & alterabilis voluntatis per merita & per preces, contra quintum & vigesimum tertium primi libri: Soluitur autem per præmissa, circa dictum Philosophi 1. peri hermenias vlt. & instantiã de negligentia 29°. huius. Deus enim sicut prædestinauit aliquibus, puta electis finem, sic viam ad illum; sicut extremum, sic media; sicut coronam, sic militiam, merita, & labores, sicut autoritas B. Gregorij 1. Dial. 21. & aliæ 23°. primi scriptæ lucidè manifestant.
E

A

CAP. LIII.

Contra promptulos accuſatores, faciles iudices & præcipites damnatores; & ponit 36. capitula, quæ ſibi videntur erronea, implorans humiliter autoritatem Eccleſiæ quatenus determinet veritatem. B

His autem Dei gratia conſummatis, reſpicio & reſpecto magnitudinem perhorrendam huius periculoſiſsimi pelagi, Pelagio peſtilente cum ſuis Pelagianis peſtiferis à voraginibus eius abſorptis, Duce Domino in tutiſsimam Petri nauiculam iam tranſacti, pro gratia multiformi gratias referens multiformes: Reuertor ad animum, reuoluo præmiſſa, rumino & maſtico, conſiderans quoque mecum materiæ, imò materiarum difficultatem quàm maximam, opinionum varietatem quam plurimam, & opinantium non minimam vanitatem: Credo firmiter, & indubitanter exiſtimo quod multi promptuli detractores me multipliciter accuſabunt, leuiter iudicabunt, & præcipitanter forſitan condemnabunt. Sed nonne Patres noſtri, tam veteres, quam recentes, ante legem, ſub lege, atque ſub gratia, imò & Magiſter noſter & Dominus Ieſus Chriſtus à ſimilibus ſimilia ſunt perpeſsi, ſicut non paucæ teſtantur hiſtoriæ, C & exordium huius tangit? Et quis ego tantillus, putredo & vermis, vnde tantis & talibus reputor comparandus? cur ergo cum eis timeam perpeti, aut refugiam tribulari, vt ſic ſaltem, licet multum diſsimiliter & diſtanter, ipſis merear comparari? Veruntamen qui me errare putauerit, hortante, quæſo, Timæo, & Apoſtolo ſuadente, conſideret, & etiam atque etiam conſiderando conſideret & aduertat ſeipſum eſſe hominem ſimilem mei, infirmitate circundatum, vanitati ſubiectum, multipliciter errabundum, & caueat, ne forſitan ipſe erret. Vnum ſcio, quod ſi erro, probabiliter multum erro, quia non ſolus, ſed cum multis & magnis Autoribus approbatis, cum multis quoque & magnis rationibus probabilibus, nec facilè reprobandis. Vnum quoque peto humiliter & requiro, vt qui me errare contenderit, appendat rationes & autoritates noſtras contrarias, ſententias noſtras contrarias munientes indifferenti & iuſta ſtatera, non fauorabili aut doloſa, & probatiorem ſententiam amplexetur. Puto ſiquidem confidenter, imò videor me ſcire, quod ſi pro ſententia partis contrariæ eſſent D tot & tam validæ rationes, & tot autoritates tam medullatæ, tam conſonæ, ſicut pro ſententia partis huius, & tam marcidæ rationes & autoritates tam macræ, tam abſonæ pro iſta, ſicut pro illa, illa fuiſſet ab olim canonizata ſolenniter, & iſta ſolenniter lapidata. Harum quoq; ſentent. qualitates contrarias videtur perſpicuè demonſtrare, quod quanto nuper ambæ ſententiæ in cōflatorio ſcholaſtico diutino, & frequenti vehementius tentabātur, & diligentius probabantur, iſta ſemper velut aurum præclarior, illa velut aurichalcum ſeu ſcoria obſcurior videbatur. Veruntamen quia nequaquam tantæ autoritatis me reputo, nec tam ebriè ſapio, vt vel leuiter æſtimem, quod tanta cauſa per me tantillum finaliter decidatur, & os iniqua loquentium obſtruatur, flexis genibus cordis mei imploro Eccleſiam, præcipuè autem Romanam, quæ ſumma autoritate vigere dignoſcitur, & ſpiritu ſapientiæ gubernari, quatenus ipſa determinare dignetur quid circa præmiſſa catholicè ſit tenendum: Non enim ſine periculo in talibus aberratur. Simon, dormis; exurge, quæſo, exime gladium, amputa quæque ſiniſtra hæreticæ prauitatis, defende & protege catholicam veritatem. Porrò, etſi Dominus ipſe in Petri nauicula dormiat nimietate tempeſtatis compulſus, ipſum quoque fiducialiter excitabo, quatenus ſpiritus oris ſui tempeſtate ſedata tranquillum faciat & ſerenum. Abſit autem, vt qui in prorâ huius nauiculæ peruigil laborabat, iam in puppi ſuper ceruical dormiat vel dormitet, niſi ea occaſione fortaſsis, vt ſic ſupra vires grauati imbecillitatem propriam agnoſcentes, ad ipſum clament feruentius, pulſent attentiùs, diligentiùs quærant auxilium, inuentùmque amantiùs teneant & chariùs amplexentur. Verùm licet magno deſiderio affectarem vt omnia & ſingula prælibata examen Eccleſię mererentur, hoc tamen præcipuè in 36. articulis infra ſcriptis, qui mihi videntur erronei, exoro ſuppliciter toto corde, vt ſic, quicunq; errauerit, ſiue ego quod timeo, ſiue alius, ſicut puto, reducatur perſpicuè ad ſemitam veritatis, & in ipſa indeclinabiliter confirmetur.

Quod

A Quòd Deus non est tam perfectus & bonus, quin aliquid perfectius & melius esse posset. 1
Quòd aliqua res existit, Deo ipsam nullatenus conseruante. 2
Quòd aliqua res existit, Deo nequaquam ipsam immediatè & per se & propriè conseruante, sed tantùm mediante cœlo vel aliquo alio & per illud; vel quia prohibet corruptiua, vel quia permittit rem esse, aut non destruit rem cùm posset. 3
Quòd aliqua res creata vel creabilis sine conseruatione diuina omninò, vel saltem sine conseruatione diuina immediata, per se & || *propriè* posset esse. 4 || propria
Quòd aliqua res secundũ essentiam suam siue substantiam fiat, Deo ipsam minimè faciente. 5
Quòd aliqua res secundum essentiam suam siue substantiam fiat sine Deo ipsam immediatè per se & propriè faciente, sed tantùm mediante cœlo vel aliquo alio, & per illud, vel Deo tantùm impeditiua contraria prohibente, vel ea tantummodò ratione quia causa eius efficiens est facta, conseruata, permissa, vel non impedita à Deo. 6
B Quòd aliqua res secundum essentiam suam siue substantiam posset fieri Deo ipsam minimè faciente, vel saltem Deo immediatè per se & propriè ipsam nullatenus faciente. 7
Quòd Deus est aliquo modo mutabilis. 8
Quòd scientia Dei, aut eius voluntas est aliquo modo mutabilis. 9
Quòd Deus sciendo, volendo, seu quicquam agendo intrinsecus non est semper intrinsecè, æquè, summè & plenißimè actualis. 10
Quòd scientia Dei causatur à posterioribus rebus scitis. 11
Quòd voluntas Dei, siue volutio, à posterioribus volitis suis causatur. 12
Quòd actus voluntatis diuinæ, Angelicæ, vel humanæ, nihil est. 13
Quòd actus voluntatis creatæ secundum essentiam siue substantiam actus fiat ab ipsa, Deo eundem nullatenus coagente. 14
Quòd actus voluntatis creatæ secundum essentiam siue substantiam actus fiat ab ipsa, sine C Deo eundem immediatè, per se & propriè faciente, sed tantùm mediante cœlo, influentia generali, obiecto, vel aliquo alio simili, & per illud; vel tali tantummodo impropria ratione, quia Deus voluntatem creatam, quæ efficit actum illum, fecit aut || *seruat*, non destruit, vel non impedit, sed esse & operari permittit, aut quia prohibet ipsam ab alijs impediri. 15 || fecerat
Quòd quando Deus & creatura rationalis coefficiunt liberum actum suum, creatura priùs naturaliter agit illum quàm Deus; & quòd voluntas creata præcedit naturaliter in agendo vt Domina, & diuina ipsam subsequitur naturaliter vt ancilla. 16
Quòd Deum præuelle hoc, id est, prius naturaliter velle, seu prius æternaliter voluisse hoc vel illud præsens vel futurum, sit vel fuit in libera contradictionis hominis potestate. 17
Quòd causa prima, seu voluntas diuina sit in causæ posterioris seu voluntatis creatæ libera potestate. 18
Quòd gratia, qua saluamur, non datur à Deo gratis simpliciter, sed aliquo merito præuio D magno vel paruo, condigno vel congruo comparatur. 19
Quòd voluntas diuina est impedibilis, & non vniuersaliter efficax in causando. 20
Quòd ad hoc quod volũtas diuina sit infrustrabilis & necessaria in causando respectu suorum effectuũ quorumcunque, & quarumcunq; posteriorũ causarũ, omnesque sui effectus sint necessarij respectu illius, non sufficit quòd ipsa sit causa prima naturaliter, & in nullius alterius, nullarumuè aliarum potestate non impedibilis & vniuersaliter efficax in causando. 21
Quòd non est necessarium, Deum creasse mundum, incarnatum fuisse, vel hominem redemisse, nec Deum hoc velle, aut etiam voluisse. 22
Quòd voluntas diuina respectu futurorum contingentium, quamdiu sunt futura, est libera libertate contradictionis, & non necessaria; sed cùm fiunt præsentia in præteritumuè labuntur, desinit esse libera huiusmodi libertate, & incipit esse necessaria necessitate opposita respe- E ctu eorum. 23
Quòd voluntas diuina non semper est æquè libera vel æquè necessaria respectu cuiuscunq; sui obiecti, & cuiuslibet intrinseci actus sui. 24
Quòd non est necessarium Deum scire aut sciuisse de qualibet re præsenti vel præterita ipsam esse aut fuisse. 25
Quòd scientia Dei respectu futurorum contingentium, quamdiu sunt futura contingentia, est contingens, non necessaria; sed quando fiunt præsentia vel in præteritum transeunt, desinit esse contingens, & incipit esse necessaria necessitate opposita respectu eorum. 26
Quòd scientia Dei non semper est æquè libera, vel æquè necessaria respectu cuiuscunq; sui obiecti, & quòd intellectus diuinus seu Deus nequaquã æternaliter permanet intrinsecus plenißimè vniformis, semper viz. æquè liber, aut æquè necessarius respectu cuiuslibet intrinseci actus sui. 27

Quòd

28 Quòd licèt Christus secundũ intellectũ, voluntatẽ & linguã suos humanos in proprio genere per actus naturales humanos distinctè sciuit, seu credidit, & similiter voluit, viua voce asseruit & iurauit, quòd Sacramenta Ecclesiæ vsq; ad finẽ sæculi perdurarent, quòd foret generalis resurrectio mortuorum, & quòd haberent pœnã vel gloriã sempiternam, non est tamen necessarium quòd illud sciuit, credidit, voluit, asseruit, vel iurauit. Vel sicut quidam sophisticaliùs aiunt, quòd licèt Christus secundũ intellectum, voluntatem & linguam suos humanos quicquam horum sic sciuit, credidit, voluit, asseruit, & iurauit, & hoc ad intellectum generalem, planum, simplicem, absolutum; non est tamen necessarium quòd hoc sciuit, credidit, voluit, asseruit, aut iurauit ad illum intellectũ, sed est contingenter posibile quòd hoc fecit, non ad illũ, sed ad aliquẽ parabolicũ, mysticum, conditionalẽ, vel aliũ huiusmodi intellectum. A

29 Quòd etsi Christus secundum naturam suam humanam per actus naturales humanos distinctè sciuit, credidit, voluit, asseruit, & iurauit de aliquo futuro contingenti quod hoc erit, quamdiu illud manet futurum contingens, contingens est & liberum secundum contradictionem, non necessarium Christum hoc sic sciuisse, credidisse, voluisse, asseruisse, atque iurasse; sed quando illud fit præsens, aut in præteritum labitur, non est contingens aut liberum Christum sic fecisse, sed necessarium necessitate opposita. B

30 Quòd fuit & est in hominis potestate decipere Christum secundum naturam humanam assumptam, vnione manente, facere ipsum credere falsum, mentiri, velle inaniter, & repugnanter voluntati diuinæ; siue, vt quidam subtiliores in oculis suis astruere non verentur, quod fuit & est in hominis potestate facere aliquid; vnde cum quibusdam veris alijs sequitur Christum secundum naturam suam humanam vnitam, fuisse aut esse deceptum, falsum credendo, mentitum fuisse, præsentialiterue mentiri voluisse, seu velle inaniter & repugnanter voluntati diuinæ.

31 Quòd imposibile fuit Christum secundum naturam suam humanam vnitam, & in proprio genere habere actus cognoscendi aut volendi naturales, proprios, & distinctos, respectu aliquorum in potestate hominis positorum, aut aliquorum contingenter seu non absolutè necessariò futurorum; aut quòd posibile fuit Christum secundum naturam suam humanam vnitam & in proprio genere decipi in credendo, & errare volendo, velle videlicet fieri quod nunquam fieret, & repugnanter siue difformiter voluntati diuinæ, velle, inquam, voluntate rationali, non appetitu sensuali siue carnali. C

32 Quòd prophetiæ de Christo ante adimpletionem earũ non erant necessariò adimplendæ; & quòd medio tempore inter mundationem seu sanctificationem B. Mariæ & sanctorum Patrũ veteris Testamenti in fide Christi Redemptoris futuri, transitũ quoq; & saluationem eorundem Patrum, & pasionem Christi, non fuit necessarium ipsos fuisse mundatos, sanctificatos, aut saluatos per fidem Christi Redemptoris futuri; aut quòd fuit posibile ipsos fuisse mundatos, sanctificatos & saluatos per fidem fictam, falsam, erroneam & mendacem.

33 Quòd prophetiæ & promisiones Christi ante adimpletionem ipsarum non erant nec sunt necessariò adimplendæ. D

34 Quòd omnes prophetiæ prædictę de Christo, & omnes prophetiæ ac promisiones Christi de futuris, licèt videbantur verbaliter absolutæ, erant tamen mentaliter tacitæ conditionales, & nullæ simpliciter absolutæ.

35 Quòd non est necessarium, quòd Ecclesia Christi vsque in finem mundi perseueret fidelis.

36 Quòd posibile est Ecclesiam Christi ex doctrina Christi semper directè fuisse deceptam in substantialibus articulis fidei Christianæ, & erroneè credidisse resurrectionem mortuorum, diem iudicij, & vitam æternam futuras; & quòd non est necessarium quòd erit generalis resurrectio mortuorũ, neq; quòd reprobi vel electi habebunt suppliciũ vel gaudiũ sempiternũ.

Istis autem articulis velut erroneis condemnatis, quid consequentius quàm vt hæ totidem veritates oppositæ sanciantur?

1 Quòd Deus est tam perfectus & bonus, quòd nihil perfectius aut melius esse posset. E

2 Quòd nulla res existit, nisi Deo ipsam conseruante in esse.

3 Quòd nulla res existit, nisi Deo ipsam immediatè, per se & propriè conseruante in esse, non tantùm mediante cœlo vel aliquo alio, & per illud, vel quia prohibet corruptiua, vel quia permittit rem esse, aut non destruit rem cùm posset.

4 Quòd nulla res creata vel creabilis sine conseruatione diuina omninò, neque sine conseruatione diuina immediatè, per se & propria posset esse.

5 Quòd omnis res facta, secundum essentiam suam, siue substantiam, fit à Deo.

6 Quòd omnis res facta, secundũ essentiã suã siue substantiã, fit à Deo ipsã immediatè, per se & propriè faciente, nõ tantũ mediante cœlo, vel aliquo & alio, & per illud, nec tantũ ideo quia

Deus

A Deus impeditiua contraria prohibet, aut cauſam efficientem rei fecit aut ſeruat, permittit, vel non impedit operari.

Quod nulla res ſecundum eſſentiam ſuam ſiue ſubſtantiam poſſet fieri niſi à Deo, neq; niſi à Deo ipſam immediatè, per ſe & propriè faciente. 7

Quod Deus non eſt aliquo modo mutabilis. 8

Quod neque ſcientia Dei, neque eius voluntas eſt mutabilis vllo modo. 9

Quod Deus ſciendo, volendo, & quodcunque agendo intrinſecus eſt ſemper intrinſecè æquè ſummè & pleniſsimè actualis. 10

Quod nulla ſcientia Dei cauſatur à poſterioribus rebus ſcitis. 11

Quod nulla voluntas Dei, ſiue volitio à poſterioribus volitis ſuis cauſatur. 12

Quod omnis actus voluntatis diuinæ, Angelicæ, & humanæ eſt aliquid. 13

Quod omnis actio voluntatis creatæ, ſecundum eſſentiam ſiue ſubſtantiam ipſam actus, ſit 14
B ab ipſa, & à Deo eundem pariter coagente.

Quod omnis actus voluntatis creatæ, ſecundum eſſentiam ſiue ſubſtantiam ipſam actus, ſit ab ipſa & à Deo eundem pariter immediatè, per ſe & propriè coagente, non tantum mediante cælo, influentia generali, obiecto, vel aliquo alio ſimili, & per illud; neque tali tantummodo impropria ratione, qua Deus voluntatem creatam, quæ efficit actum illum, fecit aut ſeruat, non deſtruit, vel non impedit, ſed eſſe & operari permittit, aut quia prohibet ipſam ab alijs impediri. 15

Quod quandocũq; Deus & creatura rationalis coefficiunt liberum actum ſuum, Deus prius naturaliter agit illum quam ipſa, & quod voluntas diuina præcedit naturaliter in agendo, vt Domina, & creata ipſam ſubſequitur naturali ordine, vt ancilla. 16

Quod Deum præuelle, id eſt, prius naturaliter velle, ſeu prius æternaliter voluiſſe hoc vel illud præſens vel futurum, nec eſt nec fuit in libera contradictionis hominis poteſtate. 17

C Quod cauſa prima, ſeu voluntas diuina non eſt in cauſa poſterioris ſeu voluntatis creatæ libera poteſtate. 18

Quod gratia, qua ſaluamur, datur à Deo gratis ſimpliciter, nec aliquo merito præuio magno vel paruo, condigno vel congruo comparatur. 19

Quod voluntas diuina non eſt impedibilis, ſed vniuerſaliter efficax in cauſando. 20

Quod ad hoc, quod voluntas diuina ſit infruſtrabilis & neceſſaria in cauſando reſpectu ſuorum effectuum quorumcunque, & quarumcunque poſteriorum cauſarum, omneſque ſui effectus ſint neceſſarij reſpectu illius, ſufficit quod ipſa ſit cauſa prima naturaliter, & in nullius alterius, nullarumue aliarum poteſtate, non impedibilis, & vniuerſaliter efficax in cauſando. 21

Quod neceſſarium eſt Deum mundum creaſſe, incarnatum fuiſſe, hominem redemiſſe, & Deum hoc velle, ac etiam voluiſſe. 22

Quod cum futura contingentia ‖ *fiunt* præſentia, aut in præteritum dilabuntur, voluntas 23
D diuina reſpectu illorum non deſinit eſſe libera aliqua libertate, ſeu aliquo modo libertatis intrinſecus, qua vel quo prius fuerat libera, nec incipit eſſe neceſſaria aliqua neceſsitate oppoſita reſpectu ipſorum. ‖ ſint

Quod voluntas diuina ſemper eſt æquè libera, ſeu æquè neceſſaria reſpectu cuiuſcunque ſui obiecti, & cuiuſlibet intrinſeci actus ſui. 24

Quod neceſſarium eſt Deum ſcire de qualibet re præſenti, ipſam eſſe, ſcire quoque atq; ſciuiſſe de qualibet re præterita ipſam fuiſſe. 25

Quod cum futura contingentia fiunt præſentia, in præteritumue tranſcurrunt, ſcientia Dei reſpectu illorum non deſinit eſſe contingens aliqua contingentia, ſeu aliquo modo contingentiæ intrinſecus, qua ſeu quo prius fuit contingens, nec incipit eſſe neceſſaria aliqua neceſsitate oppoſita reſpectu ipſorum. 26

Quod ſcientia Dei ſemper eſt æquè libera, ſeu ęquè neceſſaria intrinſecè reſpectu cuiuſ- 27
E cunque ſui obiecti, & quod intellectus diuinus ſeu Deus æternaliter permanet intrinſecus pleniſsime vniformis, ſemper videlicet æquè liber, aut æquè neceſſarius reſpectu cuiuſlibet intrinſeci actus ſui.

Quod quicquid Chriſtus ſecundum intellectum, voluntatem, & linguam ſuos humanos in proprio genere, per actus naturales humanos diſtinctè ſciuit, credidit, voluit, viua voce aſſeruit & iurauit, neceſſe eſt eum ita feciſſe; & quicquid ad quemcunque intellectum ſciuit, credidit, voluit, aſſeruit, aut iurauit, neceſse eſt eum ad eundem intellectum ita feciſse. 28

Quod ſi Chriſtus ſecundum naturam ſuam humanam per actus naturales humanos diſtinctè ſciuit, credidit, voluit, & aſſeruit, & iurauit de aliquo futuro contingenti quod hoc erit, illo adhuc manente futuro contingenti, neceſsarium eſt Chriſtum ita feciſse, & ita neceſsarium 29

rium

rium tunc ſicut erit quando illud erit præſens in præteritumue tranſmiſſum. A

30 Quod nunquam fuit nec eſt in hominis poteſtate decipere Chriſtum ſecundum naturam humanam aſſumptam, vnione manente, facere ipſum credere falſum, mentiri velle inaniter, aut repugnanter voluntati diuinæ, neque vnquam fuit aut eſt in hominis poteſtate facere aliquid: vnde cum quibuſdam veris alijs ſequitur Chriſtum ſecundum naturam ſuam humanam vnitam fuiſſe aut eſſe deceptum falſum credendo, mentitum fuiſſe, præſentialiterue mentiri, voluiſſe, ſeu velle inaniter, aut repugnanter voluntati diuinæ.

31 Quod poſsibile fuit Chriſtum ſecundum naturam ſuam humanam vnitam & in proprio genere habere actus cognoſcendi, & volendi naturales proprios & diſtinctos reſpectu aliquorum in poteſtate hominis poſitorum, & aliquorum contingenter, & non abſolute neceſſario futurorum; & quod impoſsibile fuit Chriſtum ſecundum naturam ſuam humanam vnitam, & in proprio genere decipi in credendo, aut errare volendo, velle videlicet fieri quod nunquam fieret, aut repugnanter ſiue difformiter voluntati diuinæ, velle, inquam, voluntate rationali, non appetitu ſenſuali ſiue carnali.

32 Quod Prophetiæ de Chriſto ante adimpletionem earum erant neceſſario adimplendæ, & B quod medio tempore inter mundationem ſeu ſanctificationem beatæ Mariæ & ſanctorum Patrum veteris teſtamenti in fide Chriſti redemptoris futuri, tranſitum quoque & ſaluationem eorundem Patrum & paſsionem Chriſti fuit neceſſarium, ipſos fuiſſe mundatos, ſanctificatos, & ſaluatos per fidem Chriſti redemptoris futuri, & quod non fuit poſsibile ipſos fuiſſe mundatos, ſanctificatos, & ſaluatos per fidem fictam, falſam, erroneam, & mendacem.

33 Quod prophetiæ & promiſsiones Chriſti ante adimpletionem ipſarum erant & ſunt neceſſario adimplendæ.

34 Quod non omnes prophetiæ prædictæ de Chriſto, nec omnes prophetiæ aut promiſsiones Chriſti de futuris erant mentaliter, tacite, conditionales, ſed multæ mentaliter ſimpliciter abſolutè.

35 Quod neceſſe eſt Eccleſiam ſanctam Chriſti vſque in finem mundi perſeuerare fidelem.

36 Quod non eſt poſsibile Eccleſiam ſanctam Chriſti ex doctrina Chriſti ſemper aut vnquam C directè fuiſſe deceptam in ſubſtantialibus articulis fidei Chriſtianæ, aut erroneè crediſſe reſurrectionem mortuorum, diem Iudicij, aut vitam æternam, & quod neceſſe eſt hæc fore, Reprobos quoque habere ſupplicium, & electos gaudium ſempiternum.

Explicit iſtud opus, De cauſa Dei contra Pelagium, & de virtute cauſarum, & virtute Dei cauſæ cauſarum; perſcriptum London, anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo quarto Dom. Ieſu Chriſti.

Ad ſuos Mertonenſes Epiſtola poſterior.

DIlectis Fratribus & Amicis, Cuſtodi & Socijs Aulæ de Merton. in Oxon. Thomas de B. ſalutem & gratiam in omnibus fæliciter proſperandi. Petitioni veſtræ mox obtemperare volui ſed intercurrentibus impedimentis, hactenus non valui; quod volui, Deus nouit. Longis ſiquidem ac diuturnis occupationibus detentus, vix tandem aliquando modicum furatus otium, ſtilum arripui, & quæ interim pro tempore occurrere potuerunt, in eam quæſtionem, quam De cauſa Dei contra Pelagium peſtiferum propoſuiſtis, tractandam, in his ſcriptis tranſmiſi. Primum quidem exiſtimaui aut periculoſum eſſe, aut temerarium quod conabar; Tandem vero ad charitatem veſtram reſpiciens, & humilitatem attendens, tam religioſo deſiderio veſtro, nequaquam obniti oportere iudicaui. Accipite itaque, & benigne ſuſcipite munuſculum hoc, paruum quidem, ſed non parua deuotione oblatum, in doctrina diſcipuli, in charitate amici, in Chriſto conſerui. Obſecro autem ineptas & importunas quæſtiones inſipientium in verbo Dei familiares habere nolite, qui praua ac peruerſa quadam conſuetudine ac curioſitate, non tam amore veritatis, quam cupidine nouitatis circumcurrentes, magis volunt noua audire, quam vera dicere: Hi vero non ſuam poſſibilitatem metientes, nec diuinis myſterijs reuerentiam exhibentes de omnibus præſumunt, parati tam ſemper prauis doctrinis fidem adhibere, quam bonis liuorem. Ad vos igitur Collegiatos in agro ſcholaſtico cotidiè laborantes pertinet huiuſmodi hominum temeritatem caſtigare, ac ad formam ſtudij & viam reducere diſciplinæ, vt quilibet veſtrum non ſolum ſit ſcriba doctus in regno cælorum, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera, ſed & ſeruus fidelis, quem conſtituet Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illi tritici menſuram in tempore ſuo. Valete in Domino.

FINIS.